R.P. ANDREAE PINTO RAMIREZ VLYSIPONENSIS, SOCIETATIS IESU, ...

Andrés Pinto Ramirez

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
2 G
3

C. 59. a

C. S. C.

14-29.I.9

Digitized by Google

Digitized by Google

R.P. ANDREÆ PINTO RAMIREZ VLYSIPONENSIS, SOCIETATIS IESV,

CARMELITANI SCALZI DI S. MARIA DELLA SCALA

VTRIVSQVE PRINCIPVM POLITICES

PARALLELA

IVSTÆ, ET INIQVÆ.

Ad Caput Decimumquartum Isaiæ Prophetæ.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

TOMVS VNICVS.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.

LVGDVNI,

Sumpt. Hæred. PETRI PROST, PHILIPPI BORDE, & LAVRENTII ARNAVD.

M. DC. XLVIII.

CVM PERMISSV SVPERIORVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

ASPICIS, *vt fixas, vaga, rupes impetit vnda;*
Rupibus & summis, germina læta virent?
Dumque æstus, rident constantia saxa, furorem;
Arcano, vt laticem, frondibus, ore bibunt?
Vtque nouos flores mutata vrtica resumat,
Quos volitat, sacrum condere nectar, Apis?
Hyblæis sic mixta fauis, monumenta deinceps
Edentur, multo lucidiora, datis.
Copia claret, aquis: Doctrinæ robora, saxis:
Et viror, & dulcor; frondibus, ac Apibus.
Miraris? clypeo, faustus resplendet IESVS,
Qui Fons, qui Petra est, Germen & ipse Fauus.

Digitized by Google

ASpicis, vt fixas, vaga, rupes impetit vnda;
Rupibus & summis, germina læta virent?
Dumque æstus, rident constantia saxa, furorem;
Arcano, vt laticem, frondibus, ore bibunt?
Vtque nouos flores mutata vrtica resumat,
Quos volitat, sacrum condere nectar, Apis?
Hyblæis sic mixta fauis, monumenta deinceps
Edentur, multo lucidiora, datis.
Copia claret, aquis: Doctrina robora, saxis:
Et viror, & dulcor; frondibus, ac Apibus.
Miraris? clypeo, faustus resplendet IESVS,
Qui Fons, qui Petra est, Germen & ipse Fauus.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO PRINCIPI
DOMINO IOANNI
S. R. E. Presbytero Cardinali
DE LVGO,
SOCIETATIS IESV,

ANDREAS PINTVS *eiuſdem Societatis: obſequium iucundiſsimum D. C.*

VERERER quidem, & merito, EMINENTISSIME DOMINE, ambitioſo fortè imputaretur: quòd ſub patrocinij ſpecie, placidiſſimo fauoris tui zephyro anhelarem: (quæ enim aura gratior, præruptiſſimæ vſquam ambitioni, captari poterat?) ni vel cæcutientibus oculis, clariſſimæ rationes emicarent, quæ non magis de Amoris ſynceritate, quam de iuſtitiæ pondere, hoc litterarium munuſculum, innumeris tibi titulis debitum, teſtarentur Non eſt affectus recens, imò nec liber, quo te proſequor: vtpote cui deuinctus, tot priſca beneficia refero in acceptis: neque præſumar, nouæ Purpuræ tuæ radiis, adblandiens Papilio nunc adlici: quaſi pridem non fores mihi, ſub humili, communis Religionis, panno, pretioſiſſimus. Vetuerunt hucuſque arctiores, Societatis noſtræ, cancelli, ne te, vt corde ſemper, ſic etiam ſcriptis noſtris, inuocarem Patronum: vt ſcilicet Magiſtrum aduocabam: amoto obice, auida vltrò pietas, quæ obiectis repagulis excreuerat, vberior erumpat, neceſſe eſt.

Vigeſimus iam eſt annus, à quo Sacerdos, nunquam feciſſe memini, quin expreſſo te nomine, diuino inter operandum Numini, (teſtor conſcium) commendarem: neque enim poteſt ibi memoria hebeſcere, quæ viuida interim refricetur, opus eſt: quandoquidem tuo ſemper beneficio vtor, dum ſacrifico: cum

enim singulis Missarum, purgante igne detentis Animabus, indulgentiam plenariam, sedulus applico: id, è te prouenisse, non possum non recolere: qui, (quæ fuit comitas tua suauissima) recèns initiato, è Româ vsque, singulare tunc priuilegium, humanissima cum epistola, misisti Quid, quod dum nostris, in Cant. Commentariis, lib.2.cap.8. vers.6. te Magistrum citarem: volens, nolens (licet nil vero addiderim, de tuis laudibus) sic expressi: vt vel insciis, impressus, cordi huic penitissimo, noscereris. Prouocante igitur hac nouâ dignitate tuâ, in tui obsequium tractus, an veteris charitatis stimulis, præsumat?

Iam quo iure, litteraria tuorum tibi munuscula debeantur: is solummodo addubitet, qui Fluuiorum Tributa, Oceano inuecta, non magis iustitiæ pondere, quàm Naturæ impetu soluenda, contentiosus denegauerit. Ab immenso pene, Doctrinæ tuæ, pelago, haurimus hodie, quotquot sacris studiis assuescimus: & quod de euomente Homero, ergà Poëtarum vulgus, vetustas finxit: id, de te, erga præsentis sæculi Scriptores, fatetur Orbis: in te vno, inuidiam conticuisse, demiratus. Applauditur tibi vndique: vbique chartis tuis impallescitur: nullus latrat, nedum corrodit: quia tunc se vnusquisque docens, beniuolè, & reuerenter excipiendum sperat: cum à te doctus deinceps existimetur. Ergo in Magistrorum Magistrum, non tam apud nos factus: quàm è cælo quodammodo delapsus iam haberis.

Et quidem prænuntiauit, insoliti acuminis, Infantia, disertam Pueritiam: hæc, doctam iuuentutem: ex qua, virilis ad miraculum sapientia, quam suscipimus, coniectabatur: sic per singulos ætatis gradus, inter innumeros coæuos, & non paucos ingenij fælicissimi, ad scientiamque natos Condiscipulos: parem rarissimo: aptiorem certe studiis, nullum (quidquid tua, tibi, imponat Modestia) numeraueris. An non est aliquid humano maius; quod nondum triennis, iam expeditè, epistolas, dulcissimo Parenti missas lectitares: vix dum quinquennis, alias à te conscriptas dares, perpulchris characteribus efformatas: indeque Grammaticæ, atque Humanioribus addictus, non tam discere, quam reminisci videreris? Impubes adhuc, Iurisprudentiæ vortices ingressus, sic abdita penetrasti, vt discussis tenebris, fluctibus compositis, quieuisse tibi, antinomici æstus putarentur. Rapiebas Salmantinas Athenas in stuporem, aut extempore, Textus facilè concordans difficillimos: vel sortitò eductam Thesim, Dieculæ vnius spatio apparandam, per totam deinde horam sic euoluens: vt nisi aliunde certo constaret, non maioribus, aut temporis, aut studij impensis, disputationem illam stetisse; Doctoribus, mense toto crederetur parata: clamantibus exinde, certè dignam, quæ

à se

à ſelectioribus Auditorum, ſolido etiam anno præſtructa, commendaretur.

Hinc Salmantina Collegia Maiora, id eſt, illius litterarij Emporij refertiſſimas apothecas, certatim te in Collegam ambiiſſe, quis miretur? Scilicet nobiliſſimis ortus Natalibus, & clariſſimo ingenio inſtructus, dare magis, quàm accipere beneficium, noſcebaris: grande columen, præſtantiſſimum ornamentum, cuius illorum annueres, aducnturus. Illud mirum, inter paternas, Nobilitatis opulentiſſimæ, delicias; inter ingenitas dotes; & feſtiuos, acquiſitæ iam litteraturæ plauſus; ſpem nutritam: propterea Trabeata Collegia hiantia reliquiſſe: vt humili Societatis noſtræ Collegio adſcribereris. Pia fuerat Religionum omnium æmulatio, vtri propenderes: nam propendentem alicui, omnes præſagiebant: morum grauitas, ſtudium pietatis, hilaris modeſtia, & innatum penè virtutum omnium ſpecimen, Adoleſcentulum, cœlo magis, quàm ſeculo ſpondebant. Debemus Franciſco noſtro, fratri tuo optimo, quod te præiret exemplo: & Societati IESV, affectu iudicioque deuotum, nouis piiſſimæ inuidiæ calcaribus incitarit. Vtrumque Sidus, breui temporis interuallo, inluxit nobis: tu itaque illi, ne ſolus: ille tibi fecit, ne primus inter LVGOS, radiares. Vterque itaque ſuſcipitur Religioſus: magiſter colitur: citatur ſcriptor: in vtrouis, vterque datur cerni: non Tyndaridum inſtar alternis promicans: ſed ſplendens ſimul, mutuo conſpectu viuidiùs ſcintillatus. Quam vero in Societate noſtrâ, & virtutis, & ſapientiæ metam attigerit, facile prætermitto, de primâ enim, rubor tuus modeſtiſſimus ſilere iubet: ſecundam: præoccupatis iam tubis, Fama vetat balbutire. Nouerat vtranque probe Sanctiſſimus Papa noſter Vrbanus VIII. qui te iam Cardinalem creaturus, non tam verba fundens, quàm oracula, teſtatus eſt, neminem tunc Romæ, illuſtrioribus in exemplar radiis collucere: vel ad Doctrinam, vberius nitidiſſimis vndis ſcaturire.

Perge VIRORVM DOCTISSIME, DOCTORVM RELIGIOSISSIME, qua cœpiſti: & , ſi fas eſt Diſcipulo auidiſſimo, ardentiſſimo filio, Parentem amantiſſimum, adoratum Magiſtrum, obſtrepentibus votis defatigare! O, nunquam negotiis iam publicis, ſtudia in Eccleſiæ vtilitatem aſſumpta penitus intermittas: nihil his litteris, publicum magis vnquam meditaberis. Et quidem, ſi à tugurio noſtro, ad altiſſimum Palatij tui faſtigium, VRBANE BEATISSIME, vox commeare datur: ſi è tam remoto cœlo, preces beniguiſſimis auribus, peruenire conceditur: obteſtor abiectiſſimus ſeruus, ſic Cardinali tuo negotia committenda temperaueris, ne tempus vlterius ſcribendo, omnino ſubtrahatur. Noſti tu, SACROSANCTE ANTISTITVM ANTISTES, cum tamen totius Eccleſiæ clauum

clauum modereris, priuatis adhuc ſtudiis aſſueſcere: vt merito, *Sicut inter Doctiſsimos, Poteſtate ſummus, ſic inter ſummos Pontifices, Doctiſsimus*, ab ipſo Cardinali celebreris: & non indulſeris, vt & iſte, in partem tantùm curarum admiſſus, in ſtudiis priſcis viciſſim reſpirarit! Sed me temerarium, qui primum, in terris, à Chriſto, audeo interpellare! imputetur audacia Pietati: & labiis, omnigenam IOANNIS noſtri Doctrinam ſitientibus, ardor penè febricitans condonetur. Amor, ſolummodo cum delyrat, cordatiſſimus.

Perge, inquam, (nam ad te redeo SCRIPTORVM NECESSARISSIME:) multa tibi hucuſque reſtant perſcrutanda: *Nos*, quique nobiſcum conſimili tenore ſcribunt, *numerus ſumus, & fruges conſumere nati*: opplemus chartas, præla fatigamus: & importuna, minuſque neceſſaria ingerentes, lectoribus aut riſum, aut faſtidium apparamus. Vni CARDINALI DE LVGO datur hodie, vt Doctorum oculos, ora, animos, commoto plauſu rapiat: & admiratione defixos in ſe conuertat. Crederet aliquis, poſt eximium Suarium, Incarnationis arcana, Sacramentorum efficaciam, Pœnitentiæ ſudores ſimul & laureas euoluentem: tot adhuc, in ſingulis, tibi euoluenda ſuperfuiſſe: vt in multis difficultatibus, deguſtatos iam fontes, nouo ſemper, & deſiderato ſapore edulcares: in pluribus, illibatos identidem ſic propines, vt defuiſſe adhuc aliquid Theologiæ intelligamus: & aliquid ſemper denuo ſcrutandum relinqui, auguremur? Putaret quiſquam, poſt tot magnas ingentis lucis animas, tot præclariſſima ingenia, iuſtitiæ & iuri, operam ſudatiſſimam impendentia: hucuſque in latebris *Iuſtitiam* delituiſſe: donec tuis impendiis colluſtrata, illa virtus, quæ ſuum vnicuique reddit, iam ſibi ius ſuum, (id eſt iuſtam, & pro dignitate debitam enodationem) gaudeat aſſeruiſſe, commendet aſſertum? Poſſum, EMINENTISSIME CARDINALIS, ignorantiæ paſſim denotari: palpationis tamen, ſolummodo per calumniam inſimulabor: euolui ſedulus, quæ alij, de iuſtitia & iure ſcripſerunt: ſi iudicium noſtrum, (ſcio ſatis, quam tenue) proferendum: è te vno iuſtitiam agnoui: & iuri, melioris fori, poſt labores non mediocres quæſito, quaſi nuper inuento, acquieui: ſic ad nodos, facilis: ad obſcura, perſpicuus: prudens in dubiis: ſolidus in acutis: & in omnibus iuſtiſſimus Trutinator, viſus procedere: vt iuſtitiæ, ab examine tuo caſtigatiſſimo, pẽdére iam deinceps videãtur Bilances, vbique ſub ęquá lineâ perſtituræ.

Faxit Deus, diu Eccleſiæ, Societatíque viuas incolumis: vt quam de te, ſub recentis Purpuræ honore, commoues expectationem; impletam fœliciſſime, ad Toleti, ad Bellarmini exemplar, gratulemur. BVRGIS, Kal. Iun. anno ſalutis noſtræ 1644.

INDEX

SVMMARIVM NOTATIONVM.

NOTATIO I.

Caduca Regni Conditio.

MONITA POLITICA.

1 GLORIA Principum, Comica, imò Tragica. pag.8
2 Breuis, & instantanea. 11
3 Eiusdem vtilitas, quandoque ipsis Principibus, in confesso. p.13
4 Quæ, vt probè noscatur, à Principe, æternæ, comparanda: ne consors communis naturæ, præ cæteris intumescat. p.14

NOTATIO II.

Auaritia Principi fugienda.

MONITA POLITICA.

1 PRinceps auarus, degenerat in seruum. pag.15
2 Auarus Princeps, carcer est naturæ deuinctus sordidè: sordida deuinciens. p.17
3 Inde in fœdissimam, idololatriæ prolapsus seruitutem. p.19
4 Auaritia, Principi fœdus morbus. p.21
5 Princeps auarus, eo ipso inops. p.23

NOTATIO III.

Qualis futura, Principis, liberalitas.

MONITA POLITICA.

1 AGnasci debet Principi, liberalitas. pag.25
2 Et illa, è bonis propriis exhibenda. p.26
3 Neque in vnum fundenda. p.27
4 Sed in omnes. p.28
5 Vt quandoque minores, ipso obliget: quo, solet etiam maiores deuincire. p.29
6 Beneficia Principis, promissaque, precibus non vendenda, difficultatis artificio. p.31
7 Et sæpe maiora irroget, quàm rogatur. p.33
8 Imo, nec etiam ab ingratis retardatus, si opus fuerit, obtrudat beneficia. p.34
9 Aliter tamen circa fundatores, turpes, & indignos se gesturus. p.36
10 Principis beneficentia, sit constans, & continua. p.38
11 Vt beneficia subditis accepta, tanquam præstita obsequia, nouis pensare beneficiis videatur. p.39
12 Ideo in id tantùm, gratias decorè exigit. p.40
13 Non sit itaque emax, beneficentia Principis, satis illa, de se hamata, referet ab ingenuis. p.41
14 Qualis futura beneficentiæ regiæ magnitudo, & quomodo, & vnde spectanda. p.42
15 Tandem iactantiam, & exprobationem euitet, occultans, si opus fueris beneficia. p.45

NOTATIO IV.

Ministrorum Principis, Rapinæ: & qui vitandæ.

MONITA POLITICA.

1 VT in cæteris, sic etiam in auaritia, prauo Principi, peiores administrant. pag.46
2 Miracula repentinæ opulentiæ apud aliquos Ministros, vnde. p.48
3 Ministrorum rapacitas minoribus, in maiorum prædam datis. p.50
4 Caueant, ne stipendiis, rapinisque augendis, causis expediendis, missi, moras implicent. p.51
5 Et à cruentis prædis abstineant. p.53
6 Paupere Rege, ditescunt: rapinas, sub ipsis Reip. ruinis, celatas cupiunt. p.54

Aliud Notationis Membrum.

MONITA POLITICA.

7 Optima administratio, tunc integrior, quando manca. p.56
8 Ne, pro spicilsis, muneribus vtatur. p.57
8 A Principe ditescant Ministri, & quomodò: idque paulatim, quandoque. p.59
10 Hostilitatem, cruorem, contagium, & simulatam rapinarum pietatem, euitet Minister probus. p.60

NOTATIO V.

Aulæ mores traduco.

MONITA POLITICA.

1 CVria, totius regni: Aula vero, curiæ totius semina, esse solet. pag.68
2 Aulica inuidia: quàm prudenter à Principe præcidi debeat: & sub quo tenore quandoque permittenda. p 69
3 Aulicorum inuidia, morbus incurabilis: nouus carnifex; cui, non tam suo damno, quàm alieno commodo torti, colla subdunt. p 71
4 Minoribus inuident Aulici degeneres: generosi, etiam maioribus gratulantur. p 74
5 Fraudes Aulicorum præposteræ; sub specie laudis: qui sint probis cauendæ. p.76
6 Aula, mendaciis connutrita: vnde aut penitus obsurdescit: aut segnior assurgit veritati. p 78
7 Mendacium, infame: proditionis suspectum: quàm sit probis Aulicis fugiendum. p.80
8 Aulici detrectatores: Pseudo-prophetæ: Pseudo-apostoli: Pseudo-interpretes. Deinde pluscula congero quibus probi, euitandæ huic pesti, muniantur. p.81
9 Aulicorum sermo, & halitus, ad contagium venenatus: idque vnde. p 86.
10 Aulicam ambitionem cordi infixam, menti illudentem, euellit generositas. p.88
11 Aulicæ ambitionis seruitus adorata: vanitas aggrauans: statio defatigans: Pseudo-martyrium. p.90
12 Aulicus Chamæleon, vento pastus, de corio suo ludens. p.93

NOTATIO VI.

De Principis administris domesticis.

MONITA POLITICA.

1 PRinceps, familiæ suæ morum, censor acrior. pag.96
2 Familiarium numerus, cur temperandus. p.97
3 Qualis tenor, à Principe, eiusque familiâ, inuicem obseruandus. p 99
4 Immanitas Aulæ, erga viliores domesticos languentes, increpatur. p.100
5 Pro mutuâ Principis, cum domesticis suis, amicitiâ, nonnihil moneo. p 101
6 Vterque insanit, cùm superbus Princeps, Ministro inuidens: tum Minister gnauus, Principi æmulus. p.103
7 Domesticis Principis ira, qui ferenda: hæc illi, quàm fœda: quàm extirpanda penitus, aut temperanda. p.105

NOTATIO VII.

De Principis Consiliarijs.

MONITA POLITICA.

1 SEntentiæ Chamæleontinam euitet Consiliarius: & qualem, veræ, possit fucum, prudenter adhibere. pag.108
2 Quænam Consiliarij inconstantia, laudi, quæ danda vitio. p.110
3 Arrogans, Consiliarij nequam, arrogantia, & petinacia traducitur. p.111
4 Pharisaicæ consulationis vitia, euitanda propono. p.114
5 Quæ impia Principum, & Consultorum consilia, in Atheismum declinent. p.116
6 Quàm debeant Arcanorum, tenaces esse Consiliarij: & quàm ob id, à fœminis sibi cauendorum. p.120
7 Consultorij muneris, dignitas eximia, vnde, arcanum violantis, pœna grauissima. p.122

NOTA

NOTATIO VIII.

De publicis Principis administris.

MONITA POLITICA.

1 NOn plus sibi, quàm Regi attendant administri : & quid in hâc re, pessimum habeatur. p.124
2 Administrorum obedientia, erga Principem, suauissimè ex animo profectura. p.126
3 Prædicta obedientia, quò magis cæca, eò tractandis prudenter negotiis, fit oculatior. p.128
4 Hæc cæca obedientia, quò magis pendula, firmior stabilitur: ignara termini, temporis, negotij, manifestat Catholicum administrum. p.131
5 Obedientia administri, prompta, cerea liquefacta : nec honori nec quæstui studens. p.133
6 Prædicta obedientia, sit strenua, perseuerans, & prudenter scrupulosa. p.135
7 Quo, quando, & quali ministerio, gratia Principis promerenda. p.138
8 Administer, erga Populos, nihil sinistrum, nihil subdolum, nihil asperum gerat. p.141
9 Cur se Princeps, erga Ministros absentes, quasi præsentem: absentem erga præsentes, sit gesturus. p.143

NOTATIO IX.

De iudicibus à Principe designatis.

MONITA POLITICA.

1 IVs suum, vnicuique, iudex tribuat: & quo animo, quâ innocentiâ processurus. p.146
2 Neque fictæ pietatis, neque concordiæ affectatæ prætextu, violandum ius. p.147
3 Iudicum concordia, & quàm debeant successores, recto Præcessorum iudicio insistere. p.149
4 Iniustus pro tribunali sedebis, nisi te Dei sedem exhibueris: firmus hinc iudex. p.150
5 Iudex in aduocandis testibus, iuris formam, & competens iudicium sequatur : ne tam propriâ authoritate procedat, quàm iustitiâ. p.152
6 Quàm syncerus, & quare, in testibus examinandis, iudex processurus. p.154
7 Benigni iudicis palpebræ, vigilant, dum conniuent : oculique, dum verberant, reuerberantur. p.155
8 Quàm velit Deus, iudicibus suis, blanda indoles adhærescant, & cur. p.157
9 Quàm tardus debeat, ad pœnas iudex procedere. p.158
10 Supremus iudex, in appellationibus & suppliciis, qualem se gesturus. p.159
11 Modico pœna impendio, paret exemplum : legem, si opus fuerit, quandoque frangat : aut saltem benignitate, vbique temperet. p.161

NOTATIO X.

De primario Principis administro.

MONITA POLITICA.

1 P*Riuatus* optimus, de amore & beneficiis in populum, probandus. pag.162
2 Beneficus hic amor, circa omnes etiam cum periculo, exhibendus. p.163
3 Qualem se, in Principis beneficiis diuidendis, gesturus sit *Priuatus*. p.165.
4 *Priuati*, in Principem, amor, admonitio: & sub quibus circunstantiis, hæc exhibenda. p.167
5 *Priuatus*, sic Regi subdatur, vt nihil, absque huius arbitrio condat: aliunde supectus, perniciosissimus futurus. p.169
6 Zelotypiam amantis, & amati Principis, nescit, *Priuati* probi, indoles generosa. p.172
7 Princeps *Priuatum* condecoret : accedit enim huic reuerentia, quòd eundem ille reuereatur. p.174
8 Quibus, id, præcipuè occasionibus obseruandum. p.175
9 Princeps, an, & quando, *Priuati* sui, domum ingressurus : quomodò huius temperaturus honores, & labores solaturus. p.177
10 Principis promissio, erga *Priuatum*: cura, erga eiusdem familiam, & cognatos. p.179

11 Priuati, ruinosam sortem expono, infortunia. p.180

NOTATIO XI.

Honorum, & officiorum distributio.

MONITA POLITICA.

1 NOn temerè, sed attentâ consideratione, officia, & honores distribuendi. p.183
2 Optimæ electionis indicium, electi recusatio, si tamen syncera comprobetur. p.184
3 Culpabilem electionis errorem, pertinaciter fouet iniquus Princeps: æquus innocentem, & fœlicem errorem tuetur constantissimè. p.185
4 Quando, & ad quem gradum, possit promoueri indignus: si vltrà, iam ludibrio & dedecori exponitur. p.186
5 Nobilitas, ignobilitati præferenda: sed qualis. p.189
6 Pharisaicum, & Dæmoniacum est, virtuti; honoríque ignobilium, generis vtilitate, obstrepere: id, à Principe pio, quàm alienum. p.191
7 Ignobilis, in thronum ascendens, priscam vilitatem, ob oculos semper gerat. p.193
8 Honorum distributio, non tam seram ætatem attendit, quàm virtutem seriam: vni Consiliarij officio, suffragatur senectus. p.194
9 Proportio Ministri, ad ministerium, in electionibus attentè aucupanda. p.195
10 Officia tunc fœliciter exercentur, cùm ministrorum genio accomdantur. p.197
11 Officia, iis distribuenda, qui sunt, onera, cum honoribus subituri. p.198
12 Commendatitia eligendorum elogia, vnde, Principi, probabilia: vndéque, ipsis commendatoribus, tuta habeantur. p.200
13 Vacantis officij nocumenta, commissi ad tempus, cautela. p.201

NOTATIO XII.

Qualis comitas, in Principe, probetur.

MONITA POLITICA.

1 PRinceps, sibi vnicè, dominandi ius, & Maiestatis gloriam reseruet. pag.203
2 Regij vultûs suauitas, vbique grauitate temperetur. p.205
3 Idem, in verbis, & factis Principis, obseruo: vt vbique, amori, erga illum, timor, & reuerentia misceatur. p.208
4 Principi, nihil, in facie, toruum: nihil, in Maiestate nimium: hominem se agnoscat, comis: comior, Patrem gerat. p.210
5 Regia comitas, erga, acceptas iniurias, vt parcat: neve putetur irruere violentus. p.213
6 Comitatis suauitas, non tam minuit, quàm auget Principis Maiestatem. p.214

NOTATIO XIII.

Qualis, ad pœnas, tenor, Principi obseruandus.

MONITA POLITICA.

1 INcorrigibilium pœna, Deo victima: nullis precibus, hæc à Principe remittenda. pag.217
2 Apud Principem, pœna, erga hos tales, sit vmbra culpæ, rete inexplicabile. p.219
3 Maximè, cùm simplicioribus sunt scandalo. p.221
4 Impunitas aliorum, aliis fit illecebra ad peccandum: vnde licèt Princeps, quidquid iustè puniendum dissimulet. p.223
5 Publicatio culpæ, pœnarum maximo, sed in aliorum salutem exigenda. p.224
6 Pœnæ, culpis respondeant, pro quarum varietate, variandæ. p.226
7 Adhuc, in idem, plura. p.228
8 Dum spes correctionis est, pœna sit tarda: tarditatem postea compensans grauitate. p.230
9 Pœnæ tunc inferuntur iustissimæ, cùm illas reus, non solùm pati, sed etiam

etiam exequi, & procurare videtur. p.232
10 Puniendus reus, quò ad poterit, suis ipsiusmet verbis conuincendus. p.233
11 Iniquus, ad puniendum, Princeps, suis se verbis traducit. p.236
12 Non de potestatis arrogantiâ, sed de iuris æquitate, pœnas euibret Princeps. p.238
13 Diuinam, in Protoparentum iudicio, Clementiam, Principi iusto, propono in exemplar. p.241
14 Prædicti iudicij pœnæ expenduntur. p.244
15 De his, quæ, prædictum iudicium subsecuta. p.248
16 Coaceruantur aliunde pluscula, Principum Clementiam formatura. p.250
17 Princeps clemens, ab inflictis pœnis, se cupiat, apud subditos, excusatum. p.252

NOTATIO XIV.

Impij Principis pœna in inferno, à iudice seuerissimo.

MONITA POLITICA.

1 INiqui Principis, in inferno, mors viua: desperatio sperans: & sub voracissimo igne, æterna exustio. pag.261
2 Infernus ignis fœcundus, Principis delitias, inextinguibilis depascitur. p.262
3 Tormentum damnato Principi maximi, negata commiseratio, adhibita irrisio: vt illis, quos, breue habuit, æternum sit ludibrij spectaculum. p.263
4 Quàm sit Principibus terribilis, & metuendus iudex, vnde hæc pœnarum atrocitas deriuatur. p.264
5 Iudicis Dei, censoria perspicacitas, cæca reorum Principum confusio. p.266.

NOTATIO XV.

Mortalis vitæ conditio, Principi proponitur.

MONITA POLITICA.

1 PRinceps pius, vitæ fœlicitatisque suæ breuissimum spatium recognoscit. pag.272
2 Séque, sub his augustissimis vitæ terminis miseriis, & vicissitudinibus obnoxium. p.273
3 Mortalis vita Principis, mors continua: & sæpe morte ipsa, longè sæuior. p.276
4 Pœnitentiam Princeps non differat. p.278
5 Iniqui, aut iusti Principis vita eiusdem mortem, indicat, vt plurimùm. p.280
6 Sub tam augustæ opulentiæ fortunâ, solum sepulchrum, & illud augustissimè, Princeps possidet. p.282
7 Sepulchri honor, iniquo Principi, aut negatus, aut inutiliter permissus. p.284

NOTATIO XVI.

Princeps voluptatibus fœdis, non deseruiat.

MONITA POLITICA.

1 PRinceps voluptatibus deditus, perit ante mortem: quam, ludum reputans, funestius incurrit. pag.287
2 Eisdem, in victimam inferni, atque Dæmonis epulum, apparat semetipsum. p.289
3 Voluptatum hydrops: & Dæmonis, in id, solicita diligentia. p.293
4 Sæuissima voluptatum tyrannis, in Principes, exercita, fusè describitur. p.295
5 Voluptatibus summersus Princeps, infamiam, velut nouissimam voluptatem, aucupatur. p.299
6 Turpissima tamen hæc, Principis, de propriâ infamiâ, exultatio: nec vnquam verè, in delitiis, beatus existimandus. p.301
7 Multis titulis, indecens venit, apud Principem Catholicum, gulæ blandimentum. p.303
8 Veneris contagium, efficacissimum, & perniciosissimum, Principi vitandum. p.308
9 Turpis amoris, Principibus vitandi, descriptio enucleatur. p.310.
10 In idem pergitur. p.314

NOTATIO XVII.

Adulationis aulicæ venenum.

Monita Politica.

1 INiquo Principi, adulationibus ipsis, satis pœnarum infligitur. pag. 324
2 Quàm deceptus, sub adulatione, degat Princeps. p. 326
3 Callidissima, sub iniuriæ velo, & cum offensionis periculo, adulatio. p. 327
4 Adulationis damna, & quàm ab his, se debeat Princeps præcauere. p. 329
5 Plura de adulatoribus, Principi, abhorrendis. p. 331
6 Extrema adulationis impudentia, Principes, in Deos euehit: & quorsum. p. 332
7 Arrogans Princeps, non solùm Deus, sed etiam Deorum Creator, ventosâ adulatione vult haberi. p. 335
8 Superbus Princeps, & si Deus haberi non contendat: Deo tamen insultare, non erubet. p. 337

NOTATIO XVIII.

De Principis Religione.

Monita Politica.

1 STrenua fides, Principem adornat: neque miraculorum curiositati assuescit. pag. 339
2 Religio, à Principe, in subditos: Pietas, construendis, & frequentandis templis, impendenda p. 341
3 Religiosus, erga Eucharistiam, cultus, Principi procurandus. p. 343
4 In idem, plura subdo. p. 345
5 Vnde Principi Catholico, Crux veniat religiosissimè colenda. p. 351
6 Adhuc de Crucis cultu religioso. p. 354
7 Cultus, erga Reginam Cælorum, Deiparam, terrenis Regibus, quàm debitus. p. 357
8 In idem pergitur. p. 360
9 Deipara, Magistra Principum, & Consiliaria comprobatur. p. 363
10 Sacrarum Reliquiarum cultus, commendatur Principibus: & Patroni Hispaniarum gloria celebratur. p. 365
11 Qualem se, erga summum Pontificem, & reliquos Sacerdotes, religiosus Princeps, debeat exhibere. p. 368
12 De religiosi Principis Confessario. p. 373
13 Qualis futurus, Regius Concionator. p. 377

NOTATIO XIX.

Quæ Principi, aut conseruando, aut euertendo Imperio, inesse soleant.

Monita Politica.

1 LEgis, & legislatoris æquitas, aut iniquitas. pag 382
2 Princeps, reuerentiam legibus procuret: quas & ipse reuereatur: ne Proceribus, vt solet, habeantur ludibrio. p. 384
3 Leges non temerè, sed solùm vrgente necessitate, immutandæ. p 388
4 Viua lex est, morumque norma, vita Principis. p. 391
5 Quanti sit, Imperio conseruando, si Princeps, in meditullio Regni sedem collocauerit. p. 393
6 Immediata tuendi Imperij cura, Principi, multis titulis incumbit. p. 395
7 Per prauæ indolis, & inueterati vitij vestigia, Princeps, subditos suos, ad virtutis viam, tanquam Pater suauissimus reducit. p. 398
8 Quantùm, ex prædicta Politicâ, cùm subditis, tum Principi, vtilitatis aduenerit. p. 400
9 Vnde Princeps, in tyrannum, facilè vertatur, euertendus. p. 402
10 Iustus Princeps, Imperio conseruando, non solùm tyrannidem, sed etiam tyrannidis confinia euitat. p. 405

Aliud Notationis Membrum.

De Bello.

Monita Politica.

11 Belli detestatio: Pacis encomium: illud, solummodo huic conseruandæ, ineundum. Aliis ad rem congestis. p. 408
12 Ineundo bello, expensæ prouidendæ: vndeque istæ, legitimè comparentur. p. 411

13 Delectus militum. p.413
14 Qualis futura, fœderum obseruatio. p 417
15 Dux in exercitu, non, vt miles, manu fortis, sed, vt Dux consilio præstans, & minimè delicatus, in suorum exemplum, approbandus. p.419
16 Princeps, nisi sanctus, ignauus, & infaustissimus, bella gerit. p.421
17 Quàm gloriosè, pro Romanæ fidei Religione, Principes decertent, & occumbant. p.423
18 Quàm debeat Catholicus exercitus, acceptâ Bullâ cruciatâ, animos generosos spirare. p.426

NOTATIO XX.

De Principis vxore, atque liberis.

MONITA POLITICA.

PRinceps per Paranymphos, fere inconsultè ducit sponsam: cuius imagine, aut famâ, frustra allicitur: cùm sæpe hæc, quo occultior, gloriosior. pag 419
2 Quid in eligendâ Principi sponsa, diligentissimè debeat obseruari. p 431
3 Coniuges Regij, mutuò se viuant: quantóque in honore, & quare, Augusta apud maritum sit habenda. p.435
4 Princeps vxorius damnatur: fœmineæ indolis fictio: propositi, molliendis maritis, tenacitas, traducitur. p.438
5 Augustæ vitia, Principem cur traducant: illa obsequij gloriâ, contenta esto: pulchram se nesciat: sic fœlici coniugio, concordia perennat. p 441
6 Ingentis virtutis est, si Princeps, filiis fortiter imperet: in quibus post obitum, fœliciùs spirare præsumatur. p 444
7 Qualem sibi hæredem Princeps, optare debeat. p.446

APPRO

APPROBATIONES.

REVERENDI P. Andreæ Pinti Ramirez Societatis IESV, MONITA POLITICA super quædam verba Capitis decimiquarti Prophetæ Isaiæ, Nos subsignati Doctores Theologi, Parisiensis Facultatis legimus, nihilque quod pias aures offendat, aut à vero auocare possit reperimus. In quorum fidem nostra manualia signa hic die decimatertia Maij 1648. Lugduni apposuimus.

FR. STEPHANVS MOLIN. *Carmelita.*

FR. PAVLVS LOMBARD. *Carmelita.*

VISA per nos præfata authentica approbatione RR. PP. Doctorum in Parisiensi Theologiæ Facultate, supra R. P. Andreæ Pinti Ramirez Societatis IESV MONITA POLITICA, &c. qua omnia cum pietati tum veritati ex toto consona in illis contineri asseuerant, in publicum lumen danda quoque censuimus. Lugduni 13. Maij 1648.

DE VILLE Prouic. Gen.

CONSENSVS.

EGo Procurator Regius in Præfectura Lugdunensi consentio, vt liber inscriptus in Approbatione præmissa, ab HÆRED. PROST, PHILIPPO BORDE, & LAVRENTIO ARNAVD, Bibliopolis Lugdunensibus excudatur, peculiari licentia ad id ipsis concessa. Datum Lugduni die 14. Maij 1648.

LORIN.

PERMISSIO.

VISO Procuratoris Regij consensu, fiat vt petitur, & ne quis vltra concessam facultatem denuò excudat hunc librum prohibemus. Datum Lugduni die 14. Maij 1648.

DV SAVZEY.

IN

IN NONNVLLA, EX Capite XIV. Isaiæ Prophetæ: vbi de Baltasaris Imperio deturbato.

ARGVMENTVM.

INGEMVERAT Propheta, ab ipso sacri Oraculi initio, deplorati Israëlis scelera, ceruicem duram: cui deinceps impendens iugum minatus, instantem cladem, vel etiam Ægyptiæ captiuitati comparandam: tandem lenioris flatu spiritûs, quasi palinodiam diuinâ recinente Iustitiâ, nuntiat libertatem. Ergo postquam Capite duodecimo, Babylonis talionem ingerit, & opprimentem describit opprimendam: iam in præsenti, Regis eius Baltasaris supplicium, plus quàm de tragico perstrepit cothurno: vtque pungatur sæuius, restitutæ gentis ori, canticum suggerit, immò occentationem, quâ prostrato Tyranno insultet, inludat misero. Cladis immanitas, deturbatio throni, necis atrocitas, infamiæ nota, & insepulto corpore, tristius animæ Infernus, ad sepulchrum, iactura sobolis, nominis abolitio, denique infausta omnia obiiciuntur infœlici: ídque, non vtcunque conuicio, sed etiam sarcasmo, fel totum despumante, toxicum dirum: Prosopopœis, in idem altius funestandum, aduocatis. Fortasse, nihil amarulentum magis, vtriusque Lectori paginæ, incurrendum.

TEXTVS.

VERS. 3. & 4. ET erit in die illa, cùm requiem dederit tibi Deus, à labore, & concussione tuâ, & à seruitute tuâ, quâ ante seruisti: sumes Parabolam istam, contra Regem Babylonis, & dices: *Quomodo cessauit Exactor, quieuit Tributum?*

SENSVS LITERÆ.

I. *Princeps impius, sapientibus spectaculum.* EST quidem impius Princeps, etiam dum viuit voluptatibus obrutus, sæuitie ferociens, sapientibus de ridiculo, & quasi ludibrio expositum spectaculum: vnde bene Philostratus lib. 4. de vit. Apol. sic Philosophos, de adeundo Nerone inducit colloquentes. *Publicè ille, veluti auriga, quadrigam regit, canitque in Romanorum theatris: vt cum gladiatoribus viuit, ipse quoque munere fungens gladiatorio, homines iugulat. Ad ea respondens Apollonius: Vir, inquit, an maius aliquod spectaculum, erudito homini esse censes, quàm Regem impudentem videre? Dei namque ludibrium homo est, iuxta Platonis sententiam: Rex autem* *Philostr. Neronis mores.*

 homi

hominum ludibrium factus, suúmque pudorem, vt plebi gratificetur, negligens, quos & quales philosophantibus prabebit sermones? Sanè per Iouem, inquit Philolaus, modo sine periculo id fiat: quid autem si eo deductus intereas, aut te viuentem Nero deuoret, prius quam aliquid eorum, quæ facit, aspexeris: plura enim, id tibi, quam Vlyssi constabit, quando ad Cyclopem venit: plures enim socios amisit, dum monstrum illud studet videre, spectaculi cupiditate superatus. Tunc Apollonius: Putas, inquit, hunc minus quàm Cyclopem, cæcum esse, cùm talia agat? Miretur quidem vulgus Tyranni fastum, pompam suspiciat, delicias adoret, (vulgi autem nomine Purpuratos etiam indoctos comprehendo) at Sapiens, hanc potentiam, quasi totius inanis despicit plenissimam. Et quidem miserum, sic à sapientia Tyrannidem in ipso suo throno irrideri. Sed quod post lapsum, irrideatur à quouis, longè miserius: neque vtcunque, sed eâ subsannatione, quæ ipsamet calamitate corrodit sæuiùs, lancinat penitiùs.

2. Affligunt homines mala, sed in singulis aliquid interim leuaminis respirat: durities belli, hostium incursus, carceris immanitas, quæ grauissimæ miseriæ computantur, solatio non carent Quintilianus declam. 5. *Stringat licèt manus sæua captiuitas, profundâ carceris nocte membra claudantur: datur tamen colludere catenis, artus extrahere nexibus; & habet aliquid æquanimitatis, cum pœnâ suâ posse rixari. Sentiunt regna tormentis, bella vulneribus, sed leuius afficit, quidquid viribus feras: & cùm in plenum adhuc sanguinem aduersa ceciderunt, repugnantis roboris colluctatione vincuntur.* Quid? Impio morbi languore, cui omnes calamitates cedere testatur adductus Quintilianus, & in cuius comparatione, consolari se potest genus quodnis miserorum; licèt quotidie aliquid ex homine præmittat in mortem, licèt cibos haustus, & omnia vitæ blandimenta famescat pariter, & fastidiat: licet desiderata assidentium officia dehinc ferre non possit: attactus ipsos aggrauans, quos requirit: est tamen aliquid, condolentium audire gemitus, vota sentire. Miseriarum extrema putatur mors: & tamen apud miseros ipsa, solatio suo non caret, mitescit mortis horror, ærumnosę vitę tramitem peracturo. Vna est pœna, quæ metas omnes leuaminis excedit, cui frustra solatio aliquid procures: si dolens scilicet, non solùm compassionem non extorqueas, sed insuper subsannatores patiaris, & irrisores. Iobo, nuditas, orbitas, lepra, sterquilinium, mel & rosæ: amicorum verba, verberibus omnibus putauit grauiora: ab illis enim, grauissimus doloris sensus, hebes pene ad cætera: cap. 6. vers. 6. Hinc ni fallor, illa Dauidis ad suos, Semei iam conuitiis vulnerati: *Dimittite eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini: si fortè respiciat Deus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bona, pro maledictione hac hodiernâ.* 2. Regum 16. v. 11. quasi neque de filij scelere; neque de throni exturbatione; neque de calamitate exiliisse, Deum sic crederet promerendum: quàm si ærumnosus, conuitia toleraret egregie, vtpote pœnarū apice generosior.

Quintil. *Corpori sano mala leuiora.*

Morbi leuamen & mortis.

Irrideri, summum est dolor. Iob 6. 6.

2. Reg. 16.

3. Adhuc tamen in hoc conuicio, aliquid pungentius: scilicet, si ab illis ipsis, à quibus mala pateris, subsanneris. Tulerant iam Romani, Gallorum Senonum furorem, & euersâ vrbe, pretium doloso etiam pondere exactum, Auctore Floro: sed dum insuper, sibi *væ victis* audiunt intonare, sic ferociunt, vt instaurato bello, aut vitæ cedere, aut litare contenderint libertati? Hinc Plutarchus in Lacon. Apophthegm. *Extrema improbitatis est linea, etiam illudere his, quos afflixeris,* quia nimirum extremam doloris metam attingunt sic illusi. Vsurâ lucis, quâ nihil dulcius, spoliatus Sanson, in pistrino, seruorum carcere, omni petrâ patientior, molarem petram voluit cæcus, nec fremens dicitur: sed vt audit conuitia insultantium, tunc oculorum dolor recrudescit: & subsannatus, duram meditatur vindictam, Iud. 16. v. 18. cui etiam obcæcatus indormierat. quid plura? scatent in hanc rem vtriusque paginæ testimonia.

Maximè, si à quo pateris, irrideris.

Florus.

Plutarch.

Iud. 16. 18.

4. Hinc ergo est, vt nihil sæuius damnatos punire credatur, quam illa quodammodo irrisio, & nostro loquendi modo subsannatio, qua diuina Iustitia, obstinatis iam insultat, & durâ mordacitate lancinat desperatos. Tale est illud 1. Prouerb. v. 6. *Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo.* Quod idem habes Psalm. 2. v. 4. vbi Interpretes fusissimè rem expendunt. Neque tamen hîc potest dari vel prima, nec dum *extrema improbitatis linea,* quæ à Deo abest omnino: est tamen iusta, sed extrema seuerissimi Iudicis indignatio: qua in hoc capite, verbis liberati populi, quasi damnatum iam Principem transfigit. Est vero subsannatio præsens, ex duplici circūstantiâ, amarissima: & quod ipse qui pœnæ est auctor supplicium indice, & quòd non suo, sed afflicti olim Israelis ore dicit: hæc est enim fellei cuiusuis dicterij fæx dirior, si ab illis, quos pridem ludibrio habueras, irridearis. Lege Patres ad illud Iob cap. 30. vers. 1. *Nunc autem derident me iuniores tempore: quorum non dignabar Patres ponere cum canibus gregis mei.*

In inferno pœna sæuior quæ.

1. Prou. 6. Psalm. 2. 4.

Apex summus doloris est, ab illis irrideri, quos prius irriseras.

Iob 30. 1.

5. SVMES PARABOLAM. In Hebræo est משל, multiplicis significationis vox: Interpretes vt plurimùm in hoc loco, cum Sanctio, ex variis Parabolæ significationibus, hanc illam admittunt, quâ grauis aliqua & illustris sententia, figuratè obscura, nec sine comparationis gustu, profertur, non abnuo: addo tamen, posse hîc sumi parabolam haud inuitè, immo potiùs omnino germanè, pro conuicio, & exprobratione: sic illud Psalm. 68. v. 22. *Factus sum illis in parabolam,* aliqui explicarunt. Aptius illud Psalm. 43. v. 14. *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem & derisum his, qui sunt in circuitu nostro.* Hebraicè משל, Græcè παραβολὴν, *parabolam,* id est: scopum derisus, subsannationis, parabolæ, seu conuicij nos fecisti. Quid ni ergo Babylonicus Princeps infaustissimus, tot irrisionibus, tot impetitus conuitiis, hîc parabolâ, seu irrisione pungi dicatur? Quid enim illis, quæ paulo ante dicebam, & omnibus sunt in confesso, congruentius? Non contortè alias eiusdem voculæ expositiones huc afferrem, si vacaret transcribere, quæ fuse doctè Pineda de Parabola tradidit ad cap. 7. Iob, v. 6. & quæ vberiùs eruditissimus Salasar 1. Prouerb. v. 1. vtriuis sitiens recurras, satiaberis.

Parabola multiplex significatio.

Psalm. 68. Psalm. 43.

Pineda.

Salasar.

6. CONTRA REGEM BABYLONIS. Ecquis iste? quem Propheta tacitum voluit, solummodo coniecturis inuestiges. D. Hieronymus Nabuchodo

D. Hieron.

chodo

chodonosorem inde deprehendit. quod affectatæ diuinitatis apud Danielem reprehenditur, & aureæ suæ statuæ deposcens cultum: cuius ambitionis nota, amentiùs adhuc exhibitæ, dum syderei throni dicitur captator, miserum Regem nostrum præsens Isaiæ parabola nunc

Nabuchodonosor à præsenti argumento excluditur.

respergit. Doctori maximo, assentiunt ferè omnes. Ego non ita facilè, quamuis Hieronymo impensissimus auderem. Certè insepultum, aut saltem cateruatim fossæ mandatum vilissimæ, regem hunc suum prædicat Isaias: vnde ergo hunc Nabuchodonosorem denotabis, qui in regno suo, post pœnitentiam obiit fœlicissimus? Fortè ad Hebræorum fabulam recurres, quâ Nabuchodonosor è sepulchro extractus, & membratim sectus fingitur, iussu filij: sed hæc nugiuendarum deliria irridet meritò pars cultior: & quiuis, non adeo emunctus, suspendit naso. Sed esto sepulchri iacturam vtcunque huic Nabuchodonosori obtrudas: vnde poteris, filiorum orbitatem, abolitum semen, reliquias extinctas, quod tam disertè Parabola præsens portendit Regi suo: cum aliunde è sacro textu, Nabuchodonosoris filium, & nepotem, Imperij successores agnoscamus?

7\. *Baltasar ab Isaia traduci probatur. Sanchez.*

Subscribo igitur Sanctio, qui in hoc loco Baltasarem sub iis coniecturis delineauit: vt potiùs rectà eum quæsitum inuenisse videatur. Fuit Baltasar è familia sua, postremus Babylonis Rex, Imperij sui ruinâ collapsus pariter, nec filio, nec hærede relicto: quod velut digito monstrat Isaias: negato autem quod additur, de sepulchro, vel etiam cæcutientibus illucescit: horrore noctis, vt nôsti, ingruentibus Persis & Medis, & per summam hostilitatem vrbem vastantibus, Regem occidentibus, peruium est, vt credamus, eius cadauer pariter cum plebeis raptatum: & fossæ humili cateruatim, hiatuique fœdissimo iniectum. At, inquis, non aliunde constat, diuinitati Baltasarem inhiasse: quod tamen in Nabuchodonosore planum cernitur? Bene: si ergo ex hac vnâ circumstantiâ Isaiæ consonâ, tot aliis apertissimè deficientibus, Nabuchodonosorem contendis aucupandum: iam saltem maiori iure Baltasarem ego aucupabor, cui hâc vnâ deficiente, cæteras omnes fateris adstipulari, hostilia scilicet necis vulnera, vrbs prostrata, natorum abolitio, propudiosi sepulchri commixtio, quæ mirè præ entis Prophetiæ verbis assonant. Sed neque diuinitatis ambitum, impotenti Baltasaris arrogantiæ, iure inuidebis: habebat ipsum Nabuchodonosorem auum suum, & Belum Babylonis fundatorem, in impietatis exemplum; & dubites eidem hoc monstrum adspirasse, cui tot alios minoris dignitatis, genij mitioris, per tot sæcula, nouimus adspirantes passim? Cùm igitur in hoc loco, affectatæ apotheosis hîc redarguatur; satius ni fallor erit, ex aliis, quæ ad amussim Baltasarem effigiant, ex vno Isaia, etiam hoc illius crimen agnoscere: quàm quòd desit aliud in sacro textu testimonium, tot alia indicia, in alienum sensum trahere obtorto collo: inde vel maximè, quòd res etiam longè maioris ponderis, ex vnico tantùm libro sacro, cæteris subticentibus, eruere solemus.

8\. *Baltasar diuinitatis affectator.*

Quid, quòd ex verbis Danielis, ni obduremus, aliquid rei nostræ videor augurari, vnde opinio denuò nostra roboretur. Explicabat Propheta infausto Baltasari, nigrum Theta, mortis sententiam: in cuius scelerum exemplum, aduocato eiusdem auo Nabuchodonosore, post alia, sic subdit: *quando autem eleuatum est cor eius, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est à solio regni sui.* cap. 5. v.20. Hæc eleuatio, ad sacrilegam statuæ aureæ adorationem alludere, nemo interpretum abnuit, nunquam enim magis obfirmatâ superbiâ Nabuchodonosor intumuerat, quàm dum se coli Deum præcepit: inde deturbatus à Regno, brutis fortè configuratus, certè consors, & conuiua degit; quæ postquam narrauit Daniel, v.21. subdit statim v.22. *Tu quoque filius eius Baltasar, non humiliasti cor tuum, cùm scires hæc omnia: sed aduersus Dominatorem Cæli eleuatus es, & vasa domûs allata sunt coram te*, expende illud, *tu quoque*: quasi simillimam culpam nepos (filius vsitatâ Scripturæ phrasi dicitur) contraheret auitæ, vnde pœnâ consimili puniendus: hanc enim elationem contra Cæli dominatorem, ad solam vasorum pollutionem referre, quam friget comparationis grauitati, tam puto, prudenti cuiuis displicuerit: additamenti ergo loco, si rectè cogito, hæc vasorum profanatio, quasi tunc sacrilegè exercita, & quæ scelestissimi impietatem clausit, adhibetur. Ni fortè dixeris cum Sanctio (qui licèt aliter verba hæc Danielis explicet, Baltasarem tamen diuinitatis ambitûs condemnat) ideo vasa Dei hoc ab impio allata, vt se Israelis Deo longè dignius numen testaretur. Poterat obiici Sanctio, non posse facilè credi, tunc se Deum putâsse Baltasarem, cùm vasa polluebat: quandoquidem eisdem Diis suis libâsse dicitur, quos inuocabat: qui enim Deus Deos alios non erubesceret? Posset tamen facilè respondere vir doctissimus, nihil in hoc incommodi, contra sua, nam & Imperatores Romani Iulius, Augustus, Domitianus, adhuc in viuis se Deos coli volebant, & tamen interim cælitibus ipsi sacrificabant; nihilominus, ex præcisâ vasorum profanatione, non ita certum habeo se Deum venditâsse Baltasarem, sed ex aliis, quæ iam dixi.

Dan 5.20

v. 21. 22.

Sanchez.

Principes etiam pro Diis culti Deos celebat.

9\.

Est & mihi alia coniectura, fortasse leuis, sed in negotio dubio non prætereunda. Regem illum cum Babylone euersâ prostratum pariter, de quo Ieremias: *capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach.* cap. 50. v.2. ipsissimum Baltasarem esse putant graues Auctores cum Dionysio & Lyrano, (licèt Sanctius hic & in vtroque loco Isaiæ & Danielis, non tam proprium aliud nomen Baltasaris, quàm appellatiuum esse, communéque omnibus Regibus Babylonicis contendat.) Cur ergo ex horum mente non suspicer, Merodach, ideo insuper hoc aliud Baltasaris nomen sibi vsurpâsse, vt ipso titulo aliquid diuinitatis sibi arrogâsset? Certè Baltasar, nomen Idoli putatur, vt fere cum Chrysostomo sentiunt Doctores, ad illud Danielis, cui Rex nomen Baltasaris imposuerat: *Daniel, cui nomen Baltasar, secundum nomen Dei mei.* cap.4.v.5. vnde Iosephus lib.10.cap.18. ideo putat Danieli impositum hoc nomen, quòd iam diuini aliquid, & prophetici spiritus, habere nosceretur.

Ierem 50.

Dionysius Lyranus.

Baltasar nomen Dei.

Daniel. 4. Ioseph.

Dices, hunc Regem in Bibliis correctioribus, non Baltasarem, sed Balsasarem appellari, fateor: Sed plures codices Latini, Græci, poli-

Baltasar, & Balsasar

tioréſque interpretes, Baltaſar retinent: quod mihi ſatis in tantâ lectionum varietate. Dices ſecundò: vtcunque ſit, tamen longè aliam reuerà eſſe nomen Danieli, & Babylonico huic Principi impoſitum, quamuis vulgò eiſdem litteris proferatur, quod multis contendit probare Sanctius, ad cap. 4. Dan. num. margin. 8. vnde licèt illud Diuinitatis aliquid redoleat: non tamen hoc, eandem importabit. Reſpondeo, (Sanctius.) illa quæ ibi Sanctius, pro certiſſimis habet, dubio, & illo ingenti non carere: & quidem grauiſſimi Patres cum Ioſepho, vnum idemque eſſe autumant. Quid? quamuis in origine Chaldaicâ, aliquæ litteræ fateor, varientur: tamen vtrobique initiale בל retinetur inuariatum, quo maximè diuinum aliquid apud Idololatras nũtiabatur: quod quidem mihi, plus quàm ſatis eſt. Ergo in tantâ rei confuſione, probabili aliquorum ſententiæ innixus, non omnino nihili (Sanchez.) putauerim coniecturam. Id mihi mirum, Sanctium qui doctiſſimis paginis ad cap. 1. Dan. num. margin. 33. à Rege ipſo, id eſt eiuſdem nutu, Nomina Hebræis pueris mutata probat: iam ad cap. 8. num. marg. 8. vt ſententiam, quam hucuſque dixi probabilem, refutet: non à Rege vllo modo, ſed ab Eunucho, impoſita hæc nomina contendat. Sed de his ſatis: nam quidquid ſit de hâc nominis coniecturâ: alia argumenta, non leuiter affectatæ diuinitatis Baltaſarem conuincunt: Baltaſariſque exitium ab Iſaiâ deſcribi, puto certiſſimum, eſto hoc ratum.

11. *Tyrannum probat iniquitas tributorum.*

QVOMODO CESSAVIT EXACTOR, &c. Omnibus aliunde extremæ Tyrannidis oppreſſi calamitatibus, arrogantiâ ſcilicet, deſpectu, crudelitate, non aliunde priùs & gratiùs reſpirant, quàm à tributorum inſolentiæ leuamine: credo quia nulla prior Tyranni Nota, quam tributorum iniquitas, vectigalium immoderatio. Sunt pulchra verba illa (Nat. Com. *Caroli quinti Imp. æquitas.*) Natalis Comit. lib. 3. Hiſtor. vbi expendens, vnde Henricus Galliæ Rex, Carolum V. noſtrum bella parare intelligeret, poſt alia ſic ſcribit. *Maiorem etiam ſuſpicionis occaſionem attulit, quod Cæſarem intelligeret, nouis præterea, & extraordinariis tributis populos grauare, atque plurimum pecuniæ colligere, quæ quamuis principia belli non ſint, tamen in Magnis Principibus, in quibus non, vt in paruis, habet locum auaritia, (quòd poſſint quando libuerit, magnum auri pondus colligere) non ſine certâ ratione, certóque conſilio fieri, creditur à prudentibus*, grauiter dictum; neque eximius Imperator, qui toto cælo diſtabat à Tyrannide, tributis dilectum populum grauaret, niſi iuſtiſſimi belli iam iam ineundi pondere grauaretur. Hæſit Parenti optimo, optima ſoboles, Catholica nimirum trium Philipporum ſucceſſio, qui ſolùm in Hæreticos, aut Hæreticorum fautores, bella mouentes iuſta, & impia propulſantes, impoſiti tributi rationem ſub æquiſſimâ trutinâ ponderarunt.

12. *Tributa ob bellum, finito bello amouenda.*

Tales debent, in exigendis tributis Principes pii ſe gerere: vt tranſactâ deinceps bellorum neceſſitate, tributorum pariter onus releuetur, nec enim tantum doloris ſubditis accreſcit, ob impenſa in Reip periculo tributa: quantùm voluptatis confertur, ob eorundẽ, partatis iam rebus ceſſationem: Nimirum præſens ceſſatio, præteritæ exactionis aſſerit iuſtitiam, quid ni (Dio Caſſius.) ergo frequenti plauſu excipiatur? Dio Caſſius de Metelli nepote. *Cùm ciuitatem, & reliquam Italiam, portoria, cæteráque eiuſmodi vectigalia offenderent: legem omnibus gratam tulit, vt ea tollerentur.* Hinc Tacitus Annal. 13. ſcribit, (Corn. Tacit.) crebris Populi flagitationibus, immoderantiam Publicanorum, arguentis, dubitâſſe Neronem nondum Tyrannum: *An cuncta vectigalia omitti iuberet, idque pulcherrimum donum generi mortalium daret.* Eſt quidem grata lex illa, donum pulcherrimum, quâ Populis ceſſante iam neceſſitate, tributa remittuntur: quia ſcilicet nihil è contrà, grauius, quàm, non ex communi Reip. indigentiâ, ſed ex Principum auaritiâ tributa pendere. Multa fuere, quæ Traiani Imperium redderent fœliciſſimum: illud in primis, quòd iniquis tributis parceret, abſtineret à rapinis. Plinius in Paneg. *Iuuat cernere ærarium ſilens, & quietum, &c. non ſpoliarium Ciuium, cruentarumque prædarum receptaculum.* (Plinius.) Hinc Romanorum exultatio, fauſtus clamor, quod in ſimili de Conſtantino Magno narrat Baronius, (quidquid alij velint) tomo 3. An. (Baronius.) Chriſti 330.

13. *Tributa fœda quæ lacrymis ſubditorum aſperguntur. & ſanguine.*

At Baltaſar, cæterique Tyranni, longè aliter: auro ex auaritiâ inhiant inceſſantes: ſubditos torquent: quibus non ſemel eripiendo tributo, prærepta vita. Parum ſcilicet habet Tyrannus, ſi pecunias profuſas ſubditorum lachrymis corradat: (quod piè Baſilius Imperator vetabat fieri, ſuadens, *ne ex oppreſſione & lachrymis ſubditorum corradantur*: & ſanctiſſimus Tiberius, de quo infra, *adulterinum* hoc aurum appellauit) conſperſas ſanguine cupit: impiam purpuram, hinc dibapham redditurus, quam calcato pudoris rubore decolorat, tunc ſe legitimum Principem venditans, cùm adulterino hoc auro, renitet pretioſior. Plinius ad Traianum. *Si natura pateretur quam libenter tot ſpoliatis, tot trucidatis, ſanguinem & bona refudiſſes*, quaſi apud (Plinius Paneg.) impios alios Imperatores, ſemper profuſa ſanguine bona eriperentur, dirum! cum plus quam ſatis foret, pecuniam iniquo exſugere tributo, de quâ vetus Comicus. (*Pecunia, ſanguis eſt.*)

Τ' ἀργύριον ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς.

Pecunia eſt ſanguis, & anima hominibus.

Sed inſtat pœna: nec vnquam iniuſtè exacta tributa, commodo fuere. Philoſtratus lib. 6. de vit. Apo. de Ariſtide. *Reſpiciens ad Athenienſium, ſociorúmque vtilitatem, mediocritatem tributorum inſtituerat, quod ſanè poſtea magis apparuit, poſtquam Athenienſes eius iudicium tranſgreſſi, grauiora tributa Inſulis impoſuere: ablata eſt illis naualis potentia, quâ maximè terribiles erant: omnes autem maritimæ vires, ad Lacedæmonios tranſiere: cùm omnes ſocii, ad res nouas moliendas animos erexiſſent, vnde rerum conuerſio ſecuta eſt.* (*Tributa iniqua, nunquã vtilia.* Philoſtr.) Nouerit ergo optimus quiſque Princeps, iniqui tributi pecunias non ſolum ſubditis, ſed ſibi inſuper inopiam importare: ſi enim pecus ſuum non tondet, ſed deglubit: vnde iterum lana illi ſuccreſcet? imo vnde pecudes, in feras non timeat conuertendas? Satis hæc, vt videas, quo iure Propheta, liberati iam populi exultationem, à Tributi immanis ceſſatione inchoaret. Sed reſtant plura dicenda de exactoribus.

14. *Duro tributo durior exactor.*

EXACTOR. Vt priùs, ſic feſtiuius, amotum Exactorem ſibi gratulari videtur, quam Tributum ceſſans. Imo & LXX. in Sixtianis, nulla

factâ

factâ Tributi mentione, solius Exactoris propulsi, intonant fœlicitatem: *Quomodo cessauit Exactor, cessauit sollicitator?* Durior tributorum onere, Exactorum iniuria: portaret illud vtcunque, oppressa gens, horum immanitati succumbat necesse est; hinc respirat gratius,

D. Ambros. vnde sæuius premebatur. bene D. Ambrosius serm. 7. (ni fortè est August. serm. 19. de verbis Dom. in Matth. vel potiùs, quod malunt Doctiores, D. Maximus Episcop.) ad illud Luc. 3. de Publicanis venientibus ad Baptistam: & dicentibus. *Magister quid faciemus?* v. 12. ad

Luc. 3. quos ille. *Nihil amplius quam quod constitutum est vobis faciatis.* vbi modestissimus Pater, *Honesta plane Publicanorum interrogatio, ac sancti Prophetæ iusta responsio: illi enim sollicitè interrogant, ne aut ignorantes, plus exigendo peccatum incidant, aut cessantes publicam decipiant functionem; hic autem moderatè præcipit, vt & iniquitas locum non habeat, & constitutum habeat vectigal effectum: non enim dixit, nihil exigatis, sed, nil ampliùs exigatis. vnde intelligimus, quòd apud Deum non tam exactio, quàm exactio iniqua damnatur: dicit enim ipse Dominus: Reddite quæ sunt Dei Deo, & quæ sunt Cæsaris Cæsari. Igitur quod Cæsar præcipit, ferendum est, quod Imperator indicit, tolerandum est, sed fit intolerabile, dum illud præda exactionis accumulat.* Nihil verius dici potuit: non grauant vt plurimum populos tributa, quos tamen Exactorum immanitas trucidat, qui dum Rempublicam gerere videntur, rei familiari, per miserorum stragem student solummodò. Pergit

D. Ambros. Ambros. *Hoc autem quale est, quod iidem ipsi, qui huius necessitates procurant, peccatis suis peccata congeminant: hoc est, quòd fraudes suas ac rapinas commodum vocant, dum ipsâ prædâ inferatur incommodum: illud autem addunt sceleribus suis, vt quos indefensos viderint, ipsos potiùs persequantur: & putant se necessitates decepisse publicas, nisi domos deceperint orphanorum.* Vbi plura de viduis horum iniuriâ afflictis, quæ mirè ob oculos ponunt, id quod quotidie, etiam sub optimis Principibus plorant populi; quales ergo sub impio Baltasare Exactores fuisse coniectaueris?

15. Proinde meritò doctissimus Beauxamis, in

Beauxamis. hunc Ioannis docentis tenorem ita. *Quot enim sunt qui prætextu certæ cuiusdam colligendæ summæ, quæ fisco sancita sit, duplum etiam colligant, & populum opprimant? non vetat quidem Ioannes ne Principis vectigal, tributum & subuentionem colligant: vt enim illa iure debentur Principi: ita & iure colligi possunt: sed prohibet, ne credita sibi huius commissionis occasione populum opprimant, Principes calumniis subditorum obiiciant: quasi præter ea, quæ constituta sunt, Tyrannorum more subiectos spoliare contendant.*

Princeps Exactores comprimat. O, notarent vtinam ista pij Principes, quos effera Exactorum cupiditas reddit molestos semper, neque rarò tyrannicâ apud populum notâ sacrilegè respergit: intelligerent scilicet, perinde sibi curandum vt tributis modum, sic etiam Exactoribus imponere, molestiam, licentiam, & rapinas refrænare. Nescit vulgus ad bilances res deducere, & in altera Principis æquitatem, & in altera iniquitatem Exactoris trutinare quæuis pendat, Principi imputat, & cum iste minimam partem commodi ferat, totam tamen, iudicio subditorum, infamiæ molem cogitur sustinere: arguunt de Exactorum arrogantiâ & rapacitate, Tyrannum: quem de solo tributo, modestus vt par erat collector, Patrem prædicarent. vt ergo Tyranni Principis est exactorum violentiam non curare & iniquè imposita tributa, iniquiore hoc pondere aggrauare; sic pij fuerit, non solùm moderari tributa, sed exactorum reprimere immoderationem: frustra illis habenas temperans, nisi horum calcaria hebetauerit. Prudenter citatus Beauxamis, expendens prædicta verba Baptistæ, sic subiungit. *Ostendit vectigal, aut sub-* Beauxamis. *uentionem, aut tributum nullum exigi posse, quod non fuerit constitutum. Constitutum autem dicitur, quod iure, quod ordine, quod sine populi grauamine, quod maturè, quòd iustam ob causam: nec quidem ab omnibus, sed ab his, qui Reip. clauum tenent, quique iuxta rectam rationem graduntur, &c. Ad auctoritatem igitur, ad legem, & rationem, constitutio vectigalium, cæterarumque subuentionum referri debet. Itaque non approbat Ioannes temerarias & tyrannicas exactiones, quæ à pernicioso aulicorum quorundã consilio auaritia & crudelitate proficiscuntur: qui quoniam ad instar sanguisugarum, publico subditorum cruore satiari non possunt: semper clamant, affer, affer: & tributa tributis, vectigalia vectigalibus, imponenda esse censent. Non approbat Ioannes consilium Roboam, de opprimendo populo, prætextu tributorum: nec illos, qui præter, & contra omne consilium, hoc afferunt.*

Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. *Vult primum, exactiones illas constitui: deinde colligi permittit: constitui autem aliquid non potest, nisi præmisso consilio, iisque omnibus quæ diximus: aliud scilicet est voluntas Principis, aliud constitutio: quod hæc præceps esse possit, ista verò minimè.* Nescio, si quid aut grauius, aut acutius, pro interpretanda Ioannis sententiâ afferri posset: scio certe nihil verius afferendum. redeo. Quantumuis ergo Princeps non voluntate præcipiti, sed prudenti constitutione tributa imponat: si tamen exactorum impietatem non coerceat, iam subditorum calumniis, vt supra dixit Beauxamis, obiicitur: qui post alia, sic concludit. *Aliud est Publicanus, aliud Exa-* Publicanus quis. *ctor: cum possit Publicanus ex constituto tantum exigere, exactor autem, plus aliquid dicat: exactores enim, pro terroribus populi, accipere possumus: Publicanos autem, pro receptoribus & collectoribus,* Qui ergo his terroribus populum committit, quamuis iusti tributi lineam non excedat, aliunde à iustitiâ exorbitans infamatur.

Sed & Publicani in deteriùs semper ruen- 16.

tes, & aliunde Regis iure armati, ipsissimam Idem. Exactorum exercent carnificinam, vt ab vtrisque sæuiùs populus lancinetur. Pulchrè D. Lau- D. Laurent. Mediolan. rentius Mediolanensis, apud Ioan. Chokier lib. 2. cap. 10. Polit. ita. *Quid est Publicanus? nonne caput rapinæ, & lex violentiæ? quid est Publicanus? prædo sine pudore, medicus exterminij; nonne immanior furibus est Publicanus? fur namque vel timens furatur, hic autem delinquit confidenter: fur laqueos legis timet, hic quidquid fecerit, legem putat: lex furem de-* Lex Publica. adulterata. *terret ab illicitis, ad iniquum lucri sui compen-*

dum, legem trahit. Ergo exactoris nomine in loco nostro Propheta, consimiles Publicanos intellexit etiam, imo & quosuis alios administros, qui exigendis impiis Baltasaris tributis, per immanem populi lanienam, studebant. videntur autem LXX. exactorem à solicitatore condistinguere: vt in illo, Quæstores, & Magistratus, cruento Principis ærario præfecti, intelligantur, in hoc autem Publicani, & cæterorum ministrorum, seu Harpiarum, inferior turba explicetur, & bene hi tales, Tributorum *solicitatores* dicuntur: quippe qui non solùm, tributa imposita exigunt, sed & imponenda alia solicitant. Beauxamis citatus, de Publicanis. *Quod ex publicis damnis sua commoda colligerent, non satis illis erant consueta vectigalia, & subsidia; sed & communibus votis noua quadam requirebant, ex quibus nouum etiam fœnus colligerent. Gratissimum vtique hominum genus Principibus, sed populo subditisque perniciosissimum. Nam & si Principibus iure pendantur, & iuxta Christi, & Apostoli decretum reddenda sint. &c. cauere tamen Principes debent, ne quod Roboam populo minabatur, eiusque Regni discissionem fecit, vt olim quidem ille flagellis, etiam ipsi scorpionibus populum atterant* ibi illos videtur denotare, quos vulgo, *Arbitristas* appellamus, idest Regis venenum, pestemque Regni: ex auaris enim Magistratibus, impiis Arbitristis, immanibus Publicanis, Scorpiones illi contexuntur, quibus ab impio Principe populus flagellatur. viguit damnum tempore Caligulæ, de quo Sueton. Cap. 4. *vectigalia noua, & inaudita, primum per publicanos: deinde quia lucrum exuberabat, per Centuriones, Tribunosque prætorianos exercuit.* Nouis illis & inauditis tributis, Arbitristas carpit Tyrannum admonentes, cæteros expressè denotauit. Reprimat hos tales pius, ne Regni, cum Roboamo scissuram patiatur, est quippe vnusquisque ex his, vt bene nouerat adductus D. Laurentius, *Caput rapinæ*, quia totum rapinarum corpus, ab hac veluti arce, fabricæ suæ accipit fastigium: *Lex violentiæ*: quia sic phantastico legum sub præsidio gladiatur, vt iniquitas quasi legibus tuta, & iuris munita clypeo, deseuiat impudenter, impunè violet: *medicus exterminij*: qui per nimiam sanguinis missionem, & incongruas flebotomias, vigorem exterminans corporis, mortem adducit: imo potiùs, qui cùm salutem deberet, solam populi euersionem procurat & exterminium.

Beauxamis.

Arbitrista pestis imperij.

17. Quot ergo ex his audis, tot (ni numen reuerita) Carybdes numera. Meritò proinde Israel, hinc primum restitutæ libertatis emittit halitum, gaudium enuntiat, quod exactorum effugerit immanitatem. Sic in re simili Theodotus Studita in Epistola ad Irenem Augustam, quæ tributa, & Exactores compescuerat. *Cessauit tunc inopum afflictio, & pauperum solicitudo, non quo remedium med[i]citatem appellant, quasi eniuum: sed vt præuaricationem, & quod deorsum quodammodo vi pecuniæ fœnus irrupit, exactoribus perpetuo[...]* Sic locum istum suggessit Chokier citatus: ad rem. quasi non tam morderet ipsa solutio, quàm pertinax coactorum iniuria, & violentia. Describit hanc eleganter Zosimus lib. 2 (licet falsò id imputet Constantino, quod cautè monet Baron. tom. 3. An. Christi, 330.) ibi ita. *Itaque videre erat, quoties quartus quisque annus appeteret, quo vectigal illud pendendum erat, incidi per vniuersam vrbem lacrymas & ploratus: vbi verò aduenisset, non nisi flagra, tormentaque corporibus eorum adhibita, qui propter extremam paupertatem, damnum hoc sufferre non possent.* An non quouis tributo dirior hæc extorsio?

Exactorum iniquitas.

Theodotus Stud.

Zosimus.

Baron.

Modestè proinde, licet aliunde magus & pessimus mortalium Apollonius, Vespasianum Imperatorem instituens, hinc documenta incepit, apud Philostratum lib. 5. *Quæ agendo, rectè agere, meo iudicio videberis, ea referam. Diuitias igitur primum, magni æstimatione quæ in occulto posita iacent: quid enim hæ ab arenæ cumulo differunt? nec ea, quæ ex collatione tributorum, à gementibus hominibus proueniunt: lacrymis enim, sordidumque putandum est aurum, quod ex lacrymis oritur. Diuitijs autem optimè, supra reges omnes vteris, si cum egentibus eas communicaueris.* Has enim lacrymas aurum sordidantes, vt vidisti, vt plurimum non tam Tributum, quam exactoris immanitas extorquet, quæ non rarò commixto sanguine cruentantur. vnde Philo Iudæus lib. de Sacerd. Honore. ita Ciuitatibus Tributariis. *Gementes & coacta, vix tandem conferunt, perosæ Quæstores, ceu pestem publicam.* Concludo verbis aureis Euagrii, apud Baron, tom. 7. An. Chr. 578 ibi de Tiberio secundo, Principe sanctissimo, ita. *Aurum dul[c]errimum existimauit, quod cum subiectorum lachrymis, collectum est quare indictæ tributum vnius integri anni vectigalibus condonauit, quin etiam prædia, quæ Adaarmenes, tributis impositus fere labefactauerat, quasi in libertatem vindicauit: & non modo damnum pro eius magnitudine, sed etiam cum fœnore sarcinit* quo gesto, quam sibi faustas conciliaret acclamationes tanti Principis ab omnibus sæculis commendata memoria debuccinat. Quidni ergo Israel, hinc fœlicis leuamenti sumeret exordium, vnde sæuius torqueri, ante doluerat?

8. *Philostratus*

Tributa lacrymis respersa.

Euagrius.

Quæ hucusque expendi, de dolore à tributis, & exactoribus concepto, deque grato, ab horum immanitate leuamine: communia Israeli, cæterisque concaptiuis Prouinciis esse poterant: alia tamen sunt priuata & ad litteram Prophetæ magis congrua, vnde vterque, pro diuerso tempore affectus, apud Israelem, vehementiùs excitaretur. nouerat se populus iste Deo electum, Numinique in deliciis primogenitum, & iure priuato, vnicam immortalis Auctoris, hæreditatem: idque tunc veri Sacerdotij infulis radiantem: vnde, quot se hinc titulis senserat gloriosius liberum: tot iniuriis se læsum, de iniquâ tributorum tyrannide ferebat ægrius. Cùm enim verissima vbique sint illa Tertulliani in Apol. Cap. 14. *Sed enim agri tributo onusti, viliores: hominum capita stipendio censa, viliora: nam hæ sunt notæ captiuitatis*: Quid hanc ignobilitatem ferre populus qui se nobilissimum putabat ex dictis, non indignaretur? Primogenitum filium suum vocârat Deus Israelem Exod. 4 v. 22. Quid ergo filio Principis, cum tributis? vide quæ Patres, & Interpretes cumularunt ad illa verba Christi: *Reges terræ, à quo accipiunt tributum vel censum, à filiis suis, an ab alienis? & ille dixit, ab alienis*

19. *Tituli, quibus olim Iudæi ab iniquis tributis immunes se credebant, longè melius Christianis fauent.*

Tributa filiis non imponuntur.

Tertul.

Exod.

Matth. 17.

ab alienis, dixit illi Iesus: ergo liberi sunt filij. Matth. 17. v. 25. Meminerint obiter Principes Catholici, longè meliori iure fideles populos hodie, diuinæ Primogenituræ titulo gaudere, ne superfluis tributis aggrauentur. Vnde D.
Nazianzen. Gregor. Nazianz. orat. 9. postquam liberis quibusuis gentibus, intolerabilem fieri tributorum immoderationem demonstrat: id intolerabilius putat, quòd. *Alij tributa constituant: alij tributi causâ describantur: alij iniuriam inferre, maloq; afficere, impunè possint: alij, ne quid patiantur, laborent ac precibus contendant: eaque circa vnam, & eandem imaginem, circa vnam & eandem dignitatis præstantiam contingere: circa eiusdem vitæ hæredes, & pro quibus Christus æquè mortuus est.* quasi, quod Dei hæredem, id est filium, se quisque putet, ægerrimè, vel etiam fraterno tributo, se premi, ferat, quid ergo non ingemeret, Primogenitus tunc Dei, Israel, ab ethnico tyranni, & Dæmonis Primogenito Baltasare, hoc iugum pati?

20. Quid, quòd non solùm filius Dei, & hæres erat id temporis, Israel: sed vicissim hæreditas ipsius, & diuinæ sortis funiculus præclarissimus? *Pars autem Domini Populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius.* Deut. 32. v. 9. parco multis. Et quid magis à tributis immune, quàm ærarium, & hæreditas Principis, quàm sacri Imperij opes, & emolumenta? Commendabat Mamertinus Panegyrista, Iuliani Imper. liberalitatem, restaurando Imperio intentam, sic scribens. *Illud verò cuius miraculi est, neminem vllum, in tanto rerum apparatu sensisse dispendium, in omnia pecuniam, ab Imperatore depromi: & quoddam vice versâ Prouinciis pendi tributum? illinc ad vniversos, fluere diuitias, quò prius vndique confluebant?* Erat hæc liberalitatis suauissima profusio, fælicitatis augmentum: foret autem infælicitatis apex, si coactus fieret Imperator, populi tributarius, & vice versâ penderet, quod olim exigebat: id quod sibi in hoc loco Hebræa gens putabat condolendū Propterea de hâc ipsâ calamitate Ieremias. *Quomodo sedet sola Ciuitas plena populo, facta est quasi vidua, domina gentium, Princeps Prouinciarum facta est sub tributo?* Thren. 1. v. 1. vbi bene Saa. *Domina gentium multarum, quæ ei tributa pendebant, vt Ammonitæ, Moabitæ.* Sic cogebatur hæc diffluere in tributa, ad quam priùs confluere solebant. Vt igitur hoc dolet Ieremias in euersione, idque primum, quasi sæuiùs: sic in restauratione, sub eadem solemni formulâ, *quomodo*: id ablatum, priùs, quasi suauius congratulatur Isaias. At quantò potioribus titulis Ecclesia Dei, quam sanguine Redemptoris nostri acquisiuit, eidem cedit in hæreditatem: tanto attentiùs à catholicis Regibus, ne immodicis aggrauetur tributis, disponenda.

Deut. 32. Regia hæreditas, tributo non subiacet.

Mamertinus.

Ierem. Thren.

Emanuel Sa.

21. Sed parum istud: meliori iure, sacrilegè exacta à Baltasare tributa, Sacerdotij titulo deprecabatur Israel: & augusto tunc veri numinis templo, sacro Leuitici ordinis splendore irradians Resp. tributis subiici, impium reputabat. Philo Iudæus lib. de Sacerd. hon. post multa de redditibus ab Israële, Sacerdotali ordini impensis. *Ex his rebus liquet, iuxta legis iudicium, Sacerdotes æquiparari honore, ac maiestate Regibus: siquidem illis tanquam Principibus conferri tributa imperat: id quod longè fit aliter, quàm in cæteris Ciuitatibus, sub Dynastis degentibus: nam hæ gementes, & coactæ, vix tandem conferunt, perosâ quæstores, ceu pestem publicam: nunc has, nunc illas cantiones effingendo, ne ad præstitutum tempus, tributa repræsentent. At hæc gens Sacerdotibus debitam pecuniam libens gaudensque depromit.* Quid ni ergo doleret, cùm non se solum veri Sacerdotij cultricem, sed etiam suos ipsissimos Sacerdotes, cui pia tributa soluerat: prostrato Templo, tributis iam addictos intueretur?

Clerus, tributo immunis

Philo Iud.

Cùm autem Hebræum illud Sacerdotium vmbratile esset, vtpote Christiani Sacerdotij figura, quid mirum si Principes Catholici, tantopere in huius à tributis immunitate tuendâ adlaborent? hinc magnus Hieronymus ad locum Matthæi suprà citatum: de Christi Sacerdotibus. *Pro illius honore tributa non reddimus, & quasi filij Regis, à vectigalibus immunes sumus.* Sunt grauissima verba illa Honcalæ ad cap. 47. Genes. vbi Ioseph iustissimo tributo totam terram Ægyptiam dicitur subiugâsse, & additur v. 22. *Præter terram Sacerdotum, quæ à Regibus tradita fuerat eis: quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas.* ita ergo doctissimus Honcala. *Hoc in loco terræ appellatione, significantur & fundi, & prædia, quæ dono regio, sparsim per Ægypti vrbes, Sacerdotes possidebant. Hoc quippe exemplo, Principes terræ docentur, ecclesiasticas possessiones nullatenus inuadere, quamuis à Regibus, eorúmque maioribus Ecclesiæ donata fuerint: neque licet eis vnquam vectigalia, redditúsque ecclesiasticos occupare, nisi grauissimâ vrgente necessitate: quâ deficiente, si illa à Summo Ecclesiæ Præside, vel metu, vel amore, vel improbitate exigant: haud equidem idcirco eiusdem nutu abuti possunt: sed restituere tenentur, quæcunque tali vi, à personis Ecclesiasticis extorserint.* Notarent vellem, hoc vltimum documentum Principes, ne sibi de extorto quandoque à Pontifice, duplomate blandiantur. Si ergo nec etiam Prouinciæ, ab ipso Principe Sacerdotibus semel concessæ, vllo tributorum onere affligendæ: quo non dolore pungeretur Israël, qui à Supremo domino, Promissionis terram acceptam, Sacerdotij functionibus obeundis, sub immanissimo Baltasaris tributo opprimi stupebat? 22.

D.Hieron.

Honcala.

Genes. 47.

Denique, ne quid prætermeam, vnde aptissimè, ab exultante immunitate tributi, libertatis recuperatæ gaudia, incepisse Isaias cognoscatur: Deuter. Cap. 23. inter vers. 16. & 18. alium intermedium versiculum, adducunt græca vt plurimum exemplaria, quem Sixtiana editio, (cùm græcè sit τελεσφόρος) sic vertit. *non erit ferens Teletas, de filiabus Israel.* At D. Cyrillus lib. 5. de Adorat. hos telesphoros, de tributariis explicauit. *Telesphori, sane fuerint, qui vectigalia pendunt.* nec immeritò ex vi Græcâ consonat Tertul. lib. de Pudicit. Cap. 9. qui sic vertit. *non erit vectigal pendens de filiis Israel.* vnde Baron. tom. 1. An. dom. 1. fusè disserens vnde Iudæi, & maximè, qui sub hæresi Galilæorum essent, diuinâ se lege, ne tributa penderent, excusarent, sic habet de seditioso Iuda Galilæo. *De eo acturi, inprimis videamus, vnde hic sibi ex diuinâ lege comparârit* 23.

Deuter. 23.

D. Cyrillus.

Tertul.

Baron.

ris auctoritatem, Iudaos non debere pendere tributum alienigenis: eâ nimirum ex causa, quod scriptum esset in Deuter. non erit vectigal pendens ex filiis Israel. qua verba, in vulgatâ editione desiderari, valde mirantur. Porro Tertul. citat dictum locum, nec non ex eodem Hieronymus scribens ad Damas. Epist 146. si ergo hunc versiculum ratum habeas, ab Hebræisque priscis sub eiusdem iuris tenore vsurpatum putes: apertiùs intelliges, cur hic à Propheta exultantes inducantur ex eo maximè, quòd à tributorum pensione, vt pote sacrilegâ, aut saltem coactis scrupulosâ liberarentur. Ego tamen, quamuis hunc versiculum spurium, non haberem, non tamen adhuc contenderem affirmare, à priscis probísque Hebræis, sub hoc sensu fuisse sumptum: inde maximè, quòd non satis constat, an Christus Dominus, Matth. 17. tributa pendens, & 22. reddenda quæ sunt Cæsaris Cæsari respondens, in lege tanquam Dominus dispésauerit, qui in tot aliis, non tam solutor, quàm impletor legis, voluerat haberi: an fortè cum nullam huiusmodi legem esse sciret, & ipse aliunde nullo modo tributa deberet: tamen alijs de causis illa soluit: & à suis iniquo quamuis Cæsari, soluenda, concessit. vide Doctores ibi: & D. Hieronym. in Comment. Epist. ad Tit. cap. 3.

Matth. 17.

D. Hier.

Notatio I.

Caduca Regni conditio.

24. Tob 6.

PROTVRVS pedes Tobias, flunium adit: *& ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum.* Cap. 6. v. 2: expauescentem Iuuenem animat comes Angelus; suggerens: *Apprehende branchiam eius, & trahe ad te.* roborauit obedientia vires, cessit pauido bestiæ immanitas, & in siccum extracta, *cœpit palpitare ante pedes eius.* v. 4. victori subdit iterum Raphael. *exentera piscem.* v. 5. vt quæ intus latebant, apparerent. Id quod expendens Stephanus Cant apud Tilman. sic scribit. *Piscis iste, qui vult opprimere Tobiam, significat Potentes, pauperum oppressores, quem expauescens Tobias, clamat; sic pusilli, oppressi à potentibus clamant ad Dominum, apprehende branchiam eius, vbi piscis fortior est, hoc est in statu meliore considera eum, & extrahe à flunio in siccum, id est à gloriâ Mundi separa, & indica seorsum, & videbis eum palpitantem, id est videbis quod vix viuat. exentera hunc piscem & considera interiora eius, quàm sint omnia spurcitia plena.* Totius Politicæ ratio hinc maximè constat, hinc Principis, hinc Tyranni, diuersissimi mores componuntur: quòd ille caducam conditionis suæ rationem probè intelligens, Imperium tractat vt breui finiturum, gloriæ suæ fallaciis introspectis: hic phantastico delusus splendore, & Baltasaris instar diuinitatis sibi somnians fastigium: æternam dominatûs sui concipit conditionem. Exenteremus ergo hunc piscem: videamus quàm fragilia, quàm sint spurca, quæ humanam solent componere Maiestatem: & extracti iam in siccum Baltasaris Tragœdiam intuentes: hoc totius historiæ argumentum, cæteris monitis politicis, ex toto contextu fusissimè eruendis, tanquam firmissimam basim statuamus.

Cantuar.

Principum gloria. fucata.

Monita Politica.

I.

Gloria Principum, comica; Imo tragica.

ID ergo in primis, vt à Tyranno deuiet omnino, principis pii animo fixum hæreat, fabulam esse, & comœdiam, in Mundi huiusce scenâ, in sæculi theatro repræsentatam: quidquid aut humnanam gloriam sapit, aut mortalem ostentat splendorem. Pomposus incedebat Achab purpurâ radians, stipatus satellitio, in Eliam, (qui claues cæli ne pluerent, è labiis suspenderat) indignatus, tunc ecce occurrenti Prophetæ ait: *Tu ne es ille qui conturbas Israel?* 3. Reg. 18. v. 17. ad quem Elias: *non ego turbaui Israel: sed tu & domus Patris tui: qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim,* v. 18. Non trepidat pellitus Purpuratum, & crepidis comptum gemmeis, discalceatus: nó caput coronâ fulgens, impexa coma: miraris? An non vidisti in comediâ quandoque, ad stuporem plebeculæ compositâ, siluestrem virum pelle horridum, nodoso trunco armatum, prouocato in duellum Regi insultantem. Perinde rem nostram habe. D. Chrysost. de Eliâ, ad hunc locum: Hom. 8. ad Pop. Antioch. *Tanquam in scenâ, sed non in veritate, Regem sibi cernere videbatur.* Scenicus erat splendor ille Tyranni; nec vltrà histrionis ridiculam iactantiam impius Princeps, Prophetæ videbatur: si enim, quod initio dicebam ex Philostrato, impudens & immanis Nero, ethnicis Philosophis erat *spectaculum, & ludibrium:* quid diuino Philosopho, Achab primæuus Nero tanquam in scenâ tumens, non rideretur? 25.

Principum gloria, comedia est.

3. Reg. 18.

D Chrysost.

& ludis ridicula.

Hinc Vates Regius, Redemptoris aduentum celebrans: *velut somnium surgentium Domine, in ciuitate tua, Imaginem ipsorum, ad nihilum rediges,* Psalm 72. v. 20. tot in superbiam profusissimam elatis Regibus, sola imago dicitur exturbanda: credo, quia toti, quoti erant, præter scenicam quandam laruam, & comicam imaginem, nihil habent. D. Hieron. ibi. (iam alibi adductus) licèt ad omnes peccatores rem detorqueat *Cùm ad Imaginem & similitudinem Dei conditi simus: ex vitio nostro, personas nobis plurimas superinduimus: & quomodò in theatralibus scenis, vnus atque idem histrio, nunc Herculem robustus ostendit: nunc mollis in Venerem frangitur: nunc tremulus in Cybelem: ita & nos tot habemus personarum similitudines, quot peccata;* sed certè, nusquam id verius, quàm in Regibus, quorum tota gloria, mera larua est: & pura puta figura, in hoc sæculi theatro repræsentans. ideo grauiter D. Gregorius Nyssenus, in Matth. 5. lib. de Beatitud. de Principibus & magistratibus sic edisserit. *Quis ita affectis* 26.

Ps. 72.

D. Hieron.

Larua Peccatoris.

Greg. Nyssenus.

Principis & Histrionis comparatio.

affectis persuadebit, quod nihil quidquam omnino differant ab eis, qui in scenâ, cum pompâ prodeunt: etenim illis quoque persona quædam posita, atque ornata; vestisque purpurea, auro intexta, iniecta est: & in curru magnificè inuehuntur: & tamen nullus superbiæ morbus eos in rebus eiusmodi inuadit: sed quo sensu, atque spiritu spirant, antequam in scenam prodirent: eundem in animo habitum, etiam in pompâ conseruant: & postea non ægrè ferunt neque anguntur, quod & de curru descenderint & habitus ipsis detrahatur, atque adimatur.

27 Visus quidem Baltasar, in extremâ saltem gloriæ, id est comœdiæ suæ scenâ, histrionem se germanum agnouisse. Mirum dictu! explicat illi Daniel, terribilem parietis sententiam descripti: completum Regni gaudium, pondus annuntiat deficiens, Medisque atque Persis, spoliandi imperium tradendum: & qui priùs te non captâ contremuerat: & triste vaticinium morte punitum is videbatur: promissa vaticinanti præmia addicit: *Tunc iubente Rege, indutus est Daniel purpurâ: & circumdata est torques aurea collo eius.* Dan. 5. v. 29. Vnde in tantâ immanitate,

Dan. 5. 29.

& ad tam dirum præsagium, tanta comitas? comicam, puto, iam nouerat gloriam suam: ideo quod dicebat Nyssenus: neque ægrè ferebat, neque angebatur quòd de curru, siue throno descenderet: & regalis illi habitus, comœdiâ finitâ detraheretur. Heu miserum! quàm longè aliter se gesserat in prioribus comœdiæ suæ scenis: qui cùm merus, regalis cuiusdam pompæ foret histrio, superbissimos tamen spiritus concepit: ipsius Diuinitatis sacrilegus affectator. Est hoc commune Dynastarum vitium: vt cum in vitæ theatro repræsentent, tamen animos, quasi soliditate gloriæ fruiti, immensum erigant, diuinitatis, qua possunt, corriuales. Pulcherrime de his citatus Gregorius, sic subiungit. *At illi, qui per tempus, Magistratûs pompam, in scenâ ducunt; neque id quod paulo ante præterijt, neque quod paulo post sequatur, putantes: quemadmodum bulla inflatione intenduntur, & intumescunt: & alicuius alienæ personæ formam sibi sumunt, naturalem habitum vultûs mutantes, & in seueritatem, atque terrorem componentes: sonúsque ab eis asperior, ad audientium concussionem, atque terrorem, in feritatem transmutatus excogitatur: non amplius inter terminos humanos se continent, sed in diuinam potentiam, & potestatem, se ingerunt, & intrudunt.* In cælum conscendere, super astra Dei exaltare solium suum præsumpserat Baltasar: sed dum comicus ludit, subitò percussus ictu, & in profundum cadens, tragicè eluditur.

Principum tumor vultuum immutans.
Nyssenus.

28. Parum ergo erat, si inter festiuæ comœdiæ terminos, hæc gloria clauderetur: illud dirius, quòd vt plurimùm, funestam definit in Tragœdiam: & præcedentium scenarum gaudia, postremus excipit Actus luctuosissimus: Comitragœdiam ergo, vt sic dicam, infaustissimus Baltasar repræsentat, nescias an iuste increpans, an seriò prophetans, de his talibus dixerit Dauid: *Fiant sicut fœnum tectorum, quod priùs quam euellatur exaruit.* Ps. 128. v. 6. de quo D. Ambros. Hexam 3. cap 7. *Est quidem dum vbertate affluens copiarum, liberalitatis famâ per ora volitans singulorum, clarus honoribus, præeminens potestatibus, tribunalibus celsus, solio sublimis, beatus populis æstimatus, dum præconum clamore deducitur: subitò rerum conuersione in eum carcerem rapitur, quò alios ipse detruserat: & inter reos suos, imminentis pœnæ defles ærumnam.* An non iste priùs quàm euelleretur, iam exaruit: & tanquam caducum fœnum, nondum falce mortis demessus, iam tragicam securim expertus luget? non visus à rei nostræ comparatione Propheta abhorrere: cur enim, qui humanam gloriam, bullæ, fumo, vmbræ potuit comparare: fœno tectorum maluit comparandam: nisi quia comicæ scenæ, fœno, herbísque viridantibus solebant inumbrari? ergo sub fœno, seu scenâ sua, infausti Principes agunt histrioniam: quæ tamen subitò exarescens, detectos & incomptos deserit, tragico tandem fine funestandos. Nunc capies Ambros. qui sic concludit. *Quantos pridem cateruas plaudentium, & inuidiosa fauentis populi frequens domum pompa deduxit: & nox vna, gloriosæ illum deductionis splendorem aboleuit: ac repentinus lateris dolor, effusis gaudiis luctuosam gemitus successionem mœroris admiscuit? Huiusmodi igitur est gloria hominis sicut flos fœni: quæ etiam cùm defertur, nihil operibus adiungit, in qua nullus fructus acquiritur: & cum amittitur euanescit: omnem scenam hominis, & quam desuper obumbrabat, repentè destituens, & quam intus animabat.* Nox vna, repentinâ caligine, totum Baltasaris gloriæ splendorem obnubilauit; & viridantis scenæ pompam, tragicus exitus excepit euanescentem.

Principis gloria non tam Tragicomœdia, quam Comitragœdia.

Ps. 128.
Ambros.

Ambros.
Scenicus Principis vigor exarescens.

Illuditur Matth. 27. Christus, tanquam Rex fictus, vt (quod alibi ex Drogone paucis ostendi, & multa huc remisi ponderanda) pro homine soluturus: sic in pœnis suis Patri satisfaceret: vt in eisdem, quid delusi homines à Dæmonibus, eiúsque ministris, per speciem honoris pati solent, obiter ostenderet: Sic plenius nos redimens, dum apertis suis ludibriis, ludibria illa dissimulata curat, & vitanda præmonstrat, quibus nos, dum honorari credimur, culpâ atque dedecore afficimur. Nunc ad rem Circundat impia cohors Christum in Prætorio, *& exuentes eum, chlamydem coccineã circundederunt ei.* v. 28. Prima derisio, à veste coccineâ, id est sanguineo suffusa colore, inchoatur: non poterat aptius: An non irrident miserum Principem, qui iam in Tyranni sæuitiem declinat, & humano cruore, instar impij Baltasaris saturatur, adulatores illi, qui de ipsâ immani carnificinâ, quasi de Iustitiæ obseruantiâ comendant: Drogo Ostiens. lib de Sacr. Dom. Pas. de his, & Principe miserè deluso. *Exuentes eum veste totum Christiani decoris: quasi pro regio splendore, chlamydem ei coccineam, hoc est vestimentum mixtum sanguine circundant: cum propter crudelem sanguinolentiam à plerisque honoratur.* Quàm ergo ridiculum Regem ostentabat tunc Christus: tam ridiculum, & quasi comicam maiestatem exhibet iniquus. videamus cætera, vt tandem ad Tragœdiam veniamus.

29.
Christi passio deliria nostra reuelat.

Matth. 27. 28.

Drogo Ost.
Princeps sæuus, de sanguinolento gestu videtur dum commendatur.

Pergit Matthæus, *& plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius* v. 29. Sed quid inquis, in Regibus est ridiculum, quod tamen tam cruento Christi colore, & spinei serti sensu, exprimatur? an non meministi, in Euangelicâ parabolâ proiecti seminis, diuitias Interprete Christo, spinis comparari? Quid ergo magis ridiculum, quàm ex pauperum rapinis

30.
Matth. 29.
Principes de rapinis, tanquam spineo serto coronantur.

per impiam extorsionem, diuitias congessisse Tyrannum: vt à suis tanquam coronâ regiâ adornetur? Drogo citatus. *Plectentes coronam de spinis, ponunt super caput eius, cùm de rapinis pauperum, spineas diuitias, ei coacernantes, caput eius ad regnum elationis efferunt, vendicat enim pecunia, quod sapientia sibi dicere solet: per me Reges regnant, & conditores legum iusta decernunt: vbi pecunia, ibi Rex, ibi lex, ibi clientium copia.* Exprimitur hîc etiam ad amussim, miserrimus Baltasar: qui tot rapinis elatus, tot coronatus diuitiis, quarum retinendarum curâ torquebatur: aliunde tanquam ridiculus, à Christo ridiculo Rege, per summum scelus, habito effigiatur. Addit Matthæus: *& arundinem in dexterâ eius.* Nihil proridiculo Principum sceptro excogitari poterat congruentius: viret arundo, exhibet vernam pompam: sed nihil illa inanius, nihil fragilius, quia licèt splendeat aureum Principis sceptrum: non tamen solidior est eius gloria, nec diuturnior, quàm illius, qui ad ludibrium, in scena rex creatur. Iam in illis, quæ subiungit Matthæus, res clarius elucet. *& genuflexo ante eum, illudebant ei. v. 29.* Drogo *Arundinem in dexterâ eius ponunt: potestas enim, & regnum Impiorum, arundo est vento agitata: & benè in dexterâ arundo ponitur, quia dextera eorum, dextera iniquitatis. Iam quod sequitur, luce clarius est: quia genu flexo talibus illuditur potius quàm seruitur.* Nihil certius, singularius tamen est, quod sequitur ibidem. *& expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. v. 30.* Quid tumes miserrime Princeps, dum parasitorum laudes, dum adulatorum captas blandimenta? Sputa sunt fœdissima, quibus ad ludibrium respergeris: Quot verbis palparis, tot cæderis verberibus. Acutè Drogo, expendens inter ficta blandimenta, quibus dicebant: *Aue Rex Iudæorum:* statim expuentes describi: quasi mixtæ sputis hæ laudes deferrentur: sic subiungit. *Aue Rex Iudæorum: & expuentes in eum, laudibus supervacuis, (laudatur enim peccator in desideriis animæ suæ: & iniquus benedicitur) acceperunt arundinem: & percusserunt caput eius.*

31. Habes priores scenas, quibus in Christo, ridiculorum comœdia Regum repræsentatur: at aspice postremam: & tragicum eiusdem exitum demiraberis. *Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamydem, & induerunt eum vestimentis eius: & duxerunt eum, vt crucifigerent. v. 31.* Sed tantine erat, vt Christus, sub ridiculo Regis habitu crucifigeretur? si ignominiam quærebant: nonne despicabiliorem sub illâ irrisione ostenderent? mysterium captabatur: comica planè, & ad ludibrium exposita est Principum pompa, quæ tamen etiam talis in morte necessariò deponitur: vt scenas omnes illas gloriosas, tragica & funesta scena claudat. Drogo. *Sed quid est, quòd post illusionem chlamyde exuitur, & suis vestibus reinduitur: nisi quòd sæpè superbus Adam, cùm per dolorem carnis, confinia mortis ingreditur: depositâ elatione ad putredinis suæ considerationem reuertitur: Vbi videlicet, vel miseratione diuinâ, pœnitentiæ fructus inuenit: vel post tremendum Iudicium, duplici contritione conteritur.* Viden, quàm etiam ordinaria mors, misero histrioni laruam detrahat: & pompæ flores in cineres reducat? Verè Tragœdia est, humana gloria: & vt finitis scenarum Actibus Histrio, comicis & splendidis vestibus in apodyterio exuitur, vilioribus suis induendus iterum: Sic in sepulchro, Princeps quisque, quantumuis fœlicissimus: exutâ maiestate, puluere suo, & vermibus reinduitur: & carnis ille Mimus spoliatus: putredinis suæ sordes amplexatur. D. Zeno Veron. Serm. de spir. & corp. *Ecce peremptorius aliquis morbus totam machinam lecto prosternit: ecce tempestas vndique mortis incumbit: non ne statim illa, quæ erat domina voluptatum, fit præda morborum? Postremò iacentes reliquias Mors vendicat sibi, insuper et pœnas gehennæ paritura: tunc carnalis ille Mimus finitur: exanguique iam nihil suffragantia tota illa ornamenta medentur: nisi quòd à falsè plangentibus, adhuc viuentis rapiuntur.*

32. Id si in ordinariâ cuiusuis Tyranni morte euenit: quid non putabis tragicum, quando à Deo repentinâ, & extraordinariâ cæde punitur: vel ab hoste immaniter trucidatur? An non omni Tragœdiâ funestius illud Herodis? *statuto die Herodes veste regiâ sedit pro Tribunali, & cōcionabatur ad eos, populus autem acclamabat, Voces Dei, & non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo: & consumptus à vermibus expirauit.* Act. 12. v. 22. semper Rex, isq; ventosissimus, veste regiâ vtebatur: aliquid ergo singularius in hoc loco, per vestem regiam designemus, necesse est: scilicet illam vestem, quæ inter regales preciosior habebatur, & quâ ille se maximè Regem & Diuinitatis affectatorem (nôsti rem ex Iosepho & aliis) ostentabat. sed confestim, in eodem puncto, ab Angelo percutitur, non vt cunque, sed vt in vermes suos reducatur. scilicet nunquam ille magis ridiculum gesserat histrionem, nunquam alienâ veste superbius intumuerat: Desiit ergo scena, & spoliatus, suâ, id est propriâ naturæ humanæ veste, puluere nimirum, & sordibus reinduitur: vt in tragicam conditionem, fabula, cùm maximè hilaris, deriuetur. penè tandem concludit citatus toties Drogo. *Herodes cùm veste regiâ præfulgidus plusquam decuit à populo acclamaretur, mox percussus ab Angelo exutus est chlamyde, vestem suam reinduit, & consumptus vermibus expirauit. vestēne illusus est, Aue rex Iudæorum? Quid superbis, terra & cinis? quid veste nitidâ gloriaris? subter te sternetur tinea, & operimentum tuū vermis est: hæc tua vestis est: illuserunt tibi, qui chlamyde coccineâ circūdederunt.* vbi vides Baltasaris ipsissimā Tragœdiā: cui Isa. stratam tineam, vermescens operimentū nostro hoc Cap. v. 11. assignauit. Verissimum igitur illud Senecæ lib. 6. de Benef. Cap. 30. de Regibus locutus. *Flecti non minus existimant turpe, quàm vinci: & perpetua credunt, quæ in summum perducta maximè nutant. ingentia super se casura regna fregerunt, nec intellexerunt in illa scenâ, & vanis & citò diffluentibus bonis refulgente, ex eo tempore ipsos nihil non aduersi expectare debuisse, ex quo nihil veri audire potuerunt.*

Drogo.
Perinia potentia.
Matth. 29.
Regalis sceptri inanitas.
Drogo.
Matth. 30.
Princeps adulationibus tanquā sputis petitur.
Principum comœdia desinit in tragœdiam.
Matth. 31.
Mors Principem denudat.
Drogo
D. Zeno Veron.
Actor. 12.
Tragœdia Principum lamentabilis.
Drogo
Adulationis augurium infaustum.

II. Bre

I I.

Breuis & instantanea.

33\. *Instantanea Principis gloria.* Pſ. 59.

POſſet vtcunque, Iniquos Principes, humana gloria decipere, ſi quantumuis comica, & tragico tandem exitu terminanda, longo tamen ſpatio floreret: & nihil illà breuius, quæ non ſolùm ephimeras, ſed etiam momentanea contabeſcit. Hinc titulus ille Pſalmi, 59. *Pro iis, qui mutabuntur: in tituli ſcriptione, ipſi Dauid in Doctrinam.* lege quæſo, quæ in eodem titulo ſequuntur: & videbis, ſcriptum hunc Pſalmum, quaſi in gratiarum actionem, poſt fortunatiſſimas victorias, quibus Dauid

Florum caduca indoles.

Regni ſui gloriam ſtabiliuit. Bene ergo *pro iis qui mutabuntur*: ſcribitur pſalmus: quia nihil inconſtantius, nihil nouerat mutabilius, quàm proſperos illos euentus, quibus gloriam ſuam fulcire videbatur: hinc doctrinam capiebat, ne ſecundis elatus, euectus proſperis, in tyránidem

Vatab.

declinaret. ſed habet emphaſim verſio Vatabli: qui, *pro his, qui mutabuntur*: legit: *ſuper roſa teſtimonij.* nimirum, quod vere cecinit Poeta.

Auſonius.

Quam breuis vna dies, ætas tam longa roſarum:
Roſa eſt, & illa ephimera, Principum gloria: nec flos vtcunque, ſed ille flos, qui vnius dieculæ ſpatio, quò vernat pulchrior, eò breuior expirat. & quidem de communi florum natura graphicè dixerat Quintilianus Declam. 13.

Quintil.

Cuius rei inueniri poteſt breuior ætas. nanque dum immaturos exterior alligat cortex, non dum dixeris florem: paulatim deinde viridiori ſucco tumeſcit vterus, & albentes accipit rimas, nec dum tamen flos eſt: at cum ſe ruptis iam tunicis, in patulam capita fuderunt, & velut fiſſa in orbem, iámque eorum videtur maturitas, & ignotus occaſus eſt: & iam ſine ventis quoque ſoluta natura, labitur gratia, nec quiſquam eſt flos, niſi nouus. Quid de roſa dixeris, quæ non

Roſa cur flos florum appelletur.

ob pulchritudinem ſolùm, ſed etiam ob breuitatem, *flos florum* meo iudicio appellatur: quaſi è breuiſſimo florum genio, totius vſurparit anguſtias breuitatis?

34\. Iſai 40. v. 6. *Gloria Principum cùm eſt, tunc eſſe deſinit?*

Inde verba aliàs notiſſima Iſaiæ, venuſtiùs explicantur: *omnis caro fœnum: & omnis gloria eius, quaſi flos agri.* Cap. 40. v. 6. vocarat carnem fœnum, quod priùs quàm euellatur, exareſcit: neque contentus, gloriam eius flori comparauit: quid ita? vt nunquam ſatis fruenda intelligatur, & inde breuitas eius colligatur fragilior: quòd cùm maximè eſt aliquid, tunc eſſe deſinit. corticc ligatum florem, calyculum potius appellaueris: nec floris titulo dignaberis ſemihiulcum: cùm verò foliorum expandit ambitionem, iam flos eſt: ſed etiam parcente vento ſuo ipſo ingenio periturus. O quem fructum, ab hac gloriâ ſperas deluſus Princeps? tota ſemper in flore eſt, cùm ad cumulum peruenit, humana fœlicitas, & fructûs neſcia, at flos cum maximè eſt, tunc incipit non eſſe. Sed præſtat audire Ambroſium eodem Cap. & lib. ſupra citato: qui ad hunc

Ambroſ.

locum ita, *Viret enim gloria hominis in carne, quaſi fœnum: & quæ putatur eſſe ſublimis, exigua velut herba eſt: præmatura, vt flos: caduca, quaſi fœnum germinat vita viriditatem in ſpecie, non in fructu ſoliditatē: hilarioris vita quaſi flos prætendens hilaritatem breuiori ſpatio occaſura.* Ecquid infelicius, quàm quòd res in ſuâ ipſâ fœlicitate iam præmaturâ, non ſub fructûs licèt caduci: ſed ſub floris conditione, perituri breuiſſimè, nec vnquam ſatis fruendi, terminis concludatur? Cùm ergo in Scriptura, & Patribus, humanam vides gloriam floribus comparatam: non vtcunque breuitatem aucuperis: ſed illam breuitatem, qua tota gloria, priùs quàm, in expiraturum ſubitò florem, matureſcat: acerba, & quaſi in calyculo ligata denotatur.

Bis iam triumphatorem Christum, inuadit adhuc tertiò diabolus: *& oſtendit omnia regna Mundi, & gloriam eorum.* Matth. 4. v. 1. addit Lucas 4. v. 5. *in momento temporis.* & quidem vt obiecta attentiùs intuentem ineſcare poſſent, (ſi fortè) non latebat dæmonem, longè moroſius proponi debuiſſe; quid ergo eſt, quòd in momento exhibentur: quæ pari fælicitate oſtenſa diuturnius, efficacius longè pellicerent? optauit puto, ſed non valuit, dum regnorum gloriam proponebat, momentaneum eius ingenium celare: in momento cernitur, quæ non niſi momento poſſidetur: & quantumuis prudentes oculi, huic diutiùs videndo immorentur, ſemper illis videbitur momentanea: quandoquidem innata volubilitate, ſæpe abire priùs, quàm venire: & ante quam eſſe, deſinere agnoſcatur. D. Ambroſ. lib. 4. in Luc. *Bene in momento temporis, ſæcularia, & terrena demonſtrantur: non tam conſpectûs celeritas indicatur, quàm caduca fragilitas poteſtatis exprimitur: in momento enim cuncta illa prætereunt, & ſæpe honor ſæculi abiit antequàm venerit. quid enim ſæculi poteſt eſſe diuturnum, cùm ipſa diuturna non ſint ſæcula? docemur hic inanis ambitionis flabra deſpicere, quòd omnis dignitas ſæcularis, diabolicæ ſubiaceat poteſtati, ad vſum fragilis, & inanis ad fructum.* nihil certè fragilius, nihil infructuoſius, quàm id, quod etiam longa ſæcula, ad momentaneam ſui reducere videtur conditionem.

35\. Matth. 4. v. 1. — *Gloria Principum cernitur in momento.* — D. Ambroſ. — *Prius abit, quàm accedat.*

Purpuream meretricem, auro ſqualentem, gemmis radiantem, monſtroſæ beſtiæ inſidentem, & ſuper aquas multas equitantem, oſtendit Ioanni Angelus, orbis Monarchiam, & regiæ poteſtatis figuram expreſſiſſimam: cuius poſtquam, iam iam ruituræ ænigmata declarauit, de aquis ſic ſubiungit. *Aquæ, quas vidiſti, vbi meretrix ſedet: populi ſunt & gentes.* Apocal. 17. v. 15. nullam miſeræ inconſtantiorem baſim poterat aſſignare: vnde enim volubilis liquor, titubantes, mergendæ molis, greſſus, ſuſtineret? Mare ſi capias, infamis fidei monſtrum, exhorreſces: prudenter Seneca, Epiſt. 4. *Plerique inter mortis metum, & vitæ tormenta, miſeri fluctuant: & viuere nolunt, & mori neſciunt: noli tranquillitati huic confidere: momento mare vertitur: eodem die, vbi luſerunt nauigia, ſorbentur.* Heu, quot Principum gloria, pridem populorum applauſu hilaris: & colludens: inconſtanti malaciæ plus iuſto confidens, momento eiuſdem verticibus abſorpta periit. Recurre ad mitiora flumina, ſi fortè has aquas Apocalypſis, mitius explicaueris: at certè in fluminibus, præter ſonantem ſtre-

36\. Apocal. 17. — *Gloria Principum aquis, vel marinis vndis cur inſidere dicatur.* — *Maris inconſtantia.*

D. Greg. Mag.

pitum, & cursum rapidâ velocitate mobilem, nil intueberis: D. Gregorius ad hunc locum, Homil. 8. in Ezech. *Iccirco aquis populus designatur, quia & in vitâ sonum habet, ex tumultu carnis: & quotidie diffluit, ex decursu mortalitatis.* Vnde ergo solidam gloriam augurabere, quæ sic inconstanti throno, sic per momenta ruenti, innixa sedet? si verò aquarum sonitum, non tàm de tumultuante carne, quam

Adulationis plausus qualis.

de plaudente fallaciâ, quâ populus Regi ad blanditur, malueris capere, audi Dauidem, Regum & ciuitatum eorum, casus enunciantem:

Ps. 9.

Periit memoria eorum cum sonitu. Ps. 9. v. 7.

D. Anton. de Pad.

ibi D. Antonius de Pad. dom. 5. post Trinit. *Cum sonitu, id est plausu, & fauore mundano.* quasi non citius, strepitus aquarum, è saxis, ad arenas deuolutus conticescat: quam fauor, & plaudentium acclamatio finiatur.

37. Hinc est, quòd non vtcunque de terrâ, sed illâ lutulentâ, atque limosâ, homo formaretur: *Formauit igitur Deus hominem, de limo terræ:* Genes. 2. v. 7 vt dum ex eâdem materiâ,

Genes. 2. v. 7.

Princeps lateritiæ originis.

qua lateres, componitur, laterculorum frater, superbiæ stimulos, quantumuis orbis princeps iam retuderet. sed pende quid additur: *& inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Anima illa æternùm duratura, leuissimo inuoluta flatu, corpori alligatur, quasi subtilissimo nexu, facilè

vita fragilitas.

deferendo hospitio committatur. Quid ita? Vt humana gloria, non solùm lateritiæ conditionis consors, sed insuper laterculis longè fragilior habeatur. latere igni commissi, cinerum iniuriam rident, & in æuum duraturi, ferream quandam duritiem æmulantur: Protoplastus, in orbis productus principem, sed flatu eductus: quouis alio flatu, in cineres collapsus

D. Greg. Nys.

euanescit breuissimè. Audiendus iam D. Gregor. Nyssenus lib. de vita Moys. post multa, de Moysis scriptis, sic scribens. *At is qui nostra ornat, & inflatius, splendidiùs que de nobilitate humanâ loquitur, ex luto generatam naturam esse dicit: atque nobilitas, & splendor superbi, cognationem cum latere habet. &c. non erubescis terrea statua, mox puluis futura, qui in modum bullæ, breui duraturum in te tumorem contines: te superbia repleri, fastu tumere, vano spiritu, atque cogitatione mentem inflatam habere? &c. Quænam ex somnio talia visa? Quæ vmbra adeo tenuis tactum superfugiens, vt Iuuentutis somnium, simul & apparens, & protinus præteruolans?* Pari autem cursu cum Iuuentute, quidquid gloriæ, superbiam humanam comitatur, penitus corruit, velut vmbra, fictio, nebula; quod ibidem latè prosequitur Nyssenus, iam suprà datus.

38. Propterea Simonem, Sacerdotem magnum, inclytum populi Principem laudaturus Ecclesiasticus, post alia, sic subiungit. *Quasi stella matutina in medio nebulæ.* Cap 50. v. 6. cur enim

Eccles. 50. v. 6.

radiantius sidus, amotâ omni nebulâ, non celebretur: nisi quia, inde longè excellentior iste Princeps, quod imperij sui gloriam, puram & putam nebulam iudicaret? fulget ergo nitidior, dum quidquid est gloriæ, tenuissimis nebulæ deputat inuolucris. Sed quàm multa gloriæ Regiæ, nebulæque communia? Nescio, si quid accuratiùs scripsit D. Antonius de Pad. dom. 12. post Trinit. ad hunc locum: verbis D.

Gloria humana, nebula est.

D. Anton. de Pad.

Doctoris, intersero notatiunculas. *Vita viri Iusti, est quasi stella matutina in medio nebulæ, id est vanitatis mundanæ. Nota quod in nebula latro timetur, &c. Sic in pompa sæcularis, & vanitate Mundi, latro id est diabolus, vel peccatum latet, & ideo vir Iustus valde timet, cum ei visio temporalium arridet.*

Dæmon, insidians latro.

Proh, quàm longè à tyrannide abesset Simon, qui gloriæ sæcularis pompam, insidiis refertissimam metuebat: nec vnquam minùs securum se putabat, quàm dum perniciosæ huius nebulæ latibula illi arridebant! pergit. *Diffusâ nebulâ, sol clarius micat.* quasi semper in tenebris iaceat miser Princeps, nec illi vnquam clarior sol refulgeat, dum huius gloriæ nebulas non diffundit & amouet, aut saltem nebulas esse, internæ lucis radio non introspicit. Addit Antonius. *Cùm palpatur, nihil inuenitur.* O palpa miser Princeps, gloriam tuam, nihil vanius, nihil magis vmbratile deprehendes: Sed qui cæcus vbique palpas, & incurris, hanc palpare solummodo, ne fallaciam deponas, prætermittis. Subdit iterum. *Nebula cùm eleuatur, signum est tempestatis: cùm cadit, serenitatis.*

Gloria tempestas.

Suda, anhela cum Baltasare, vt eleuetur gloria regni tui, vt in altum, quodámodo super astra Dei, solij tui basis extollatur: nebula est, quæ elata, fulminum violentiam, ventorum sæuitiem, & grandinis portendit calamitatem: fœdissimo tempestatis diluuio te absorptura; fælicius ergo, gloriam suam deprimit, & humiliat, Princeps pius, perpetuâ serenitate hinc fruiturus. Plura ex Antonio. *Res maior videtur in nebulâ.* Fallax speculum, Principum gloria:

Speculum Principum fallax.

in enormem magnitudinem, rerum suarum formas adauget, & in caducâ, fragilique pompâ, pro pigmæis, gigantes quosdam phantasticos intuetur: muscas meras, iurauerit elephantes. concludit tandem ad rem nostram S. Doctor. *Totam terram occupat, sed statim nescitur, quò deuenerit.* quid mirum nesciatur, quod non est, quippe quæ breui, tam facilè euanida rarescit.

Deprehendes hinc emphasim Prophetæ 39.
Regis: *Cùm exorti fuerint peccatores sicut fœnum, & apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem. vt intereant in sæculum sæculi.* Ps. 91. v. 8. Parum est, quod solummodò exoriantur,

Ps. 91. v. 8.

Gloria Principum, larua vmbratilis.

vt fœnum, citò perituri: maius, quòd non tam crescere, sed solummodo exoriri dicantur, quasi in ipsissimo ortûs primordio tabescentes: sed illud maximum, quòd etiam sic exorti, non tam esse, quàm momentaneo dari conspectui, & quasi in ictu oculi apparere, enúncientur: *cùm apparuerint* inquit, instar scilicet vmbratilis laruæ, quæ ad primos conspectus, subitò euanescit. Vnde & Oseas: *Sicut manè transijt, pertransijt Rex Israel.* Cap. 11. v. 1. Breuis vbique temporis

Oseas 11.

conditio, breuissima in crepusculis: dubia illa lux, noctis diéique confinium, nec sole clara, nec radiata stellis, vix adspirat, cùm expirat; ergo tanti regni gloria, non tam nocti prolixiori, ne dum soli: sed mero manè, id est matutino crepusculo comparatur. Eleganter Ruffinus (pius ille quem alibi asserui) ibi. *Totum quod videbatur posse, vel viuere, eâ velocitate consumptum est, vt non diutius appareret, quam matutina crepuscula, quæ noctis scilicet digressu, & diei coarctantur exortu. Secundùm illud, quod in simili causa apud Beatum Dauidem legimus: Cùm exorti, &c. ita ergo & Principatus Israelis,*

& crepusculum.

Ruffinus pius.

Israëlis, adherente criminibus vltione collapsus vt non tam floruisse, quam raptim apparuisse videatur. Sic igitur secundæ fortunæ quiuis Principum se tradiderit, quasi certò & breui

Lucanus. *Gloria breuitas, morte redimitur.* venturo fini committatur. de quo bene Lucanus lib. 8.

quisquamne secundis
Tradere se fatis audet, nisi morte paratâ?

Vt idem sit curare secundarûs euentus gloriam, quàm mortem apparare. Neque mirum, hinc enim de Massiliensibus, qui venenum publice asseruabant, datis causis porrigendum: sic

Valer. Max. scribit Valerius Maximus lib. 1. cap. 6. *vt vel aduersâ, vel prosperâ nimis vsis fortunâ, (vtraque enim finiendi spiritûs, illa ne perseueret, hæc ne destituat, ratio prebetur) comprobato exitu terminetur.* Vtpote tam pro certo augurantes, prosperæ cuiusuis fortunæ eminentiam, citò fore ruituram: vt casum, vel etiam morte redimere non dubitarent.

III.

Eiusdem vilitas, quandoque ipsis Principibus, in confesso.

40. *Principes sæpe Imperij gloriam vilem experiuntur.* CRescet Imperij fastidium, prudenti Principi, si videat, quàm vile ipsis quandoque eiusdem aut possessoribus, aut petitoribus habeatur. Prætereo illum, qui oblati diadematis miserias considerans, *vilem pannum* appellauit, quem si quis probè agnosceret, vel etiam leuiter

apud Val. Max. tangere fastidiret. Do Senecam, qui lib. 2. epist.

Seneca. *Fortuna Principis inquieta.* 19. ita ad amicum Dynastam *Quod ad rem pertinet, an tu quiescere velis? fortuna tua non vult: quid si illi etiam nunc permiseris crescere? quantum ad successum accesserit, accedet & metus. Volo tibi hoc loco referre dictum Mæcenatis: vera in ipso equuleo docuit. Ipsa enim altitudo, attonat summa. hoc voluit dicere: Attonita habes summa. hic te exitus manet, nisi iam contrahas vela nisi (quod ille serò voluit) contrahas vela.* Mæcenatem, ab Augusto primum Orbis suspiciebat, & tamen ipsa ei fælicitas altissima, equuleus tormenti videbatur: attonitámque, id est vel metu pauidam, vel iam flatu fulminis monitam, eius summitatem esse, profitetur ingenuè.

41. Neque hoc satis: cui enim fælicitas tortura erat, quid ni sæuientis doloris nexibus, reus impotens vera fateretur illud mirum, Reges etiam fælicitatis suæ admiratores quandoque interim illius vilitatem protulisse. Saltauit coram

Regnum vilissimo venditur. Herode puella turpis meretricula purpurata, & ita placuit, vt per oculos eos miseri inuolaret, insuper cum iuramento affirmantis: *quia quidquid petieris dabo tibi licèt dimidium Regni mei.*

Marc. 6. 23. Marc. 6. v. 23. En tibi regij capitis pompam, coronam ipsam, lasciuæ saltatricis pedibus prostratam; solidas eius gemmas, enenadis horum numeris calcatas: & quidem si ad strophem, dimidium iam regni vlero traditur: ne recedas puella, perge saltans, & in antistrophe, totum obtinebis. At tu ô Herodes, nescis quanti Patri tuo steterit hoc regnum, quod vt firmaret, cælo bella mouit, stellam Magorum ductricem obnubilare cupiens, nec solùm innocentium infantium, sed etiam ipsius sanguine Saluatoris, purpuram suam, ne defloreret, inficere conatus? An non meministi, quot nunc cum Pilato iurgia exerceas, ne vel etiam in minimis, Præsidi concesseris? Nouit omnia: sed nouit aliunde sic probe, humani regni vilitatem: vt iusto pretio, pro saltatione diuendatur. D. Ambros. lib. 3. D. Ambros. *Princeps in ipsis opibus, mendicus.*
de virginitat. *Vide, quemadmodum sæculares ipsi, de sæcularibus suis iudicent potestatibus: vt pro saltatione etiam regna conentur.* pulchrè dictum. Non timet Herodes distracto regno, pauper mendicare, quasi professus, se etiam in regno diuitem non fuisse.

Ideo Psalmista Rex, de Deo locutus: *Oculi eius in pauperem respiciunt.* Ps. 10 v. 4. Chrysost. 42. Ps. 10.
& alij vertunt. *Oculi eius in totum Orbem respiciunt.* quia nouerat Princeps augustissimus, D. Chrysost.
totius Orbis Monarchiam gloriosam, meræ vilissimæque paupertati deputandam: perindéque dixisse, seu pauperem, seu orbem appellaret. Pende quæso, in hanc rem, verba illa Regis Achab, ad pauperculum Naboth. *Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum.* 3. Reg. 21. v. 2. de quo bene Ambros. lib. de Nab. 3. Reg. 21. Ambros.
Cap. 2. *Rex sibi egere visus est, quia vineam habebat pauper vicinus: quis igitur tibi pauper videtur: qui contentus est suo, an qui concupiscit alienum? alter certè pauper videtur censu, alter pauper est affectu: affectus diues egere non nouit, census abundans nequit auari pectus explere.* ita est: verissimè enim Claudianus:

Semper inops, quicunque cupit.

Illud igitur in hoc euentu ratius: febricitantem, auaritiæ æstu, regem impium, & pene è lecto, in tumulum, transferendum: non violenter ab ipsis immodici desiderij cunabulis erupisse, vt pauperculum subditum spoliaret: sed fusis precibus, *da mihi* vineam exorare, sustulisse. Nimirum ipso suo equuleo tortus, mendicitatem vilissimam in ipsâ Regni opulentiâ profiteri coactus est; quasi parum esset, si affectu ipso pauper haberetur, nisi mendici effectum propalaret, idem D. Ambros. *Da mihi, inquit, quæ alia vox egentis est? quæ vox alia stipem publicam postulantis, nisi, da mihi? hoc est, da mihi, quia egeo: da mihi, quia aliud viuendi subsidium habere non possum.* Quid vnquam, mendicitate vilius dari potest? vilis mendicitas, regia est potestas: & vt vilissimo pretio venditam vidisti, sic non maiori emenda, vel etiam ambitiosis petitoribus speratur.

Totam ambitionem spirantes, internunciâ Matre, accesserunt filij Zebedæi, ad Iesum: re- 43. *Regnum vilissime ambitur.*
gias sedes, & vtrunque supremi Regis latus, postulantes: ad quos ille: *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* qui intrepidè responderunt, *Possumus.* Matth. 20. v. 22. & vnde generosè audax spiritus Piscatoribus? exhorret Matth. 20.
Christus passionis calicem, agoniæ violentiam, nouo sudore sanguinis contestatus: & homunculi, huic porrecto, hilari audaciâ sufficere præsumunt? Non mireris: quippe non Crucis, sed ordinariæ potionis fore calicem, putauerunt. Hugo Cardin. ibi. *Credebant hoc dici, de calice materiali?* Quid ni ergo intrepidè compotores se præberent. Id mirandum, quòd Hug. Card.
cùm petitæ regiæ sedis, quam ambibant, quasi pretium à Christo enuntiaretur calicis communio: & ipsi saltem, enuntiati voti implemen-

 tum,

tum, quasi adhibito pacto, per communionem calicis, crederent perficiendum: communem aliunde potionem intelligerent. ita ne? temporalis, sed maximi, vt putabant, regni gloriam captant: & satis pretij postulasse Christum, satis se daturos autumant, si calicem ordinarium absorbeant? Planè: quia licèt ambiendo cæci non poterant aliunde non fateri, tam esse vilem thronum cui inhiabant, vt plus quàm satis soluendus putaretur, si ex alieno arbitrio, & vt morem iubenti gererent, calicem haurirent. O quàm alia æterni regni gloria! nec tamen empta cariùs! si enim ordinario calice terrenum sibi imperium emendum, discipuli existimârunt: cæleste, præcone Christo, porrecto calice aquæ frigidæ pauperi, diuenditur. Conferant nunc Principes gloriam gloriæ vt vtrius candidatos se gerere, sit salubrius, rectè capiant. Sed de hoc ad calcem notationis, paucula seorsim coniungamus.

Christi regnum vili emitur.

IV.

Quæ, vt probè noscatur, à Principe, æternæ comparanda: ne consors communis naturæ, præ ceteris intumescat.

44. EST ergo optimum disponendæ Politicæ documentum, si Princeps, caducum fœlicitatis suæ ingenium contempletur: nec id aliunde aptius speret exequendum, quàm si instabilem, insidiantemque terreni Regni conditionem, cælestis gloriæ constantiæ committat, & securitati: cuius rei apertissimum iam speculum proponam. Nascitur Christus, Cæli terræque Princeps augustissimus, vtrinque festiuè excipitur: illinc, Angelis canentibus, stellâ ministrante: hinc, exultantibus pastoribus, adorantibus Magis celebratur. At, quàm constans illius, quàm fuit huius obsequium mutabile! rebellat subitò in Herode terra, & recèns natum Principem fugat in Ægyptum: quem tandem virum impiè crucifigit. O quid agis, stultissima Regio? aut quem mitiorem vnquam Regem sortieris? nimirum stat Terra genio suo: nescit vnquam suscepto Regi diu seruare fidem, gloriam firmare: itaque in solo Cælo præstari potest. Oritur regum Rex, cæli stabilitate contentus, his Terræ vicissitudinibus subiectus, vt deinceps humani Principes, ex vtriusque Regni collatione, vtri sit inhiandum, iam perdiscant. Galfridus ad illud Matth. 2. *Cùm natus esset Iesus*, bellè in hanc mentem. *Magnitudinem paruuli, qui natus est nobis, Cælum indicat, terra cognoscit: sed cælum penitus illum glorificat, iam per rationales Creaturas, quàm per rationis expertes, vt Angelos, & stellam: Terra autem ex parte: nam Herodes turbatur & omnis Hierosolyma cum illo. In illo enim indicat Christus, quod cælestis gloria tutior: nam terrena, periculosa semper, & plena discriminis. Prima adoratio, prima deuotio, quam exhibuere Chaldæi, quid periculi visa sit attulisse, Euangelij sequentia manifestant, &c. A Chaldæis Saluator excipitur: sed confestim fugere necesse est, in Ægyptum. Sic ab initio: quid in fine? in ciuitate Ierusalem, tam gloriosè susceptus: sed sexta post modum die, tam ignominiosè desertus est: dicebat, si in ligno viridi hæc faciunt, in arido quid fiet? quasi dicat: si sæculum, neque suo fidem seruauit factori, quid vobis deinceps de illius fide sperandum?* Perdetur opera, quæ sic prudenti gnomi addere quid curauerit.

Regnum terrenum cælesti compositum.

Regnum terræ instabile.

Matth. 2.

Galfridus.

Designârat Christus, incerti diei, certissimas circunstantias, tremendi horrore Iudicij explicato: tunc subdit fidelibus, *His autem fieri incipientibus, respicite, & leuate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra.* Luc. 21. v. 28. quod in sæculi ruinâ, in totius humanæ gloriæ euersione, caput leuent Iusti, bene est. meritò enim exultant iam securi, cùm cælestis gloriæ redemptio appropinquat. Sed cur tunc maximè respicere, id est retro aspicere iubentur? quid eleuando capiti, immissi retrò oculi conducunt? vt vterque rerum status inuicem comparatus, meliùs cognoscatur. Leuent securi caput, aduenientis redemptionis gloriam conspecturi: immittant tamen interim retrò oculos, vt humanæ gloriæ exitum contemplentur: tunc, quam olim prudenter se gesserint, facilè animaduertent: dum, ideo nunc in humanæ gloriæ ruinâ, efferendis præ securitate capitibus sufficiunt: quia in eiusdem pompa humiliter ipsa capita demiserũt: nimirum, supremi sui Regis ad instar se formantes. de quo idem Galfridus, ad hunc locum, *Nec modo aduentus eius posterior, à priore longè alius erit, sed ipsâ rerum qualitate longè dissimilis: siquidem turbulentissimo sæculi tempore, veniet eius reparare statum: cùm pacatissimo tempore venerit prædicare contemptum. Occultum se præbuit in sæculi gloriâ, sed manifestabitur in ruinâ. Væ qui apparere in prosperis, latere cupiunt in aduersis: nec caput demittunt inter prospera humiles, nec leuant inter aduersa securi.* Signanter igitur, (addiderim) respicere tunc iubentur: vt inuicem collata rerum conditio innotescat, vtraque ita melius agnoscenda. 45.

Luc. 21.

Iusti cur securi iudicium expectent.

Galfridus.

46. Instituerat Petrus Orbis Principes, & maximè Ecclesiæ Pastores: tunc subdit. *& cùm apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* 1 Pet. 5 v. 4 gemmeam coronam, & multo pretioso lapide refertam, Iustis tribuendam, alibi commendare solet Scriptura. quid ergo erit causæ, cur in hoc loco, ad floream videatur Petrus recurrere? (qui enim marcorem nuntiat euitandum, flores subaudit: vt pote quibus, non gemmis, marcescere contingit) quid ergo flores inducit, qui gemmas poterat? recurrendum puto, ad illas alias coronas impiorum, de quibus illi ita. *Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* 2. Sap. cap. v 8. nondũ collectis floribus, nondum connexis sertis, tabidum iam marcorem augurantur: nec tàm in gloriæ suæ prato persistere, quàm illud pertransire celeriter spondent. Hic ergo auditores suos, mente conuolare cupiebat Petrus, vt coronas coronis comparantes, diuersum earundem ingenium introspicerent; certè illas inuicem componit Galfridus sæpe citatus, ad hunc locum, *Quam beati, qui tunc percipiunt immarcescibilem gloriæ coronam! quàm verò miseri, qui festinant coronare*

1. Pet. 5.

Idem de Iustis.

2. Sap. 8.

Galfridus.

nare se rosis, antequam marcescant, vt immarcescibilem non percipiant, Pastorum Principe vemente coronam. Nullum inquiunt, pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra: transibit profectò, & pertransibit luxuria, sed non pœna. Quis enim, si vtranque coronam composuerit, immarcescibilem illam, etiam per quasuis cruentandus spinas, vanissimâ aliâ conculcata, non satagat præripere?

47. *Princeps communis naturæ consors, non tumescat.* Ex iis, quæ totâ Notatione digessimus, communis cum plebeis, Principum ipsorum conditio, si naturæ rationem consideres, propalatur. Hinc ergo maximè modesti Regis Imperium eruditur: ne naturæ consortes, affligat per tyrannidem; plenas huiusce rei paginas vbiuis habes: appono breuiculam clausulam supra scriptis. D. Ambrosius lib. de Nabuthe, Cap. 1. (D. Ambros.) *Cespes angustus æque pauperi abundat, & diuiti, & terra quæ viuentis non cepit affectum: totum iam diuitē capit. Nescit ergo natura discernere, quando nascimur, nescit quando deficimus: omnes similes creat, omnes simili gremio claudit sepulchri. Quis discernat species mortuorum? redoperi terram, & si potes diuitem deprehende, eruderato paulo post tumulum, & si cognoscis, egētem argue: nisi fortè hoc solùm, quod cū diuite plura pereunt.* Et intumescat adhuc Princeps quòd auro, quòd sericis comptus, pariter corrumpendis, sepeliatur. O, quò pergis, mortis ludibrium? illa quidem æquo pulsat pede, pauperum tabernas, Regumque turres: Quid has mero vento inflatas, flatu leuiori deiiciendas, adhuc suspicis?

48. *Princeps communibus periculis expositus.* Quid memorem vitæ casus? nullum effugis: pari te lance, cum vilissimis, trutinat Fortuna, quam vocas: Deus, quem nec inuocas. Exposuerat Daniel Nabuchodonosori, lucubratissimam Arboris somniatæ expositionem: eiiciendum Principem a regno, bestiam induturum, herbâ pascendam, & sub dio mansuram. & addit textus: *Omnia venerunt, super Nabuchodonosor Regem.* Cap. 4. v. 25. (Dan. 4.) sic habet textus correctior, quamuis in aliquibus addatur: *hæc omnia venerunt*: sed terminus indeterminatus gratior ad rem nostram. Omnia itaque, vel etiam vilissimæ sortis homunculo grauissima, misero euenerunt: at neque solùm exprimitur nomen, quod tamen, ad rei notitiam satis erat, sed & Regia dignitas exprimitur, ad mysterium. Putârat scilicet delusus, à fortuitis euentis, regium thronum immunem; discat damno suo, non solùm solitis fortunæ ludibriis, sed innouatis casibus subiiciendum. Richardus Victorinus lib. 2. de Erud. (Richardus.) Int. Hom. C. 39. *Omnia inquit venerunt super regem, & regem talem: omnia venerunt, omnia venire possunt, super regium animum, & qualem regia persona designat per mysterium.* Hàc ergo totius nostræ Politicæ, solida magis, quàm venustâ, basi collocatâ: deinceps iam Tyranni vitia, prædictis monitis obsordescentis: & ciuiles pij Principis mores, vt pote ab illis probè imbuti, explicemus: promiscuè, vt se obtulerint monita, expromentes, in parallelum.

NOTATIO II.

Auaritia Principi fugienda.

DIVVS AMBROSIVS serm. 81. ita ad Auarum diuitem. *Si difficile tibi putas, ô homo, magnificentiam diuinæ largitionis imitari: imitare terram: si leuare sursum oculos* 49. D. Ambros. *Auarus vnde instituendus.* *non potes, saltem ea, quæ deorsum sunt & in pedibus tuis, intuere, illa enim fructus, quos affert, non suis vsibus vindicat, sed tuis ministrat obsequiis: tu verò fructus illius, solus inuadis, & tibi soli concludis; quòd si tantum auiditatis te morbus adstringit, vt tua, velis facere omnia: accipe & ad hoc salutare remedium. beneficium largientis, præbentis magis permanet, quam suscipientis: nam misericordia quidem ad indigentem peruenit, gratia autem multiplicis mercedis, permanet tribuenti!* *Liberaliter fœnerat, dum largitur.* Pulchrum monitum & Regibus in primis necessarium: ad hos, vel rapinarum violentiâ, vel iustâ regalium censuum contributione, ferè omnia Prouinciæ, bona cumulantur: tyranno scilicet recludenda pio Principi in subditos refundenda. Oppresserat subditos Baltasar, immodica Tributorum auaritiâ: hinc prima exilarantium vox: *quomodo cessauit exactor?* qui immane quantum, sub multiplici olim seruitute pressi, primo exultationis halitu, amotum auari imperij iugum gratulantur, quasi onus pręceteris durissimum: nec aliunde respirarent suauius. Ergo optimus Princeps nihil à regali spiritu alienius putet, quàm auaritiam: sitque illi, pro ingenitæ nobilitatis stēmate, liberalitatis magnificæ, beneficentia: de quo prolixiora iā monita subscribo.

MONITA POLITICA.

I.

Princeps auarus degenerat in seruum.

NIhil longius ab ingenuâ, & primariâ Principis libertate, quàm infamis seruitutis titulus distare potest: nil ergo turpius, quàm si auaritiæ studeat, vnde seruilem gradum, & illum abiectissimum sortiatur. *Princeps auarus seruilis est conditionis.* Parauerat opulentissimus Rex nuptias, ad quas comitate blandissimus, vocauit conuiuas: & respondet primus: *villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam, rogo te, habe me excusatum.* Luc. 14. v. 18. (Luc. 14.) ecquis honor homunculo maior venire poterat? Conuiua Regis, (Rex enim *Matth.* 22. dicitur inuitator) iam etiam Proceribus foret inuidendus: quod ergo decus tantum, vel etiam omnibus sarcinis redimendum, quasi legitimâ excusatione, exitu in villam emptam, repudiatur? qui seruum se nouerat, & alieno dominio moderandum, non valuit amici Regis

Auaritia seruitus est.

ci Regis imperio obedire, ne priuati domini iussa detrectaret: satis se excusatum credidit, qui non sui iuris natui vrgentis dominij obtemperabat, nimirum, iam nouâ villâ ditior, & auarior: non liberum, sed necessarium habuit, auaritiæ dominæ sordibus, (etiam regalis mensæ dispendio) deseruire. D. Anton de Pad. Dom 2. post Trinit. *Et, qui villam terrenæ dominationis, sibi acquirit, necessitas exeundi incumbit: quia cum liber esset, se miserabili seruitute seruum fecit.* Possideat ergo quantumuis Princeps non villam, sed orbem: certe si auarus possidet, non dominus, sed bonorum suorum curator seruilis appellandus bene Seneca Epist. 14. *Nemo sollicito bono fruitur: adiicere illi aliquid studet; dum de incremento cogitat, oblitus est vsus: rationes accipit, forum conterit, Kalendarium versat: fit ex domino procurator.* Vt sudet incremento deseruiens auarus, cui vsus ipse bonorum interdicitur: quasi non sibi, sed aliis laboraret.

D. Anton de Pad.

Seneca. *Auarus non dominus, sed procurator est, cui.*

51. Sequebatur Christum turba copiosa, quam ne deficeret, alendam curauit piissimus magister, dicens ad Philippum: *vnde ememus panes, vt manducent hi?* Ioan 6. v. 5 & quid Philippo, cum accepti, & expensi rationibus? Si Iudas adest, qui loculos habebat, cur ab illo, piæ emptionis tenor non exquiritur? quia alendæ piæ turbæ panem emere recusaret: qui auarus, vendere panem viuum, Christum pretio tradere, meditabatur. Sed ditescet ne miser hâc pecuniâ? imo aliis ministrabit, inuitus seruum procuratorem Orbis gessit: & qui acceptos argenteos profudit, viscera paulo post miser profusurus, cælestem panem terræ communicauit, quo depulsâ fame, ditesceret immensum. recondat ergo pecunias infaustissimus, nec panes emat hominibus saginandis: qui dum crescit auaritiâ, meliorem panem deinde venditurus: quàm frustrà proprio lucro desudat, tam diligenter, eisdem seruiens adlaborat. Petrus Cellens lib. de Pan. cap. 1. *Bone Iesu, non quæris à Philippo, quare à proditore tuo: hic enim habet marsupium vnum, cū Scribis, & Pharisæis: hic insidiatur sagimini, & contra insontem tendit (frustrà quidem pro suâ implendâ auaritiâ) tendiculas: non frustrà autem pro nostrâ salute: hic, inquam, habet denarios triginta, vnde panes emuntur, vsque ad satietatem omnis carnis.*

Ioan. 6.

imo & alieni.

Petr. Cellens.

52. Quæsierat à Christo, ditissimus adolescens, quid præter mandata legis, quæ adimpleuerat, sibi consequendæ perfectioni, deesset adimplendum? huic Dominus, bonorum abiectionem, & sacri sequelam numinis, nuntiauit, & addit textus. *Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones.* Matth 19. v. 22. Non ne qui præcepta tam ardua, conculcatis voluptatibus custodierat, quantò terrenâ, præstantior esset gloria cælestis, probè nouerat? Nonne promissum sibi à Christo thesaurum in cælo, v. 21. credebat firmiter? planè. quid ergo caducis, æterna commutare non festinat? quî tristis, vnde debuit hilarior discedit? quia videns meliora probánsque, dominæ Auaritiæ tyrannide, deteriora sequi cogebatur, nimirum sic habebat diuitias, vt ab illis tenaciùs haberetur: nec seruus, dominicum iugum frangere sustinebat, visus huc allusisse D. Cyprianus, epist. 14. de lapsis priuato sensu: quamuis communem proferat sententiam. *Sequi autem Christum quomodo possunt, qui patrimonij vinculo detinentur? aut quomodo Cælum petunt, & ad sublimia, & alta conscendunt, qui terrenis cupiditatibus degrauantur? possidere se credunt, qui potius possidentur: census sui serui: nec ad pœnam suam Domini, sed magis pecuniæ mancipati.* Et quæ miserior seruitus poterat excogitari?

Matth. 19.

Auarus non tam possidet, quàm possidetur.

D. Cypr.

Fælicior longè, sequendo Christo, Zachæus: 53.
qui sycomorum, fatuam: mundi pompam conscendens, & conculcans, iam paratu fælici Saluatorem excipit: mirum tamen quod subdit: *Ecce dimidium bonorum meorū, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum:* Luc. 19. v. 8. fatetur se iam Christi seruum, quem proinde dominum meritò appellat: si ergo domino suo acquirit, quidquid acquirit seruus; quid est quòd adhuc bona sua nuncupauit? *bonorum meorum*, ais ô, Zachæe, Domino collocutus? imo bonorum tuorum, dicere debueras: nec peculium tibi addicere, qui animum iam soli Domino addicebas, quid ergo? trepida quædam fuit, profusæ voluptatis perturbatio: néc tam Christo largitori denegat dominium: quàm diuitiarum tyrānicum euasisse dominium exultat: huc vsque non tam Zachæus diuitias, quàm Zachæum diuitiæ obtinebant: his ille seruus miserrimè insudabat: bene igitur iam, Misericordiæ liberali manu assertus in libertatem, captiuantes se nummos, captiuans inuicem: iam suos, illos appellat: quem pridem ipsi suum, appellârant. Recolebat hæc, ni fallor, D Chrysost. dum Zachæum commendans, sic scribit serm 54. *Qui Christum videre quæris, cælum vnde Christus est, non terram, de quâ aurum est, intuetur; diues ergo qui sursum respicit, non portat diuitias sed proculcat: nec incuruatur diuitiis, sed enatat: atque qui diuitias ad largientis obsequium: non ad diuitiarum auaritiæ seruitutem. diuitiarum seruus, non dominus est auarus: & Misericors, tot seruos se probat habere, quot nummos.* Vnde non ineptè Stephanus Cantuar. allegorizans pœnam, qua Primogenitus Pharaonis regis: Captiuæ, & Iumentorum, Exod. 13. v. 29. diuinâ virtute percutitur, sic subdit. *Primogenitum Pharaonis superbia, per Primogenitum captiuæ, auaritia, nam semper auarus eget; per Primogenitum iumentorum luxuria designatur*, quàm ergo turpe, quàm mirandum in Rege, typho aliunde superbiæ, totam sibi libertatem, affectu primogenito, arrogante: si aliunde auaritiæ affectibus captiuis sordidetur: liberum collum subdens infami iugo?

Luc. 19.

Diuitiarum tyrānis.

D. Pet. Chrysost.

Steph. Cantuar.

Exod. 13.

Hinc suauissimum Christi inuitamentum. 54.
Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis: & ego reficiam vos, tollite iugum meū super vos, &c. iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Matth. 11. v. 28 neque enim, qui omnibus venerat, tàm Principibus, quàm plebeis saluandis, solùm laborantem turbam & onere grauatum populum aduocabat, quin publicâ hac præconis quasi voce, diuites etiam allectos cupiebat: imo & hos, in hoc loco, ni fallor, maximè: cur enim onus leue, atque suaue iugum suum voluit expressum: nisi vt eos, qui seruile iam iugum, & grauissimum ferebant, fælici commercio, præcipuè inuitaret? Equidem diuites auaros signanter voluit hic vocatos, quibus durioris, quàm cæteris incubuerat iugum seruitutis

Matth. 11.

Diuitiarum iugum.

tis: vt verâ libertate sub Christo fruerentur: quos sub libertate phantasticâ, captiuos Auaritia detinuerat, ideo D. Prosper Aquitan. lib. 2.
D. Prosper. de Cont. vit. cap. 15. ita. *Iubet ecce nobis imperiosa cupiditas, vt diuina paruipendentes, possessionum terrestrium damnosa compendia cogitemus: vt in eis totam solicitudinem, curámque ponamus, vt inde nos morbidâ inanitate iactemus: vt, amplitudine diffusioris patrimonij, elati, fieri pauperes spiritu negligamus. O facinus inauditum! Suaui iugo Christi contempto, ferreum cupiditatis imperium, voluntariâ mentis inclinatione suscipimus: & Domini nostri, leui onere, (quod subiectos non onerat, sed subleuat) posthabito: plumbeum pondus, nostris ceruicibus apparamus.* Et quid fœdius, quàm fastuosissimo libertatis tumori inde adspirare: vnde sub plumbeo pondere suspirare cogeris? Sub vmbratili libertate, auare Princeps, germanam totam sus-
D. Cyprian. stines seruitutem. Meritò proinde D. Cyprianus Epist. 10. *Obsederunt animum tuum, sterilitatis tenebræ, & recedente inde lumine veritatis, carnale pectus, alta & profunda auaritiæ caligo cæcauit: pecuniæ tuæ captiuus & seruus es: catenis cupiditatis & vinculis alligatus es: & quem iam soluerat Christus, denuò vinctus es: seruas pecuniam, quæ te, seruata non eruat: patrimonium cumulas, quod te pondere suo onerat.*

II.

Auarus Princeps, carcer est naturæ: deuinctus sordidè: sordida deuinciens.

55. *Princeps auarus, Carcer est naturæ.* PArum erat auaro Principi, in seruilem statum declinare, nisi tanquam seruus nequam, tetri carceris tenebris addiceretur. Scilicet immanem, Naturæ rerum carcerem parat Auarus, ibidem cum thesauris suis, sordidè vinciendus: & quod horribilius est, ipsas in corde diuitias deuinciens sordidissimè. Benedixerat Dominus agris viri diuitis, vt implerentur horrea frumento: vino, & oleo torcularia exundarent. tunc ille: *quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos? destruam horrea mea, & maiora faciam.* Luc. 12. v. 17. Solet simplex Agricolarum innocentia redundantes messes redigere, in ipsis agris, ad aceruos, (Metas, vocant) vbi arte inter construendum adhibitâ, diu iniurias temporũ depellunt. Quid diues iste, non vsus hoc compendio? quorsum labor destruendi vetera, & noua ædificandi horrea, impendium? auarus erat: & licèt tutas Metas apud villicos norit: nescit tamen quibussuis impensis, sub clauem non deducere: nec enim carcer est, nisi obseratus: auarus autem, naturæ bonis, in horreo, horridum carcerem disponit. Chrysol. ibi, serm. 104. *Miserum! quem vbertas, sterilem: abundantia, anxium: inhumanum, copia: diuitiæ fecerunt mendicum. Humanus ager, inhumanum dominum sustinebat: & quod terra fundebat largiter, concludebat angustè: vt esset alienorum custos, qui esse suorum noluit propagator: ingratus Deo, sibi nequam, hostis pauperum, diuitum nota, Carcer naturæ.* Ergo carcerem condidit, & se illius mi-

Luc 12.

Auarus opes incarcerat.

D. Pet. Chrysol.

Auarus non dominus sed Custos bonorum est.

serrimum Custodem exhibuit vigilantem. Vnde hic Ambrosius serm. 81. sic ad illum. *Cùm interrogari ceperis, commissas tibi opes, cum quibus egentibus diuisisti? quibus necessitatem patientibus subuenisti? quos de carceribus, de vinculis, de gladio, profusâ pecuniâ liberâsti? &c. tu ad hæc sine dubio respondebis, omnia simul composita; ac recondita claustris validissimis, & signaculis tutissimis communiui, nulli quidquam tribui: quin imo & ad custodienda ea vigilias meas addidi, curas impendi, solicitudines tribui?* quid enim, (vt alios prætercam) è carcere, afflictos piè eriperet, pecuniâ profusâ: qui pecuniam ipsam munitissimo carceri addicens, ad illius custodiam vigil excubabat? D. Ambros.

Confluebant sitibundi, pro consequendâ salute, populi, ad Baptistã, auidè quid essent acturi, perquirentes, ad quos ille: *qui habet duas tunicas, det non habenti.* Luc. 3. v. 11. duarum tunicarum possessores, ad vnam liberaliter egenti tribuendam, compellit Ioannes. Cur tamen, alios, qui plurimas habent opulenti, visus absque pio monito, præterire? Sancta dissimulatio videtur: sic enim illos præterit, vt obiter coarguat; ostendens, qui plurimas possident, cùm aliàs tot pauperculi nudi occurrant passim, necessariò Auaros præsumendos, & naturæ carceres: qui proinde mallent carcerata indumenta tineis sepelire, quàm pauperum succurrere nuditati. Fauet ibi Chrysost. serm. 137. *Putas-ne satis petit, qui de duabus tunicis, vnam petit, non satis petit, quia non petit gemmam, sed tunicam, non aurum, sed panẽ. Et si, qui de duabus tunicis non dederit vnam, reus est: qualis est vnam de plurimis qui negarit? quid ad hoc, vestes suas carcerat & panem claudit, vt pauper fame pereat, frigore consumatur? ille vestes sepelit, non reponit: non credit diligentiæ, sed sepulchris, qui quod negat pauperi, dat tineis.* bene ergo hos quasi desperatos, non tam monitos, quàm obiter traductos Baptista voluit. 56. Luc. 3. v. 11.

Tinearum Conditor.

D. Chrysol.

57. *Belli damna, sibi indicit auarus.* Quantum hoc malum, ! vt sibi ipsis auari, (dum diuitias carcerant, & thesauros fodiunt) vltima, sæuioris belli, damna inferre non peruideant. Ægyptium iugum Principibus Israel minatus Deus, per bellicum excidium deuastandis, subdit. *Desiderabile argentum eorum vrtica hereditabit: lappa in tabernaculis eorum,* Oseæ 9. v. 6. grauissima videbatur pœna, si thesauri tot laboribus comparati, si tam anxiè argentum perquisitum, ad hostes, iniquo iure veniret hæreditarium: cur ergo malæ herbæ, & vrticæ solummodò, hæredes ad supplicium instituuntur? Respondet egregiè ibi Ruffinus pius. *Ex vsu captiuitatis euenire, vtinam nos lectio tantùm, & non etiam experientia docuissent: constat quippe vel ædes magnis sumptibus fabricatas, cùm defecissent incolæ, siluis fuisse contectas: vel plerunque etiam auri & argenti thesauros defossos, his qui occulueran, interemptis, in continuam obliuionem perijsse.* Defodiuntur belli tempore thesauri, ne eripiat hostis; occiditur tamen interim defossor: & carceratæ sub terra opes, supernascentibus vrticis, atque maluis possidentur. Ah quoties inopina mors, carcerantes thesaurum Principes abripuit! Quem deinde pereunte notitia, hæreditant vrticæ, vt ipsi sibi absque hoste iam belli damna inferre agnoscantur. Sed neque

Oseas 9.

Ruffinus Pius.

mirum si auari fodientes terram, thesauros includant, naturæ liberalissimæ carceres parare dicantur, quando quidem sub quouis auari Principis vsu, quasi carceratæ opesq; ingemiscunt. Hinc diuinæ minæ apud eundem Oseam cap.2. v.9. *sumam frumentum meum in tempore suo, & vinum meum in tempore suo, liberabo lanam meã, & linum meum.* dum enim liberari dicũtur, pristina iá captiuitas denotatur. dixi multa in spicilegio sacro: addo hic Ruffinũ, qui ita. *Censura tandem munus arripiam, vt ingratis quæ fuerant collata, subducam: ipsaque opes liberationis quoddam beneficium consequuntur, cum profanorum vsibus subtrahuntur.* Venio ad secundum.

Ingemiscunt opes sub Principe auaro. Oseas. 2.

57. Satis fœda hæc opum carceratio, videbatur: ne splendidus aliunde Princeps, infami sic auaritiæ declinans inhiaret: magis tamen maiora dabo, vnde fugienda instantiùs propaletur. Minus est, si carcerem opibus innocentibus Auarus apparet: & illud tertius, quod cum ipsis opibus misei carceretur? & non pudeat regiam libertatem, non vtcunque seruilem, sed vincti mancipii subire conditionem? Vocantem Christum Apostolos, sic describit Matthæus: *vidit duos fratres Simonem & Andream.* cap.4. v.18. & iterum: *vidit alios duos fratres Iacobum Zebedei, & Ioannem.* v.21. sed quàm aliter vocationem suam ipse commemorat. expende verba. *vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine*, cap.9. v.9. & cur sicut in cæteris, non Matthæus cerni dicitur, sed homo? quia id viderat Iesus, quod liberare destinabat: in Matthæo auaro & publicano, Natura humana, quasi detenta vinculis possidebatur. Chrysol. serm. 28.

Auarus suis opibus concarceratur. Matth. 4. & cap. D Pet Chrysost.

58. *Vidit hominem: non dixit, vidit Matthæum, quia in Matthæo; hominem liberârat; hoc est homines, quos pecunia possidebat: seruire Deo nequeunt pecuniæ seruientes.* Natura ergo Hominis tot illustris titulis, misertimè captiua tenebatur, & cõcaptiuis, carceratisque opibus turpius seruiebat. grauiter proinde de hac cupiditatis pœnâ locutus d.Prosper Aquit lib.& cap. citato sic concludit. *Non permittis animum liberum, non stabile corpus, (vagante animo mobiliter) aut quietum: & velut quædam cadauera, in pastum feris auibus, bestiisque proiecta, captiuos, suis immundis spiritibus tradit, non lacerandos, sed auidissimis mortiferorum criminum faucibus deuorandos: nec tamen, vt se iam desinant, sed vt pœnaliter viuant: denique in viuis corporibus adhuc portant funera sua: id est viui simul, & mortui, hinc quod peccato viuentes: quãtum nos congestarum opum oblectat accessio, ipsâ, fruendi carnalibus, delectatione sentimus: & quantam virtutum sustineamus inopiam, velut mortui virtutibus ignoramus.* Hęc fuit apud Poëtam, summa tyrannorum immanitas, qui de quodam dixit:

D.Prosper. *Peccator sui portatile sepulchrum.* Virgil.

Mortua quin etiam iungebat corpora viuis.

Tu vide an auarus opum congestor, sic opibus consepultus, immaniorem, sepulchro isto, carcerem sortiri possit.

59. Faciunt in hanc rem pulchrè verba Christi, vbi de amouendâ auaritiâ, suos sic instituit. *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt.* Luc. 12. v.33. cur enim, in misericordiæ operibus exponendis, ad sacculorum metaphoram recurrit, nisi vt illos taxet, qui corrumpendos auaritiæ sacculos pertractant? ergo non vtcunque aurum vt diuitis, sed illud tot saccis, quasi vinculis carceratum reprehenditur. & cur id maximè? respondeo ex Chrysologo serm 42 qui visus locum illum cõnotasse: *Ipsum se redegit in sacculum, qui pecuniam nescit porrigere, sed claudere: iste alienorum custos, non dominus est suorum.* Quæ potuit vnquam sordidior, aut angustior carceris conditio cogitari? sed dabo fœdiorem. *Nolite* (inquit Christus) *thesaurizare vobis thesauros in terra: &c. vbi enim thesaurus tuus, ibi est cor tuum.* Matth. 6. v. 21 non temerè *in terrâ* dixerat, qui thesauros caducos dixisse poterat. Nam perinde est, ac si diceret. Cur viua adhuc & spirantia corda terreno carceri, & quasi sepulchri latebris addicitis? cur, dum profundissimas scrobes reponẽdis thesauris aperitis, ibidem corda profundius immergitis? Solebant enim id temporis, nescio an & nunc, abditis specubus thesauri recondi, (vide Horat. lib.2. Od.2.) vbi pariter corda sua Auari reponebant. ideo D. Ambros. lib. de Nab. c.14. *Custos es tuarum, non dominus facultatum, qui aurum terra infodis: minister vtique eius, non arbiter. Sed vbi thesaurus ibi & cor tuum; ergo in illo auro, cor tuum infodisti terra.* Audi iam sordes, misero auaro, à cohærentibus suis adhærentes. *Considera.* pergit Ambro. *quia hos solus non possides: possident tecum tineæ, possidet ærugo. quæ consumit pecuniam: has tibi consortes Auaritia dedit.* & quidem dare non poterat fœdiores.

Luc. 12. *Sacculo & scrobe clausus auarus.* Matth. 6. Horat. D. Ambros. *Tinearum cohæredes Auari.*

60. Iam capies, cur ignauus ille seruus, non alibi, sed in terrâ, domini pecuniam putauerit abscondendam: *Abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam Domini sui?* Matth.25. v.18. Nimirum, in ipsâ sua ignauiâ auarus turpiter, cælestes thesauros, de funestâ terrestrium conditione, tractandos existimauit: & qui cælestem animam auarus in terræ sacculos detrusum, carcerabat, cælestia carceranda dona præsumebat. absit hoc nefas longissimè à meo Principe: audiat Chrysologum, serm.22. vbi ita. *Thesaurus cor hominum, aut per eleemosynam, leuat ad cælum, aut per auaritiam, demergit in terram: & ideo dixit: vbi enim thesaurus vester, ibi & cor vestrum erit. Homo mitte & præmitte thesaurum tuum in cælos: ne cælestem animam demergas in terram. aurum de profundo terræ, anima ab excelsis cæli: melius proinde est, id ipsum anima deferri aurum, quam in sepulchro auri anima demergatur.* Certè melius, non tamen ita solet euenire: vt enim homines frequentius & impensius aurum tractant, quam animam: sic facilius illius, quàm huius moribus assuescunt: & tracti miserè ad ingenium auri, cum illo sordidissimè sepeliuntur. Chrysol. iterum, serm.29. de auro. *Nascitur in terrâ profundâ, sectatur ipsa montium fundamenta, pérque tota venarum cæcis discurrit anfractibus: & dum suam semper repetit ad naturam, cælestes animos ad inferna deponit: obscurat sensus semper: alta sensuum semper ad terrena demergit.*

Matth. 25. *Auro anima consepulta.* D Pet Chrysost. *Eleemosyna virtus.* *Auri terrena conditio.*

61. Ergo sic auro suo, turpiter concarcerati, & consepulti Auari, iam terreno metallo conformati, quidquid cæleste est exuentes, vndique terrenam sibi induunt conditionem: vt non solùm vilissimè vinciantur: sed vilissimo sui ipsorum pastu, Tartareum serpentem saginent. Audi quid ad illum Deus: *Terram comedes cunctis* diebus

Auarus inferni serpentis esca.

Genes. 3.

diebus vitæ tuæ: Genes. 3.v.14. & quidem, licèt quiuis peccator terram sapiat, & proinde in serpentis cibum deputetur: nullus aut facilius, aut viuacius terrenum gustum exprimit, & saporem, quàm qui Auarus, terreno auro, in visceribus terræ concarceratus, totus videtur in terram transformari. bene D. Cyprianus, Epist. 14. de lapsis. *Decepit multos patrimonij sui amor cæcus: nec ad recedendum parati, aut expediti esse potuerunt, quos facultates suæ velut compedes ligauerunt. illæ fuerunt remanentibus vincula, illæ catenæ, quibus & virtus retardata est, & fides pressa, & mens vincta, & anima præclusa: vt serpenti, terram secundùm Dei sententiam deuoranti, terra & cibus fieret, qui terrestribus inhæreret*, In carcere, cibum spurcum è carnificis manu sumere, (de quo fusè in spicilegio dixi) summas inter pœnas numeratur: sed quantò grauius, quòd in pecuniæ carcere, seipsum in spurcas escas, inferno Carnifici præbeat auarus? Nimirum nescit ille cum suis se se opibus non carcerare. Concludo hanc partem verbis Saluiani lib. 1. ad Eccles. Cathol. qui ita. *Mandantes terræ thesauros luctuosos: hæredibus breue gaudium, auctoribus longum mœrorem allaturos: fraudantes vsu rerum præsentium, tam alios, quam se ipsos: condientes profundis specubus infernas opes, simul pecuniam suam ac spem infodientes, secundùm illud Domini nostri dictum: vbi fuerit thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum.*

D. Cyprian.

Saluianus.

62. Venio ad tertiam, tituli præmissi partem: vnde horribilior reddatur Principi Auaritia. Turpe est, carceri opes addicere: turpius, cum opibus cor suum deuinctum carcerare: sed turpissimum, sic opes deperire, vt sordidissimas, in corde tuo deuincias, & carceratas custodias. Descripserat Michæas inundantia beneficia, quibus Saluator Christus, suos esset è virgine exortus, cumulaturus: tunc sic addit. *& erit in die illâ, dicit Dominus, auferam equos tuos, de medio tui, & disperdam quadrigas tuas.* cap. 5. v. 10. Mira promissio! Si celebrat, vt ibi videre est Iustorum victorias: cur equos, cur quadrigas amolitur? Triumphator populus, dum decorâ, & ad Dei gloriam relatâ pompâ nitet, deuictis hostibus addit confusionem: non est catholici Monarchæ immodestia, si hæreticos gementes, & confusos paganos, triumphali quadrigâ vectus, stipatus equitibus, laureatus traducat: Quid ergo ad gloriosos hos vsus, neque impios: catholicis Principibus, equi atque quadrigæ denegantur? Respondet prudenter Stephanus Cantuar. ibi. *Id est: auferam abundantiam temporalium, de corde tuo. non dicit, de stabulo, sed de animo: quia si equi sunt in stabulo ad necessitatem, nunquam debent esse in animo, per amorem, vel superfluitatem; vndè, diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* quasi aliunde Principes auari, in medio sui, & penitissimo corde, vel etiam possessas bestias, stabulo paratissimo recondant.

Auarus in se metipso opes incarcerat.

Mich. 5. v. 10.

Steph. Cant.

Auari Cor stabulum est.

63. Dedit iustissimas Auaritiæ pœnas, iniquus Iudas, suspensus laqueo, quem pridem cupiditatis laqueus suspenderat: & addit Petrus: *& suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius.* Actor. 1 v. 18. Si (quod bene notat Drogo Ostiens. lib. de Dom. Pass.) respondet pœna culpæ: *Si tam diu quod à Christo recesseras, & auaritiæ laqueo se suspenderat, sed quod fecerat in occulto, palam omnibus innotuit*: (verba sunt Drogonis:) quid quæso, pœna addita, quòd crepet medius quòd viscera diffundat, ad auaritiæ culpam potest conducere? Nimirum Apostata Apostolus, non alibi, quàm in medio sui & penitiore corde, Satanæ siue auaritiæ spiritui, sedem collocârat: vnde cum rabidâ pœnitentiâ commotus argenteos proiecit, Matth. 27. v. 5. non minus doluit, quàm si viscera, vbi pecunias condiderat, proiiceret. quæ ergo pœna aptior? Nimirum, quòd in occulto fecerat, palàm omnibus innotuit. Nunc capies Drogonem, qui subiungit. *Exterioris pœnæ qualitas, supplicij modum aperuit, quia per quæ peccat homo, per hæc punietur. Suspensus crepuit medius; plenus erat venter, & ruptus est vter, crepuit medius, vbi sedes erat Satanæ, &c. & diffusa sunt omnia viscera eius. Pecunia viscera sunt auari: illa diffunduntur, ea perduntur: sed viri Misericordis colliguntur.* Viderit auarus Princeps, an Iudæ, an Misericordi viro, regiæ dignitati condignius habeat adnumerari.

Actor. 1.

Drogo.

Pecuniæ sunt auari viscera.

Drogo.

64. Hinc minæ Dei. *Væ ei qui multiplicat non sua: vsque quò aggrauat contra se densum lutum?* Abacuc 2. v. 6. quasi multiplicatæ auaritiâ pecuniæ, luto & stercori animam aggrauantes comparentur solummodò. Quid ita? D. Anton. de Pad. Serm. 2 in Pent. *Lutum in domo congregatum, fœtorem exhalat: dispersum, terram fœcundat. sic diuitiæ cùm congregantur, & maximè de non suo, sed de alieno, peccati & mortis fœtorem generant: si verò pauperibus disperguntur, & propriis dominis restituuntur: terram meritis fœcundant, & fructificare faciunt.* & quidem, si aliis dispersarum fœcunditas, in propriæ conscientiæ domicilium redundat: retentarum fœtor, & sub proprio pectore carceratarum halitus, quam fœtoris spurcitiem cumulabunt?

Abacuch. 2.

D. Ant. de Pad.

Eleemosyna virtus.

III.

Iude in fœdissimam Idololatriæ prolapsus seruitutem.

65. PArum adhuc fuerit Regibus, qui auarum Baltasaris ingenium sectantur, si in seruilem, quam dixi, declinent conditionem: nisi adhuc opibus suis, tanquam idolis, fœdissimâ deseruiant veneratione: vt carcerem cordis sui vbi diuitias reponunt spurcissimè, in templum commutare videantur. explicabis hinc denuo, notissima aliàs verba Drogonis, qui ad illud de Iuda: *& proiectis argenteis in templo, recessit*: Matth. 27. v. 5. sic scribit. *Retulit triginta argenteos; & proiecit in Templo; vide, quàm magni ponderabat eos, non proiecit eos in sterquilinio, sed in templo. Nimirum talibus semper Diis Templum suum deuouerat: Auaritia enim simulacrorum seruitus est: & auaritia excæcat oculos sapientium. Ecce infœlix qualiter excæcatus est: maluit se ipsum suspendere, quàm denarios perire: denarios, templo, se ipsum laqueo addixit.* Pende mihi τὸ *Templum suũ deuouerat.* & videbis etiam ex eo, culpæ pœnam respondisse, vt quod fecerat in occulto, palàm omnibus innotesceret. Medium illud, quo crepuit, cor penitius, vbi nummos carcerauerat: Templum

Idololatra cur dicatur auarus.

Matth. 27.

Drogo Ostiens.

etiam Iudæ fuerat, vbi illos tanquam Deos percolebat. Ergo puniendus, in Templo alio collocat nummos, seu numina sua, vt occultam Idololatriam detegeret. Et fortasse cupiebat miser, vt publicè deinceps, nummus ipse pro numine coleretur, sicut apud Romanos, de quibus D. August. lib. 4. de Ciuit. Cap. 24. ita. *Earum rerum nominibus appellabant Deos, quas ab eis sentiebant dari, aliqua vocabula inde deflectentes vt a Bello, Bellona, &c. aut certè nulla vocabuli declinatione, sicut res ipsa nominantur: vt Pecunia dicta est, quæ dat pecuniam: nam omnino pecunia, Dea ipsa putata est.* Neque mirum id conaretur Iudas erga alios, quod ipse ab auaritiâ miser, expertus fuit. bene de hac Chrysost. ser. 29. *Attendite, quàm sit perniciés ista fugienda, quæ cùm mores hominum, honestatē, vitámq; perdiderit, ipsum quoq; Deum, voluit, homini, & contendit auferre: hoc est quod Iudam fecit esse proditorem, vt hominem cogeret Deum negare, vendere germanum sui sanguinis, distrahere conditorem.* Auaritia Iudæ Deum negare coegit, vt adoraret pecuniam, quid ni & hanc proponeret adorandam?

Nummus Deus seu pecunia Dea.
D. August.
D. Pet. Chrysost.

66. Eleuatum montem supra verticem montium, in basim throni Christo apparatum cecinerat Isaias, capite 2. qui postquam fusè eius victorias concelebrat, sic addit v. 18. *eleuabitur Dominus solus in illa die, & Idola penitus conterentur.* quasi nullum Idolum in altari, nullum altare profanum perstiturum: & meritò, quia licèt Christus omnibus venerit vitiis iugulandis: euertendæ præcipuè Idololatriæ, omnes machinas voluit admotas. At si lata Euangelij spatia excurris, licet in singula peccata Christū verbis conspicias excurrentem, nunquam in Idola legeris inuectum; quia vix vnquam à Iudæâ discessit: quam interim, licet abominabilem, non tamen scimus cultricem Idolorum. Vnde ergo Prophetæ veritas stabit? Pende quæso nunquam se magis paterni honoris zelatorem Christum: nunquam, dissimulato agno, clariùs expressisse leonem: blanditiásque amantis, in zelotypi iras commutasse: quàm in illo gesto, de quo Ioannes: *Inuenit in templo vendentes oues & boues, & columbas, & nūmularios sedentes: & cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoque & boues: & nummulariorum fudit æs, & mensas subuertit.* Cap. 2. v. 14. tam generosos spiritus, in Idololatriam diceres exprimendos: vtque nummos, sic Idola: vt mensas, sic altaria malles euersas. At quidem perinde erat: auari venditores, vsurarii nummularij, opes, quas in corde colebant, Templo indiderant, sibi certè, aliis si possent adorandas. ergo sub Auaritiæ nomine, germana Idololatria expugnatur. ideo D. Paul. epist. 2. *Expellat à nobis boues & venditores columbarum, & mensas nummulariorum: vt ab omni immunditiâ, & cupiditate purgati, castam simplicitatem, fidei charitatisque teneamus. quia Christi figura seruatur, vnde Cæsaris numisma expellitur.* Nimirum expressa in nummis Principum stemmata & figuræ, idola nobis sunt, quibus via Christi effigies aboletur sacrilegè. Bene Galfridus ad illud Pauli: *Auarus, quod est Idolorum seruitus.* Ephes. 5. v. 5. ita. *qui amat pecuniam, similitudinem colit inanem: solidam verò deserit veritatem. suffocat verbum Dei diuitiarum fallacia, fallax quædam imago, vmbra, figmentum.*

Is. 2. 18.
Ioan. 2.
Pecunia Idolum est.
D. Paulinus.
Ephes. 5.
Galfridus.

67. Hinc gemitus Prophetæ. *Simulacra gentium, argentum & aurum.* Psal. 134. v. 15. vtinam enim, vt sonat, res caperetur, non ita crebresceret impietas, si solo argento & auro, Deorum simulacra apud gentes, formarentur. ex lapide, ex ligno, ex vili luto, idola etiam construuntur: vnde sic parabili materiâ, immensus Idololatrantium numerus, Orbem commaculat. quid ergo? nouam Idololatriæ speciem taxat auaritiam. Pulchrè D. Zeno Ver. serm. 2. de Auar. addito verbo corrigendus à librariorum mendo. *Sed non opus est ire per singula cum vno exemplo noscantur vniuersa eius mala: Propheta dicente: Idola gentium, argentum & aurum? vnde appares eum, qui diligit aurum & argentum non tantùm Deos colere, sed eorum mores & actus imitari, &c. Aurum argentúmque Christiane, (si vera dicenda sunt) execraris in simulacris, non in penetralibus tuis: nam & illic aureis argenteisque, innumerabilibus velut templis, teretis monetâ percussis, inesse similiter Regum vultus signáque cognoscis: nihilque aliud distat, nisi quòd in tua domo minuta sunt, in Templo maiora: quæ si erogaueris pecunia est, si seruaueris simulacra.* Pulchræ sententiæ addere aliquid nostrum maculare fuerit. Non tamen parcam transcribendis aliis verbis, ex eodem, in idem Serm. 1. vbi ita de Auaro. *Ingemiscit præterea si annus est sterilis, multò magis si fertilis fuerit: illic, quia parùm distrahit: hic, quia non solùm vultis scire, quantis sit tenebris obuolutus? irascitur Deo, si non semper fiat publicis luctibus diues. Bene, bene: cum quis quærit aurum, inuenit gladium. Inter hæc homo non considerat conditionem fragilitatis humanæ, nemo hostem, nemo fiscum, nemo latronem, nemo domesticum, qui cognitione secreti est omnium peior, nemo imminentis diei Iudicij flammas, per quas omnes nudi transituri sumus: Solum colitur de quo dictum est, Idola gentium, argentum & aurum: pro quo quis, aut iugulatur, aut iugulas, tu expenderis.* Pergo. Psal. 134.

Aurum colitur.
D. Zeno Ver.
Idem.
Diuitiarum pericula.

68. Inuectus in sapientes sæculi, Apostolus: post alia, quibus eorum vitia traducit, pulchrè Idololatriam sic præstringit. *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinē imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium.* Rom. 1. v. 23. quia dum sub hominum, & brutorum figurâ Idola coluere, & sub corruptibili formâ Deum putant inueniendum, eius gloriam spurcissimè profanarunt. Pensa nunc Auari ingenium: quem dum postposito Dei cultu, auide nummis videris inhiare, necessariò Idololatram fateberis. Balduinus, ibi. apud Godefr. *Hoc auari faciunt, qui auaritiam sectantes, postpositâ imagine Dei amant & colunt imaginem nummi, cuius pretium in errore, & stultâ hominum opinione consistit. quid enim sunt argentum & aurum, publica moneta charactere signata, nisi quædam simulacra rerum, & opera manuum hominum? hi sunt, O Auare, hi sunt Dij tui, quos toto corde, totâ animâ, totâ mente diligis: quos præcipuo honore colis, in quibus confidis, in quibus totam spem in omni necessitate ponis.* vt iam, licèt horribilis, non tamen venerit noua illorum stultitia, qui, visis mirabilibus quibus Deus afflixerat Ægyptum, perspecto, in adamantinos parietes suspenso Mari, & in scatiles pluuias cælo diffluente,

Rom. 1.
Balduinus.
Pecunia Dea.

fluente, inque potum dulcissimum tenerescente petrâ: adhuc stolidissimi nihilominus, in sacrilegum vituli cultum declinârunt. *& fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt eum: & mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli*
Psalm. 105. *comedentis fœnum.* Psalm. 105. v. 19. nimirum, aureum fuerat hoc sculptile, Exod. 32.& assueti per immodicam auaritiam nummos diligere, facilè etiam pro Numine coluerunt.
D. Chrysol. Chrysol. serm. 29. *Intuere quid auro grauius, quod cùm mores hominum perdit, perdit & naturam. Aurum, Iudaicum populum sic suo captiuauit aspectu, vicit illecebris, specie perdecepit: vt hoc esse Deum crederent, & Deum verum, Deum tot beneficiis creditum denegarent.*

69. Dan. 3. v. 1. Populos, in sui Idololatriam coacturus Nabuchodonosor, non vtcunque statuam proposuit, sed, *Fecit statuā auream, altitudine cubitorum sexaginta.* Dan. 3. v. 1. quia nihil facilius putauit, quàm pretiosâ materiâ, auri illecebris, homines in eius cultum attrahendos. Pulchrè, (licèt non in hunc locum,) Patrum cultissimus,
Minut. Fœl. Minutius Fœlix, de Diis gentium locutus. *Quis ergo dubitat horum imagines consecratas, vulgus orare, & publicè colere: dum opinio & mens imperitorum, artis concinnitate decipitur, auri fulgore perstringitur, argenti nitore, & candore eboris hebetatur? &c. dum vnusquisque vestrum non cogitat, priùs se debere Deum nôsse quàm colere, dum inconsultè gestit parentibus obedire, dum fieri malunt alieni erroris accessio, quàm sibi credere, dum nihil ex iis, quæ timent, nôrunt? Sic in auro, & argento Auaritia consecrata est*, Ergo auri fulgore, præstrictos volebat adoratores suos, Impius Rex: seque ipsum, sub faciliùs persuasibili Auaritiæ titulo consectare. Hinc ad fortissimos pueros, iustam vt putauit, fundit querelam. *Verè-ne Deos meos*
Dan. 3. v. 14. *non colitis, & statuam auream, quam constitui, non adoratis?* v. 14. quasi inauditum esset, quòd homines, non cuiuis, sed aureo Idolo adorando non succumberent. sed tu mihi pende, ipsam auream sui statuam', in quâ ipsissimus coli cupiebat, Deos suos appellasse; *Deos meos* inquit, *non colitis*? Quid ais barbare Princeps? tu ipse, iam ne tibimetipsi Deus es? te ipsum tanquam Numen colis, te adoras. planè vnam semetipsum iam aureum, licèt insensibilem, se ipsissimo spirante credebat pretiosiorem: & cùm cultus alterius ad alterum referri soleat, miro Auaritiæ ingenio, iste viuus, se ipsissimum aureum adorabat. Dicebam suprà num. 58. Auarum viuum, per summam pœnam, mortuis copulari. Nunc ergo audi Clementem Alexand. in Protrept. de insensibilium cultoribus Idolorum, vbi ita, cum allusione ad serpentem, Protoparentum deceptorem. *Maligna & serpens bellua oculos præstringens, redegit in seruitutem: & in hodiernum vsque diem, homines affligit, barbarorum ritu vt mihi videtur puniens, qui dicuntur cadaueribus alligare captiuos, donec cum ipsis quoque putrescant. Hic ergo malus tyrannus & Draco, quoscunque sibi ab ortu potuerit vindicare, lapidibus & lignis, & aliquibus eiusmodi simulacris, misero superstitionis vinculo, viuos vt dicitur adducens, vnà cum eis sepelit, donec vnà cum eis interierint.* Rarius longe auari Nabuchodonosoris supplicium, qui se viuum, sibi mortuo siue aureo, cogente Auaritiæ tyrannide, sacrilego adorationis vinculo copulabat, 70.
inauditam Idololatriæ conditionem meditatus.

Auarus, semet ipsum aureum adorat.

Dæmonis sæuissima tyrannis.

Sed licèt non æquè, non tamen parum mirabilis via illa, quâ hypocritæ solent ad nummos deuenire: quam, quia rei in qua sumus conducit admodum, elegantissimis Cellensis verbis iam inculco: qui lib. de Pan. cap. 16. ita *Oculum attendit Hypocrita, non Deum: faciem, non fidem: pecuniam, non gratiam: non fruitur Deo, sed vtitur tanquam nummo: & nummo fruitur tanquam Deo. Deo emet Mundum, fide nummum, religione fercuculum, lachrymis vinum, ieiuniis conuiuium, cilicio linum, silentio plausus hominum. Mirabile dictu! Latet iste, vt appareat: tacet, vt audiatur: non sequitur, vt consequatur: recedit, vt præcedat: fugit, vt apprehendat: plorat vt videat: ieiunat, vt satietur. Sic Cancer serpit, sic aliquando anfractus suos vulpis fraudulenta incedit. excubat iste ad templum Sanctæ vanæ gloriæ: & solennes vigilias celebrat sanctissima Auaritiæ*, vt iam apud homines, non solùm sub Auaritiæ nomine, Idololatriæ, sed & huic inauditæ, & mirabili seruiatur.

Pet. Cellens.

Hypocritæ mores.

IV.

Auaritia Principi fœdus morbus.

71.

Auaritia morbus incurabilis pene.

POterat quidem prædicta seruitus, minus vtcunque misera reputari Principibus, si aliunde opibus suis sani, constantésque fruerentur: sed in hâc miseriâ calamitosius, quod morbo & illo grauissimo, vt pote incurabili, laborant. Restituerat Christus Dominus desperatæ sanitati Paralyticum, Matth. 9. v. 7. & additur statim, *& cùm transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio Matthæum nomine: & ait illi, sequere me.* v. 9. Pende copulatiuum terminum: *& cùm*: similitudo quippe miraculorum insinuatur, vt enim egregius artifex proludit aliquando in paruis, vt ad maiora deueniat expeditior: sic visus Saluator, in Paralytici corpore sanando se exercuisse, vt ad difficiliorem paralyticæ animæ curationem, in auaro Matthæo deueniret. Chrysol. serm. 30. *Ille carnis patiebatur paralysim, iste mentis: in illo fuerat compago turbata membrorum, in isto totus ordo fuerat sensuum dissipatus: ille iacebat captus carne; sedebat corpore & animo iste captiuus: ille doloribus succumbebat inuitus, iste vitiis voluntariis seruiebat: Iste sibi innocens auaritia videbatur in crimine, ille se cognoscebat inter vulnera peccatorem: iste lucrorum cumulabat peccata, ille dolorum gemitibus peccatā delebat.* Vtra fœdior credatur paralysis; & horribilior? bene idem Chrysol. paulo ante. *vidit illum sedentem, quia pressus cupiditatis pondere, surgere non valebat. Fratres, deterius sedebat in telonio Publicanus, quàm Paralyticus iacebat in lecto. quia, &c.* Bene ergo successiuè miracula copulantur, quæ satis similitudinis habuerunt: sed præcedit illud Paralytici, quasi diuinus Medicus, quodammodo arte proficiens, & exercito

Matth. 9.

Fœda paralysis.

BIBLIOTECA NAZ. ... ROMA ... EMANUELE

exercito studio, ad fœdiorem Matthæi morbum deueniret, & difficiliorem.

72. *Quandam-do diuinum medicum redidit ad angustias.* Et quidem ita est: sic enim difficulter expellitur morbus iste, vt quandoque aporiari (vtor Apostoli phrasi) videatur Deus, & consilia reuoluere, si quo modo auarus sanari possit. Opulentus iam erat homo ille Euangelicus Luc. 12. qui obduratis visceribus, in horreis fructus suos cumularat: Cùm ecce, quasi *benedicens coronæ anni benignitatis suæ*, nouam Auari agris instillat Deus vbertatem: *Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit*. v. 16. quasi totam, grauidata nimbis, conciperent terræ viscera, fœcunditatem, vt in impij huiusce parerent prouentus. ita ne? & non punitur, in ipso sceleratissimæ auaritiæ aditu, qui horrea refertissima iam concluserat, qui secum fructibus suis incarcerârat? quò tandem pergis diuina Patientia, vetera adhuc nouis cumulans? Respondet pulchrè

D. Ambros. Ambros. serm. 81. *Alias quidem reconditas premebat diuitias, alias vanâ spe inaniter præsumebat, dum benignitas Dei, auiditatis eius intemperantiam, non statim ab initio & continuò, vt publicare cœperit puniit: quin imò reconditas diuitias, nouis & aduentitiis cumulat, si fortè eum aliquando, nimietate ipsâ satiatum, ad sensum & intelligentiam humanitatis adduceret: animámque per abundantiæ nimietatem, suaderet aliquid de indigentibus cogitare.* Pende quæso illud, *Si fortè* quasi enim apotiantem, & inopem consilij, diuinum Medicum quodammodò repræsentat, neque jam ex certo artis præcepto, sed ex contingenti experimento operantem, quod solummodo in desperatis solet vsurpari. Neque tamen curatur miser. Sed, suâ culpâ recrudescente morbo, mortem init: quippe sic altè sensum inueterata paralysis hebetârat: vt etiam remediis aliquibus extraordinariis, (omnia, nec voluit, nec debuit cælestis Medicus adhibere) satis sufficientibus, foret impenetrabilis.

73 *Pestis contagiosa & insanabilis.* Nihil Petro mitius in culpis condonandis: qui ideo labi permissus vt misericordiam consecutus, lapsis subditis misericordiam, medicinam morbidis ouibus indulgentior adhiberet. & tamen ad primam Ananiæ Saphiræque culpam, seuerè districto gladio desæuit, miseros

Act. 5. contrucidans. Act. 5. v. 5. & 10. At vbi pietas, vbi medicina? nulla est: quia ipsi se reddiderant sontes, incurabiles: auaritiæ pestem sponte contraxerunt: nescit hic morbus remediis non

D. Ambros. resistere. idem Ambros. serm. 59. de Anania. *In totius generis* (lego gregis) *purissima villa, tanquam ouis morbida, sola inuentus est: tantâ enim infectus erat auaritiæ pestilentiâ, vt sanctus eum Petrus, non tàm emendare voluerit, quàm damnare elegerat Prou. 22. ejice de concilio pestilentē, & exibit cum eo omnis contentio.* Parum est quod non voluit, ne in cæteros pestis serperet contagium: certè sic erat obductus cordi morbus, sic ægris culpa volita, vt quamuis vellet Petrus curare non posset. testatur id paulò post Ambrosius. *Minus mirandum est, abundare, ub nobis hoc vitium, cum sub Apostolis cœperit pullulare? & si illorum auctoritas hæc in Anania emendare non potuit: nobis quid imputabitur, si eadem in plerisque fratribus corrigere non valemus? in Anania enim Petrus auaritiam si potuisset corrigere non punisset.* Heu! quàm desperatus morbus, quem cælestis Hypocrates, Ecclesiæ Protomedicus, totius artis Princeps deplorauit! Et subdantur huic pesti, sponte Principes, in Populorum contagium deriuandæ? Nefas. Sed subduntur, proh dolor!

Concupierat Achab Rex, pauperculi Nabot vineam, cui extorquendæ machinas admouit, aut meliorem aliam pollicitus, aut iustum pecuniæ pretium paciscens: ad quem Naboth, quasi horridum scelus execratus: *Propitius sit mihi Dominus, ne dem hereditatem Patrum meorum.* 3 Reg. 21. v. 3. Nosti, credo, illam formulam, de Deo propitio, quâ in vtrâque paginâ tunc vtimur, cùm aliquid abominabile, à nobis volumus auertendum. Sed quidem, quamuis aliunde auarus esset Princeps, non ita tamen in hoc negotio, iniqua eius pactio videbatur: quid enim, in hoc mali appareret, si soluto pretio vineam compararet? Respondet D. Ambros. lib. de Nab cap. 3. ita. *Non fiat, inquit, hoc à Deo, vt dem tibi hæreditatem Patrum meorum. quasi quandam contagionem sui pecuniam diuitis arbitretur: quasi dicat, pecunia tua tecum sit in perditionem.* Exhorruit pretium ab auaro contactum iustus Naboth, quasi contagioso pestilentiæ halitu infectum: timuit, ne auaritiæ pestem contraheret accepto pretio. Nimirum serpit ab auaro Principe contagium: nec ipse solùm morbidus auaritiâ, sed insuper subditos miserè inficiens. 74. *Auari pecunia contagiosa.* 3. Reg. 21. D. Ambros.

75. *Auaritia hydrops mirus.* Sed & huius Regis pestem, non absque Hydropis symptomate considera: de quo bene citatus proximè Ambros. cap. 2. *Accessione patrimonij, accessit cupiditatis augmentum: non vult esse deneger votis pauper in desideriis: ita duo intolerabilia simul iungit, vt ambitiosam spem diuitiis augeat, & non deponat mendicitatis affectum, &c ille regni opibus affluebat, & tamen cessionem pauperis flagitabat.* Ecquis hydrops, (trita est in auaritiam huius morbi similitudo: curabo minùs rancida huc congerere) diriori vsquam siti contorquetur? tanto morbo, auare Princeps turpiter laboras. Oraculis commixtas benedictiones indulgebat filiis, iam moriturus Iacob: quas inter ad Aser ita. *Aser pinguis panis eius: & præbebit delitias Regibus.* Genes. 49. v. 20 Cùm

Genes. 49. ipsi iusmet filij, delitiæ viderentur decantandæ: apparatas potiùs ab ipso, Regibus reuelat delitias: quia dum filij, in polinis floridissimi vbertate, fœlicitatem cernit: pariter intuetur necessariò, morbidæ Regum indoli, propterea subiiciendam: nihil enim est pretiosum; quod regius hydrops, quanuis abundantissimus, non sitiat auidissimè. Oleaster ibi. *Hoc malum habet eos, qui aliquid pulchrum, & delitiosum habent: quod non tam sibi, quàm Regibus, & Magnatibus habere videntur.* Morbus iste, quò auidius sibi indulget, sitit ardentius: ignis est, noua identidem pabula perquirens. vnde D. Basilius Magnus, Homil. In aliq. loc. Script. ita. *Auaritia malum stare nescit, aut quiescere: sed ignis naturæ simile; Ignis enim, postquam incendium attigit; omnem properat absumere materiam: nec priùs desistere potest, quam materia defecerit. Auarum autem, quid retinere poterit? igne vehementior est: omnia continuatis, finibus suis occupat: ea quæ sunt vicina sibi aufert: mox alium sectitur vicinum, & quæ illius sunt, ad se rapit: non ea, quæ retrò sunt, attendit, sed quæ his desunt: quare ante se prospicit à vicinis possessa* Oleaster. *Regum rapacitas.* D. Basilius.

deside

desideras, non ob ea, quæ possidet, lætatur, sed ob ea, quibus caret, angitur. germana quidem hydropicæ Auaritiæ hypotyposis.

76. *Rapaces Principum manus.* Mira sunt semper, inque tam crebro præconio, semper nouo mysterio fœcunda, Animalia illa, quæ apud Ezechielem, diuinæ gloriæ thronum circunducebant: sto nunc illis, qui in quatuor istis pulchrè monstrosis figuris, quatuor illos Orbis intelligunt Monarchas, qui tanquam diuinæ vindictæ instrumenta, Populum Israelis, sub variis temporibus, calamitatibus variis afflixerunt. vide ibi Hugonem *Hug. Card.* Card. illud solummodò expendo, cur qui tam diuersi genere erant, nempe Assyrio, Persico, Græco, & Romano: idea sub tam diuersis vultibus expressi, scilicet Hominis, Leonis, Tauri, & Aquilæ; aliunde in hoc maximè conuenirent, quòd omnes sub pennis manus haberent humanas. *Ezech. 1. v. 8.* *Et manus hominis sub pennis eorum, in quatuor partibus.* cap. 1. v. 8. varias causas adducit citatus Hugo, cuius illam, rei præsenti nunc commendo, de quâ ita. *Quia licèt isti Reges essent veloces & impetuosi, quod significatur per pennas: similiter in operationibus suis, callidi & discreti, &c. vel hoc dicitur, propter potentiam rapiendi, & attrahendi,* omnes, sub tam diuersâ nationum conditione, quippe hoc vno Principibus communi ingenio, seu morbo laborabant: quo hydropicorum instar, nunquam satiari, omnia rapere, & attrahere festinabant: quasi humani membri, sub *Principes solummodo rapiendo sagaces.* bruto corpore callidam prudentiam, ad solas exercendas rapinas adhiberent: nec tamen interim vnquam satiarentur. Aptè D. Ambros. serm. 81. *Nec satietas vnquam, nec finis aderit cupiditati. Nam interdum pueris gulæ nimium deditis, indulgemus desideratos cibos nimium sumere, vt nimietate ipsâ satiati, horrescant & auertant se de reliquo, ab huiusmodi cupiditate. Auaritia tamen nihil tale patitur: sed quantò plus inuenerit, tantò amplius quærit.*

77. *D. Pet. Chry.* Adorârunt Hebræi vitulum, sed illum aureum: vt, (quod ex Chrysologo, supra dixi) auaritiam suam consecrarent. Deseuit in iustam vindictam Moyses, quam mirè inde incipit: *Arripiens vitulum, quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Israel.* *Exod. 32.* Exod. 32. v. 20. Deinde districto gladio Leuitarum, ad effusionem sanguinis, immolatis sacrilegis procedit; quod ictus gladiorum, tot millia non euadant, nihil mirum: potentiorum viribus, ignauescentes iam culpâ cesserunt inuiti. illud rarius, quod neque clausisse ora, nec labia compressisse, nec dentes strinxisse dicantur, ne ad execrabilem potum cogerentur: imò potiùs auidissime hausisse videantur, sed quid facerent? immodicus animi hydrops, quasi in membra corporea deriuatus, ebibendo auro, ora facilè *D. Bruno.* disposuerat. D. Bruno ibi apud Godefr. *Bibunt aurum Iudæi, quia cupidi sunt, & auari.* vt iam *Auari Midâ peiores* Rege fabuloso Midâ, & illo auarissimo, longè peiores, hydropici nunc isti habeantur: Midas enim, attactos cibos in aurum versos, potum auro rigescentem, fertur doluisse: isti potabile aurum assumunt auidissimè: & morbido hydrope iam phrenetici, & quasi vanis insomniis delirantes, alimenta ipsa, in aurum sibi con- *D. Ambros.* uersa maluissent. Tales illi, de quibus Ambrosius proximè citatus. *Sicut ij, qui per insaniam mente translati sunt, non iam res ipsas, sed passionis suæ phantasias vident: ita etiam mens auari, semel vinculis cupiditatis astricta, semper aurum, semper argentum videt: semper redditus computat: gratius aurum intuetur, quàm Solem videt. Ipsa eius oratio & supplicatio ad Dominum, aurum quærit: & vellet atque optaret, vt omnia ei in aurum conuerterentur. denique quod potest, frumentum, in aurum conuertere conatur, vinum in aurum mutat, lana ei aurum efficitur: omnes fructus eius, omne quod mouetur, in aurum vertitur.* quasi non tam fructuum solito, quàm auri alimento vti cuperent. Et quidem Rex fabulosus, auarus Midas, priorem orationem, (quâ omnia sibi in aurum verti, à Diis impetrârat) deprecatus: auro tandem præposuit alimenta: hi, vt pote insanâ, grauiori morbo, mente, hydrope sæuiori: aurum potiùs bibere precantur: videant Reges, cui se tandem morbo ingerant, per auaritiam.

V.

Princeps auarus, eo ipso inops.

VT Hydrops, indulto vberiùs potu crescit ardentior: & sitis indulgentiùs habita, 78. *Auarus, eo ipso, inops.* sæuior furit: quia ipsa abundantia potûs, ardorem cumulat: sic auarus Princeps, vt vidisti, possessis multis, desiderio crescit pluribus possidendis, ipsa diuitiarum opulentiâ, famem ingerente. fit tamen ipsâ Dei prouidentia meritissimo, vt non solùm sit inops, quia desiderat: (verissima sunt enim illa Priscorum: *semper auarus eget.* item. *semper inops, quicunque cupit* & similia) sed re ipsâ inops: quia malè cumulatæ diuitiæ euanescunt: & *malè parta, malè dilabuntur.* vtrunque tritum: & ideo breuissimè delibandum. Peccat Israel, & traditur in manus Eglon, Regis Moab, qui solùm rapiendis muneribus studebat. & addit textus de Israelitarum Iudice. *Obtulit munera Eglon Regi Moab: erat autem Eglon crassus nimis.* Iud. 3. *Iud. 3. v. 17* v. 17. non frustrà tunc eius crassa pinguedo exprimitur, cùm munerum rapacitas explicatur: quasi his maximè pinguescere auarus Princeps. sed mira est versio D. Augustini in *D. August.* Sixtian. qui legit: *exilis valde.* quid enim à crassitie longius, quàm exilitas distare potest? sed concordat rem Stephanus Cantuar. ibi. *Al-* *Steph. Cant.* *tera litera habet exilis nimis. iunge simul: Cupidus enim crassus est, & exilis: quia semper auarus eget.* quippe in ipsâ abundantiâ, vt suprà dixi, miser Princeps mendicitatem pati cogebatur.

Diues ille, de quo suprà, qui ad vberes agrorum suorum fructus, exultationis vocem emis- 79. surus videbatur; sic erupit. *Quid faciam: quia non habeo, quò congregem fructus meos?* Luc. 12. *Luc. 12.* v. 17. impos consilij, anxietate miserâ distorquetur. parum id: *quid faciam?* inquit. & quæ *Semper Pauper.* alia egentis vox, & stipem cogere meditantis, dum familiaris rei angustiâ vndique cingitur? bene D. Zeno Veron. serm. in Euang. Luc. de *D. Zeno Ver.* duplic. Tent. (vel potiùs D. Ambros. serm 81. *D. Ambros.*

, sæpe

sæpe citato) ad hunc locum, ita. *Quis non talem misereatur? quis non fœlicitatem eius doleat? angustiatur ex abundantiâ, constringitur & coarctatur ex opulentiâ, infœlix in præsentibus bonis, infœlicior in futuris: & ideo ager ei, non tam redditus largiores quàm gemitus attulit graniores: terra ei non fructuum copiam, sed curarum molestiam germinauit, ita vt curis ac mœroribus stimulatus, egentibus & esurientibus, similes perferat cruciatus. denique & egeni vox ista est, quid faciam? vnde cibus, vnde vestitus? eadem conqueritur & diues: quid faciam, vbi recondam? eisdem cruciatibus pro sollicitudine facultatum, quibus pauper pro egestate, torquetur.* Propterea statim subdit ingenuè professus. *Non habeo quò congregem fructus meos.* bene, *non habet autrum:* quia quæ habet, & quæ non habet, habent se perinde. bene, *non habet*, qui semper auidus quærit, & deesse sibi aliquid, sentit assiduè. Acutior Chrysolog serm. 104. *Audistis, quomodò non habet Diues? ecce clamat, non habeo: verum est: quia non habet semper, qui quærit semper: & non habet vbi congreget, qui vt congreget, sic requirit.* Sic ad mendicitatem detruditur diues auaritia: & sentit effectus inopiæ, abundantia: neque vtcunque, sed illos culpabiliter: quos tamen egestas patitur innocenter. Grauiter D. Ambros. lib. de Nab cap. 6. ad hunc locum. *Clamat se diues, non habere: paupertatis hic sermo est: queritur abundans fructibus, non habeo, inquit, quò congregem fructus. putares illum dicere: non habeo fructus: vnde viuendum est mihi? beatus ne, qui de abundantiâ periclitatur? imò miserior iste in fœcunditatibus suis, quàm pauper, cui periculum de egestate est. habet ille vnde excuset ærumnam, habet certè iniuriam, non habet culpam: iste non habet, quem præter se arguat.*

D. Pet. Chrysost.

D. Ambros.

80. *Auaritia Principis mendica.*

An non id fatentur Principes auari, qui sub donatiuorum nomine, dum pecunias extorquent, re ipsâ mendicare, & eleemosynam petere meditantur? Extorsit tandem vineam Naboth pauperculi, impius Rex Achab: & lapidum grandine obruens misellum, sanguineâ eiusdem pluuiâ, vberes sibi fructus, & saginata olera pollicetur. Sed, qui eò vsque desæuiendum sibi proposuerat: cur initio tam humilis deprecatur dicens; *Da mihi vineam tuā?* 3 Reg, 21. v. 2. ne auaro, mendicitatis professio defuisset. cogitur eleemosynam petere vilis animus: nec auara purpura, mendicitatis centones euitans, nosceretur. ideo citatus nuper Ambros. cap. 2. *Da mihi, inquit. quæ alia vox gentis est, quæ vox alia stipem publicam postulantis, nisi, da mihi? hoc est. da mihi, quia egeo: da mihi, quia aliud viuendi subsidium habere non possum. da mihi, quia non est mihi panis ad victum, nummus ad potum, sumptus ad alimentum, ad indumentum substantia. da mihi, quia tibi Dominus dedit, vnde largiri debeas. mihi non dedit, da mihi: nisi tu dederis, habere non potero. da mihi, quia scriptum est, date eleemosynam. Hæc quàm abiecta, quàm vilia! non habent humilitatis affectum, sed cupiditatis incendium.* Et vrgetur in has sordes regia auaritia, nec potest cupiditatis incendium restingui adhuc, quin semper sub inopiæ affectibus contabescat.

3. Reg. 21.

D. Ambros.

81. *Malè parta malè dilabuntur.*

Secunda pars, quâ malè partas auari Principis opes, malè dilabi, dixi: vt affectu ipso pauper ingemiscat: sic sæpe in Sacro textu inculcatur, & ab expositoribus illustratur: vt nisi acta egerim, nil supersit. Recurro ergo pressius, ad iniqua tributa: quibus dum auari Principes, exhausto populo, satagunt ditescere, eo ipso, aut Numinis vindictâ, aut naturâ rerum sic poscente, in extremam miseriam, & inopiam fœdissimam detruduntur. Nimirum, dum vltrà debitum mulgent, *Maximè in tributis.*

Et pecori succus, & lac subducitur agnis. Virgil.

Sanguinem eliciunt: vnde ergo pereuntibus gregibus, diuites vsquam Pastores perseuerent? Defecerant iam & pecuniæ, & pecora Ægyptiis, quorum pretio, alimenta sibi pridem compararant. Instat adhuc sterilitas, vrget fames: & recurrunt ad eundem, dicentes. *Cur moriamur te vidente? & nos, & terra nostra, tui erimus: eme nos in seruitutem regiam, & præbe semina, ne pereunte cultore, redigatur terra in solitudinem.* Genes. 47. v. 19. Quid vltra optare posset sedulus Regis sui administer? iam à Politico, in dominium despoticum transiret Rex, neque tam subditorum gubernator, quàm dominus seruorum haberetur. Putares ergo vocandos statim notarios, qui pactum publicis tabulis obsignarent: ibique Iosephum, Pharaonis Ministrum fidelissimum pariter describendum: qui sic omnia Regis imperio subiecerat, vt nihil vltrà subditis remaneret. At ille postquam & omnes subditos, & agros omnes emit, addit statim. *Quintam partem Regi dabitis, quatuor reliquas permitto vobis.* v. 24. Et hæc est fidelis administri in Principem diligentia bona, comparatos semel census, à fisco, ab ærario remouere? certè optima. Nouerat nimirum animus prudentissimus, non posse Regem suum diuitem persistere, si populus in miserrimum, exhaustis opibus, statum deueniret: furanda omnia Regi, proinde ad inopiam redigendo, si cuncta sibi à populo corraderet. Exclamat propterea ibi, meritò Oleaster. *In falicia tempora nostra, quibus & omnia Domini sibi volunt: & agricola quidquid possunt domino suffurantur.* Secundum certè ex primo semper exoritur: vnde & iniquis tributis grauatus Populus, æquos redditus Regi suffuratur etiam mendicaturo sceptro ad necessaria.

Genes. 47.

Fidelis ministri ratio erga tributa.

Princeps iniqua tributa corradens etiam iustis defraudatur.

Non contentò tartareo Tyranno, solidis naturæ humanæ tributis, quam miserè captiuam detinebat, morti in dies tradens, & Inferno: in Christum, ab omni tributo immunem conatur desæuire. quidquid esset de Diuinitate occultâ, hominem nouerat: & in homines damnationis exhibens chirographum, illum etiam censère satagebat. quid tunc Christus? *Delens quod aduersus nos erat chirographum: &c. & ipsum tulit de medio, affigens illud Cruci: & expolians Principatus, & Potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso.* Colos. 2. v. 14 Nusquam alibi clariùs ludibrio expositos (hoc est *traduxit*) spoliatos insuper & triumphatos, Tartareos Principes legeris à Christo: credo, quia non alibi manifestior illorum etiam tyrannis denotatur. Habebant impij Exactores, cogendis humanis, in nos chirographum, quod insuper sacrilegâ iniquitate, exequi contra Dominum destinabant. quid ergo æquius, quàm tunc iustis etiam redditibus dicantur spoliari, & in extremam inopiam deuenire: cum iniustis dicuntur inhiare? D. Leo Magnus, serm. 2 de Nat.

82. *Scilicet instar dæmonis*

Colos. 2.

Dæmonis pœna.

D. Leo.

Nat. Christi. *Persistit ergo improbus prædo, & auarus exactor, in eum, qui nihil ipsius habebat, insurgere, & dum vitiatæ originis præiudiciũ generale persequitur, chirographum quo nitebatur, excedit: ab illo, iniquitatis exigens pœnam, in quo nullam reperit culpam. Soluitur itaque lethiferæ pactionis malè suada conscriptio: & per iniustitiam plus petendi totius debiti summa vacuatur. Fortis ille, vinculis nectitur suis; & omne commentum, maligni ipsius in caput retorquetur: ligato Mundi Principe, captiuitatis vasa rapiuntur.* Expertus pœnam similem Baltasar: experientur spoliati quotquot Principes, Tartarei auaritiam Tyranni, pestiferâ æmulatione combiberint.

83\. *idem iterum probatur.*

Nescio quidem quomodo, sed reapse ita fit, vt per auaritiam Principis raptæ opes, non solùm detineri non possint, sed etiam possessas alias secum extrahant, mendicum & hiantem relicturæ; ab eodem exemplo res patebit. venit Christus, vt ipse ait: *Animam suam, redemptionem pro multis dare.* Matth. 20. v. 28. vbi Origenes Homil. 12. *Cui dedit animam suam redemptionem pro multis? nec enim conuenit dicere Deo. ne fortè ergo Maligno? ille enim dominabatur in nobis, donec daretur ei pro nobis redemptio, anima Iesu.* sed quo catholico palato ista deglutienda? quis Redemptoris animam, Dæmoni in pretium traditam libenter audiat? audeat sustinere? qui penderit ipsius Iesu vitam, consimili Mortis tyrannidi commissam. sed vtrobique piissimus Domini astus intercessit. Erant opes vtrique tyranno eripiendæ: erant homines ab Inferni carcere, & ab vnguibus mortis liberandi: quæ ergo aptior ratio, quæ suauior, si fas dici, techna, potuit excogitari: quàm permittere, vt iniquè, proprias Christi diuitias, cum aliis iustè possessis immiscerent, vt hæ, ab illis (necessariò liberis) extractæ: inopes & spoliatos relinquerent Tyrannos? Sic ergo datur Maligno, addit Origenes: *Decepto videlicet & existimanti, quasi possit dominari eius, & non videnti, quod non poterit sustinere, in tenendo eam, tormenta. Propter quod & Mors putans se dominari eius, dominata non est, quoniam erat solus inter mortuos liber, & fortior omni potestate mortis: vt omnes sequi se volentes, qui tenebantur à morte, liberaret à morte: nihil valente postmodum morte.* Rapiat ergo Auarus Princeps non debita, non sua: nil aliud faciet, quàm ipsa, quæ sua fuerant, amittere, vt mendicitatis inopia laboret. sic ab indebitâ & indigestâ esca, non ipsius tantùm, sed aliarum etiam vomitus excitarut: sic inclusus sub terræ cauernis violenter ignis, erumpit illico: nec se solum, sed saxa, metalla, plantas, quæ possidebat Terra, secum trahit: illa interim hiante atque desertâ relinquendâ.

Matth. 20. Origenes. Origenes. *Princeps aliena rapiens amittit propria.*

* * *

R. P. Pinto Ramirez. Monit. Polit.

NOTATIO III.

Qualis futura Principis liberalitas.

VEXARANT tributis immodicis, rapinis sæuis Romani Imperatores, populos suos, subditos miserrimos, quorum & iam testamentis iniquos se hæredes, impiâ lege obtrudebant: qui tamen solito, vt dixi, Auaritiæ supplicio, mendicârunt. Abrogauit pius Traianus, auara decreta: inde ditiore longè fruitus ærario, quod à plerisque vltrò hæres aduocaretur, ad quem proinde Plinius Panegyrista. *Tene Cæsar hunc cursum: & probabitur experimẽto, sit ne feracius & vberius, non ad laudẽ modo, sed ad pecuniam Principi, si hærede illo, mori homines velint, quam si cogantur.* Satis hoc videbatur, vt Princeps meus, quem Baltasaris Antithesim, & Antipodam quodammodo instituo, auertendæ Auaritiæ, & amplexandæ liberalitati animaretur: Sed plura sunt, vt vidisti, vnde contra illam pestem debeat præmuniri: neque pauca, vnde tenendæ huic antidoto, inhiare. Dabit igitur præsens notatio, quàm sit condigna Principis hæc virtus: & quibus conditionibus, vt nitescat integrior, exercenda. 84.

Plinius. *Princeps quò liberalior, eò ditior.*

MONITA POLITICA.

I.

Agnasci debet Principi liberalitas.

IN Imperium diei Sol producitur: vnde in ipso Cælorum meditullio, quarta scilicet sphærâ, regalis illi solii thronus apparatur. est hoc illud Regij Vatis: *In sole posuit tabernaculum suum.* Psalm 18. v. 6. clarius multi codices græci. *ἡλίῳ ἔθετο σκήνωμα, ἐν αὐτοῖς. soli posuit Tabernaculum in eis.* id est. Cælis. Sic & ex Hebræo Vatab. *soli posuit tentorium in eis.* quod in notis, ita explicat: *Domicilium circumscripsit in Cælis ipsi soli: mutarum Creaturarum excellentissimæ, & nobilissimæ.* Quis ergo non putaret, sic conspicuum Principem, creaturarum initio producendum, vt esset primæuus ortu, honoris primicerius? & tamen, non solùm post viliora elementa, caducas plantas, sed etiam post herbas abiectissimas educitur quarto die, & cur ita? Indignum credidit Deus Regiæ excellentiæ, si non iam parato throno Principem constitueret; cùm ergo Firmamentum, vbi pro dignitate ponendus erat, secundo die esset exornandum: necessariò sol postea creandus veniebat; esto. cur tamen tertio saltem die non creatur? Quia æquè indignum foret, si Princeps iam in throno collocatus, sub regii splendoris apparatu, benignæ liberalitatis fluuios non dissolueret, & munificentiam suam non exerceret. Igitur cùm tertio die, plantæ, frugesque germinarent, liberalem solarium radiorum, quo fouerentur tepo- 85.

Psalm. 18. Vatab. *Princeps in throno, liberalitatis radiis enitescit.*

rem suspirantes: aptissimè Planeta Rex, quarto post modum die, Genes. 1. v. 16. creatur: & nunquam absque throno fuisse: nec vnquam in illo throno, quin statim benefaceret largus, intelligeres. Dat his lucem Seuerianus, in cat. Par. ad hunc locum. *Cur etiam neque solem, primo die fecit? quia nondum praetenderat firmamentum, vbi locandus erat Sed neque adhuc virebant fruges, quæ eius calore foueremur.* quasi vt indecens Princeps absque throno, sic nec in illo conspicuus absque liberalitatis influxu videretur. [Seuerianus.]

86. Instituebat Christus discipulos suos, dicens: *nolite timere, pusillus grex, quia complacuit Patri vestro, dare vobis regnum: vendite quæ possidetis? & date eleemosynam* Luc. 12. v. 32. vbi vocantur ad regnum, statim priscum priuatæ conditionis habitum deponere coguntur: & meritò: indecens enim Princeps, nisi in regio throno, & regalibus insignibus conspicuus. bene ibi Chrysol. serm. 23 *Plebeium cultum, regia non admittit potestas: augustus honor, non nisi diademate confertur, & purpurà. abiicere ergo debet habitum seruitutis, qui se regem credit diuinitus consecratum.* Nihil æquius. Sed nonne satis ad hoc erat, si plebeium cultum deponerent in cellariis: aut venditas priuatas possessiones, suis postea impendendas vsibus retinerent? Certè non satis: vt enim degener Princeps, absque regii cultûs maiestate: sic degener maiestas, nisi liberalitatis fulgore radiârit. Idem S. Doctor, ibidem. *Peculia pristina libertatis, iam diuitijs, iam regijs ditatus opibus qui reseruat, captiuus miseria, se nescit esse fœlicem. Est consuetudinis, est animi fœlicis, vt adscitus ad regnum, quod fuit proprium, quod priuatum mox parentibus, mox propinquis ciuibus indigentibus, liberaliter prorogârit: ne sit mendicus animo, qui censu functus, & honore.* quasi cum regiis insignibus stemmate, liberalis spiritus, & animus magnificus necessariò induatur. [Luc 12. v 32. — D. Chrysol. *Princeps regio cultu insignis.* — *Sed illo degeneri, si absit liberalitas.*]

87. Angusti ergo animi, spiritus mendici, fuere oliua, ficus, atque vitis, quæ ab arboribus ad thronum inuitatæ, ne priuatos suos fructus deserent, Regnum recusârunt. Iud 9, v 8. non tamen imprudenter professæ, necessariò sua, aliis dispertienda liberaliter, si vellent pro dignitate imperare. Sed mira est responsio Rhamni, cùm illi tradere sceptrum arbores decreuissent: dixit enim. *Si verè Regem me vobis constituitis, venite, & sub vmbrà mea requiescite: si autem non vultis egrediatur ignis de rhamno, & deuoret Cedros Libani.* v. 15 clarius in Hebræo. *Si bonâ fide, vngitis me vobis Regem, &c.* apud Vatab. vnde enim, cum prædictæ tres plantæ, nihil de bonâ legationis fide dubitarent, solummodò suspiciosa Rhamnus exhibetur? Nouerat se ab aliis, auari posse ingenij denotari; nam spinosa cùm sit, & dumosæ tenacitatis: non tam dare sua, quàm vellicare & retinere aliena, & vel etiam prætereuntis gregis vellera sibi carpere, Rubus solet. quo nihil ab indole regiâ alienius. Meritò ergo timet, ne forte, doli hîc aliquid intercederet: nec poterat, non stultescens, cæteras arbores stultas sic habere, vt sibi minus liberalem Regem constituerent Sic Principi agnosci debet liberalitas. Vnde pulchrè Capitolinus, in Antonio Pio. *Huius primum hoc fertur: quòd cum ab vxore argueretur, quasi parum nescio quid suis largiens; dixerit Stulta postea quam ad Imperium transiuimus: & illud, quod habuimus antea, perdidimus.* [Iud. 9. v 8. *Princeps, sua suis liberaliter impensurus.* — v 15. Vatab. — *Suspectè lurè regnat, ni liberalis.* — Capitol. *Ad regnum euectus, etiã priuata communia fecit.*]

Sic enim ab Imperio credidit alienum, aliena rapere: vt non solùm publica, è Regno comparata: sed etiam priuata quæuis, in subditos liberaliter fundere, putaret necessarium, vt suprà monebat Chrysol.

II.

Et illa è bonis propriis exhibenda.

ET bene, è propriis suis bonis, commendatur Antonius liberalis: tyrannicum enim est, alios deglubere, vt alios adornes: perdit operam in liberalitatis gloriâ sectandâ, lucratur auaritiæ infamiam, quisquis Princeps, ex subditorum rapinis amicos ditat: aut Populo, ipsius Populi impendiis, putat adblandiri. Ideo Plinius suprà citatus ad Traianum. *Nihil magis, in tua liberalitate laudauerim, quàm quòd congiarium das de tuo, alimenta de tuo: neque à te liberi Ciuium, vt ferarum catuli, sanguine, & cedibus nutriuntur. quódque gratissimum est accipientibus, sciunt dari, quod nemini est ereptum: locupletatisque tam multis, pauperiorem esse factum Principem tantum: quanquam nec hunc quidem, nam cuius est, quidquid est omnium, tantum ipse, quantum omnes, habet.* Certè ferinum est, vnde alios spolias, alios locupletari, & aliorum cruore, aliorum purpuras adornare. Viderat fortasse, Iacob in Principibus Benjamin, ingenium tale: ideo ait: *Beniamin lupus rapax: manè comedet prædam:* (Scholium in Sixt. ἁρπάζει, *rapiet* prædam) *& vespere diuidet spolia* Genes. 49. v 27. quasi potentiæ fœlicitatem, sed hoc maculandam næuo, Tribui bellicosæ prophetaret. Et bene, qui cùm rapiat, simul tamen diuidere dicitur, solummodò *Lupus rapax* appellatur: quia quantumuis diuidas, & impertias, si tamen ex rapto id feceris, nunquam liberalitatis, sed semper rapacitatis titulo appellaberis. Noua fortasse explicatio, sed quę litterę aptior venerit, quam nonnullæ ex iis, quæ afferuntur. De suo ergo det Princeps, qui Populi fauorem aucupatur. 88. [*Tyrannus, de alieno liberalis.* — Plinius. — *Hæc Tyrannis, ferina est.* — Genes. 49. Sixtian.]

Duxerat Assuerus Estherem, cui diadema cum corde simul tradiderat: parârat Principibus conuiuium splendidum: & subdit Textus: *& dedit requiem vniuersis Prouinciis, ac dona largitus est iuxta magnificentiam principalem.* Cap 2. v. 18. & quibus largitus est dona? Principibus credo & amicis: vnde Vatab ex Hebræo legit *Fercula regia*, quasi apophoreta. & xenia, in prædicto conuiuio, exhibita familiaribus, denotentur: & in Notis: pro ferculis etiam *Munera* reponit; illud adhuc dubium, cur inter conuiuium, & ipsius conuiuij munera amicis porrecta: requies data Prouinciis vniuersis, interseratur? vt rem capias, expende, quæ nam sit requies ista Prouinciarum Lxx. in Sixt. vertunt: *& remissionem fecit ijs, qui sub regno suo.* Vatab. *Remisitque Prouinciis.* quod deinde in notis, clarius sic exponit. *Id est minuit Tributa Prouinciarum.* quasi vnà Populi requies, minutio sit tributorum: quando ex illorum aggrauatione, tot soleant tumultus exoriri ad rem. Optimè dum dona diuidit nuptialia apud amicos, minuere Populi tributa, dicitur Assuerus: ne quis putaret, auari Principis instar, Populum expilâsse, vt ditaret amicos: sic enim forent illis munera gratissima, quod nemini essent 89. [Esther. 2. 18. — Vatab. — Lxx Interp. Vatab. *Imminutio tributorum, requies populi.*]

erepta. Hæc certè eſt *Principalis*, id eſt condigna Principe, *Magnificentia.* Pulchra proinde ad hunc locum, Politica Dionyſii, qui ita. *Iuxta magnificentiam Principalem, id eſt Regalem, & Imperialem: videlicet, liberaliter valde. quod eſt contra Præſidentes, qui in nuptiis ſuis, aut ſobolis ſuæ, grauant ſubditos ſuos exactionibus ſeu munerum exhibitionibus, quas requirunt.* quod quidem nihil aliud eſt, quàm publicis luctibus, priuata ſibi feſta adornare, & cruentis, ferarum ritu, ſpoliis, aulicos ſuos paſcere, & nutrire.

Dionyſ. 5

Luctuoſa populis, Principum ſolemnia & nuptiæ: ob tributa.

90\. Abſit hoc malum à Principe meo: de ſuo det, ſi Piis fortè, & non potiùs Canibus, grata munera meditatur: nec enim, niſi impio cordi, placét acceptata à Principe, quæ ſibi metipſi non dempta cognoſcantur. De Primitiis Deo offerendis, ſic Moyſes ad Principes Iſrael. *ſeparate apud vos Primitias Domino. omnis voluntarius, & prono animo, offerat eas Domino, aurum, argentum, &c.* Exodi 36. v. 5. Lxx. in Sixtian. vertunt. *ſumite à vobis ipſis demptionem Domino.* Signanter ponitur, *à vobis ipſis.* nec liberales erga ſe Principes æſtimat Deus, qui de expilatis ſubditis munera offerunt ad Altare: qui ſub phantaſticâ pietatis vmbrâ, Templum erigunt, poſt innocentis ciuis proſtratas ædes: quaſi ab harum ruinis, illius poſſint culmina piè exurgere. Nec ſolùm, à *vobis ipſis*, ait: ſed *demptionem* ſubiungit: vt liberalitas, non è ſuperfluis, (quæ ſemper rapinarum aliquid inuoluunt) ſed è neceſſariis, & ſibi adimendis, ſit exhibenda. D. Auguſt. hîc tom. 4. lib. 2. quæſt. 168 *Demptionem ſane interpretati ſunt Latini, quod Græcus habet ἀφαίρεμα: appellata eſt autem demptio, eò quod ſibi demeret, qui Domino offerret.* Sic Ingenui Principum amici, his ſolummodò donis gaudent, inſtar Dei, quæ non miſerorum rapinis comparantur: ſed è Principum liberali ærario expromuntur; nec aliter apud Prudentes regalis liberalitas commendatur.

Exod 35.
Sixt.

Phantaſtica pietate, è rapinis templa Princeps erigit

Liberalitas non è ſuperfluis.

D. Auguſt.

III.

Neque iterum ſundenda.

91\. ASſuerus, vt vidiſti, non ſolùm Principes muneribus cumulauit, ſed & Prouincias, imminutis Tributis, liberalitatis ſuæ participes effecit. Hæc eſt verè *Principalis Magnificentia:* & digna regali ſpiritu generoſitas: ſi datâ occaſione, omnes, & ſimul nouerit beare. Hinc Plinius Paneg. enarratis pluſculis beneficiis à Traiano in Orbem diffuſis, ſic concludit. *Quæ ſingula, quantum tibi gratiæ, diſpenſata adieciſſent? at tu ſimul omnia perfudiſti: vt ſol & dies, non parte aliquâ, ſed ſtatim totus, nec vni, aut alteri, ſed ſtatim omnibus.* nimirum ſol, vt ſuprà dicebam, in Regem creatus, non debuit aliter condignam Principis magnificentiam exercere: totus diffluit in donum & ſimul omnibus. Hinc eſt vt cum ad Myſterium, Simon Sacerdos ſummus, Princeps egregius, Lunæ aliquando veniret comparandus, non cuiuis ſed plenæ aſſimiletur. *Quaſi Luna plena, in diebus ſuis lucet.* Eccleſ. 50. v. 6. Luna ſiue corniculata arcuetur, ſeu protuberet mediata, quibuſdam tantùm, & non omnibus noctis periodis ſplendet plena ſolummodo, iam quaſi Solis æmula, regales ſpiritus comburit, nullam noctis partem, luce vacuam dimittit. D. Antonius de Pad. ibi. Dom. 12. poſt. Trinit. *Quaſi Luna plena, quia tunc tota nocte lucet; ſic vir iuſtus, omnia genera peccatorum attendit, & omnibus compatitur.* nullum præteribat miſerum, Princeps piiſſimus, quem ſibi regali fouendum liberalitate non putaret: neque hanc regiam præſumens, quæ in omnes diffundi moraretur.

Liberalitas ſuſpecta, ſi vni tantum addicitur.

Plinius.

Princeps in omnes magnificus.

Eccleſ. 50.

D. Anton.

92\. Scilicet ſuſpecta eſt beneficentia illa, nec Regem decens quæ cùm omnibus poſſit, vni tantùm, aut alteri ſolet ſubuenire. Deſcribens Ioannes miraculum illud Probaticæ Piſcinæ, ſubdit. *Angelus enim Domini deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam, & mouebatur aqua.* non ita facilè apparet ratio, cur neceſſarium crederet Euangeliſta, non ſolùm Angelum, ſed inſuper Angelum Domini nuntiare, quaſi timeat, ni id exprimeretur, fore vt poſſent aliqui, Angelum hunc Satanæ exiſtimare. quid ita? pende quod addit: *& qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat.* Ioan. 5. v. 4. vnus tantummodo, ad Myſterij certi obſeruantiam, cæleſti beneficio fruebatur at certè aliena foret hæc nota apud prudentes, à diuinorum donorum conditione, & regaliſſimi Numinis ingenio, qui ſingularitatis myſterium ignorarent, ideo addi cautionem, ſuſpecto aliunde miraculo, & non in omnes diffuſo, habuit Ioannes neceſſarium. Propterea fortaſsè beneficium hoc tenue Deus executurus, non occultâ virtute, (quæ Deo immediatè tribui poſſet) ſed miſſo Angelo aquam permouebat: quia cæleſtis beneficij ſingularitatem Miniſtro poſſent homines aſſignare: quibus, à Domino Regum Rege, vniuerſale vndique ſperabatur. ſic res euênit. Acutè Chryſoſt. Orat. de Reſur. tom. 6. *Piſcina erat aquarum, illucque Angelus deſcendebat, & aquas mouebat, deinde poſt aquæ motionem, æger vnus ingrediebatur, & lauabatur: vnus ſolus quotannis ſanabatur, ſtatimque gratia conſumebatur: non propter eius qui dabat egeſtatem, ſed propter eorum, qui accipiebant infirmitatem, & deſcendit Dominus Angelorum in Iordanem & aquam mouit, & vniuerſum Orbem ſanauit, &c. Iudæis quippe gratia data erat infirmis & egenis.* Itaque quando infirmis, & proinde limitaturis gratiam, hæc erat concedenda; ſeruus mittitur: quando tota accepturis infundenda, Rex ipſe condignè ſe beneficum manifeſtat.

& vnde ſuſpecta.
Ioan. 5.

Chriſti liberalitas.

D. Io. Chryſ.

93\. Cognitâ Lazari morte, ait Chriſtus ad Diſcipulos. *Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos.* Ioan. 11. v. 14. qui nimirum viſo miraculo reſurrectionis, erant tenacius fidei adhæſuri; deſcendit tandem Chriſtus ad ſepulcrum, & additur, *& lachrymatus eſt Ieſus.* v. 35. Mira mutatio! auditâ morte gaudet, qui amicum ſuſcitaturus lachrymatur: lætatur dum perdit: quem acquiſiturus nunc luget, ecquo myſterio? non mœroris ſed gaudij erant lachrymæ illæ: iam tunc enim prælibata reſurrectione, diem illum poſtremum in memoriam referebat, quo, inquit Chryſol. ſerm. 64. *Omnes eſt mortuos perpetuam ſuſcitaturus ad vitam.* quia ſic propria Cæleſtis Regis, in conferendis beneficiis vniuerſalitas: vt iam memoriâ vniuerſalis reſurrectionis titillaretur. Magis mirum, & aptius rei præſenti id quod ſequitur. *Infremuit ſpiritu, & turbauit ſe ipſum.* v. 34. & *rurſus fremens in ſemetipſo.* v. 38. Hæc

Ioan. 11.

D. Pet. Chr.

planè doloris potiùs, & iustæ cuiusdam commotionis: quàm lætitiæ lachrymis exhibitæ, signa sunt. Vnde ergo tam diuersa affectuum mixtura? dicam quid cogitem, & trita aliàs verba Chrysologi, nouo fortasse comptu venustabo. Hæc ergo, ni fallor, secum Saluator pijssimus reuoluebat. Cogit me suauissimus, piæ huius familiæ Amor, sororum charitas, vt miraculum operer, quo quamuis ipse, aliique affecti probè, sint in fide profecturi: Turbæ tamen adstantium, periculum est ne noceat: in Lazaro enim, è visceribus iam terræ singulariter excitando, aliquid obstrepit, quod in defunctis aliis singularibus, è lecto, vel è feretro, excitatis nuper, non obstarat. Credunt Iudæi, in nouissimo die, beneficâ Supremi Regis voce (huc Martha v. 24. alluserat) è sepulchris mortuos omnes suscitandos. Nollem ergo ne sua culpâ inde me Principem, æterni Regis filium dubitarent: quod beneficium sub regali vniuersalitatis stemmate promissum: quasi degeneri notâ ad vnum singulariter, viderer coarctare. Id si noluit Chrysol. citatus, certè insinuauit, subdens. *Fremit spiritu, & totâ se viscerum commotione conturbat, quia adhuc solum Lazarum, & non iam omnes mortuos suscitabat.* Sic propria, liberalitatis Regiæ, communitas, suspecta singularitas.

Beneficia Christi, nisi communia sunt suspecta.

D. Pet. Chrysol.

94. *Inferni dura tenacitas.*

Sed sunto hæc vera, pro commotis, & piè turbatis visceribus Saluatoris. At quidem fremitus ille creber, aliquid sancti zeli, & piæ indignationis videtur immiscere: quod etiam ad rem præsentem, expendendum. Cui quæso indignabatur Christus, in quem fremebat? Si Chrysologo credimus, duram intus, cum tartareo Tyranno gerebat, de suscitando Lazaro, contentionem: ideo serm. 65 post multa, & illa elegantissima, sic subdit. *Nam quare Christus vincula inferni dirupit, mortis ligamenta dissoluit: nisi vt nobis monstraret, Inferni tremendam seruitutem? Nam si de Moysis corpore, Diabolus Angelo contradixit: quo modo non Tartarus Christo, de vita, & resurrectione Lazari contradiceret?* Triumphat ergo tandem æternus Princeps, & opima spolia, Lazarum à Tartaro eripit excitatum. Sed pende, qualis prodeat. *Prodijt qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus institis: & facies illius sudario erat ligata.* v. 44. Mirum dictu! auarus Orcus, qui nequiuit corpus: saltem in futuræ mortis pignus & cautionem, mortui ligamenta non retineret? Certè non est minuta Orci auaritia: sed auctus metus, excreuit trepidatio. Nouerat probè supremi Regis indolem, & timuit diutiùs litigare: Cauit ergo, ne si quas moras necteret, in soluendo, in spoliando defuncto: iustè Princeps iratus, & solito communis liberalitatis genio indulgens: pro vno, omnes mortuos suscitaret. Non sic auderem nisi florido acumine Chrysologus ibidem præiret, sic scribens. *Tunc Tartarus, ligatis manibus & pedibus, Lazarum retulit ad superna: timens & tremens, ne dum solus, ne dum moras facit, ne dum tardius refert vnum: omnes cogatur afferre.* Omnes enim, (quæ erat Regis nostri benignitas) volebat dissoluendos, omnes affectu dissoluit: quamuis temporis circunstantiis deseruiens, vnum interim effectu liberaret. Bene ergo exhibet se turbatum, vt tantis indiciis, singularis beneficij purgaret suspitionem, vt discat meus Princeps, solùm sub necessariis omnino circunstantiis, tutè in vnum regiam liberalitatem, limitari.

D. Pet. Chry.

Ioan 11. 44.

Tartarus Christum trepidat.

D. Chrysol.

Scilicet, quàm est trita, est vera sententia viri docti, qui expendens promissum illud liberale Tartarei Tyranni ad Christum, postquam omnia Mundi regna illi ostenderat: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Matth. 4. v. 9. dixit: *Omnia, & vni tantum: partitio est Diaboli, Inferni liberalitas.* Pius Princeps non vni, omnia, sed omnibus suis velit communicata, ne consortij dæmoniaci, ipsa dona suspecta videantur. Instituit Hæresiarcha Menander, nescio quem Baptismum, secreti balnei, & vni tantùm aut alteri patentem. Irridet hunc Tertullianus, comœdo prisco, & fabularum actori Menandro, comparans hæreticum: deinde eius fallaciam, occultam pestem, hinc maximè detegit ad rem nostram. *Quod hoc Menandri balneum? comicum credo. Sed cur tam infrequens, tam occultum, quo paucissimi lauant? suspectam enim faciam tantam raritatem securissimi atque tutissimi Sacramenti, quo et nec pro Deo ipso mori lex est: cum contra, omnes iam nationes ascendant in Montem Domini, in ædem Dei Iacob, mortem per Martyrium etiam flagitantis.* Sed meritò homines, Baptismo Christi accurrebant, quamuis inde ad Martyrium cogerentur: quia in hoc Sacramento, Notam supremi Regis agnoscebant, quòd scilicet omnibus commune pareretur. Meritò, licet tutissimum videri posset, sacrilegum Menandri Sacramentum respuebant, quod sub dæmonis stemmate, vni tantùm, aut alteri præberetur.

95. *Dæmonis liberalitas ad vnum.*

Matth. 4.

Tertul.

IV.

Sed, in omnes.

Licet dum priuatam Principum, in vnum vel alterum, damnamus liberalitatem, in omnes, quo ad fieri possit, fundenda obiter insinuetur adhuc tamen pauca in idem, seorsim congerenda. Præualuit in Orbe fames Ægyptum alias fertilem affligens pariter: & addit Textus: *Qua esuriente clamauit Populus ad Pharaonem, alimenta petens.* Genes. 41. v. 55. Ad vnum Regem, non è populo quidam, sed vniuersus populus accurrit, panem postulaturus: & quid aliud filii famelici, a Patre suo solent postulare? Quis panem, & cum clamore, ab alio petit, quasi exigens potiùs, quàm rogans, nisi illum Parentem recognoscat? Nouerant certè, qualis deberet esse Regis Indoles, & qualis regiæ indolis liberalitas. Rex nisi erga subditos, Patrem agat, degenerat: at Pater, non vni, sed filiis omnibus debet alimentum. Nesciat Parentis Regis liberalitas coarctari, ne in dominicam Tyrannidem degeneret. Oleaster ibi. *Mirum valde est, quod ad Regem, vt panem praberet, irent: vt hinc Reges discant, non esse tam domini, quàm Parentes omnium suorum: & curent temporalia etiam suis administrare: & vereantur Christiani Reges, hac negligere, videntes hac gentilem curâsse.* Hinc apud Isaiam Cap. 3. Inuitatus quidam ad Regnum, sic se excusat: *In domo mea non est panis, neque vestimentum, nolite constituere me Principem Populi.* v. 7. illa potissimum protulit, quibus cura paterna impendi solet: nouerat non vni, aut alteri, sed vniuerso populo, se horum debitorem, si Rex foret: Maluit Regno quàm communi Regis liberalitati renuntiare, Oleaster citatus. *noluit ille esse Princeps, quia non habebat*

96. *Dei vero ad omnes.*

Genes 41.

Princeps instar Patris alendus.

Oleaster.

Isa. 1. 3.

Regis insigne liberalitas.

Oleaster.

habebat ad dandum: vt eos ostendat non debere Reges esse, qui nihil dant. Imo quamuis dent, si vni tantùm aut alteri, & non vniuersis subditis prouiderint, iam regalis & paternæ liberalitatis lineam defraudant: quâ omnes filij vt communi amoris vinculo, sic communi indulgentiæ habentur blandimento.

97. Ideo murmuranti populo, & deserti sterilitatem deprecanti, ait Dominus. *vespere comedetis carnes, & manè saturabimini panibus: scietisque, quod ego sum Dominus, Deus vester.* Exod. 16. v. 12. Hæc est supremi Principis piissima dominatio, Catholicis Regibus relicta in exemplar: vniuersi populi sui miseritus communiter subuenire. Et bene, qui tot prodigiosa miracula exhibuerat, in populo hoc ab Ægyptiis liberando: illis omnibus quasi prætermissis, hinc vnicè se dominum vult agnosci, quòd suis omnibus, paterna liberaliter dona sic dispertiat: quando tyranni Principes, hinc dominatum suum probatum putent, si in spoliandis omnibus occupentur. iterum hîc Oleaster. *Manus Domini est, suis necessaria prouidere; considera quæso, in quo se dominum suum ostendat, non in bonis auferendis, sed dandis: non in exigendo ministerio, sed in donis exhibendis.* quasi iam, non quasi subditos sibi computare possit Princeps, quos à liberalitate suâ ieiunos dimittit: & vt omnibus subditis dominus agnoscatur, omnium debet curam gerere liberalem Hinc Plinius ad Traianum suum, communi orbis, sibi subiecti fami prouidentem. *E Cælo nunquam benignitas tanta, vt omnes simul terras vberes foueatque: hic, omnibus pariter, si non sterilitatem, at mala sterilitatis exturbat: hic, si non fœcunditatem, at bona fœcunditatis importat: hic, æternis commeatibus, Orientem Occidentemque connectit: vt quæ vbique feruntur, quæque expetuntur: omnes gentes inuicem capiant, & discant, quanto libertate discordi seruientibus sit vtilius, vnum esse cui seruiant: quippe discretis quidem bonis omnium: sua cuiusque, ad singulos, mala: Sociatis autem atque permistis, singulorum mala ad neminem, ad omnes, omnium bona pertinent.* Ergo Temporum, cælestiumque vicissitudinum maior cura Principum, (cælestes enim influxus, nunc has, nunc illas beant Prouincias; & licèt simul bearent: diuersos tamen fructus, alibi denegatos, producunt alibi) in omnes simul exuberet prouincias: & perpetuis commeatibus, alterius bona, inuicem alteri communicet: sic subditi sub vno seruient fælicius, quam si discordi fruerentur libertate.

Exod. 16.

Dei munificentia communis.

Tyranni index auaritia.

Oleaster.

Plinius.

discordis libertatis mala.

98. Irrideat Prudens Monarcha, falsam illam delusi vulgi sententiam, quâ putatur, commune omnibus inditum beneficium neminem promereri; neque se obligatum inde fateri priuatim aliquem, vnde communitas tota præsumitur obliganda. deplorandæ & obcæcatæ, hoc fuerit mentis indicium. Bene Quintil. Decl. 9. *Terentium, quem inter cæteros captiuos, secundo Punico bello, Scipio Africanus vinculis exsolueras; memoria tradidere Maiores, Insigne receptæ libertatis, pileo testantem, in Triumpho Ducis esse conspectum. & ille quidem, maioris momenti accessione publicam senseras fœlicitatem, priuatim tamen, debere se putauit victoriæ beneficium.* Et quid ni, maioris momenti accessione publicam ponderaret fælicitatem: qui in se priuato semel, at in tot aliis, communi beneficio affectis, multipliciter se senserat obligatum. Hæc, communis beneficii fœcundior vsura, apud animos non ingratos; vt non solùm pro se quisque, sed insuper pro omnibus se senserit obligatum. Minus piè de diuinis beneficiis sentiret Princeps Catholicus, si inde crederet, languidius sibi Deum homines colligasse communi beneficentia: vnde iste, illos arctius retinuisse existimauit. Quid, quod quandoque illius generis solet esse commune Principis beneficium, vt vnum idémque, quod vni, siue paucis communicatum, hos tantum promereretur, si in omnes diffundatur: (quod in honoris, & libertatis gratiis, vsuuenit) non solùm singillatim omnes, sed omnes iterum in singulis sic deuincit: vt iam plus pro se singuli debuerint, quàm cateruatim vniuersi debere videantur Pulchrè Eusebius Gallican. in Exhort ad Pleb. obtrect. *Sed forsitan dices, quid me constringis, quasi solus acceperim? quid me in publico munere, priuatâ lege obligas: in munere vtique, quod omnibus Deus, in communi largitus est? vnumquenque specialiter, non constringet ad debitum generale beneficium. Non ita est: nec ideo vnus minus debet, si & alius idem debeat: Christus enim sicut pro cunctis passus est, sic pro singulis: sicut ei totum debent vniuersi, sic totum singuli: sed quodammodò plus singuli, quam vniuersi: quia quantum acceperunt singuli, tantum vniuersi? sed ex hoc vnusquisque magis putatur obnoxius; dum videtur omnibus executus.* Satis hæc de cõmunis beneficii lucro: nam quantum beneficus Princeps sibi indidem comparet, infra delibandum. Pergo.

Beneficia non minuuntur quia communia.

Quintil.
Imò singuli pro omnibus obligantur.

Eufeb Gal.

V.

Vt quandoque Minores ipso obliget: quò solet etiam Maiores deuincire.

Habet hæc communis Principis Beneficentia, aliquid adhuc singulariter adnotandum. Non vero proportionem in beneficiis, à Principe obseruandam (de quo alibi.) Scio plebeios aliter: aliter fore Proceres decorandos: nec semper, quæ donantur nobilibus, vilioribus aliis expedire; volo tamen, vt quandoque, & sub certis circunstantiis, quas vrgentes suggesserit Prudentia, sic Principis mei exundet benignitas, effluat liberalitas, vt & minores nouerit eo vel honore, vel dono decorare, quo ex paribus meritis, etiam maiores ipsi decorantur. Est hoc regalis indolis egregium monumentum, apertissimum supremæ Potentiæ, in benefaciendo testimonium, valere de communi Parentis spiritu, imos, cum deceat, summis adæquare. Inuitârat Romanos Senatores, Trabeatos Proceres ad epulum, Imperator Domitianus, quos inter, ob ingenii laudem, Statium etiam è plebe, accersiuit: qui ad illum lib. 4. Sil. 2. ita. 99.

Principis beneficentia, plebeios quandoque Proceribus adæquet.

Statius.

Ast ego qui, sacra, Cæsar, noua gaudia, cœnæ
Nunc primũ dominâ quæ dedit cõsurgere mensâ:
Quâ celebrem mea vota, Lyrâ? quas soluere grates.
Sufficiam?
-mediis videor discumbere in astris
Cum Ioue: & Iliacâ porrectum sumere dextrâ,
Immortale merum.

Quasi solummodo Dei liberalitas, aut huius

æmulatrix beneficentia, gratiam etiam Proceribus osculandam, Plebeio communicare posset, & dignaretur. & non contendat Princeps pius, hinc sibi etiam laudem promereri?

100. Toto triennio prædicans, quæsiuit Christus anxiè Peccatores: neque vllis vnquam conuertendis, se clarius manifestauit, quàm cæco illi vilissimo, Ioan. 9. v. 37. & Mulierculæ Samaritanæ, cui de Messiâ Christo quærenti dixit: *Ego sum, qui loquor tecum.* Ioan. 4. v. 26. Mira gratia, rarissimum beneficium! an non satis, si hanc attrahendam (prætereo nunc Cæcum, perinde se habentem) cupiebat: quod publicè in Samaritanorum vrbe prædicaret: & cum aliis, quos conuertendos destinabat, mulierculam etiam attraheret cateruatim? Certè ad conuersionem fæminæ satis: sed non satis, ad regalis suæ beneficentiæ monumentum; anhelat, sudat, & fatigatus ex itinere sedet suprà fontem: vt illi singulariter, viuam reuelationis huius aquam propinaret. quid ita? Nonnullis Apostolorum suorum, id est, cælestis Curiæ Proceribus, priuatæ reuelationis beneficium fecerat, vt Petro: aut facere destinabat, Paulo scilicet. Nouit ergo Regiam suam decere Munificentiam, si id quandoque Minoribus non negaret: Si fæmellæ inter cælestes Ciues collocandæ communiter, id concederet: quod Paulo in Principem eligendo destinabat; fauet cogitationi Chrysost. tom. 6. de Samarit. vbi ita. *Quod soli Paulo fecit, qui ad tertium vsque Cælum ascendit, qui raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ terrarum orbem lagenâ: ... hoc multo ante, Samaritana fecit. Paulo se reuelauit è Cælo, dicens: Ego sum Iesus, &c.* Act. 9. *Samaritanæ, Ego sum, qui loquor tecum.* Discant obiter Proceres, non dedignari, acceptum à Rege pro beneficium, quod viliori, sed optimè de Rep. merito, nunc prius concessum: quando nec Paulus, priuatæ reuelationis gratiam paruipendit, quam sciuit à Mulierculâ prælibatam.

Ioan. 9. v. 37. & 4. v. 26.

Christo quam pretiosa cuiusque anima.

D. Ioan. Chr.

Discant proceres beneficiam regis non eruere, quod à plebeio deliberatum.

101. Contulerat Dominus, suauissimum, Prophetici spiritûs, beneficium in seniores duos è Populo Israel: & ad ait Textus. *Cùmque prophetarent in Castris, occurrit puer, & nunciauit Moysi, &c.* Numer. 11. v. 27 scilicet, vt hunc, in illos ad iram prouocaret. quin & *Iosue, Minister Moysi, electus è pluribus ait: Domine mi Moyses, prohibe eos.* v. 28 Non ne nouerant isti, Moysis prudentiam, quid factu opus fuerit, penetrantem? Quid ergo iram prouocant mitissimo: & sapientissimo consilium obtrudunt? Non Moysi, sed sibi ipsis immodicè attendebant: nobiliores se, vt par est, putabant, quò excellentiori Domino ministrarent: credebant autem temerè, minùs dignum iam Moysem existimandum: si priuata, quæ à Deo acceperat beneficia: minoribus aliis forent communicata. At Moyses: *Quid, inquit, æmularis pro me? Quis tribuat, vt omnis populus prophetet: & det eis Dominus spiritum suũ?* v. 29. Norât diuini Principis ingenium inde liberalitatem suam testari solitum, quòd sæpe eodem beneficio minores obliget, quo etiam maiores solet deuincire: ideo non vni, aut alteri, sed omni si expediret populo, hoc vellet communicatum. Oleaster ibi. *Quemadmodum multi Domini, nolunt habere pares, ita & sæpe famuli eorum, neque tam pro Domino æmulantur, quam pro se. Seruus Dei omnes volunt sibi similes, & prælatos esse: non sic autem homines sæculi?* Reprobus ergo habe, non Dei

Numer. 11. v. 21.

v. 28. *Serui, sibi consulentes, dũ pro Domino visi æmulari.*

v. 29.

Oleaster.

Procerum inuidia erga plebeios.

seruos, Proceres illos: qui Principibus ministrantes, regalissimam illi inuident liberalitatem, ne in tenuiores alios, similiter quandoque diffundatur.

Nihil enim, vt dixi, Potentiam regiæ liberalitatis probat augustiorem, quam quòd Deo assimiletur; & summis æquare quandoque iacentia, pusillos conferre magnis queat. Laudabat Regius Vates, diuinam beneficentiam concordibus collatam, dicens. *Sicut vnguentum in Capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron: quod descendit in oram vestimenti eius.* Psal. 132 v. 2. Erat vnguentum hoc Sacerdotem inungens, & sanctificans, occultioris gratiæ symbolum apertissimum: Corporis vnctio, sanctificatam animam significabat; bene ergo quod caput, quod genæ atque barba inungatur: quid tamen vestimento cum mysticâ vnctione? quid non vtcunque vestimentum, sed extrema fimbria eius, ora vltima, exundat oleo sancto? Nimirum, non vt ibi persistat, sed vt quodammodo, aquæ ductus gratiæ fiat, ipsa vestimẽti ora: & dum pedes tangit stillas pedes inrigat. Nesciit beneficẽtia diuina, in solis capitibus, in Proceribus cælestis Curiæ, tantũmodò efferuere: ad pedes vsque, in Ecclesiæ suæ corpore, ad infimos exuberans descẽdit. Ideo Leuit. 14. v. 18. Oleum sacrum, non solùm Capitis auriculam, sed etiam pedis pollicem attingebat. Petrus Cellens. lib. de Panib. cap. 24. *Tingit pedem suum oleo: quia ad oram vestimenti, scilicet vltimi fidelis, exundat infusio gratiæ distillantis de monte Sancto: sic enim benedicit pusillos cum magnis: à capite enim defluit, sed non deficit.* Videtur autem in vestimento Christi, Ecclesiam denotare Cellensis, cuius etiam extrema ora, id est pusillus quisque inungatur. quod ad rem nostram perinde est.

102. *Summa inuidia beneficia æquare regalissima.*

Psal. 132.

Leuit. 14.

Abbas Cellens.

Accusauit Siba, Dominum suum Miphiboseth, apud Dauidem, læsæ Maiestatis: ad quem tunc Rex: *Tua sunt omnia, quæ fuerunt Miphiboseth.* 2. Reg. 16 v. 4. detegitur postea calumniatoris iniuria, purgat se apertissime, probatâ innocẽtiâ Miphiboseth: & tamen perstat Dauid dicens. *Fixum est, quod locutus sum: tu & Siba, diuidite possessiones.* ibidem, cap. 19. v. 29. Exclamat re perpensâ, ibi Lyranus. *Attendendum, quantum adulatores, & detractores, sint periculosi Principibus: quia Dauid. vir Sanctus & Iustus. verbis Sibe adulatoris, & detractoris, fuit ita captus & inuolutus: quòd hæreditatem Miphiboseth domini sui, ei concessit, in absentiâ Miphiboseth, & eo non audito: & quod peius est, postquam audiuit Miphiboseth se verè excusantem: non retractauit dictum suum iniustum totaliter: sed seruum suum pessimum, fecit æqualem domino: quem tamen debuisset suspẽdisse propter falsam accusationem domini sui, de crimine læsæ Maiestatis.* Non est animus excusare penitus Dauidem, sed culpam, non indecoro titulo imminuere. Magnum putauit, si Miphiboseth virum Principem, Saulis Regis Nepotem, paternâ beasset hæreditate: sed maximum, quod hoc noxio credito, eiusdem seruum condignum existimatum, ad Principis erigeret fælicitatem: in primo, aliquam: in secundo, extremam regiæ beneficentiæ lineam attigisse, sibi visus. Ergo quamuis postea, rei certior factus esset: dolens, si tantum gloriæ specimen, tantæ liberalitatis gloriam rescinderet: curauit, vt saltem pro dimidio perduraret. Et quidem si vmbra gloriæ

103. 2. Reg. 16.

& 19. v. 29. Lyranus. *Adulatoria pesta apud Principes.*

Imos in summum euehere, Principis Nota.

riæ, ab iniquo gesto huius modi, captatur prudentissimo Regi: quò non putent, solidæ se Reges excellentiæ deuenturos: si pie & æquè quandoque, tantò liberalitatis deuinciant minores, quantò potuerant maiores obligare? vide infrà à num. 207.

VI.

Beneficentia Principis, promißaque: precibus non vendenda, difficultatis artificio.

104. *Beneficia precibus non vendenda.* Panegyrista. CAueat autem meus Princeps, impiæ illius beneficentiæ ingenium, quâ nonnulli Reges, vt habet Panegyrista: *Beneficijs suis commendationem ex difficultate captant: gratioréſque accipientibus honores arbitrantur, si prius illos desperatio, & tædium, & similis repulsa mora, in notam quandam, pudoremque vertunt.* Non dat, sed vendit beneficium, qui sic erogat. Nihil apud ingenuos homines, cariori emptum sibi existimant: quàm quod pretio precum comparарunt. Regiæ indoli, plusquam satis, indigentium vota haberi debent. Hoc est diuini Exemplaris (quod, Principi quem instituo, semper & vnice attentum, volo) ingenium suauissimum. Mira quidem inuitatio illa Dei, apud Isaiam: *Sitientes, venite ad aquas: qui non habetis argentum, properate, emite, &c. venite, emite absque argento, & absque vllâ commutatione, vinum & lac.* cap. 55. v. 1. si gratis tot bona comparaturi dicerentur, nulla foret, à diuinâ beneficentiâ, ambiguitas: sed cur empturi dicantur: quibus non solùm pecuniæ pretium, sed etiam cuiusuis rei, etiam precum, absoluitur commutatio? quia foret indigna Deo beneficentia, si semper longis precibus dona sua taxaret: satis putat indigentium vota sitibunda, vt si non iustum, pro tantis beneficiis, pium tamen, pro tantâ liberalitate, pretium, intercedere, videatur. D. Gregor. Nazianz. Orat. in sanct. Baptisma. *O miram beneficentiæ celeritatem! O fœlicem contrahe di rationem! hoc bonum, solo voluntatis pretio, emendum sibi proponitur: appetitionem ipsam. Deus ingentis pretij loco habet, sitit sitiri, bibere cupientibus, potum præbet: cùm ab eo beneficium petitur, beneficio id ducit: prompta, munificâ, atque prolixâ natura est: iucundius dat, quàm alij accipiunt.* O quàm non vendere cupit, qui sic vendit! quid, ni? solo voto petentis beneficia, beneficium quodammodo sibi putat irrogari: vocat sitientes, aquam gratiæ accepturos, ardentius sitiens ipsam communicare: iucundiusque dando, quàm alij accipiendo satiatur.

Dei beneficia erogat non rogata. Isai. 55.

Beneficium etiam desiderio emitur.

105. Ioan. 11. Resuscitaturus Christus mortuum Lazarum, ait: *Pater, gratias ago tibi, quia audisti me.* Ioan. 11. v. 41. nullas preces Christus fuderat ad Patrem: & tamen iam se audiri contestatur: nimirum, non erat precibus opus illi, qui, quâ Verbum, communem habebat cum Patre potestatem: cui, quâ homo, solius voluntatis insinuatione, omnia debebantur. agit ergo gratias, quod prima desiderantis insinuatio audiretur. obscurius est, quod sequitur. *Ego autem sciebam, quia semper me audis: sed propter populum, qui circumstat, dixi vt credat, quia tu me misisti.* v. 42. Nam vnde credat? si non audiuit preces populus, sed actas grates: poterat, (quæ erat eius indoles blasphema, Christum alibi, de Dæmonii, cõmercio incusans) non ad Deum in Cælis, preces fusas, sed tacitas ad Dæmonem, calumniari. Vnde ergo fidei hinc ansa porrigatur: vt à Deo, venisse Christum, crederetur? quia populus iste, licèt in Christum impius, at nouerat ex lege & Psalmis supremi Regis Dei beneficentiam, quæ præparationem cordis audire solet, Psalm. 10. quæ Moysem, intus cupidum, interpretatur clamantem, Exod. 14. Nouerat Tyrannum infernum, etiam ipsis suorum clamoribus surdescentem: 3. Reg. 18. v. 28. non ergo poterant edito miraculo, à Deo Christum venisse, Deique beneficentiam hîc exercitam non fateri: cuius tam clara indicia in ipsa celeri facilitate agnoscebant. Et fortasse propterea Christus quà homo, noluit in hoc loco fundere ad Patrem preces, vt solebat, nedum se, quà talis, fatetur minorem, regiam Patris liberalitatem minorare videretur, quæ hominum saluti, non nisi post longas preces indulgeret. Acutè Chrysol. serm. 65. *De præstito agit gratias, & quod Pater audierit, hoc dicitur; quod filius petierit, hoc tacetur, &c. vacat inuocandi cura, vbi fiducia est audiendi: aut quid ibi faciat petendi labor, cui præstandi, est causa communis? nemo ergo sic filium minoret precibus: ne Patrem, circa salutem hominum, sic minoret.*

desiderii vox.

Ioan. 11.

Psalm. 10.

Exod. 14.

4. Reg. 18.

Probat se Deum quòd non rogatus eroget. Chrysol.

106. Epictetus. *Solarem in dolem in dando Princeps imitetur.* Sibi ergo maximè dictum habeat Princeps, Monitum illud Epicteti Philosophi, apud Stobæum: *sicut Sol, preces & blandimenta non expectat, vt exoriatur: sed statim surgit, & ab omnibus salutatur: sic tu nec plausus expecta, nec strepitus, vel laudes, vt benefacias: sed sponte benefac: & pariter ac Sol, omnibus charus eris.* Est ista Planetæ Principis germana liberalitas: nec solùm, non spectat preces, sed visus vltrò precari; cur enim tam auide obiecta ambit, rimas penetrat: nisi quodammodò, in communicanda luce, ostiatim precabundus? didicit è Iustitiæ Sole meliore. Audi hunc apud Michæam. *Popule meus, quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi?* cap. 6. v. 3. Non ne, sic se inuitat, sic ambit rogans, vt blandimenti paterni beneficia càpiamus? O quàm est alienus, vt longis precibus diuendat beneficentiam, qui accepturos ipsos sic precatur! Multa de hac Christi liberalitate Chrysol serm. 108 qui tandem, in hæc verba, ita. *Audi alıter rogantem Deum: Popule meus &c. non ne dicit: si Diuinitas ignota est, vel caro sic nota: videte videte in me corpus vestrum: membra vestra, vestra viscera, ossa vestra, vestrum sanguinem: & si quod Dei est timetis: quare quod vestrum est, non amatis? si Dominum fugitis, quare non reuertitis ad parentem?* Nihil beneficentius potest cogitari. Multum dixisse credidit Pacatus in Paneg. Theodosii Imp. cum dixit, tam celerem fuisse in promissis liberalibus: *vt tunc accepta viderentur, cùm sponderet: quia vota hominum minus fallebat, ne quidem fatigabat: neque adhibebat muneribus artem difficultatis.* Sed quantò diuinus Imperator liberalior, qui non solùm non fatigat petentes, sed etiam fatigatur, vt promissa illis præmia, accipiant.

Mich. 6.

Rogat nos Deus vt beneficiis eius fruamur.

Pacatus. Promissa Principis celeriter implenda.

107. *Ars difficultatis in pro-* Indecorum putet, aulici moris abusum, Princeps excellens: quo in muneribus promissis, *ars hac*

missionibus implendis apud Principes. hac difficultatis exercetur: quàm piissimus Theodosius meritò auertebat. videas hodie post ingentia subditorum obsequia, merito præclarissima, non iam præmia & officia, sed publico diplomate horum promissiones consignari: vt miseris spes præmii, (quæ sæpe, aut post longas defatigationes serò impletur, aut numquam implenda, miseros ipsos hiantes, relinquit sæpius) pro præmio habeatur. Non veto piis Principibus promissiones, dum sic dona promittunt, vt tunc accepta videantur, cùm spondent, qui non fallunt subditorum vota, spem non defatigant: neque adhibent muneribus artem difficultatis: qua dum illos pendentes semper à se volunt, aut numquam implent, aut per infame commercium, precum pretio, vendunt implementum. Ideo *Seneca.* Seneca lib. 2. de Benef. cap. 4. *Alia deinde post rem promissam, sequuntur moræ: nihil autem est acerbius, quàm vbi, quod impetrasti, rogandum est. repræsentanda sunt beneficia, quæ à quibusdam accipere, difficilius est, quàm impetrare.* sed hodie, proh dolor! & impetrare gratiam, & illam, post longæ spei tormenta, accipere, æquè difficile: ars enim illa difficultatis, vtrobique studia sua iam distendit.

108. *Genes. 12.* Longè alius cælestis Curiæ stylus. Promisit Dominus Abrahæ, vberrimam Prouinciam, eius filiis statuto tempore tradendam, Genes. 12. v. 7. & additur ibidem. *Ædificauit ibi altare Domino, qui apparuit ei.* Quid vltrà faceret Patriarcha, si terram illam iam acciperet, quam altare erigere, victimas immolare? credat diuinis promissis, quod acceptis videbatur expendendum. Neque mirum: quasi iam sibi *viderentur accepta, cum sponderet* Dominus: vt pote tam alius, ab humano Principis, promittentis ingenio. Oleaster. *Gratiores erant, & sunt Sancti, promissis Dei: quam nos simus beneficiorum exhibitioni: Norunt enim Sancti, Dei promissiones, esse beneficiorum exhibitiones: quemadmodum hominum exhibitiones vix sunt promissiones, &c. vbi simul considera, quòd eadem parte, quâ capit promittere, cœpit & præstare, & fortè ideo duxit semen Abrahæ ad Iericho, vt principio: Ios. 6. subiiceret sibi Hai ciuitatem: quo in loco, (vt hic dicitur) fecerat promissionem.* Quid non statuto tempore, absque votorum lassamento, precum fatigatione, arte difficultatis, præstaret beneficia: qui loci etiam circunstantiam obseruauit? quàm sæpè promissiones Principum, præuenit subditorum desperatio! Satius semel cadere habent, quam semper pendere: Nullus strangulante fune, suspenditur è palo: cui quamuis subtus, immensum fossa terra dehiscat, funis torquentis præcisio, non venerit dulcissima. & credat in spei Cruce acerbiore, sub crebro precum suspirio, subditos sibi, Princeps promeriturus? pulchrè citatus Seneca. *Nihil est æquè amarum, quàm diu pendere: æquiori quidam animo ferunt, præcidi spem suam, quam trahi. Plerisque autem hoc vitium est, ambitione prauâ differendi promissa: ne minor sit rogantium turba: quales regiæ Potentiæ Ministri sunt quos delectat superbiæ suæ longum spectaculum: minusque se existimant posse: nisi diu multùmque, singulis, quod possint, ostendant. Nihil confestim, nihil semel faciunt: iniuriæ illorum præcipites; lenta beneficia sunt.* Et quidem nescio, an præcipites horum iniuriæ, an lenta beneficia sæuius torqueant, Scio saltem, nihil

Diuina promissa, pro acceptis.
Oleaster.
Non sic humana Principum.
Seneca. Ministrorum pompa de negotiis dilatis.

sic morosos, & malè [illegible] Principes, à subditis sibi gratiæ conciliari [illegible] in beneficio grati, quod sub longo [illegible] pridem oderant? non parcam [illegible] *verissimum existima, quod ille Comicus dixit: quid? tu non intelligis, tantum te gratiæ [illegible], quantum mora adiicis? Inde, illæ voces, [illegible] dolor exprimit: Fac, si quid facis: & nihil est tanti: malo iam mihi neges. vbi in tædium [illegible] animus, incipit odisse beneficium dum expectat: potest ob id, gratus esse?* Certè non potest. *Seneca.*

Sic ergo promittat Princeps, vt statuto, licet quandoque longo beneficium tempore [illegible] exactissimè: non tam multi anni ex compacto: quàm breuis, sed insperata mora, precibus nouis redimenda, ingenuum sperantis pudorem solet distorquere. Imò & quandoque; quod paulo post facere decreuerit, paulo ante promittat: est quippe non rarò, promerendis suorum affectibus, regiæ liberalitatis stratagema pulcherrimum. Timuerat Iacob, impij fratris durissimum furorem: dúmque anxiatur: *Ecce vir luctabatur cum eo vsque manè:* Genes. 32. v. 24. Angelus nimirum, qui sponte humanis antagonistæ viribus succumbens, certam illi è fratre reportandam victoriam nuntiabat: ideo exclamabat: *si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis?* v. 27. At quando Iacobo erat tantæ victoriæ beneficium conferendum? eodem die: quid ergo opus erat promittere, quod tam breui, facilius dandum erat? Respondet ibi Oleaster. *Solet Dominus, suos reddere certiores bonorum suorum, vt bis lætentur, semel in spe, & iterum in re.* Hæc decora, non tàm *difficultatis* quàm facilitatis ars, Principi meo, in beneficiis venerit exercenda: non solùm quia citò dabit, bis dabit, quod vulgò dicitur, sed ipsa promissione, tam absque nouis precibus implendâ, ter dabit. quin imò & si diplomata post longum tempus adimplenda expediat, dummodò ex beneficâ illius indole iam constet, statuto puncto fidem regiam liberandam: diutinâ spe, non tam suos torquebit, quàm exhilarabit: qui spem ipsam vt longum & continuum osculati beneficium, lentas rei moras gaudio pertransibunt, de quo infrà. Sed quàm aliter res hodie eueniat: quàm sub incertâ spe malè promittentis Principis, gemant promissarij: plorat adhuc citatus Seneca his verbis, quæ Iustos ab hâc Monarchas peste deterrebunt. *Quemadmodum, acerbissima crudelitas est, quæ trahit pœnam, & misericordia genus est, citò occidere: quia tormentum vltimum, finem suum secum affert: quòd antecedit tempus maxima venturi supplicij pars est: ita maior est muneris gratia, quo minus diu pependit: est enim bonarum etiam rerum sollicita expectatio; & cùm plurima beneficia, remedium alicuius rei afferat: qui aut diutius torqueri patitur, quem protinus potest liberare, aut gaudere beneficio suo tardius, manus affert. Omnis benignitas properat: & proprium est libenter facientis, citò facere. qui tardè dedit, & diem extrahens profuit, non ex animo fecit: ita duas res maximas perdidit, & tempus, & argumentum amicæ voluntatis. tardè velle, nolentis est.* Plura subdo.

109. *Promissis certis subditos afficere, Prudentiæ Principis stratagema.*
Genes. 32.
v. 27.
Seneca. Promissa dilata quàm torqueant.

VII.

VII.

Et sæpe maiora irroget, quàm rogetur.

110. AT neque solùm, non moraturus Princeps muneribus impendendis, implendis promissionibus, sed sæpe in liberalitatis regiæ stemma, longè irrogaturus maiora quam rogetur. diminuta foret capacitas beneficentiæ Principis, quam humilia quandoque postulantium vota adæquarent: Nec digno Regio animo dabit, quæ precator vilior, vel etiam à priuato poterat obtinere: excedat angustias precum augusta generositas: & vltrà petentis abiectè limites, dantis impetus excurrat gloriosè. Humana exempla cumulant vbique profanæ Politicæ scriptores: Principi pio, salubrius diuina veniunt apponenda. Rogabat è Cruce latro: *Domine memento mei, dum veneris in Regnum tuum.* Luc. 23. v. 42. Memoriam sollicitat tenuis deprecator: satis secum fieri putans, si Rex reo, curam, vel etiam leuissimam adhiberet: at iste, quid? *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* v. 43. Ambrosius ibi. *vberior est gratia, quàm precatio. semper enim plus Dominus tribuit, quàm rogatur: ille enim rogabat, vt memor sui esset Dominus, cùm veniss. in regnum suum: Dominus autem ait: hodie mecum eris in Paradiso.* Vt throni consortè beneficus haberet, quem patibuli consortem clemens non exhorruerat. Sed parum istud. Putârat latro, multum sibi impetrandum, si ad limbum deductus, protractis, vsque ad Iudicis Christi aduentum precibus, benigniorem memoriam mereretur. Scilicet sub primis crescentis fidei rudimentis, etiam in cælesti curia, *Artem difficultatis*, præsumpserat in muneribus. Sed Christus: *hodie* inquit, &c. quod pulchrè sic expendit Eusebius Gallic. Homil. de B. Lat. post alia. *Videamus, quid inter ista respondeat & diues, & larga Dei bonitas, quæ sicut excedit vota, ita gratiam adtingit ad merita. Hodie inquit: tanquam si diceret: quid me, ô fidelis Descomes, & vnicus tanti testis Triumphi, quid me tantopere exorádum putas, vt in die Iudicij mei, meminerim tui? Quid me, ad præsentem retributionem paratum, longè dissimulas? quid in futura sæcula, fidem in te perfectam fatigas? hodie mecum eris in Paradiso: tanquam & paternâ sede.* quasi non solùm celerrimus beneficij largitor velit haberi: sed etiam votorum egregius superator. non defatigat difficultatis artificio, suorum fidem: qui, dum expedit, & subitò, & maiora tribuit, quàm rogatur.

Princeps bmaiora tribuat, quam rogatur.

Luc. 23. 42. v. 43.

D. Ambros.

Christi liberalitas cumulat & accelerat beneficium.

Euseb. Gall.

111. Promiserat Deus Abrahæ, legitimam è Sarâ sobolem, in æternas progenies dilatandam: qui trepido commotus gaudio, visus de Ismaelis sui vitâ dubitâsse, ne fortè concesso filio nobiliore, ignobilior hic, quem etiam diligebat, tolleretur è medio: ideo visus subdere: *vtinam Ismael viuat coram te.* Genes. 17. v. 18. & addit Deus; postquam iterum Isaac confirmat promissionem. *Super Ismael quoque exaudiui te: ecce benedicam, & augebo, & multiplicabo eum valde: duodecim gentes generabit, & faciam illum in gentem magnam.* v. 20. Pende mihi, illud *Ecce:* demonstratiuum quippe est: ac si dicat: en tibi aperta signa, quod te exaudierim: benedicetur, augebitur, & in illustres familias dilatabitur Ismael. Ecquid hoc rei? non ne exaudire aliquem, est hoc illi concedere, quod petierat? planè. Nunquid aliud, præter quàm Ismaelis vitam petierat Abraham? Nihil. Vnde ergo exauditus dicitur: cui cum Pueri vitâ, tot alia conceduntur? quia non ad auarum hominem, sed ad Deum, liberalissimum Regem, preces fuderat: cuius illud est proprium, vt tunc exaudire dicatur: cùm non solum postulata concedit subitò, absque superbo illo difficultatis artificio: sed insuper supplicum preces excedit, & vota. bene proinde ibi Oleaster. *Habes hic, quàm breues fuerint Sanctorum orationes, & quam facilè à Deo exaudiantur: & plura quàm petunt illis concedantur a Domino. solum dixerat sanctus Senex, vtinam viuat: Dominus autem, non solùm vitam, sed seminis propagationem, & nobilitatem maximam pollicetur.*

Genes. 17.

Non tanquam Princeps dabis, si maiora non dederis, quàm rogaris, idq; celeriter.

Oleaster.

112. Senserat se, in delitiis habitum, apud Deum, Moyses: ideo familiaritatis fiduciâ erumpit petens: *Ostende mihi gloriam tuam.* Exodi 33. v. 18. In quo, non tam visionem beatificam peti, quàm ruptâ nebulâ illâ, & nube lucidâ, sub quâ illi solebat apparere: clariorem aliquam notitiam postulari, credit ibi Oleaster. Tunc Deus ad Moysem: *Ego ostendam omne bonum tibi.* v. 19 de quo ita Oleaster. *Expende Dei liberalitatem, qui plus dat, quàm petamus nos. petierat Moyses, eius videre gloriam: ipse verò pollicetur, omne bonum suũ, illi ostensurum.* quod quidem satis erat ad rem præsentem. Sed maius, licèt obscurius, est quod addit Deus: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & viuet.* Aliquam *facialem* (vt eius verbis vtar) *visionem*, postulâsse Moysem coniectat hinc Oleaster: quod tamen minus probo: quod enim non peteret omnino claram & beatificam ipse sentit: quod non phantasticam aliquam formam, oculis vel imaginationi obiiciendam, inde patet, quod hæc iam olim Patriarchis, & fortè ipsi Moysi in Rubo, absque vitæ periculo cerni potuit. Quid ergo est, & quare hîc negat Deus, quod certè ipse Moyses non postulârat? cautio, ni fallor est, quâ Deus, regiam suam liberalitatem in tuto voluit collocandam. quasi dicat: Petis à me, aliquam gloriæ meæ notitiam clariorem: at ego pro benefico Diuinitatis ingenio, multo maiora indulgentis, quàm rogatur: non solùm bonum omne; cuius es capax: sed etiam ipsam essentiam apertissimè exhiberem: si id, mortali adhuc homini, absque vitæ discrimine, fieri expediret. Ac si minora petenti amico, non solùm maiora concederet diuina beneficentia: sed se insuper excusaret, quod ideo maxima alia non tribueret: quia sine accepturi periculo fieri non deceret. Non abest ab hac vltimâ clausulâ Oleaster, licèt in superioribus, à me dissonet: ideo sic concludit. *Solet homo, sæpius sibi nocitura a Deo petere: sed pius Pater misericorditer negat. Petebat sanctus vir, faciem Dei sui videre, & quia hoc fieri, citra mortis eius discrimen non poterat: non obtinuit, quod ignorans petebat.* Pergo.

Exod. 33.

Idem de Principe. Oleaster.

Excusat se Deus quod ob incapacitatem nostrã maiora non tribuat.

Oleaster.

113. Corrodebant impiè Christum Pharisæi, quod ad homines diuerteret peccatores, quòd cùm publicanis manducaret. At ecce. *Rogabat illum quidam Pharisæus, vt manducaret cum illo: & ingressus domum Pharisæi, discubuit.* Luc. 7. v. 36. vt non solùm illis aliis, vtpote de humilitate digerioribus, facilem & liberalem se præberet: sed hos etiam

Luc 7. v. 36.

Christus plus tribuit quàm rogetur.

etiam superbiâ tumidos non auerteret. Sed quid est, quod nunquam Christus, hos ad epulum vocatores arcet? quod cum hominibus, tam familiariter manducare, semper dignatur? epulum iam Eucharisticum meditabatur, hominibus suo tempore tribuendum gaudebat summa illa liberalitas, ab hominibus rogari, vt manducaret cum illis: quo assueti cum Deo manducare, idque in magno beneficio reponentes, ad maximum illud, (manducandi ipsum Deum) suauius & benignius, eleuarentur. Neque enim, solùm tribuit, quæ rogantur: sed vel statim, si expedit, maiora tribuit: vel saltem suo tempore disponit danda. D. Chrysol. ibi. serm. 95. *Semper Deus maiora tribuit, quam rogatur: nam se manducandum dedit, qui rogabatur, vt manducandi secum fiduciam largiretur. & tamen sic hoc dedit, vt illud, quod postulatus est, non negaret.* Tale est illud apud Marcum 8. *Adducunt ei cæcum, & rogabant eum, vt illum tangeret.* v. 22. leuissimum tactum rogabant, quibus satis ponderis beneficio inesse videbatur, si pannosum pauperculum tangere dignaretur. quid tunc liberalissimus Princeps? *& apprehensâ manu Cæci, eduxit eum extra vicum.* v. 23. vt fieret ipse, dux cæci, lapsuri baculus: totam porrigit manum familiariter contrectandam: cuius vel nutus leuis cupitam lucem poterat impertiri. idem Chrysol. serm. 176. *Illi rogabant, vt tangeret eum: sed Christus, qui horrere ne scit pauperem, pauperem scit amare: totam dedit pauperi manum, & debilitati Deus publicam præbuit seruitutem: vt homo, non horreas hominem.* Fit publicus Cæci seruus, monstrator viæ, supremus Princeps, vt liberalitatem suam cumularet. gratius fuerit Cæco acceptæ lucis beneficium: mihi certè, porrectæ ad ducatum dextræ gratia, (quæ per tot alios poterat præstari) vt tenerior, sic pretiosior reputatur.

Eucharistiâ nobis face ... Christus. — *D. Chrysol.* — *Marc. 8. 22.* — *Pauperes familiariter tractandi* — *D. Chrysol.*

114\. Transfigurato Christo, & emissâ de Cælo voce, eiusdem Diuinitatis testatrice, cadunt discipuli, præuio lucis vmbraculo obuelati, ne præconij magnitudine obruerentur. *Ecce nubes lucida obumbrauit eos, & ecce vox.* Matth. 17. v. 5. Noua commixtio! Si nube velandi erant: cur illa lucida? Si luce confirmandi, cur nubilosa? quia in throno gloriæ, & regiam Maiestatem exhibens Christus, non solùm quæ rogatur, irrogat: sed insuper eximiis incrementis, dona cumulat. Petierat paulo ante Petrus: *Faciamus hic tria Tabernacula.* v. 4. quæ tamen, si fortè constructa, sic protegendos defenderent, vt eosdem necessariò obumbrarent: quantum enim ramorum, aut pellium scenis congererent, tantum sibi lucis adimere cogebantur. Ecce à Christo, augustius longè conceditur Tabernaculum: quo sic obumbrantur protecti, vt non propterea indidem lucescant minùs: Nubes sed illa lucida apparatur in scenam, quæ sic tegimen præbeat, vt lucem non prohibeat. Origenes ibi, Homil. 3. *Deus prohibens Petrum facere tabernacula tria, in quibus habitarent, secundùm voluntatem illius: ostendit vnum, & melius, & multò præclarius tabernaculum, quàm ille facere cupiebat. Tabernaculi enim, hoc est proprium opus, obumbrare aliquos sub se: lucida autem nubes obumbrans eos, diuiniorem & splendidiorem recompensationem, exemplo suo, demonstrabat eis futuram, quæ protegeret, & simul illuminaret.* Sic ex mente Origenis, non solùm in præsenti, excellentius tabernaculum, discipulis iam præbet Nubes lucida: sed etiam futurum aliud longe diuinius repromittit significans. Eo vsque, diuina iam beneficentia extendebatur.

Matth. 17. — *Dei tegumen sic obumbrat, vt lucem nõ arceat.* — *Origenes.*

Inuitârat Sponsa Christum, dicens: *veniat dilectus meus in hortum suum.* Cant. 8. v. 1. pro magno acceptura beneficio, si veniret. & bene *suum* dixit sponsi, qui tamen ipsiusmet sponsæ erat, quia vt habet Gellibertus serm. 40. *Non ait, veniat dilectus meus in hortum meum: sed hortum suum. Iure quidem in suum: quoniam ab ipso datum, & ipsi debitum.* vt hâc humilitate, Dominicæ beneficentiæ capacior adblandiretur. Quid ad hæc Christus? venit illicò: ideo subdit: *veni in hortum meum, Soror mea Sponsa.* ibidem. vbi Gellibert. *Vehemens amator est Dominus Iesus, ad vnam inuitationis vocem aduolat libens, in hortulum sponsæ, quasi præuolat, & præuenit in maturitate.* Satis grande hoc foret beneficium. Sed crescet adhuc, vt maiora consequatur sponsa, quàm rogârit: si (licet hebræa & græca repugnent exemplaria) illud verbum, in latinâ versione æquiuocum *Veni*: non in Præterito capias, sed in Imperatiuo, Id est, *venito.* de quo tandem Gellibertus, ita. *Accipiatur hoc verbum Imperatiui sensus, & aptè cohærebit, quod dicit, veni. non est piger, non parcus retributor, sed in continenti Sponsam redinuitat.* Immane quantum precibus, præstet beneficentia! vnde etiam capies, quid sit illud eiusdem Sponsæ. *Osculetur me osculo oris sui? quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.* Cant. 1. v. 2 Expende quæso, priùs tanquam ab absente, osculi, id est suauis alicuius doctrinæ beneficium suspirâsse: & statim tanquam ad præsentem iam loqui, vberaque & vnguenta commendare. tam celer beneficentia aduolauit. Sed quid est, vt quæ osculum, id est ab ore verba expetierat: pectoris potius dotes hîc commemoret? quia liberalissimus largitor, roganti tantummodò verba doctrinæ, totum pectoris penetrale, & cor ipsum, diuinæ thesaurum scientiæ reserauit: insperata & longe maiora tribuens, quàm rogaretur. Hoc voluit ibi D. Ambros. lib. de Isaac. Cap. 3. *illa osculum poposcit: Deus Verbum, se ei totus infudit: & nudauit ei vbera sua. hoc est dogmata sua, & interioris sapientiæ disciplinas, vt vnguentorum suorum dulci odore fragrârit, quibus capta, iam dicit, vberiorem iam esse iucunditatem diuinæ cognitionis, quàm lætitiam omnis corporeæ voluptatis.* Diuini in hac re Principis, Princeps meus vestigia sequatur, si ad regiæ liberalitatis gloriam anhelat.

115\. *Cant. 8.* — *Gellibert.* — *Humilitatem sancta captabat.* — *Christus celerrimus amator accurrit.* — *Plus dat, quàm rogatur.* — *Cant. 1. v. 2.* — *Idem. D. Ambros.*

VIII.

Imo, nec etiam ab Ingratis, retardatus: Si opus fuerit, obtrudat beneficia.

Sed neque his contentus, obtinendam hanc gloriam præsumpserit. liberalitas regia, vehementioris impetus, flumini assimiletur: ridet obices, obiectas dissoluit machinas Nilus inundans: si coneris compescere, plus crescit, & perrumpit obstantia Riui est tenuioris, obiecto lapillo cedere, viam mutare, aut alueum diuidere: cuius venæ paucos post obices, impensius attenuatæ, puluere tandem bibulo, non longè ab ipso 116.

Princeps vel etiam ingratis obtrudat beneficia.

ipso fonte exsiccantur. Princeps pius, prætentas ingratitudinis moles, perrumpat facilis: & beneficentiæ suæ torrentem, valido impetu, obstantibus si opus fuerit obtrudat. Minus est non petentibus dare, aut maiora dare, quàm petantur: nî etiam quodammodò repugnantibus benefecerit. Hinc Seneca (quasi verba Christi legerit, diuinam liberalitatem commendantis, quod lucis radios, & guttas pluuiæ, bonis iuxta communicet, & malis) sic habet lib. 4. de Benef. cap. 25. *si Deos quidem imitaris, da & ingratis beneficia: nam & sceleratis Sol oritur: & Pyratis patent maria.* verè Planeta regius, vt supra dixi, cui nihil obstare potest, ne communicetur.

Seneca.

Solem imitetur Princeps

117. Eductis ab Ægypto Israelitis, addit Moyses: *Cùm emisisset Pharao populum, non eos duxit Dominus, per viam terræ Philistim, quia vicina est: reputans ne fortè pœniteret eum, si vidisset aduersū se bella cōsurgere, & reuerteretur in Ægyptum* Exodi 13 v. 17. Sed quid tunc, si pœniteret illum? quid. Si in miseram captiuitatem reuertisset? non ne satis beneficentiam suam probârat Deus, per tot prodigia populum illum liberans, qui sibi deinceps tantum posset imputare, quod beneficio præstito vti nollet: nec terram lacte melléque fluentem obtinere? Certè satis, si limitata hominum liberalitate vti vellet: sed Rex supremus, qui huiusce dotis terminos agnoscit nullos, non satis habuit, si duri ingenij populo, beatissimam Prouinciam offerret: nisi illum repugnantem, piis technis cogeret beneficio accipiendo. Oleaster ibi. *Considera hic Dei bonitatem, vt quasi cogat homines ad beneficia sua, &c. vtitur Dominus artibus & astutiis suis, vt doceat non esse malum, si artibus ad bonum vtaris. ostendit etiam hic quantum curet, ne nos eius beneficia amittamus, & quàm facilè nos ea amitteremus, si ipse non prohiberet.* Quærat ergo has artes Princeps, piissimis his astutiis incumbat: nec satis beneficia congerere apud subditos: sed hos insuper ad illa cogere suauissimè, satis putet.

Exod. 13.

Deus pie nos cogit beneficiis accipiendis.

Oleaster.

118. Eximium hoc liberalitatis stemma, ab ipsis Mundi incunabulis, commendat Deus: ideo ad Protoparentes. *Ex omni ligno Paradisi, comede: de ligno autem scientiæ boni & mali, ne comedas.* Genes. 2. v. 16. Prætereo, quod vno tantùm interdicto, cætera omnia ligna permittantur. illud expende, negationem, quæ seuerissimo indicitur præcepto, sub eiusdem clausulæ tenore, etiam cum concessione permisceri: quasi vtraque ex æquo præcipiatur: neque solum coniecturis res deducitur: ipse textus, vtrinque visus apertè concludere præceptum: *Præcepitque ei dicens: ex omni ligno &c.* Et quid hoc rei? si præcipitur visus fructuum, iam rebellionis erit abstinere, neve puniatur Reus, etiam inuitus capiet beneficium: at quidem si confertur inuito, iam desinit esse tale beneficium, quò ergo tam libere excurrit diuina liberalitas, vt accepturis adimere videatur libertatem? sanè non adimit: neque (vt in negatione) in concessione imponitur præceptum; sub illis tamen verbis exprimitur, vt pia quædam coactio videatur obrepere: quasi præceptæ negationis seueritatem non ferret diuina beneficentia, nisi illam sub coactiuæ pene concessionis suauissimo blandimento obumbraret. iam hinc capies ibi Oleastrum. *Expende Domini liberalitatem, qui nihil sibi de fructibus reseruauit, sed vno excepto, omnes alios ei concessit: ita vt potiùs hominem dominum horti, quàm cultorem instituisse putes. Nec solum comedere permisit, sed præcepisse videtur; quo Dominus docet, non solum necessaria suis prouidere: sed etiam, si opus sit, cogere ad percipiendum.* Docet equidem omnes, sed præcipuè Reges, quos huius libertatis splendor comit gratius.

Genes. 2.

Quam liberalis in ista coactio.

Oleaster.

Propterea ad illa verba Dei: *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos: & non conuertar donec deficiant.* Psalm. 17. v. 38. Aliqui, diuinæ beneficentiæ ingenium aucupantur. si enim hos inimicos in comprehensionem pœnæ, & non potiùs in charitatis amplexum sequeretur: non opus erat quodammodò anhelare cursu, & inconuersâ fatigatione persistere. cùm illos vel leui nutu conterere potuisset. Sed quia de illis sermo est, quibus veniæ beneficium apparabat, vocationi congruæ, exercitâ libertate responsuris: ideo persistit sequens; insistens fortiter, & disponens suauiter vires suas: vt non tam necessitate prædeterminante, quàm amore trahente, accipiendo beneficio cogi videantur: vt enim inuitos respuit diuina liberalitas, sic aliunde repugnantes compellit suauissime. D. Hieron. Epist. ad Rust. ita. *Ecce audio pollicentem: Persequar inimicos meos, &c. vt qui ante fugiebam, & inimicus eram, tuâ comprehendar manu: nec cesses à persequendo, donec deficiam à viâ meâ pessimâ.* quasi non aliter staret diuinæ illius dexteræ liberalitas, nisi fugientes etiam, accipiendo beneficio retineret. Infixum ergo habeat Princeps dictum illud magni Panegyristæ ad Traianum suum. *liberalitatem iucundiorem debitor gratus: clariorem ingratus facit:* & tunc liberalitatis regiæ solem putet splendidissimum, cùm oppositas ingratorum nubes irradiat potiùs, quàm aquilonis furori committit dispellendas.

119. Psalm. 17.

Cōgrui euchly natura.

D. Hieron.

Plinius.

Ingratus beneficium, commendat.

Fœdarat se Israel, vitulum colens, per summam ingratitudinem, creatori turpissimam sic præferens creaturam. Indignatum meritò Dominum Moyses mitigat: ad quem benignus iam Dominus: *vade & duc populum istum* Exodi 32. v. 34. & statim iterum. *vade, & ascende de loco isto, tu & populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti in terram quam iuraui.* ibidem, cap. 33. v. 1. vbi Oleaster. *Nunquam huc usque legimus, Deum festinasse, & vrgisse sic Iudæos, ad terram promissam, quemadmodum nunc post peccatum: vt intelligamus, peccatores sæpius ad maiora dona, quàm ante peccatū habuerunt resurgere.* Pulchra ratio, si hos iam feruidè pœnitentes surrexisse nosceremus: cuius tamen contrarium colligitur ex contextu. Quid ergo est, quod sic vrget, sic festinat Deus, promissis beneficiis adimplendis? vidit illos ingratos, & fugaces, necessariáque sibi bona, vel deinceps non ausuros, à læso sacrilege Numine sperare: vel si cuperent, à precibus præ confusione retardandos: ergo in optimâ ostentandæ liberalitatis suæ occasione, à bonitate sua vrgetur Deus, vt vrgeat, instiget, & quodammodo cogat ingratos, obtrusis beneficiis perfruendis, fauet idem Oleaster post alia. *Similiter dicimus, quàm iustus & verax sit Dominus, qui vrget eum cui debet, vt à se promissa accipiat. nos consueuimus, pauperes ad debita soluenda vrgere: Deus verò videtur nos cogere, vt det quæ nobis promisit.* sed non solùm veritas & Iustitia, (quæ satis ingratissimi populi culpâ,

120. Exod. 32.

33. v. 1. Oleaster.

Peccatores sæpe gratius resurgunt.

Desperatos, accipiendis beneficiis, Deus animat.

Oleaster. *quam verax in promittendo Deus.*

à reddendo promisso excusarentur) sed magis liberalitas commendatur: & misericordiæ suæ magnificentiâ: à quâ ipse, decori suo regio consulendo, videtur hic exoratus, quod in re simili dixit Saluianus lib. 6. de Prouid. *Exoratus suâ ipsius Misericordiâ Deus: (neque enim vnquam nos ita viuimus, vt exorare mereamur) si quando, vt dixi, à se ipso exoratus, pacificos nobis dies, prouentus vberes, &c.* quæ deinde tu legeris. Sic ergo à suâ liberali magnificentia Princeps exorandus, ne etiam ab ingratis retardetur.

Saluianus.

IX.

Aliter tamen circa Fraudatores: Turpes, & indignos, se gesturus.

121. CAutè dixi ab Ingratis non retardandum, illis scilicet, qui neque accipiendam gratiam promeruerant: neque acceptam reddere studebunt. Aliud est occultius Ingratorum genus, & vulgò minus notum: qui accepta Principum defraudant, eisdem abusuri: in quos non regiam magnificentiam; sed insanam prodigalitatem, Princeps largus exerceret: sicut si turpibus & indignis, (nec tamen præstito beneficio sanandis) largiretur. Non itaque probandus Seneca, qui lib. 4. de Benef. cap. 26. ita. *Hoc fore quærunt, an vir bonus, daturus sit beneficium ingrato, sciens ingratum esse? &c. duos ex constitutione Stoica accipe ingratos. Alter ingratus, qui stultus est: stultus enim malus est: qui malus est nullo vitio caret: ergo & ingratus est, &c. Alter est ingratus qui à vulgo dicitur in hoc vitium propensus naturâ. Illi ingrato, qui sic hac culpa non caret, quomodo nullâ caret, dabit beneficium vir bonus: nulli enim dare poteris, si tales homines submoueris. Huic ingrato qui beneficiorum fraudator est: & in hanc partem procubuit animo; non magis dabit, quam captatori; quis decoctori, pecuniam credet? aut depositum committet, qui iam pluribus abnegauit:* Non inquam probandus: blanditur enim hoc dogma ethnico atque hæretico potiùs, quàm catholico palato: quidquid primo aspectu verum videatur. Ingrato etiam, & in hoc vitium naturâ propenso, cognitóque tali, euangelica benignitas nouit succurrere: neque putat fraudari beneficium, si non redditur; sed si accipientis vitium fouere præsumatur: nouit quippe cum Iesu suo, super bonos & malos, debitâ proportione pluere, radiare. Et mihi mirum Senecam, qui tam prolixè iuxta & eleganter, repetendi beneficii actionem denegauit: deposito æri nunc illud comparare, quod (vt pote repetendum actione) fallenti iam plures numulario non committimus. liberalior quidem fuerit, Romanæ, id est veræ fidei Princeps: non credit, sed dat ingratis beneficium: vt fælicior creditor, ipsummet Deum habeat creditorem.

Seneca.

Christiana liberalitas, multu titulis superat philosophicam.

122. Solùm ergo illos submoueat ingratos, à beneficiis suis, Princeps meus, quos sic fraudatores agnoscit, vt ipsis beneficiis duriores, illorum fuerint vsu in deterius ruituri. Cogerat Deus Oseam, vt beneficè sibi, turpissimam meretricem desponsaret, & aleret rebus omnibus necessariis. cap. 1. & addit iterum post filios iam ablactatos. *vade adhuc, & dilige mulierem, dilectam amico, & adulteram.* cap. 3 v. 1. Mirum dictu, quod mœchantem olim susciperet Propheta, durum sed tamen ferendum videbatur: At quòd iam tanti viri contubernio dignata, indulgeat adhuc amicis, vacet adulteris: nec tamen relinquatur à Propheta, quin nouis & amoris, & munerum beneficiis obligetur: quis crederet sperandum, & impetandum? nimirum sperabatur, feminam quantumuis perditissimam, pio propheticorum beneficiorum certamine molliendam, & vitia sic fore relicturam, dum igitur non deploratur fraudatrix, beneficij indulgentia perseuerat. Excusabat igitur se quodammodo Deus, si quandoque Israeli beneficia denegaret, quia fraudulentum, & beneficiis perpetuò abutentem se exhibuerat, nec spes tunc erat, eisdem corrigendum: maiora tamen in fine mundi ingratissimo populo daturus, quia illis prænoscit conuertendum. Fusissimè in hanc rem Ruffinus pius: qui tandem ita. *Præcipit itaque Prophetam, ne charitatem, quam obscœna mulieri impenderat, prauâ offensione deponat: sed cum impudentia illius, professa benignitate contendat, &c. cognoscat, quia illa meretrix leni mercede possit conduci, non solùm vt propheticâ societate esset contenta: sed vt illius, & aliorum conuentu, pariter abstineret, &c. quo vtique exemplo redditur synagoga causa deterior: quæ, eam videlicet passionem, nec copiæ inuitata seruauerit, quam prostibula quæpiam, vel sub minimâ parcitate verentur.* vt enim prodigalitatis foret deploratum prostibulum, amotâ spe omni emendationis alere beneficè! sic liberalitatis erat, sub meliori spe, quanuis ingratum, fouere beneficiis: neque sustulit Deus hæc à synagogâ nisi postquam, cap. 2. v. 5. vsque ad 13. deplorata fraudatrix deprehenditur.

Non danda beneficia, abusuris.

Oseas 1. & 3.

Beneficia sanda ingerenda, nec abusum non timetur.

Ruffin. pius.

Vnde etiam capies, quid sit illud quod additur ibidem, cap. 6. *Ipsi autem sicut Adam, transgressi sunt pactum: ibi præuaricati sunt in me. Galaad ciuitas operantium idolum supplantata sanguine.* v. 7. & 8. Adimitur beneficium Ephraim, vrbs eius præuaricatrix, inundatura sanguine conculcatur: non quòd vtcunque populus iste ingratus: sed quòd instar adamanticæ ingratitudinis, benefici Domini pactum sit transgressus. Sed qualis, inquis, fuit Adami culpa quæ liberalitatis fluenta exsiccauit diuinæ, ne (quamuis veniam) innocentiæ dona, Paradisi sedem, originalis Iustitiæ gratiam recuperaret: dantis fluxum beneficium retardans. Quia non solùm ingratus, sed contumax fuerit & fraudator: qui ipsâ diuinâ liberalitate abusus, sic illam paruipendit: vt non solùm gratias reddere non curaret; quin illam certam, falsæ Dæmonis emendæ promissioni, destinaret in pretium: quasi mero diuini odio muneris affectus. Grauiter idem Ruffinus. *Nam sicut Adam, qui in paradisum, vt inlaboratis copiis vteretur, fuerat inductus, nullâ angoris materiâ, nullâ conquestione exortâ: seductoris maluit, quàm creatoris implere mandatum: plusque apud eum valuit blandis de falsitate promissio, quàm tot muneribus, tot miraculis stipata præscriptio, &c. iuxta hunc modum populus Ephraim, qui terræ copiis, quasi paradisi amœnitate fruebatur: nullam offensionis materiam, id est nihil, quod de Dei indulgentia, ac liberalitate quereretur, inueniens: quasi solo virtutum tædio laborans, errores prætulit veritati.* Hæc

123. Oseas 6. 7.

Vti Dei beneficiis, ad illius iniuriam, grande nefas.

Ruffinus.

Hæc quidem est, non solùm accepti beneficii ingratitudo, sed fraus etiam: quâ per enormem abusum, malè accipitur, vt turpius in datoris iniuriam commutetur. In hos tales, non tàm se beneficum Patrem, quàm Iudicem seuerum exhibeat meus Princeps, ni fœdissimè prodigus haberi velit.

124. *Enormis fraus, in abusu beneficij.* Oseas cap 7. Sed ecce fraus alia, immane quantùm sceleratior, quam diligentius in beneficentiæ suæ distributione, caueat Princeps Iustus, nonquam, sic fraudatoribus indulturus: quod adhuc ex eodem Osea, eodémque Interprete illustrabimus. Exposuerat Deus toto Capite septimo, populi huius scelera, quibus iram meritus, beneficiorum indignum se reddiderat: tunc, quasi dictis coronam cum coronide imponat, sic concludit. *Reuersi sunt, vt essent absque iugo: facti sunt quasi arcus dolosus.* v. 16. & vltimo. Quasi propterea diuinum iugum rumperent, habenas detrectarent, vt in arcum dolosum formarentur: vnde penitus diuini Regis beneficam, in se, curam interdixerunt. Sed quid in arcu doloso, tam execrabile: vt impetum diuinæ liberalitatis sisteret, immensum tantæ beneficentiæ pondus retardaret? audi Ruffinum ibi. *Tantam peruersitatis habuerunt, vt viderentur arcus dolosus, qui videlicet fraude monstruosâ, in ipsum, cuius manibus tendebatur, tela dirigeret. Sic isti audaciam, quam aduersus hostes suos, meo fauore conceperant; in contemptum nostri, contumeliámque vertebant.* Euitet ergo hos tales, Princeps æquus: quos non tàm beneficiis, ad Regalis magnificentiæ exornat splendorem: quàm in semetipsum, ad Regni euersionem obarmat. Pulchrè igitur Saluianus, lib 6. de Prouid. *Indigni cælestibus donis sumus, qui beneficijs Dei non bene vtimur: qui facimus rem operum bonorum, materiam tantum esse vitiorum. quo fit vt Pax contra nos sit: quia sic agitur à nobis, ne expediat rem accipere, quà deteriores sumus. quis hoc credere queat? Mutamus naturam iniquitatibus nostris: & quæ Deus bona facit munere pietatis suæ: ea nos nobis facimus mala esse moribus nostris.*

Ruffinus.

Saluianus.

125. *Prodigalitas Principis turpibus obsequijs compensandis.* Quamuis non sibi nocentior, nescio tamen quomodo fœdior est Principi, illa nomine tenus liberalitas, (cùm sit re ipsâ infamis Prodigalitas) quâ turpissima obsequia, immodicis muneribus compensat. Quis Herodem Puellæ audiat dicentem: *Pete a me, quod vis, & dabo tibi: & iurauit illi, quia quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium Regni mei.* Mar. 6. v. 22. Quis inquam hoc audierit: qui non putaret, & obsequium Puellæ fuisse summum: & Regis tanti promissum, liberalissimum? & tamen, vt nôsti, quòd illa turpiter saltat, prodigit iste turpius. Apicem liberalitatis sibi visus attingere Herodes, non solùm quòd tanta offerret puellæ: sed etiam quòd nec ausuræ petere, offerret: & tamen id obsequii remunerabat, cui, si qua frons, debuerat succensere. quàm enim indecorum, vt regia Puella, & ipsi Regi, loco filiæ enutrita: coram conuiuis mimam ageret, saltaret histrionicè? quò ruis, impie Rex? certè non tam puellæ beneficium, quàm sibi ipsi ludibrium impositurus. vnde grauiter ironicus D. Simeon Metaphrastes, Orat. de Bapt. post multa. *Vide vere, mali quoque accessionem: Puer i placuit id quod fiebat; propter quod oportebat magis pudore affici, & sic placuit, (O regiam munificentiam!) vt polliceretur se Regnum ei esse diuisurum, ad remunerandam rem, tam publicè*

Marc. 6

D. Simeon Metaphr.

vtilem, & magno studio dignam: & quod est deterius, cùm nec illa petisset: sed ipse etiam ad rogandum incitâsset. Obseruet ergo meus Princeps, gnomem illam Senecæ lib 2. de Benef. Cap. 16. *Nullum beneficium dabo, quod turpiter peterem.* & vt turpissimum putaret obscœno obsequio ab aliis beneficia impetrare: sic æquè turpe habeat, obscœnè obsequentibus adblandiri. Seneca.

126. 4 Reg 4. *Tyrannus iniquam vindictam præmio afficit.* Occiderant impii fratres Insontem Ioboseth, Dauidis æmulum: à Regéque, cui caput occisi obtulerunt, ingentia beneficia, de præstito obsequio sperabant: quibus ille. *Viuit Dominus, quoniam eum, qui nuntiauerat mihi, & dixerat, Mortuus est Saul, qui putabat se prospera nuntiare, tenui & occidi eum, cui oportebat mercedem dare pro nuntio. quanto magis nunc, cum homines impij interfecerunt virum innoxium in domo suâ, non quæram sanguinem eius de manu vestrâ?* 2. Reg. 4 à v. 9. quos proinde meritissimò iussit occidi. Vbi Lyranus. *Dedit Dauid exemplum Principibus & Prælatis, vt non parcant malefactoribus, qui talia agunt, ad illorum gratiam consequendam.* Indecorum enim putauit, crudeli obsequio, beneficii blandimento, (quod solis Tyrannis vsuuenit) quidquid sibi vtile foret gestum, respondere. Illud in hâc re arduum, cur illum, qui mortem Saulis hostis nunciarat, occidisset Dauid, Cap. 1. v. 15. *Si oportebat mercedem dare pro nuntio:* cur occiditur? Si iustè occiditur, cur fateatur Rex, oportuisse mercedem illi dare? Glossa Ordin. ad marg. sic explicat. *Qui putabat, quod daturus essem mercedem.* quasi in eo *oportebat*, non tàm suam, quàm nuntiantis mentem aperiret Dauid. Sed gratius in hebræo, pro eo: *putabat se prospera nunciare*, vertitur: *Is autem erat vt nuncius, in oculis suis.* quasi meritò occideretur à Iusto Principe, impius Minister, nec præmium cui inhiârat, reportaret: qui obsequia, non tàm iusto Regis iudicio, quàm iniquis suis oculis commensurat: Nihilque tunc Regis liberalitas esset, quàm mera prodigalitas: & communicatæ iniquitatis turpissima professio.

Lyranus.

Glossa.

Minister iniquus, vnde præmia sibi commensuret.

127. *Turpi obsequio Princeps fit infensus.* Puniat ergo potiùs, quàm remuneret, hos obsequentium oculos, æqui Principis Prudentia: ni enim compescuerit, (vt est aulicorum adulantium praua indoles) nullus finis erit, vt per enormia obsequia, quæ facilius quàm pia, mandantur executioni, curent Ministri, præsumpto magis, quàm imperato Regis libito blandientes, præmia & beneficia captare. Liberalitas Regia. Iustitiæ cohærens pulchrescit, & indignos repellens, dignis annuens, ipsissimo debet Iustitiæ fulgore coruscare. Hinc illud eiusdem Dauidis: *Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit: super aquam refectionis educauit me: animam meam conuertit.* Psalm. 22. v. 2. liberalitatem supremi erga se Regis commendat: quâ è tugurio ad palatium euectus, omnium bonorum abundantiâ sic affluebat: vt qui oues rexerat, quasi dilecta ouicula à Deo regeretur. Nunc pende quid statim addat: *deduxit me super semitas Iustitiæ, propter nomen suum.* v. 3. vt pascatur, vt habeatur indulgentissimè, à Deo: non tam (quod videbatur dicendum) Misericordiæ, quàm Iustitiæ semitas ingreditur: quia nescit Deus liberalitatem suam, iustitiæ cuiusdam fulgore defraudare: sic ad infimos quosque delabitur: sic ab stabulo ad thronum erigit pauperes: vt prætermissis indignis, dignis tantùm impertiat beneficia.

Liberalitas Iustitia comes.

Psalm. 22.

Nam si quos à Deo indignos quandoque promotos videas, aut ad pœnam, aut sub spe correctionis, vt supra dixi, id factum habe. Forte alludebat huc Petrus Abbas Cellensis, qui lib. de Panib. cap. 24. de Dei benigna liberalitate, sic totus ad rem nostram. *Fons insiccabilis, quem nec ventus Dæmonum, nec intemperantia hominum, à sæculo & vsque in sæculum, absorbere potest. Misericordia ab æterno, vsque in æternum, super timentes eum deriuatur hoc oleum, per semitas Iustitiæ: quia nulli digno negatur: nulli indigno salubriter datur.*

Abbas Cellensis.

128. Suspirabat populus carnes in deserto: defert ad Deum, Moyses querelas: & annuit votis Populi Dominus facilis: ad quem tunc Moyses. *Sexcenta millia peditum huius populi sunt, & tu dicis, dabo eis escam carnium mense integro? nunquid omnium boum multitudo cædetur, vt possit sufficere ad cibum? vel omnes pisces maris in vnum congregabuntur, vt eos satient?* Numer. 11. v. 21. Maiora longè prodigia viderat, imò & auspice Deo, Moyses fecerat, nec dubitabat vir sanctus, posse diuinâ potentiâ rem istam peragi: sed obiectiunculis istis, beneficio dando obstrepebat: Ne populus voti compos, tunc euaderet. & vbi pietas, & viscera illa mollissima; quibus Moyses dilecti populi bono consulebat. Intercedit beneficio: obstat accipiendo muneri: & pius perseuerat? imò tunc maximè. Nouerat indignum populum, & sæpe diuinis donis abutentem: nec esse liberalitatis diuinæ, his talibus extraordinaria beneficia ad indulgentiam, sed potiùs ad pœnam communicare: quod subsecuta occisio patefecit. Oleaster ibi. *Fortè Sanctus cognoscens iratum Deum, & beneficium Populo non profuturum, illud detinere suâ difficultate conatur. vt nos doceat prudenter beneficia diuertere, quæ nostris aut nobis nouimus non profutura.* Princeps igitur pius, qui beneficiis indignos aut non solet, aut non potest punire: saltem submouere illos, à liberali indulgentiâ hinc instituitur.

Num. 11. v. 21. Pietatis est, obstare beneficio nocituro.

Oleaster. Indignus beneficio puniuntur.

X.

Principis beneficentia, sit constans, & continua.

129. HOc insuper emblemate liberalitatem exornet Princeps: vt perseueret largus, & iis, quos semel deuinxit, non deficiat: sed constans, & cùm res postulet, continuus benefactor, perennis instar fontis influens assistat. Clamabant cæci ad Christum suspiratæ lucis radios percepturi: sistit ille, cum tamen immensâ pene turbâ subsequente pene impelleretur: *Et stetit Iesus, & vocauit eos.* Matth. 20. v. 32. quasi verò præteriens, vno verbo, aut leui nutu, illos sanare non posset: qui etiam minimo tactu fimbriæ sanauerat præteriens Hæmorroissam: quid ergo cursum tenet, gradum figit? respondet Origenes ibi, Homil. 13. *Iesus autem non pertransit, sed stat: vt stante illo, non transfluat beneficium: sed quasi de fonte stante profluens misericordia deueniat vsque ad eos.* Sic lucem communicabat, vt non obiter perduraret: stabat perennis fons, vt duraturum beneficium demonstraret: neque transfluxuram gratiam, cuius origo, è se quidem immobilis persistebat.

Beneficentia Principis constans.

Matth. 20

Origenes.

Mitigato iam in homines furore, inundanti diluuio metas imponit Deus: & addit Textus: *Adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ* Genes. 8. v. 1. Et quis iste spiritus? ille, credo, de quo supra dicitur. *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Cap. 1. v. 2. id est salubris ventus & aura benignissima, quem Deus ministerio suo deputauerat. Sed cur vtrobique idem? cur in tanto Ministrorum apparatu, non tam variata obsequia postulantur: quam bis occurrenti aquarum negotio, vnus & idem ventus destinatur? Cœperat ventus initio, hominum beneficia procurare: ferebatur super aquas, vt has crispans, retundens, & propellens, in locum vnum cogeret, quò terra, in hominum seruitium detegeretur. Igitur cùm postea aquæ iterum exundarent, terram humanis vsibus subtrahentes, & dominicæ vindictæ ministrantes: rescissa iam diuini furoris sententiâ, celer properat idem ventus, interruptum beneficium resarturus: quasi caueret Deus, ne si alium ministrum aduocaret iam apud homines, bonus ventus malè audiret, inconstantiæ in beneficiis præbitis arguendus. Alcuinus ibi, quæst. 125. *De quo Spiritu dixit: adduxit Deus spiritum, & imminutæ sunt aquæ? benè de illo spiritu intelligi potest, de quo dictum est: Spiritus Domini ferebatur super aquas: tunc enim ferebatur, vt congregatis aquis in suum locum terra appareret: nunc autem adductus dicitur, vt ablatis è medio aquis diluuij, faciem terræ reuelaret.* Potest se in hâc re Dei ministrum, Princeps quem instituo, & aliunde grauis, in hoc negotio, prædicti venti genium imitetur. 130.

Genes. 8. v. 1.

& 1. v. 2.

Bonus [illegible] cijs [illegible] fer[illegible] constans.

Alcuinus.

Est hoc ipsissimum ingenium benefacientis Dei, vt ex se durabilia, & perpetua conseruet beneficia. Accepit Sara filium in senectute, & vocauit Nomen eius Isaac, id est risum: subditque causam: *Risum fecit mihi Deus, quicunque audierit, corridebit mihi.* Genes. 21. v. 6. Sed quid ita bona fœmina? quid si puer acerbo funere rapitur: & breue gaudium, in longum desiderium, in non exsiccabiles lachrymas, commutat? Sed esto viuat diu: quid, si peruersis moribus tibi, Patrique degener, non tàm risum, quàm ploratum ministrauerit? Scilicet prudens & sancta, iam contestabat, imo credebat, præstitum, sub talibus diuinæ promissionis circumstantiis, beneficium, è se quidem perpetuò duraturum: ideo haud temerè, iam nullas longo gaudio metas ponit. Acatius in catena patrum ibi. *Lætitiæ firmitatem ostendens: risum, inquit, mihi fecit Dominus: quidquid enim à Deo est, perpetuum est.* Et quidem ita perpetuum, vt dum tibi expedit beneficium, nisi propriis demeritis non amittas, sed successiuo fluxu communicetur. quod Regibus summopere imitandum. Alatas & pennigeras Victoriæ statuas formabant Ethnici: colebatur quædam hoc habitu apud Romanos: quam fortuitum è cælo fulmen tangens, sic affecit: vt cóbustis tantummodo alis, stantem conseruaret: tunc attonitis prodigio Ciuibus, dixit quidam Græcus.

131. Deus ex se constans beneficium impertitur.

Genes. 21.

Acatius.

Victoria tribuens alis, quid notares.

Ῥώμη παμβασίλεια, τεὸν κλέος οὔποτ' ὀλεῖται:
Νίκη γὰρ πτερυγῶν, ἄπτερος ἵδρυται.

Poeta vetus.

Cuius mentem, sic quidam expressit.

Roma potens, alis cur stat victoria lapsis?
Vrbem ne valeat deseruisse suam.

Quasi indignum fuisset Numinis benefici, immobilis, & inconstans videri: sicque demptis pennis, longè pro dignitate excellentior fulgere,

si beneficium perenne conseruaret.

132. Exodi 32. Cape in hanc rem venustum locum Exodi. Formarât insaniens Israel, vitulum in numen:ad quem sacratum altaribus, sic clamauit. *Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de Terrâ Ægypti.* cap. 32. v. 4. stultus quidem cultus, sed nescio quomodò stultior videtur acclamatio! Rogârant molestissimi Aaronem, vt deficiente iam sibi Moyse Duce, Deum aliquem, sibi in perceptę viæ ducem efformaret: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant: Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus, quid acciderit.* & v. 1. v. 1. Videbantur ergo dicturi: Hi sunt Dij, qui te præcedent, & inducent in terram promissam: at non ita, sed vt vides, non tam vitulo, futurum ducatum tribuunt sacrilege: quam præteritam libertatem, quam Moysi Deo auspice assignârant, Idolo ingratissimè referunt in acceptis. quid ita? Non solùm ingratissimi, sed insuper callidissimi ingenij, commentum fuit:quòd enim ad sequentem ducatum, facilius vanum numen hoc allicerent: præcedens beneficium illi attribuunt: ac si dicerent: non est diuini genij, beneficium inconstanter interrumpere: perfice, quod incepisti: induc perseuerans, quos eduxisti benignè. Oleaster ibi. *Parum illis fuit, idolum suum, summis honoribus, & laudibus attollere: nisi potissimum Dei beneficium quod illis impenderat, in illum collocarent. Magna ingratitudo est beneficium non referre: maior non cognoscere: sed omnium maxima ei, quæ sunt benefactoris tribuere: & vt Idolum ad sequentem ducatum allicerent, præcedens beneficium liberationis, in eum referunt.* quid nos à vero Numine, & verâ Numinis Imagine, Rege scilicet perpetuitatem beneficam non speremus: quam & Romani, & Hebræi idololatræ, falsis simulacris, necessariò tribuendam præsumebant? Deficit à regia indole, quisquis prædictæ constantiæ, leuitate animi putat renunciandum.

Constantia in benefaciendo, numini propria.

Oleaster.

Ingratitudinis gradus varij.

XI.

Vt beneficia subditis accepta, tanquam præstita obsequia, nouis pensare beneficiis videatur.

133. Maius est quod addiderim: sic perpetuus in beneficiis dandis persistat Princeps optimus, sic in datis sibi complaceat: quasi ex primi concessione, secundi debitorem se existimet. Si enim liberalitas verè regales animos designat, vt initio dicebam: iam beneficiarius, qui accepto beneficio, ansam Principi exercendæ magnificentiæ præbuit, nescio quomodo ipsum videtur obligare, & in ipsâ beneficij acceptione, præstare obsequium:vt deuinctus hinc generosissimus Princeps, non tam pro veteribus præstitis beneficiis, gratiam repetere: quàm illa, nouis aliis teneatur persoluere. Sustulerat vile fiscellæ depositum, vagum vndarum ludibrium, Infantem Moysem, Thermutis Regina: (sic volunt aliqui vocatam Pharaonis filiam) quem suis nutritum impendiis, optimis artibus curauit educandum. Puer certæ morti expositus, non solùm seruatus, sed insuper sic beneficè exceptus quid non deberet? quam gratiam à Reginâ, ex illo repetendam, minimam non putares? At certè nullam repetiisse legitur: quin potiùs addit Textus: *quem illa adoptauit in locum filij.* Exod. 2. v. 10. nimirum regales animos spirans fæmina, ab aliis ad alia beneficia vrgebatur, támque aberat, vt gratiam repeteret, quin vetera illa, nouis pensare, tanquam creditori beniuolo, putaret. Oleaster ibi. *Solent enim beneficia exhibita, semper ad maiora prouocare.* Solent inquam, ni regalis ingenij generositas degenerarit.

Princeps generosus dato vno noui beneficij se putat debitorem.

Exod. 2.

Oleaster.

134. Instituebat Discipulos suos Christus, vt per virtutum exercitia, ad beatitudinis coronam deuenirent, subdens post alia: *Beati Pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.* Matth. 5. v. 9. In certamen, cum Dæmone, cum vitiis, ineundum, prouocantur: & tamen totus labor adipiscendæ coronæ, pace concluditur. Quid bello adscribit quos præscribit pacificos? Quid strenuos armat, quos pace ornat? Scilicet hoc benefici Principis nostri est ingenium, indoles liberalissima: pacem, pro armis tribuit ad certamen: & cùm nullum mortalibus gratius beneficium dari possit, quàm pax, sic pacem illis ministrat, quasi indidem obsequium præstituris: vt præbitum à se pacis beneficium, nouo beatitudinis præmio compenset. D. Gregor. Nyssen. ibi. lib. de Beat. *Ac præmium quidem certaminis tantum est: certamen verò quid? si fueris pacificus, inquit, adoptionis præmio coronaberis. Mihi, etiam opus ipsum, propter quod tantam mercedem pollicetur, alterum donum esse videtur. quid enim hominibus, ex iis rebus, quibus frui, atque potiri student, vitâ pacificâ dulcius est?* Imitabatur Thermutis ethnica quodammodo ante Christum, christiana: hanc, in adoptando Moyse, beneficentiam: & non pudeat Catholicos Principes, ad eiusdem imitationem ignauescere?

Matth. 5.

Deus beneficia sua, nouis compensat.

Gregor. Nyss.

Pax, grande bonum.

135. Vocatur Abraham à Deo, sed quibus non beneficiis prouocatur? sed, ante cópleri visa omnia, Isaac præbito: *cum centum esset annorum: hac quippe ætate Patris, natus est Isaac.* Genes. 21. v. 5. illud in hâc re dubium: cur, si quis citò, dat, bis dare creditur: (quod quidem diuinæ beneficentiæ esse supra dixi) tam serò filius Abrahæ daretur? nonne impensiùs obligaretur amicus, si non, submorosæ senectutis fastidio, educationis curis impendatur: quas iunior, leuamini potiùs daret, quàm fastidio? cur tam in longum differtur gratia, vt eiusdem saltem gustus auferri videatur? ego ita puto, vt summum hoc in humanis beneficium, diuinioris alterius basis foret: nec tantummodò possessione sui, sed alterius spe Patriarcham exhilaret: quod non fieret, si iuniori adhuc, & non seni, ac pene desperanti concederetur. Promiserat sæpe Deus Abrahæ fore, quod in semine eius orbis benediceretur, Christi Domini salutem accepturus: ideo in id ætatis filium Isaac reiicit: quando non naturæ, sed gratiæ viribus, beneficium veniret imputandum: vt miraculosus iste filius, miraculosiori longè alij, (id est Christo) fidem præstrueret: & sic percepto Isaac gauderet, vt impensiùs de percipiendo Christo exultaret. Id voluit, ni fallor, vno verbo sed suo D. Gregor. Nazianz. Orat. 1. contra Iul. vbi ita. *Abraham vocatus, ac filio præter ætatis conditionem donatus: ad fidem faciendam alterius seminis promissi.* Sed quid est beneficio tanto præstito, præstandi maioris

Genes. 21.

Beneficium præbitum, noui præbendi semen est.

D. Gregor. Naziang.

maioris fidem, Seni roborare: quàm quod ex alio, ad aliud liberalitas obligetur diuina: quasi acceptum, accipiendo compensatura; sic det beneficia sua prudens & largus Princeps, vt subditi animosiores, in obsequio fidelitatis, dum nouerint accepta dona, tanquam accipiendorum semina comparâsse.

136. *Genes. 19.* Eripuerant benignissimè Angeli à Sodomorum incendio, iustum Loth: cupit hic insuper seruari vrbem, vbi præsumit se tutius conseruandum: tunc sic ad illos: *quæso Domine mi, quia inuenit seruus tuus gratiam coràm te, & magnificâsti misericordiam tuam, quam fecisti mecum, &c. est ciuitas hæc iuxta, ad quam possum fugere, &c.* Genes. 19. v. 18. Pende illud causale, *quia inuenit, &c.* quasi vrgeat, quasi obliget Angelos, vt vrbem tutentur. (vbi non ex necessitate, sed ex libito suo tutandum se credebat:) quòd per magnificam misericordiam, iam illum ab incendio liberârant. Sed quid hoc est, bone vir? imò quia iam tanta acceperas, debebas potiùs gratias reddere: quàm noua, pro tuo libito postulare: Quid ergo inde videris obligare: vnde te deuinctum satiùs fatereris? nouerat iam liberatoris sui ingenium nobilissimum, indolem liberalem: & sic se debitorem ex iure, vt ex æquo se pariter creditorē existimaret esse, obligabat ergo regalē illam magnificentiam, vt præmissi beneficij quasi iacto semini, nouorum pullulante spicâ responderet. Oleaster ibi. *Docemur hic, eos qui gratiam fecerunt, debere maiora exhibere: vt perficere quæ ceperunt, videantur. videtur enim hic Loth obligare Angelos, postquam vitam concesserant, concedere ciuitatem, quâ saluetur.* Sic se, affectuum totius populi creditorem Princeps constituet, si se nouorum beneficiorum debitorem perpetuum existimârit.

Vrgetur pià Deus nouis beneficiis, ob vetera impensa.

Oleaster.

137. Fabricandæ Testamenti Arcæ ornatum sic præcepit Deus: *Facies suprà coronam auream, per circuitum.* Exod. 25. v. 11. quia Christum, in Arcâ figuratum, Iustorum sacra cohors videtur adornare, in coronæ decore, quem præcipit, significata. Cur verò Iustorum decor, atque gloria, non solùm per coronam, sed insuper auream exprimatur: appositè ad rem nostram explicat Petrus Abbas Cellensis, lib. 1. de Tab. vbi ita. *Corona, propter æternitatem:* (quia nimirum circulus, principij finisque etiam apud profanos signat æternum aliquid: corona autem circularis est.) *aurea, propter claritatem. Corona, quia meritis redditur: aurea, quia per gratiam,* (charitas enim & gratia in diuinis litteris, auro comparatur) *merita coronantur*, aptè dictum. Sed cur dum Corona meritis assignatur, in Auro ibidem, vocantis cooperantisque gratiæ beneficium intermiscetur? Vt sic coronam esse Iustitiæ intelligas, vt Dei esse beneficium non ignores: qui prisca datæ gratiæ beneficia, eximio alio glorificationis sic coronat, vt neque terminum gloriæ, neque interminabili pertimescas fastidium. Concludit ergo Cellensis: cuius totam sententiam claritatis ergo repeto. *Corona, propter æternitatem: aurea propter claritatem. Corona, quia meritis redditur: aurea, quia per gratiam, merita coronantur; sua enim, in nobis Deus dona remunerat. Corona quæ non aufertur in æternum: aurea, quia non vilescit per fastidium.* Coronat Princeps suos similibus beneficijs: vt instar arcæ mysticæ, regalissimè veniat coronandus: vt enim Iustorum hæ coronæ, Christum vnum videntur adorare: Sic beneficiorum datorum repetitione, ipsemet Princeps nitidius, quam ipsi beneficiarij, radiabit.

Exod. 25.

Petr. Cellens.

Corona gloria à institiâ & gratia cur constatur.

Petr. Cellens.

XII.

Ideo in id tantum, gratias decorè exigit.

138. NOn ita debet Princeps beneficia dare, vt accipientium gratitudine compensetur: (de quo infrà) sed si quandoque reddendas sibi gratias exegerit, in id tantùm collineare videatur: ne accipientes, in illam ingratitudinem deueniant, de quâ suprà) vnde aliorum accipiendorum reddantur indigni: vt non tam suo, quàm reddentium gratias, commodo, noscatur studere. Habet hoc Gratitudo sibi insitū, vt generosè hamatas rependat gratias: idémque sit, pro acceptis illas reddere, quam noua accipienda expiscari. Nouerat etiam gratitudinis hoc Ingenium adductus Loth; pende iterum verba: *quæso Domine mi, quia inuenit seruus tuus gratiam coràm te, & magnificâsti misericordiam tuam, quam fecisti mecum vt saluares animam meam, &c. Ciuitas hæc, &c.* Genes. 19. v. 18. Nec sic ad noua accipienda, acceptis vrget, (quod paulò ante dicebam) vt interim gratiarum actionem non inmisceat: quin potiùs illa seruitutis summissa professio, illa misericordiæ magnificatio, & comparatæ salutis ingenua illa commemoratio, gratiarum erat etiam actio generosa: quâ nouum liberandæ vrbis beneficium aucupabatur. Idem Oleaster. *volebat petere vrbis liberationem, sed prius proponit collata beneficia, quæ valdè exaltat: vt nos doceat, cùm volumus noua obtinere bona ab aliquo, accepta numerare.* visus didicisse hanc artem Loth, à Patruo suo Abraham, qui non pauca eiusdem præbuit documenta: libo vnum. Mittebat Patriarcha seruum suam, condignam sponsam filio quæsitum: addubitat iste: quem ille sic confirmat. *Dominus Deus cæli, qui tulit me de domo Patris mei, & de terra cognationis meæ: qui locutus est mihi, & iurauit mihi dicens: semini tuo dabo terram hanc: ipse mittet Angelum suum coràm te: & accipies inde vxorem filio meo.* Genes. 24. v. 7. Vides quàm certam sponsionem faciat Angeli deducturi, adducendæ sponsæ, cùm tamen, nunquam id illi foret reuelatum? vnde tam seria, nec hæsitans fiducia? Agnoscebat generosi hami huius vim, è pelago diuinæ beneficentiæ irritam non redire: memorabat scilicet, in gratiarum actionem, accepta beneficia: per quam, hoc aliud extrahendum non dubitabat. iterum Oleaster. *Admonui suprà Iustorum esse morem, enumerare accepta beneficia, cùm noua accipere cupiunt: similiter ex acceptis beneficiis, animum sumere accipiendi maiora.* quod idem Principi optimo obseruandum.

Princeps tantummodo gratias exquirat, vt saluum benefaciat.

Gratitudo generosè hamata.

Genes. 19

Oleaster.

Genes. 24.

Hamus gratitudinis, quàm certus.

139. Hoc ergo Gratitudinis ingenium, inde maximè in subditis commendet, quòd regalis liberalitatis fomes, quòd beneficentiæ habeatur stimulus: quòd illa magis ac magis iterādis incessanter beneficiis, quasi fælicior debitor vrgeatur. Pulchro id exemplo explicat Ecclesiastes. *omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat,*

Stimulus, sit Principi beneficiis, subditorum gratitudo.

Ecclesiast. 1.

ad locum vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant. Cap. 1. v. 7. O quid agis, Mare? si fluminum aquis nec indiges, nec redundas: quid fluminum recursum exigis: quid requiris tributa? non suo, sed horum commodo res peragitur, in Mare reuertuntur, vnde exeunt, vt iterum fluant: quasi non diu fluxura, ni reuerterentur. quid ita? fac, quæso, flumina non recurrant; alterum, ex duobus damnis sequatur necesse est: aut enim, quæ ex peruio in Mare recursu, nouas scaturigines cōbibunt, (nec situ putrescentes aquas reuehunt, sed limpidas & mobiles) siccabuntur tandem: aut saltem, dum aliquandiu denegatis Mari tributis durant, superfluo humore restagnantia: semetipsa disrupto alueo & vicinos agros, ac vrbes, diluuio immisso desolabuntur. Sic Deus, sic instar Dei, Principes excelsi, non tàm suo, quàm subditorum bono, gratias exigunt: ne fortè non recurrentes, aut aridâ ingratitudine exsiccentur, solitâ beneficentiâ priuati: aut interim exuberantes acceptis donis, pauperes opprimant, & spreto iugo, suâ ipsâ superbiâ confundantur. Sed præstat audire hîc Galfridum. *Omnia flumina intrant in Mare, & Mare non redundat. vis nosse cur ita? Ad locum vnde exeunt, reuertuntur. In duobus, omne studium nostrum, omnis nostra consistere debet intentio: in postulandâ gratiâ, & gratiâ referendâ. Sed quid opus est, vt omnis nostra gloriatio, & gratiarum actio, in Deū transeat: qui solus omni gloriâ plenus, solus sibi sufficiens, bonorum nostrorum omnino non eget? Sic glorificatur ab hominibus Deus, quomodo in Mare fluunt aquæ, quibus tamen non abundat. & quid erit, si in mare non influant? aut fontes siccari necesse est: aut diluuio redundante vniuersa deleri.* — Galfridus.

140. Compescuerat Dominus Diluuium, Noéque, & familiam eius, possidendæ iterum terræ restituerat; ille in significationem animi gratissimam, instructo altari victimas imponit, adolet. tunc addit textus. *Odoratúsque est Dominus odorem suauitatis.* Genes. 8. v. 21. Numen illud, cui æterna cælorum thymiata perpetuò accenduntur: animalium hîc nidore sic delectatur: quasi nihil illi vnquam suauiùs spiraret: & qui sibi sic complacet in oblato hoc sacrificio: iam tale se cupiisse protestatur. Sed quid ita? quid terrena Mortalium requirit Rex immortalis, nutu etiam cælestia moderatus? Parabat nouum hominibus beneficium, & gaudebat, quòd gratitudinis hamo extraheretur, quasi non se solum beneficum, sed etiam quodammodo debitorem lætaretur fateri. Sic nos instituens, non tàm suo, quàm nostro commodo referendas sibi gratias sollicitare: vt vnde soluimus, inde etiam creditores videamur: ipséque semper ad noua beneficia vrgeatur. ideo subditur statim. *& ait Dominus: nequaquam vltrà maledicam terræ propter homines.* beneficium liberationis nouo stabilitatis in posterum accumulans beneficio. Lyranus ibi. *Ex hoc ostenditur acceptatio diuina; & per consequens Noe bonitas, & deuotio declaratur: & quia tales oblationes, non erant acceptæ Deo, nisi ex fide & deuotione offerentium: & quia propter gratitudinem in aliquo beneficio, homo meretur aliud beneficium; ideo post beneficium liberationis, datur beneficium asseuerationis, cùm dicitur: Nequaquam, &c.* — Genes. 8. 21. — *Grate de chari^re. ditorem.* — Lyranus.

141. Hinc est, vt quando Deus, concessa aliquibus beneficia suspendit, nouum continuationis beneficium negaturus: illorum ingratitudinem obiiciat, de obsequio sacrilegè denegato. Tradiderat ille abominabilem iam vitiis Israelem, in manus gentium: nec vllo maiori, in re bellicâ, beneficio, has poterat deuincire: quàm dum electum Populum, illis prosternit, victoriæ Triumphum cantaturis. Doluerat id præuidens Dauid, qui gentis suæ libertatem postulans gemebat: *vendidisti Populum tuum sine pretio, &c.* Psalm 43. v. 13. cui intendens Deus, ait per Isaiam: *Gratis venundati estis; & sine argento redimemini.* Cap. 52. v. 3. vbi meritò addubitat Augustinus Tom. 4. lib. 7. in Iud. quæst. 17. *Quare venditi, si gratis, & sine pretio: & non potius donati? an fortè Scripturarum locutio est, vt venditus, etiam qui donatur, dici possit? hic autem sensus est optimus, in eo quod dictum est, gratis venundati estis: & vendidisti Populum tuum, sine pretio.* Quare nunc, & quod pretium afferre potuissent Gentes, vt Israël, non tam dari, quàm iusto vendi illis, videretur? Respondet idem Augustinus. *Quia illi quibus tradidisti populum. Impij fuerunt: Non (Deum colendo) tradi sibi illum populum meruerunt, vt ipse cultus, tanquam pretium videretur.* Gratuitum ergo merè beneficium, quod nullo cultûs obsequio meruerant, acceperant. Sed cur tollitur? cur illis, & victoriæ & captiuorum longior fruitio denegatur? quia ingrati gratias denegarûnt, & in superbiam elati, non solùm in iniquitate sua perstiterunt, sed benefactoris insuper nomen blasphemàrunt. Hoc est quod addit Isaias. *Et nunquid mihi est hic, dicit Dominus, cùm ablatus est populus meus gratis? dominatores eius iniquè agunt, dicit Dominus: & iugiter totâ die nomen meum blasphematur.* v. 5. Pende illud: *quid mihi est hîc?* de quo Vatablus, in Notis. *Quid mihi est hîc negotij? quid moror, quin liberem populum meum?* q. d. Sperabam, vt per acceptorum gratias, nouis accipiendis pararemini: à quo tantùm abfuistis, vt potiùs in deterius rueretis: vnde cogor iam vos beneficio dato spoliare: quid enim vlterius morer, qui tandiu iam frustrà expectaui, si fortè gratiis noua expiscaremini? Discat ergo Princeps, in id tantùm à subditis gratias exigere. — Psalm. 43. v. 13. Isa. 52. 3. D. August. — *Dei beneficium, vnde ematur.* — *Ingratitudo perdit acceptum.* — Isa. cit. v. 5. — Vatab.

XIII.

Non sit itaque emax beneficentia Principis: satis illa, de se hamata, referet ab Ingenuis.

Et meritò. Nam quid aliud intendere, iam non est beneficium dare sed mercaturam exercere. Beneficentia, se ipsâ contenta est. stipendiis, præmiis, similibusque donis, quæ ad Iustitiam, aut alias virtutes pertinent: pacisci cum subditis Principes, absque rubore poterunt: de liberali beneficio paciscentes, iam beneficii corrumpūt rationem: emacem si dicis, negas liberalitatem. In hominem prodigum, & multa profundentem temerè, hoc scomma, (Auctore Æliano) iactabat Democritus. *Malè pereas: qui Gratias virgines, Meretrices effecisti.* Sed, me Iudice, quadrat in eos aptiùs, qui gratias, quæstuarias reddiderunt: cùm tamen synceræ & incorruptæ, neque venales haberi, neque mercede prostitui, deberent virgines. Vnde Seneca lib. 1. de Benef. — 124. *Beneficentia Principis ne sit emax.* — Ælianus. *Gratia meretrices, quæ.* — Seneca.

F de

Gratiarum r. ... de his Gratiis, vt apud priſcos pingebantur. *Ideo videmes, quia promerentium vultu hilares ſunt, quales ſolent, & qui dant, & qui accipiunt beneſicia. Iuuenes, quia non debet beneficiorum memoria ſeneſcere. virgines, quia incorrupta ſunt, & ſyncera, & omnibus ſancta.* Tu videris, an ſyncera an incorrupta fuerint Principis beneficia, quæ proſtituta quæſtui, ſperant mercedem, pretio elocantur?

143. Productis iam omnibus animalibus, hominis ſeruitio deſignatis, ſubdit Deus: *Ecce dedi vobis omnem herbam, &c. & vniuerſa ligna &c. vt ſint vobis in eſcam, & cunctis animantibus terræ.* Geneſ. 1. v. 29. *Gen. 1. v. 29.* expendo illud *Ecce*: attentionem enim poſtulat Deus, quaſi aliquid non perfunctoriè inculcans. Sufficiebat homini ad nutrimentum vnum aut alterum pomorum genus: Satis beſtiis erat, ſi ad certum vnius herbæ pabulum addicerentur: non tamen Deus contentus neceſſarius, delitias etiam illis adminiſtrat. Sed quo diuino vſu? quali quæſtu? nullo: nec enim creaturarum opera, tanquam mercede indiget Creator. quid ergo? Creatorem ac Dominum decère vidit; ſubditis, nullo expectato commercio liberaliſſima dare beneficia: vt exemplo ſuo, quid Reges, ſubditis & miniſtris ſuis debuerint, propalaret. Oleaſter ibi. *Commones locus iſte eos qui Miniſtros habent, victum illis præſtare. quid quæſo miniſterij bone Deus, ab illis, quos tam ſumptuoſè alis, conſequeris? Quid tibi aues, quid bruta, quid homines præſtant? tantùm abeſt, ne iniurij ſint. Sed quia creaueras, prouidere dignatus es. quot ſunt homines, quot Nobiles in mundo, qui cùm miniſteria à ſeruis recipiant, indignos eos pane ſicco reputant. Diſcamus ergo tam liberalem, támque pium in ſuos dominum habere: illíque totis viribus miniſtrare, qui etiam eos, qui propriis inſeruiunt vtilitatibus, tam munificè & largè alere dignatur.* Degenerant à Supremi Regis generoſitate Principes, qui benefici, ſibi potiùs, quàm ſuorum vtilitatibus deſeruiunt: neque enim hæc tam munificentia fuerit, quàm venditio.

Quàm larga & ſyncera ſint, diuina beneficia

Oleaſter.

Domini ſeruos alant.

144. Sed quia de hac materià, plenas vtriuſque ſcholæ paginas paſſim incurres, ſuperſedeo. Id vnum adnotans, (priùs quàm ad ſecundam partem tituli veniamus,) non ſolùm vile hoc commercium, Regiæ Magnificentiæ fore fugiendum, ſed etiam latens aliud quo vmbratilis quædam venditatur liberalitas: & ſub ſpecie doni phantaſtici, res ipſa ad datorem redit ſagaciter. Captabat ſeruus Abrahæ, domini ſui filio optatas Nuptias: vtque ſponſalia iam pacta firmaret tenacius: *Prolatis vaſis argenteis & aureis, ac veſtibus, dedit ea Rebeccæ pro munere. fratribus quoque eius & Matri dona obtulit.* Geneſ. 24. v. 53. vbi Oleaſter. *Etiam hic allucet prudentia ſerui, nam Rebeccæ, dedit vaſa aurea, & argentea, & veſtes: Matri verò & fratribus dedit donaria: quoniam illa erat principalis in negotio: ex cuius conſenſu præcipuè pendebat res.* Sed pace magni viri, non aſſentior. Puella modeſtiſſima, tota materno fraternóque obſequio deuincta, imperio deuota, ſic illorum nutui paritura debuerat præſumi: vt non tam ſuo, quàm illorum libito, ſub virgineo ad rem nuptialem pudore, ſtare videretur: illi ergo potiùs, quàm Puella, pretioſioribus alliciendi veniebant. Quid ergo Prudentem impulit, vt donorum ordinem interturbaret? Ego hîc non tam Prudentiam liberalitatis ſororem: quàm

Phantaſtica liberalitas, qua id videris donare, quod tibi redit.

Geneſ. 24. Oleaſter.

Prædicta liberalitas, nullo modo regia.

humanam ſagacitatem puto interceſſiſſe: videbat pactam iam Puellam: vmbram ergo liberalitatis exercuit: ſic dedit, vt nihil daret, & domino ſuo dona redderentur. Neque hoc latuit cultiſſimum meum Luſitanum: qui quaſi non contentus primo: ſic ſubiungit. *Secundo: quia quæcunque pretioſa illi dediſſet, illa erat ſecum in domum Mariti allatura: & ſic nihil in re illâ perderet Abraham.* At ego crederem, non ita beneficia daturum, ſi adeſſet, Abrahamum: neque enim Regii ſpiritûs ſed ſeruilis ſagacitatis erat hæc partitio.

Oleaſter.

Neque mirum generoſa Principis indoles, nihil ex datis beneficiis quærens, non tamen ignaueſcat, ipſo liberalitatis contenta ſplendore: quid enim per ſe ſollicitet, quod eodem non curante, longè efficacius agit liberalitas. Hamum quidem gerunt, etiam præter datoris intentionem, beneficia: nec vnquam apud ingenuos ponuntur: quin longè maiores gratias referant, quàm ipſe auidus etiam donator poſſet exigere: vt ipſa dantis generoſitas, abſque mercaturæ notâ, commercium longè exerceat quæſtuoſius. Poſt ingens illud beneficium, quo Traianus publicæ Romani Orbis fami conſuluit: cùm nil aliud intenderet, quàm benefacere, ſic nihilominus omnium Prouinciarum fidem & animos ſibi conciliauit, vt nunquam vberioris lucri commoda poſſet cogitare. ideo ad illum Plinius Panegyr. *Quàm nunc iuuat Prouincias omnes, in fidem noſtram, ditionémque veniſſe: poſtquam contigit Princeps, qui Terrarum fœcunditatem, nunc huc, nunc illuc, vt tempus & neceſſitas poſceret, transferret, referrétque: qui diremptam Mari gentem, vt partem aliquam Populi plebiſque Romanæ, aleret, ac tueretur.* Itaque qui ſub aliis Imperatoribus gemuerant: eoſdem iam iuuabat ſub ditionem Romanam veniſſe. Quid poterat euenire Principi glorioſius? Sed vnde tanta huius beneficentiæ fælicitas? certè quòd nihil ſperaret, nihil inde repoſceret Traianus. Ideo idem Plinius poſtquam fusè ſiccitate Nili, inopem & afflictam Ægyptum deſcripſit: Traianíque liberalitate nutritam illam Prouinciam, quæ cæteras ſolebat enutrire: ſic concludit. *Solum illud, & flumen precor, vt hac Principis benignitate contentum, molli gremio ſemina recondat, multiplicata reſtituat. Non equidem repoſcimus fœnus, putet tamen eſſe ſoluendũ, fallacémque vnius anni fidem, omnibus annis, omnibúſque poſtea ſæculis, (tanto magis, quia non exigimus) excuſet.* quaſi eò impenſius gratiæ deberentur Principi, quò ille liberalior debendas non curauit: eò reddantur vberius quò minus vſuræ fœnora repetuntur.

145. *Liberalitas ipſa, apud ingenuos, generosè hamata capit, quæ non captat.*

Plinius.

Idem.

Longè verius, longè benignius, quàm Traianus, & ſterilem Nilum ſuppleuit & Orbis famem compeſcuit Ioſeph, ſic in omnes beneficus vt meritò *Saluator Mundi* diceretur. 146.
Prætereo cætera eius beneficia, ſolùm illa quæſo referas in memoriam, quibus fratres ſibi olim infenſiſſimos cumulauit: deinde expende, quid iam onuſtis precioſitate munerum, & in Patriam redituris præcipiat. *Dimiſit ergo fratres ſuos, & proficiſcentibus ait: ne iraſcimini in viâ.* Geneſ. 45. v. 24. Et vnde timor, ne forte in viâ malè rixarentur. Procedebant læti, diuites, lætius nuntiũ Patri allaturi: vnde inter feſtiuos, iurgia prudenter poterant præſumi? mouerat prudentiſſimus Princeps occultum hamum beneficiorum, ingenuis

Liberalitas rebelles subditos componit. nuis fratrum cordibus necessariò infigendum, & quam non reposcebat ipse, gratiam fore vberiorem, relaturum. Iam fratres existimabat beneuolos, iam pœnitentes, quòd sic beneficum fratrem olim vendidissent: iam inuicem, non absque commoti doloris iurgio, incusantes, & alteros alteris imponentes, quod sibi prisci sceleris, (quod proprio sanguine vellent expiatum) causa forent. Monet ergo ne rixentur, & anxietate fidei beneficiis soluendæ, mutuò se in iram excitarent. Nunc capies ibi Lyranum, qui ita. *Hoc dixit Ioseph, quia timebat, ne cùm fratres ab eo recessissent, litigarent ad inuicem, reponendo sibimet vnus alteri malitiam factam contra Ioseph.* Sic certus erat de fide, de gratiis & habitis, & generoso saltem affectu reddendis: vt mutuum iræ tumultum, à beniuolentià feruidà præcaueret. Et quid maius speret Princeps à beneficentia sua, quàm rebelles, si fortè subditorum animos sic deuincire: aut iam beneuolos, arctius colligare?

Lyranus.

147. *Et reddēdas gratias, necessario exigitur.* Nescit aliter apud ingenuos locari beneficium: quin, quidquid liberalissimum veniat, redditibus gratiarum redeat onustissimum. Salutarat Angelus Mariam, & ipsam suo nomine, Dominij præsagio, Dominam appellarat: dixerat in Reginam sæculorum electam, dum in Saluatoris Matrem, obumbrante virtute Dei eligitur. ad quem tunc illa: *Ecce ancilla Domini.* Luc. 1. v. 38. Eximiæ humilitati deferunt rem Patres, & meritò: Quæro tamen vnde obsequiosa humilitas, quâ se perpetuo mancipat ancillatui, creuerit in Maria? creuisse enim inde arguo, quòd initio turbata, & Mysterij tanti modum quærens, cùm se posset ancillam appellare, subticuit: humillimum obsequium, in posterum reseruans, quid ergo? creuere nouis promissis Angeli, diuina beneficia: & ipso suo pondere haud inuitam virgunculam depresserere: vt in profundius humilitatis missa, magis se inde gratam exhiberet. bene D. Petrus Chrysol. ibi serm 142. *quæ vocatur ab Angelo Domina, ipsa se cognoscit, & confitetur ancillam: quia deuotus animus, insultu beneficiorum crescit ad obsequium, augetur ad gratiam: non ad arrogantiam prosilit, non ad superbiam pertumescit.*

Luc. 1.

D. Pet. Chry.

148. *Accepti beneficij notitia, gratias extorquet.* Vnde est vt Deus, qui non tàm suo, quàm bono nostro, gratias à nobis exigit, id præcipuè agat vt plurimùm, vt ingenuo animò eiusdem beneficia innotescant, quasi præuidens id tantummodò satis esse, vt ipsum beneficium suauissimè gratias extorqueat. Clamantibus cæcis opem, ait Christus: *quid vultis, vt faciam vobis? dicunt illi, Domine, vt aperiantur oculi nostri.* Matth. 20 v. 32. Ignorabat, omniscius Iesus, quid cæci cuperent: absit; si ergo apertissimè cæcorum vota penetrat: cur interrogat? vt ipsi miseriam profitentes, eandémque etiam clariùs intuentes: beneficij magnitudinem conferendi, altiùs introspicerent: sciens nimirum fore, tantum se grati affectus erga beneficium reddituros: quantam & calamitatis priscæ, & aduenientis remedij notitiam participarent. D. Eulogius Archiep. Alex. apud Phot. Cod. 230. *Cæcos interrogabat, vt ab illis eliceret petitionem: quantum enim beneficij, quod ipsimet petimus, nobis comparamus: tantum afficimur ad beneficium agnitum; & acceptum.* æstimaui fere versionem mei Scotti, quamuis alibi, aliter vertendum putaui

Matth. 20.

D. Eulogius.

R. P. Pinto Ramirez Monit. Polit.

hunc tractum. sic nescit apud Ingenuos beneficium agnitum sterilescere.

Daturus Deus legem populo, sic incepit. *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Ægypti; de domo seruitutis.* Exodi 20. v. 2. deinde nullo alio addito verbo, latissimè præcepta sua inculcat. quid quæso optabat Deus à populo, hoc prisci beneficij præconio? certè nihil aliud, quàm ipsius bono populi, in animi gratam significationem, ab eodem exigere fidelitatem, & obseruantiam. Cur ergo, vt iam incomparabili deuincti beneficio, gratissimos se præberent, & inde legem dandam suauissimè amplecterentur non exprimit? superuacuum id duxit ducens scilicet seruos suos, ingenuâ iam mente præditos: quibus proinde satis esset, beneficij memoriam recolere, vt gratissimi futuri intelligerentur. ideo bene ibi Oleaster. *Quorsum hæc Domine Deus? vide legis latoris prudentiam. Solent collata beneficia, hominem retinere, ne benefactorem offendat: & libertas ad memoriam reuocata, seruum quasi cogere ad obedientiam. Ideo Dominus, duo hæc præmittit ante legem: vt Iudæos inuitaret ad suarum legum obseruantiam.* Fundat, fundat largus, Princeps meus, in subditos, beneficia: Hæc enim satis è se, hamata veniunt, vt etiam incogitanti ipsi, subditorum reportent fidelitatem, & amores.

149. Exod. 20.

Et fidelitatem.

Oleaster.

XIV.

Qualis futura beneficentiæ Regiæ magnitudo. & quomodo, & vnde spectanda.

Illud etiam in beneficiis suis excellentissimo Principi cauendum: ne priscorum aliquorum Regum sordidissimæ arrogantiæ insistat, qui beneficij pondus, non tàm à doni ipsius conditione, & ab accipientis vtilitate: quàm à suâ donantium dignitate, trutinabant: vilissima sæpe dederunt, & accipientibus fere parum vtilia: & tamen quod ipsi dabant, in magno pretio ponenda, osculanda reuerenter cupiebant. Parco profanis exemplis, quia nota cuiuis: libo è sacris vnum Opprimendum curauit Pharao Israelem, ne otio deditus, ne indulgenter habitus rebellaret: Exod. 5. v. 8. Ergo beneficia subtrahit, suspendit liberalitatem. Ecquæ illa? attende *Egressi Præfecti operum, & Exactores, ad populum dixerunt. Hæc dicit Pharao: non do vobis paleas.* v. 10. Ergo tota Pharaonis beneficentia, in subditum, & afflictum populum, paleis ad conficiendos lateres, claudebatur? planè. Rex erat, & ille tumidissimus, nec tam quid daret, quàm quòd ipse daret, cogitabat; paleas è regali manu, tanquam gemmas volebat æstimandas. Insana est hæc Principum arrogantia: quam proinde prudenter taxat hîc Oleaster. *Audis quantis faciant Principes, etiam si quæ minima suis dederint: dat iste paleas. & quanti faciat munus, vides, negando illas.* Ingens, stultitia! non negarim sæpe ad eximium honorem redundare, cùm Princeps, amoris & familiaritatis ergo minimum aliquid porrigit subdito: tunc tamen non tàm donatæ rei, quam subsecuti à familiaritate honoris, pensatur

150. *Princeps, à re potius, quam à persona sua dignitate, penderet beneficia.*

Exod. 5.

Oleaster.

ſatur beneficium: quod proinde meritò, multis muneribus, ſubditus præponit. Sed cùm res ipſa quæritur indigenti paleæ, vel à Rege donentur, vel à Ruſtico, paleæ perſeuerant: niſi quod à Rege vt turpius, ſic indignantius accipiuntur: à quo longè maiora ſperantur.

151. Ergo digna, ſe Principe, dona tribuat, quiſquis imperat generoſus: ſciens non aliunde melius, quàm à qualitate beneficij, excellentiam Principis diſcerni. Fœminæ garrulæ, quæ multa de Samaritanis Iudæiſque interdicto commercio, egerat cum Chriſto; ille tandem aquam viuam leuiter inſinuat: ad quem ipſa, ad huc proteruè contumacior. *Nunquid tu maior es Patre noſtro Iacob, qui dedit nobis puteum?* Ioan. 4. v. 12. Quàm facilis tunc erat reſponſio, vt qui poſtea ſe Meſſiam reuelauit, tunc ſe Iacob maiorem, & dominum teſtaretur? ſed quàm aliter! vide quid ſubdat. *Omnis qui bibit ex hac aquâ ſitiet iterum: qui autem biberit ex aquâ, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum: ſed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* v. 13. nihil de comparatione ſui cum Iacob: tantummodò huius puteum, cum fonte ſuo dando comparauit. quid ita? non potuit aptius, certe non decuit aliunde agnoſci, audiendus ibi Photius in Cat. Corder. *Dicente illa, Nunquid tu maior es patre noſtro Iacob: non reſpondit, certè maior ſum: viſus enim fuiſſet, ſeſe tantum iactitare, nondum ſui factâ probatione: ex iis autem quæ ſubdit, rem aſtruit: non enim ſimpliciter dixit, dabo tibi aquam: ſed prius illâ Iacobi neglectâ, ſuam laudat. à munerum naturâ, dantium volens differentiam oſtendere: & quantùm ipſe Patriarcham excelleret.* Ergo poſtquam ex donis, quantum Iacobo præſtet, decorè probat: vt non iactationis verba probet; occulta pectoris, & retroactæ vitæ geſta, fœminæ patefacit: quaſi, vt diuinitatem ſuam ſcrutatione cordis confirmat: ſic diuinitatis excellentiam, magnifici doni liberalitate confirmârit. Diſcat Princeps, ſolâ magnitudine doni, regalem excellentiam ſic probari.

Digna ſe Princeps conferat beneficia.

Ioan. 4. v. 12.

& v. 13.

Muneris excellentia Principem deſignat.

152. Caueat tamen, ne ſic dicta capiat, quaſi temerè, ſola ſit ſibi magnitudo doni attendenda, cæteris rei circunſtantiis non obſeruatis: errabit ni ſaltem in hac parte, totum ſe Senecæ cõmiſerit inſtituendum: qui lib. 2. de Benef. cap. 16. prudenter ſic ſcribit. *Vrbem, cuidam Alexander donabat veſanus, qui nihil animo, niſi grande conceperat: cùm ille, cui donabatur, ſe ipſum menſus, tanti muneris inuidiam refugiſſet, dicens, non conuenire fortunæ ſuæ: non quæro, inquit, quid te accipere deceat, ſed quid me dare. Animoſa vox videtur, & cùm regia ſit, eſt ſtultiſſima: nihil enim per ſe,* (id eſt non attentis circunſtantiis) *quenquam decet. Refert quid, quando, cui, quare, ibi &c. ſine quibus facti rogatio non conſtabit. Tumidiſſimum animal, ſi illum accipere non decet, nec te dare: habetur perſonarum, ac dignitatum proportio: & cùm ſit vbique virtutis modus, æquè peccat, quod excedit, quàm quod deficit.* de quo ſuo loco multa dicam. Aliud ergo eſt, quod intendebàm, cùm liberalitatem Principis de beneficij magnitudine commendabam, illúmque ab eâ probabam venerabilem, condignum quippe, & proinde ſub debitis circunſtantiis prudens, & menſuratum beneficium intellexi. Ingens & modum omnem humanæ naturæ ſibi relictæ excedens, erat donum illud diuini fontis, Mulierculæ propinari: Sed tamen iam ſub præuiâ vocationis gratiâ diſpoſitæ, proportionatum, ideo illa vbi colloquentis maiorem concipit reuerentiam: & dominum vocat, & donum tantum audet poſtulare: *Domine da mihi hanc aquam.* v. 15. quaſi à Domino tanto, minora petere eſſet indecorum, nec iam vocatæ, inſinuante ſe luce, auguſtus potus, veniret improportionatus. ideo D. Gregorius Nazianz. Orat. in Sanct. Baptiſm. ita poſt multa de Dei liberalitate. *Hoc enim caueamus, ne ſordidi ac praparci animi notam ſubeamus, parua poſtulantes, ac Dei liberalitate indigna. Beatus, à quo vt ab illa Samaritana, potum Chriſtus poſcit, fontemque dat aquæ, in vitam æternam ſalientis.*

Sub quibus circunſtantiis danda beneficia.

Seneca.

Sed illa ſemper Principe digna.

Ioan. 4. v. 15.

D. Gregor. Nazianz.

Quid ergo, inquis, nunquam-ne parua à Principe donanda? certè nunquam, niſi aut ex petentis voto, aut ex aliis circunſtantiis, hæc ipſa iam pro magnis reputentur. Protectorem ſe Abrahæ promiſit Deus, & mercedem illius futuram magnam nimis, ad quem tunc iſte. *Domine Deus quid dabis mihi? ego vadam abſque liberis* Geneſ. 15. v. 2. Quaſi pro nihilo penderet accepta, & ſumma putaret, filium ſi acciperet; at erant illa parua? imò maxima: in Abrahami gratiam, Pharao ingentibus plagis flagellatur: vxor eius intacta reſtituitur. inde ſic diteſcit homo, vt trecentos è ſuis vernaculos expediens Reges fortiſſimos, & victoria inſolentes debellauerit. additur ditiſſimæ prouinciæ, decem extirpandis nationibus inchoata poſſeſſio, ſecura promiſſio: quid grandius vſquàm poterat cogitari? at in filio quid? commune eſt, & vel etiam pauperculis, imò & brutis conceſſum beneficium: quid ergo ſingulariſſimæ donorum vbertati, hunc præponit: quaſi hoc vno longè à Deo obligandus? imò, quod maius eſt, quid ſancti Doctores, hoc vnum ſobolis conceſſum beneficium, cæteris aliis præponunt contentioſè? nil mirum: optabat hoc vnum auidiſſime ſanctus Patriarcha: & quantùmuis facilè cuiuis communicabile, ſic creuit petentis voto anxio, vt iam tanquam aliquid maximum, à Deo liberaliſſimo veniret. ſub hac circunſtantiâ, etiam minima & vulgaria, pro magnis imputare poteſt Princeps: cuncta quippe alia maiora, quæ ſubditus acceperat, pro nihilo, præ ardore deſiderij impleto reputauerit. Oleaſter poſt multa: *Et aliud, quod hic aduertas: homines ſcilicet nihili facere, quæcunque illis contuleris, niſi quæ cupiunt, addidero. Multa & præclara munera, Dominus Sancto Seni contulerat: ſed quoniam, cum eis non dederat optatum ſemen, pro nihilo reputabat.*

153. *Quando poſſit Princeps condignè parua concedere.*

Geneſ. 15.

Nullum beneficium grandius, quam quod anxiè, licet in paruis poſtulatur.

Anxius ſeruus ille Abrahæ, (de quo ſuprà num. 144.) inueniendæ condignæ ſponſæ, Domini ſui filio: ſignum è cælo petiuit, vt quæ puella adſtanti ſibi ad fontem, potumque petenti, aquam lubens præberet: illa Domino, ad fœliciſſimas nuptias duceretur. Accedenti ergo Rebeccæ ait: *Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua.* Geneſ. 24. v. 17. & quia illa præbet: & inſuper potum paleaſque eiuſdem Camelis offert: adorato Deo, fœliciſſimum negotij exitum, refert in acceptis. Non eſt facile huius ſigni ſacramentum: expende mecum ſi vacat ex hoſpitali liberalitate Puellæ, id captabat prudens ſeruus, vt in liberaliſſimam, hoſpitaliſſimámque Abrahæ familiam, haud degenerem

154. *Ex circunſtantiis, exiguitas doni, creſcit in immenſum.*

Geneſ. 24.

degenerem dominam introduceret: Munificique Patriarchæ condignam Nurum, largissimoque Isaac, vxorem contionam exhiberet. Sic notant Sancti Doctores. Sed qualis hæc proportio ? quid facit ad Patriarchas regalibus opibus insignes, & plusquam regio animo illarum ad pia hospitia benefice diuisores: virguncula, in aqua, inque paleis, liberalis ? Quid augusta illorum beneficia, cum huiusce angustiis ? Certè in his etiam regales planè animos, & cum illis Patriarcharum comparandos, liberalis puella spirabat: auidissimum se aquæ exhibuit supplicator: aquam illa porrigit libens, & insuper non petitam, camelis præbet: quibus & pabulum, & domino hospitium, domi promittit. Sub his circunstãtiis, vt illi nihil gratius poterat dari, sic nec virgunculam, aliquid liberalius offerre decuit. Bene D. Chrysost. tom. 6. Homil. qual. vx. duc. in hunc locum, post multa, sic ad rem nostram, de tertio secum tacitè colloquente. *illam quæro vi g... em, quæ hospita is est, vt nullum, quantum potest, recuset ministerium. idque non temerè facit. sed quia in eis fuerat educatus ædibus, quibus maximè colebatur hospitalitas: proinde mores quæro, herorum suorum moribus consimiles.* & multis interiectis concludit. *Nec refert, quòd aqua erat, quæ offerebatur: tunc enim hanc solam habuit: hospitales autem, non ex sumptu censendi sunt, sed ex facultatibus.* Si ergo in tales circunstantias venerit Princeps, iam nihil à regali spiritu degenerat, licèt parua donet: cùm meritò Rebecca, regios animos, & Abrahamaticis persimiles, de aquæ potu credatur spirâsse. Vide Senec. 1. de Benef. cap. 7.

Nuptiæ censura.

D. Io. Chrys.

XV.

Tandem iactantiam, & exprobrationem euitet: occultans, si opus fuerit beneficia.

155\. *Dura benefi cij exprobratio.* *Seneca.*

AD calcem Notationis, id in beneficiis suis, quod veterum Authorum calculo firmat Seneca lib. 2. cap. 9. obseruet Princeps meus. ergo ille ita. *Præcipiunt itaque omnes Authores sapientiæ, quædam beneficia palam danda, quædam secretò: palam, quæ consequi, gloriosum est, vt militaria dona & honores, & quidquid aliud notitiâ, pulchrius fit. Rursus, quæ non producunt, nec honestiorem faciunt, sed succurrunt infirmitati, egestati, ignominiæ, tacitè danda sunt, vt nota sint solis, quibus prosunt. interdum, & ipse qui iuuatur fallendus est vt habeat, nec a quo acceperit, sciat.* Itaque quidquid notitiâ pulchrius non fit vt videnti vtilius credatur: beneficentiam cumulat, dum occulitur. Si iactas & exprobras, iam vendis: atqui beneficium vndique gratuitum nihil vt suprà dixi, venale debet admiscere. *Pudeat,* inquit idem Seneca l. 1. cap. 15. *venale beneficium.* vnde & M. Tullius lib. 1. de offic. *Etenim videre licet plerosque, non tam naturâ liberales, quam quadam gloriâ inductos, vt benefici videantur: facere multa, quæ videntur magis proficisci ab ostentatione, quam à voluntate.* Sed omnium grauior D. Zeno Veron. Serm. de Iustitiâ, sub qua omnes videtur virtutes comprehendere: ita. *Hæc captiuorum iuga, redemptionibus frangit: incarceratis medendo, plus carcerem nouit blandâ peruigili curâ: ægritudinem, cum ægro partitur: abiecta cadauera in terrâ inhumataque esse non patitur: in pauperes, miserisque sua necessitate neglectâ, pietatem largitur, furtim semina spargit, nec rogari se permittit nec vicaria laude remunerari meretur.* Est hæc furtiua spartio, vndique ingenua: neque vnquam à furto alienior, quàm dum occultis his technis vtitur benefaciens. furatur quippe beneficentiæ decus, quisquis Gratias virgines sic corrumpit: vt illas aut mercedibus, aut vicariis harum laudibus sacrilegè exponat prostituendas.

Beneficium quando occultè dandum.

Beneficium non sit venale. *Seneca.* *M. Tullius.*

D. Zeno Ver.

Occulta beneficentia, gloriosior.

Ardentissimo venturi Christi desiderio exclamabat olim Isaias: *Vtinam dirumperes cælos, & descenderes.* Cap 64. v. 1. non dixit, vtinam aperires Cælos, sed dirumperes. quasi nostro loquendi modo, eâ pompâ, eo fastu supremus descensurus Princeps præsumi posset: vt solitæ Cælorum portæ, comitatûs affluentiam excipere non potentes, necessariò, vt procedentes Angelorum cateruas caperent, essent rumpendæ. Sed quid tandem ? Vidit illum in spiritu Dauid, & sic describit. *Inclinauit Cælos, & descendit.* Psalm. 17. v. 10. & quò inclinauit ? ad terram vsque: quasi tantùm abesset, vt veniens humano beneficio, Comitatiuæ strepitum, sodalitii pompam deferret, quin etiam, mediam istam aëris sphæram (humano more dixerim) latere proposuerit. itaque inclinat Cælos in terram, vt è sinu Patris, in Matris vterum, nemine adnotante transiret. ideo, vt ait Sapiens, dum medium silentium tenerent omnia, & Nox in suo cursu medium iter peragerer, à regalibus sedibus venit, verè regale daturus Orbi beneficium, dum Orbem dormientem piè fallit: vt habeat, quod ignorat: quia tunc notitia vtilior non erat. Euthymius ibi. *Volens nobis Propheta abditum diuinæ Incarnationis mysterium significare: ait, quòd inclinauit Cælos vsque ad terram: & quod sine strepitu descendit.* Quantum ergo strepitus & pompæ addit Princeps beneficiis irrogandis: tantùm sibi adimit liberalitatis. Vide, quæ de sole benefico, absque plausu, & strepitu suprà dedi, num. 106. pergo.

156\. *Isaiæ. 64.*

Psalm. 17. *Descensus Christi cur tacitus.*

Euthymius.

Promittitur Baptista Patri, qui dum dubitat, vocem amittit. Luc. 1. v. 20. Concipit Præcursorem Mater sterilis: *& occultabat se, mensibus quinque, dicens: quia sic fecit mihi Dominus, &c.* v. 24. Vides quo silentio Verbi vox, redemptionis Præco, Euangelii tuba concipiatur, & in vtero clescat ignotus, qui ab vtero, prophetantibus parentibus, gloriosissimè proditurus ? ne mireris post Christum & Mariam, nullius hominis conceptione, arctius à Deo deuinctus est Orbis: summi beneficii, quod concepto Christo accepimus, cõcepto eiusdem Præcursore, gustauimus libationem: vt ergo in Christi, sic in Ioannis formatione, quia tunc notitia vtilior non erat: totius pompæ plausus, totius strepitus pompa euitatur. ideo, ni fallor, ibi D. Chrysol. serm. 92. *Celabat se mensibus quinque, vt modo conceptus fateget verecundia, quam diu negati partus ærumna afflixit. Pater, tacet ex pœnâ, ex verecundiâ, Mater tacet. O quanto silentio, vox nascitur! O quantâ taciturnitate, Tuba sæculis inclamatura generatur! O quod secretum, diuini Iudicis dat Præconem.* At in vtriusque ortu, quanto accepti beneficii notitia pulchrior, & vtilior, nonum erat accepturis beneficium: quanto Terræ Cælique strepitu, nascentibus applauditur ? credat mihi genero-

157\. *Luc. 1.*

ſus Princeps: nunquam dabit fælicius, quàm ſi, dum expedit dederit occultius.

158. Conſtructam Arcam fœderis operit Propitiatorium: & ſubdit Deus ad Moyſem, de apponendis ibi Cherubinis. *Vtrunque latus Propitiatorij tegant, expandentes alas, & operientes Oraculum.* Exodi 25.v.20. Quod operiatur Arca, incluſis legis tabulis grauida, Propitiatorio, benè eſt: quia legis ſeueritas diuinâ propitiatione mitigatur. Sed cur ipſum Propitiatorium, tot pennis, tot cherubicis alis obtegatur? Si beneficentiæ diuinæ Thronus erat, Tribunal liberalitatis, cur acceſſuris rogantibus non pateat? quia non opus erat, vt accederent, imò nec populus accedere permittebatur: vnde nec opus erat, vt videretur. Nouerat aſſiſtens ibi Numen, ſic beneficia impertiri, vt interim lateret: & ſub ſpecie reuerentiæ, ne accederent, ne viderent rogatores generoſiorem beneficentiam occultabat: ſubtractum ſcilicet obtutibus, donis ſentiendum. Oleaſter ibi. *Conſidera quæſo, quid te hîc admoneat Deus: ſummus benefactor eſt, & nihilominus tectus: vt te doceat benefacere, & nolle videri.* Dixi de hoc diuinæ beneficentiæ ingenio, multa in Cantico Salom. nec pauca, in Spicilegio Sacro. Ita ergo eſt, qui videri cupit benefaciens, cùm non ſit opus, iam non tam præbet, quàm vendit beneficium. bene Seneca, qui multa ex his, quæ ſuprà dilataui, ſic conglobat. 2. de Benef. Cap. 15. *Nullum beneficium dabo, quod turpiter peterem: nec exiguum dilatabo, nec magna pro paruis accipi patiar: nam vt qui, quod dedit imputat, gratiam destruit: ita qui, quantum det oſtendit, munus ſuum non commendat, ſed exprobrat.* At certè hæc oſtenti beneficii exprobratio, vt patienti dura: ſic inferenti reputetur fœdiſſima.

Exod 25.

Tribunal gratiæ, cur occultum.

Oleaſter.

Seneca.

159. Neque mirum. Mauult vnuſquiſque Ingenuorum carere beneficio, quàm dantis exprobrationem tolerare. Seneca citatus, Cap. 11. *Libet exclamare, quod ille, Triumuirali Proſcriptione, ſeruatus à quodam Cæſaris amico, exclamauit, cùm ſuperbiam eius ferre non poſſet: Redde me Cæſari: quo vſque dices; Ego te ſeruaui ego te eripui morti? iſtud, ſi meo arbitrio memini, vita eſt; ſi tuo, mors eſt: nihil tibi debeo, ſi me ſeruaſti, vt haberes, quem oſtenderes: quouſque me circunduces, quouſque me obliuiſci fortunæ meæ non ſinis? ſemel in triumphum ductus eſſem.* Hinc eſt, vt nihil cariore ſibi putet emendum, quàm quod exprobratrici datoris memoriæ, timuerit infigendum. Sepulchrum condendæ Saræ ſuæ, ab Ephron Principe ſollicitabat Abraham: nec vllis Principis precibus moueri potuit, vt illud, oblatum benigniſſimè, gratis acciperet: ſed pergit conſtans: *dabo pecuniam pro agro, ſuſcipe eam, & ſic ſepeliam mortuum meum.* Geneſ. 23. v. 13. Nunquid dubitabat de liberali animo tunc offerentis? non putarem. Nunquid non proteruia eſt, oblata, quibus indiges, reſpuere? ita eſt. Quid ergo pertinax, repellit beneficium Abraham? Nouerat Chananæi Principis ingenium: qui licèt tunc magnificum ſe exhiberet, leui tamen ſubortâ occaſione, collatum beneficium exprobraret: meritò ergo, non pertinax, ſed prudens; maluit agrum emere, quàm accipere: & illum agrum, cuius à Domino Deo ſibi promiſſi, iure iam gaudebat; malens iuri ſuo cedere, diſſimulare titulos, quàm exprobrationibus ſubiacere. Oleaſter ibi. *Quid agis bone Senex, emendo, quod tibi à Domino promiſſum eſt? quantâ patientiâ Sancti expectamus promiſſa Dei docet Sanctus Abraham: qui etiam nos docet, nihil ab alio gratis accipere, quod poſſis pecuniâ emere: maximè ab iis qui poſſunt exprobrare.* Fugiat igitur Princeps hanc prauã indolem, ne à liberalitate ſuâ ingenuos effugauerit.

Exprobratio beneficium abrogat.

Seneca.

Cariſſimè emitur beneficium, quod exprobrandum timetur.

Geneſ. 23.

Oleaſter.

Notatio IV.

Miniſtrorum Principis, Rapinæ; & qui, vitandæ.

160. VIDIMVS hucuſque quî legitimo Principi fugienda Auaritia, quî liberalitas ſectanda. Sed aliud inſuper, vt in ſenſu litterali fuſiùs adnotauimus, inculcat Sacer Textus: dum enim priùs Exactorum immanitatem, quàm Tributi penſi Baltaſari, duritiem amotam gratulatur, rapace Rege, rapaciores Miniſtros ſignificauit. Sic ſolet euenire: qui auari Principis ærarium aut fiſcum curãt, (Magiſtratus Quæſtores, & infimam miniſtrantium turbam ſuprà intellexi) vt plurimùm ipſo Principe peiores: aut adulationis zelo, aut priuati commodi ſtimulis incitati; ſic rapinas exercent, vt exhauſto Populo, vniuerſa tandem Reſp. collabatur. Neque mirum ſordeſcente ſic Principe, ſordeſcant Miniſtri: cùm etiam ſub optimo & magnificentiſſimo Rege, ſoleat illos adurere prædicta peſtis: geſta, conſiliáque publica, de priuato quæſtu vbique corrumpentes. Ideo grauiter Leo Imperator (apud Ioan. Chokier lib. 3 cap. 19. Polit.) ſic filium adhortatur. *Conſultores adhibe experientes rerum, prouidos, perſpicaces: &c. qui ſimplici animo, & incorrupto ſunt, nullúmque ex iis rebus lucrum quærunt, ſed eo ipſo tempore, quid maximè vtile ſit, explorant. Sunt enim, qui cum lucrum aliquod, vel compendium, aut ad ſe, aut ad eos, quos caros habent, atque diligunt, pertinere poſſe vident: totam iudicationem rei eò transferunt: & quia pertinaces ſunt, vniuerſum conſilium ab vtilitate communi, ad id quod ipſi volunt, deducunt.* Hanc ergo Miniſtrorum Auaritiam, eiúſque ſubdolas technas, in hoc loco propalare, imò traducere, neceſſariæ operæ pretium putaui: idque fusè: præmiſſo tamen breui monito, præſenti Textui noſtro, in primis conducente, ſcilicet prauo Principi, peiores vt plurimum Miniſtros adhærere.

Miniſtrorum rapacitas.

Leo Imper.

Monita Politica.

I.

Vt in cæteris, ſic etiam in Auaritiâ, Prauo Principi, peiores adminiſtrant.

DVrum eſt ſubditis, iniquos peruerſi Principis mores ferre: ſed latu duriſſimum, iniquioris Miniſtri ſubiacere peruerſitati. Baltaſaris 161.

Prauo Principi peiores Miniſtri adſunt.

aua

auaritiam deprecabatur Israel: sed. Ministrorum longe sæuius auaram impotentiam, iam impos animi, diutiùs nequibat tolerare, scilicet rapaci Principi rapaciores isti, stimulos admouebant, flammas cumulabant: & vel zelo placendi auaro: vel priuato inde lucro inhiantes, quæstu proprio, sub regij obsequij vmbrâ, dissimulato, labentem iam populum penitus affligebant. Caueat generosus Princeps cuius affectui prauo propendere, ardentissima quippe est Aulicorum indoles, admouendis huic facibus, qui malam Principis mentem peiùs exequentes, in subditorum perniciem, longè maiori nocumento, longè horum grauiore dolore coniurabunt. Miratur Christianum vulgus Dæmonis audaciam, Domini patientiam, qui se ab illo, permitteret circunduci: *Tunc assumpsit eum Diabolus in sanctam Ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum Templi.* Matth. 4. v. 5. sed præter illa notissima, quæ iam hîc Gregorius Magnus: Cape pulchrius cumulata alia, vt illibata, sic ad rem nostram longiùs aptiora, quæ dedit Eusebius Gallicanus Homil. de Christi Tentat. vbi ita. *Quis nesciat Pilatum & Iudæos, qui eum occiderunt, non solùm membra Diaboli, sed etiam eius seruos fuisse, & ea quidem maior in his iniuria esse videtur, quam à seruis alicuius hominis patimur, quàm si ab ipso eorum domino eam pateremur. vnde non magis horrendum est, quod Saluator noster à Diabolo ducitur & tentatur, quam quod à Iudæis occiditur, & flagellatur.* grauius erat Christo, ab inferni Tyranni seruis, quàm ab ipsomet perpeti iniurias: sæuiúsque isti in Dominum, quàm ipsissimus Dæmon fuère debacchati: qui vt Regem suum palparent adulatores; quem hic tentationibus petierat, insuper flagellis & cruce affecerunt.

Aulici Principi vitiis faces admouent.

Matth. 4. v. 5. D. Gregor.

Euseb. Gall.

Peccator Dæmonis membrum, & satelles.

162. Iam ferrea fratris viscera mollíuerat Iacob, iam à rupice pectore Esau, dulcissimas pietatis lachrymas extorserat: cùm ab illo inuitatus, vt fouendo tenerius amori, nectendæ arctiùs amicitiæ, simul pergerent, se excusat subdens: *Præcedat Dominus meus ante seruum suum, & ego sequar paulatim vestigia eius, sicut videro paruulos meos posse.* Genes. 33. v. 14. sed quid agis Iacob? si nihil enixius cupis, quàm fratre vti beneuolo, quem timueras, cur socio non adhæres, inchoata pacis fœdera corroboraturus: & diuturno commercio, noua identidem vincula appositurus? Erat sanè prudentissimus Patriarcha: nouerat infixum, adulantium seruorum cordibus, zelum pro domino: videbat nouisse Esau famulos, prisca inter fratres dissidia, & domini sui præmeditatam vindictam. Timet ergo cautus, ne forte Esau satellites existimantes, adhuc in Principis sui pectore istam decoqui: illámque lachrymarum mollitiem, naturæ potiùs, ad primos fratris conspectus tenerescenti, quàm solitæ charitati tribuendam; in ipsum eiúsque familiam insurgerent, quasi his euersis, domino blandituri. Præcedat ergo, inquit Iacob, cum satellitio suo Esau, distemus inuicem longè: quia licèt à prauo domino, non tamen à peioribus administris tutus ero. Lyranus ibi. *Ostenditur eius prudentia, in declinatione societatis Esau; quamuis enim amicabiliter eum recepisset: poterat tamen timere ne eius animus mutaretur: vel ne aliquis de eius familiâ zelans inordinatè pro eo, noceret ipsi Iacob, & suis.* Tam vehemens flagrat Aulicorum affectus, ad prauo Principi peius obsequendum.

Genes. 33.

Adulatores vltra æquũ, pro Principe zelantur.

Lyranus.

Decernit Impius Pharao, Infantium innocentium, in Israelis stragem necem dirissimam: imperat obstetricibus suffocent recens editos: sed parcunt illæ: subditque causam Textus: *Timuerunt obstetrices Deum.* Exodi 1. v. 17. Ita-ne? vnus tantùm Dei timor in causâ fuit; non ne obiter misereretur pietas erga tot innocentulos, naturalis? non moueret saltem horror impietatis, ne tot paruuli vix dum è sepulchro carnis educti, quin aëre puro paulisper respirarent, vsurâ breuis lucis fruerentur, statim sepulchro pulueris obtrudantur? planè nullus naturæ affectus hîc valeret: Sola Dei reuerentia in tantum potuit, is enim adulantium Ministrorum impetus Regi obsequendo: eâ vehementiâ Regem, quem pro Deo colunt palpandum curant: vt nisi veri Dei timore coerceantur, semper illius impio libito longè etiam funestiùs obsequantur. Oleaster ibi. *Quid his fæminis fortius, Mundus tunc temporis habuit, quæ animositatem Regis non timentes Masculos contra eius imperium seruauerant? à quibus discant Aulici omnes, timendum magis esse Deum, quàm Regem: qui vt voluntati Regum obtemperent, Dei mandata non curant: & Principes pro Diis colunt.* & sic colunt, vt instar Pharisæorum, quos dixi, peius adhuc rem perficiant, quàm ipse Princeps fuerat machinatus, Dæmon scilicet. 163.

Exod. 1.

Aulicis, Princeps, pro Deo est.

Oleaster.

Coacto Concilio, mortem Christo decernunt prædicti Pharisæi, Ioan. 11. & addit Textus. *Iesus ergo iam non palàm ambulabat apud Iudæos: sed abiit in Regionem iuxta desertum.* v. 54. vt scilicet suauiter, & absque miraculo, præfinitum à Patre Crucis tempus obseruaret. Nonne semper Christus, innumeros Pharisæos habuit & scribas sibi infensos, qui eiusdem sanguini auidissimè inhiabant? ita est; an post prodigium suscitati Lazari, cuius causâ Concilium congregârunt, aliud quid signatius egit Christus, vnde horum furor acrius incenderetur? non legitur. Cur ergo qui pridem securus degere videbatur: nunc sic cauendas putat insidias, vt necesse habeat delitescere? Pende quid in Concilio dixerat Princeps Caipha. *Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* v. 50. Ergo inde vehementius periclitabatur Christus, quod iam non solùm sui inuidos, sed etiam Principis adulatores pateretur: qui vt hunc palparent, acrius quàm de priuatis odiis incitati, non solùm cupitam Principi necem, sed etiam sæuius, certè celerius & turbulentius, quàm ipse destinabat, exequerentur. Facit etiam ad rem, quod hic habet Theophilactus. *Igitur alij quidem in cætu Concilij, mortem Christi meditabantur: Pontifex autem ita erat sanguinarius, vt aperto, quod aiunt capite, contra Christum impudentissimè sententiam ferret.* Hinc ergo palpatores subditi, caput etiam furoris aperuerunt, quos ni euitaret Christus sæuo etiam Principe sæuiores iam bacchanentur: illum quippe sola inuidia, hos iam diu inuidos, noua adulationis flamma perurgebat. Hinc capio, cur Herodes perdendo Christo puero, *Clàm vocatis Magis, diligenter didicit ab eis, tempus stellæ, quæ apparuit eis.* Matth. 2. v. 7. Cauit enim credo, agnito adulatricis Aulæ ingenio, ne si coràm amicis rem tractaret, ab aulicis 164.

Ioan. 11.

Mirus ardor Aulicorum, palpat in Principem.

& v. 50.

Theophil.

Matth. 2.

aulicis adulatoribus, occidendo Infanti, non tàm occasione opportunâ, quàm importunâ palpandi celeritate præueniretur: ipso placendi impetu, tumultuosius quàm deceret, rem executuris.

165. Dolebat Deus apud Oseam cap. 7. Israelis, in adorandis vitulis aureis, impietatem, tunc sic subiungit *In malitiâ suâ lætificauerunt Regem: & mendaciis suis, Principes.* v. 3. Ecquem Regem? Ieroboam scilicet, qui amouendo populo à Ierusalem, vitulos fabricandos procurauit. Sed vnde tanta impij Regis lætitia, quod populus Idola coleret: qui tamen timere ad huc poterat: ne infælices adoratores paulò pòst, ipsâ tantæ vanitatis experientiâ, ludibrium factum pertæsi, subitò ad pœnitentiam reuocarentur? videbat Rex, non solùm zelo superstitionis conceptæ, sed etiam maximè adulationis impetu, effrenes accurrisse subditos: peiores ergo seipso, iam hos meritò existimabat? nec ita ille tenaciter ambitione dominandi, quàm subditi adulandi desiderio, vitulis ad hærerent. ideò, qui à scrupulo formidinis initio laborabat, an populus nouam superstitionem acciperet, retineret acceptam: iam hilaris quiescebat, dum malè imperans, peius adhuc & effrenatius, se sentit obeditum. Ruffinus Pius ibi. *Quia ergo, refert, Regem Ieroboam, suæ tantum potentiæ consulentem, tot miraculis, totque sæculis commendatum populo, veri Dei cultum, leui pepulisse commento; totámque gentem, ita aulicis prosanitatibus obsecutam, vt se nihil de obseruantiâ veritatis habuisse, contentius indicaret: certamen quoddam inter adulantium, & dominantium impietatem, fuisse describit: quisque videlicet in criminibus præueniret Regem igitur quasi rebus suis (si ad cultum Templi populus ascenderet) diffidentem, spretæ religionis, lætificauerunt Tribus: de cuius animo scrupulum formidinis abstulerunt:* Videat obiter Rex, quàm à fide & religione suâ, si fides subditorum dependeat, & religio, ne vnquam in hoc grauissimo negotio, quasi vnus peccare se præsumat, qui communis ruinæ causa fuerit: Redeo. Neque solùm ardens adulantis populi furor Regem Ieroboam, sed etiam *Principes* eius id est Dynastas, Proceres, & propinquos lætificauit. ideo idem Ruffinus. *Principes, idest satellites regios, vel propinquos, mendaciis gaudere fecerunt, tantúmque feruoris, fueretis adhibuere commentis, vt instar clibani, cui flamma committitur, viderentur ardere.* vt enim Proceres isti, prauum Regem peiùs palpabant: sic à populo pessimè palpabantur: nulla enim est iniquæ potestatis vmbra, quæ studio adulandi, Ministros non sortiatur iniquiores.

Osea 7. v. 3.

Adulando Principi, Regio Aulicus conculcatur.

Ruffin. pius.

Religio à Principe dependet.

Ruffinus.

166. Sed in re Auaritiæ quam intendimus, (cuius Hypothesis Thesim hanc præmisimus) id clarius: nunquam auaro Principi, auariores Ministri defuerunt: non solùm palpandi zelo, sed etiam proprij quæstus ardore, exercendis rapinis animosiores, aut conseruandis raptis tenaciores: fere enim cupiditas acquirendi, & non expendendi anxietas, coniunguntur: vnde vtraque iam vulgariter pestis, sub Auaritiæ titulo denotatur. Rapax Baltasar, thesauros recondebat, (quod ex Isaiâ colligitur cap. 45. v. 3. ibi. victori Persæ, absconditi thesauri promittuntur) & eos vides Ministros inuenisse, qui sæuius ipso exigerent tributa: nec temerè præsumes (quod in litterâ exemplis demonstraui) haud minimam horum partem, sibi, frustrato Rege, recondidisse: Sic auaro Regi, peiores Exactores administrant. Iacebat ad auari & ditissimi Principis ianuam, mendicus Lazarus, nec tamen misericordiam extorquebat. *Cupiebat saturari de micis, quæ cadebant de mensâ diuitis.* Luc 16. v. 21. sic habent Græca Exemplaria, & Latina ferè, in aliquibus tamen, nec incorrectis, additur. *Et nemo illi dabat.* ibi bene Hugo Cardin. *Neque Dominus, neque famulus; crudelis Dominus, crudelem habet famulum.* Ni tamen fallor, ideo hoc (si fortè) expressit Sacer Textus, vt tenaciùs auaros famulos, quàm dominum denotaret: hic enim, illud saltem posset prætendere, nimio propriæ possessionis amore, in pauperes obduruisse: at famuli, qui de alienis bonis, de domini possessione, extremæ Mendici miseriæ, poterant & tenebantur succurrere: qui poterant excusari? Scilicet supra dominum auari, zelo etiam alienarum micarum æstuabant: credo quia & has, & alia longè maiora, in priuatum sibi quæstum rapiebant.

Auaro & auido Principi auarissimi ministri hærent.

Isai. 45.

Luc. 16. 21.

Hugo Card.

167. Arguebat hanc insaniam Rex ille parabolicus, Luc. 19. Christi typus: qui & commercio, & traditâ pecuniâ seruum illum nequissimum spoliauit, v. 24: quia Mnam habuerat *repositam in sudario* v. 20. sed quæ, inquis, illius culpa? Tradiderat Dominus illi Mnam, vt hanc ille traderet Nummulariis, quâ deinde & Nummularij lucrum sibi facerent, & in dominum, vsuræ redundarent. quâ ergo non pœnâ dignus, qui sub liberali domino, sic fuit auarus, vt quamuis vsuris Dominum defraudaret, noluit Nummulariis commodum afferre? Oleaster ad cap. 1. Genes. post alia de Dei liberalitate. *Nihil illi magis displicere potest, quàm si quis dona eius abscondat. Cui rei exemplo esse potest illud, quod apud Lucam legis, quam acriter seruum illum arguerit, qui pecuniam suam, in sudario seruans, tradere Nummulariis neglexit, quam ipse cum vsuris exigendam, fuerat comminatus. & mirum valde est, quod cum Dominus fuerit tam largus ex propriis: seruus sit ex alienis, (quæ detinere prohibetur) tam auarus.* Sed iam ad rem præsentem cogita, quid iste faceret, si fortè auaro domino ministraret? an non qui apud largum, auaritiæ sic studebat: foret, apud auarum, auarissimus? sed hæc pro præludio satis: & Ministrorum regalium rapacitatem vt in litterâ profanis, in Tropologia iam, sacris illustremus testimoniis. vide infra 173.

Luc. 19. & 24.

Principis liberalis, auaros ministros odit Deus.

Oleaster.

II.

Miracula repentinæ opulentiæ apud aliquos Ministros, vnde.

168. Mira est subita illa aliquorum Ministrorum opulentia, qua illos, repente Orbis suspicit ditescere: è tugurio sæpe vocati, paulò post cernis Palatia, propriis sumptibus ædificantes: & cùm salaria sæpe sint tenuia, officij stipendia moderata, in tantam pompæ sufficiunt, id conuiuiorum domi exercent, id aulæorum suspendunt, id suppellectilis cumulant, tantum quadrigarum, & satellitij conuehunt, tantum gemmarum ostentant, & auri expendunt: eos denique instituunt Maioratus: vt Regni Proce-

ceres

ceres proauitis iam opibus insignes, non æquare solùm, sed etiam agnoscantur superare. O quantum hic miraculi, & prodigii! putes salaria illa tenuia, beatis illis manibus, in tantum suffectura multiplicari: & cum Christo multiplicante panes Ioan. 6. iam contendere. Sed pende, amabo, qui Christus dispofuerit hoc miraculum. *Accepit Iesus panes, & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus.* v. 11. Matthæus addit: *Aspiciens in Cælum benedixit.* Matth. 14. v. 19. Sic fere cæteri Euangelistæ, de quo bene Eusebius Gallicanus, in Homil. huius Euang. ita. *Magna munera discipulis daturus, priùs in Cælum Dominus aspicit: vt & nos intelligamus, quoniam omne datum optimum, & omne donum perfectum, de sursum est descendens a Patre luminum; illuc igitur Dominus aspicit, vnde veniunt omnia bona,* quasi posset suspecta credi sic repentina abundantia, nisi à Deo prouenisse probaretur, addit Caietanus. *Eleuatis ad cælum oculis, ad demonstrandum quòd à Deo fiebāt miracula.* Et non sit nobis suspecta prædictorum Ministrorum opulentia: quos terræ, caducisque potiùs infixos, quàm in Cælum suspicientes intuemur? Non putemus à Dæmone potiùs, vicariisque eiusdem rapinis, quam à Deo, quem despiciunt, fieri hoc miraculum?

Io 6. v. 11. — Matt 14. 19. — Euseb. Gall — *A solo Deo, bona tuta veniunt: aliunde suspecta.* — Caietan.

169. Hinc est quòd, saturatis iam turbis, addit Christus. *Colligite, quæ superauerunt fragmenta, ne pereant.* Cit. Cap. Ioan. v. 12. Nec impius quidem, in tam liberali domino, auaritiæ angustias, hic cogitauerit: vt qui sic opiparè conuiuas suos excepit, iam tenax de reliquiis sit solicitus. Neque audebit id ostentandæ iactantiæ causâ factum præsumere: longè ab humili alias domino, arrogantiæ species vel leuissima. Vnde ergo seruandis his fragmentis impensa cura? Respondet aptè Euthymius. *Iussit autem colligi fragmenta, quæ superfuerant: non ostentationis gratia: sed ne phantasia appareret, quod factum fuerat.* Planè, diutiùs postea tractata, & sumpta illa fragmenta, satis probabant, & priùs illud epulum fuisse: nec præstigiatoris Dæmonis arte, miraculum phantasticum. Cùm igitur non rarò videamus, opulentiam illam similium Ministrorum, nulla post relinquere fragmenta, ad hæredes non venire, ditissimi parentis filiis mendicantibus: illam quodammodo phantasticam fuisse, & arte Dæmonis, non solido miraculo paratam: & vtpote malè partam, delapsam esse malè, raptámque tot, velut somnium, in vmbras abiisse.

Ioan. loc. cit. v. 12. — Euthym. — *Phantastica est iniquorũ opulentia repentina.*

170. Non itaque puris & apertis manibus bona sua adaugent, & multiplicant sicut Christus: sed subdolis & arcanis technis (ipsi nouerint) istius modi nobis miracula operantur. Electurus Deus Moysem in Ministrum, ait ad illum. *Mitte manum tuam in sinum tuum, quam cùm misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis.* Exodi 4. v. 6. Prætereo nunc sensum vulgatæ nostræ, infrà ponderandum: capio græcam versionem, quæ in correctioribus Codicibus, nulla facta lepræ mentione, habet in Sixt. *& facta est manus eius tanquam nix,* quod ibidem fatetur Augustinus, ideo Philo Iud lib. 1. de vitâ Moys. *Manus niue candidior repentè apparuit.* vt splendore quodam diuino (nix enim, cælestem claritatem passim innuit: vt in Transfigurato Christo, & in Angelo resurrectionis nuntio, est videre) coruscaret. Sed cur, inquis, splendore potiùs, quàm quouis alio ornatu Moysis dextera: imo cur dextera potiùs, quàm quoduis aliud membrum insignitur? ibat Minister Dei, regios Pharaonis Ministros prouocaturus: qui, *per incantationes Ægyptiacas, & arcana quadam:* Exod. 7. v. 11. miracula Mosaycis similia, postea ediderunt: Non ergo aliunde aptiùs, ab iniquis, Minister iustus distingueretur, quàm manus purissimâ claritate: vt quæ illi subdolis technis, tenebricosis manibus exercebant, aperta & innocens huius manus reprehenderet. Nunc capies D. Ambrosium serm. 8. *Dextera erat sanctus Moyses, qui filios Israel, velut manu prouidâ, calesti Manna nutriit. Hæc planè est dextera, quæ Iamnem, & Mambrem Magos, niues splendoris nitore conuicit: ita enim scriptum habes 2. ad Timoth. 3. Atque ideo Magorum destructæ sunt tenebræ, quia Moysis meritis lucens dextera coruscabat.* Vbi etiam Nota, ideo postea absque probri suspicione familiam suam delicato Manna edulio nutriisse Moysem: quia dexterâ pura collucebat. Vnde ergo qui tenebricosâ dexterâ & pene Ægyptiacâ pollentes, sub modico officii salario, copiosissimam tam delicatè nutriant familiam, ipsi viderint: vulgò certè hæc miracula, vicariis Magiæ rapinis imputantur.

Exod. 4. v. 6. — Sixt. — August. — Phil. Iud. — Exod. 7. 11. — *Ministrorum manus, quales.* — D. Ambros.

Neque mirum: tanta enim, ignoto fonte, opũ affluentia: ingens ab arcano, nec vllis patente scaturigine, exuberantia: quomodo non suspecta præsumatur? Duxit Christus in montem tres discipulos quibus gloriæ suæ libatiunculam propinaret: subdítque Matthæus: *Transfiguratus est ante eos.* cap. 17 v. 1. Græcè clariùs: ἔμπροσθεν αὐτῶν, *in conspectu illorum.* vel vt habet Marcus: *Coram eis.* Poterat quidem Dominus paululum ab illis diuertere, & deinde se illis exhibere transfiguratum: maluit tamen in conspectu illorum, fluentis, ab interiori, lucis ductum laxare: vt vnde, & quomodo illud fieret, nosceretur: nemini suspitioso licet, suspecta iam fuerit fluxûs limpiditas, cuius fons sic apertè reuelatur. illud illud suspectum sit miraculum, quo quis, suspectâ, sub modico salario, causâ; è pannoso, in purpuratum subitò transfiguratur: neque agnito fonte, totum Hermum Pactolúmque ostentat, apri non fabulosi ramentis exundantem. O beatos Midas! non in prædictis fluuiis, sed in arcanis Nili alicuius fontibus commorantes: quos nullus vsquam potuit detegere. Addit Matthæus. *Resplenduit facies eius sicut Sol: vestimenta autem eius, facta sunt alba sicut nix:* v. 2. Facies, quasi congenitâ, ab animæ radiis claritate dicitur splẽdere, & quasi suo lumine rutilare: vestimenta verò, non tàm de suo splendescere, quàm *facta* esse, quasi aliunde alba, & splendentia, & meritò: neque enim vestes, spiritualem quodammodo animæ influxum sic facilè pati possent. Præmittitur ergo vultus & corporis splendor, vestium claritati: vt sicut ille immediatè ab anima: sic ista à claro corpore profluere nosceretur: vtriusque scilicet transfigurationis fontibus, coràm, & in propatulo designatis. Benè Caietanus ibi. *Nix, pro lux, seu lumen: vt splendorem non spiritualem, sed corporalem intelligamus: candor vestimentorum, ex splendore corporis consurgens testatur.* At horum Ministrorum fontem luciffluum vnde domus, supellex, vestes sic eniteant, quis vnquam deprehendit?

171. — Matt. 17. 1. — *Occulta opulentia causa in ministris.* — v. 2. ibidem. — Caietan.

Rediit Prodigus ad paternam domum, hinc nudus, inde petus centonibus vestibus, & exclamat 172.

mat subitò ad seruos suos Pater: *Citò proferte stolam primam, & induite illum: date annulum in manum eius, & calceamenta in pede eius.* Luc. 15. v. 22. O quid agis bone Senex! introduc potiùs puerum in penetrale secretius, penitiùs conclaue: ibi illum come, indue, exorna: vt domesticis etiam iam comptus, & te parente dignus cerni

Prudens Princeps caueat ne in ministris suis suspecta opulentia videatur.

possit: Cuius est charitatis, aut qualis, paterni pectoris, affectus: vt quem vrbs & vicinia venientem, sub tantâ fœditate despexit ignotum: Tu insuper domesticis, quasi ludibrio exponas: traducas sordescentem? parum id: epulum parat, Cantores aduocat, adhibet symphoniam: vt non solùm per viciniam, sed etiam per vrbem, recuperati pueri rumor increbrescat: ni fallor, vt se de senectute, prudentem: & patrem de Amore comprobaret. Viderant necessariò aliqui Conciues venientem Iuuenem, aspectu horridum, macie confectum, veste sordidissimum: & fortè vnde nouum hoc vrbis spectrum, dubitârant: fac paucis post diebus pexum, cincinnatum, mollissimè indutum subnotarent: an suspectam hanc metamorphosim, haúdque probum, tantæ transfigurationis miraculum non haberent? Bene ergo maluit prudentissimus Pater, mendicum omnibus filium reuelare: quàm aliquibus reddere suspectum: si qui, & vnde transfiguratus, ignorantes; tam mutatum, in alium mirarentur. Non ergo temerè, dictæ opulentiæ miraculum, in aliquibus Ministris, fit suspectum. Plura infrà num. 207.

III.

Ministrorum rapacitas: Minoribus, in Maiorum prædam, datis.

173. *Ministrorum rapacitas.*

NE ergo duri, Magiæ id tribuamus: rapaci potiùs ingenio assignemus: bene secum agi duxerint, si à Doctoribus sacris, Fures potiùs, quàm Magi traducantur: illud intra humanos coërcetur: hoc, dæmoniacos limites ingreditur. Est hoc iniquorum Ministrorum (bonos fusiùs postea commendabimus) Ingenium, vbiuis apud Scriptores Politicos, decantatum, imo deploratum; vt igitur acta non agam: pauca vt soleo, sed è nostro penu delibabo. In tantum authoritatis, & potentiæ, aduena deuênit Abraham: vt Rex Prouinciæ Abimelech, eiusdémque Proceres, illum rogaturi fœdera conuenirent. *Dixitq; Abraham, ego turabo. & increpauit Abimelech, propter puteum aquæ, quem abstulerant serui eius.*

Genes. 21. v. 24.

Genes. 21. v. 24 in Hebræo: *quem rapuerant serui eius.* ita ne? Tam potentis viri possessionem, rapere audent serui Abimelech, & quem ipse Princeps reueretur fœdâ rapinâ audent violare? rapaciores rapace Principe, vt initio dixi, sunt eius administri: neque mirum sint impudentes, cùm canes sint, quibus rapina & impudentia, in vtrâque paginâ adscribitur. Ergo canino more effrenes, nihil inuiolatum à raptu prætermittunt.

Oleaster.

Oleaster ibi. *Aduerte, quam adaces sint Canes aulici ad aliena rapienda.* Et nota obiter, de Aulicorum rapinis, Regem increpari; quia vt benè idem Oleaster. *Docentur hic Domini, agnoscere se culpabiles, in iis quæ serui sui malefaciunt: neque seruos ipsos esse increpandos, sed Dominos:*

Oleaster. Aulicorum culpa, Principem infamans,

qui cùm possint & debeant, prohibere non curant. O quot exhausti Populi damna, æquus Princeps euitaret, si sedulus, & tanquam illorum rationẽ, apud Deum redditurus, in Ministrorum rapinas animaduerteret! Redeo.

Beati omnes inquit Dauid, *qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius.* Psalm. 127. v. 1. 174. Ps. 127. v. 1

Viæ Domini, *via pulchra: & omnes semitæ eius pacificæ:* dixerat alibi Propheta filius. Prov. 3. 17. Prou. 3. 17.

quasi nec salebrosas, neque labore aliquo percurrendas. Quis ergo non putaret ambulantes in his viis, ideo à Patre, beatos commendari: quia absque labore, fælicissimè omnibus abundabant? pende tamen quid subdat. *Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es: & bene tibi erit.* v. 2. Nimirum Deus, qui ambulantibus ad virtutem in viâ suâ, omnes amouit obices ne læderentur: noluit illis laborem, quærendi sibi, suísque, necessaria ad victum, amouere: vt illos à suspicione infamiæ liberaret, si vulgò cernerentur ditescere, nec laborare: quippe de rapinis crescere, præsumi possent. Sic crescunt, sic ditescunt Aulici, sic praui. Hugo Card. ibi. *Hoc dicitur contra Curiales, & illos qui semper viuunt de alieno.* At certè de alieno viuere, furari est: dum ergo Curiales authoritatem publicam prætendunt, leges ipsas, furtorum suorum adhibent administras. Vide quæ suprà num. 16. ex D. Laurentio Mediol. iam scripsi, quod sic regios mordet Exactores, vt cæteros omnes Ministros comprehendat.

Ps. cit. v. 2.

Aulici de alieno viui: Hugo Card.

175. Accesserunt Scribæ, & Pharisæi, id est Legis Ministri, ad Christum, dicentes. *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum: non lauant manus suas, cùm panem manducant?* Matth. 15. v. 2. vbi doctissimus Maldonatus. *Non vocant traditionem suam, quamuis ipsorum, id est, Scribarum, ac Pharisæorum esset: sed Seniorum: vt Maiorum authoritate, & traditionum antiquitate, Christum, eiúsque discipulos grauent inuidiâ.* En tibi, quomodo legis authoritate obarmantur: nec tamen legis & traditionis obseruantiæ, sed pœnis violantium, & exercendis inde rapinis studebant. Ideo ad illos, Christus. *Quare & vos trãsgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram?* v. 3. illi traditionem etiam suam, authoritati ab antiquitate cumulandæ, solummodò Senioribus assignârant: Christus traditionem licèt prauam, sed tamen etiam Seniorum, ipsis tantummodò tribuit præsentibus, *vestram* inquiens. Cur ita? Respondet Ludolphus Carthus. Par. 1. Cap. 88. *Vestram: id est, quæ vestræ seruit auaritiæ.* Detegit Christus impiam horum Ministrorum laruam: qui nomine tenus, senili traditioni deferebant honorem: cùm reuerà illius reuerentiam, solùm rapinis suis fouerent seruituram. Sic miser Populus, vt ibidem addit Christus, etiam defraudatis parentibus fame perituris, auaræ Ministrorum fami seruiebat. Quin imò & ipsi inuicem pro vt gradus diuersus excellebat, se deuorabant: & quod Ministrorum inferiorum phalanx à populo extorquebat, tandem Magistratibus euomere cogebatur: quos deinde summus Sacerdos, (quasi non templi, sed Auaritiæ Princeps) exhauriret: vt vndique Resp. corrueret. Aptè D. Ambros. de Piscibus se inuicem deuorantibus lib. 5. Hexam. Cap. 5. quem intercerpo. *Sanè nec ipsi, à suis, potentiæ euasere violentiam: & auaritia potentiorum subiecti vbique inferiores*

Matth. 15. v. Maldonat.

Leges, Aulicorum seruiunt vtilitati.

v. 3. cap. cit.

Ludolphus.

D. Ambros. *Aulici, instar piscium se deuorant.*

Aulici, instar piscium se deuorant. *inferiores sunt. quo quisque infirmior, eo præda patet. &c. Minor apud illos, esca maioris est, rursus ipse maior à validiore inuaditur, & fit esca alterius, prædator alieni: itaque vsuuenit, vt cùm ille alium deuorauerit, ab alio deuoretur: & in vnum ventrem vterque veniat, cum voratore proprio deuoratus: sicque simul in vno viscere, prædæ, vindictæ que consortium.* Et post multa de consimili hominum auaritia: concludit aptissimè contrà Iustitiæ Ministros. *Et tu diues, habes in sinu tuo, alterius prædatorem: ille habebat facultates pauperis, quas inuaserat: tu eum opprimens, duo patrimonia, tuis facultatibus addidisti: & adhuc tanto non satiaris augmento. Et dicis quòd alios vindicaueris: cùm eadem committis, quæ vlcisceris, iniusto iniustior, & iniquo iniquior, auaro auarior, vide ne idem te, qui piscem illum finis inueniat: hamum caue, caue retia. sed præsumis de potentiâ, quod nemo tibi possit resistere: præsumebat & Silurus, quòd hamum nemo sibi iaceret, nemo retia tenderet, & si incidisset, vniuersa disrumperet, & tamen fuscinam non euasit, annexus vinculis validioris incurrit, quibus se non possit exuere.* ita est: Prodit vlturus pauperis iniurias à diuite oppressi, Minister: læsumque & lædentem, pariter spoliat. Instat deinde, commissario spoliando Togatus iudex: quem innectit tandem suprema disquisitio: sic instar vasorum Anthliæ exercitâ vbique auaritiâ, infausti populi diuitiæ circunuoluuntur.

176. Produxit Deus animalia cuncta, seu squammata salo, seu Cælo pennata, seu pellita solo: quibus benedictione data ait. *Crescite, & multiplicamini.* Genes. 1. v. 22. quod idem hominibus dicitur: *Crescite & multiplicamini & replete terram.* v. 28. Atqui produxerat Deus ligna silvarum, fœcundas arbores, & virentes herbas v. 11 Nec tamen illis multiplicationis incrementa intimantur, an quia præcipientis vocem non sentirent? Nugæ, quasi verò bruta, illam reuererentur: certè vt in brutis, sic etiam in plantis hoc negotium non præuio iudicio, sed intimâ dispositione peragendum; an quia Plantæ non ita necessariæ? Gerræ. Non minima compti Orbis pars stat in plantis. Cur ergo præceptum negatur plantis: quod bruta decorat, quasi in eo, hominibus componantur? respondet pulchrè Diodorus in Catenâ paruâ. *voluit fortè Deus, quando hæc, & si viuant, vitam tamen sine sensu viuant: animalia verò, sensu & phantasiâ moueantur, ita vt alia aliis insidientur: ex eâ voce, quâ crescere & implere Mundum animalia iussit, securitatem cuique conseruationis comparare: ne genus aliquod infirmum, à valentiore conficeretur.* Innocentia nimirum germina inuicem non diripiunt, non insidiantur. Sit ergo præcepti tanti cautio, solis brutis, suo modo communis cum hominibus: quorum sæua conditio, in proprium genus inuicem desæuit, prædatur inuicem: & minor semper maiori cedit in escam. Meritò ergo Ambros. citatus, de Piscibus. *Ipsis postea sponte hæc accreuit iniuria: sicut in nobis, non ex naturâ capit, sed ex auaritia, Aut quia ad vsum hominum dati sunt, in signum quoque facti sunt: vt in his nostrorum morum vitia videremus, & caueremus exempla: ne quis potentior inferiorem inuaderet, daturus in se potentiori, exemplum iniuriæ:* vt iam non mireris si Magistratus, his inferioribus Ministris, auari tanquam

Genes. 1.

v. 28.

Diodorus. *Homines in deuorandis inuicem, ferociunt.*

D. Ambros.

Maior fit esca minoris.

spongiis vtantur (quod Prisci notant Politici) & iam bene pauperum sanguine & pecuniis humectatos, sibi exsugant. scilicet pauperculos, isti dum inuadunt, Magistratibus exemplum præbent iniuriæ: vt minorum extortores, maiorum extorsionibus subiaceant. Nec tamen sic horridum, infame iam vitium apud eosdem habetur: quippe verissima illa sententia D. Zenonis Veron. serm. 1. de Auaritia. *Nec singulare, nec friuolum crimen est, fratres, vel Christianum cupiditatis compedibus alligari: profundaque noctis feralibus tenebris obcæcatum, miserabiliter ad ima deferri: sed quia inextinguibilis pestis incendio, totus Mundus exarsit: Auaritia vt putatur, crimen esse desiit: quia neminem, qui se possit arguere, derelinquit.* non vltrà crescere potuit pestis miseria.

D. Zeno. Ver. Auaritia, pestis quam communis.

IV.

Caueant ne stipendiis, rapinisque augendis, causæ expediendæ missi, moras implicent.

SEd nullibi rapinarum hic furor acrius solet desæuire quam dum Ministri quos Commissarios, & Receptores appellamus) aliquò longiùs à Curia emittuntur, causas sibi commissas expedituri: *hoc opus, hic labor est:* in singulis breuissimi negotij articulis euoluendis moræ longissimæ; & vbi probis dies largus foret, totus sit mensis, improbis, curtissimus: si mensem, res implicita postulabat, his annus vix sufficiat. volant euntes, quasi prædam inuolaturi: ad reditum tardissimi, donec litigantes miseros exsugant. Dedecet boni moris Ministros, tam praua mora: quibus nihil habetur priùs, nihil antiquiùs, quàm litem dirimere, negotium absoluere. Amorem erga infensos præcepturus Christus, addit: *vt sitis filij Patris vestri qui in Cælis est, qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos.* Matth. 5. v. 45 grande beneficium: sed certè non illud minus, ex Solis obitu, quàm ex eiusdem ortu accipimus, vegetatur natura nostra luce, sed interim laboribus assuescit: sperat noctem, quâ somno reparatur: illam oriens, hanc occidens sol importat: præsens illustrat, sed corroborat absens: si ergo par vtrinque beneficium cur à Christo tantum oriri dicitur: & non etiam occidere? quia ni fallor, in Ortu expresso Occasus subintelligitur, nec opus habuit imperio sol, vt occideret, qui iussus oriri, in hominũ commodũ impleto munere, spõte sua, eundẽ commodo properat in occasum: neque Deus solem, *suum*, id est Ministrum sibi gratum appellaret, nisi ingenuo hoc ingenio luceret. *Ego* inquit Deus, feci in Cælis. *vt oriretur lumen indeficiens.* Ecclesi. 24. v. 6. idest Sol, nullis mutationibus obnoxius. nihil de occasu dicitur, quia vt bene Dauid: *Sol cognouit occasum suum.* Psalm. 103. v. 19 quasi sponte properans negotio absoluendo. Neque mirum: dixerat enim alibi de Deo: *In sole posuit Tabernaculum suum* Psalm. 18. v 5. Multi Codices Patresque Græci, (quod etiam in Hebræo habetur) vertunt: τῷ ἡλίῳ ἔθετο, *Soli posuit Tabernaculum suum.* quasi erecto solio, lucis

177. *Mora, in negotiis expediendis auaritia taxatur.*

Matth. 5. *Sol in exemplar ponitur Ministris.*

Eccl. 24.

Psalm. 103.

Psalm. 18.

lucis dispensationem soli delegaret. Quid ergo rectissimus Minister, qui occasum hominibus tandem vtilem agnoscit, occidere non festinet? Addit ergo meritò Propheta. *Exultauit vt Gigas ad currendam viam, à summo Cœlo egressio eius, & occursus eius, vsque ad summum eius* v. 7. de quo bene Vatablus in notis. *Exultare solet, vt Potens, aut Athleta & Cursor, ad currendam viam, id est, ad currendum spatium suum: ibi, inquit ortus est Sol, peragit cursum suum, prompto, læto, & alacri animo; quemadmodum alacri, & nobili animo, tendit Cursor ad metam, sibi in stadio propositam, &c, Cursus Solis quem tam celeriter, peragit, est ab Oriente, ad Occidentem, ab altero extremo Cælorum est egressus eius, & recursus eius vsque ad alterum extremum.* sic nullas moras implicat, delegato officio perfungendo, metæ attingendæ.

Vatab.

178. *Ministri, negotiis criti, non occidere assuescunt.*

At Ministri, quos dixi, quàm celeres ortui, tàm sunt occasui tardi: nascuntur, (iactant ipsi) bono populi, negotiorum expeditioni: cúmque tamen populus, illorum occasum, causis cupiant expeditis, nesciunt occidere: nullam requiem expensis, nullam afflictis somnum indulgentes. Planè, non vt soles Dei Ministri, exoriuntur. Nihil Moyse tardius delegationi Officij admittendæ; lege Exodum cap. 3. & 4 admissæ tamen, nihil vt nosti diligentius. At ecce, expedit tandem subditis, Iosue, tunc aptiori tradendis, vt Moyses occidat: equidem nihil illo facilius, occasui adeundo *Mortuus est Moyses seruus Domini, in terrâ Moab, iubente Domino.* Deut. 34 v. 5 Hebræa habent: *Mortuus est verbo Domini.* vt qui tot verbis diuinis ægrè potuerat exoriri: vno tantùm vt occideret, indigeret. quid ita. Rutilauerat *Cornuta facies* Moysis instar Solis Exodi 34 v. 29 nec vnquam satis probaret lucem suam legitimam, & synceram Dei fuisse administram, nisi instar Solis, *qui cognouit occasum suum:* tam faciliè, cum opus fuit, nullis adhibitis moris occasui traderetur Tales optat iustitia Ministros, tales. & fortasse, propterea ab Orpha o, in hymno, sol vocatur, *aqua in Syran... ... Oculus Iustitiæ, fons vitæ.* quasi Iustitiæ Ministri, solem semper in oculis gerere debeant, vt ita causis luceant vt nullatenus adeundo occasui retardentur qui ergo sic prodeunt, vt nunquam reuertantur, & implicatis moris subditos exhauriunt: iniquitatis potiùs Apparitores appellarim.

Exod. 3.

Deuter. 34.

Exod. 34.

Oculus Iustitiæ, cur sol vocatur. Orpheus.

179. *Ministri boni, ... tardi eundo, redeundo celeres.*

Quatuor illos Ministros, qui Thronum diuinæ Gloriæ circumferebant: satis delegationem gessisse videtur, vt commissa negotia disponerét: vide nouum, quod de illis additur: *vbi erat impetus spiritus illuc gradiebantur: nec reuertebantur, cum ambularent.* Ezechiel. 1. v. 12. Putares ab his, Ministros, quos arguimus, expressos: O quid agitis? si nunquam diremptis litibus reuertimini, nunquid conficere subditos satagitis? at magis implexum adhuc, quod subsequitur: *ibant & reuertebantur, in similitudinem fulguris coruscantis.* v. 14. quæ poterat primo aspectu, antithesis implicatior apparatu, sed, ni cæcutio, si verba ipsa attentiùs scruteris, non solùm patebit solutio: sed & optima Ministrorum horum indoles explicabitur. attende sodes. Non absolutè dicitur, non reuerti, & reuerti, hæc enim contraria forent sed non reuerti *cum ambularent:* reuerti verò *in similitudinem fulguris coruscantis.* Habebant illi vt nosti, alas, quatuor, & tamen cùm mittuntur, non tàm volare dicuntur quàm gradi: id est pedetentim incedebant, *gradiebantur* & ambulabant: idque non quouis flatu, sed impetu, & quasi violentiâ mittentis spiritus, Non ergo *reuertebantur, cùm ambularent:* sed potiùs ibant, tardantes scilicet gressum: è contrà verò, cùm volant, idest in similitudinē celerrimi fulminis properant, tunc nō ire, sed reuerti, noscebantur: ambulatio ergo tardi, egressum ad causam: fulminea volitatio, ab eadem regressum denotabat: vt nec illos reuersos putares cum tardi ambulabant, (tunc enim celerrimi festinabant:) nec euntes, cùm celeres volabant: (tunc enim pedetentim gradiebantur.) Quàm aliter apud Ministros nostros res euenire solet, erumpunt celerrimi ad primum imperantis nutum, non impetum: nec tamen nisi tardissimi reuertuntur, idque mille rescriptis, auusi potiùs, quàm vocati Aquilas putes dum eunt prædæ inhiantes, qui redeundo testudines videntur, nouis moris identidem connexis, in egressu plumbei, plumbei in regressu. Neque (ni verum dissimulandum sit) id mihi mirum: nanque qui leues & vacui prodierunt: sic postea diutinis salariis, & iniquis rapinis prægrauantur: vt nec inde auelli: nec auulsi, nisi tardissimè possint incedere. Scilicet, quia ad causas, non tam in salutem populi, quàm ad quæstum suum deuenerunt.

Ezech. 1.

& v. 14

E contra, improbi & rapaces.

De Christo parante ingressum in Ierusalem, ait Euangelista. *Hoc autem factum est, vt adimpleretur, quod dictum est per Prophetam* (Isai. 62. v. 11.) *dicentem: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus* Matth. 21. v, 4 expende illud, *tibi*: id est in salutem tuam, in populi remedium: & ideo aptè dicitur *mansuetus*: quia Minister, qui sibi potiùs venit, quàm populo: sub specie pacis bella gerit, nec tam mansuetus venit, quàm terribilis. venit ergo nobis Christus, ideo excellentissimus Dei Patris Minister: quia in toto Redemptionis nostræ negotio, subditorum vtilitatem procurauit: illos tacitè coarguens Ministros, qui ad causas proficiscuntur, & sibi magis, quam populo laborant. Ludolphus Carthus. ibi. Par. 2. cap. 26. *Venit tibi. tibi, inquam, non sibi: sicut Prælati multi potius veniunt ad visitandum propter lucrum suum, quam propter salutem subditorum: scilicet vt suas procurationes accipiant magis, quàm vt defectus corrigant.* Quid ni ergo hi moras connectant, si quò morantur diutiùs, diutiùs cumulantur Bene ergo *Mansuetus* dicitur aduenire: quia alij Principes, qui sibi, & non populo venerant, quasi sub auaritiæ vexillis, bellū miseris importabāt. Theophylactus ibi. *venit autē Christus, mansuetus. nō enim venit, vt iudicet mundū in primo aduentu, sed vt saluet. & alij quidem Reges Iudæorum, fuerunt rapaces & iniusti: Christus autem, Mansuetus.* vide quæ multa ibi Chrysostomus; sed neque hinc abibo, quin notem, verba illa Matthæi, quibus prædictam incipit narrationem: *Cùm appropinquassent Ierosolymis, & venissent Bethphage, tunc Iesus misit duos Discipulos &c.* v. 1. Poterat quidem multo ante præcipere Christus, vt asellus ingressui necessarius, sibi adduceretur: sed noluit nisi iam propinquus vrbi: ne bonis subditorum; & alieni instrumenti ministerio vteretur prolixius, quàm dum Mysterio, non poterat excusari. videant nunc Ministri insigniores & Togati,

180.

Isai. 62.

Matth. 21.

Minister rapax, bellum infert populo.

Ludolphus.

Theophi.

Matth. cit. v. 1.

Ministri in expeditionibus, populum non fatigent.

gati, qui populorum expensis, ab alio in alium locum deduci solent, quàm circunspectè, quam non multiplicatis moris obsequij, & apparatûs euitatâ superfluitate, debeant incedere: quando Christus, vilissimo asello quandoque vsurus: moras temporis, itineris breuitatem sic expendit.

181. Sed neque mirum, in expeditionibus suis sic à Christo differant: qui tam alio affectu properant ad causas. Descenderat è Ierusalem Dominus: *& egressus inde, secessit in Partes Tyri, & Sidonis: & ecce Mulier Chananea, à finibus illis egressa, clamauit dicens ei: Miserere mei Domine, fili David.* Matth. 15. v. 21. Descenderat quidem Christus eò animo, vt iam gentibus tanti per irradiaret, quibus postea plenitudinem lucis disponebat: nec tamen vrbes ethnicas adit: sed in partibus, idest terminis Iudææ, confinibus substitit, vt egressa eò Mulier, inueniret remedium; at nunquid contaminaretur Dominus, gentibus conuersatus? absit. Cur igitur, suauitatem commercij, & ingressus honorem illis denegat? mysticum magis exemplum quærebatur, de quo ibi pulchrè Isaachus, apud Godefr. ita. *Cum in forma Dei esset, quasi Patriæ suæ fines egressus, exinaniuit semetipsum, formam serui accipiens, in similitudinem carnis peccati, tanquam in partibus Tyri, & Sidonis inuentus, sed ab his, qui fines suos egressi, in eisdem partibus, ipsi occurrerunt. Fecit itaque, quod pietatem decuit, venit ad peccatores, sed ad peccata non debuit, nec potuit. venit ad auaros, sed non ad auaritiam: ad cupidos, sed non ad cupiditatem: ad luxuriosos, sed non ad luxuriam: denique ad vitiosos misericorditer venit: sed ad vitia misere non peruenit.* At Ministri nostri sic properant Reip. damnis succurrere, vulnera curare, vt in terminis virtutis non substitant: ideo vitiis magis, quàm vitiosis, (quos corrigendos prætendunt) adiunguntur: auaros puniunt, ipsi auariores: dum quæ garriunt, oppressos pauperculos a potentioribus iniquis, à se vindicatos: iniquiores ipsi, Potentiorum patrimonia etiam cum tota rapinis, hi iterum deuorant. tam longe, vt dum materiæ terminis substiterint: quin potiùs per longissimas moras, commissæ Prouinciæ, aut oppidi penetrent vniuersa, non priùs reuersuri, quam consumptas facultates secum conuehant: Auctorum muneribus iniquis, & iusto grauioribus, Reorum damnationibus, ditescentes.

Matt. 15. 21.

Isaachus. Christi aduentus qualis.

Ad quos terminos properbus Minister consistitus.

V.

Et à cruentis prædis abstineant.

182. PArcamus tamen vtcunque horum siti: qui rapinis, per sanguinem non inhiant: detestabilis est illorum furor magis, qui nō nisi cruentas prædas habent gratissimas. Ad capitales reorum causas conuolant velocissimi: & (quod in litterà dolui) conspersas sanguine diuitias diripiunt: leuibus indiciis, in bonorum proscriptionem, miserorum animabus insidiantes. Occiderat Achab impius, iustum Naboth tunc Deus ad Eliam: *Surge, & descende in occursum Achab Regis Israel, qui est in Samaria: ecce ad vineam Naboth descendit, vt possideat eam.* 3 Reg. 21. v. 18. aliter Lxx. qui vertunt: *Ecce in vinea Naboth est.* Longè aberat à Ciuitate Samariæ vinea ista, vt bene notat ibi Caietanus: vtpote quæ Iesraeletani agri, pars erat: qui ergo in Samaria adhuc fuisse dicitur, licèt iam pergens ad impiam possessionem: quomodo à Lxx. non tam eò pergere, quam in vineà iam esse, vere enuntiatur? quia sic illi grata, cruenta præda fuit, sic vineâ domini infectâ sanguine est delectatus: eâ celeritate, ineundæ possessioni impiæ exarsit: vt non solùm in Samariâ, corpore: animo autem, in vinea esse credi posset: sed vtrobique simul totus adesse videretur: dum eâ festinatione, è Samaria in vineam excurrit, vt hìc iam esse, nec ibi interim defuisse posset putari. Caietanus. *Significatur celeritas executionis, cum aggrauatione: est enim sensus, quod Achab residens in Samariâ, auditâ morte Naboth, sine morâ est in vineâ ad quam descendit.* Abstineant saltem ab hoc impii Regis ingenio, Ministri praui, neque è reorum, nedum innocentium sanguine, Auaritiæ suæ parent salsamentum. Non hoc cuiusuis belluæ fuerit, sed sæuissimæ.

Ministri, à prædis cruentis abominabiles.

3 Reg. 21. Lxx Interp. Caiet.

Celeritas Tyranni in prædis cruentas.

Caiet.

183. Reuoca, quæso, in memoriam, illam explicationem Hugonis Card. quam suprà num. 76. Animalibus Ezechielis id est quatuor totius Orbis Monarchis assignaui. Sub bruta specie omnes delitebant, quam insuper pennis celerrimis obumbrabrant: velocissimè nimirum volantes, vt prædam inuolarent: de omnibus tamen additur: *Et manus hominis sub pennis eorum.* Cap. 1. v. 8. itaque Taurina truculentia, Leonina ferocitas, rapacitas Aquilina, de manûs humanitate mansuescunt, ita ne? adeo rapaces feræ, sub monstrosissimâ formâ horribiles, ad humanarum actionum instrumentum nôrunt mitescere, & relictâ sæuitie cicurari? Ecquid causæ? præter alias ibi adductas, hanc insuper præsenti rei aptissimam adducit Hugo. *Quia sub ferocitate & rapacitate, fuerunt eis manus, quia quos rapiebant, non interficiebant.* Vt iam ferinam rapinam credantur superare, qui sanguinolentis diuitiis anhelant, qui nisi cruentas prædas fastidiunt, & opibus cum sanguine pariter satiantur. At pessimi nonnulli Ministrorum, vt sub causæ capitalis vmbrâ, dissimulent auaritiam, vitæ insidiantur: quasi non immeritò spoliatos opibus reos tradicant: quos pœna sæpe iniqua, neci adiudicârat.

Ezech. 1. v. 8.

Plusquam feritas rabie, non nisi ... predas ...

Hug. Card.

184. Oderat Aman vniuersum Iudæorum Populum, vnius Mardochæi læsus, vt putabat iniuriâ: tunc impius & calumniator Minister adit Regem: inquietam gentis Religionem criminatur, & insolentiam: additque. *Si tibi placet, decernere vt pereat: & decem millia Talentorum appendam Arcariis Gazæ tuæ* Esth. 3. v. 9 vbi bene Dionysius. *Ne Rex retraheretur a sententiâ mortis, in Iudæos dictandâ: propter damnum tributorum, quæ sibi à Iudæis dabantur.* Quòd vindictæ furor multa solicitaret, vt tumidissimæ hominis arrogantiæ adblandiretur, mihi non mirum: sed quòd tenacissimus Auaritiæ affectus, qui Ministros sic arctè solet deuincire, (in Aman autem necessariò coniectatur, qui ex vilissimo gradu, in tantam opulentiam deuenerat) ita cedat arrogantiæ conatibus: vt huic blanditura, immensam pecuniarum hanc molem sic profundat: quis non miretur? Ego quidem haud temerè præsumo, impium

Esther 3. 9.

Dionys.

 pium

pium hunc Ministrum, sic per vindictam arrogantiæ suæ ministrâsse, vt insuper auaritiæ deseruiret: neque hanc, illius famulatui, sed potiùs consortio assignâsse. Pende quid Rex, dato Aman annulo, subiungat. *Argentum quod tu polliceris, tuum sit: de populo age, quod tibi placet.* v. 11. Ecquod diploma format Aman in omnes Prouincias mittendum? Scilicet: *Vt occiderent, & delerent omnes Iudæos, &c. & bona eorum diriperent.* v. 13. vt ergo nullus illo potentior, nullus sæuior: sic nullus plura diripere sperabat, è rapinis cruentatis, non solùm soluenda decem illa millia Regi, sed plura sibi Talentorum præsumpserat reseruanda: non solo sanguine, sed hoc inficiente prædam, gauisurus.

Auaritia, superbia coniuncta.

v. 11. & v. 13

185. Quid? tantummodo hi rapaces Ministri abstinent à sanguine, dum inde maius lucrum speratur: neque siti cruoris parcunt, de pietate: sed vt sitibundæ Auaritiæ largiùs indulgeant, iam fraterno sanguine satiandi, Cisternæ, Iosephum obtruserant impii fratres: ad quos tunc Iudas: *quid nobis prodest, si occiderimus fratrem nostrum, & celauerimus sanguinem ipsius? melius est vt venundetur Ismahelitis, & manus nostræ non polluantur.* Genes. 37. v. 26. & additur: *acquieuerunt fratres sermonibus illius.* v. 27. singula verba, innumeros produnt stimulos auaritiæ: nihil sibi prodesse putabant, si odio satisfacerent, dummodò inde nil quæstus pullularet: Sic tamen fundendo cruori præferunt lucrum: vt si spes eiusdem quæstus, nedum maioris, à sanguinis iniutiâ refulgeret, iam polluere manus festinarent. Neque id temerè præsumo. Cur enim, si odio tantummodò vellent satisfactum, Ismahelitis cognatis, & proximè, communi abauo, consanguineis, non tam dono, quàm pretio, puerum tradunt, nisi quia lucro magis inhiebant? bene ibi Guillelmus Hamerus. *Sed quis putaret in Israelitis his, suprà odium in fratrem, auaritiam quoque fuisse: vt iam sordidum lucellum, à fratre innoxio captarent: quem honestiori titulo, Ismahelitis cognatis, dono dare potuissent? Atqui verum est, id quod Socrates ait, apud Platonem: omnes homines lucrum amant, siue sint boni, siue mali.* non dixit Hamerus: *Præter odium in fratrem.* Sed acutè, & prudenter: *suprà odium in fratrem, Auaritiam quoque fuisse.* Superabat enim odium auaritia, non extinguebat: vnde si parem quæstum sperarent, trucidatum mallent diuendere, quàm viuentem: impensius cruento pretio exhilarandi.

Auarus tunc solummodo parcit cruori, cum lucrum affulget.

Genes. 37.

Auaritia affectuum vehementissimus.

Guill. Ham.

186. Sed ecce Iudas alius, apostata Apostolus, qui figuratum Iosephum, Iesum verum vendens: Ministris quos reprehendimus, normam assignauit. Erat is fur, & loculos habebat, vt nosti: neque prioribus contentus rapinis: Minister iam diaboli, ad Iesus insidiatores tendit dicens: *Quid vultis mihi dare & ego eum vobis tradam?* Matth. 26. v. 15. Pende illud, *quid vultis.* quasi dicat: non res magni pretij est, quidquid volueritis condignum assignare, æstimabo: vnde constitutis triginta argenteis stat lubenter. Atqui nonne breui tempore, ex occultis rapinis poterat hanc sibi summam suffurari? parum id curabat impius, & sub æquali rapinâ, feruidior ad cruentam properabat: Nec tam argenteos furto, quàm sanguine infectos insuper sitiebat: id que eâ furoris cæcitate, vt etiam damnum sibi inde sequendum non caueret: iugulum præbet dæmoni, dummodo Dominum iugulet: nec Apostolatûs præmium perdere erubescit, dum cruento proditionis pretio potiatur. fauet Petrus Cellensis, lib. de Pan. cap. 8 sic expostulans. *Fraudulentissime Iuda, parum est tibi, fraudem fecisse de animâ tuâ* (per priores credo rapinas) *nisi addas manus sacrilegas inijcere ad Misericordia Dei viscera? parum est tibi, diabolo præbuisse iugulum, nisi iugulares & Dominum nostrum? parum, inquam, est, perdidisse præmium tuum, nisi tolleres pretij nostri pretium? satis meliùs permaneres in discipulatu Christi: quàm euaderes in Magistrum Antichristi.* vt iam consimiles Iudæ imitatores, è discipulis Christi, in Antichristi Magistros euectos oderis: qui, licèt sub specie liberalis Principis, totus cruentis prædis desudabit.

Matth. 26

Dulcior impiis præda, si sanguine infecta.

Pet. Cellens.

Auarus, Antichristi est Magister.

VI.

Paupere Rege, ditescunt: rapinásque, sub ipsis Reip. ruinis, celatas cupiunt.

IAm ergo, sub tantis Ministrorum rapinis, non miremur: si quandoque non solum exhausta regna, sed & Reges ipsos, in extremam redactos inopiam luxerimus. Exsugunt illi, quidquid facultatum fuerat in priuatis, quarum parte saltem dimidiâ, Rex immensùm ditesceret: sed cum hinc fere nihil ad Regem venerit: & hic deinceps ab spoliato populo, non citius succum, quàm à pumice aquam, queat extorquere, quid nisi mendicare iam cogatur? Empturi frumentum, accurrunt ad Iosephum omnes Ægyptij: *è quibus omnem pecuniam congregauit, pro venditione frumenti, & intulit in ærarium Regis.* Genes. 47. v. 14. de quo D. Augustinus Tom. 4. lib. 1 quæst. 159. *Pertinuit ad Scripturam, in hac etiam re, commendare fidem famuli Dei.* Famulum Dei dixit, non Regis famulum: qui à Dei obsequio, hanc erga Regem didicerat fidelitatem; vt obiter discant Reges, eo sibi fidelius à Ministris seruiendum, quo illis erga Deum vtantur iustioribus. Sed tanti ne erat, vt Ioseph parte aliquâ pecuniæ, ex regio frumento comparatæ, non abuteretur: quod id in eximiæ præconium laudis, tacendum non putaret Scriptura? non fuisse furem, Iosepho in encomium, decenter tribuatur, & quidem meritò: quippe ibi stare, vbi multi passim labuntur, nec frequenti ruentium exemplo cadere: quidquid id fuerit, laudem conciliat haud leuem. Rarissima est regiorum Ministrorum virtus; rapinis non assuescere: quodammodo fato duriori huc impelluntur, vt Rege paupere, ipsi nimiùm ditescant: & defraudati opibus ærarij, impleant arcas suas: quid ni ergo quasi phænix, fidelitas hæc Iosephi commendetur? sed præstat audire ibi Oleastrum. *Non possum satis mirari, videre eos, qui grati Regibus sunt ditescere: Regem verò ipsum indies pauperiorem fieri. Neque aliud iudicare possum, quàm quod ipsi, non ad Regis ærarium, sed ad suum, pecunias venantur à populo.* Crede mihi, cultissime Doctor; haud temerè iudicasti.

187. *Paupere Principe, ditescunt ministri impij.*

Genes. 47. è contra, boni.

D. August.

Oleaster.

Ædificando Tabernaculo sic Dominus præcepit

cepit Moysi. *Loquere filiis Israel, vt tollant mihi primitias; ab omni homine, qui offert illas vltroneas, accipietis eas.* Exod. 25. v. 2. Præterea, quòd hoc piissimum Tributum non tam extorquet, (cum tamen Tabernaculum non tàm suo, quàm communi gentis commodo deseruiret) quàm ab ipsis vltroneis vult accipiendum. Sed cur ab ipso populo veniente offerendum potiùs, quàm per Moysis Ministros, etiam ab vltroneo congerendum? an offerentium, veniendi, & portandi tot munera, labor non minueretur? Si libertas dono cōceditur: cur donator, cogitur cum munere aduenire? Instituit sic Principes, vt non solùm extorta respuant tributa, sed etiam in vltroneis, ab Exactoribus Ministris sibi caueant: qui sub grati doni accipiendi prætextu, non quæ dantur, sed quæ sibi placēt, diripiunt: ipsa insuper donata regibus munera sibi tollētes: patrimonia sua, & regiam paupertatem simul augent. Prius membrū

Oleaster. Exactorum dura rapacitas. inculcat ibi Oleaster. *Expendant ex hoc loco Principes, tàm Ecclesiæ, quàm sæculi, quales exactores esse debeāt, in populos sibi cōmissos. Nunquid quod à populo vos exiguis, vos dedistis ei, quemadmodum Dominus, qui suis cōcessit spoliare Ægyptum? non mittit Ministrum, qui domos subditorum ingrediatur, & tollat quod sibi placuerit: sed vnumquenque vult apud se deligere, quod Domino sit oblaturus.* Vide nunc, an qui tenuiorum rescculis subditorum inhiat sic auidus: thesauris regiis, vnde impleri, & penè satiari potest, velit parcere: anque Rex sub his Ministris constitutus, queat ditescere: & non potiùs in fœdissimam inopiam deuenire.

189. Rapinas suas sub Reip. ruinis celandas curant. Hinc est ergo, vt Ministri præcipui, qui vberioribus spoliis sic abundant, & exhausto populo, mendicos Reges in curas, & sollicitudines illos cernunt deuolutos, vnde nam populus afflictus, gemat de rapinis, cùm gazæ regiæ pariter contabescant, nihil habeant priùs, nihil antiquiùs, quàm totius Reip. curare euersionem, noua moliri, & vel ab hostili incursu vel à ciuili seditione, bella commouere: quo sub ipsius Regni ruinis, rapinæ tantæ celentur: Princépsque sæuioribus damnis implicitus, aut fractus penitùs, in illos animaduertere non valeat: nec vnquam exercitæ tandiu fraudes detegantur: nec crimina, periuria, neces, quibus in hāc opulentiā deuenerant, puniantur. Bene Salustius de Coniur. Catil.

Salustius. licèt non ad solos Ministros rem deferat: sic ad præsens institutū. *In tam corruptā Ciuitate Catilina, (id quod factu facillimum erat) omnium flagitiorum, atque facinorum, circum se, tanquam stipatorum cateruas habebat. Nam quicunque impudicus, adulter, ganeo; alea, ventre, manu, pene bona patria dissipauerat: quique alienum æs grande conflauerat, quo flagitium, aut facinus redimeret: præterea omnes vndique parricidæ, sacrilegi, conuicti Iudiciis, aut pro factis iudicium timentes: ad hæc, quos manus, atque lingua periurio, aut ciuili sanguine alebat: præterea omnes quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat: hi, Catilinæ proximi, familiarésque erant, &c. His amicis sociisque confisus Catilina, &c. opprimendæ Reip. consilium cepit.* Scilicet, vt sub oppressæ Reip. ruinis, tot crimina impunita, sepulta delitescerent. Demus abesse cætera, ab improbis Ministris, quos arguimus: certè grande æs alienum, non mutuò, sed raptu conflatum, & periuriis, necibúsque, sub Iustitiæ iniquo velo editis, paratum: Nouarum illos reddit studiosos: & vel curant opprimendam Remp. vel exultant oppressā: malis fraudibus, peiùs obtegendis. Addo Sueton. in Iulio, Cap. 27. *Reorum, aut obæratorum, aut prodigæ iuuentutis, subsidium vnicum, ac promptissimum erat: nisi quos grauior criminum, vel inopiæ, luxuriæve, vis vrgeret, quàm vt subuenire posset per se: his planè palam, bello ciuili opus esse, dicebat.* Supersedeo pluribus, è profano penu exemplis, quæ cuiuis obuia: euoluo Sacrum. Sueton.

Obscurissima sunt verba illa Oseæ: *Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ: quia luxit super eum populus eius: & æditui eius super eum exultauerunt in gloria eius, quia migrauit ab eo.* c. 10. v. 5. Sto nunc Ruffino meo pio, qui ibi ita. *Hunc locum Traditio Iudaica ita consueuit exponere: illis videlicet temporibus, quibus nondum fuerant Israelitæ ad Medorum arua translati, sed in propria regione adhuc sistentes, Assyriis Tributa pendebant: exhausto ærar. etiam vitulos, quos colebant, pro vectigalibus Assyrio fuisse directos.* Hinc ergo meritò luget omnis populus, quia quos Deos suos falsò credebat, aliò migrāsse videt: Numinis sui gloriam, in tributorum condolens rapinas mutatam. Timeant iam, vt id obiter notem, Principes Catholici, ne vnquam sic populum, & Ærarium publicum exhauriant, vt Ecclesiasticis bonis cogantur abuti: & sacrilegio impio, fidelium oculos, ad iustissimas, inexsiccabilésque lachrymas conuertant. Redeo. Superest adhuc grauissima difficultas. In communi totius populi planctu, soli Æditui, id est Sacerdotes, Templique & secretioris Ædis administri, exultant hilares, quibus mœstior luctus visus deberi? Nonne è vitulorum cultu, sacrificiis, & oblatis muneribus alebantur? planè. Nunq id ablatis his, census non deficeret? certè. Nunquid pii erant & religiosi, ablatámque Idololatriæ occasionem deluso populo celebrabant? imò impiissimi. Vnde ergo hilarescunt, vnde exultant sic euersā Rep. vt nec etiam à Tributis, aliò transferenda Numina possit redimere? Inde quidem, quòd sub his ruinis rapinas priscas suas à timore iam liberi occultabant, Idem Ruffinus pergit sic subiungens. *Quos tamen vitulos, cum Ieroboam, aureos fabricasset, ab Æditui suis, quibus eorum fuerat delegata custodia, ære fuisse mutatos. Cùm ergo necessitas extitisset, vt ad supplementum tributorum, etiam vituli mitterentur: luxerunt quidem populi, qui se æstimabant Numina perdidisse: fraudis verò conscii exultauerunt Custodes: quia translatis aliò simulacris, etiam inquisitionem furti, vlterius timere desiissent.* Neque te turbet in litterā, quòd cùm priùs pluraliter *vaccas* dixerit: postea sermo sit de vno tantùm vitulo: vt enim obseruant Interpretes (3. Reg 12. v. 28. vide) è duobus vitulis, alter ibi, alter in Dan colebatur: vide etiā Lxx. in Sixtiā. vbi textui aptissimè respōdet explicatio, quid fœdius in sacrilegis populi Ministris potuit excogitari?

190. Oseas 10. 5. — Ruffin. Pius. — Tributis immodicis parcendum, ne inde Ecclesia tributaria fieri cogatur. — Furtum ministrorum, publica ruina celatur. — Lxx. Interp.

Aliud Notationis Membrum.

Nunc paucis, bonorum Ministrorum ingenium, circa rapinas, & oblata, ne dum extorta munera, videamus. Rara, fateor, hæc virtus, sed non impossibilis: & ideo pluris facienda, quòd 191.

pau

Dynastæ nihil dare solent, sed accipere. *Genes. 33.* Oleaster.

pauciores soleat exornare; cùm enim dynastarum indoles sit vt plurimùm, cùm nihil dent, multa accipere, quasi dignitati suæ debita videantur: (quod bene expendit Oleaster, ad Cap. 33. Genes. v. 15. vbi de Iacob recusante socios famulos Esau, sic scribit: *Nihil voluit Iacob à fratre accipere: & coegit eum ad sua munera capienda: quia nouerat Potentes, & diuites non libenter dare: & libentissime accipere.*) Non potest non, maximè in Magistratibus, & præcipui honoris Ministris, commendari: quòd cum ad Dynastarum potentiam iam deuenerint, horum tamen rapax, vel cupidum ingenium non admiserint: Improbos etiam obiter reprehendam.

MONITA POLITICA. VII.

Optima administratio, tunc integrior, quando manca.

192. *Iustitia cur manca.*

DEcantatissimum, apud Politicos Ethnicos hoc monitum: quo Ministros omnes, sub Iudicum nomine comprehensos, volebant institutos. Allusit, quod nemo nescit, Alciatus Embl. 144.

Alciatus.

Effigies manibus trunca, ante altaria Diuum,
Hinc resident, &c.
Cur sine manibus? capiant ne xenia: nec se,
Pollicitis flecti, muneribúsue sinant.

ad quem locum multa Interpretes. Hinc Plutarchus lib. de Iside & Osir. *Apud Thebas, Iudicum imagines sunt, manibus carentes, &c. ob id, quod Iustitia, muneribus non assuescat.* Nec græcis Thebis, sed etiam Ægyptiis, similes statuas describit Diodorus Siculus lib. 2. cap. 1. subdens. *Hæ imagines præ se ferebant, Iudices integros,* quasi nullibi integriores, quàm vbi manci. Sic integritas, mácas manus sequebatur: quia solertibus manibus, administratio manca exhibetur, vnde pulchrè Apuleius lib. 11. Metamorph. de Sacerdote Æquitatis symbolum gestante, sic habet. *Æquitatis ostendebat indicium, deformatam manum sinistram, porrectâ palmulâ, quæ genuinâ pigritiâ, nullâ calliditate, nullâ solertiâ prædita, videbatur Æquitati magis aptior, quàm dextera.* Itaque non solùm sinistra, semper naturâ suâ iners, sed illa deformata, seu manca insuper, ad integerrimam notandam æquitatem, solerti dexteræ, meritò præponitur: Non certè aliunde, nisi quia Ministrorum proborum æquitas, tunc integrior, quando subdolis operibus exercendis, aut rapinis, etiam sub munerum velo tractandis, manca cernitur. Libaui profana ista, nec etiam vulgo, paradoxica Thesis videretur.

Plutarch.

Diodorus. *quando manca; tunc integrior.*

Apuleius.

193. In populi Iudicem, præcipuúmque Dei Ministrum, Moyses, eligendus, virgam quam manu gestabat, proiicere iubetur: quæ porrecta, in Colubrum versa est: Coluber autem per caudam arreptus denuò, in virgam restituitur. Exod. 4. v. 2. quod mysticè sic ibi expendit Stephanus Cantuar. *Virga est Potestas iudicandi: virgam in terram proiicere, est iudiciariam potestatem, ad terrena deflectere: in Colubrum vertitur, cum de Potestate egreditur peccatum, &c. Iudex est aliorum, à Deo in fine iudicabitur: & ita per considerationem finis. Coluber redibit in virgam: id est Potestas, in directionem.* Optima, quantumuis allegorica explicatio, quasi hoc signo, persuadere Deus populo conaretur, vt Ministrum illum beneuolè exciperent: qui se, finis instantis consideratione, nôsset in officio continere: ac proinde virgam ad terrena deflectere iam non auderet? ne fortè piscaturus diuitias, Colubro in æternum piscandus adueniret. Vide nunc, quid statim sequatur, v. 6. *Dixitque Dominus: Mitte manum tuam in sinum tuum: quam cum misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis: Retrahe, ait, manum tuam in sinum tuum; retraxit, & protulit iterum, & erat similis carni reliquæ. Si non crediderint, inquit, neque audierint sermonem signi prioris: credent verbo signi sequentis,* &c. quia non poterat iam respui Minister ille, qui manum niueam, omni scilicet auaritiæ ardore refrigescente, ostendebat: quíque, omni, quiduis attingendi, vsu impedito, leprosam illam & quodammodò mancam propalabat, quasi inde integrior redderetur.

Exod. 4. Iudices æternæ Iudicij consideratione componuntur. Steph. Cant.

v. 6 Manus Iudicis nivea & leprosa.

194. Et quidem, nescio quomodò, sed certè ita est, cùm sancta Iudicis incorrupti manus, manca muneribus, integrior exercendo ministerio reddatur: corrupti Ministri manus, quæ expedita & mobilis rapiendo videtur, eo ipso manca, obeundo officio collabascat, nisi quia diuerso modo incorruptio & auaritia, Ministros suos & integrant, & mancant. Illa integrat exercendo muneri, mancat muneribus capiendis, hæc verò integrat & dilatat his inuolandis, mancat illi fungendo. Nihil, (vt suprà num. 170. iam notaui) D. Ambros. græco textui consonus, in Moysis manu leprosum: sed tantùm, candorem niueum recognoscit. Tunc ad rem nostram, ad illud Luc. 6. de manu arida per Christum restitutâ, post multa, sic scribit. *Sic vt Moysis dextera custodientis mandata Domini, niueo fulgore resplenduit: ita & Adæ dextera, præuaricantis præcepta, Genes. 3. v. 6. mortifero pallore contracta est. Hanc igitur Adæ manum, Saluator curat in Synagogâ: hoc est totius generis humani imbecillitatem sanare festinat: dicit enim illi: Extende manum tuam: qui eam Idolis immolando contraxit; extende manum tuam, qui per eam res orphanorum, viduarúmque gestu inuadere. Sed & tu, qui putas manum te habere sanam, caue, ne per auaritiam contrahatur.* Misera illa etiam esculenta, & poculenta, quæ quandoque Ministris permittuntur, Adamum arefecerunt: cuius posteri, etiam quò saniores habent manus, ad munera capienda, eo contractiores, & peius manci, officiis redduntur obeundis. sicut qui instar Mosis, (quem leprosum, & contactibus interdictum Latinus & canonicus textus habet) mancantur ad rapinas: manus quasdam fulgentes & expeditas, iuxta Lxx. versionem, ministerio retinent exequendo.

Corrupti & incorrupti Iudices in manum ministerio, quam alij.

Luc. 6. D. Ambros.

195. Adhuc aliud, in optimi huius Ministri manibus ponderandum, graues, & deorsum vergentes, hosti: leues verò, & sursum volantes, populo suo victoriam deferebant: *Cùm leuaret Moyses manus, vincebat Israel: si autem paululum remisisset superabat Amalech.* Exod. 17. v. 11. quasi manus illæ electi Ministri dum in terram feruntur, & quasi terrenis opibus cumulandis

Exod. 17.

landis occupantur sollicitæ: iam inde mancæ & quasi inhabiles, gerendis commissis negotiis, conficiendo bello viderentur: dum verò efferuntur in aërem, quasi terrenis opibus tractandis sint ineptæ: tunc vegetæ & robustæ, fungēdo bellico muneri decertabant. Non multùm abit hinc Philo Iud. lib. 1. de vita Moys. *quoties lenitatem recipiebant, ad cælum sublatæ, confirmabant socios, ad rem fortiter gerendam: quoties verò degrauabantur, præualebat hostilis acies. Deo significante, quod aliorum hæreditas propria, sit terra, Mundi pars infima: alterorum, æther sacratissimus.* Nouerint ergo probi Ministri, vbi thesauros suos debeant collocare: in Cælo scilicet, Patriâ fælicissimâ: si enim terrenis opibus, & alienæ Patriæ inhiant thesauris, haud se mancos ad rapinam profitentes, necesse est, vt commisso sibi muneri mancentur. vt iam minùs iniqua illorum opinio videatur, qui cum doleant, diu aliquando Catholicos, Marte dubio cum Hæreticis decertare: Ducum auaritiæ, Ministrorúmque rapinis, commissam sibi regiam gazam, dilacerantium, rem deducunt; deprimunt ad terrena manus debita militibus suis stipendia detrahentes: & dum his occupantur, victoriam promouere non curant. & quid ni durent bella, sic fertilia? quid ni de victoriâ partâ sterilem sibi pacem pertimescant? audiendus adhuc Philo *Cum igitur aliquantisper manus, bilancis in morem, nunc sursum tollerentur, nunc deorsùm vergerent, certaretúrque Marte dubio: tandem repentè, velut pennas habentes pro digitis, sublatæ volitabant per aërem, manentes in sublimi, donec Hebræis certa victoria contigit, deletis hostibus.* vt iam intelligant Principes Catholici, tandiu sibi Marte dubio, id est certo dedecore, cum Hæreticis decertandum, dum eorum Ministri, ad bonorum rapinam manus depresserint.

Manus grauata muneribus, impediuntur. Phil. Iud.

Bellorum infortunia vnde proueniant.

196. Confecerat iam hostes suos, reportato ingenti triumpho Abraham: tunc à Rege, qui præcipuam opem obtulerat, oblatas opes respuens, subiungit. *leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum, possessorem Cæli & terræ: quod à filo subtegminis, vsque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt.* Genes. 14. v. 22. Nouum iurantis habitum assumit, vt eo ipso probet, quàm muneribus dissuescat, quasi dicat. Aspice, quàm facilè in Cælum dexteram leuo, quasi inde cælestia dona relaturus: & disce, quàm ad terrenas rapinas mancus degam: si enim his, habilis assuescerem, iam aliunde mancus & contractus, cælestibus me extendere non possem. Quid ergo terrena dona offers illi viro, qui quoniam ad hæc mancus, promptitudinem suam, exercendis cælestibus, manifestat. Nimirum, sanctorum Regum, & Ducum futurus Pater, iam tunc posteris præire exemplo cupiebat: inde se probans potuisse solis trecentis vernaculis suis, tot fundere infidelium copias, acies profligare, quod nihil oblata munera, nedum rapinas subdolas curaret. Allucet dictis Hugo Card. ad hunc locū. *ille leuare potest manus, qui excutit eas ab omni munere. Sunt autem quida, qui munera non quærunt; sed respuunt, tepidè tamen, vnde & tandem recipiunt. sunt qui quærunt, & recipiunt, de his omnibus dicit Iob: ignis deuo abit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt. & qui sint illi: docet Isaias, loquens de Ierusalem. Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera,*

Genes. 14.

Manus rapinis immunes, fortes præ. io.

Hugo. Card.

sequuntur retributiones. Quid ni ergo, (addam ego) bellica hostium tabernacula, hi non expugnent: quorum pectora auaritiæ flammis æstuantia, tabernaculis propriis, ignem & euersionem administrant? sit igitur ad rapinas Minister mancus, sic integrior officio incumbet, fælicior superabit.

Ministri illi, quos sub animalium specie apud Ezechielem, nunc in bonam, nunc in malam partem, ex Doctorum placitis, iam suprà sæpe sumus interpretati: huc iterum in bonam, aduocandi. De illis ergo ita Propheta. *Quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni, &c. & Manus hominis, sub pennis eorum, in quatuor partibus.* cap. 1. v. 7. fortàssè quia instar, Mosaicis, (quod ex Philone, paulo ante vidisti) plumarum adnascentium, manibus: sic pennæ horum manibus adnascebantur; vt nihil terrenum rapere, sed aduolare cælestibus noscerentur. Ni potiùs velis, aptissimè ad rem præsentem, bene *sub pennis*, manus has apponi, quasi latentes, quasi quodammodò emortuæ, & languentes sint, ac nullo deinde vsui necessariæ. & quidem mirum est in hanc rem, id quod statim additur. *& facies, & pennas, per quatuor partes habebant: iunctaque erant pennæ eorum, alterius ad alterum.* v. 8. Coniunctio hæc, ni fallor, concordiam eorum denotabat, quasi in choreā mutuo necterentur: cúmque ad id, manibus vt plurimum, fiat concatenatio: hi, pennis, concordiæ catenam conserebant: quia mancas omnino manus, scilicet ne rapinis assuescerent, probi isti Ministri exhibebant: & quæ neque id officij, præstare possent. Longè aliò tendit ibi Hugo Card. qui tamen hanc manuum impotentiam visus insinuare. *Erant disposita animalia, ac si facerent choream, & iuncta erant per extensionem alarum: sicut chorea fit per extensionem manuum.* Nec facilè dixeris, cur in istis hæ manus, ad hoc, inhabiles: nisi quia symbola hæc proborum Ministrorum, (vt symbolum æquitatis, quod initio dixi) deformatas manus, & quasi porrectas palmas, neque vnquam curuandas, ostentabant. sed ad hoc monitum aliquid adhuc infrà suggeremus.

197. Ezech. 1.

Ministri, feliciter manci.

v. 8.

Hugo. Card.

VIII.

Ne pro spicillis, Muneribus vtatur.

198. NEque mirum, tàm cautos, probi Ministri, circa munera, nedum circa rapinas, se gerant: vt etiam, ne quid capiant, mancos se exhibeant: nôrunt quippe, nihil sibi rectè ministrandum, ni rectè, commissi sibi negotij ius dispiciatur: neque hoc vnquam probe dispiciendum, nisi puris oculis, & non fallacibus spicillis, euoluatur. At quidem vt spicilla, quæ diuersi coloris oculis admouemus, sic visiuas species inficiunt, vt obiecta longè aliter, quàm fuerint, repræsentent: sic admota munera, accipientium oculos deprauant, vt iam causas, longè aliter, quàm deceat, intueantur. Longè alius & indole, & acquisitis virtutibus, à durissimo Esau, erat mitissimus Iacob: & tamen, vt habet ibi Textus: *Isaac amabat Esau, eò quod de venationibus illius vesceretur.* Genes. 25. v. 28. ibi

Munerum spicilla, causas longè aliter ac fuerint repræsentāt.

Genes. 25.

Oleaster. *Mirum valde est, quòd etiam inter Parentes, & filios, munera amorem gignant, & augmentent. Inde vulgatum illud Prouerbium: Matrem & filiam, mutuis donariis amicas fieri.* Nimirum, per hæc viliorum etiam munerum inspicilla, Esau suum aspiciebat Páter, aliunde sanctissimus, & prudentissimus, illúmque despecto meliori Iacob, amore digniorem reputabat. Tu videris, quàm facilè apud extraneos Ministros, causa etiam iusta, sit casura: dum iniusta, per mu-
199. nerum inspicilla obiiciatur.

Exod. 238. *Munera si vides, ius videre non poteris.*

Hinc Deus post alia Ministris suis indita præcepta. *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes: & subuertunt verba Iustorum.* Exod. 23. v. 8. in Hebræo pro, *excæcant prudentes*: legitur: *excæcant videntes*, & quidem non absque emphasi: nam vidisse oblata munera satis est, vt iam occæcati, causam iniquè tractent Ministri nequam: & scintillati auiditate oculi, conflagrent. Quid ita? quia iam non priscis oculis videre visi, quos Auaritiæ affectus, aliter fecit esse videntes. Bene tamen, non oblata, sed magis accepta munera, *videntes* potiùs, quàm prudentes, dicuntur excæcare: quia muneribus iam vtentes pro spicillis, sic causas vident, vt occæcati potiùs videantur. Oleaster ibi. *Solent qui munera accipiunt, non suis, sed munerum oculis respicere: & prius munera offerentis videre, quàm causam: & muneris affectu excæcati ad iudicandum pergunt: vnde non possunt rectè merita causæ speculari: cum spicillis mali affectùs causam intueantur.* Quid ergo, non potiùs mancum se cupiat Minister æquus, quàm ab his iniquis spicillis obcæcari? Atqui, inquis, tam iustus, támque perspicax esse potest, vt licèt munus, maximè si tenue fuerit, accipiat, in iudicium prauum non peruertatur. Occurrit tamen obiectioni, prudenter idem Doctor ibidem. *Expendendum valde est, quòd non dixit æquissimus legislator: Munus non accipies, ad iniquè iudicandum: sed acceptionem in vniuersum prohibuit, quoniam nouerat nullum esse munus, quod saltem accipientis animum non inclinet, aut debilitet, licèt non omnem inuertat.* Si enim paruum munus debilitat, affliget grande, etiam æquissimos. Nullum quippe est huiusmodi inspicillum, quod quamuis non excæcet, saltẽ Ministri oculos non debilitet, & reddat conniuentes.

Oleaster. *Munerum spicilla obcæcantia.*

Oleaster. *Mirauis munerum, Iudici obcæcãdo.*

200. Nulla, ab effronte homine, immanior calumnia poterat excogitari, quàm illa, qua Siba, Dominum suum Miphiboseth, apud Dauidem Regem accusauit. 2. Reg. 16. v. 3. vnde proscriptum totum Domini patrimonium sibi, concedente Dauide, comparauit. v. 4. Sed quidem, nulla vnquam aut æquior, aut clarior calumniæ propulsatio fieri potuit, quàm quâ se apud Dauidem, innocens perpurgauit Miphiboseth, cap. 19. v. 26. & tamen addit Dauid. *Quid vltrà loqueris? fixum est, quod locutus sum: tu, & Siba diuidite possessiones*, v. 29. tantumne valuit impii detractoris adulatio, vt apud æquissimum aliàs Principem, sic iniquam sententiam, & aperto iam dolo, fixaret? certè per se non satis erat, nisi muneribus veniret cumulata. Occurrerat Siba defatigato Principi, *Cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, centum ligaturis vuæ passæ, & centum massis palatharum, & duobus vtribus vini.* Cap. 16. v. 1. hæc ergo, licèt vilissima munuscula, ea regiis oculis pararunt inspicilla, sic causam Sibæ fucârunt, meliorem Miphiboseth causam deformantia: vt præstigiatus Princeps etiam sub tantâ veritatis luce, vtrinque caligaret, ideo ibi Lyranus. *Hic duo consideranda sunt. Primum est cautela malitiosa Sibæ detractoris, qui considerans Dauid, & seruos eius in angustiâ positos, & fugâ & fame fatigatos, obtulit Dauid pauca respectiuè, vt per hoc mendaciter acquireret hæreditatem Domini sui, detrahendo sibi; & consimiliter faciunt in Curiis Magnatorum, cupidi & auari. Secundum est, Periculum Potentium, in verbis talium detractorum: quia Dauid Sanctus, ex verbis, & dono licèt modico huius adulatoris, & detractoris, in tantum fuit deceptus, quòd sine verborum eius examinatione, dedit ei hæreditatem Domini*, vnde obiter notas, Aulicorum fallaciam apud Reges, inde efficacem esse, quia obseruato tempore nouit obrepere.

2. Reg. c. 16. v. 3. & 4.

cap. 19. 26. & v. 29.

cap. 16 v. 1. *Leue etiam munus, Regẽ excæcat.*

Lyranus.

Aulicĩ doli vnde efficaciores.

Nouerat probè hanc munerum ingeniosam potentiam, Iacob: timebat iste hostilem fratris occursum: tunc paratis illi muneribus, subdit: *Placabo illum muneribus, quæ præcedunt, postea videbo illum, forsitan propitiabitur mihi.* Genes. 32. v. 20. signatius in Hebræo: *Placabo faciem eius munere*, deinde, τὸ *Propitiabitur mihi*, vertitur ibi: *Suscipiet faciem meam* Mirus vtrobique lepor: non tàm fratrem, quàm faciem eius, dicitur placaturus Iacob, quia si faciem seu fratris oculos exhibitis muneribus alliceret, certus erat, cor facilè molliendum. Ideò non se, sed faciem suam, dixit suscipiendam: quia iam facies illa, quæ pridem odio erat fratri Esau, quasi in aliam mutata, amabilis & grata futura sperabatur. Quid ita? non suis, sed munerum oculis, intuiturus deinceps credebatur Esau: sub his autem inspicillis, non solum aliter, sed necessariò aliud ipsissimum obiectum videretur, adhuc iterum Oleaster ibi. *A. si dicat: Videat ipse prius munus, quàm ego faciem eius: vt faciem leuat ad conspectum meum: ne in me, malum, quod sibi intulit videat. Seu: videat oculis muneris, me, non suis: qui enim munera accipiunt, vident per munera, non oculis suis.* Quid ergo mali, in alios, commissi, Ministros iam muneribus corruptos, visuros putes: cùm malum proprium ipsi Esau non cernendum, Iacob speret? Quid in reis, & supplicio dignissimis, boni non viderint, qui per donorum inspicilla sibi quidẽ gratissima, atque culpas colore suo deaurantia, illos intuentur? inficiuntur sanè oculi, muneris & oblati auri colore, vt iam noxas ipsas reddiderint bracteatas. 101.

Genes. 32.

Spicillis munerum, quò varientur & oculi, & obiecta.

Oleaster.

Sub oblato auro, vitia bracteantur.

Non in deserto plano, vbi paulò ante Christum gulæ iaculis impetierat: eundem cupiditatis telo, inuadit Satanas: sed tulit illum, in montem excelsum valde, vnde exhibitis omnibus regnis Mundi, & horum gloriâ, subdit tandem: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Matth. 4. v. 9. Nimirum vidit callidissimus hostis, nihil sibi priùs, nihil habendum antiquius, vt Christũ, (si fortè purus homo esset) deciperet: quàm in editis collocato, vnde omnia cerneret: omnia illi ob oculos proponere: Spectabat enim, munerum colore pulchro, sic oculos inficiendos: vt deinde fœdissimam adorationem, iam pulchram iudicarent. Sed erat Christus, Deus & Saluator noster, qui hominum instar, lædi oculis non poterat, nec fallacibus his vti inspicillis: quíque vt habet hîc Glossa, in Cat. Aur. *Non concupiscentiæ oculo intuetur, sicut nos: sed sicut Medici vident morbos, sine læsione.* Læsæ ergo inficiuntur pupil- 102.

Matth. 4. 9. v. 20.

Munerum splendor, oculos lædit.

Glossa.

læ

læ nostræ, exhibitis muneribus, vt iam res non vt in se sunt, sed vt sub his inspicillis pulchrescunt, nobis deinde videantur.

203. Trita vbiuis intuitio illa prima Protoparentis Euæ, non tamen in rem præsentem, satis expensum Ruperti acumen. Obiecerat teterrimus Serpens illi donum: & non dixit Scriptura, vidit pomum, & tulit, & comedit: sed: *vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectúque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit.* Genes. 3. v.6. Vbi bene Rupertus. *Vidit, id est considerauit, diligenter intuita est, curiosius attendit, & index eorum quæ audierat, ipsa esse voluit. Audierat, quòd dixisset Deus: In quocunque die comederitis ex eo, morte moriemini. Audierat Serpentem è contrario dicentem, nequaquam moriemini. Inter hæc anceps, naturam ligni proprijs sensibus diiudicare voluit: vt sciret cui potissimum, Deo videlicet, ac Serpenti, palmam concederet veritatis.* En tibi prima Orbis lis, primum & in re grauissimâ, erectum Tribunal: vbi (si Deo placet) se fæmella Iudicem, & Iustitiæ constituit administram. Cecidit tamen, vt ploramus, diuina causa, apud tam bellum iudicem, & fæmineo suffragio, quasi præconis voce, victor Serpens celebratur, & miramur apud inuidos Iudæos, Præsidem inscium, Iesum nostrum postpositum Barabæ: cùm apud Euam adhuc innocentẽ, tantùm culpa possit: vt postposito Deo, fallacissimo hosti, veritatis palma concedatur? Sed vnde, inquis, tam delusum iudicium? quia obiecti doni, id est concupiscentiæ vsa inspicillis, oculos exteriores admouens, interiores rationis oculos sic excæcauit, vt præceptum inualidum, & nullam ibi mortem, iam viderent: totúmque exterioribus oculis, rationis iudicium delegarent. Rupertus. *At illi, qui de hoc iudicare debuerant interiores oculi, exteriorum iam erant oculorum concupiscentiâ præpediti: vt non viderent, neque solam mortem corporis; vel quòd duplicem illatura esset mortem, non natura ligni, sed transgressio mandati; itaque, solis exterioribus oculis, naturam ligni considerauit, & deprehendit malè cauta, quod in fructu non esset venenum, &c. Sic vidit, & sic sacrilegâ temeritate, diabolo magis, quàm Deo: Serpenti magis, quam Creatori credidit.* Caueant ergo probi Principum Administri, his concupiscentiæ vti inspicillis: nam amoto rationis iudicio, totam exteriori obtutui causam delegantes: quid, nisi sententiæ præcipitium machinentur?

Genes. 3. 6. Rupertus.

In primo orbis Iudicio, munerum pondere, diuina causa obruitur.

& vnde dãnum.

IX.

A Principe ditescant Ministri, & quomodò: idque paulatim quandoque.

204. CVret ergo optimus Princeps, Ministros, quos aduocat dignitatibus stipendio iusto cumulare, & opibus, pro cuiusuis gradûs excellentiâ, ornare conuenientibus: aliàs enim, ab honore splendidi, & rei familiaris angustiis sordescentes: periculum nec leue est, ne per rapinas, honoris sub debito nitore fouendi subsidia, satagant comparare. In Iosephi sui benedictione, sic habet Iacob: *Sedit in forti arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum eius, & manuum illius.* Genes. 49. v.24 Nimirum in Deo viuo & forti spem collocans, carceris fœdi vincula euasit. Pende tamen, quid hic versatur ex Hebræo. *Deaurata sunt brachia manuum eius*, quasi eo ipso tempore, quo Pharao, Iosephum è carceris vinculis absoluit, & in Ægypti Præsidem designauit: pariter etiam ornamenta, torques scilicet, armillas, & annulos illi præberet. Lyranus ibi. *Hebræi exponunt de ornamentis & annulis, quæ erant in brachijs & digitis Ioseph: Scilicet de armillis & annulis, quos habuit, quando constitutus est Præpositus terræ Ægypti.* Et quidem fuit prudentissimum Pharaonis consilium: ignorãs enim adhuc, quantæ virtutis, quantæ foret Ioseph integritatis, præmisit debita officio munera & ornamenta, quibus abundans, subditorum rapinis abstineret. Ergo vincula Iosepho ferrea disrumpens, vincula quodammodò illi aurea iniecit, quibus pretiosè ligatus, (ne manus ad subditorum dona extenderet) arctaretur. Et quidem, si argutari licet, id fortasse voluit Dauid, locutus de Pharaone, qui populi sui Dynastas & Magistratus, Iosepho ipsi tradidit informandos: *Vt erudiret Principes eius, sicut semetipsum.* Ps. 104. v. 22. Vatab. vertit. *Vt vinciret Principes eius.* Scilicet, non arctius manicæ ferreæ, ligatum pridem strinxerant tractandis rebus, Iosephi manus: quàm aurea Regis ornamenta, easdem ne rapinis assuescerent deuinxerunt, quod Pharao, aliis commune Ministris, Iosepho institutore cupiebat.

Princeps, Ministros, iustis diuitijs cumulet.

Genes. 49. v. 24.

Lyranus.

Ne diffluant in rapinas.

Ps. 104. v. 22. Vatab.

Recole iuramentum illud Abrahæ piissimum, suprà num. 196 quo offerentis munera recusauit: quod ideo fecisse ait: *Ne dicas, ego ditaui Abram.* Genes. 14. v. 23. At, tamne erat indecorum, si à Sodomorum Rege ditesceret Abram? planè. Non erat ille terreni huius, sed superni tunc Regis iustissimus Administer: à solo ergo cælesti suo Principe vult ditescere. Lyranus ibi. *Non dixit ad iactantiam, sed ad Dei gloriam, qui ei promiserat multiplicationem bonorum temporalium, vt suprà dictum est, & ideo volebat vt eius ditatio vllo modo alij tribueretur.* Scilicet periculosum est & Ministri famæ, & Regis proprij saluti, si à peregrino Rege munera capiantur: quod ne eueniat curet proprius Princeps, primarios suos Ministros, sic instar Dei, ditare: vt peregrini Principis subsidio non indigeant. Hinc & Abrahæ seruus, apud nuptiales suos hospites, negotium commissum tractaturus, hinc incepit. *Dominus benedixit domino meo valde, magnificatúsque est.* Genes. 24. v. 35 & quidem prudentissimè: Narraturus enim Abrahæ opulentiam, qui à patria tenuis prodiisse noscebatur: necessarium duxit, hanc è cælesti Principe ortam prænuntiare: Ne apud cognatos suspecta, tanquam è rapinis, aut improborum muneribus proueniens crederetur. Non abest D.Chrysost. tom. 4 Homil. qual. vxor, vbi ad hunc locum ita. *Diuitias eius memorat, non vt opulentum, sed vt pium esse ostendat: hoc nomine laudans, quod à Deo hæc acceperit.* à Rege nimirum suo, ne aliunde fierent suspecta. 205.

Genes. 14. v. 23.

Lyranus. *à solo Principe suo, ditescit Minister æquus.*

Genes. 24. v. 35. *Repentina opulentia, suspecta.*

D.Io.Chrys.

Quid? ab ipso suo Principe, sic probi Ministri ditari concupiscunt, vt id potiùs ob iusta merita, quàm ob prauum aliquod obsequium (vt solet fieri) aut de prodiga Principis ingenio fieri agnoscatur. Natum sibi filium, vocauit Ioseph, Ma- 206.

Probus Minister, non nisi de iusto merito, à Principe vult ditescere.

Manassem, id est obliuionem: & subdit causam: obliuisci *me fecit Deus omnium laborum meorum & domus Patris mei.* Genes. 41. v. 51 quia iam nato hærede, opulentiam illam suam hilariùs excipiebat, quæ priscam è memoriâ miseriam expellebat. Sed nonne à Pharaone diuitias illas acceperat, vnde priscos labores expulit, & inopiam? Cur ergo in solum Deum has transfundit? respondet ibi Oleaster. *Aduerte qualiter Ioseph, omnia regia beneficia, non in Regem, sed in Deum refert: quia Sancti à nullo ditari volunt, nisi à Deo.* Non erat quidem ingratus Ioseph, satis, quàm multum Pharaoni deberet, agnoscebat: volebat tamen, ni fallor, nosceretur: sic æquo titulo, sic obsequiis piis, beneficia regia promeruisse: vt iam Rex, Dei instrumentum esset solummodo, vnde meritò in primam causam omnia referebat. Neque mirum, hac solummodò ratione, à Pharaone ditari vellet Ioseph: Princeps enim, qui iniquo de titulo, amicos & administros ditat: non tam honoratos reddit, quàm infames, & quasi communium consortes rapinarum: quod & danti, & accipienti æque probrosum. Habes ergo à solo Principe suo, & quomodo, id est quam iusto titulo, debeant ditescere Administri probi, vt rapinarum immunes habeantur.

Genes. 41.

Oleaster.

Princeps de turpi obsequio ditans Ministros, hos infamat.

207. Addidi in Epigraphe, id quandoque, paulatim fieri, expedire: & oculatè. cùm enim, quàm suspecta sint illa repentinæ opulentiæ miracula, quæ in aliquibus cernuntur administris, suprà n. 168. fusè ostenderimus: id maximè cauere debet Princeps prudens, ne probos suos Ministros reddat de subitâ opulentiâ suspectos. Ergo præterquam in illis casibus, vbi ita manifestum est, & aliunde ita ingens, in subito euentu Administri alicuius obsequium: vt etiam ingenti, & manifesto omnibus præmio, compensandus repentè, & dignissimè videatur: in cæteris paulatim, in promouendâ Administrorum opulentiâ Princeps procedat: non solùm, quia sic efficacius, in officio suo, dum maiora sperant, continebuntur: de quo alibi: sed quia apud populum, prauam de illo suspicionem euitabit: Nescias enim vnde etiam in illis Administris, qui aliunde probi videntur, semper repentinæ istæ opes, rapacitati soleant assignari. Bene Auidius Imperator, ad Amicum sic scribit. *An ego Proconsules, an ego Præsides putem, qui ob id sibi à Senatu, & ab Antonino Prouincias datas credunt, vt luxurientur, vt diuites fiant? Audisti Præfectum Prætorij, nostri Philosophi, ante triduum, quàm fieret, mendicum & pauperem: sed subitò diuitem factum: vnde quæso, nisi de visceribus Reip. Prouincialiúmque fortunis?* Plura ibi Vulcatius, & tamen credibile est, Marcum Philosophum excellentem scilicet Imperatorem, non nisi virum probum, in summam Præfecturam euexisse, & pro gradûs dignitate ditâsse insuper. & tamen, quia fortasse id occultè factum, nec merita præcedentia in Administro isto radiabant: necessariò putabat Auidius, opulentiam illam, quia subita, rapinis tribuendam.

Quandoque tamen opus, vt non subitò, à Rege ditetur Minister.

Vt repentina opulentia amoueat suspicionem.

Vulcatius.

208. Paternis vestigiis piissimè insistens Isaac, eiusdem diuini Principis gratiam promeruit, qui proinde optimum gloriæ suæ Administrum, ditandum curat: sed pende quomodo. *Et locupletatus est homo, & ibat proficiens, atque succrescens: donec magnus vehementer effectus est.* Genes. 26. v. 13. At quidem poterat facilè, repentino in fluxu beare illum Deus: sed cùm Isaac obsequiosa fides, quâ diuinam beneficentiam promerebat, apud vicinos Ethnicos ignota foret: maluit paulatim procedere, ne iustum Administrum redderet suspectum. Prudentissimè ibi Guillelmus Hametus, ita. *Quàm occultè simplicioribus, sed oculatis, satis clarè Moyses declarauit Isaac innocentiam, & possessionum eius iustam comparationem ostendit. Scribit igitur Moyses, Isaac non subitò, neque vnius anni prouentu, ad maximas diuitias euectum: sed paulatim, & per gradus quosdam ditatum honesto suo labore, peruigilique curâ. Nec aliud certius signum, iniustè partarum est, quam subita illa & præpropera opum affluentia, quæ meritò nulli non suspecta esse solet: idque eo magis, cùm inquilinum in alieno solo, præter cæteros, subitò beari contigerit.* Hoc ergo summopere debet curare Princeps, vt honesto ministerij labore, peruigilique negotiorum expeditione, videantur crescere Ministri probi, successiuáque præmia in dies promereri.

Genes. 26. v. 13. *Subita opulentia, quam sit suspecta.*

Guil. Hamet.

Est & alia, vt id obiter notem, causa politica, Cur Princeps, Ministros, quos ciuibus dilectos debet procurare, non nisi paulatim velit succrescentes: pende enim, quid statim addat Sacer Textus. *Ob hoc inuidentes ei Palæstini, omnes puteos, quos foderant serui Patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes humo: in tantum, vt ipse Abimelech diceret ad Isaac: recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valde.* v. 15. Paulatim, & suis gradibus excreuerat Isaac, & tamen inuidiam Ciuium, atque vicini Principis, non effugit: quid fuerent horum furores, si ille repentè talis prodiisset? haud æquè Ciues ferunt, Proceres maximè, vt Minister, natalium quandoque viliorum, paulatim (nescio vnde) sibi adæquetur: quid si repentè potentior euadat? hanc ergo conflandam Ministro optimo inuidiam euitet Princeps, & præterquam in raris casibus, quos dixi, ab hac immodicâ abstineat liberalitate: sicque intelligenda, quæ supra dixi, à num. 99. sed præstat hic audire politissimum Oleastrum. *Optimum consilium fuerit, non subitò crescere, sed paulatim: ne alios vicinos ad inuidiam prouocare videaris: quemadmodum Deum ipsum seruare hic vides. Si enim istum qui successu temporis auctus est, Rex terræ ferre nequiuit: quomodò eum tulisset, si se subitò vidisset ab eo, in bonis superatum?* Scilicet abhorret natura, vt extrema extremis, absque mediis, coniungantur: Nec Proceres, familiarum suarum splendoribus, obscuros aliquorum Ministrorum natales, subitò patiuntur exæquari: nisi saltem medii temporis successu, tam diuersa extrema vtcunque copulentur; aliàs, iurgia, odia, dissidia. 209.

v. 15. ibid. *Opulentia, maximè repentina Ministri, Proceribus inuidiosa.*

Oleaster.

Vsus suauissimâ hâc Politicâ supremus Monarcha. Creatâ luce, huius radios à tenebris diuisit, vt successiuo ordine, Orbis Imperio incumberent: & additur statim: *Factúmque est vespere & manè dies vnus.* Genes. 1. v. 5. At quidem è luce atque tenebris, dies vnus componitur Naturalis: matutina vero, & vespertina crepuscula, diem potiùs integrant quàm componunt: quid ergo illis, tota diei pacifica constitutio assignatur? Quia nunquam se benignè, splendores & tenebræ in vnum coniungerent, nisi dubium manè. & vesper pariter dubius mediarent: quid ita? Mirare elegantiam hic Philonis, lib. de Opif. Mund. vbi ita, ad hunc locum *Ne perpetuus laborarent seditionibus, ne ve bellum pulsâ pace præualeret,* 210.

Genes. 1. v. 4.

Extrema sunt medijs copulanda.

Phil. Iud.

leret, confuso, in mundo, ordine: non solum separauit lucem à tenebris: verùm & terminos in medijs spatijs posuit, quibus vtrunque arceatur, ab extremitatibus alterius. Alioqui propter vicinitatem, inductura erant confusionem: contentionibus de Principatu mutuis, pertinaci ambitione, luctam appetentia; nisi præfixi in medio termini, ad pugnam gestientia dirimerent. Hi sunt Vesper, & Manè: quorum alterum, prænuntiat lætum aduentum solis orituri, sensim tenebras submouens; Vesper autem occidentem solem subsequitur, ingruentes tenebras leniter excipiens Interserat igitur Princeps prudens, inter Ministros & Proceres, media ista temporis crepuscula: ne si repentè horum solibus, illorum velit tenebras permiscendas: non tàm vnum Reip. corpus, quàm mutuo bellantia membra videatur componere. Sed de hoc alibi, nunc iterum ad rapinas probò vitandas.

X.

Hostilitatem: cruorem: contagium & simulatam rapinarum pietatem euitet Minister probus.

211. *Iudici non nisi hostilia dona inferuntur.* COacernaui sub hoc extremo titulo, pluscula: vnde euitandis rapinis, Minister probus plenius instituatur. Nouerit in primis, nihil munerum sibi, à litigantibus, libenter afferri: nihil nisi hostiliter donari. Arietes sunt, quibus, quas debet propugnare, Iustitiæ arces impetentur sæuissimè. Norunt pueri, quàm multa, de argenteis iaculis, de aſellis auro onustis, & similibus scripserint Profani. Quid ergo hostilia dona non habeat suspiciosa? bene Troianus ille, viso hostium Danaum munere *Timeo Danaos, & dona ferentes.* Æn. 2. & meritò, quanta enim vrbis euersio in illo munere! nullus Ministrorum prudens nescit sub quibus dolis, insidiosa hæc dona importentur: propterea, vno tantummodò verbo rem illustro. Tentaturus, Christi Domini Ieiunium, Diabolus, ait. *Si filius Dei es, dic vt lapides isti, panes fiant.* Matth. 4. v. 3. perfacilè posset panes afferre dæmon: facilius illis exhibitis, gulam etiam nouerat, ad obiecti præsentiam, irritandam, quid ergo vafer panes non præsentat: sed sic remotè, ad lapides confugit? quia licèt inuitus, prudentiam tamen Domini recoluerat: qui necessariò ab hoste dona haberet suspecta, vnde ab illis omnino abstenturus. Euthymius ibi. *Ipse quidem non affert, eo quod ab aduersario Christus sumpturus non erat: sed iubet, vt de lapidibus panes efficiat.* Agnito igitur donorum dolo, hostilitate donantis, caueat Iustitiæ suæ Minister probus.

Virgil. — *Matth. 4.* — *Hostis dona periculosa.* — *Euthym.*

212. *Cruenta prædas, etiam iusta, euitanda.* Maximè autem à cruentis prædis, quibus auidissimè impios ministros suprà vidimus inhiantes, semper abstineat. Neque solùm è sanguine quæsitas iniquè prædas fugiat, sed etiam iustè punitorum pretiosa spolia euitet: cur autem sic faciendum, præmonet Scriptura. Constituerat Aman perfidus decretum, vt per singulas Prouincias interfectis Iudæis, spolia detraherentur. Sed ecce, auspice diuinâ pietate, hoc resciso, nouum decretum indicit Imperator, quo vice versâ Iudæis hostium suorum euersio permittitur. Erumpunt ergo diuinæ Iustitiæ celeres Administri, trucidant impios: & addit Textus. *Quos cum occidissent, prædas de eorum substantiis agere noluerunt.* cap. 9. Esther v. 10. Sed cur ita, si iustissimè occisi hostes? cur cum facultas daretur in proscriptos, voluntas deest: parcitúrque ditissimis spoliis? respondet ibi aptissimè Dionysius. *Nihil de possessionibus occisorum, conuerterunt in proprium vsum: quod fuit honestum: ne ex cupiditate, non æquitate viderentur se vindicare.* Habent semper occisorum spolia apud Ministros aliquid suspectum: eò vehementius, quò illa fuerint pretiosiora, ne fortè horum cupiditate, Iustitia aliquantisper cæcutiens, iusto dirius desæuiret. Politicus adhuc magis Lyranus ad hunc locum. *Prædas de eorum substantiis agere noluerunt, ad ostendendum, quod non erant moti cupiditate auaritiæ, sed Zelo Iustitiæ: & ne Regem offenderent, quia bona talium, ex Regis dispositione interfectorum, fisco regio applicari debebant.* Non fuit hæc confiscatio ex Regis præscribentis animo, qui vt patet ex cap. 8. v. 8. voluntati Estheris & Mardochæi, vindices litteras dictandas præscripserat: possentque & necem, & bonorum proscriptionem, in reuocatoriis litteris permittere Iudæis, sicut in prioribus, horum hostibus permiserat Aman: sed fideles Administri, iustæ vindictæ spolia, regio potius fisco, quàm sibi voluerunt applicanda: & hoc cæteris Iudæis, in idem complacentibus, præceperunt: vt apertè colligis ex cap. 9. v. 16. quia tunc rectè, & absque suspicione procedit administratio, cùm Ministri ab occisorum spoliis immunes, æquitate pœnarum cumulant fiscum regium.

Ester. 9. — *Dionys.* — *Lyranus.* — *Reorum bona fisco, non sibi applicent Ministri.* — *Cap. 8. v. 8.*

213. *Malè parta, malè dilabuntur.* Sed insuper aliunde etiam à cruentis his spoliis debent abstinere, cùm enim vbique malè parta, malè dilabantur; nunquam id crebriùs & celeriùs experimur, quàm in sanguinolentis prædis istiusmodi. Beniamiticæ tribus ingenium Iacob prophetans, multò ante gentis indolem auspicatus, sic habet. *Beniamin lupus rapax, manè comedet prædam, & vesperè diuidet spolia.* Genes. 49. v. 27. rapacitas victricis in pugnâ Tribus, vt multi hic ad notarunt, declaratur. Sed tu mihi nota, quàm citò, quod manè deuorauit, vesperè statim, cùm aliis diuidere dicatur: imò eandem prædam siue spolium, quod comedisse dicitur, paulò pòst cum aliis diuidere, seu ad alios transfundere nuntiatur; certè quia euomere cogitur, quod comederat. Neque mirum: non enim lupus vtcunque prædas agit, sed cruentas: non solùm rapit, sed etiam discerpit. Ergo lupino ingenio imbuta Tribus, necessariò sanguinolenta spolia citiùs euomeret. bene hîc Oleaster, qui legens ex Hæbreo: *Beniamin lupus discerpet:* ad mores sic scribit. *Commune est vt raptores, breui tempore possideant, quæ rapuerint.* illi nimirum præcipuè raptores, qui discerpentis instar lupi solent desæuire. sed de hoc iam suprà aliquid me inculcâsse puto, num. 169.

Genes. 49. maximè cruenta præda. — *Oleaster.*

214. *Munera ministro vni data, Coadministris veniunt contagiosa.* Habent etiam pessimum hoc, munera quibus Ministri corrumpuntur, vt non solùm illi, cui dantur, noceant, sed quasi contagiosa sic inficiant: vt & socios iam satagat corrumpendos. Hinc illud Dei monitum: *non accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes: & subuertunt verba Iustorum.* Exod. 23. v. 8. Non dicit subuertere mentes, id enim iam per excæcationem explicarat: sed verba subuertere: quia ita Iustorum verba

Exod. 23.

ba munere afficiuntur, vt ex constantibus varia, & falsa ex veris reddantur. Res quidem captu facilis, si ad sententiam iniquam, quâ improba causa enuntiatur victrix, diuinum istud monitum deferretur. Sed cùm passim litis sententia, rescripto detur, quo animus occæcatus magis declaratur: aliter hæc corrupti Ministri verba videntur explicanda, de illis scilicet, quibus in Senatu, mentem suam apud alios manifestat. quod pulchrè ad rem nostram sic expendit ibi

Oleaster. Corrupti Iudicis verba, qualia. Oleaster. *Habent Iusti, & iniusti sua peculiaria verba: Iustorum verba, quoniam veritati subnectuntur, semper eadem sunt: Iniquorum autem, varia & inconstantia videbis. Cùm verò munus verba Iustorum respergit, ita immutat, vt ex veris falsa; ex constantibus varia, ac inconstantia reddat: ita vt non difficile sit, sed omnino facile, Iudicis corrupti animum deprehendere. Nam qui antea æqua verba, neque declinantia in alteram partem proferebat: munere corruptus, alterius partis causam iam ornare incipit: & aliis Iudicibus iustam esse persuadere, ne solus videatur excæcatus.* Et quid est aliis iniustitiam persuadere, quàm contagio suo inficere, & morbum, quem concepit è muneribus transfundere?

215. Eleemosyna, & pij sumptus, è rapinis, praui. Caueat denique Minister probus simulatam eorum pietatem, germanæ auaritiæ dissimulationem, qui post inexplebiles rapinas, sumptuosa quandoque Templa erigunt, dotant Monasteria: vbi, ad Procerum inuidiam, extructo Mausoleo, postea sepeliantur: qui denique vt cum vulgo Hispano loquar, Furtiuæ ouis carne deuoratâ, pellem Deo sacrant. Hoc est quod ipse queritur

Isai. 61. v. 8. apud Isaiam. *Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocausto.* cap. 61. v. 8. Neque enim diligit Dominus diuitum munera:

D. Hieron. *quæ de rapinis sint*: inquit ibi D. Hieronymus, nec illi placet, *quod fiat sibi oblatio de alieno.* ait cum cæteris ferè Interpretibus, Lyranus. Sed tu mihi pende, tunc hæc maximè ex raptu sacrificia, Deo dici displicere; quando ipse *Iudicium* dicitur diligere. vt sæuius, ni fallor, credatur indignandus, quàm in cæteros rapinarum oblatores in illos, qui acceptis muneribus, iudicia corrumpentes, ab illis holocausta deinde exhibent. Tales quidem impij Synagogæ Ministri: de quibus bene hic Noster Sanctius, post alia de piis oblatoribus. *Quia non vt Pharisæi, qui aliena offerunt, quæ per fraudem & astum, à viduis & pauperibus extorquent: sed sua seq; ipsos vltro, atque ex animo largiuntur.* vt Pharisaica ergo abhorrenda est catholico Ministro hæc oblatio. Propterea Saluator postquam Pharisaicas eleemosynas, quasi sub hostili tubâ, vanam gloriolam aucupantes, damnauit: ita ad suos. *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Matth. 6. v. 3. vbi illud obseruandum, cur filius illius Patris, qui tam disertè, rapinas in holocausto suprà prohibuit: non etiam hîc addidit: *Te autem faciente eleemosynam ex propriis*: aut quid simile, sed absolutè rem voluit declarandam? nunquid etiam ex rapinis nolebat eleemosynas fieri? apage. Sed quia Iudæos olim instituebat Pater per Isaiam & illos rudiores; expressè rem notauit Filius, qui Euangelium suum Catholicis longè illuminatioribus sciebat prædicandum: id tanquam apertissimum prætermisit. Vidit rem fere hîc Euthymius, qui ita. *Non dixit autem, vnde facere oporteat, puta quod è iustis sacculis: Hoc nempe omnibus notum erat.* & quidem si ex mente Euthymij, etiam illius æui Iudæis, id notissimum: non longius hoc monitum, Catholicis inculcandum.

Lyranus. Maxime in Iudicibus. Sanchez. Matth. 6. Euthym.

TEXTVS.

Vers. 5. 6. 7. & 8.

CONtriuit Dominus baculum impiorum: virgam dominantium, cædentem populos in indignatione, plagâ insanabili: subiicientem in furore gentes, persequentem crudeliter. Conquieuit, & siluit omnis terra, gauisa est, & exultauit: Abietes quoque lætatæ sunt super eo, & Cedri Libani: ex quo dormiisti, non ascendit, qui succidat nos.

SENSVS LITERÆ.

216. PERGIT insultans Israël, sæuissimi Tyranni euersioni: quam non Persarum Medorumque potentiæ, sed diuinæ Iustitiæ vindici, refert in acceptis. Porro *Baculus* & *virga* in Scripturâ, Potentiam, sceptrum, &

Baculus & virga, in scriptura, quid sonent. Imperium passim significant: id que pro varietate materiæ variandum. Nunc vtraque vox, duritiem importat punientis, ac percutientis: nunc directionem gubernantis, & fulcientis sustentaculum: parco exemplis cuius obuiis. In hoc

Lxx. Interp. loco, satis ex adiunctis claret, Tyrannidis impotentiam, & superbiam denotari: vnde Lxx. vertunt: *Contriuit Dominus Iugum peccatorum, Iugum Principum*: id est, Impiorum Principum sæuitie, populis iniectum: quasi Imperij arrogantiâ, solum imponendo iugo immaniter vterentur. sic idem Isaias iterum, de eodem. *Væ Assur, virga furoris mei, & baculus ipse est: in manu eorum, indignatio mea.* cap. 10. v. 5. vbi Isai. 10. v.

Manuel. Sa. Sa. *virga furoris mei, quâ vtor ad puniendum iratus: baculus, quo percutiam vos* quia quasi potentiæ suæ sceptro. in vindictam iustam, barbaro Assyrio, contra Israëlem vtebatur. Pene in eandem mentem dicitur ad Moab. *Quomodo confracta est virga fortis baculus gloriosus*: Ierem. 48. Ierem. 48. v. 17. licèt fortasse ironicè fortitudinis, & gloriæ commendetur qui tyrannidis arguitur, & furoris.

217. Principis Pastori comparatur. Posses argutari, ideo Regibus cum virgâ (per quam, in vtrâque paginâ, frequentius solet sceptrum denotari, vt in spicilegio sacro iam probaui)

bani) baculum pariter assignari, qui proprius Pastorum est: vt regimen quoddam pastorale, vigil scilicet ac suaue innuatur: quem tamen baculum Tyrannus præpostero furore, percussionis reddit instrumentum: quoque Deus, qui virgâ & baculo, Psalm. 22. v. 4. mitiores consolatur Ouiculas: quandoque indignatus iustè, dirigi abnuentes, feriat, & proiiciat. Hinc Guillelmus de Cailloc apud Godefr. ad Cap. 22. Genes. Sacramentum baculi, quem Prælati gerunt, sic explicuit. *Est recuruus circulariter, in se reductus in summo, directus in medio: acutus in fine, cuius schematis sacramentum, versificè satis eleganter expressit quidam dicens:*

Guillelmus. Baculi Episcopalis Sacramentũ.

Attrahe per summum: medio rege: punge per imum.
Attrahe, sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.

Curuetur quasi Prelatus in summo, humilis in potestate suâ, & ac essibilis omnibus, absolutè. Sit directus in medio, causarum omnium siue temporalium, siue spiritualium aequus arbiter: Dei & hominum sequester & medius. Pungat vero per imum, illos scilicet qui in imis habitant, & ab infimis desiderijs non resurgunt. Sed heu! ferrum in imò non habent, id est zelum, per quem & hominum ima fodiant, & cordium profunda scrutentur. At Tyranni, piissimo baculi schemate abutentes, totum in virgam ferream conuertunt, quo miseros subditos malè mulctant, fœdissimè dilaniant. In textu ergo nostro, virgam & baculum, pro eodem furoris instrumento, sumunt Interpretes: & sæuitiem impii, dominantísque Baltasaris crudelitatem explicant: pluralem numerum Impiorum, & Dominantium, ad vsitatam in Scripturâ Enallagem visi referre: vt etiam apud profanos, eâdem figurâ, numeros sæpe videmus variari.

218. Nihilominus non admodum repugnarem, si ex vulgatâ nostra versione, diuersam vitio que vocis significationem, hic aliquis contenderet aucupandum: neque Enallagem numeri deinde admittendam: ita vt *baculus* dicatur Babylonia, seu Principis eius gubernatio: sed baculus tamen *Impiorum*: quia solummodò impiis & sceleratissimis hominibus, ad fulcimentum: *virga* verò, vt supra dicebam, tanquam durum furoris instrumentum; & bene hæc virga, seu gubernatio, non virga dominantis dicitur, sed *dominantium*: quia multi: quasi impios illos infausti Baltasaris amicos, cum illo gubernare pariter denotaretur. Videamus singula: quæ si litteræ non obtrusa comprobauero, vt spero: Politicis deinde institutionibus optimè ministrabunt. Et quidem frequenter admodum *baculus* in hac significatione vsurpatur. Sic 4. Reg. 18 v. 21. Isa. 36 v. 6. Ezechiel. 29. v. 6 *baculus arundineus* vocatur nequam Rex, cuius fauori si innitaris, corrues vulneratus, vnde Vatab. ad locum citatum ex lib. Reg. vbi Pharao rex Ægyptius, *arundineus baculus*, appellatur, ita. *Falleris, si speras in Pharaone, qui facile frangi potest vt arundo, & vinci. Homines quibus fidimus sunt similes fragili arundini, cuius cum frangitur, fragmenta acuta solent lædere innitentem ipsi.* Multa passim Interpretes, de hoc vano sed tamen fulcimento. Potuit ergo optimè dici Baltasar *baculus Impiorum*, quia solummodò impios fulciebat.

Baculus, pro Principe fulciente.

4. Reg. 18. Isa. 36. Ezech. 29. Vatab.

Nam, quid quæso vsitatius apud Principes malos, & in Tyrannidem declinantes, quàm spretis optimis Ciuium: impiis quibusque fauere: & in congerrones, laterones, Consiliariosque eligere, scelestissimos: quos deinde sustentãt, & mactatos honoribus diuitiis, infausti Populi conculcandis ceruicibus imponunt? Pulchrum hîc 219.
monitum, aucupans Traiani sui laudes, dabit Plinius in Paneg. *Amicus conspicuum Ciuium; erectósque ac viuidos animos, non vt alij contundis, ac deprimis, sed foues & attollis, &c. His honores, his Sacerdotia, his Prouincias offers, &c. & priores quidem Principes &c. vitijs potiùs Ciuiũ, quàm virtutibus lætabantur: primum, quod in alio, sua quẽque natura delectat: deinde quia patientiores arbitrabantur, quos non decebat esse, nisi seruos: horum in sinum omnia congerebant: bonos autem otio ac situ abstrusos, & quasi sepultos, non nisi delationibus ac periculis, in lucem & diem proferebant.* Perniciosissimus fuit Romano orbi Commódus Imperator idque ab hac peste: Herodianus de illo. *Omnes, velut insidiatores à limine summouebat, quos aut probitas, aut disciplina mediocris illustraret*, quia nimirum, improbis tantum addictus, hos promouebat. Præiuit illi infaustus Roboam, 3 Reg. 12 v 6 qui quasi insidiantem prudentiam senilem submouens, gratiorem iuuenum collusorum amentiam, & inexplebilem cupiditatem habuit: imperium cum Tyrannide, & Tyrannidis asseclâ, sui nimirum, Populique euersione, auspicatus. Absit hæc labes ab optimo Principe: verissimúmque habeat illud Cornel Taciti, *Nullum maius boni imperij instrumentum, quam bonos amicos.* 4 Histor. Hi promouendi, hi fulciendi à Principe, qui deinde, eiusdem, Regnique sui, columina sint, & fulcimenta. Aptè Lampridius de Imperatore Seuero. *Amicos sanctos, ac venerabiles habuit: non qui illum, quasi fatuum circũ ducerent*, circunducunt quidem, & quasi fatuitati addicunt Principem, scelerati amici: qui in ruinam imperii totius, solummodo fulciuntur. Alienam voluit hanc labem, à Iuliano suo, Mamertinus in Paneg. *Tu Auguste, omnibus nugis remotis, optimum & doctissimum quemque perquiris: si quis præstat in virtutibus bellicis, & laude militiæ, in amicis habetur: vltrò ad familiaritatem vocatur.* Haud ergo temerè putamus, Baltasarem, qui tam disertè Tyrannus, rapax, crudelis effigiatur, ideo *Impiorum baculum* appellari, quia solùm amicos impios sustentabat, hos promouebat, in horum sinum omnia proferens, in quibus, (vt dicebat Plinius) sua illum natura improba delectabat: sed qui ipsum, per immanem adulationem, in stultissimam affectandæ diuinitatis fatuitatem adduxerunt: vt infrà suo loco clarè patebit.

Tyrannus, impiis tantũ fulcit.

Plinius.

Herodianus.

3. Reg. 12.

Corn. Tacit.

Princeps ab amicis probis commendatur Lamprid.

Mamertin.

Venio ad aliud membrum, quo sæuissimum Babylonis, seu Baltasaris Imperium, non tàm dominantis *virga* dicitur, quàm *Dominantium*: quasi non solus, sed amici scelestissimi, cum illo pariter imperarent. Et quidem nihil vsitatius, in perditissimo quouis Principe, qui tantum impios fulcit, quàm, vt vacantius vitiis & otio indul- 220.
geat, in hos totius regiminis pondus inclinare: & habenas Reip. committere infaustissimè. Ipso quidem, (tanquam Regni statua sit truncus, larua, vmbra,) interim ignauescente: hi imperant: nec solùm populis, sed & ipsi Principi iam infatuato miserrimè dominantur. Ridet festiuissimè Seneca, in ludo, Claudium Imperatorem, ad inferos

Princeps amicis, & subditis subiectus, nequã.

feros deductum: iubentemque obuiam sibi febrim occidi: deinde addit. *Putares omnes illius esse libertos, sic nemo illum curabat.* Nimirum perditissimus Imperator, qui optimos quosuis Romanorú submouerat vel occiderat, vt ibidem

Seneca.

habet Seneca, Reip. totius molem in scelestissimos amicos, vilissimos scilicet libertos deposuerat; qui sic deinceps insolentes, non solùm Reip. sed infatuato Principi dominabantur: vt illum paruipendentes, non curarent. Ministros ergo inferos, qui Claudium nil curantes irridebant, venusto scommate, libertis eius Seneca comparauit. Sic passim euenit, dum Princeps solùm fulciendis improbis assuescit. Vide de Claud. liber-

Plinius. Amian. Mar.

tis, Plinium lib. 25. cap. 18. vt mordacior, sic etiá notior est Sarcasmus, quo Ammianus Marcel. pungit Constantinum Imperatorem: postquam enim de liberti eius arrogantiâ & impotenti furore, quædã libat: addit: *Apud quem, si vera dici debent, Constantinus plura potuit.* Cùm ergo impium Baltasarem, impios quosuis, stolidissimè euexisse diximus: haud vanâ consequentiâ coniectamus, hos ipsos passum condominatores, imo & dominos: vt meritò Imperium eius, non dominantis, sed *dominantium virga* appelletur.

221. *Tyrannus, à crudelitate, insignitur.*

CÆDENTEM POP. in INDIGNATIONE. Iam deinde Tyranni crudelitas traducitur, imò forma Tyrannica: nescias enim, cur cæteris omnibus vitiis obrutos simul Tyrannos, à sola crudelitate, puros putos effigiet adlictum vulgus: vt iam pro crudelitate Tyrannis vsurpetur; & vtriusuis vocabuli vicissitudine, vtraque exprimatur. In charactere ergo Tyrannidis notissimo, pauca, sed minus trita, congerenda. Apol-

Philostratus. Neronis crudelitas.

lonius, apud Philostrat. lib. 4. Neronis Tyrannidem sic exponit. *Nos praterea tantùm peragrauimus terrarum, quantùm alius, fortassè, nemo: & feras vidimus tum Arabes, tum Indicas, multiplices, & multiformes: Hanc autem belluam, quã Tyrannum plerique vocant, neque quot habeat capita, scimus; neq; virum curuis vnguibus, aduncisque dentibus, nouimus, & quamuis ciuilis bestia esse dicatur, & in medius vrbibus habitet: eò tum perhibetur immanior his, qua in montibus, & paludibus degunt: quò leones quidem & Panthera, quandoque, si mulceantur, mansuescunt, & innatam feritatem exuunt: hac autem, ob attrectationem facta ferocior, omnia lacerat. quin etiam belluas proprias matres deuorâsse, nemo vnquam vidit, aut audiuit: eâ tamen immanitate saturatum Neronem audiuimus.* Et tamen is erat Nero sub tantâ immanitate, vt saltem crudelitati suæ velum

Iustus Lyps. *Tyranno, sub specie Iustitia, crudelitas exercetur.*

quæreret, curaret dissimulandam. Vnde Lypsius, ad illud Taciti, Histor. 4. *Satietatem Neronis, per eiusmodi imagines illusisse*: sic scribit. *Hoc dicit Eprius: non se magis auctorem interficiendi claros viros Neroni fuisse, quàm Senatum vniuersum, qui eos damnauerit: sed Neronem videlicet, hoc quasi velum pratendisse sceleribus, vt qua sponte iussurus erat, ea per accusatores, & Senatum exerceret atque ita imagine quadam Iustitia, hominibus verè illuderet.* Truculentior ergo, ipso Nerone, bellua Baltasar, qui nullo prætento velo, sæuiebat: qui districtam indignationem palam euibrabat. Herode ipso sæuior Baltasar, qui effuso Baptistæ sanguine, apertè tamen Tyrannus denotari ab-

Beauxamis.

horrebat, de quo Beauxamis. *In Herode quidem Tyrannorum mores, & ingenium videre est: qui cum sibi omnia licere putent, pro sua libidine omnia instituunt, si quidem aliquid vel lucri, vel voluptatis sperare possunt; quod si quis ipsos reprehendat, id demum facinus indignissimum esse putant. & aduersus monitorem hostiliter insurgunt; & ne id ipsum impietatis fouenda gratia facere credantur, publicam pacem pratexunt: & scelerum priorum correptores, pro seditionum auctoribus habent.* At Baltasar cunctis Tyrannis tyrannior, vt sic dicam, nullo prætextu obiecto, sola *indignatione* solo vt Lxx vertunt, *furore*, populos trucidabat.

Indignatio, pœnam non temperat: modum nescit furor, qui iratus ferit, exorbitat: sed quid ni indignatus percuteret semper Baltasár, si furens semper, & amens? Quid Rege indignius? 222. *Crudelitas, regio animo, indigna.*

bene Seneca, lib. 1. de Clem. *Crudelitas, minimè humanum malum est, indignúmque regio animo, ferina est rabies, sanguine gaudere, & abiecto homine, in siluestre animal transire.* Nimitum qui sic sæuit, belluino ritu & rictu, suppliciis adgaudet, exultat necibus: spelæo potius nutritus, quàm Seneca.

palatio. Claudianus in Cons. Manl. Claudian.

Qui fruitur pœnâ, ferus est: legúmque videtur
Vindictam prastare sibi, cum viscera felle
Canduerint, ardet stimulis, fertúrque nocendi
Prodigus, ignarus causa.

Sed & Tullius lib. 1. de offic. *Probibenda est maximè ira in puniendo: nunquam enim, iratus qui accedit ad puniendum, mediocritatem illam seruabit, qua est inter nimium, & parum*, quò non rueret, indignabundo furore properans Baltasar?

PLAGA INSANABILI. Expressus æquè Tyrannidis hic character: punit, vt noceat 223. *Tyrannus punit non vt sanet, sed vt pœna satietur.*

non vt sanet: neque plagâ, medelam culpæ, (si quæ intersit) sed medelæ, exterminium procurat. Remotissimum hoc ab illis plagis, quas æqui Principes intendunt; à quibus indignabundus Baltasar longè aberat, prudenter Seneca lib. 1. de Seneca. *Pœna, in remedium, instituta.*

Ira, cap. 15. *Ergo ad coercitionem errantium, sceleratorúmque, irato castigatore non opus est: nam cùm Ira, delictum animi sit, non oportet, peccata, corrigere, peccantem. Quid ergo: non irascar latroni: non irascar venefico: non. Neque enim mihi irascor, cum sanguinem mitto, omne pœna genus remedij loco admoueo*, quasi eodem tenore, quo quis recuperandæ saluti, accersito Phlebotomo, sibi venam scindit, mittit sanguinem: eodem reorum sanguinem effundat, Reip curandæ. Hæc est germana mens Philosophi: quam ipse clarius aperit lib. 1. de Clem. cap. 22. *Transeamus ad alienas iniurias, in quibus vindicandis hac tria lex secuta est, qua Princeps quoque sequi debet: aut vt eum, quem punit, emendet: aut vt pœna eius, ceteros meliores reddat: aut vt sublatis malis, securiores cateri viuant*, quid horum intenderet Baltasar, qui furore percitus ruebat? quid fuso sanguine sanaret: qui non paucos, sed gentes omnes insanabili plaga percutiebat: qui crudeliter populos persequebatur insanus? Seneca.

Sic igitur Principes puniant, vt se Dei administros exhibeant, & æmulatores. Pulchrè (sed falsò) hanc laudem Domitiano suo aucupatur Statius lib. 5. Sil. 2. qui Matrem impiam punierat, quia Nato pararat venenum. 224. *Pœnarum tenor iustus.* Statius.

Exegit pœnas, hominum cui cura suorum,
Quo pietas Auctore redit, terrásque reuisit
Quem timet omne Nefas.

Quasi non ideo pœnas exigeret, vt sitientis Tyrannidis rabiem satiaret: sed vt sui, æquitate Iustitiæ,

Seneca. stitiæ, securiores redderentur. Sic Deus, de quo bene Seneca, lib. 1. de Clement. *vt fulmina, paucorum periculo cadunt, omnium metu: sic animaduersiones magnarum Potestatum, terreant latius, quam noceant. non enim minus Principi turpia sunt multa supplicia, quam Medico multa* Pœna, instar fulminis monitory. *funera.* Monitoria nimirum fulmina, Ioui vt plurimum tribuebantur: desolatorium aliud, sola extrema Reorum improbitas, extorquebat. Nullo modo iratus, properat ad vindictam Deus, sed etiam dum aliquem extremo punit supplicio, aliorum intendit medicinam: quin & sæpe tardat, vt exemplo suo, Principes, à furore præci-Plutarchus. piti coërceat. Plutarchus, lib. de serâ Dei vind. *quapropter à malis, longo interuallo, & tarde pœnas exigit: non quia maturatæ vindictæ, noxam vel pœnitentiam veretur, sed quo nobis immanitatem, & impetum in animaduertendo enormem eximat.*

225. SVBIICIENTEM IN FVRORE GEN-LXX. Interp. TES. LXX. in Sixt. habent: *Percutiens gentem plaga furoris.* fere idem, quod supra, exaggeratur, sed cum epitasi. Peccant Principes, etiam cum plagas legibus præscriptas, celerius aut intemperantius infligunt: quid Baltasar, qui non dictantis legis, sed instimulantis furoris, plagas vibrabat? Irrideret impius, monitum illud Senecæ lib. 1. de Clem. cap. 22. quod suprà dedi. At Princeps legibus subditus. Princeps æquus, nihil ex libito, sed omnia è lege velit pendere, vt modestè condita à priscis, Philostratus. modestiùs adhuc vtatur. Viderat Apollonius, res Indicas apud Pharaonem Regem, optimè dispositas, quæsiuitque ab illo: *num vobis, hæc legibus præfinita sunt: an tu ipse Regnum ad hanc viuendi normam, rectitudinémque constituisti.* ad quem tunc Rex. *Ego modestè institutus legibus, modestius etiam vtor.* Accedit quidem reuerentia legibus apud subditos, quod ipse Princeps eas reuereatur: se passus dirigi, à quibus coërceri non potest. vide Philostratum, cuius est prædicta narratio lib. 2. & videbis modestè legibus subiectam Prouinciam: quod ipse Princeps, eisdem-Idem. met modestius vteretur. Idem Apollonius, apud eundem Philost. lib. 5. ita ad Vespasianum Imper. *Rex, tibi etiam lex dominetur: eris enim in illis dandis modestior, si tu quoque illas non contempseris.* Addo & alium locum ex lib. 8. vbi Idem. idem post multa. *Hæc à me legum gratiâ dicta sunt: quas nisi dominas Regi esse putaueris; ipse procul dubio non dominaberis.* Euertitur enim quantociùs Imperium illege Principe. Præmisi hanc thesim, è Philostrato, quia minùs euolutus Auctor à Politicis. Nunc ad Hypothesim. Quamuis vbique Princeps legibus non vtens, habeatur infensus: infensissimus tamen est, si in re pœnarum illis abutatur: si non legis, sed furoris Tertul. plagâ subditos percutiat. ideo Tertul. in Apolog. Maxime in pœnis infligendis. cap. 2. ad Iudices Iniquos. *Suspecta sit vobis ista peruersitas, ne qua vis lateat in occulto, quæ vos aduersus formam, aduersus naturam iudicandi, aduersus leges ipsas ministret.* quam contra leges peruersitatem, etiam in eo consistere, quod ordinariæ pœnæ in sæuissima tormenta mutarentur; aperit paulo post: dum ait, à Tyrannis nihil differre hos Iudices, nisi quod Tribunal excitent, & quæstionem. *Apud Tyrannos enim tormenta etiam perpetuò adhibentur: apud vos soli quæstioni temperantur.* multa Politici ad Aristoteles. illud Arist. 5. Pol. *Oportere supplicia, more patrio*

sumi. vndique ergo Tyrannus, qui insanabiles plagas; furoris, non legis, tormenta in tributarios subditos conflabat: de his (non de bellicis hostibus, de quibus infrà) tractum istum putaui explicandum.

PERSEQVENTEM CRVDELITER. 226.
quia potest dari persecutio non ita immanis, & crudelis, Persequitur aliquis inimicum vindictæ ergo, & tamen sæpe dolet dum trucidat. viatorem persequitur latro, non sanguinis quandoque, sed lucri ergo. Persecutio crudelis erat, hæc Baltasaris: qui subditis inimicus, diuitiarum latro, neces atrocissimas exercebat: idque interim gaudens, epulis, lasciuiis, musicisque indulgens, de quibus ex Hebræo, infrà videbimus. Talis Philostratus.
Nero, de quo Philostr. lib. 5. *Porro vt sic dicam* Crudelitas,
humani sanguinis gaudebat: & in mediis cædibus in voluptate
cantabat. Multa Patres, iure simili, de Herode. pœnarum.
Nec abest immanitas L. Scyllę de quo Seneca lib. Seneca.
1. de Clem. cap. 12. *& L. Scyllam appellare tyrannum quid prohibet, cui occidendi finem fecit inopia hostium? descenderit licet è Dictaturâ suâ, & se togæ reddiderit, quis tamen vnquam Tyrannus, tam auidè humanum sanguinem bibit: quàm ille qui septem millia Ciuium Rom. trucidari iussit: & cùm in vicino ad Æ. lem B. llonæ sedens exaudisset conclamationem tot millium sub gladio gementium: exterrito Senatu: hoc agamus, inquit, P. C. seditiosi pauculi, meo iussu occiduntur, hoc non est mentiens: pauci, Scylla videbantur.* Euitet ergo hanc labem, quisquis exitum Baltasaris re-Princeps, de colit infaustissimum. Princeps æquus, etiam dum pœnis iustè iustè & moderatè punit, dolere debet: non inflictis, dolere aliunde populo amabilior: sicut è contra Tyran- debet. nus hinc execratior. do tantum Statium lib. 1. sil. 4. de amore populi erga Rutilium.

Hoc illud tristes inuitum audire catenas,
Parcere verberibus, nec qua iubet alta Potestas
Ire? sed armatas multum sibi demere vires.

vbi plura, & passim alibi.

SILVIT OMNIS TERRA. Silere, in 227.
hoc loco, non triste aliquid portendit, sed potiùs fausta omnia, per quietem, & dulcem prisci laboris abolitionem, annuntiat. Est enim *Silere,* (quod iam notârunt hic alij) vox indifferens in Scripturâ, quâ nunc infælicibus, hiscere interdicitur, ac mutire: nunc releuatis ab oppressione, lætitia quietis significatur. dicitur igitur, ni fallor, silere terra, quam pridem, longus doloris gemitus, & clamoris atrocitas diuexarat: sic conquiescere dicitur, quam olim, denegatâ requie, intolerabile fatigarat onus Tyrannidis. Vsitatissima est hæc figura, apud vtriusque classis Auctores, quâ gaudere & gestire insensibilia dicuntur, præ lætitiâ: sicut contrariâ grauedine, opprimi & lassari. Nisi fortè hic Terram, de terræ habitatoribus exponas. vtcunque sit: illud magis dubium est, quænam sit terrà ista, quæ Omnis terra *Omnis Terra* dicitur. Aliqui; solam Iudæam ca- in scriptura, piunt. Sanctius, cæteras etiam Prouincias visus quid significet. intelligere, dum ait, esse Terram eorum: *qui* Sanchez.
Babylonico suberant Imperio. Saa vtranque opi- Saa.
nionem probat: *Terrâ autem Babyloniæ subiecta, vel Iudæa.* vtrunque probabile: probabilius tamen, totas saltem & omnes Baltasaris dominatui subditas regiones, comprehendi: qui licèt sæuiret in Hebræos veri Numinis cultores: non tamen mitis in alios: vt ex sequentibus patet apertissimè. Neque est nouum vt priuata Natio,

(qualis hic Hebræa) quæ per Tyranni conuitia, fœlicitati domesticæ applaudit: obiter conoppressorum gaudio, pariter iam exultantium, congratuletur.

228. Sed cur in quis, tota Babylonici Imperij Terra, nedum sola Iudæa, appelletur, *Omnis terra*? posset aliquis facilè, & optime respondere, ex Scripturæ vsu, quo *Omnis terra* poni solet pro illa, de qua tunc sermo est. quam regulam obseruat Magnus Hierony. ad illud: *vt disperdat omnem terram.* Isai. cap. 13. vbi ita. *Idioma est sacræ Scripturæ; vt omnem terram illius significet Prouinciæ, de quâ sermo est.* quam deinde multis illustrat Sanctius, ad illud Act. Apost. 2. *Ex omni Regione, quæ sub cælo est.* Ad hunc loquendi tenorem, cum adstantes vocat Hispanus, aut illis silentium indicit, priuato idiomate ait: *Omnis homo accedat: Omnis homo taceat.* Gallus etiam, cum alicuius v. g. Prouinciæ gaudium describit, dicit *totus mundus gaudet*: & similia. Nihilominus; non admodum repugnarem, si quis in hoc loco vbi arrogantia connotatur Tyrannica, & similibus, in laxius diffunderet, omnis Terræ significationem: vt que impotentes & tumidissimi Principes, re ipsâ partem Orbis affectu, totum pessundare & conculcare student: (notissima in id Alexandri arrogantia) sic in præsenti, omnis terra silere & respirare dicatur: cuius pars magna iugo Baltasaris; maior alia metu saltem imminentis periculi liberatur. Consimilem tumidæ impotentiæ iactantiam Xerxes exhibuit: qui ponens apud suos rationem, cur Asiæ dominatus, Europæ deinde inhiaret: sic subiungit apud Herodotum lib. 7. κατὰ δὲ ἐν αὐτοῖσι, τόσα εὑρίσκω ἀναλογιζόμενος, εἰ τούτους τε, καὶ τοὺς ἐκείνων πλησιοχώρους καταςρεψόμεθα, οἳ Πέλοπος τοῦ Φρυγὸς νέμονται χώρην; γῆν τὴν Περσίδα ἀποδέξομεν τῷ Διὸς αἰθέρι ὁμουρέουσαν. οὐ γὰρ δὴ χώρην γε οὐδεμίαν κατόψεται ὁ ἥλιος ὅμουρον ἐοῦσαν τῇ ἡμετέρῃ, ἀλλὰ σφέας πάσας, ἐγὼ ἅμα ὑμῖν, μίαν χώρην θήσω, *Id autem, in hac expeditione, vtile, mecum ratiocinans comperio si hos enim atque ipsorum finitimos, regionem Pelopis Phrygij incolentes, sub nostram potestatem redigamus: Persidem nostram, conterminam Iouis faciemus: nullamque deinceps spectabit iam Sol terram, quæ nostra huic confinis dici queat: quando quidem omnes illas in vnam tantummodo reducam Regionem.* An non iste vniuersam sibi terram subiiciendam sperabat, qui ad limites vsque, quibus vulgò putatur cælo confinis, satagebat peruenire? vnde illud Danielis ad Nabuchodonosorem: *Magnitudo tua peruenit vsque ad Cælum: & potestas tua in terminos vniuersæ terræ.* cap. 4. v. 19. cum allusione ad superbissimum Regis affectum explicarem, qui Babylonem suam Cælo conterminam, & in omnes Regiones dominam reddere machinabatur. Auitæ ergo arrogantiæ præsumi potest, respondisse Baltasar: vnde prostratus, non immeritò terram omnem, partem scilicet magnam, vltrà etiam, Imperij Assyrij, terminos, positam: saltem metu periculi dici potest liberâsse. sic vltrà terminos suos Imperij sui extendere curabat dominatum ille alius Babylonicus Tyrannus Iudith. cap. 1. qui proinde cap. 2. v. 3. dicitur laborâsse: *vt omnem terram suo subiugaret imperio.* Non video igitur cur in loco hoc nostro, ad solos terminos Imperij Baltasaris, nedum ad solam Iudæam, silentium festiuum, & placidam quietem dicatur redundâsse: cum de illis etiam quos periculo terruerat, non inuitè capi possit.

D. Hieron. Isai. 13.

Sanchez.

Ambitio Principum totum Orbem subiugare cupientium.

Herodotus.

Daniel. 4.

Iudith. 1. 2.

ABIETES CEDRI. Allegoria est, qua non solùm plebei, & abiecti, sed Dynastæ etiam & Principes, non ita pridem, afflicti sub Baltasare, iam libertate exultantes exhibentur. vix numeres, quoties in Scripturâ, per Cedros, & proceras arbores, hi tales explicentur. Nec à Profanis similis loquendi tenor alienus. sic aliqui explicant illud Virg. Bucol. 1. 229.

Ipsi te Tytire, pinus,
Ipsi te fontes, ipsa hæc arbusta vocabant.

Vt in Pinis, proceres: in arbustis, plebei, Virgilium desiderantes intelligantur. quàm verò passim Palmis, ceterisque nobilioris genij arboribus Heroas suos comparent: vel nolens, si quid legeris offendes. signanter autem è *Libano*, hic proferuntur: quia harum præ cæteris pretiosarum feracissimus mons iste. Non autem, quia vicinus Babyloniæ, solum Tyrios, Sydonios, & cæteros conterminos Assyriæ Principes intelligas: sed vt supra dicebam, etiam alios ab Assyriâ remotiores: quos saltem metus Baltasaris perterruerat. adducitur ergo Libani metaphora, non viciniæ sed excellentiæ denotandæ, quod sæpe alibi in sacro textu.

Arbores p... cera, dyna... rum symbo...

Virgil.

Libanus mi...

Educitur autem, vsitatus alius Tyrannidis Character, ex hoc loco: quæ in Proceres violentior solet debacchari contra omne salubrioris Ius Politicæ. Seneca in ludo, immanitatem Claudij hinc coarguit, quæ adeo excreuit: *vt Romæ, nuptiarum sacra essent: quibus ipse, cùm sibi Agrippina nuberet, triginta Senatoribus, innumeris equitibus Romanis mactatis, principium dedit.* Caueant ab hac peste optimi, nihil enim à Tyranno fœdius & sæuius venire potest. bene Philostratus lib. 7. de vit. Apol. vbi ita de Domitiano, pessimo & vaferrimo Tyrano. *Cui aliorū dolores & gemitus, iucunditatē, lætitiaque præbebant. Perfidiam verò populorum erga tyrannos, tyrannorū verò erga reliquos omnes, custodia quidam dicebat. Aiebat quoque Regem noctu ab omnibus operibus cessare oportere: tunc autem, cædes & trucidationes exercere: quapropter senatus membra sunt amputata, optimus quibusque viris, ab eo interfectis.* quasi hæc esset Tyrannidis noxa peior. Impia ergo Politica est, & diabolicum inuentum, quâ nunc etiam nonnulli Monarchæ, præcipuos Regni Proceres, & firmissimas Imperij columnas, funditus conantur euertere, aut nimis imminuere, prætendentes cauendam sic ab his rebellionem. At certè non tam cauetur rebellio: quàm exercetur odium, inuidia distringitur, feritas inescatur. Aliud est, Proceres in officio, continere: nec pati ita in altum euehi, vt nouarum rerum molimini possint assurgere: Aliud, auitas imminuere illorum dignitates, patrimonia defraudare, insidiari sanguini: illud Regis, hoc fuerit Tyranni. Pulchrè, pessimus aliunde Apollonius, apud Philostr. lib. ad Vespasianum Imper. *Diuitibus autem permittes, vt facultatibus suis tutò frui possint. Nec tibi liceat quodcunque volueris, caue: sic enim rebus modestius vteris. Eminentiores spicas, quæque suprà cæteras se attollunt, non amputes: iniusta enim est in hoc Aristotelis ratio. sed difficiles homines, molestosque, potius tanquam spinas, è segetibus aufer: & res nouas molientibus, terribilem te ostende, minitando tamen magis, quàm puniendo.* 230.

Tyrannus in Proceres sæuior.

Seneca.

Philostratus. Horum dolorium exultatio.

Qualem erga Proceres se gesturus Princeps.

Philostratus.

quod

quod intellige, quando solis minis, res absque publici exempli discrimine, æque tutò peragi potest. ad rem. *Eminentiores spicas* id est Regni optimates, vano de metu amputare, Tyrannicum: & iniquè ab Aristotele probatum, voluit iste. & meritò, si id voluit Aristoteles.

231. Aristot. *Asseritur Aristoteles, contra Apolloniun.* Sed ne impia ista, recentiórque Politica, Aristotelem, (quem, in hoc dogmate, suum esse debuccinat) suum esse præsumat: hunc examino. Agit Philosophus lib. 5. Polit. cap. 10. de mutationibus Regni, & Tyrannide: & post alia subiungit. *quod verò tyrannis contineat illa mala, quæ sunt & popularis gubernationis, & paucorum potentiæ, manifestum est.* tunc postquam paucorum potentiæ, id est Oligarchiæ, mala memorat; iam

Democratia mala. de populari potentia, seu Democratia, sic scribit. *Ex populari autem, vexare nobilitatem, clàm euertere, & apertè in exilium pellere, tanquam aduersarios, & machinatores, ex his enim aduersus eos insidias iniri contingit: aliis dominationem affectantibus: aliis seruitutem fugientibus; unde Periandri consilium Thrasybulo datum; supereminentiores spicas decerpere: tanquam opportunum semper sit eminentiores Ciuium de medio tollere.* Videat iam lector non hebes, an hæc probentur: & non potiùs referantur ab Aristotele, tanquam solita euenire in Democratiâ, (idque vt dixerat Tyrannidi simillima) vbi nobilitatis despectæ & seruitutem meritò fugientis, popularis arrogantia, insidias timens, barbarè desæuit. Maneat ergo in Monarchia, non Regis, sed Tyranni, sed Baltasaris esse solo cauendi metu *eminentiores spicas* demetere, Abietes & Cedros deturbare. Neque contrario fauisse Aristotelem: ni fortè Machiauellizantem velis Philosophum.

232. EX QVO DORMIISTI. Supplendum aliquid: q. d. lætatæ sunt & abietes & Cedri, dixerúntque: Ex quo dormiisti. &c. Porro vt in

Somnus pro Morte, cur. Sacris, *dormire* pro *Mori*: & somnus pro morte absolutè ponitur: sic non facilè idem apud Profanos inuenies, nisi sub aliquo additamento: vt somnus æternus, ferreus, & similia. Id verò Hebræos mouit, vt mortem per somnum explicarent: quod ethnicis persuasit, vt illum mortis fratrem appellarent. Vide quæ multa noster Cerda

Cerda. ad illud 6. Æn. & *consanguineus lethi sopor*, & quę

Tiraquel. Tiraquel. Tract. de Pœn. temp. & remit. vbi pulchrum senarium illud Græcum, quod adduxit.

ὕπνος, τὰ μικρὰ, τοῦ θανάτου μυστήρια.

Somnus est abbreuiatum quoddam Mortis mysterium.

Tertul. Quod ex Tertul. posses explicare, qui lib. de An. cap. 7. ita, somni suauitatem morti comparans, subiungit. *Voluit enim Deus, aliàs nihil sine exemplaribus in suâ dispositione molitus, plenius humani vel maximè initij & finis, lineas quotidie agere nobiscum: manum porrigens fidei faciliùs adiuuandæ, per imagines & parabolas, sicut sermonum, ita rerum. proponit itaque tibi corpus, amicâ vi soporis elisum, blandâ quietis necessitate prostratum, immobile situ, quale ante vitam iacuit.* Hinc ergo est, quòd sæpe legitur de iis, qui dormientes pereunt, soporem morti coniunxisse: quasi scilicet eiusdem conditionis, non tam extrema, quàm

Iud. 4. v. 21. *Somnus morti, quomodo iungi dicatur.* partes, de Sisarâ Iud. 4. v. 21. legitur: *qui soporem morti socians, defecit & mortuus est.* Sic apud Profanos, quod tamen, vt id obiter aduertam, quâ ratione capi debeat, vidit, & eleganter explicuit

Quintil. Quintilianus Declam. 2. vbi ita de quodam, qui inter dormiendum fuerat occisus. *Necesse est, nulla mors inquietior sit, quàm quæ statim tota est, nam quod dormiens occisus est, non est quod sic æstimetis, tanquam per illam quietem transierit in mortem: sit aliquid necesse est inter soporem, mortémque medium: nec potest iungi tanta diuersitas, cum sit somnus ipse, pars vitæ. Non multùm interest quietem nostram ratio vitæ rumpat, an mortis: hominem qui dormiens occiditur, ipsa mors excitat: sane non habuerit supremam vocem, habet vtique palpitationes, habet motus: & quidquid totus lectulus sciat.*

QVI SVCCIDAT NOS. Cum Proceres, sub arborum proferret allegoriâ, iam Tyrannum Baltasarem euersorem, sub lignatoris metaphorâ pulchrè explicat. Sed quæ nam successio ista? bonorum, ac libertatis spoliationem, intellexisse Sanctius videtur: ait enim: *sicut lignator syluam suo populatur ornamento*, quam mentem illustrare potest Nabuchodonosor, qui sub arbore figuratus, nec tam truncandus vitæ, quàm spoliandus regno, succidi dicitur. *Succidite arborem, & dissipate illam: attamen germen radicum eius in terrâ dimittite.* Dan. 4. v. 20. Hinc D. Chrysost. apud Baron. 5. Annal. An. 399. vbi de Eutropio, potentissimo olim, tunc iam collapso, ita. *Omnia illa præterierunt; procella vehemens folia deiecit, arborem spoliatam reddidit, iam radicitus vacillantem, tantáque vis venti impacta est, vt cùm neruos eius vniuersos concusserit, iam ipsam funditùs prosternere minetur.* Nihilominus non solùm de opibus & libertate, sed etiam de vitâ, succisionem hanc capio, in omnia enim, immanissimus Baltasar sæuiebat, in hunc sensum consimili allegoriâ, dixi suprà ex Arist. & Philostrato, eminentiores spicas non amputandas, nec absimilis est locutio illa Alexandri, apud Plutarchum, de non spoliandis, ad euersionem vsque, subditis. *Hortulanum odi, qui ab radice olera exscindit*, sic illud Baptistæ: *Iam enim securis ad radicem arborum posita est: omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Exultant ergo Proceres, quod iam non solùm dudum euaderent securim, cui folia & palmites, id est bona sua, & libertatem prosternebant: sed etiam immanem: cui radicitus truncum, id est vitam pendebant miserè, sed iam ex dictis, Politica iterum monita eruamus.

233. *Proceres lapsi prostratæ arbori comparantur.* Sanchez. Daniel. 4. D. Chrysost. Plutarch.

NOTATIO V.

Aulæ mores traduco.

DICTVRVS multa de amicis, administris, Consiliariisque illorum Principum, qui, Baltasaris instar, in tam intimum commercium, pessimos sibi quosque delegerunt, impiorum solummodò Baculi effecti: quámque hâc labê, optimus quisq; Monarcha debeat diligētissimè auertere: Non aliúde, aut rei pręsenti aptiùs, aut politicis institutionibus vtiliùs, inchoandum duxi: quàm si quædā, de moribus Curiæ, Aulæque Regum, insitis, præmitterem. Si enim, sic infe- 234. 235. *Aularum miseria.*

lici fato factam Curiam; sic Aulam infausto sidere viderimus exortam: vt in improbitatis scholam, & vitiorum segetem formari videantur: iam non mirabimur, si qui profundius Curiæ se vorticibus immergunt, Aulæque se mysteriis penitiùs initiant, quales sunt Principum familiariores, longè fœdius lædantur hoc contagio: & serpente medullitus cancro corripiantur immaniùs: siue, qui probi fuerant pridem, ipso aliorum commercio malè afficiantur: siue iam olim improbi, ruant in peius: id certè euenit, vt quandoque non solùm mali, sed etiam boni Principis, Aulicos nonnullos, cæteris Curialibus peiores doleamus. Hinc Aulici illi iam compuncti, apud

D. August. D. August. lib. 7. Confes. cap. 6. *In Palatio, quid non fragile plenumque periculis? & per quot pericula peruenitur ad maius periculum?* ipsa enim Principis gratia, tot adita periculis, animæ ipsi venit periculosior: cum illis assuescere teneatur hominibus, quos optimè Lucilli fragmentum, pessimos sic describit.

Aulicorum pessimi mores.

Vni se, atque eidem studio, omnes dedere, & arti:
Verba dare, vt cautè possint pugnare: dolosè
Blandiri: certare, bonum simulare virum se:
Insidias facere: vt si hostes sint omnibus, omnes.

Vel igitur probos prius, (quod non euenit) elegisset Baltasar: vel corruptissimos quosuis, vt certum puto: illi in malum, hi ruentes in peius tbu more imbuti aulico, tales euasere; vt impius, impios tantummodò fulcisse dicatur meritò.

MONITA POLITICA.

I.

Curia totius Regni: Aula verò, curiæ totius sentina esse solet.

235. *Curia, totius Regni sentina est.* Osea. 10. 5.

CONculcato Diuini Numinis cultu, in vitiorum adorationem, profusus corruit vniuersus Israel: & tamen questus Deus, sic habet apud Oseam. *Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ.* Cap. 10. v. 5. meritò enim locus impii sacri, qui olim *Bethel*, id est *domus Dei* vocabatur, iam per ludibrium *Bethauen* dicitur, seu *domus vanitatis*: non enim aliò vanius poterat exerrari; illud tamen in rem præsentem attentius considerandum, quod cum integræ fere decem Tribus, paucissimis singularũ exceptis Iustis ad iniqua confluerent sacrificia: hic solummodò Samariæ habitatores denotentur: quæris causam? totius Israel curia erat Samaria, vrbsque regia: & quæ exemplo probo, alias ab erroribus debuerat reuocare: sic Idololatriæ fæces ad se contraxerat: vt omnium prima, impudentius persisteret in errore: & in Idoli oppidulum, augusta

Ruffin. Pius. Ciuitas pergeret, procubitura. Ruffinus pius ibi. *Samaria, id est regia vrbs: qui alios debuerant ab errore reuocare, ad exigua oppida, adoratum vitulorum imagines cu sitabant.* Confluxerat in miseram Curiam, quasi ad caput, totius corporis venenum, vnde iterum tanquam à sentinâ, in membra longè funestius defluebat.

236. *Curia in iteram ero-*

· Ethnicam adhuc Romam, ex bonorum Interpretum sententia, describit Ioannes, Apocal. 17. *cum quâ fornicati sunt Reges terræ: & inebriati sunt, qui inhabitant terram de vino prostitutionis eius.* v. 2. quia nimirum erat, vt ait (licet non ad hunc locum) D. Leo magnus Serm. 1. de Nat. Apost. *Magistra erroris:* è qua in subiectas totius Orbis Prouincias, Idololatriæ fornicatio deriuabatur. Pende tamen, quod statim additur. *Et mulier erat circundata purpurâ, & coccino, & inaurata auro, &c. habens poculum aureum in manu suâ, plenum abominatione, & immunditiâ fornicationis eius.* v. 4. Hic est calix ille idololatricæ doctrinæ, vnde Reges, & omnes qui habitant terram vidisti inebriatos. Mirum est, cùm fere tot essent idololatrantium Sectæ quot Prouinciæ, quæ vt nôsti, priuatim *Deos Patrios* colebãt: imò & quot domus, quarum singulæ domesticos suos *lares*, & singulares *Penates* adorabant: omnes nihilominus simul in vnam infaustè Romam confluxisse. Sed quæ curia Orbis impii erat, necessariò quodammodò impietatis sentinam contineret: nec se putaret omnibus dominari, nisi vna, omnium sectas turpissimas amplexaretur, ideo idem D. Leo. *Hæc autem ciuitas ignorans suæ prouectionis Authorem, cùm pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium seruiebat erroribus: & magnam sibi videbatur assumpsisse Religionem, quia nullam respuebat falsitatem.* Sed ecce nodus in loco, quem proposui, neque facilis; esset Roma sentina, quia omnium Prouinciarum sordes contraxit: hinc tamen potiùs ab illis inebriata, quàm easdem inebrians, dicenda videretur. Cur ab hac Curia inebriatos cæteros vult Ioannes? quia sicut cloaca, non solùm totius vrbis sordes excipit, sed ipso situ reddit fœdiores: vt inde emissæ, iam turpiùs exhalent, quàm cùm admissæ fuerant: sic Roma ritus & ceremonias, quas simpliciores & pene rudes, ab aliis capiebat: eo comebat cultu, eâ impensioris diligentiæ fouebat superstitione: vt iam ad eosdem, sub efficacioris falsitatis aculeo redire possent. Fauet citatus Leo, post alia de Aduentu Petri in Romam. *Hic conculcandæ Philosophiæ opiniones; hic dissoluendæ erant terrenæ sapientiæ vanitates: hic confutandi dæmonum cultus; hic omnium sacrilegiorum impietas destruenda: vbi diligentissimâ superstitione habebatur collectum: quidquid vsquam fuerat variis erroribus institutum.* Quid ni ergo, qui impias suas ceremonias in Romam transfuderant: iam inde sub *diligentissimâ superstitione* (id non in quouis, sed in aureo poculo, ni fallor, Ioannes significauit) refusas, non solùm haurire, sed eisdem dicantur inebriari? quid vnquam potuit fœdius scaturire?

uinciã, mala deriuantur peiora. Apocal. 17 v. 2. D. Leo Mag. & v. 4. *Quæ vniuersa, in curiam confluxerant.* D. Leo. Idem.

Gloriosam de hostibus suis vindictam, benignâ numinis aurâ reportârunt Hebræi: & die decimo tertio mensis Adar, quotquot per imperium Persicum erant dispersi gratissima impii sanguinis libamina Deo consecrârunt: solummodò illis qui in Susan erat, dies ille satis non fuit: vnde Estheris precibus, dies adhuc decimus quartus, iterandæ vindictæ destinatur. ergo illa ad Regem. *Si tibi placet, detur potestas Iudæis, vt sicut fecerunt hodie in Susan, sic & cras faciant: filij Aman suspendantur in patibulis, præcepitque Rex, vt ita fieret.* Cap. 9. v. 13. Nonne miraris tenerrimum aliàs puellæ animum, quæ ad ruborem sanguinis effusi, alibi expallesceret: in eam hic contumaciam, visum obdurari: vt cùm alii vno die contenti forent, Esther, non nisi duobus ad vindictam satiaretur? Nimirum agebat Dei

237. Esther. 9. 13. *Curia vt plurimum sceleratior.*

Mini

Ministram virilescens: & quamuis vno die cæterarum Prouinciarum iniquos deleri potuisse sciret: nouerat tamen plures & peiores fore in solâ vrbe Susan: quibus conficiendis duplex veniret dies necessarius, res plana ex dictis, si ad id

& cap. 1. 2. quod cap. 1. v. 2. de Assuero dicitur, respicias. *Quando sedit in solio Regni sui: Susan ciuitas, regni eius exordium fuit*, clarius ex Hebr.

Vatab. Vatablus. *Cum sederet Rex ipse Assuerus in solio Regni sui, quod erat in Susan Metropoli*, quod deinde in notis ita explicat. *Cum victis hostibus sederet in solio suo, quod erat in Susan, vrbe illa regiâ metropolitana*, quid ni ergo regalis Curia, sceleratioribus scilicet, quàm vrbes cæteræ scatens, diuturnæ longiùs pœnæ cogeretur? Sordentes quidem cæteræ vrbes: at Susan Curia, quamuis nomine liliata: tanquam sentina, erat quidem prolixiùs exhaurienda.

238. Inuidisse Iudæos, Christo regnum, malitiæ deputatur: sed illi prætulisse Baptistam, solùm extremæ omnino proteruiæ dari potest: quippe alienum aliquid sibi rapere, fragilitatis humanæ est proprio vbique commodo consulentis: at aliena diripere, vt tertius quidam alius ditescat, idq; non tam de accepturi amore quàm de odio spoliandi, vltimam infensi lineam animi attingit. Nouerant interim illi, Baptistæ sanctitatem, eximiâ quadam prudentiâ radiare, subdolásque artes suas statim ab eodem detegendas, nisi mirâ quadam & occultissimâ procederent astutiâ, quid ergo parant? *Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sa-*

Ioan 1. v. 19 Curia et va ferrimi. *cerdotes & Leuitas ad eum.* Ioann. 1. vers. 19. quia vt desperabant posse iniquissimum contractum hunc procedere, nisi pessimi omnium interçederent proxenetæ: sic callebant non aliunde maligniori astutiâ obarmatos tetrioribus fraudibus munitos, quàm à Solymitana Curiâ expediendos: cæterósque omnes Ministros, vafri licet & versipelles, præ Curialibus istis, simplices re-

Euthymius putandos. Euthymius hic. *Ab Ierosolymis vtpote præstantiores, atque astutiores cunctis, qui ex alijs erant Ciuitatibus*, vt enim præstabant nobilitate, sic curiali, id est perfidâ astutiâ excellebant. Neque solùm, quà Ministri, & nefarii mandati executores accedunt: sed etiam quà Auctores, iidem Christum impugnant. Hinc ad illud

Matth. 15. 1. Matth. *Tunc accesserunt ad eum ab Ierosolymis Scribæ & Pharisæi dicentes; quare discipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum?* cap. 15. v. 1. sic scribit Theophylactus *Quia in omnibus locis erant Scribæ, & Pharisæi: magis tamen venerabiles erant Ierosolymitani: ideo illi magis inuidebant vtpote maius gloria magis appetentes.* quasi in miseram hanc Curiam fœdius conflueret quidquid sordium per vniuersam Prouinciam dispersum erat.

239. Curia cælestibus beneficiis accipiendis obstat. Hinc est vt cælestis Curiæ bona pleniùs accepturi, terrenæ Curiæ contagium iubeantur deserere attende. Quotidie Sol moritur: occasu enim, vndoso quasi tumulo sepelitur, eius vitam deinde omnia suspirant, cuius luce beantur: Ergo resurgens manè, vix oritur, cùm omnibus non paucis, nec per partes, sed totus allucet subitò: sic nocturni mœrores succedente lætitiâ, ab omnium pectore exsufflantur omninò. At occidit Iustitiæ Sol, *Christus* occiditur: cuius absentię nocte funestius longè sui, consepulti mœroribus ingemiscunt; quis crederet iam resurgentem, non se totum simul, & omnibus ostensurum? sed ille guttatim lucem instillat, nunc Petro apparet, nunc discipulis duobus euntibus in Emaus: nunc vni Magdalenæ cernitur: nunc piis fæminis quibus & addit: *Nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam: ibi me videbunt.* Matth. 28. v. 10. Matth. 28.

Ecquid hoc sol pulcherrime? si lucis gigas exultas ad currendam viam: quis feruidis gressibus compedes iniecit: quis retardat ne optantibus tot amicis te exhibeas? quid guttatim, idque raptim, lucis profluuium paucis sic indulges? solummodò in Galilæa, ad satietatem vsque, pussimè dissoluendum? scilicet erant in Ierosolymitanâ Curiâ Amici pij, recenti adhuc scelere præfædatâ, impietatis suæ maculis insignitâ: cælestis ergo Curiæ beneficiis plenè frui non poterant, licet Iusti: nisi illam scelestissimam desererent. D. D. Chrysol.

Chrysolog. Serm. 80 *In Galilæam mittuntur, vt eum possint videre: quia Deus in loco perfidiæ non videtur.* quid? Cæcum illum à natiuitate, sanâsat Christus, & qui vt corporis, sic etiam mentis oculis, subitò videbatur lucem infusurus: internam meliorem tandiu distulit, donec audiuit, quia sacerdotes *eiecerunt eum foras:* Ioan. Ioan. 9. v. 35.

9. v. 35. vt si non corpore, saltem toto spiritu, à Synagogâ, & impiâ Curiâ absens præsumeretur. Eusebius Gallican. in Homil. ad hunc locum. Euseb. Gall.

Multum ei profuit, quòd foras eiecerunt eum: qui foris eiectus, Iesum videre & cognoscere meruit. Nescit enim terrena Curia, vt pote vitiorum sentina, pussima Cælestis Curiæ decreta non tardare: nec ibi moratus mente, diuini Amoris capies beneficia.

Quæcunque de Curiâ dixi, mel, & rosæ, si ad 240.

Aulæ venena comparentur: vt in Curiam totius Prouinciæ vitia turpius exercenda transfunduntur, sic è Curiâ in Aulam, deterioranda adhuc, visa refundi. Curia, Regni sentina, Aula Curiæ: pelagus fraudibus exæstuans, & sub fictâ malaciâ, periculosius; aurea compes, toxicum dulci nectare delibutum: & quod acrius dolet, sub innocentibus sæpe Regibus, nocentissima. Arripit Saulem Dæmon, distorquet violenter: & inter Aulicorum curas, remedium misero Regi sollicitantium, id subit apud omnes, priùs vt Musicæ blandimentis, furoris exasperatio curetur temperanda, tunc de Psalte eligendo anxiis, suggerit quidam: *Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem, scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus est cum eo.* 1. Reg. 16. v. 18. vnde impensiùs poterat aliquis commendare: aut vnde aliquis in alium, poterat credi suauius animatus? & tamen commendator hic tantus, si Deo placet, ex Doctorum Hebræorum sententiâ, Doech erat: qui capitali iam diu odio Dauidem infensissimè prosequebatur: sub hoc præconio, certam iam, & acriorem vindictam meditatus, ita ne? prometendæ gratiæ Principis, & muneribus inde secuturis, proponit aduocandum mimicum: hánceque planam vindictæ viam, prudens reputat? Neque mirum: quamuis enim veram prudentiam hinc euitem, callidissimam tamen astutiam recognosco: cui enim periculosiori aleę committi posset Dauid, quàm tot noxiis Aulæ occasionibus addictus? Nouerat ergo probè infensus hostis, technas omnes, quas alibi euertendo Dauidi, irritas fuerat expertus: in Aulâ, vtpote quæ nocentior validissimas. D. Hieron. in Quæst. Hebr. ibi. *Puer iste, Doech Idumæus fuisse perhi-*

Vt Curia Regni: sic Aula, Curiæ sentina est.

1. Reg. 16. v. 12.

Aula inevitabilia pericula.

D. Hieron.

lici fato factam Curiam; sic Aulam infausto sidere viderimus exortam: vt in improbitatis scholam, & vitiorum segetem formari videantur: iam non mirabimur, si qui profundius Curiæ se vorticibus immergunt, Aulæque se mysteriis penitiùs initiant, quales sunt Principum familiariores, longè fœdius lædantur hoc contagio: & serpente medullitus cancro corripiantur immaniùs: siue, qui probi fuerant pridem, ipso aliorum commercio malè afficiantur: siue iam olim improbi, ruant in peius: id certè euenit, vt quandoque non solùm mali, sed etiam boni Principis, Aulicos nonnullos, cæteris Curialibus peiores doleamus. Hinc Aulici illi iam compuncti, apud D. August. lib. 7. Confes. cap. 6. *In Palatio, quid non fragile plenumque periculis? & per quot pericula peruenitur ad maius periculum?* ipsa enim Principis gratia, tot adita periculis, animæ ipsi venit periculosior: cum illis assuescere teneatur hominibus, quos optimè Lucillii fragmentum, pessimos sic describit. *D. August.*

Aulicorum pessimi mores.

Vni se, atque eidem studio, omnes dedere, & atti:
Verba dare, vt cautè possint pugnare: dolosè
Blandiri: certare, bonum simulare virum se:
Insidias facere: vt si hostes sint omnibus, omnes.

Vel igitur probos prius, (quod non euênit) elegisset Baltasar: vel corruptissimos quosuis, vt certum puto: illi in malum, hi ruentes in peius tho. more imbuti aulico, tales euasere; vt impius, impios tantummodò fulcisse dicatur meritò.

Monita Politica.

I.

Curia totius Regni: Aula verò, curiæ totius sentina esse solet.

235. *Curia, totius Regni sentina est.* *Oseas. 10 5*

Conculcato Diuini Numinis cultu, in vitulorum adorationem, profusus corruit vniuersus Israel: & tamen questus Deus, sic habet apud Oseam. *Vaccas Bethauen coluerunt habitatores Samariæ.* Cap. 10. v. 5. meritò enim locus impii sacri, qui olim *Bethel*, id est *domus Dei* vocabatur, iam per ludibrium *Bethauen* dicitur, seu *domus vanitatis*: non enim aliò vanius poterat exerrari; illud tamen in rem præsentem attentius considerandum, quod cum integræ fere decem Tribus, paucissimis singularũ exceptis Iustis, ad iniqua confluerent sacrificia: hîc solummodò Samariæ habitatores denotentur: quæris causam? totius Israel curia erat Samaria, vrbsque regia: & quæ exemplo probo, alias ab erroribus debuerat reuocare: sic Idololatriæ fæces ad se contraxerat: vt omnium prima, impudentius persisteret in errore: & in Idoli oppidulum, augusta Ciuitas pergeret, procubitura. Ruffinus pius ibi. *Samaria, id est regia vrbis: qui alios debuerant ab errore reuocare, ad exigua oppida, adoratum vitulorum imagines cu sitabant.* Confluxerat in miseram Curiam, quasi ad caput, totius corporis venenum, vnde iterum tanquam à sentinâ, in membra longè funestius defluebat. *Ruffin. Pius.*

236. *Curia in totam ero-* · Ethnicam adhuc Romam, ex bonorum Interpretum sententia, describit Ioannes, Apocal. 17. *cum quâ fornicati sunt Reges terræ: & inebriati sunt, qui inhabitant terram de vino prostitutionis eius.* v. 2. quia nimirum erat, vt ait, (licet non ad hunc locum) D. Leo magnus Serm. 1. de Nat. Apost. *Magistra erroris:* è qua in subiectas totius Orbis Prouincias, Idololatriæ fornicatio deriuabatur. Pende tamen, quod statim additur. *Et mulier erat circundata purpurâ, & coccino, & inaurata auro, &c. habens poculum aureum in manu suâ, plenum abominatione, & immunditiâ fornicationis eius.* v. 4. Hic est calix ille idololatricæ doctrinæ, vnde Reges, & omnes qui habitant terram vidisti inebriatos. Mirum est, cùm fere tot essent idololatrantium Sectæ quot Prouinciæ, quæ vt nôsti, priuatim *Deos Patrios* colebãt: imò & quot domus, quarum singulæ domesticos suos lares, & singulares *Penates* adorabant: omnes nihilominus simul in vnam infaustè Romam confluxisse. Sed quæ curia Orbis impii erat, necessariò quodammodò impietatis sentinam contineret: nec se putaret omnibus dominari, nisi vna, omnium sectas turpissimas amplexaretur, ideo idem D. Leo. *Hæc autem ciuitas ignorans suæ prouectionis Authorem, cùm pene omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium seruiebat erroribus: & magnam sibi videbatur assumpsisse Religionem, quia nullam respuebat falsitatem.* Sed ecce nodus in loco, quem proposui, neque facilis; esset Roma sentina, quia omnium Prouinciarum sordes contraxit: hinc tamen potiùs ab illis inebriata, quàm easdem inebrians, dicenda videretur. Cur ab hac Curia inebriatos cæteros vult Ioannes? quia sicut cloaca, non solùm totius vrbis sordes excipit, sed ipso situ reddit fœdiores: vt inde emissæ, iam turpiùs exhalent, quàm cùm admissæ fuerant: sic Roma ritus & ceremonias, quas simpliciores & pene rudes, ab aliis capiebat: eo comebat cultu, eâ impensioris diligentiæ fouebat superstitione: vt iam ad eosdem, sub efficacioris falsitatis aculeo redire possent. Fauet citatus Leo, post alia de Aduentu Petri in Romam. *Hic conculcandæ Philosophiæ opiniones; hic dissoluendæ erant terrenæ sapientiæ vanitates: hic confutandi dæmonum cultus; hic omnium sacrilegiorum impietas destruenda: vbi diligentissimâ superstitione habebatur collectum: quidquid vsquam fuerat variis erroribus institutum.* Quid ni ergo, qui impias suas ceremonias in Romam transfuderant: iam inde sub *diligentissimâ superstitione* (id non in quouis, sed in aureo poculo, ni fallor, Ioannes significauit) refusas, non solùm haurire, sed eisdem dicantur inebriari? quid vnquam potuit fœdius scaturire?

uinciâ, malæ deriuantur peiora. *Apocal. 17 v. 2.* *D. Leo Mag.* *& v. 4* *Quæ vniuersa, in curiam confluxerant.* *D. Leo.* *Idem.*

Gloriosam de hostibus suis vindictam, benignâ numinis aurâ reportârunt Hebræi: & die decimo tertio mensis Adar, quotquot per imperium Persicum erant dispersi gratissima impii sanguinis libamina Deo consecrârunt: solummodò illis qui in Susan erat, dies ille satis non fuit: vnde Estheris precibus, dies adhuc decimus quartus, iterandæ vindictæ destinatur. ergo illa ad Regem. *Si tibi placet, detur potestas Iudæis, vt sicut fecerant hodie in Susan, sic & cras faciant: filij Aman suspendantur in patibulis, præcepitque Rex, vt ita fieret.* Cap. 9. v. 13. Nonne miraris tenerrimum aliàs puellæ animum, quæ ad ruborem sanguinis effusi, alibi expallesceret: in eam hîc contumaciam, visum obdurari: vt cùm alii vno die contenti forent, Esther, non nisi duobus ad vindictam satiaretur? Nimirum agebat Dei 237. *Esther. 9. 13.* *Curia vt plurimum scelerations.*

Mini

Ministram virilescens: & quamuis vno die cæterarum Prouinciarum iniquos deleri potuisse sciret: nouerat tamen plures & peiores fore in sola vrbe Susan: quibus conficiendis duplex veniret dies necessarius, res plana ex dictis, si ad id
Et cap. 1. 2. quod cap. 1. v. 2. de Assuero dicitur, respicias.
Quando sedit in solio Regni sui: Susan ciuitas,
Vatab. *regni eius exordium fuit*, clarius ex Hebr. Vatablus. *Cum sederet Rex ipse Assuerus in solio Regni sui, quod erat in Susan Metropoli*, quod deinde in notis ita explicat. *Cum victis hostibus sederet in solio suo, quod erat in Susan, vrbe illa regiâ metropolitana.* quid ni ergo regalis Curia, sceleratioribus scilicet, quàm vrbes cæteræ scatens, diuturnæ longiùs pœnæ cogeretur? Sordentes quidem cæteræ vrbes: at Susan Curia, quamuis nomine liliata: tanquam sentina, erat quidem prolixiùs exhaurienda.

238\. Inuidisse Iudæos, Christo regnum, malitiæ deputatur: sed illi prætulisse Baptistam, solùm extremæ omnino proteruiæ dari potest: quippe alienum aliquid sibi rapere, fragilitatis humanæ est proprio vbique commodo consulentis: at aliena diripere, vt tertius quidam alius ditescat, idq; non tam de accepturi amore, quàm de odio spoliandi, vltimam infensi lineam animi attingit. Nouerant interim illi, Baptistæ sanctitatem, eximiâ quadam prudentiâ radiare, subdolásque artes suas statim ab eodem detegendas, nisi mirâ quadam & occultissimâ procederent astutiâ, quid ergo parant? *Miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sa-*
Ioan. 1. v. 19 *cerdotes & Leuitas ad eum.* Ioann. 1. vers. 19.
Curia et veneni. quia vt desperabant posse iniquissimum contractum hunc procedere, nisi pessimi omnium intercederent proxenetæ: sic callebant non aliunde maligniori astutiâ obarmatos tetrioribus fraudibus munitos, quàm à Solymitana Curiâ expediendos: cæterósque omnes Ministros, vafri licet & versipelles, præ Curialibus istis, simplices re-
Euthymius putandos. Euthymius hic. *Ab Ierosolymis vtpote prastantiores, atque astutiores cunctis, qui ex alijs erant Ciuitatibus*, vt enim præstabant nobilitate, sic curiali, id est perfidâ astutia excellebant. Neque solùm quà Ministri, & nefarii mandati executores accedunt: sed etiam quà Auctores, iidem Christum impugnant. Hinc ad illud
Matth. 15. 1. Matth. *Tunc accesserunt ad eum ab Ierosolymis Scribæ & Pharisæi dicentes: quare discipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum?* cap. 15. v. 1. sic scribit Theophylactus *Quia in omnibus locis erant Scribæ & Pharisæi: magis tamen venerabiles erant Ierosolymitani: ideo illi magis inuidebant vtpote inanis gloriæ magis appetentes.* quasi in miseram hanc Curiam fœdius conflueret quidquid sordium per vniuersam Prouinciam dispersum erat.

239\. Hinc est vt cælestis Curiæ bona pleniùs ac-
Curia cælestis beneficii accipiendi obstat. cepturi, terrenæ Curiæ contagium iubeantur deserere attende Quotidie Sol moritur: occasu enim, vndoso quasi tumulo sepelitur, eius vitam deinde omnia suspirant, cuius luce beantur: Ergo resurgens manè, vix oritur, cùm omnibus non paucis, nec per partes, sed totus allucet subitò: sic nocturni mœrores succedente lætitiâ, ab omnium pectore exsufflantur omninò. At occidit Iustitiæ Sol, *Christus* occiditur: cuius absentię nocte funestius longè sui, consepulti mœroribus ingemiscunt; quis crederet iam resurgentem, non se totum simul, & omnibus ostensurum? sed ille guttatim lucem instillat, nunc Petro apparet, nunc discipulis duobus euntibus in Emaus: nunc vni Magdalenæ cernitur: nunc piis fœminis quibus & addit: *Nuntiate fratribus meis, vt eant in Galilæam: ibi me videbunt.* Matth. 28. v. 10. Matth. 28.
Ecquid hoc sol pulcherrime? si lucis gigas exultas ad currendam viam: quis feruidis gressibus compedes iniecit: quis retardat ne optantibus tot amicis te exhibeas? quid guttatim, idque raptim, lucis profluuium paucis sic indulges? solummodò in Galilæa, ad satietatem vsque, pissimè dissoluendum? scilicet erant in Ierosolymitanâ Curiâ Amici pij, recenti ad huc scelere præfædatâ, impietatis suæ maculis insignitâ: cælestis ergo Curiæ beneficiis plenè frui non poterant, licet Iusti: nisi illam scelestissimam desererent. D. D. Chrysol.
Chrysolog. Serm. 80 *In Galilæam mittuntur, vt eum possint videre: quia Deus in loco perfidiæ non videtur.* quid? Cæcum illum à natiuitate, sanat Christus, & qui vt corporis, sic etiam mentis oculis, subitò videbatur lucem infusurus: internam meliorem tandiu distulit, donec audiuit, quia sacerdotes *eiecerunt eum foras*: Ioan. Ioan. 9. v. 35.
9\. v. 35. vt si non corpore, saltem toto spiritu, à Synagogâ, & impiâ Curiâ absens præsumeretur. Eusebius Gallican. in Homil. ad hunc locum. Euseb. Gall.
Multum ei profuit, quòd foras eiecerunt eum: qui foràs eiectus, Iesum videre & cognoscere meruit. Nescit enim terrena Curia, vt pote vitiorum sentina, pissima Cælestis Curiæ decreta non tardare: nec ibi moratus mente, diuini Amoris capies beneficia.

Quæcunque de Curiâ dixi: mel, & rosæ, si ad 240.
Aulæ venena comparentur: vt in Curiam totius Vt Curia
Prouinciæ vitia turpius exercenda transfunduntur, sic è Curiâ in Aulam, deterioranda adhuc, Regni: sic Aula, Curiæ sentina est.
visa refundi. Curia, Regni sentina, Aula Curiæ: pelagus fraudibus exæstuans, & sub fictâ malaciâ, periculosius; aurea compes, toxicum dulci nectare delibutum: & quod acrius dolet, sub innocentibus sæpe Regibus, nocentissima. Arripit Saulem Dæmon, distorquet violenter: & inter Aulicorum curas, remedium misero Regi sollicitantium, id subit apud omnes, priùs vt Musicæ blandimentis, furoris exasperatio curetur temperanda, tunc de Psalte eligendo anxiis, suggerit quidam: *Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem, scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum, & Dominus est cum eo.* 1. Reg. 16. v. 18. vnde impensiùs poterat aliquis commendare: aut 1. Reg. 16. v. 12.
vnde aliquis in alium, poterat credi suauius animatus? & tamen commendator hic tantus, si Deo placet, ex Doctorum Hebræorum sententiâ, Doech erat: qui capitali iam diu odio Dauidem infensissimè prosequebatur: sub hoc præconio, certam iam, & acriorem vindictam meditatus, ita ne? prometendæ gratiæ Principis, & muneribus inde secuturis, proponit aduocandum inimicum: hancque planam vindictæ viam, prudens reputat? Neque mirum: quamuis enim veram prudentiam hinc exuitem, callidissimam tamen astutiam recognosco: cui enim periculosiori aleę committi posset Dauid, quàm tot noxiis Aulæ Aula inexitabilia pericula.
occasionibus addictus? Nouerat ergo probè infensus hostis, technas omnes, quas alibi euertendo Dauidi, irritas fuerat expertus: in Aulâ, vtpote quæ nocentior validissimas. D Hieron. in D. Hieron.
Quæst. Hebr. ibi. *Puer iste, Doech Idumæus fuisse perhi-*

perhibent, inimicus David: & omnia, quæ de David in laudem dixisse videtur, in odium eius dixisse dicitur, quia volebat inimicitiæ causa, & invidia livore, ut ad Saul veniret: quatenus ibi qualibet occasione necaretur. tot pullulant in Aulâ nocendi occasiones. sed hic locus, iterum & acutius ex Lyrano recudendus infrà.

241. *Ad Aulæ ingressum, Iusti prudentes pavent.* Non capit humana mensura gaudium, quo Iacob viventis Ioseph sui nuntia excepit: reuixisse senioris spiritus videbatur. Proficiscentem ergo mutuo conspectui fruendo, cùm volare debuisset, ecce invadit pavor: hoc enim sonant verba illa Dei ad eundem. *Ego sum fortissimus Deus Patris tui: noli timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi: ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te revertentem.* Genes. 46. v. 3. & quid timebat Iacob? Nunquid Idololatriæ Ægyptiæ contagium? non crediderim: Iunior illam, in Mesopotamia, & domesticus impio socero, debellàrat. Nunquid, ne promissæ terræ dono hinc fraudaretur? quamuis aliqui sic sentiant, non assentio: robustiori fide implebatur hic animus, quàm de promissionis constantia dubitaret. quid ergo; sceleratorum ne hominum commercium? ita puto, at nonne diu inter impios vixerat & sceleratos? fateor; sed illi erant scelerati, qui in pagis & vicis paruis habitabant, quósque semotô semper tentorio, non ita familiariter habebat: at nunc non solùm in Ægyptiam Curiam, sed insuper in Pharaonis aulam admittendus, ibíque Proregis Pater quandoque commoraturus, quid non timeat? fortis igitur aliunde vitiis & fraudibus priorum superandis: Aulicorum tamen malitiam formidat ignauescens. Necessariò proinde animat illum Deus, cuius verba sic paraphrazat Glossa Interl. *Descende in Ægyptum securus: contra spirituales nequitias pugnaturus.* vbi aduerte sic Dæmones, & Tenebrarum Principes appellari à Paulo: quasi alij scelerati, licèt pessimi, semper sub hominum titulo persistant; at Aulici, quorum auertendo contagio pugnaturus erat Iacob, iam ipso Dæmonum nomine appellentur.

Genes. 46.

Glossa.

Aulici, Dæmones.

242. Recurre quæso, ad illa, quæ paulò ante num. 237. dicebamus de Curiâ Susan, & videbis peruersâ Curiâ, immaniorem longè fuisse Aulam. Iam primò die Aman filij decem occisi fuerant, vt constat cap. 9. v. 6. & tamen, cùm furor etiam immanis pectoris, non soleat vltrà necem desæuire: vrget tamen Esther vt secundo die, eius cadauera *in patibulis suspendantur*: v. 13. vt dum alij ad necem adducuntur: ipsi necati pridie, tunc Cruci addicantur. scilicet Aulici erant, tantóque Curialibus peiores cæteris; vt dum his simplex occisio, ad pœnam satis; illis de Crucis opprobrio, deque torto, post hominem, cadauere, foret duplicanda: vt Patri Aulicorum pessimo antea crucifixo responderent. fauet ibi Lyranus. *Ponitur vindicatio, specialiter in Vrbe Susis tantum, quia ibi fuerat machinatio facta Aman contra Iudæos: & ideo facta est ibi maior vindicatio, scilicet duobus diebus, &c. & decem filij Aman, in patibulis suspenduntur, qui fuerant occisi die præteritâ vt sic Iustitia vniformis fieret in Patre, & filiis.* Quid ni ergo sæuiùs puniantur Aulici, qui fœdiùs, fallacibus machinationibus deliquerant? Hinc est, vt non temere apud aliquos applaudatur explicationi illi D. Augustini lib. 2. de Mirab. Sac. script. vbi

Esther 9.

Aulici, nocentissimi, ideo sæuius puniendi. Lyranus.

4. Reg. 1. D. August.

expendens. Cur Elisæus peteret ab Elia: *vt fiat in me duplex spiritus tuus.* 4. Reg. 2. v. 9. post multa sic scribit. *quòd Helisæus cum magno honore, & sæculi dignitate, virtutum & Prophetiæ donum habuit: quod Helias profugus, & persecutus in montibus, & in speluncis degens, & ejectus ab hominibus, retinebat.* Neque quosuis honores hîc intelligas, sed illos maximos, quales, ab Aula regiâ depromuntur: assiduus enim Elisæus Principum latero, ab hísque impensè cultus, vt passim legimus: vnde non arroganter, sed compellente necessitate, duplicem rogat spiritum, quo ab Aulicorum contagione, immunem innocentiam conseruaret. Igitur quidem, cùm in Aula non paucos videamus excellentissimę quandoque virtutis viros: sic illos debuerimus venerari, quasi duplicato spiritu insigniores: mediæ illius hyemis, præter naturæ ordinem, flores vernantissimos: & in Babylonico camino, odorem fumi, ne dum incendij pestem euitantes. Hæc de Aulâ, communiter dicta sunto, nunc ad priuata, & quasi agnata eidem vitia veniamus, quæ meus Princeps, & Aulici sanctiores diligentius proinde debeant effugere. Nihil hîc de auara cupiditate, nihil de adulatione (quæ tamen primas sedes visæ postulare) dixerim: quia de priori iam supra fusè; de posteriori, aptiùs alibi, vocante ipso textu, differemus infrà. *Aula contagium.*

II.

Aulica Inuidia: quàm prudenter à Principe præcidi debeat: & sub quo tenore quandoque permittenda.

INcipiamus ab inuidiâ, quæ Aulæ splendorem, vt vmbra sequitur: dum enim Aulicorum singuli, Regis gratiam vnicè sibi sollicitant promerendam: quidquid aliis tribuitur, sibi ablatum negádú fortè sibi quidquid ambitur aliis doléres cruciâtur: nulla necessitudo, nullum aut amicitiæ ius, aut sanguinis hebetat liuoré. sed acuit: & dú omnes sub eadem ambitionis arte, in idem, incrementi proprij, collineant scopum, inuicem occultis inuidiæ sagittis transfiguntur. Iosephum suum benedicturus Iacob, inter alia sic subiungit: *Inuiderunt illi habentes iacula.* Genes. 49. v. 23. dexteritatem arcûs, & sagittandi peritiam, in filio volebat commendatam, (vt melioris notæ Interpretes, hîc aduertunt) nec potuit aliter aptiùs, quia nec aliunde vsitatius, quàm ab illorum inuidiâ, qui consimili studio tenebantur. Oleaster. *Hinc illud antiquum dicterium: homo tui muneris, tibi inimicus est: & qui in arte aliqua excellunt, inuidiæ aliorum subiciuntur.* Nescit communis aliqua multorum professio, non fieri competitio, neque hæc ab inuidiâ non stimulari. Ego vero crediderim, non mitiora liuoris iacula passim Iosephum ab Aulicis, communem Regis gratiam deteriùs promeritum: quàm illa, quibus sagittâ [illegible], sagittariorum inuidiam prouocabat. & fortasse id significatum ænigmaticus voluit [illegible] Ars est, [illegible] diligentissimæ, Aulica [illegible]: vnde [illegible] communis artificij [illegible] insolentius: verissimum [illegible] D.

243. *Inuidia, splendoris Aulici vmbra.*

Genes. 49.

Oleaster.

Inuidia, inter similes.

D. Basilius. Basilij Magni, Homil. de inuidiâ, vbi ita. *Neque enim possibile est, vt hoc malo implicemur, nisi familiaritate, consuetudine fuerimus: quoniam ex Salomonis sententia, Zelus hominis ex socio illius, & profectò sic res habet: non enim Ægyptio, vir Scytha inuidebit: sed sua genti, quilibet: & in eadem gente non ignotis, sed familiaribus & vicinis, & eiusdem artis hominibus, aut alia de causâ coniunctis: & his denique coaeuis, cognitis, & fratribus:* Nihil verius: nil aliunde Aulicis vsitatius, quos tanta ars connectit: commune obsequium reddit familiares, frequens palatium vicinos, & ficta compellat fraterno titulo amicitia. Imo & si fratres re vera fuerint, sæuius efferantur.

144. Audierat iunior ad huc Dauid, insultâsse Israeli Philistæum: Saulemque prostrandi si fortè hostis, præmium promisisse: cúmque de hoc apud ignotos ageret: ecce ad illum frater Eliab. *Quare venisti, & quare dereliquisti pauculas illas oues in deserto? ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui, quia vt videres prælium descendisti.* 1. Reg. 17. v. 28. Sed quanti erat, vt Iuuenis, qui patris iussu, v 18 fratribus cibos attulerat militantibus: curiosus obiter paululum de re in Castris passim vulgatâ fabularetur, hæc illa carpenda superbia, & nequitia cordis introspecta? Ego autem verius, inuidum fratris Eliab zelum ibi introspicio, dixerat iam miles Sauli, sacramentum: atque aulam regiam, vt pote genere nobilis frequentârat: nouerat aliunde ardentem Dauidis spiritum, animum, fraternis omnibus generosiorem: timuit, ne forè bello vellet assuescere, & ostentato robore ad Regem delatus, maiorem huius gratiam compararet primas relaturus. Ergo Dauid ab exteris, (qui ab eiusdem verbis, robur subnotârant) promouetur v. 31. regio fauori promerendo: quem fratris inuidia conatur submouere. D. Chrysost. hom. 1. in Psalm. 50 *Fratres zelantur: & extranei introducunt ad Regem.* Et quidem prisca pestis; & ab ipso Mundi exordio ipsi connata. Ideo Chrysolog. serm. 4. de Cain fratri inuidente. *O zeli tumor, duos non cepit domus ampla germanos, & quidem mirum fratres! fecit inuidia, vt Mundi tota, duobus esset angusta fratribus latitudo: namque ipsa Cain, iunioris erexit in mortem: vt esse solum zeli liuor faceret, quem primum fecerat lex natura.* Sic non primum naturâ, sed in Aula primum, & solum se cupiebat Eliab: & tumidus inuidia, augustam domum, sibi cum fratre meliore, angustam reputabat.

1. Reg. 17.

Inter fratres acrior inuidia.

D. Ioan. Chr. D. Pet. Chr.

145. Neque mirum: id paulò ante cauerat Deus, cùm vncturo Dauidem, in Regem, præcepit Samueli: *Imple cornu tuum oleo, & veni vt mittam te ad Isai Bethlehemitē, prouidi enim in filiis eius, mihi Regem.* cap. 16. v. 1. si ex tam numerosâ fratrum familiâ, vnus erat Dauid vngendus: cur non diserto nomine appellatur: sed confusè inter alios inuoluitur? ne id vnquam fratribus pateret. Si enim Samuel ingressus diceret, venire, se vt paruulum vngeret, idque apud fratres increbesceret: insidias iam inuidi, futuro Regi machinarentur. Ergo dubius venit Samuel, vt singulos absque strepitu, seorsim vocans, & dimittens, occultè tandem, Dauidem à Deo electum consecraret. Dixeris corruere omnino explicationem: cùm expressè dicatur v. 13. *Tulit ergo Samuel cornu olei & vnxit eum in medio fratrū eius,* quod etiam in Hebræo, Græcóque fonte pariter habetur. Sed hac phrasi, quid significetur, vidit optime Vatablus, qui in notis ita. *In medio fratrum: idest, vnum ex omnibus fratribus.* sic etiam vulgò loqui solemus. Nunc capies D. Chrysost. Tomo 6. Conc. De Imp. & Pot. vbi ita. *Cur disertis verbis non dixit Deus, abi ad vngendum Dauidē in regē sed præcipere maluit, de vno filiorū Iesse? ne videlicet idem Dauidi contingeret, quod olim Iosepho acciderat. vt enim Iosephi fratres, cum animaduertissent, ipsum diuinitus destinatum esse Regem suum, insidias ei construxerunt: idem nunc Dauidis quoque fratres aggredi potuissent. quare eiusmodi ignorantia, securitatis & salutis causa fuit Dauidi.* Nil ergo mirum, si in aulâ nollet corriualem fratrem inuidus Eliab: cui, quanuis à Deo electum sciret, insidias præsumitur machinaturus.

1. Reg. 16

Fratres, fratri insidiantur.

Vatab.

D. Chrysost.

Depromitur ex hoc vltimo loco, optima & politica Regibus institutio: vt sic quandoque priuatam, erga aliquem, gratiam nôrint dissimulare apud consortes Aulicos, vt quo ad fieri possit, occultent: ne illis inuidiæ fomitem administrent. Eduxerat Abraham secum Loth, fratris sui filium: quibus diu simul peregrinantibus, ingentia Deus contulerat beneficia: in tantum enim, diuini Regis, Aulici creuerunt, vt iam illos Prouincia capere non posset. separantur ergo ad inuicem, additque Textus. *Dixitque Dominus ad Abram, postquam diuisus est ab eo Loth: leua oculos tuos, &c. Omnem terram, quam conspicis tibi dabo, & semini tuo, vsque in sempiternum:* Genes. 13. v. 14. quasi auidus Deus, solum nepotis discessum sperâsset: vt Abraham ingenti hoc cumularet beneficio, causam vidit hîc optimè Oleaster. *Quid est Domine Deus, quod ad donandam Terram Abrahæ, expectas recessum Nepotis? nunquid non potes, eo præsente donare? si ut puto, inuidiam aut odium nepotis, timuit ipsi Abrahæ. Admonui supra 4 Cap. quam oculati debeant esse Domini in distribuendis fauoribus: ne scilicet ex hoc, alios ad inuidiam prouocent. quia enim viderat Dominus Cain ex inuidiâ fraterna gratia, fratrem occidisse: ad promittendam terram, Abrahæ, expectauit consobrini separationem* Tanquam si, nostro loquendi modo, in primâ illa fauoris communicatione ad Abelem, experientiâ disceret, quid postea contra eum Abraham esset facturus: sicut ex Iosephi regno, nouit Cælestis Princeps, vnde Dauidi Regnum confirmaret. 246.

Princeps debet gratiam dissimulare, ne Amico, coaulicorum excitet inuidiam.

Genes. 13.

Oleaster.

Emisit ergo Dominus Deus è Cælo ignem, quo gratissimum sibi Abelis sacrificium absumpsit: illo alio Cain, tanquam sacrilego, prætermisso. Sic enim, vt multis placet, explicandum illud: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain autem, & ad munera illius non respexit.* Genes. 4. v. 4. Ab igne igitur fraternæ oblationi benefico, inuidiæ ignem concipit Cain: & eiusdem apud cælestem Aulam honoris candidatus, præreptâ sibi palmâ, liuidus denigrescens, quem certamine gloriæ non potuit superare, illatæ necis superat perfidia, vt discant Principes, cautissime erga amicum se gerere apud Aulicos: ne ipso fauore, inuidiam certè, necem fortasse, illi conflare videantur. Oleaster ibi post alia. *Est aliud quod hic aduertas: videlicet quam occultè Principes, & ij qui seruos habent, debeant ostendere alicui suam dilectionem, & quàm occultè: ne scilicet* 247.

Genes 4.

Eadem cautela aliunde ostenditur.

Oleaster.

alios

alios ad inuidiam prouocent. quare videbis Deum inspicâ, cum terram Chanaan esset Abrahæ promissurus: & ipse esset simul cum Loth, expectare, & differre hanc promissionem: quo adusque ab eo separaretur Loth.

248. Visus quidem Iacob in Aulâ suâ iam penè regia, sacro huius Politicæ tenore, etiam erga filios, quo ad potuit. Inuidebant omnes Iosepho, vt pote teneriùs habito in delitiis. Audi textum. *Israel autem diligebat Ioseph, super omnes filios, eo quod in senectute genuisset eum: fecitque ei tunicam polymitam, videntes autem fratres eius, quod à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, &c.* Genes. 37. v. 3. Sed, qualisnam ista causa, Scriptor Sacer? planè primo aspectu, futilis neque vera putari posset. si enim quod in senectute gigneretur, plus cæteris fratribus amabatur impense: longe ipso impensius amandus fuerat Benjamin, qui postremus, seniori iam patri natus est. Quid ergo pro Iosepho causa ingeritur: quæ multò acrior pro Benjamin agnoscitur militare? respondet appositissime D.Chrysost. tom. 5. Epist. 8. ad Olymp. *Hoc legislator scripserat, sicut ego arbitror, non quod verè erat: sed ipsam Patris cogitationē, & occasionē exponēs: Nam cùm videret infantem, inuidiam sustinere: curare hunc affectum in fratribus volens, finxit causam dilectionis, quæ non magnam ei inuidiam generaret. Nam quod non foret amoris hæc causa, sed potius virtus animæ, quæ ipsâ ætate viridior erat, ex Beniamin vtique colligitur: si enim Ioseph propterea diligebatur: multò magis, iuniorem Beniaminum plus diligi oportebat.* Sic solet sæpe sacer Scriptor, aliquid tanquam verè factum exponere, quia apud alios tale reputatur: quam Regulam, alibi opusculorum nostrorum, pro literâ non semel confirmaui. Ad rem; violentus erat ille iusti amoris impetus, quem Sanctissimus Patriarcha celare non poterat: prudentis tamen fuit politici, sic causam temperare, vnde minor inuidia conflaretur.

Genes. 37.
Idem, plura.
D. Ioan. Chr.
Scriptura sæpe, non quod est, sed quod existimatur, narrat.

249. Cautè dixi, vt Principes, *quo ad fieri possit*, gratiam Amicis occultent irrogatam, ne illis Aulicorum inuidiam conflârint: quandoque enim, neque potest, neque expedit occultari: quando nimirum, in tuto aliunde collocatis Amicis, infensorum animis permittitur inuidia ad torturam, iustissimamque pœnam: quâ arte Cain, & Iosephi fratres, à Deo visis hinc cælestibus flammis: hinc auditis somniorum mysteriis permittuntur torqueri: cùm tamen ipso damno, quod intentârunt, Abel coronatus in Martyrem, Ioseph in Regnum assumptus, in tuto collocentur. Tale est illud Dei ad Heli. *videbis æmulum tuum in Templo, in vniuersis prosperis Israel.* 1. Reg. 2. v. 32. vt scilicet inuidia morderetur. quo autem tenore, catholicæ fidei consono: non alienæ culpæ, sed pœnæ, ad gaudente, pius Princeps prædictâ vindictâ vti possit, iam aperio. Instituebat Romanos suos Paulus, post alia sic subiungens. *vobis enim dico gentibus, quandiu quidem ego sum gentium Apostolus: ministerium meum honorificabo, si quomodo ad æmulandum prouocem carnem meam.* 9 Rom. v. 13. Mirum dictu! honorificat ministerium suum apud gentes. (idest vt habet hic Vatablus: *summa diligentia, & magna Christi nominis gloriâ, docet Euangelium*) solummodò vt concarnes sibi Iudæos ad inuidiam prouocet, & æmulationem: & tamen rectè agit? honorificè tractat Dei verbum? & quantò satius foret, Deóque gloriosius, si etiam diligentiam impenderet, vt consanguineos Iudæos lucrifaceret: quàm si vindictam, ab illis, hinc captaret? at certè hinc peroptimè Iudæorum salutem captabat etiam Paulus: ideo subdit: *si quomodò ad æmulandum prouocem carnem meam: & saluos faciam aliquos ex illis*, dum enim ministrat sedulò gentibus, & Ecclesiam exaltat: non culpam sed pœnam inuidentis sollicitat Synagogæ: vt dum se alienis bonis sentit torqueri, resipiscat tandem eisdem confruitura, Sed præstat audire pluscula ex Oleastro, loco proximè citato de Cain. *Habet Dominus hoc peculiare, vt defectum honoris sui, inuidentiâ puniat: Cùm enim Heli filios plus æquo diligens, non vt par erat argueret: quod primitias carnis ab offerentibus tollerent, antequam Domino consecrarentur: audiuit: videbis æmulum tuum, &c. Nos cùm sæui & crudeles simus, illato inimicis malo vindictam ex inimicis sumimus: Deus verò faciendo bonum illis, qui nobis inimicantur, aut vicinis nostris, quo vindictæ genere, licet nihil mali facere videatur: conficit tamen inuidi præcordia, cùm ante eius oculos æmulum exaltat. Huiusmodi vindictæ genere vsus est aliquando Paulus, cùm Romanis dicit: quandiu sum gentium Apostolus, &c. sic & hic Dominus volens prouocare Cain, vt de cætero, cùm illi vellet munus offerre, meliora seligeret: non illi nocuit, sed munus fratris acceptauit; vt eum ad fratris mentem reuocaret, ipse verò vice versâ, in deterius mutatus est, vnde debuit melior fieri.* Sub hoc tenore si permittat Princeps Aulicorum inuidiam amicum palàm honorans, prudenter aget.

Cur quandoque à Principe Consiliorum inuidia, erga amicum permittenda.
1. Reg. 2.
Roman. 9.
Vatab.
Oleaster.

Sed ecce supremi Principis aliud exemplum. 250.
Percusserat ille pecora omnia Ægypti & Pharaonis: Israelis interim gregibus præseruatis tunc addit textus, *& misit Pharao ad videndum: nec erat quidquam mortuum de his quæ possidebat Israel.* Exod. 9. v. 7. Iam satis expertus fuerat in cæteris plagis, salutem Israel: cogitur tamen miser pertinaciâ suâ, vt mitteret Aulicos suos, qui priuilegium nouum hoc viderent: vt inde cum ipso Rege sæuius inuiderent, torquerentur, idem Oleaster ibi. *Vult Dominus, impios cognoscere bona piorum, vt inde magis inuidiâ torqueantur, & contabescant, & vt dupliciter gaudeant pij; semel de beneficijs collatis, & iterum de admiratione, & inuidiâ impiorum*, & tamen his plagis, & hac inuidiâ medicinam Pharaoni, Aulicisque eiusdem, quærebat Deus: qui vice versâ in deterius ruunt, vnde meliores fieri deberent, quid ni ergò sinantur, inuidiæ suæ torturâ ad extremum vsque halitum contabescere?

Exod. 9.
Idem allude probatur.
Oleaster.

III.

Aulicorum Inuidia, Morbus incurabilis: nouus Carnifex, cui non tàm suo damno, quàm alieno commodo torti, colla subdunt.

SEd mihi non mirum, tam raro, ab Inuidiâ suâ Aulici resipiscant: habet enim hoc pessimum 251.
præ aliis, noxa ista: vt medicinæ viam, ipsa præcludat.

Inuidiæ morbus, cur insanabilis?

eludat. Cùm enim vt plurimum morbos animæ, aut amici monita, aut prudentis consilia, Deo auspice soleant curare: vnde curetur vlcus, quod summopere, ne agnoscatur, latere satagit: & vel præsumi leuiter, erubescit? Nullus sic habet amicos, nullos sic fidos Aulicus, (quamuis parentes fuerint) quibus se audeat inuidum profiteri, inuidet sibi remedium consilii, vt corriuali hanc gloriam inuideat, quâ se illi postpositum enunciet: & cùm de vitiis aliis plusquam satis se soleat iactare huius infamiam prodere perhorret.

D. Zen. Ver. *Quia latet semper.* D. Zeno Veron. Serm. de Inuidia. *Est quidem semper in gemitibus, & mœrore ac mente confusus, & totus in illo vitij grassantis assumptus: nec interrogatus tamen potest indicare languorem: erubescit enim enuntiare in publicum, quia tabescit inuidiâ: quia amici bonis, & successibus proximi, ipse consumitur: quia fratris bona, sua mala sunt: hæc enim dicturus est sine dubio, si velis, quæ vera sūt, dicere; verum, quoniam erubescit horum aliquid confiteri, recondit, & celat intrinsecùs morbum ipsum, eius interna viscera consumentem.* Eandem causam

D. Cyprian. assignat D. Cyprianus, Epist. 1 a vbi post multa de inuidis, ita. *Non cibus talibus lætus, non potus, potest esse iocundus: suspiratur semper, gemitur, & doletur: dúmque ab inuidis liuor nunquam exponitur, diebus ac noctibus pectus obsessum, sine intermissione laniatur.*

152\. *Eccles. 10. Inuidia, Coluber latens & erubescēs.* Hinc illud Ecclesiastis. *Si mordeat Serpens in silentio: nihil eo minus habet, qui occultè detrahit.* Cap. 10. v. 11. Aliqui ex Græco vertunt. *Si momorderit Serpens non in sibilo: non est abundantia incantatori*, id est, vt fere omnes explicant: nullam iam facultatem habet vir prudens, vt consilii medicamine sopiat & quodammodò incantet hanc bestiam: eiúsque venenum expungat. Sed quis, inquis, fuerit ita amens, qui cùm se lethali veneno videat percussum, tacere malit, quàm indicato morbo facillimum remedium comparare? imò qualis hic Serpens, qui sibilos sibi penitùs interdixit: cùm vt rugitus leonibus, barritus elephantibus, lupis vlulatus: sic serpentibus sibilus concedatur? certè Inuidia, quæ cùm Serpentis instar noceat, & occultas, in pectore Inuidi, conuoluat spiras, nunquam tamen erumpit in sibilos: quia nunquam deprehendi, latere semper procurat

Galfridus. Galfridus ad cap. 8. Ierem. post multa, quæ dedi alibi de miserâ inuidorum indole, ita. *Ij, qui eisdem se percutiendos morsibus tradiderunt, omnem opem Sancti Incantatoris excludunt: quia cum vtique non culpâ eorum quibus inuident, sed prosperitate crucientur, erubescunt ipsam pro tere veritatem ex trinsecùs quasdam sibi superfluas & ineptas causas offensionis inquirunt: quarum, quia omnimodò falsæ sunt, vana est curatio: cum illud mortiferum virus, quod non vult prodere, lateat in medullis. de quibus ille Sapientissimus competenter expressit: Si momorderit Serpens non in sibilo, non est abundantia incantatori, isti enim sunt taciti morsus, quibus solum sapientum medicina non subuenit.* Videant nunc Aulici, cui se tandem discrimini commiserint, si semel hoc veneno imbuantur.

153\. *Inuidus, vlt. tortor sibi Carnifex.* Non igitur, vt dixi, mirum, si tam rarò, ab inuidiâ suâ Aulici resipiscant: si correpti semel hoc morbo nunquam conualescant, illud mirandum, quod sponte, ipsimet, tam immani Carnifici, se tradiderint: vt non tam suo damno, quàm aliorum bono torqueantur nec tam se, miseros, quàm alios doleant fælices. Attulerat iam Esau, parenti obstupefacto, edulia, & dicenti: *quis igitur ille est qui dudum captam venationem attulit mihi. &c. benedixique ei, & erit benedictus?* Genes. 27. v. 33. & addit textus: *Auditis Esau sermonibus* Genes. 27. *Patris, irrugiit clamore magno.* v. 34. Nondum audierat Esau, exhaustam iam fuisse in Patre benedictionis illius vbertatem: neque, inde se illâ necessariò spoliandum, quòd frater etiam benediceretur: ideo enim *consternatus ait, benedic etiam mihi*, quia saltem communem sperabat benedictionem, quid ergo sic irrugit: quasi se iam miserrimum omninò iudicaret? quippe, quòd inuidus, non tam suo damno, quàm fratris fælicitate torquebatur. Satis & plusquam satis *Non tam suo damno, quā alieno bono infelix.* erat, audisse benedictum iam fratrem: vt se quamuis benedictionis consortem, putaret infælicissimum; vtpote qui non tam proprio commodo, quàm fraterno incommodo frui vellet. Eusebius ibi, in Cat. par. *Non tam dolet præreptam* Eusebius. *benedictionem, quam fratris inuidet dignitati: vt qui ingenio lucenti, fratris damno magis, quàm sua commodo inuigilaret.* Quàm noui generis carnifex! qui non tam impacto reis cultro, quàm ostenso aliorum gaudio, nouit iugulare: qui non proprii damni dolore, sed alieni commodi aspectu contrucidat!

154\. *Genes. 4. v. 5.* Tam dissito sacrificiorum euentu, vt suprà vidisti: *iratus est Cain vehementer, & concidit vultus eius.* Genes. 4. v. 5. & tamen sub hac irâ, sub hac tristitiâ, nihil de læso Numine placando, nihil de promerendâ gratiâ: sed de occidendo fratre, curat impensè: simulat charitatem, inuitat in agrum: & inuidiæ facibus stimulatus, simulationem ipsam parans in carnificem, prosternit innocentem. Et quantò æquiùs foret, si se fauori simili, inuitante ipso Deo, v. 6. adaptaret? æquius certè: sed quid faceret inuidus, qui non tam negatum sacrificio suo cælestem ignem, quàm fraterno concessum deplorabat? Simulator, carnificem Abelis se distringit: quia sæuiorem carnificem, dissimulatam inuidiam, patiebatur: ideo necem fratris parat, quia se sub lethali veneno iam senserat ad necem properare. Eleganter D. Gre- *Inuidus dissimulata carnificina, se dilaniat.* gor. Nyssenus lib. de Beatit. cap. 7. pene efflantes animam describens inuidos, tandem de Cain, sic scribit. *Quæ enim desperatorum lethalia signa* D. Greg. Nyss. *sunt, ea sæpe numero in eo qui inuidiâ contabescit, existunt: oculi aridi, intra palpebras tabidas & attenuatas, recedentes: supercilium contractum: ossa, loco carnium, translucentia. At, quanam morbi causa est? quod frater nimirum, vel propinquus & necessarius, vel vicinus, in animi lætitiâ, & tranquillitate viuit. O nouas iniurias! crimini dare, quod non aduersâ fortunâ conflictatur ille, &c. Talis erat Cain, qui iccirco quod Abel probaretur, atque placeret, in rabiem & furorem versus est: inuidia quidem intrinsecùs ad cædem hortabatur, simulatio verò, carnifex erat*, & fortasse, lethalia hæc signa in Cain, inculcata etiam voluit sacer textus, dum ait: *concidit vultus eius*, vel vt in hebræo est: *ceciderunt vultus eius.* Sic enim de iam iam morituris Latini loqui solent. Statius lib. 5. Statius. sil. 1. de moriente Priscillâ: *iamque cadunt vultus*, & velint Aulici morbo hoc premi, carnificem tolerare, non tam damno suo, quàm alieno commodo contorti: cùm tamen quotidie, apud Reges ipsâ indole liberales, mille ac mille augendi doloris, subesse occasionibus, cogantur?

255. *Ybi inuidi, & beneficium donis faciunt [illegible].*

Nec cessauerit morbus, si aliquis ex illis, à Rege iam prouectus, cæteris deinde beneficum se exhibeat, imo augebitur: quippe cum non tam suo commodo, vt suprà ex Eusebio vidisti, quàm alterius damno inuigilent: accepto beneficio cruciantur. Non inuidebant Iosepho fratres, quòd solus, sed *quod à Patre plus cunctis filiis amaretur*. Genes. 37. v. 4. (Genes. 37. 4.) & quidem cum amor, etiam suo modo disciplina & ars vocari soleat; ex teneritudine, quâ erga Iosephum suum afficiebatur senex, ediscere præsumendus, erga alios etiam, affectum teneriorem; & tamen ardent, stimulantur, quia vt bene hîc Oleaster (Oleaster): *Mallet homo sæpius non diligi, quàm alterum illi in amore præferri*, mallet quidem, sed homo malus qui non tam sibi bona, quàm pessima quæuis alteri concupiscit. At Ioseph sic acceptâ à patre gratiâ vtebatur: vt illam in fratres refundere satageret. (*Charitas fraterna, grande bonū.*) Hinc est quòd fratres apud Patrem accusauit, *crimine pessimo*. v. 2: in hebræo est. *Retulit Patri rixam eorum pessimam*. vbi Lyranus. *Istud in translatione nostrâ vocatur crimen pessimum: quia sicut fraterna charitas, quid optimum dicitur: ita è contrario odium fraternum, crimen pessimum appellatur*, quasi qui de Amoris bono inuidebatur, amore mutuo inflammatos illos cupiisset, vt inde iam Patri fierent chariores. Hinc insuper erat quòd tam sedulò visurus, *si cuncta prospera sint erga fratres* properaret. v. 14. vt illis curam sollicitam, & communem patris affectum indicaret, & tamen tam longè absunt, vt mitigentur: quin potiùs tunc ad eiusdem necem prouocantur: ac si ipsa charitatis beneficæ impertitio commoueret ardentiorem inuidiam. Meritò proinde licèt inscij, apud se iactant, id Patri dicendum, *fera pessima deuorauit eum*, v. 20. Non enim qualiscunque sed pessima ferarum, est inuidia, vt adnotant ibi Doctores, & bene *pessima* addam ego, quæ non solùm non cicuratur beneficiis, sed potiùs longè sæuior ferocit. Putares huc etiam attendisse D. Zenonem (D. Zen. Ver.) suprà citatum, dum de Inuidis sic subiungit. *Nihil his inimicitijs difficilius, quæ ex Inuidiæ amarissimo fonte descendūt: quoniam quidem hi qui ex alijs occasionibus inimici sunt, si alter fortè aggrediatur alterū beneficijs vincere, continuò ferocitas mitigatur: in Inuidum autem si beneficia conferantur, multò amplius inflammatur: & quantò plura fuerit consecutus tantò maioribus incendijs conflagrabit: magis enim, irascitur & dolet, quod ab eo boni aliquid consequitur: quem nollet quidquam boni vel habere, vel posse præstare, quam feram belluam, quos venenatos serpentes mores isti non superant? Canes beneficij memores videas, leones cæteræque feræ mitescunt: soli inuidi, beneficijs grauiùs inflammantur.*

Inuidia, cur fera pessima dicatur.

IV.

Minoribus inuident Aulici degeneres: generosi, etiam maioribus gratulantur.

256. *Extrema iniquitatis dirae, mino-*

Est tamen prædicta hucusque inuidia, si minùs excusanda: vtcunque deglutienda, vtpote corruptæ Naturæ ingenio ordinaria: ambiunt omnes idem, præripit vnus, de solito inuidetur, quod autem inuidus non tam suo damno, quàm alieno commodo indoleat, non portentosum aliquid videri potest: cùm aut comparato aliis bono, ipse careat: aut si ex æquo participat, socios saltem hinc sibi nocere putat; quòd boni singularitas habetur pretiosior. (*ribus inuidere.*) Malum tandem, sed nec insolitum, acceptis beneficiis non demulceri: si enim eo ipso donans, superior necessariò præsumitur, quid ni inuidiæ iaculis impetatur? illud ergo illud in Aula prodigiosum: illa inuidendi ratio omnem præteruolat insolentiam: quâ quidam in supremis iam gradibus aut opum, aut honorum collocati, inferiores tamen gradus, quósque interim sibi spernunt, aliis inuideant. Dices fortassè hanc esse improbæ cuidam Inuidiæ causam legitimam, scilicet nullam habere causam, & tamen tunc auidiùs nocere: vnde bene D. Leontius (D. Leontius. *Causa Inuidiæ, quandoque nulla.*) apud Phot. Cod. 271. de Serpente Dæmone contra Protoparentes insurgente, sic scribit. *Inuidorum natura est, pugnare cum aliquo, nullâ de causâ, ex se malitiæ semen seminans: & pugnam tanquam contumeliosam fugit, quæ certâ de causâ accidit [illegible] hoc esse imbecillitatis argumentum.* At quidem licèt nullam iustam causam haberet Dæmon, occasionem tamen habuit non exiguam, vt ibidem paulò ante Leontius fatetur: corruens enim à suâ dignitate cælestis Aulicus, iam solito, humanæ fælicitati primus inuidebat. ideo enim bene D. Chrysost. homil. 22. in Genes. (D. Chrysost.) probaturus dæmonem, ante hominis creationem corruisse, sic subiungit. *Dic mihi, oro, si non ante factum hominem excidit, quomodò in tantâ dignitate manens inuideret homini?* fere eisdem verbis August. (D. August.) tom. 3. lib. 1. cap. 12. *Vnde enim ipse posset inuidere fælicitati humanæ, nisi priùs amisisset beatitudinem propriam?* ac si, per impossibile, iam Deo rebellis, adhuc in suâ fælicitate persistere potuisset; hominibus inuisurus non putetur: vt iam Dæmone peior videatur, qui superior persistens, inferioribus etiam potest inuidere, non solùm causâ, sed occasione etiam denegatâ.

Quid ergo? fortasse res inde oritur, quòd licèt Inuidia, *ab inuidendo* dicatur auctore Tullio, 257. (*Inuidia inspicilla, quā peruersa.*) quòd perspicacissimis oculis vtatur, adnotandis defectibus quos carpat liuida: aliunde, videndis aliorum bonis lippa degat, & inspicillis egeat, hisque illius generis vti soleat, quæ vt alibi ex Seneca (Seneca.) & experientiâ probaui, *formas in portentosam adaugent magnitudinem*, multò maius, quàm reapse fuerit, obiectum exhibentia: vt nanum, in gigantem, muscam in elephantem conuertere putentur. Cùm ergo inuidi Aulici Inferiorum bona, his admotis inspicillis, quandoque videant: quid ni inuideant? cùm illos sibi, ex hac fallaciâ, non solùm æquales, sed etiam superiores reputârint? parum id vt alia inspicilla passim notamus, quæ formas minuunt: sic Aulici eisdem inspicillis, quibus inferiorum res adaugent, suas minuunt: indidem, de animi pusillitate arguendi: neque enim generosos spiritus arguit Inuidia. Creuerat quidem opibus Isaac, sed neque Regi, neque regalis Aulæ Proceribus conferendus, & tamen ita ad illum Abimelech. (*Inuidens aliena bona maiora putat, sua minora.*) *Recede à nobis: quoniam potentior nobis factus es valde*. Genes. 26. v. 16. (Genes. 26.) & vnde potentior, qui abire cogitur, quasi superioris Imperium reformidans? Vnde debilior, qui poterat imperare? Sed quid faceret, prædictis inspicillis vsus, infaustus Rex? & ad animi angustias, augustissimus pridem,

Oleaster. pridem,sic redactus? Meritò ibi Oleaster. *Vides hic quæ mala pariat Inuidia: & qualiter inuidens ferre nequeat alium meliorem, aut ditiorem: hoc enim malum inter cætera, Inuidia habet; vt omnes quos occupat, minimos inter cæteros æstimare se faciat, quam Iob.cap.5. dicebat: Inuidiam paruulum occidisse. Erat Rex iste Abimelech, & tamen tàm pusilli animi fuit, vt seruo inuiderit, & à se expulerit.* Non itaque erat seruus, Rege ditior: sed Rex inuidus, sibi visus pusillus, illum longè ditiorem se æstimans, ferre nequit, vt iam videas, verba illa Iob. *Paruulum,occidit Inuidia.* cap. 6. v. 2. etiam de Proceribus capienda, quos Inuidia,sibimet ipsis, paruulos repræsentat. Iob. 5. v. 2.

158. 1.Reg 19. Centuriones & Chiliarchi, multorum millium agmine constipato 1. Reg. 19. v. 2. Proceres Palæstini procedebant aduersus Israel: qui interim subnotantes, Dauidem profugum apud illos, exiguâ suorum manu circunductum, pariter incedere: sic ad Regem proclamant. *Reuertatur vir, & sedeat in loco, in quo constituisti eum: & non descendat nobiscum in prælium: ne fiat nobis aduersarius, cùm præliari cœperimus, quomodò enim aliter poterit placare Dominum suum, nisi in capitibus nostris?* v. 4. Prætextum quidem non futilem inueniunt, cum tamen, ni temerè præsumo, solâ laborarent inuidiâ. Vnde enim parua manus sic inter tot millia auderet insolescere: vt placando Sauli, tot capita Procerum Philistim, amputanda sibi destinaret? Vnde tot munitissimi Duces timere poterant Dauidem, cum suis paucis, proditorem: vt non solùm rebellare, sed tot capita abscisurus formidetur? Non inanis omnino rebellionis timor fuerit: sed tantam Dauidi tribuere potentiam, tantúmque sibi demere fortitudinis: in picillorum erat prædictorum, quibus vt se pusillos robore, iam Gigantem Dauidem existimabant; fortasse insinuauit id Dauidi, Rex, subdens. *Viuit Dominus, quia rectus es, & bonus in conspectu meo: &c. sed satrapis non places.* v. 6. in Hebræo est, *at in oculis Satraparum tu non es bonus.* Nimirum, vt in fronte superbia, sic in oculis, Inuidia sibi sedem collocauit: inuidis oculis intuebantur hi Aulici Dauidem, ideo dum se degeneri spiritu paruulos, illum alias minorem, iam maximum existimare cogebantur. *Inuidus turpiter formidolosus.*

159. Insurgit in Israelem Pharao: *& ait*, addit Textus, *ad Populum suum: ecce populus filiorum Israel, multus & fortior nobis est: venite sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur, & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis, egrediatur de terra.* Exod. 1. v. 9. non intelligas habitum hoc concilium, cum toto populo, sed cum populi Proceribus, & aulicis Consiliariis: aliàs frustrà adderet *sapienter opprimamus:* vel vt clariùs in hebræo: *Callidè circumueniamus:* quo secretioris consilii arbitria, nec cum plebe garrulâ, tractanda, denotantur, hoc mihi ex contextu ad litteram certissimum. Sed tu mihi pende, non timeri futura multiplicationis incrementa, possent enim: sed iam se potentiorem prædicari: & tamen is erat Ægyptiis comparatus Israel, qui leui nutu quærendis paleis, lateribus construendis paulo post adigeretur: qui pro tubarum clangoribus, solum gementium clamoribus in Cælum sub tantâ oppressione resonuisse scribitur. Vnde ergo Rex infaustissime, Proceres infælices iam formidatis Israelem, quasi non intentata vi, sed quæsita doli calliditate, Exod 1. *Hostes semper potentiores imaginantur.*

solummodò superandum? inuidebant: ideo necessariò degeneres, se pusillos, quantumuis maiores essent: & longè minorem populum, maximum crediderunt. Oleaster ibi. *Hæc est Inuidorum pœna, alios plures & fortiores se semper existimare: vt non nisi paruulos, & pusilli animi, inuidia occidat.* Nimirum vt morbum passi oculi, humoris colore inficiunt obiecta: sic Inuidiæ passio adhærens oculis, eadem commutat, ideo ibidem Dionysius. *Ex passione Inuidiæ, quam contra Hebræos concepit: prosperitas eorumdem videbatur ei maior, quàm fuit.* Oleaster. Dionysius.

Habent insuper hæc Inspicilla, ingenium aliud æque perniciosum, vt ipsum, quem inuidiosè aspiciunt, deprimant & minorent: & ibidem quidquid illi honoris vel obsequij impenditur, in portentosam augeant magnitudinem. Sic vili Christum æstimauit Iudas vt triginta argenteis, haud iniquè, putaret diuendendum. Matth. 26. v. 15. & tamen de vnguento illo, quod Maria quasi sepulturam præsagiens, in Domini obsequium piissimè effudit, exclamarat, *quare hoc vnguentum, non venijt trecentis denarijs, & datum est egenis:* Ioan. 12. v. 5. quàm morbosa passio! triginta vendidit lætus, quem fœmina ipso Iudice, trecentis vnxit. Si tam pretiosus est Mariæ Christus, vt trecentos impendat vnctura: certè si posset, trecentorum millia impenderet, eundem sibi emptura. Quid ergo tam vili vendit Iudas Pharisæis & Sacerdotibus, quasi iusto: quem alij multo redimerent cariori? Scilicet eadem inuidia, quæ Christum in oculis eius minorârat: præstiti obsequij pretium adauxerat; libaui ad rem aliam, hunc locum (in Cant. ni fallor) ex Paulino: dabo hic cumulatum, ergo S. Doctor epist. 4. ita. *Iure à commercio vitæ, mortis contractor excluditur, suo ipsius damnandus iudicio, qui triginta aureis vendidit, quem mulier, vt ipse taxauerat, vnxit trecentis. Sed in hoc peruersus, quòd ipsum vili æstimans Dominum, vnguentum illud quod in salutarem nobis eius sepulturam præmittebatur, carò æstimauit, verè, vt Zabulus, ignarus gratiæ Dei, in qua illi non erat portio, non charitate sed inuidiâ, magno æstimauit pretium mortis eius: quâ nos gratis seruat, qui magno emit, non vendit*, vt iam Iudam dæmonis discipulum, sibi in Magistrum nouerint constituere, quotquot his inspicillis Aulici aduntur. 260. *Inuidus & te minuit, & tua auget.* Matth. 26. Ioan. 12 v. 5. D Paulinus. *Aulici. Iudæ discipuli.*

Longè aliter Aulici generosi, vt nihil hoc vitio habent probrosius, sic Coaulicorum bonis studentes, illorum merita semper maiora reputant, quàm fuerint, semper præmia, minora æstimant, quàm pro condigno: quia illos maioribus cupiunt cumulandos. Coniurârant in Assueri caput bini Proceres: actúmque esset de Regis vitâ, nisi Mardochæus re delatâ, impietati obstans, seruaret Principem, additque textus. *Præcepitque ei Rex, vt in Aula palatij moraretur: datis ei pro delatione muneribus.* Cap. 12. v. 5. expressior Vatab. *Iussit Rex eum fungi munere aulico: & donis eû ornauit.* At ecce longum post tẽpus insomnis fortè Assuerus, captando vt puto somno, iubet sibi afferri rerum suarum Annales: paucis à cubiculario lectis; ad delationem Mardochæi deuenitur: miratúsque Princeps rei tantæ pondus: *quid inquit, pro hac fide, honoris ac præmij Mardochæus consecutus est?* cap. 6. v. 3. nunc pende quid subdatur. *Dixeruntque ei serui eius, ac ministri, nihil omnino mercedis accepit.* v. 4. quod sic 261. *Aulici, generosi, quàm supra inuidiam socijs applaudunt.* Esth. 12. v. 5. Vatab. cap. 6. v. 3.

Vatab. explicat Vatab. in notis. *Non factum est cum eo quidquam, nihil prorsus honoris à Rege accedit, neque mercedis.* At nihil ne Aulicum illud munus, ornantia dona, generosis Aulicis pro nihilo habeantur: quibus vtique non inuidis, sed amicis, Coaulicis sui fides, & meritum ita visum est grande, vt etiam grande præmium decresceret, & illi, impensè, maximum, quod postea est subsecutum, peroptarent. Dionysius ibi. *His videtur obuiare quod infrà scriptum est, cap. 12. ad quod responderi potest quod munera illa respectu beneficij tantoque Regi exhibiti, modica erant, & quasi nullius momenti, ideo nihil recepisse asseritur.* Textûs series, quam suppono, fusius alibi ad litteram, comprobatur, pergo in re motum.

Dyonis.

262. Nusquam alibi gloriosius, regiæ suæ Maiestatis potentiam exhibuit Christus: quàm dum transfiguratus in monte, niuem tabidam, & infuscatum Solem superauit. Posset, si more nostro, historiographus Matthæus scriberet, tres discipulos confusè, nec expressis nominibus, in huius gloriæ participationem assumptos enarrare: sed quàm aliter: *Assumit Iesus Petrum, Iacobum, & Ioannem, &c. & ducit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos.* cap. 17. v. 1. Est hæc apud Principes eximij amoris nota insignior, è multis paucos, in priuata quædam vel gloriæ, vel arcanorum, sibi seligere; quid ergo non timet Matthæus Apostolus & Euangelista, si his, scripto suo, postpositus legatur? generosum cælestis Aulæ Aulicum agebat: tantúmque abfuit, vt inuideret? quin potiùs illorum gloriam, emblemate publicæ, quam addere potuit, notitiæ voluit cumulandam. D. Chrysost. ibi in Cat. Ideo hos tres assumpsit, quia aliis potiores erant. *Intende autem qualiter Matthæus non occultat eos, qui sibi propositi sunt.* occultare quidem, si inuideret: at quidem Coaulicorum generositas hinc maximè deprehenditur, quòd alter in altero emolumenta diligit: alterius alter præmiis gratulatur. Hugo Card. ibidem. *Non fuit inuidus Matthæus, qui sibi scripsit istos prælatos: quilibet enim inter illos, alterius gloriam diligebat.*

Ioan. 17.

Aulicus generosus socio libenter cedit.

D. Chrysost.

Hugo Card.

263. Vidisti qualem erga Petrum & alios, se gesserit Matthæus: vide iam, qualem erga & Eliam & Moysem, se gerat Petrus. Apparuerant hi, cum Christo in gloriâ, illius radiis circumuestiti, & vt ait Lucas 9. v. 31. *Visi in maiestate*, tunc sic Matthæus. *Respondens autem Petrus dixit ad Iesum: Domine bonum est nos hic esse: si vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Eliæ vnum.* cap. 17. v. 4. Sed cur, respondere dicitur Petrus, qui à nemine interrogatur? quia non tam verbo respondit, quàm aspectui, qui illum, ad responsionem cogere videbatur: nec tam aspectus gloriæ, quàm discedentium Moysis & Eliæ. Lucas apertè: *& factum est cum discederent ab illo: dixit Petrus; Præceptor, bonum est, &c.* v. 33. Vidit illos ad discedendum iam iam paratos, putauitque tacitam illam esse interrogationem, vt quid sentiret, interim responderet. Erant noui Discipuli, & recentioris Aulæ Proceres, pannosi adhuc, vtpote mortali, dissimulatóque adhuc Principi, adhærentes: cum è contra iam alij, veteris Aulæ Proceres, purpurati, radiarent, non solùm familiariùs, sed & comptiùs communi Domino coniuncti. Poterant igitur nobis id lecturis, humanum aliquid passi, & aulicâ commorsi inuidiâ (necdum enim spiritu roborati) reputari. At Petrus, ore omnium, parato discessui respondet generosè: quasi dicat, tantùm abesse, vt participatæ coaulicorum veterum gloriæ inuiderent, aut præsentiam suspectam sibi haberent: quin potiùs discessuros retinerent, & quam poterant durationis fœlicitatem illis procurarent: hanc quidem sibi, quasi pro bono proprio habituri, bene ibi Caietanus. *Respondet Petrus, non loquenti secum: sed discessui Moysis & Eliæ cùm enim Moyses & Elias discedere vellent, vt ex Luca patet, Petrus obuiare volens discessui, & sistere illos cupiens ibi cum Iesu: dixit, bonum est nos hic esse: Si vis, &c.* Caietan.

Lucas cap. 9. v. 31.

Matth. 17.

Quæ sit Aulicorum indoles generosa.

Sed neque minus Moyses atque Elias, erga Coaulicos alios generosi. expende sodes, non illis discessum à Christo dici imperatum, imò ab illis videri sollicitatum: *cùm discederent*, inquit Lucas; id est, Auctore Caietano, *cùm vellent discedere.* Nihil pretiosius Aulicis, quàm Principis sui lateri inhærere, aspectu frui, vti familiaritate: sordent præ hoc, omnes quantumuis supremæ dignitates: quæuis Præfecturæ, carissimo, absentiæ suspicionibus venduntur; præsens quippe benigni Principis fauor, amica colloquia, nullo alio honore satis compensantur. Cur ergo? aut quò disceditis Aulici gloriosi? respondet ibi Origenes Homil. 3. *Moyses & Elias visi in gloriâ, & locuti cum Iesu abierunt, vnde & venerant forsitan tradituri sermonem, quem locutus fuerat eis Iesus, eis qui non dum fuerant prodificati ab eo.* pro quanta fidelis animi generositas? quàm nulla inuidiæ labes! imo quam mira beneuolentiæ comitas! desipiebat illis, si fas est dicere, eximij huius beneficij gustus, dummodo Coaulicis suis non propinaretur. Properat remeare in limbum Moyses, Elias in Paradisum: hic socium Enoch, ille detentas animas, proximæ redemptionis nuntio exhilaraturi: malúntque sibi gaudium Dominicæ præsentiæ, quàm sociis, tantæ fælicitatis consortium, inuidere. 264.

Caiet.

Aulicorum generositas in communicandis bonis.

Origenes.

V.

Fraudes Aulicorum præposteræ, sub specie laudis: quæ sint probis cauendæ.

Ab hac inuidia, tot in Aulâ fraudes dolemus exortas: prætereo communes, quæ, proh dolor, vt quemuis lædunt, sic neminem latent: plorant Aulici omnes, quòd nullus euitare potest dummodò in illâ, quasi fraudum officinâ perseueret: tantummodò præposterum quoddam illarum genus alienâ & peruersâ quadam viâ gradiens, reuelabo, de quo D. Zeno Veron. Ser: de Inuidia, post multa de inuidi cruciatu. *Hoc tantummodò ad languoris sui remedium ducit, si eum qui paulo ante clarus, & beatus habebatur, infælicem videat, & deiectum: tunc iam amicus efficitur, tunc & fletus suos sociat, tunc & lachrymas mutuatur, cùm eum cui inuidebat, flentem viderit, & lugentem: & gaudere quidem cum gaudente non pertulit: nunc verò, gaudio flet, cum flente. Non enim humanitatis causâ, tanquam communis casus mortalium miseratur: nec abstergit animo, prioris vitij maculam sed, vt grauiori lapsu, sensum doloris infligat.* 265.

D. Zeno.

Laudes præposteræ, famam lancinant.

gat. Si fortè accidat filij orbitas: tunc amplius in defunctis laudibus commoratur, & mille praeconiis magnificat puerum, vt vultu decorus, & acer ingenio, & vt ad omnia aptus & commodus: & laudat ipse defunctum, cuius viuentis laudem, ne ab alio quidem prolatam ferebat audire. Sed in hoc ipso cùm laudat, si videat alios, vel similia, vel etiam praestantiora sentire: continuò conuersus, morbum demonstrabit inuidiae. Hæc ergo sæuissima machinatio, augendi dolorem, per laudes, in consimiles causas debacchans, nihil intactum præterit, nil non euertit & præpostero tenore, sub mollis blandimenti specie omnia demolitur, quòd si alicubi tam insolens fraudis conditio inolescit: certe in Aulâ, iam à priscis sæculis, quasi in proprio domicilio commorans, deploratur. Polybius lib. 4. Hist. *Nouus modus calumniae inuentus est, non vituperando, sed laudando, famae ac commodis hominum insidiari. quod vitium in Aulis Principum ortum, vsque adeo inoleuit: vt ea loca, tanquam proprias sedes, sibi elegisse videatur*, Nam equidem insidiæ sunt & occultissimæ: quibus, qui, aperto Marte, vix possint, penitus atque facilè debellantur.

Aulici laudant æmulos, vt necent.

266. Reuocandum huc necessariò, quod suprà num. 240. de Doech, Dauidem captiosè laudante memorauimus: sed rei præsenti, quod ibi spopondi, vlterius cumulandum, è rusticâ, sed pacatissimâ vitâ, hominem in Aulæ pericula auocandum, satagit inimicus: repeto fraudulentas eius laudes. *Ecce vidi filium Isai Bethlehemitem, scientem psallere, & fortissimum robore, & virum bellicosum, & prudentem in verbis, & virum pulchrum: & Dominus est cum eo.* 1. Reg. 16 v 18. Hieronymo supra citato, addo Lyranum ibi. *Dixit hoc ex odio, quia iam Dauid odiebat: & sic quærebat, vt staret in præsentia Saulis, cum à Dæmone affligeretur: & sic à Saule, vel à dæmone ipsum agitante, occideretur. & ideo ipsum commendauit, non ad bonum ipsi Dauid.* Sed in hac laudatoriâ fraude, adhuc laus alia longè fraudulentior. fraus noua longè nocentior. Vera sunt quæ de musicâ, pulchritudine, & diuinâ amicitiâ Dauidis, prædicârat, sed vnde *bellicosus* id est bello non solùm aptus, sed etiam assuetus commendetur: qui puer pene, fortasse neque castra vnquam inspexerat: cùm etiam multò post cum Gigante decertaturus, tanquam puer, & imbellis, à Saule sperneretur? mentitur sanè Doech hanc laudis partem: vtque bene affectus animus, honoribus amico aucupandis, fere semper amici laudes exaggerat, quandoque fingit: sic peruicax inuidi Aulici spiritus non contentus veras laudes in odium armare, falsas cumulat, infallibilius scopum intenti damni percussurus. Lyranus. *In dicta commendatione aliquid addidit, quod non videtur verum, dicens: & virum bellicosum: quia adhuc erat iuuenis, &c. Sic enim faciunt homines malitiosi, commendando illos, quos odiunt, vt in aliquo casu, illos confundant*, pulchrè dictum, per veras laudes, Aulæ, Saulisque pericula Dauidi adornabat: per illas, quas fictas addebat, id efficeret, vt dum creditur à Rege bellicosus, quandoque arduo belli negotio addiceretur, vbi imperitus, vel neci, vel infamiæ subiectus, confunderetur. Sic non rarò fictis Aulicorum laudibus, horum æmuli, id muneris consequuntur, cui omninò inepti, vt re malè gestâ, confundantur puniantur: & alijs etiam officiis, quibus aptissimi forent,

1. Reg. 16.

Lyranus.

Immedica laus æmuli. ad euertendum.

Lyranus.

habeantur inhabiles.

267. Sed ecce fraus alia æquè perniciosa. Detulerat impius vitulorum Sacerdos Amasias, sanctissimum Prophetam Amos: & apud Idololatram Ieroboam Regem, sæuissimæ rebellionis illum insimulans, nihil non mali fuerat machinatus. Amos. 7. v. 10. & addit paulò post textus. *Dixit Amasias ad Amos, qui vides gradere, fuge in terram Iuda, & comede ibi panem, & prophetabis ibi & in Bethel, non adijcies vltrà, vt prophetes: quia sanctificatio Regis est, & domus regni est*, v. 12. Nihil magis ab amico animo probatum, videri poterat; vocat honorificentissimo vocabulo, videntem, *qui vides*: quâ voce verus Prophetiæ spiritus colebatur; suggerit, quam pacificè apud Regem Iuda, veri cultorem numinis, posset degere: quot esset in Bethel pericula incursurus, vitulorum adoratione reprehensâ: cùm tamen Idololatræ Principi sanctissima, imò ipsa sanctificatio putaretur, quid hîc non verè, non amicè dictum apparet? & tamen fraudulentius nihil dici poterat: nihil Aulæ repræsentandis dolis accommodatius. attende sis. Inuidiæ maleuolentiæque feruore primo, delationem arripit, & calumniam, nullum tunc potentius telum imaginatus: at paulò post recogitans, aduertit si ad Regem Propheta adducatur, fortasse propheticis minis, miraculis exhibitis molliendum, furore, in reuerentiam commutato, ergo ordinariâ calumniæ viâ relictâ, fraudis tutiorem eligit: & vt Prophetam Regi, iam Regem Prophetæ ipsi prædicat perditissimum: Regi Prophetam, religionis euersorem denuntiarât, populi pestem: Prophetæ Regem & populum sic denuntiat superstitiosum, vt totam in vitulis ponerent sanctificationem: & omnia sub titulo honoris, sub consilij specie sic conuoluit: vt ni *videns*, id est verus Propheta, esset Amos: haud dubiè in hoc Aulæ labyrintho cæcutiret. Ruffinus pius ibi. *Cùm ad Ieroboam Regem, quibus aduersus Dei Prophetam succendi posset, mandata misisset: non contentus finem excitati quasi certaminis præstolari: sed vt quocunque modò, vir sanctus fugaretur exoptans, ad ipsum consiliator accessit. metuens credo, ne reuerentiâ Prophetæ, etiam Regis indignatio frænaretur: per se ipsum tentauit eum expellere, & cum honore compellans: qui vides, abi, &c.*

Amos. 7.

& v. 12.

Quam soleant fraudulenta zizania Aulici seminare.

Ruffinus.

268. Quomodò igitur, tam cæcus, bonis Aulicis, vitandus labyrinthus: pulchrè vnus Baptista demonstrauit, qui Theseus melior, filum ad inuenit. Aggrediuntur hunc Solymitani Aulici, blandimentis fallacibus, ad dignitatem Messiæ, priuato suo bono allecturi: id est virtutibus cunctis spoliaturi: id ergo succinctè præmittunt. *Tu quis es?* Ioan. 1. v. 19. Tunc Baptista. *Non sum ego Christus.* v. 20. Non visa interrogationi responsio consentire: quid enim respondet se non esse Christum: qui tamen, an Christus fuerit, non interrogetur? multò aptiùs se Zachariæ filium videbatur testaturus: cur id tacet, quod quæritur: non, interim quæsito, responsurus? nouit animos in fraudulentas laudes iam paratos, cæcum paulo post labyrinthum contexturas: salutare sibi vnicè putauit, filum, si impij commertij tramam, si inepti sermonis filium disrumperet, fallaciam laudationis fictæ anteuertens: & meliorem illis mentem iniecturus. Theophylactus ibi. *vide quàm sinistra sit illorum mens: non interrogant*

Iusti Aulici, vnde Aulæ fraudes possint euitare.

Ioan. 1.

Theophyl.

rogans eum statim: tunc es Christus? sed: tu quis es? verum ille cognitâ eorum malignitate, non dicit quis sit, sed confitetur, non sum Christus, ad scopum utique illorum respiciens, & vndecunque eos ad credendum alliciens. Aulicos instituens, præposterum Coaulicorum nocendi genus istud, solum aut euitato, aut interrupto commercio euitandum. Quod si faceret, non periret miser ille Aulicus, quem æmulus apud Amianum Marcel. lib. 2. perdidisse legitur, qui, *Per ficta benignitatis illecebras impugnabat Collegam, & virum fortem propalam sæpe appellans, ad innectendas lethales insidias vitæ simplici: perquam callens, & eâ tempestate nimium potens.*

Aulicorum perditorum commercium vitandum.

Amian. Mar.

269. At nec speres vt tandem caueas, semel saltem à fraudulento decipi Coaulico: stultus fueris, si alieno capite, primum etiam periculum non vitaueris. Ideo Homerus Iliad. 1.

Seu'ritia est, in alieno capite non præcauere. Homerus.

Obuius ire caueto, prius quàm
Mali aliquid accipias: factam viam nouit etiam insipiens,

In tanta fraudatricis aulæ notitiâ, tot iam olim decipientis, etiam insipiens sibi cauet: ipsâ ergo insipientiâ insipientior, qui ibi iam se patitur decipiendum: veruntamen cùm non pauci, inquis, ex Aulicis probi fuerint, quibus cùm vtiliter & necessariò est agendum: cùmque aliunde, alij nequiores, vulpinos mores, sub ouina pelle abscondant: quid iam fecerim? scopulus est iste ineuitabilis: & his improbis, sic se probè dissimulantibus, saltem semel non cedere, vix datur: bis tamen eodem impingere, ni stultissimus fueris præcauebis. bene D. Gregor. Nazianz. Epist. ad Bosphor. *Bis ad eundem lapidem impingere, solis stultis tribuit parœmia.* ita est. Raptam sibi benedictionem dolens Esau, postquam fratrem *fraudulenter* irrepsisse nouit Genes. 27. v. 35. exclamat illicò: *Iustè vocatum est nomen eius Iacob* (id est supplantator) *supplantauit enim me, en alterâ vice; Primogenita mea ante tulit, & nunc secundò surripuit benedictionem meam.* v. 36. & cur non præcauisti miser? quid multò ante, de primâ (quam falsò putas) fraude, Patrem non præmonuisti, vt attentior benedictioni dandæ attenderet? quid faceret stultissimus? rectiùs diceret: *Iustè vocatum est nomen meum Esau,* (id est imprudens) *supplantator enim ab illo en alterâ vice.* Sequor etymologiam Philonis, qui lib. de Abel. & Cain: ait: *Esau, cui nomen est imprudentia.* Sed præstat audire Guillelmum Hamerum ad hunc locum, vbi ità. *Quis hic non videat insignem Esau stoliditatem, qui insanâ lentis ingluuie victus, Primogenitorum ius fratri volens concesserat: nunc se deceptum vt dicat: atque id secundò factum falsò criminatur, sed quò sæpiùs deceptum se fatetur: hôc grauioris stultitiæ se se reum agit.* Qui ergo probus, assuetis iam de moribus Aulæ, non sibi præcauet: saltem ab eodem supplantari secundâ vice non sustineat: ni fortè stultis cupiat ad numerari.

Sed extrema stultitia, bis decipi.

Genes. 27.

Philo Iud.

Guil. Hamer.

VI.

Aula mendaciis connutrita: vnde aut penitus obsurdescit: aut segnior assurgit veritati.

His fraudibus connectendis, quot subrepunt mendacia? mirum dictu, vix aliquid in Aulâ verum sonat: hinc simulatione, hinc dissimulatione fucantur omnia: nec nisi bracteatum venenum verbagerunt. Sed mihi magis mirum, vt qui sub impiâ illâ *Duelli* (quod vocant) lege collocati, Mendaces appellari summum dedecus putant, extremam contumeliam; solo palmæ, vel fustis ictu expiandam: hi aliunde, tam crebrò mentiri inuicem non erubescant: & connutriti mendaciis, veritatem quam oderunt, sic defendant: nisi fortè id fecerint, vt eo ipso, non solùm verbis, sed etiam operibus mentiantur, fingentes despuere se mendacium, quod auidi passim absorbent: æstimare verum, quod vbique conculcant. Et cùm hoc verissimum iuxta sit, & apertissimum; si illos hinc coarguas, nec capiunt, nec intelligunt: sed vel ad facetias prouocant, vel erumpunt in blasphemias. Fusius nusquam disseruerat Christus de veritate, quam cap. 8. Ioan. deinde post multa sic subiungit, postquam Iudæos, parentis Dæmonis verbis fallacibus arguit inhærentes. *Ego autem, quia veritatem dico vobis, non creditis mihi: quis ex vobis arguet me de peccato? si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* v. 45. ideo sibi non creditum ait, *quia veritatem* dicebat his, qui solummodò mendacio assentiebant: inde inexcusabiliores, quòd Doctorem tantum, non arguere, nedum conuincere possent de peccato, vnde tamen sic facta hebetudo, vel pertinacia? esto enim obstinati vitiis, veritati respuerent obedire, cur tamen apertissimâ in luce cæcutirent? cur non solùm amorem, sed etiam fidem, manifesto mendacio adhiberent? respondet Hugo Cardin. ibi. *Non credunt, quia nutriti sunt in mendaciis, vnde sicut rusticus libentius comedit fabas, quàm gallinas: sic ipsi audiunt libentius mendacium, quam veritatem. Iudæi numer. 11. repudiabant Mana dulcissimum cibum, quia nutriti erant de alliis Ægypti.* Habes expressos Aulicos: ideò veritas, & inculcata sæpius illis desipit: quia semper mendaciis connutriti: ideò falsissima Duelli sui præcepta, conseruando honori, credunt legitima: quia soli mendacio assuescunt. quid ni ergo Christiani honoris veritatem respuens vbique Aula indidem mendacissima comprobetur?

270.

Aula mendaciis perplexa mendacorum tenor.

Ioan. 8.

Hugo Card.

Aulicis mendacio connutritis, desipit veritas.

Hinc igitur ploranda potiùs, quàm miranda, Aulicorum sententiarum iniquitas in iudicio: neque enim, (vt Inuidiæ suæ prædictæ seruiat) sic assueta Aula mendaciis, verum aliquid potis est discernere: imo, quod nunquam vera iudicia emittat, dum praua perseuerat: meris merito, Inuidiæ suæ mendaciis præsumitur inuoluta. Pergit Christus confundens Iudæos: qui respondent. *Nonne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & Dæmonium habes?* ibidem, v. 48. Quid stultius poterat iudicari? Dæmon, vt paulò ante dixerat Dominus, Pater est mendacij: Samaritanus,

tanus, id temporis hæreticus: primogenitus erat Dæmonis, mendacissimus: Vnde ergo tam manifesta Christi veritas, (ab iis qui & Dæmonem & Samaritanum, ex lege probè noscere se iactabāt) mendacio poterat deputari: nisi quia iam liuore obcæcati, sic mendaciis semper inuoluebantur, vt iam verum discernere non possent: qui solùm falsa pro veris reputarent? D. Chrysol. serm. 131. ad id quod paulò post addiderunt, *Dæmonium habes*, sic scribit. *O qualiter oculos claudit liuor! quantùm iudicium cordis, nequitia præiudicata confundit! quam dure amputat obstinatio rationem! sensus humanus peruersus audire non potest, quod semel statuit odisse. Malis, bonitas exosa: Iustitia, iniustis inimica. Hinc est quòd homines mendaces, cognoscere nequeunt veritatem: iudex animus inuenire verum non potest, inter nutia falsitatum, quod vult, non quod est audit semper, qui decreuit errare.* Iactant se Christiani Aulici de lege Christi agnitâ, quam tamen Duelli sui legibus postponentes, ita respuunt, vt quasi sit falsissima, conculcent: scilicet mendaces homines, quidquid præsumant, nequeunt cognoscere veritatem: dúmque decernunt semper in legibus illis persistere & errare: non quod est, sed quod volunt audiunt, & verò semper obductis pessulis obsurdescunt.

Paridea, veritatem vesciit agnoscere.

D. Chrysol.

272. Sed iam proximiùs, non aliorum exemplis, sed propriis Aulicorum rem ostendamus. Prætereo in hâc re, vt optimum, sic etiam apertissimum, illud Ioannis apud quem in Pilati Aulâ, dicente Christo, in reddendum veritati testimonium aduenisse: additur statim. *Dixit ei Pilatus: quid est veritas? & cùm hoc dixisset, iterum exiuit ad Iudæos.* cap. 18. v. 38. quasi enim aliquid rarum & inauditum, ipsum *veritatis* vocabulum, habebat homo Aulicus: nec deinde quæsiti responsionem sustinet sperare: vel quia obsurdescere iam decreuerat: vel quia Aulæ honori voluit consulendum: quem Aulici (nefas) veritatis expositione putant profanatum. Vide sacros Interpretes. Insanierat in vitulorum cultum impiissimum, totus Israel: tunc Amos districtis propheticis minis, vanitatem Idoli, assertor veritatis, confutat apertissimè: cúmque veritas suppressa diu, iam pene caput erigere videretur: aut saltem erectura, videri posset: subiungit Textus. *Misit Amasias Sacerdos Bethel, ad Ieroboam Regē Israel, dicens: rebellauit contra te Amos, in medio domûs Israel: non poterit terra sustinere vniuersos sermones eius.* Am. 7. v. 10. nullus, nisi Amasias, Regem monet: quia vt habet hîc Vatablus, non vtcunque Sacerdos, sed *primus Sacerdos*: id est Princeps Sacerdotum à Rege erat constitutus: purus scilicet & putus Aulicus, & proinde de solito infensus veritati: cuius ponderi iam iam succubituram Prouinciam fæliciter, turpiter dolebat. Ruffinus pius, ibi post multa. *Ex dictis consequenter aduertimus, quòd etiam in nostrorum temporum negotijs experimur, quia pars gentis humilior, id est quique populares, quò minùs habebant de nobilitate superbia, hoc etiam Prophetarum dictis faciliùs mouebantur: Sacerdotes verò & optimates, cùm Regis vitijs consenderent, respuebant & criminabantur, & si liceret interficiebant salutares Magistros.* Lætaremur certè piissimâ olim Angliâ, (iam nunc nouâ Samariâ) breui restitutâ: nisi Aulici, qui venusti imo venerei illius Papatus primi Sacerdotes sunt atque

Veritas in Aulâ sonare nescit. Ioan. 1. 8.

Amos. 7. 10.

Vatab.

Ruffin. pius. Aulici Proceres oderunt veritatem.

Pontifices, veritatem non sic haberent exosam: vt ne pia plebs omnino reducatur, salutares Magistros contrucidenr, de rebellione in Regem insimulantes. Sic quae ibi Aulicos optimates, iam Pontifices: tot poteris Amasias numerare. & vnde nisi ab Aulâ mendacissimâ, atrox in veritatem odium desæuiret? sed attendant.

Mittat Baptista, quosdam ex Discipulis suis: vt ex verbis & operibus illum agnoscerent: laxat Christus misericordiæ fluenta, bona cælestia coram illis partitur: deinde subdit: *Euntes renuntiate Ioanni quæ audistis, & vidistis: Cæci vident, &c. Pauperes euangelizantur.* Matth. 11. v. 5. Pende hæc vltima verba, vbi post alia signa, quasi cæteris potiùs, hoc veri Messiatûs signum tandem proponitur, quòd Pauperibus Euangelium annuntietur, & cur ita? respondet Caietanus. *Significatur per hoc differentia inter mundanum, & cælestε Regnum, &c. quia mundana bona communia, annuntiantur Magnatibus, & diuitibus Mundi, & per illos deriuantur ad reliquos ac pauperes: cælestia autem bona communia toti generi humano, annuntiantur Pauperibus piscatoribus, & alijs huiusmodi sequacibus Iesu, & per illos deriuantur ad alios etiam Mundi Principes. Inter alia ergo admiranda Iesu Christi opera, connumeratur contrarius ordo, ad ordinem mundanum, circa annuntiationem regni Cælorum.* Et quidem rectissimus ordo: sic enim veritati audiendæ, Aula regia mendaciis assueta, solet obsurdescere, vt si quandoque eò sit penetratura, quasi per se, (ipsius culpâ Aulæ,) sit inefficax, priùs totius populi vocibus, quasi sonoris tubis veniat prædicanda. Duo ergo, Aulæ Anglicæ Proceres, (quorum vt hæresim abominor, sic salutem ardenter concupisco) hinc velim adnotarent. Primum, frustra Iesuitas hinc proscindere: quòd simplicem plebem, quòd inscios adolescentes, quòd Nobiles, si quando, sed à Regis gratiâ alienos, & à Curiâ quasi extorres: priscæ & veræ Religioni satagant allicere: hinc *seductores* (sic Christus à Pharisæis, & in solatium nostrum, auctore Augustino) passim appellitamur, & quidem immeritò: Euangelium enim Christi, priùs quidem Pauperibus euangelizatur: vtinam plebem omnem ita seduceremus; vt tot oribus robustior veritas Aulam penetraret. Secundum: necessariò reddi suspectum nouum istud Angliæ Euangelium, dum veri Euangelij charactere destituitur. Euangelium Christi priùs quidem pauperibus reuelatur, in his exoritur, inde postea ad Principes deriuatur, quale ergo est Euangelium illud, quod priùs Henrico Regi reuelatur, & deinde misero populo obtruditur? certè quale è sinu purpuratæ Meretricis ab impudicis Bolenæ vberibus, ab Aulâ mendacissimo semper spiritu afflatâ, debuit exoriri; quid ergo mirum in dies obdurata mendacio, obsurdescat veritati. Redeo, ni, potiùs, quæ addidi de aula Anglica, apertissimum dixeris esse, propositæ thesis nostræ, argumentum.

273.

Matth. 11. 5.

Caiet. Politica Iesu Regum Politica contraria.

Obsur descētes Principes veritati.

274. Obsurdescit ergo semper Aula veritati: aut si quandoque fœlix audiendæ, non nisi longè populo tardior assurgit; cape & tarditatis huius exemplum aliud. Restituerat Christus Dominus oculos cæco nato. Ioan. 9. & ecce inter vicinos, miraculi veritati applaudendæ fit dissensio: *Alij dicebant, quia hic est: Alij autem, nequaquam, sed similis est ei.* v. 8. adducto tandem eodem ad Pharisæos,

Aut nunquā aut sero, veritati Aula assuescit. Ioan. 9 v. 8.

risæos, examinatur veritas miraculi: & iterum inter illos, noua dissensio. *Dicebant ergo quidam ex Pharisæis, non est hic homo à Deo, qui Sabbatum non custodit. Alij autem dicebant: quomodò potest homo peccator hæc signa facere? & schisma*
& v. 16. *erat*, v. 16. Pia hæc erat dissensio, ab incredulis, schisma sanctum. Cur tamen priùs res tanta, vicinis patet, quàm Pharisæis: cùm è Natatoria Siloë, vbi miraculum fuerat consummatum, reuersus cæcus, vt credere est exultans, & annuntians, facilè obuiis Pharisæis, tam sedulò Christi opera scrutantibus, posset innotescere? illi plebei erant, hi verò Principes: quorum cùm aliqui credituri erant, vix poterat ad eos veritas, nisi iam debuccinata à populo, penetrare: semper enim Aulici, huiusmodi negotio, vtpote connu-
Theophyl. triti mendaciis, segniores. Theophylactus ibi. *Annota autem & hoc: quòd Principes, segniores quàm turba, sunt in bono: nam turba quidem prius diuisa erat in sententiis; & non omnes dura loquebantur propter Christum: Principes verò posterius ad hanc laudabilem dissensionem venerunt.*

VII.

Mendacium infame: proditionis suspectum: quàm sit probis Aulicis fugiendum.

275. *Mendacium, ab inuidia ortum.* ORitur, vt dixi, mendacium aulicum, ab aulicâ inuidiâ: quod insuper confirmat frater ille, qui dolens, in Dynastæ Patris aulâ oppiparum venienti Prodigo conuiuium apparari: exclamat ad Patrem: *Ecce tot annis tibi seruio, &*
Luc. 15. 29. *nunquam dedisti mihi hædum, &c.* Luc. 15. v. 29. qui enim poterant verè ista dici, cùm non solùm petenti supra Prodigo, sed huic etiam Pater hæreditatem totam diuisisset? diuisit illis substan-
D. Chrysol. tiam. v. 12. sed respondet oculatissimus ibi Chrysol. serm. 4. *Hædum sibi datum negat, qui substantiæ partem totam, tempore diuisionis accepit: tunc enim cùm frater iunior dari sibi substantiæ peteret portionem: Pater ambobus totum fratribus mox diuisit, Euangelista dicente: & diuisit illis substantiam. Sed inuidus simulat semper, mentitur inuidus semper.* Igitur Aulicus meus probus, quem longè ab inuidiâ remotum supra commendaui:
Mendacium rubor, infamis. longissimè à mendacio distet, necesse est: nec verbo tenus, vt impii *Duelli* professores; sed re ipsâ diligat veritatem: non tàm grande dedecus reputans vocari, quàm esse mendacem: cùm reuerà nullum vitium, (esto fuerint alia atrociora) ingenuæ Indoli, ruborem soleat intentiùs commouere: nullum despicabilius denotari.

276. Pœnas à sacrilego populo postulatas expo-
Ioel 1. v. 10. nens Ioel; post multa sic habet. *Depopulata est regio, luxit humus, quoniam deuastatum est triticum, confusum est vinum, elanguit oleum.* cap. 1. v. 10. & paulo post. *Vinea confusa est, & ficus elanguit.* v. 12. quod expressiùs de tritici, & olei, sic. vtique vastatione dicitur: id occultè per confusionem, de vino explicatur: vt omnes fatentur Interpretes. vnde tamen deducatur metaphora si noscatur: pulchrâ rei præsenti gnome apparebit. attêde sis. Vt credita agris semina, solemus dicere: sic, ni solitâ vbertate respondeant, mendaces agros solemus appellare. Plantis etiam speratum fructum denegantibus, idem mendacii vitium solitum attribui: sic illud: *Mentietur opus oliuæ & arua non afferent cibum*, Habac. 3. v. 17. apud Habac. 3. v. 17.
Profanos, exempla passim obuia; fac ergo vitem protuberâsse in gemmas, pampinos emisisse, floruisse abundantibus racemis: & omphacas iam penè colorâsse: nonne vberrimos fructus diceres tunc promittere? planè, at si subitò aresceret ad maturitatem fructus non deducens; quis hanc vitem, mendacem non infamaret? nullus. Talem *De mendacio, etiam insensibilia confunduntur.*
ergo vineam ponit ibi Propheta; sed emphasi longè maiore: coacta enim post promissam iam vindemiam, arescere à Deo; vt inde ab hominibus mendax notari posset: sic quodammodo dicitur erubescere, vt confusionem pati videatur. Mentior, nisi id apertissimè voluit hic Ruffinus Ruffin pius
pius, qui ita. *Non tristi huic populatui, frumentum messor eripuit. Non fertilitatem suam vitis, quà grauata consisterat, ad dulcia musta perduxit: sed tantâ cultores frustratione decepit: vt mendacium suum videatur erubescere.* Quid ergo ingenuus Aulicus vitium non despuat cuius præsumptionem, vel etiam insensibilis vitis dicitur erubescere confusa? aut cui non erit despectui, si hac fœdatus labe præsumatur?

Miserat Patriarcha Iudas, hœdum promissum 277.
Nurui, quam crediderat meretricem: & qui leuis fuerat turpitudini, noluit fraudato pretio leuis existimari. Redeunti igitur seruo, nec inuentam nuncianti: ait. *Habeat sibi*: id est, sibi imputet: *certè mendacij arguere nos non potest*. Genes. 38. v. 23. Genes. 38.
Vatab. vertit. *Sibi seruet: ne & nos pudefiamus*, Vatab.
quasi necessariò pudore suffundêdus, si vel à Meretrice, mendacij posset argui: & qui scortationi frontem posuerat, mendacio frontẽ atterere non durâret: aliter apud Lyranum vertunt alij ex Hebræo. *Habeat sibi, vt non simus despectui*, qui enim, licèt temerè, despiciendum se non credidit, esto Meretrix, de tanto viro prostrato se iactaret: timuit se despectui habendum, si mendax ab eâdem proderetur. Stupefactus diuinâ increpatione Abimelech, raptam non ita pridem Saram, marito tradidit, questus meritò, quòd ab illo deciperetur: dum quam habebat vxorem, sororem appellâsset. Abraham, *Mendacio cognatus pudor, & despectus. Nobilis Aulicus, quam debeat à se mendacij suspitionem auertere.*
prætexto prudente timore, addit insuper. *Alias* Genes. 20.
autem & verè soror mea est, filia Patris mei, & non filia Matris meæ, & duxi eam in vxorem Genes. 20. v. 12. Satis nouerat Abraham, à Deo increpatum iam Regem, nihil illi vltrà damni additurum, licèt solo timore se excusaret: voluit tamen veritatis suæ rationes in tuto collocare: ne consueto Aulæ contagio, id est mendaciorum morbo infectus putaretur, & quidem, si quod est vitium, à quo citra humilitatis iacturam, pacatè se debeant excusare Iusti, mendacium est, vnde bene hîc Oleaster. *Tenentur viri sancti de se rationem* Oleaster.
reddere: & maximè, quod non sunt mendaces, certè quamuis non semper teneantur: imò quandoque taceant laudabilius: in re tamen mendacij, & maximè ad Aulicorum adstantium exemplum: nihil humilitatis violauit Sanctissimus Patriarcha se expurgans.

Mittitur Ionas à Deo, Niniuitis euersionem 278.
prædicaturus: cap. 1. v. 1. allegârat ille multa co- Ionas 4. 2.
ràm Domino, vt pœnitentiam potiùs, quàm vrbis euersionem intonaret: prouidens prudenter diuinam more solito clementiam inflectendam: vt habes cap. 4. v. 2. Persistit tamen diuinum imperium, euersionem vnicè prædicandam, illis scilicet verbis,

verbis, quæ habentur cap. 3. v. 4. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* quid tunc Propheta? *Surrexit, vt fugeret in Tharsis à facie* Iona 1. v. 3. *Domini.* cap. 1. v. 3. hoc enim tenore acoluthiam historiæ texendam Docti nôrunt. At vnde tanta Ionæ amentia vt implens omnia Numen, se præsumeret fugiturum? certè non præsumebat: sed quo modo posset, præcepto non obedire satagebat; & vnde segnities tanta, tantus torpor, vt præceptum, quamuis laboriosius foret, conetur euitare vir Propheta? Ego nullam in illo segnitiem deprehendo: qui iussus aliud quiduis his, aut etiam remotioribus aliis & periculosioribus prædicare, onus subiret lubens, quid ergo? non nego Ionæ peccatum grande: grandius tamen foret, si prædictis causis insisteret: quod tamen ingenuæ indolis prætextu tantisper degrauescit. Videbat districtam euersionis Prophetiam: & pariter diuinâ gratiâ conuersis Niniuitis non implendam, vt sonabat, præuidebat: timuit ruborem, confusionem doluit, quâ ignaris tacitæ conditionis, diuinis minis vt plurimū infixę, nugator Vates, Propheta mendacissimus poterat denotari.

Quantus rubor ingenuo viro de mendacij suspicione.

Theophyl. Theophylactus ad hunc locum. *Subterfugit functionem illam, non tanquam non credens Deo, vel segnis, vtrunque enim Prophetâ est indignum; nihil ei conuenit: at enim simul compertum habens, Niniuitas diuinam benignitatem, & mansuetudinem, si resipiscant, esse consecuturos, hincque euenturum, vt ipse pro vano Vate reputaretur, quod indecorum est Propheta, &c. forsan & Niniuitæ malo in eum affectu concitabuntur, ceu talem, qui falsò & mendaciter eos in Pœnitentia afflictiones coniecerit.* Quàm non humanorum iacturam paruipenderet Ionas, ne mendax haberetur: qui imprudenter feruidus, euitandæ huic notæ, quam temerè sibi inurendam suspicabatur, amicitiæ diuinæ renuntiauit?

279. *Aulicus mendax, proditionis suspectus.*

Et fortasse, timuit etiam Ionas, ne si mendax deprehenderetur: non solùm vanus, sed insuper hostilis explorator haberetur: qui adiret vrbem, Regemque confusione pœnitentiæ inuoluturus, vt turbatos deinde suis proderet. Non est explicatu facile Iuramentum illud Ioseph, quo fratres torsit non leuiter, postulans adducendum Benjamin: *mittite ex vobis vnum & adducat eum: vos autem eritis in vinculis, donec probentur quæ dixistis, vtrum vera, vel falsa sint: alioquin, per* Genes. 42. *salutem Pharaonis, exploratores estis.* Genes. 42. v. 16. Nam præter multa illa, quibus magnus D. August. Augustinus, tom. 4. lib. 1. q. 139. excusando optimè Iosepho versat: restat ad huc scrupulus, quem sic attentissimus Doctor obiicit. *Hoc autem, quomodò verum est: si non verum dicitis, exploratores estis: cùm etiam si mentiantur, non sint exploratores?* poterant quidem multis de causis fratres mentiri, quin propterea necessariò forent exploratores: cur ergo tam asseueranter iuretur: eo ipso, quod mendaces deprehendantur, consequenter exploratores deprehendi? sed amouet pulchrè obicem, ad rem nostram ibidem Augustinus. *Ita dictum, exploratores estis, tanquam si dictum esset, exploratorum pœnâ digni estis: hoc est exploratores deputabimini merito mendacij, vestri. Estis autem, potuisse dici, pro habebimini, & deputabimini: innumeræ similes locutiones docent.* ex communi ergo rerum vsu, nihil iurans mentitur Ioseph, dum positâ mendacij fraterni conditione (quanuis hæc non subsisteret) eosdem, explorationis crimine arguendos, & exploratores ait reputandos. Vnde non satis demirari possum Regum aliquorum incuriam, qui cùm nihil vehementiùs caueant, quàm hostiles exploratores: tot aliunde sustinent Aulicos mendacissimos: cum tamen mendaces apud Principem, non temerè exploratores pręsumantur: cum fronte fidelem pariter animum exuentes: cum mendacio, dolum pariter in Remp. subeuntes. Vide litteralem sensum Oleastri, qui meritò, mendacium, exploratoris animi, indicium testatur, & coniecturam. Oleaster.

Sic ergo vera vbiuis proferre, nobilitatis suæ stemma, habeat meus Aulicus, vt non solum in negotiis grauioribus, sed etiam in rebus minimis, à vero neque vnguem deuiarit. Attentè 280. D. Cyrillus in Cat. Corder. ad illud Ioannis, de Samaritanæ conuersione: *Erat hora quasi sexta.* cap. 4. v. 7. sic scribit. *Non certè sextam fuisse* Ioan. 4. *scribit: vt & nos discamus vel in minimis non ambiguè loqui: sed conemur etiam in rebus obuiis, magnam veritatis curam habere.* Adhæreat itaque cælesti Aulico Ioanni, quisquis Aulam, in Infernum, mendacij scilicet regionem, non satagit trāsformare, nec vllo sic crescat affectu, vt tantillum aliquid vero, præter id quod omninò nouit, vel addere, vel demere præsumat. Ingenti affectu Cæcus ille de quo suprà dicebam, diuini Medici miraculum prædicabat, cuius potentiam notam omnibus, vel etiam à Synagogâ expellendus, exoptabat summopere: & tamen quæsitus, quî curaretur: respondet: *ille homo qui dicitur Iesus, lutum fecit, & vnxit oculos meos, &c.* Ioan. 9. v. 11. Ecquid agis vir bone? cur luti ipsius non refers conditionem? cur è sacro sputo, v. 6. non prædicas compactum? aut vnde altius Iesu tui exellentia commendetur, quàm si tam pretiosè noscatur spuere, cum aliorum hominum sputamenta sic vilescant? Respondet Theodorus Mopsuestenus, in eadem. Cat. *vide autem quam verax sit, non dicit vnde lutum fecerit, nam* Theo. Mops. *non viderat ipsum in terram exspuisse: quod autem inunxerat, sensu perceperat & tactu.* Dignus planè, qui à Synagogicâ aulâ eiectus, inter Aulicos cælestis Principis, vt euenit, numeraretur.

Veritas probis circumspectissimè tractanda.

D. Cyrillus.

VIII.

Aulici detractores: Pseudo-prophetæ: Pseudo-Apostoli: Pseudo-interpretes. Deinde pluscula congero, quibus probi, euitandæ huic pesti muniantur.

VEnio ad detractiones, Inuidiæ scilicet sobolem legitimam: quibus vt plurimùm mendacia substruuntur. Fœcunda vbique nascitur seges ista, satisque indidem, mala deprehenditur: quippe angustius semper, boni seminis limitatur vbertas. Quot fraudibus circunuentus fuisset à Laban socero, apud vxores suas, id est illius filias, exposuerat Iacob: ad quem tunc istæ. *Nunquid habemus residui quidquam, in facultatibus, & hereditate Patris nostri? nonne quasi alienas reputauit nos, & vendidit comeditque pretium nostrum?* 281.

Aulica detractiones.

Genes. 31. 6 *nostrum?* Genes. 31. v. 14. Filiæ erant, nec ita incuratæ Parenti, vt pote quas optimi viri connubio sociarat: videbantur proinde apud maritum, Patrem excusaturæ: & tamen illo acrius, hunc proscindunt: quia vbi siue verò, siue falsò Detractionis pullulat scintilla, rarissimè non fouetur ab adstantibus, donec sæuum incendium excitetur. Oleaster ibi. *Commune malum murmurantium est, vt non inueniant qui impediant, sed qui iuuent. Detraxerat Iacob, Laban, mentitumque asseruit, mercedémque suam decem vicibus mutâsse: & filiæ, quæ debuerant Patrem excusare apud virum, accusât: & maiora mala, quàm audierint, detegunt.* Verum tamen praua hæc seges vbiuis fœcunda in Aulis Principum vernat feracissima: latrant, corrodunt, criminantur se inuicem apud Principem Aulici, quò, suspectis cæteris, approbentur ipsi impensiùs: vt quod de Clearcho dixerat Xenophon lib. 3. Cyrop. *Aliquos, apud Principem, primum in amicitiâ locum obtinere vbi deprehenderet: nihil æquè suis rationibus conducere existimabat: quam si gratiosissimos quosque criminando, suspectos redderet:* De illorum pluribus haud temerè possis præsumere: quibus proprium, vt initio dicebam ex Lucilio, *Insidias facere, vt si hostes sint, omnibus, omnes.* Multa congerit Xenophonti, & Lucilio, Ioannes Chokier, lib. 5. Pol. cap. 6. sic subiungens. *Hæc itaque est Aularum pestis, nemini non nota: æmulari & insidiari paribus: alios carpere, & vellicare, Coaulicos occultis, & virulentis conuiciis lacerare.* Dabo ergo ex sacris, minùs obuia, vnde reprehensis improbis, Aulici probi cautiùs instituantur.

Detractio commune malum. — Oleaster. — Xenophon. — Ioan. Choki.

282. Nō rectis, id est, inuidis oculis intuebatur Saul Davidem: 1.Reg.18.v.9. & additur statim: *Post diem autem alteram, inuasit spiritus Dei malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ.* v. 10. Quid enim ab inuido sperares, nisi vt amicum alias Dæmonem, iam inde crebriùs exciperet & familiariùs. Sed pende mihi hunc Aulicum Regis Dæmonem, propheticos afflatus immittentem, & quid prophetaret, *in medio domûs suæ* tam alienus à Deo? certè quæ medium Aulæ impiæ decebant. Glossa Interl. ibi. *Id est more arreptitiorum, aliena referebat.* Non capio, vt multi, de stultis, & alienis vtcunque à ratione verbis: sed & aliena aut crimina, aut defectus, reuelantibus hos occultos: vt proinde meritò, metaphorica sed pessima Prophetia appelletur. Habet ergo Dæmon in Aulis suos Prophetas: qui detrahentes, occulta reuelant: qui, nescias vnde, sic Coaulicorum aut generis, aut morum, aut gestorum defectus, probè norunt: vt diuinare videantur, quæ conuicientur. Et quidem vt spiritus Dei est, Prophetas suos sic afflare, vt optima & salutaria quæque pronuntient: sic Aulicos suos Prophetas afflat Dæmon, vt in detractiones criminum efferantur; illi reapse bonum, hi pessimum vbique videntur diuinare.

1.Reg.18. — Glossa. — *Aulici detractores Pseudoprophetæ.*

283. Exceperat suauissimus Christus, pias iam Magdalenæ lachrymas, officiosa oscula Pœnitentiæ; & ecce ex aduerso Aulicus synagogæ, nobilis Pharisæus, secum immurmurans: *Hic si esset Propheta, sciret vtique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Luc. 7. v. 39. Quasi verò singuli Prophetarum essent omniscij, nec illos aliquid vnquam latere posset: quod ergo vel leuiter doctus quisque planum haberet: vnde arrogans, de sapientiore sectâ, Pharisæus, ita ignorat, vt inde despiciat Christum quasi non Prophetam, quod priscos Mariæ mores ignoraret? ni, fallor Aulicæ prophetiæ spiritu, idest detractionis veneno, quod occulte eructabat, iam imbutus, ad illius tenorem verum Prophetiæ spiritum errans æstimabat. Fauet aliquid Chrysol. ibi, serm. 94. *Pharisæe erras; nescire magis potuit si fuisset Propheta: quia Prophetia non est humani arbitrij, muneris est diuini: vnde Propheta scit, non quantùm vult: sed quantùm dederit ille qui tribuit Prophetiam.* Premo illud: *Nescire magis potuit, si fuisset Propheta.* Quasi dicat. Verus Propheta, quò plenius diuino spiritu afflatur: eò alienior est à curiosâ alieni defectûs notitiâ, & detractione: vt etiam quod cæteris est notissimum, ipse vt plurimum ignoret, aut si fortè nouerit, non detrahens, sed admonens ad salutem reprehendat. Non ergo temerè infero, eum qui detractoriâ hac notitia, verum Prophetam volebat imbuendum, Aulicæ Prophetiæ spiritu redundâsse.

Luc. 7. — *Iustus, à detractione remotissimus.*

Et quidem non est futilis coniectura, quod hanc suam detractionem, tacitè secum immurmurans, insusurraret. *Ait intrà se dicens: Hic si esset Propheta, &c.* Cur enim hospitem suum, nisi inuidus esset, palàm non admoneret, & cui præbebat cibum, non præberet consilium? Cur tantus puritatis zelator, qui tactu peccatricis fœdari se crederet, & alioqui tantæ auctoritatis, ingressam cœnaculum suum, fæminam, subitò non expulit, sed solùm insusurrans detractor reprehendit, nisi quia detractorum prædictæ Prophetiæ, non tàm vibratâ voce, quàm tacito murmure proferri solitæ: vt musitari magis, quàm exprimi videantur? Hinc illud Isaiæ mysticum, in hos tales: *erit quasi Pythonis, de terra vox tua: & de humo eloquium tuum mussitabit.* cap. 29. v. 24. Musitat ergo inuidus Pharisæus, quia pythonico afflatu, dum iam non audet publicè Christo insultare, susurro solito detractiones cogitur inuoluere: vt iam videatur, quasi digito hunc monstrasse Salomon, dum ait. *Ne comedas cum homine inuido, & ne desideres cibos eius: quoniam in similitudinem Arioli, & Coniectoris æstimat, quod ignorat.* Prou. 23. v. 6. Sed audiendus hìc doctissimus Beauxamius, in Harm. Euangel. vbi post multa de Magdalenæ gesto, iam de Pharisæo, concinnatis Doctorum vt solet, & Scripturæ verbis, aptissimè ad mentem meam, sic scribit. *Ait intrasse: toties enim alios confutatos audierat, vt ne hiscere quidem auderent. Erit quasi Pythonis vox tua: inquit Propheta, & quasi de humo audietur eloquium tuum, memento, quoniam malus est oculus nequam, bona in malum conuertens insidiatur, & in electis imponet maculam: Ideo ne comedas cum homine inuido, & ne desideres cibos eius: quoniam in similitudinem Arioli, & Coniectoris æstimas, quod ignoras.* Dum ergo in Aulis tot inuidentium in aurem detractiones, tot insusurrationes, tot eorum, quæ suspicantur, maleuolus agnoscis coniecturas: putas & putas Dæmonis agnosce Prophetias: qui per Pythonicos suos, Ariolos, & coniectores, (ordinarios nimirum eiusdem Prophetas) sic bacchatur: vt Aulam in Infernum transformare videatur.

284. *Detractio Aulica insusurrans & pythonica.* — Isai. 29. — Prouerb. 23.

Sed non solùm Pseudo-Prophetas, sed etiam Pseudo-apostolos in huiuscemodi Detractoribus Aulicis, parat sibi Dæmon. Mira sunt in hanc rem

285. *Amici detractores, pseudoapostoli.*

rem verba illa Sapientiæ. *Viam prauam, & os bilingue detestor: meum est consilium & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo: per me Reges*
Prou. 8. v. 13. Detractio monstrosa linguis varijs. *regnant: & legum conditores, iusta decernunt.* Prou. 8. à v. 13. vbi notanda sermonis concatenatio: inde enim detestabilem sibi, prauam, oris bilinguis, viam attestatur, quia consilio, æquitate, prudentiâ, fortitudine viget: quas nimirum regalissimas verè virtutes, Regibus communicat, quarum ope regnent decenter, & decernant iustissima. Sed cur virtutes regales enuntiatura, & probos formatura Reges Sapientia, oris bilinguis, tam disertè præmittit detestationem? puto, vt familiarissimum hoc Aularum malum, Regibus his iustis præmoneret auerruncandum. At quid in
Hugo Card. ore bilingui, tam peruersum? respondet ibi Hugo Card. Licèt non solùm ad Aulicos rem deducat. *Detestatur os bilingue, quasi monstrosum: quid enim monstrosius, quàm habere duo ora, vel duas linguas? tales sunt duplices & loquaces: qui partim Iudaicè, partim Azoticè loquuntur: vt dicitur Neemiæ 13. id est modò sæculariter, modò spiritualiter: modò detrahunt, modò adulantur: venenum simul & mel habentes sub linguâ. Vnde isti propriè sunt Apostoli Diaboli: vnde potest dici de ipsis: loquebantur varijs linguis Pseudoapostoli magnalia Diaboli.* Nusquam tamen frequentiores hi Pseudoapostoli, quàm in Aulâ: laudant vt inludant: blandiuntur vt mordeant, adulantes palàm, clanculùm criminantes, vtrobique mendaces, & bilingues: vt iam meritò à Politicorum
Apuleius. Scriptoribus audiant illud ex Apuleio: *Insidiatores, & canes clanculùm mordentes: qui secretis criminationibus infament ignarum: & quo incautior decipiare, palàm laudatum.*

286. Dixerat D. Iacobus, linguæ, modici nimirum
Iacob. 3. v. 6. membri, damna ingentia, cuius parua scintilla, magnum sæpe incinerandæ syluæ excitauit incendium: deinde subdit. *& lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis: lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ, inflammata à gehenna.* cap. 3. v. 6. Multa ibi Interpretes, dubitantes, quænam fuerit hæc rota natiuitatis nostræ, aut vnde huc metaphora deducatur? Non est trita vtriusque rei explicatio, illa Vatabli: qui ibi ita. *Rotam*
Vatab. Lingua ne quam mola. *natiuitatis: id est rotam natam, genitam, non factam. intelligit totum corpus, quod est vehiculum animæ: q. d. quæ adducit in discrimen totum hominem, si inconsultè moueatur: vt Molæ molendinorum, totum molendinum incendunt, vbi nimio motu ignem conceperint,* quasi huius humani molendini, huius innatæ machinæ rotatæ, Mola fuerit ipsa lingua, quæ inordinatiùs mota, concepto igne, totam incendat. Illud tamen caligat adhuc, cur quæ iam ipso naturæ vitiatæ fomite ignita oritur: insuper nouas flammas dicatur è gehennâ concepisse? cur ne, cùm tantopere Dæmon, omnia membra nostra cupiat æstuantia gehennæ suæ incendio: in linguas inflammandas, præcipuè hîc dicatur collineasse? Ego sic puto: insulsam se Christi simiam, conatum exhibere: vtque iste, igneas Sancti Spiritus linguas, varijs Idiomatum generibus denotandis, in beatissimos Apostolos diuisit: sic Dæmon Pseudoapostolis suis, tam diuersi ignis linguas, in varietatem ser-
Galfr. dom. Parisien. linguæ detractores Pseu- monum pessimam communicauit. Ideo Galfridus, (quem iam alibi opusculorum nostrorum, aliò adduxi) ad cap. 11. Luc. ita ad hunc locum.

De oris malignitate, quid loquar? quantus ignis, quantam syluam incendit? pessimè nonnulli diuinum miraculum emulantur, vt dispertitas linguas, do apostoli loquuntur. *vt ignem accepisse videantur. Diuinus si quidem ignis, non scandalo vrit: sed amore magis accendit, inflammatio autem gehennæ vrit, linguas malè dispertiens: vt quisque nostrûm, suâ cuique linguâ, & quâ nunc græcè, nunc hebraicè, nunc latinè loquatur: vt si eum audias hîc, non illum putes, quem paulo ante audieras. Malè igitur, omnium linguis loquitur vir linguosus.* & vbi quæso, tam diuersa linguarum genera, ab vno eodémque audiuntur quàm in Aulâ? videas Aulicum detrahentem, mordentem eos, quibus paulo post festiuus adblanditur: nunc te præsens Sardonico risu commendat, quem absentem atrociter criminatur, vt si vtrobique eundem audias, iam diuersum existimes. Exempla è profanis plurima congessit Chokier citatus.

Sed parum hoc. Aliud etiam Spiritus Sancti donum, & illud nobilissimum, mentiri satagit 287.
Dæmon, in Palatio: audi Paulum: *Aly Prophetia, aly discretio Spirituum: aly genera linguarum: aly interpretatio sermonum. Hæc omnia operatur vnus atque idem Spiritus, & diuidis singulis, prout vult.* 1. Cor. 12. v. 10. Habet Dæmon in Aulâ, suos 1. Cor. 12. etiam spirituum discretores pessimos, qui deinde Aulici, Pseudointerpretes. Pseudointerpretes sermonis, calumnijs & criminationibus, dubios, alieni animi, vel dicti affectus, perperàm interpretantes, omnia confundunt. Profana huius pestis, apud Scriptores qui Neronis & Domitiani res scribunt, exempla abundè obuia. Sacra suggero. Quatuor illas Bestias horribiles, quas è mari surgentes vidit Daniel Dan. 7. cap. 7. de quatuor Orbis Regibus, Imperijs, siue Monarchiis, Interpretes litterales explicârunt: Mystici vero, de quatuor enormibus vitijs, sumendas voluerunt, quòd si vtranque sententiam conciliare velles, haud perperàm diceres, ea vitia vt plurimùm denotari, quæ penitiùs Monarchias singulas afficiebant: ideo in secundâ bestiâ, quâ litteraliter Persicæ Aulæ Imperium exprimitur: mysticè Inuidia, apud venerabilem Ricardum significatur: quia Persa inuidus Babylonicæ potentiæ, primus in illam noscitur desæuiisse. Iam ad rem vide, quî hæc inuidia describatur. *Ecce bestia alia similis Vrso, in parte stetit: & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius & sic dicebant ei: surge, comede carnes plurimas.* v. 5. quia v. 5. in domo Principum, Inuidia, deuorandis Coaulicorum carnibus, id est gestis, honoribus, famæ tota impenditur. Illud singularius, quòd cum posset vno dentium ordine sic increscere, vt cuiuis lanienæ satis esset: triplici ordine maluerit insigniri. Nunquid sola monstrositas, an etiam diuersa lanienæ conditio exhibetur? ista quidem: de quâ grauiter Ricardus lib. 3. de Erud. In- Ricardus. Inuidia, triplici dentium ordine desæuiens. ter. Hom. cap. 9. ita. *Quid autem in dentibus rectius intelligamus, quam malitiæ, & inuidentiæ morsus? Quis autem nesciat, quòd familiare, & domesticum, & velut propriè proprium sit Inuidiæ, alienam vitam rodere, & morsibus obtrectationum lacerare? Solet autem hoc malum quibusdam gradibus crescere. Nam sunt in hominibus quidem, quædam manifestè mala, quædam manifestè bona: quædam autem dubia: ita vt in ambiguum venire possit, vtrum sint bona, an mala. Solet autem liuida mens, semper manifesta mala multiplicius exaggerare: dubia quoque, in deteriorem par-*

rem vertere: apertè autem bona (quia negare non potest) arte quâ potest obscurare, & de ijs vel aliquid imminuere. Habes triplicem morsuum ordinem, quibus obtrectator inuidus desæuit: in quorum secundo, se Pseudointerpretem animi, prauum spirituum discretorem manifestat, dubia semper in peius interpretatus.

188. *Prædictorum Pseudointerpretum astutia.* Luc. 18. Sed vide, quàm aliunde verè, sed ad malum sermones soleat obscuros interpretari. Clarissimè Crucem suam Discipulis Christus prædixit. Luc. 18. v. 31. & additur statim: *& ipsi nihil horum intellexerunt.* v. 34. cùm tamen non solum nex, sed singulæ eiusdem circumstantiæ, ad oculum expressis verbis ponerentur. At ecce Ioan. 12. ad Solymitanam turbam ait Christus. *Ego si exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad me ipsum.* v. 32. vbi Crux sic ænigmaticè, & obscurè profertur: vt necessariò id nobis explicandum putaret Euangelista subdens: *hoc autem dicebat significans quâ morte moriturus esset*, & tamen tam obscuram sententiam apertè penetrant Iudæi, vnde subdunt. *Nos audiuimus ex lege, quia Christus manet in æternum: & quomodò tu dicis, quia oportet exaltari filium hominis?* v. 34. q. d. Si Christus, impassibilis & in æternum mansurus nobis creditur: quid temet ipsum Christum prædicas, cùm alioqui, in Cruce exaltandum fatearis? Sed quid est, (inquit Beda ad locum Lucæ) quòd discipuli replicatum toties sibi, Dominicæ Passionis arcanum intelligere nequeunt: & Iudæi ad vnum verbum, etiam obscurè prolatum, vt illud expositione suâ dignum iudicet Euangelista: mox quod Crucis exaltatio significetur, intelligunt? & post multa, aptissimè responsa, sic concludit. *Inusitato modo, idem subeunda Crucis sacramentum, quod fidelibus Amor abscondit: Infidelibus Inuidia pandit.* Ergo ad detrectandum Christo, illúmque impiè de falso Messiatu calumniandum, redduntur oculatissimi ab inuidiâ, quos videndis bonis eadem iam pridem obcæcauerat: & Pseudointerpretes aliunde veri & obscuri sermonis, solummodò, vt bono detrahant, attingunt aliquando veritatem. Nimirum, quam necem Innocenti inferre machinabantur, non infuso spiritu, sed instimulante odio penetrant interpretandam, benè iterum Beda, in Ioan. *Hoc eum dixisse intelligebant, quod facere cogitabant. Non ergo eis verborum istorum obscuritatem aperuit infusa sapientia, sed stimulata conscientia.* Idque vt dixi, ad detrahendum Saluatori: semper enim in mala, (licèt quandoque vera infensus attingat) interpretem se gerit detrectator.

(Margin: Ioan. 12. Vener. Beda. *Inuidia oculatissima.* Idem.)

289. *Detractor, dæmonis vitium.* D. Greg. Naz. Aulicus igitur meus probus, omni curâ, hanc pestem satagat euitare, nihilque sibi priùs, nihil habeat antiquius, quam Pseudospiritus hos afflantes exsufflare. Infixum menti gerat monitum illud D. Gregorij Nazianz. Orat. in Nou. Dom vbi ita. *Rectè ex virtute aliquid gerenti, ne inuideas, qui inuidiâ pressus es: atque animum induxisti, vt tibi inuideri crederes: eiùmque ob causam corruisti.* Susurronem hic Dæmonem coarguit, deceptum hominem deplorat, & omnia inuidiæ veneno mersorat perturbata. Decepit Dæmon Protoparentes, Deo detrahens, quasi inuidus lignum scientiæ denegâsset: Credunt miseri, & prosternuntur: hanc esse D. Doctoris mentem, clarè ibi aperit Paraphrasis Nicetæ: *Ei qui virtutum splendore, & gloriâ flores, ne inuideas: illud* cognoscens, *quòd tu quoque inuidiam Diaboli sensisti: ab eoque ita inflexus es, vt Deum, (cum cognitionis ligno interdixisset) tibi inuidere persuaderes: quæ tibi prolapsionis causa fuit.* Fuge ergo mi Aulice inuidiam, vnde instar Dæmonis, in detractiones impellaris: imò neque detractoribus Coaulicis aures adhibeas, nam tuo damno credes, vnde cum protoparentibus miserè labaris. Audi Ecclesiasticum: *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire.* cap. 18. v. 28. spinas hic, non in sexto, sed in tertio casu construe: de quibus proinde aptè Eusebius Gallican. Hom. ad Pleb. obtrect. ita. *Qui detrahit eradicabitur: id est à radice suâ, qui Christus est, auelletur. Quod malum est, ista passio, vt detrahas fortasse aut meliori, aut certè peccatum quod alter incurrit operando, tuum facias obloquendo, &c. Sepi aures tuas spinis id est vulnerantibus verbis: aduerte in quantum eius auctor lædatur, cuius contagio, & auditor inficitur.* Sed de hoc contagio, postea pluribus agendum. Labitur itaque, qui detrahit, quique detractoribus aures admouet: parum id: detractionibus pariter subiacebit: hoc negotium semper sub Talionis pœnâ administratur.

(Margin: Nicetas. Ecclesi. 18. *Detractoris verba spinosa.* Euseb. Gall.)

Aulicus ille Iustus, cælestis Palatij, quem sub sponsæ formâ, in Salomonis Aula inducit Sacer Textus: cum aliquando, iugi dominici obsequij ministerio viribus deficeret: exclamat ad coaulicos. *Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum: vt nuntietis ei, quia amore langueo.* Cant. 5. v. 8. Expende in medio gemitûs tanti, non oblitum, quo minus Coaulicos suos, cælestis Aulæ titulo, Ierusalem scilicet pacificæ, appellaret: Credo vt officij debiti commoneret, virtutem & egregia gesta nuntiantes. Nimirum Babyloniæ, id est terrenæ Aulæ Palatini, vt plurimùm sola vitia nouerunt insusurrare: sed suo damno, inquit Dauid: *Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem tuam.* Ps. 136. v. 8. ideo Gellibertus, serm. 46. *Quid tu qui fratrum mauis vitia magis numerare, quàm virtutes: damna, quàm dona: condemnare, quam commendare? Si te ad commendationem, adiuuatum non sentias, non es iam Ierusalem filia, sed filia Babylonis, filia Babylonis misera, quis retribuet tibi retributionem? retribuetur enim tibi. Dedisce Babylonis filia esse: barbaros depone mores.* & quidem barbari mores, imo canini est, sic inuicem in alterutrum desæuire. 290. Cant. 5 v. 8. *Aulici iusti non inuicem corrodant.*

(Margin: Ps. 136. Gellibert. *Qui mordens detrahit, morderitur.*)

Dedisce itaque barbaros hos mores: & illos disce, vt in optimi Principis Aula, à nemine vnquam calumniator, & susurro præsumaris. Afflicti in Aulâ Iosephi fratres, quòd exploratores immeritò haberentur: priscum scelus condolent, & vendi pueri noxam secum inuicem, pœnitentiæ verbis deprecabantur. Genes. 42. v. 21. tunc additur. *Nesciebant autem, quod intelligeret Ioseph: eo quod per Interpretem loqueretur ad eos.* v. 23. Sed quid agitis? non ne ipse Interpres, qui aderat, verba capit? nonne apud infensum, quem iam putatis Principem, nouum hoc crimen potest insusurrare: quo inde æquiùs exploratores credamini: vnde, vosmetipsos fratricidas confitemini? In hebræo, pro Interprete est מליץ Vnde aliqui in Niphal, verbum מלץ, id est, *dulcem*, vel *blandum esse*, fortasse ergo ex commercio mutuo, notârant suauem indolem, mores ingenuos, Aulici illius Interpretis nec nisi temerè putabant suspicandum, illum susurronem: qui ad Do- 291. *Aulicus pius, susurro nil præsumitur.* Genes. 42.

Dominum deferret, quæ ipsi inter se, nec tamen ad causam præsentem spectantia, colloquebantur. Fauet D. August. tom. 4. lib. 1. quæst. 140. *Intelligendum est, ideo eos putasse, quia ille non audierit: quod videbant Interpretem qui inter illos erat, nihil ei dicere eorum, quæ loquebantur: nec ob aliud adhibitum putabant Interpretem, nisi quòd eorum linguam ille nesciret. Nec cura erat Interpretis ea dicere illi, à quo positus fuerat, quæ non ad illum, sed inter se, loquebantur.* Quàm alij Pseudo illi interpretes, de quibus suprà, qui non solùm quæ audierant, in deterius exponebant: sed etiam, vel leuissimè præsumpta insusurrabant: vel quæ neque præsumpserant, subdoli carpebant.

D. August.

Nec Pseudo. interpretes.

193. *Detractionis verba sopienda.*

Optimum consopiendæ obtrectationis exemplar se præbuit mulierula, quâ proinde deteriores esse viros Aulicos iam suppudeat. Audierat Samaritana à Christo multa, vnde illum Prophetam esse coniectauit. ergo religionis quæstionem, quam vt videtur, secum diu reuoluerat, sic proponit. *Patres nostri in monte hoc adorauerunt: & vos dicitis, quia Ierosolymis est locus, vbi adorare oportet.* Ioan. 4. v. 20. q. d. vtros putas firmiori innixos fundamento? sed cur, quæ pro suis decertat, domesticæ opinionis rationes, quibus acrior pugnet, non subiungit? cur causam, quâ ibi potius, quàm Ierosolymis, adorandum esse Numen sui crederent, non commemorat? quia hæc pudendum aliquid genti suæ necessariò inuoluebat: licèt enim id temporis, vitulos aureos non colerent Samaritani, (qui etiam ante Tribuum exilium fuerant abducti) at quod in Samariâ, & non Ierosolymis, quale quale Numen adorarent, à loco illo, vbi vituli culti fuerant: & ab impio schismate Israëlis à Iuda oriebatur: Maluit itaque, prætermisso fundamento, argumentando videri inefficacior: quam prisci Israelis insaniam, iam vbique notam mordere: & illorum, à quibus aut originem ducere iactabant, vel saltem hæreditate ditescebant, famæ detrahere, inde gloriosior, quòd cum vitia propria, à Christo sibi narrata humilis fateretur: gentis suæ vitia, quomodo poterat, supprimere curaret. Rupertus ibi. *Hæc ipsa suâ inquisitione non totum dicit, non totum proponit; dicendo enim illud, vnde locus poterat esse venerabilis, &c. dissensionis, vel seggregationis causas reticuit, quia videlicet Ieroboam, & decem Tribus cum eo, vt recederent à Iudâ, & domo Dauid, vitulos aureos fecerant, & adorantes dixerunt: Hi sunt Dy tui, &c. quod factum esse in eadem ciuitate Sichar, quam & Ieroboam reædificauit, Historia lib. Reg. narrat, &c. Has causas ista mulier in re propositâ reticuit: at illa propriæ culpæ maculas, satis humiliter confessa fuerat. Non ergo vitio, sed laudi potius illi est, quod communem gentis suæ ignominiam, satis omnibus notam, prædicare non properauit.* Vt videas quanto iam vitio fuerit tribuendum si Coaulicorum tuorum, occulta etiam vitia, latentem ignominiam properes prædicare.

Ioan. 4.

Rupertus.

Vitia aliorum etiam publica tacenda.

193. *Vili, non est alijs detrahere, vt crescas.*

Maluit itaque fœmina, minus eruditula videri, quàm obtrectatrix denotari: quò & tu mi homo noueris: nil tibi, cum aliorum detractione arrogare, viliore laude cresces; quàm ab aliorum affectes imminutione, nec vnquam gloriosum ædificium, quod ab aliorum ruinis apparatur. Disce à Christo: à quo, prædicta, ni cæcutio, didicit fœmella. Auditâ Domini promissione, subdit garrula. *Nunquid tu maior es Patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum?* v. 12. quàm facilis erat responsio, si se Christus, Iacob maiorem testans, occultâ vi id ipsum persuaderet: Sed quàm aliter respondet. *Omnis qui bibit ex hac aqua sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* v. 13. Ne ipse, per alterius diminutionem crescere videretur; parum id est: neque enim sic aquam aquæ comparauit, vt illi, quam Iacob dederat, detraheret: vilem ex ipsius Samaritanæ verbis ipsam probans, quæ dixerat: *& ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius.* v. 12. (qui enim magni fieri poterat, & non potiùs abiectissimum reputari munus illud, quod hominibus, bestiisque commune erat?) Sed tantummodò naturam, etiàm commendatissimæ cuiusuis aquæ terrenæ declarauit: ne videlicèt aquæ suæ pretium, alterius detractione commendaret. Bene ibi Hugo Card. *Nota quod comparationem facit, non ab accusatione, & detractione: non enim dicit, quòd aqua, quam dedit Iacob, nihil est, vel quòd vilissima & contemptibilis est, sed id, quod natura testatur, ponit, & hoc est contra illos, qui sine vituperatione aliorum, nesciunt comparationes facere.* Aliter Aulici, quos tibi cupio fugiendos, qui vt in honoris petitione Concandidatis suis præferantur, non tot propria merita, quot illorum demerita accumulant.

Ioan. 4.

& v. 12.

Hugo Card.

Nec verò putes, æmulorum te aculeis periturum, famam tuam illorum morsibus lacerandam, nisi inuicem in æmulos acuaris: sæpe ipsissimis Inuidorum flatibus gloriæ tuæ, vt niteat radiantior, cinis detergitur. Suscitârat Christus Lazarum, & ecce Principum inuidiâ, vniuersa Synagoga, Aula malignantium, cogitur in Concilium, à delatoribus monita & instigata: audi Ioannis verba: *Multi ergo ex Iudæis, qui venerant ad Mariã & Martha & viderant quæ fecerat Iesus, crediderunt in eum; quidam autem ex ipsis, abierunt ad Pharisæos, & dixerunt, quæ fecit Iesus: collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi Concilium, &c.* Ioan. 11. v. 45. vbi pulchrè Rupertus. *Melius quidem illi fecerunt, qui crediderunt: sed dilatandæ gloriæ Dei, delatores isti ampliùs profecerunt;* Sed vnde, inquis, qui acuente inuidiâ, miraculum delatum carpebant, Christum vellicabant: ampliùs proficere eiusdem gloriæ potuerunt? Inde certè, quod colligendi concilij, vbi ampliùs miraculum morderetur, causa forent. Attendas oro: vniuersus ille populus, & innumerus, qui celebrandæ Paschæ, eò confluxerat, notans in Aula Palatij, vniuersos Principes suos, in Concilium plenissimum congregatos: quid rei tantæ, insperatam nouitatem non disquirerent? inuenta autem de miraculo, causa, quod aliunde pars maior ignorarat: quid Christi gloriam non extollerent? Certè nullum maius pro Christo intonari potuerat præconium; hinc paulo post in Ramorum triumpho, vt nôsti, hoc Christi gestum maximè mirabantur. Redemptoris ergo, quæ paucissimis adstantibus gloria nota fuerat: & quasi sopita delitebat: quasi deterso cinere, Aulicæ inuidiæ flatibus, detractorum oribus clarissima resplenduit. pergit Rupertus. *Foras enim gestam, illis testibus certam efferentibus, zelus apprehendit Populum ineruditum: eisque ardentibus, & magno flatu inuidiæ suæ ventilantibus*

194. *Si patienter feras, detractorum, linguis non tam lancinaberis, quam splendesces.*

Ioan. 11.
Rupertus.

Idem.

tilantibus magnitudinem miraculi, latius gloria, filij Dei, flamma reluxit. Nam propter hoc maximè signum, exierunt post modum turbæ obuiam illi, cum ramis palmarum. Sed de hâc re iam alibi memini plura me dixisse.

IX.

Aulicorum sermo, & halitus venenatus, ad contagium; idque vnde.

295. *Aulicorum sermo & halitus venenatus* NOn tamen adhuc satis, de Aulicorum inuidorum mendaciis, fictis laudibus, fraudulentis commerciis, sæuis aut calumniis, aut detractionibus, dixisse puto: nisi seorsim pluribus ostendam, omnia illorum verba, omnes afflatus esse venenatos, & fascinādæ iustorum Aulicorum (ni caueant) virtuti, præsentissimos: quod paulo ante num. 289. ex Euseb. Gallic. sententiâ huc remisi. Probatissimum erit in hac re, Dauidis iam Aulæ dolos experti, testimonium: dum sic queritur. *Non est in ore eorum veritas, cor eorum vanum est. Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant.* Psalm. 5. v. 10. & 11. vbi scholium Vatab. *In ore, scilicet Saulis hostis, aut vniuscuiusque eorum. Cor vanum: id est, cor eorum plenum est dolis, & fraudibus. Sepulchro aperto, & cadaueribus pleno, simile dicit guttur eorum. Nam vt sepulchrum apertum expectat cadauer, quod conficiat & exedat: ita hostes mei suâ blandiloquentiâ eò tendunt: vt me pellectum ad se, perdant & subuertant.* Habes in Saule, Aulicisque eius, profanæ cuiusuis Aulæ mores effigiatos: hunc igitur locum, de contagio, & fascino, quem proposui, altiùs expendamus.

Psal. 5. Vatab.

296. *Quam contagiosus iste halitus.* Non vtcunque sepulchro, sed illi aperto & patenti, Aulicorum, ibi, guttur comparatur; vt nihil ab illo flatu, nisi contagiosum speres: quem vides, quasi ex patente sepulchro, quasi ex putridâ cadauerum congerie spirari; inficit corruptus aer corpora, & pestilentior culpæ halitus, animas non inficiat? bene D. Hieron. in cap. 3. epist. ad Rom. vbi Apostolus hunc locum Dauidis, sic scribit. *Sepulchrum, fœtore doctrinæ suæ, & adulatione contaminans, & interficiens audientes. Ideo enim sepulchrum diligenter clauditur, ne ad huc viuentibus, exhalatione suâ generet pestem.* Dum ergo Aulici guttur aperitur, eò ipso putredinem exhalat, pestem ingenerat. Neque mirum: quot enim verba produnt, tot quasi proferre cadauera videntur. Vnde Adamus de Persenia, ad cap. 9. Deuter. Apud Godefr. sic habet ad hunc locum. *De sepulchro gutturis, tot quasi mortuos efferunt, quot mortis exempla in aliorum perniciem proponunt, peruersa loquendo, & eadem astitando.* Sed illud in hac re dubium: cur sic pestilens halitus, contagium sic inficiens, non potiùs cadaueri metipsi mephitim exhalanti, quàm prauè spiranti sepulchro comparetur? meritò tamen sepulchrum magis dicitur, quàm cadauer: licet enim vtrinque turpiter exhaletur: at sepulchrum insuper, cadauera exedit, corpora deuorat, & viuâ calce fœtens in se transformat, vnde & σαρκοφάγος id est *Carnes deuorans*, atque in se conuertens appellatur: sic halitus impij Aulici, ipsam Coaulicorum virtutem in se transfert,

D. Hieron.

Adā. de Pers.

Scandalosus alios in se transformat.

quàm immaniter deuorauit. D. August. ibi. *Mendacio & blandâ adulatione, trahunt ad se, quos ad peccata illectant: & eos tanquam deuorant, cùm in suam vitam conuertunt.* & bene additur: *linguis suis dolosè agebant.* vel vt alij vertunt: *linguis suis dolosè blādiuntur.* Quod iterum habetur Ps. 13. v. 3. vbi idem August. *Suis, id est malis: nam hoc videtur significare, cùm dicit, suis, mali enim, malas habent linguas.* Ergo linguis suis, id est palatinis, id est malis vbique agunt Aulici: vbique contagionem halitûs, & dolosum euibrant spiramen.

D. August.

Psal 13.

Lingua, virum probat.

297. *Aulicorum verba venenata.* Neque hoc solum in fraudulenta laude, in subdolo blandimento, verum putes: perinde est, in aliis Aulicæ linguæ vitiis, quæ suprà traduxi. Rex, vt plures ex sacro Textu colligunt Interpretes, fuerat Iob: & ecce spoliatus à Dæmone, vrbem deserit: *& testâ saniem suam radebat, sedens in sterquilinio.* cap. 2. v. 8. clarè enim LXX. addiderunt: *Extra ciuitatem.* Habes purpuram radiantem, liuidæ tabi cedentem, sceptrum, in testam commutatum: & regio throno succedens sterquilinium. Sed cur vrbem deserit, & saltem in Aulæ suæ ruinis ad prisci parietinas Palatij non inhabitat? Quid solatij speraret à feris extra vrbem, quod ab hominibus potiùs non veniret? scilicet morbo corporis captare poterat aliquid leuaminis, dum puriorem aerem respiraret foris: non tamen id satis esset, nisi videret pestilentiorem animi morbum, sibi, vitatâ ciuitate, euitandum. Ecquem morbum inquis? quem sibi ab Aulicorum suorum verbis timebat contrahendum: *Ciuibus enim*, inquit in Cat. Polychronius, *calamitatis aspectum, quasi non amplius ferentibus, vrbe egressus est, vt qui a Mundo iam esset alienus.* nimirum tanti Regis lapsum dolentes, blasphemias in Deum quasi iniquum Iudicem iactabant: qui vt alibi ex eiusdem Catenæ Auctoribus ostendi, proprio vlcere sæuiùs Iobum religiosissimum lancinabant. fugiens igitur addit Polychronius: *Degebat sub dio, atque in stercorum domicilio, tum vt voces humanas non exaudiret: tum vt incorruptum spiritum è cœlo hauriret.* Timens ni fallor, ne blasphemiæ ciuicæ, imo suorum Aulicæ, contagio læderetur, quod enim postea periculum, Aulici, amicorum Regum, sermones, illi conflârunt, (vt nôsti) quid ni putem hoc in loco, è domesticis prouenturum, præcauisse?

Iob. 2. v. 8.

Polychron.

Idem

298. Sed neque etiam, sic prudenter præcauens; domesticas Aulici obloquij insidias, & flatum venenatum, valuit penitus euitare. Quod vulnerato Iobo, quod consepultis tot filiis, illæsa eiusdem vxor seruaretur: notant interpretes, inde euenisse, quod à Dæmone, in postremam & validissimam machinam, obruendæ eiusdem sanctimoniæ seruaretur; ibidem Chrysostomus. *Diabolus mulierem, tanquam postremam machinam, superioribus longè præstantiorem, admonet iusto. vtinam aut eam, o scelesta, summouisses, aut pariter cum filiis euertisses.* Putâsses armatam igne fæminam, furialibus instructam facibus expediri: at longè mitior, & inde longè fallacior, accedit illa dicens. *Adhuc tu permanes in simplicitate tuâ? benedic Deo & morere.* cap. 2. v. 9. & tantumne potentiæ in hac sententiâ: vt robustior inde Iob, quòd tunc non cederet, quàm quòd superaret in cæteris, prædicetur? tantum. Nimirum Reginæ (vt suprà statui) verba erant,

D. Ioan. Chr.

Iob. 2. v. 9.

toto

Aulicus sarcasmus quàm venenosus.

toto veneno aulico spumantia, & sarcasmum durissimum inuoluentia; frustrà plures Interpretes *Benedicere* in hoc loco, antiphrasticè pro *Maledicere* explicârunt: propriè explico cum Sanctio & alijs: quasi vxor dum videret adhuc virum in ea dolorum excarnificinâ, benedicentem nihilominus, & laudantem Dominum, cum offensione, & amarâ irrisione diceret. *I nunc*, (expositio est Sanctij) *& vir laudando Deo perseuera, stultè planè, & frustrà: vt tute ipse, nisi mens absit, experiri potes: quando post tot laudes, nihil tam tibi reliquum est, nisi vt miserum hunc spiritum, quem iam agrè ducis, tandem exhales*. Neque mirum sic felleâ ironiâ, potentior cæteris machinis habeatur: quando etiam ad prædicta verba, planiùs de maledicendo Deo explicata, sic citatus in Cat. Chrysostomus scribat. *Ego non ita Iobum admiror ante mulieris adhortationem, vt mihi est admirabilis post illius perniciosum consilium. Sæpe (vt neque id quod diximus, paradoxicum alicui videatur) accidit, vt quem rerum natura euertere non potuit, oratio & exitiosa adhortatio frangat: id cum Diabolo nequaquam esset ignoratum, post plagam inflictam verbis hominis adoritur*, quid ponderis inueniret S. Doctor, ad exitiale venenum, in his verbis, si à Reginâ, aulico sarcasmo, prodijsse expenderet?

Sanchez. *Pœni consilium.*

199\. Et mihi quidem non ita miranda Reginæ verborum efficacia, cui tamen Iob fortissimus restitit: quàm efficacia sermonis ancillaris, cui Petrus fœdissimè succubuit. *Accessit ad eum vna ex ancillis dicens: & tu cum Iesu Galilæo eras, at ille negauit coram omnibus dicens: nescio quid dicis*. Matth. 26. v. 69. En tibi iam collapsam turrim, quæ paulò ante firmissimam se iactabat, & ab ancillulâ, tam vehemens impulsus, tantus aries tantæ moli prosternendæ? non qualis qualis erat ancilla, sed purè aulica, & in Principis domo, in Caiphæ supremi Sacerdotis aulâ commorans; halitu igitur venenato, Apostolum infecit: & tantillum illud os, in sepulchrũ patens & grande efformans, Petrum deuorasse visa, atque contagio infectum in suos deinde mores traduxisse. Hinc Propheta de impiis locutus, *venenum Aspidum sub labijs eorum*. Psalm. 13. v. 3. nullum Aspidis veneno præsentius aut insanabilius: extrema quæuis corporis si mordeat Aspis, medium cor penetrat: iste mordens; Impius, loquens inficit. D. Paulinus epist. 6. ad hunc locum. *Venenum quod inficit mentem, & animam interficit: si receptum auribus in corda persuaserit*. Persuasit ergo Aulicæ ancillæ venenum, quod auribus perceperat, in cor Petri: & immortalem animam, quâ peiore potuit morte, interfecit.

Veneni verborum contagium. *Matth. 26.* *Psalm 13.* *D. Paulinus.*

300\. Oppugnatrices machinas, obruendo Dauidi iam pœnitenti, immanissima tela armauit Dæmon. Pugnat rebelli filio, vxoribus violatis: inde throno, hinc thalamo profanato: eripit Regnũ, distrahit exercitum, vt inde purpurâ, hinc præsidio, nudus Rex, desperationis pelago se se daret, & adhuc sibi constat patiens Dauid, & infascinatam retinet sanctitatem. Scilicet verba, vt aiũt, hucusque fecerat Dæmon, dum rebus licet atrocissimis decertârat: igitur vt rem agat, vt expugnet, verborum adhibere machinas contendit, sperans fore vt constans Dauidis pectus, & si vsque tunc impenetrabile, contra verborum tela non valeret. Impulsus ergo Semei à Dæmone, in Dauidis contumelias sic erumpit. *Egredere egredere vir sanguinum, & vir Belial: reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem Domus Saul, &c.* 2. Reg. 16. v. 7. Sed quis tandem iste Semei, in cuius venenatis verbis totum spei suæ pondus Dæmon collocârat? *Vir de cognatione domus Saul*: inquit textus, v. 5. Vatablus vertit: *De familiâ domus Saulitica*, vt non solùm cognatus, sed familiaris, & pessimi Principis germanus, id est pessimus Aulicus agnoscatur. Bene igitur de huius modi verbis D. Chrysost. loco suprà citato, post illa de Iob. *Hoc ipsum, aduersus Dauidem fecit: postquam enim eum vidit, à filio, in eum concitatam seditionem, illámque iniquam Tyrannidem fortiter tulisse: ad mentem Dauidis labefactandam, atque iracundiæ facibus inflammandam, Semei illum concitauit, asperisque verbis instruxit: quibus animum illius arroderet*, quia quæuis sint verba impii Aulici, simplicia, adulantia, suadentia, aut exprobrantia: semper pestilenti nocentis Cordis halitu infecta, venenum euomunt, & contagiosum excitant incendium.

Verbum durum, omni verbere fauius. *1. Reg. 16.* *Vatab.* *D. Io. Chrys.*

301\. Nouerat id probè ipse Dauid, qui gratias Deo reddens, quòd occultas Saulis, & Aulicorum eius insidias euaderet, psalm. 90. sic subiungit. *Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium, & à verbo aspero*. v. 3 quasi non minùs exultet, quòd illorum subdola tot persecutionum retia, quàm quòd aspera verba euitaret. Neque mirum: sic enim vertunt alij ex Hebræo. *Nam à laqueo venatoris, & à peste exitiali liberauit*, quia vt nullum est malum peste contagiosius: sic nulla exitialior pestis reperitur, quàm quæ ab infectâ aulico veneno linguâ cuibratur, ideo iterum Psalm. 63. v. 6. *firmauerunt sibi sermonem nequam: narrauerunt, vt absconderent laqueos*. Vatab. legit. *Corroborantur in re malâ*, antonomasticè enim perdendis alijs, *Res mala* hic appellatur, *nequam sermo*, quia nequaquam facilius sacrilegæ venationis prædam habent, quàm dum prædatoria ista verba adhibent.

Psalm 90. *Verba illaqueantia. Verborum pestis.* *Psalm. 63.* *Vatab.*

302\. Quæris vnde venenum hoc tam efficax, vnde sic serpens contagium? ab inferno. Recurre ad illud, quod ex Iacobo Apostolo, superiori monito diximus, vbi ille de linguâ ita. *Inflammat rotam natiuitatis nostræ, inflammata à gehenna*. cap. 3. v. 6. Quemadmodum enim pernicibus aliàs bestijs solent igniti stimuli admoueri, vt moueantur perniciùs: sic humana conditio, celeritate mirâ in scelera se se rotans, ignitis nequã alicuius linguæ, impiis collocutoris verbis, fertur celerior: nec aliunde quàm germanis gehennæ facibus instimulata, ocyor præcipitatur. Grauiter Gellibertus Serm. 24. *Quomodò potest bene inflammare, lingua tam pessime inflammata? vitiata natiuitatis mobilis corruptela, per se nimis rotatur ad malum, & velocitate propriâ fertur in praeceps: & quid necesse est inflammare rotam hãc, quæ firmari non potest, sed per se fertur in malum?* Certè, necesse non erat, cum ipsa de se nostra conditio, prompta in malum, & prona: verum cuius celeritas in prauum crescere non posse videbatur, Tartareis impij collocutoris stimulis sic acuitur, sic accenditur, vt crescat in immensum. Planè à Dæmone est flatus iste: è serpentis inferni halitu, halitus suos venenatos, mali Aulici hauriunt, & exercent: in cuius horrorem pestis, vt intensius veniat detestanda, vnum aut alterum exemplum subdere non piguerit.

Lingua ab inferno ignescens. *Iacob. 3.* *Gellibert.*

303\. Impatiens Dæmon, & dolens hominis fælicita

Contagiosus halitus peccatoris.

citatem Euam, aggreditur: suadet ad cibum vetitum, & persuadet, cúmque optaret fæmina, virum habere epuli participem, nihilominus illum non expectauit, vt simul infaustum pomum degustarent: sed statim sola & prior *tulit de fructu & comedit:* Genes. 3. v. 6. & vnde tam immoderata fames, rabies tam impatiens, quâ dilectissimum coniugem, in tanto promissæ Diuinitatis conuiuio, Eua sic præuênit? fortassè fæmineæ arrogantiæ deputabis, quâ voluerit priùs diuinitatem participare, & breui licèt tempore præcellere marito: imo & semper obæratum habere: quasi ab ipsâ iam Dea, in illum diuinus honor deriuaretur. Neque id à fæminæ tumidissimâ indole, alienum. In re tamen præsenti ego putarem, hausisse inter colloquendum à serpentis halitu, ipsummet virulentum impatientiæ spiritum: quo Dæmon cruciabatur: vnde non poterat, sic iam veneno infecta, moras nectere, & vel tantillum patiens sperare; fauet Tertul. lib. de Pat. cap. 5. de impatientiâ Dæmonis locutus. *De suo experimento, quid ad peccandum adiutaret, instructus: eandem impingendo, in crimen homini aduocauit. Conuenta statim illi mulier: non temerè dixerim, per colloquium ipsum eius, afflata est spiritu impatientia infecto. Vsque adeo nunquam omnino peccâsset: si diuino interdicto patientiam praseruâsset,* & non putes, iam pene tartareos serpentes, illos Aulicos, quorum venenatos halitus vidisti, sub quorum labijs, ipsissimum Aspidis venenum despumans subnotasti?

Genes. 3.

Fæmina arrogantia.

Tertul.
Dæmonis patient.

304. Suo itaq; experimento, Euam ad impatientiâ afflauit Dæmon, at hinc iam nouo experimento nouit venenatum halitum suum, inficiendis virtutibus, efficacissimum. Proinde Christum Dominum aggressurus, post primam & secundam tentationem, longè vehementiùs: *Assumpsit illum in montem excelsum valde, & ostendit ei, omnia regna Mundi: & dixit ei: hac omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Matth. 4. v. 8. Cùm hæc, repræsentatione fierent imaginariâ, facilè à Pinnaculo Templi, vbi paulo ante tentârat, ostendi poterant; voluit tamen solitarium ducere, fortassè vt omnes Draconis partes adimpleret; Draco enim, non tam in vrbis commercio, quàm in montis solitudine solet insidiari. Ad rem. Sed quid, inquis, tantopere se Draconem volebat exhibere? quia iam non vtcunque verba, sed illa venenata, & pestilenti spiritu infecta euomere parabat. D. Bernard. in Psalm. Qui hab. Serm 14. *In eo, quod ait: hac omnia tibi dabo: in malum insidiantis, suadibilem sibilum animaduertite Draconis: ferunt, illum in arenâ latitantem, etiam aues volantes, flatu attrahere venenato, quàm venenatus hic flatus! verùm non erat ista qualibet auis: nihil potuit Draconis flatus ad illâ.* At poterit quidem, ad quamlibet aliam auem, siue animam, quæ in viuam Christi Petram nidificando, non aduolârit. Habes, vnde pestilentes suos halitus nequam Aulicus mutuetur.

Idem.

Matth. 4.

D. Bernard.

305. Igitur probus Aulicus, vt huiusce Draconis Behemot halitu non lædatur, de quo Deus apud Iob: *Halitus eius prunas ardere facit.* cap. 41. v. 12. audiat cælestem Aulicum, Ecclesiæ Principem, D. Gregorium ibi. *Quia nullâ ratione conceditur, vt mens in hâc corruptibili carne posita, nequaquam suasione illius, ardore tangatur: restat vt malignis flatibus adusta, ad orationis opem, se sine cessatione conuertat: flammam quippe suggestionum illius, extinguit citiùs vnda lachrymarum.* Faciliùs adhuc Coaulici nequam suggestiones, vtpote exteriores, poterit non solùm extinguere conceptas, sed ne accedant euitare, si, vt suprà monui, obediat Ecclesiastico, cuius verba nunc iterum recudenda. *Sepi aures tuas spinis: linguam nequam noli audire.* Cap. 18. v. 28. Sicut enim contra venenata reptilia, spinis horti muniuntur: imo sicut contra aucupum sagittas solent prudentiores aues, spinis nidos, multiplicibus circuncingere, quibus illæ implexæ hebescant: sic contra verba iniquorum, Dæmonis ipsius igne obarmato aures mirâ diligentiâ aspero septo obuallandæ. D. Paulinus Epist. 6. *Obstrue, frater, & sepi aures tuas spinis ad verba eorum, qua sunt sagitta, & spina Zabuli, qui in eorum pracordijs latens, insidiatur in occulto, vt rapiat pauperem Christi, & venetur animam Christianam.* Neque caret mysterio, quod Lxx. in Sixt. vertunt: *Sepi possessionem tuam spinis.* Neque enim mirum, tota nostra possessio dicantur aures: cùm his toxico verborum diro venenatis, tota virtutum arx facilè debelletur.

Iob. 41.

D. Gregor.

Lachrymarum vis.

Eccles. 18.

Verba mala sagitta dæmonis.
D. Paulinus.

X.

Aulicam ambitionem Cordi infixam, menti illudentem, euellit generositas.

QVò tandem tot fraudibus, tot mendaciis, tot detractionibus, tàm denique pestilenti halitu, Inuidi Aulici tendant, in promptu est noscere: Ambitioni suæ, (vt initio dicebam) sic ministrant: Principis gratiæ, adeundis honoribus, quæstui promouendo, alij, aliorum deturbatione, solliciti anhelant. Ambitio, tam sæuæ Inuidiæ, tótque viis peruersè gradientis, radix vnica: vt fere omnes Politicorum Scriptores deplorârunt. Hæc ergo Aulico probo, in primis toto conatu euellenda: ne in prædictum hucusque scelerum immanium barathrum detrudatur; expertus id cultissimus Salustius, qui in Prol. Catil. Coniur. ita. *Ego Adolescentulus initio, sicuti plerique, à studio, ad Remp. allatus sum; ibique mihi multa aduersa fuere imam pro pudore, pro abstinentiâ, pro virtute; audaciâ, largitio, auaritia vigebant: qua tametsi animus aspernabatur insolens malorum: tamen inter tanta vitia, imbecilla atas ambitione corrupta tenebatur: ac me, cum ab reliquorum moribus dissentirem, nihilominus honoris cupido eadem, qua cateros, fama, atque inuidia vexabat,* quia esto alia vitia quandoque, aut bonis, aut saltem dissimulantibus moribus, euitet ambitio: tamen inuidiæ, huiusque satellitum, vitare scelera non poterit, quasi ab illâ radice necessariò quodammodò pullulantia 306.

Aulica ambitio, vitiorum radix.

Salustius.

At, neque facilè putes, sic humano cordi, radicé penitissimè infixam extirpare: vt enim vtilius, sic nihil Aulico venit difficilius. Miserunt Iudæi ab Ierosolymis, Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem: qui illum interrogarent: *Tu quis es?* Ioan. 1. v. 19. Nosti, quid hâc interrogatione sibi vellent, quid sibi summopere optarent respondendum: Cur igitur non aperte interrogant, vtrum ipsissimus fuerit Messias? quia, si Oleastro credimus ad cap. 13. Genes. sic verum elicere 307.

Ambitio, quàm difficile extirpetur.

Ioan. 1.

Oleaster.

resatagebant, vt tamen ad mendacium non allicerent, si fortè promissus in lege Messias, ille non esset. At tantusne vir, cuius heroica virtus ansam præbuerat vt Messias credi posset: sic facilis mendacio credebatur? scilicet in re ambitionis, in quam sic prompta & prona indoles nostra ruit: timendum sibi putauere Legati, ne si quò tenderent apertè reuelarent, audito Messiatûs vocabulo labaret Ioannes, & tandem honoris desiderio, in mendacium vsque affligeretur.

Oleaster. Præcidenda est amicis ambitiosis occasio.

Oleaster. *Cùm semel Legati Iudæorum, ad Ioannem missi interrogarent eum: Tu quis es? mirabar cur non peterent, an ipse esset Messias. Deprehendi eos hoc ideo fecisse: ne Ioanni praberent occasionem, ambiendi nomen ac munus Messiæ si ipse non esset: quo facto nos docent non proponere proximis, quæ ipsi ambire, aut malè possint desiderare.* Non caderet quidem Ioannes, licèt apertè res proponeretur, quam occultè indicatam intelligens, reiecit apertissimè. nihilominus optimè præcauetur, quàm lubrica sit Aulico ambitionis via quæ etiam eremitico viro, adeo putabatur periculosa: quàm sit infixa hæc, quæ à prodigioso aliunde Baptistâ, nondum putabatur penitus euulsa.

308. *Ambitio se ipsa frustra laborat, nec id intelligit.*

Quid mirum? præceps ruit ambitio: furens stultescit: & rapta potiùs, quàm ducta, Aulicorum præuenit iudicium, mentem obscurat: frustra laborans, nec tamen frustra se noscens laborare. Prædicant Magi nouæ stellæ exortu, quasi cælestis tubæ clangore se vocatos, recens natum, Regem adoraturos: *Tunc Herodes clam vocatis Magis diligenter didicit ab eis, tempus stellæ, quæ apparuit eis.* Matth. 2. v. 7. Ergo prædicantibus credidit? ergo verè exortam stellam, nato puero vidit militare? Quid igitur insensatus; adhuc humanis viribus satagit opprimere, pro quo diuina Militia obarmatur. Quid frustra se non sentit laborare: imo quid à Duce se non prætimet proterendum, quem tam nouus exercitus circunstabat? Denique, quid *clam* parat insidias illi, qui tam apertè è cælo propalatur? Visus respondisse Chrysologus sermone 158.

Matth. 2.

D.Pet.Chrys.

Occultè vocat Magos, quia palàm nil audet simulata mens, conscientia dolosa: occultè vocat Magos, quia fur amat noctem, latro in occulto tendit insidias, diligenter inquirit tempus stellæ: sed cum timet regnum, signum Cæli non timet, temporis non pertimescit Auctorem; quid turbaris Herodes? quid es tantùm, de successore sollicitus? cui sydera militant, terreno imperio non tenetur.

Ambitio sibi nocet.

& tamen ambitiosus pergit furens, & ne habenas imperij amittat, totius cogitur mentis amittere habenas: in cælum, (quid laboriosius?) certat: nec tamen sentit se frustra laborare, scilicet stulto suo furori pœnas daturus, dum applicat dolos vanissimos, grauissimo iam scelere implicatur: & quæ est insaniæ summa, in tam inutili, ad consequendum Imperium, apparatu: solam sibi parat maligni affectûs noxam, quâ perdatur, grauiter proinde D.Leo Magnus, serm. 1. de Epiph. sic ad hunc locum expostulat cum Herode.

D.Leo Magn.

Ocæca stultæ æmulationis impietas, quæ perturbandum putas diuinum, tuo furore, consilium! Dominus Mundi temporale non quærit regnum, qui præstat æternum. Quid incommutabilem dispositarum rerum ordinem vertere: & aliorum facinus præoccupare conaris? Mors Christi, non est temporis tui: ante condendum est Euangelium, ante prædicandum est Dei regnum, ante sanitates donandæ, ante sunt facienda miracula. Cur quod alienum futurum est operis, tui esse vis criminis: & non habiturus effectum sceleris, in solum te reatum præcipitas voluntatis. Ah quoties Aulicorum tacita & æmulatrix ambitio in singulos, reatum impij affectûs spargit, ab illo scelere, quod vnius tantum opere exequendum: vt innocentem fortè virum, quem iste è throno ambitiosè successurus, criminator deturbat: cæteri omnes à præda ieiuni, solo reatu conscientiæ deturbâsse videantur?

Quî ergo in quis, generosi Aulici, hanc scelerum radicem, & illam sic radicitus infixam, poterunt extirpare? tantummodò, si se nouerint generosos, Deo auspice: neque se viles cupiant, ipsâ ambitionis professione protestari. Recole Parabolam illam ex libro Iudicum, *Ierunt ligna vt vngerent super se Regem*, cap. 9. v. 8. Non id meri officij erat erga Regem: sed aliquid, imo & multum ambitionis propriæ immiscebant. Indignum sibi, & inglorium putabant ligna vegetatiuè viuentia, instar animalium, qualem qualem ducatum: imo & instar hominum, (si Deo placet) Remp. non formare. ideo paulò infrà v. 9. vbi se olea excusat, nolens pinguedinem suam deserere: *vt inter ligna*, inquit, *promouear*. Paraphrastes Chald. vertit. *vt administrem Remp. arborum.* At, quænam ligna ista, quæ indebito politici regiminis splendori anhelant ambitiosa? certè non è fructeris, non ab hortis, non è Paradisis, siue pomariis: sed vt nonnulli Codices Græci (quos sequitur D. Nilus citandus) habent: *Ierunt ligna sylua.* Id est ligna syluestria, infructifera, infœcunda: quia quò minùs in se agnoscebant generositatis: eò ambitiosiora, honori adeundo ardentius studebant. Ligna fructifera, satis suismet dotibus contenta, nouum hunc formandæ Reip. titulum spernunt generosa. Et bene Arbores infælices & infructiferæ, priùs oliuam, vel ficum, vel vitem ambientes sibi in Regem, patiuntur repulsam à Plantis sic fælicibus: quia & illæ steriles, ab vmbrâ saltem fructiferi sui Regis captabant decorari: & fœcundæ istæ, sic infructiferos subditos, & aliunde sic ambitiosos, meritò repellebant. Bene tandem *Rhamnus* id est infælix & sterilissima planta, oblatum sibi regimen admittit, dicens: *venite, & sub vmbrâ meâ requiescite* v. 15. quia degener Arbuscula, nec vllis propriis dotibus æstimabilis, necessariò proinde erat ambitiosa: nec subditos degeneres, steriles, & ambitiosos, qui ad illam, sic tardi recurrerunt, dummodo vtcunque imperaret, fastiuidit. Audiendus iam D. Nilus, in lib. Ascet. ad hunc locum, *Rhamnus arbor infructifera & spinosa suscepit imperium, quæ nec propriam, nec subiectarum lignorum pinguedinem habet. Neque enim Paradisi, sed sylua ligna, Rectoris indigere, dixit similitudo. Quemadmodum enim oliua, ficus, & vitis, lignorum syluæ recusarunt imperium, quod magis fructibus suis lætarentur, quàm einsmodi dignitate: ita qui fructum aliquem in se virtutis aspiciunt vtilitatemque sentiunt: licèt vocentur ad multorum Imperium, illi commoda sua semper anteponunt.* Si ergo in se aliquid generosum, vtile aliquid agnouerint probi Aulici, eo ipso ambitioni renuntient, necesse est: degeneres & infructiferos, si quid ambiant, se probaturi.

309. Ambitio viles & degeneres animos arguit.

Iud. 9.

Paraphrastes Chald.

Subditis inutilibus præsidere, stultum est.

II.

Aulicæ ambitionis seruitus adorata. vanitas aggrauans: statio defatigans: Pseudo-Martyrium.

310. *Ambitio, quàm misere seruiat.* ET quidem meritò, in tanti veneni Antidotum; generosos, bene formati pectoris animos, huc vocaui; quæ enim generositas approbet tanquam sibi condignam illam dignitatem: ad quàm non nisi per fœdissimos gradus opprobriorum omnium conscenditur? aut quî tandem decorum illud dominium, quod non nisi sub decolori seruitutis maculâ, ineundum? qualis tantilla requies, quam, immensi durissimíque labores, solummodo administrant? Solum ergo cælestibus inhiet generosus probi Aulici spiritus, ne immodicos Aulæ ambiens honores, priùs fœdissimæ multorum seruituti subiiciatur. Ideo D. Basilius Seleucus *Orat.* 3. de Lazaro, irrisâ ethnicâ Philosophiâ, sic de Christiana. *Præclarum bonum est Philosophia, quippe quæ in hac mortali quoque vita suos cultores remunerare soleat, etenim qui pecunias contemnit, etiam hîc hoc commodo potitur, quod à superuacaneis curis, inutilibusque sollicitudinibus, immunis viuat; sic quoque qui Mundi gloriam calcat, iam in hac vitâ mercedem adipiscitur, vt nulli turpiter seruiat, sed verâ vbique libertate gaudeat. Sic tandem qui anima desiderio in cælestia fertur, præsentia omnia nihil esse ratus, illud præmij loco consequitur, vt facili negotio tristia quæuis superet.* An non turpissimè seruit multis, gloriæ ambitiosus, qui sæpe ipsis probis gestis, ipsis officiosis anfractibus, insolentiæ suffragatorum fit fastidiosus? Dedi multa ad hanc rem alibi, de Romanis Candidatis: addo tantum cultissimi Aulici verba, is est Tullius Orat. Pro Milone, vbi sic expertus loquitur. *Scio certè quàm timida sit Ambitio, quanta & quam sollicita cupiditas Consulatus, &c. Ciues improbitati non solùm irascuntur Candidatorum: sed etiam in rectè factis sæpe fastidiunt.* Congero huius infamis seruitutis exempla sacra.

D. Basil. Sel. *Religiosa paupertatis, quies.*

Virtus immunis à tristitiâ.

Cicero.

311. Adducit Tentator Christum in montem excelsum valde, vt dominandi ambitione commoueret, quem prioribus machinis immobilem doluerat: ostensis ergo omnibus regnis Mundi, horúmque gloriâ, addit: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me.* Matth. 4. v. 9. Sed en? dicat aliquis, iam desipis & delrias tentator: regna promittis, adoranda sceptra polliceris eidem, à quo pariter exigis adorationem? vnde credet te gloriæ regalis largitorem cui præmittis infamiam? Quis certam credet celsitudinis promissionem, quæ ab humili casu inchoatur? sed verè nunquam Dæmon callidior, nunquam Aulicis dolis tentauit instructior: suspectus enim fieret cuiuis, ne dum Christo, (quem saltem prudentissimum agnoscebat) si nudam gloriam proponeret ambitioso: fallacior itaque aggreditur, pugnat securior, dum quasi simplici candore, gloriam imperij sic proponit, id est præmissâ seruilis adorationis infamiâ: qualem necessariò illam Ambitiosus quisquis recognoscit. Neque Christus, si purus homo esset, sed prudens (quod Dæmon recolebat) putare posset imperandum sibi hominibus, nisi prius viliori seruiret creaturæ. D. Ambrosius ad hunc locum lib. 4. in Luc. *Hoc ipso perniciosior ambitio, quod blanda quædam est conciliatricula dignitatum: & sæpe quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit monere luxuria, nulla auaritia subruere, facit ambitio criminosos, habet enim forensem gratiam, domesticum periculum, & vt dominetur aliis, priùs seruit, curuatur obsequio, vt honore donetur, & dum vult esse sublimior, fit remissior; cùm in ipsâ potestate quod præcellit, alienum sit: legibus enim imperat, sibi seruit.* Cùm ergo tam insita sit Ambitioni seruitus, tam nota & necessaria ambitioso: palàm illam proposuit, quasi promissi Imperij certissimum argumentum, legitimam cautionem.

Math. 4.

Ambitio non nisi per abiecta seruitia parat sibi imperium.

D. Ambros.

312. *Ambitiosa, seruitus ipsa turpiter adoratur.* Quid? nouerat credo Dæmon, quòd si Christus ambitiosus, tantum absuturus, vt seruitutem adorationis timeret: quin potiùs, ipsam met miseram seruitutem insuper adoraret: cur enim, non quamuis adorationem petit, sed cadentis, *si cadens* inquit, *adoraueris me*: nisi, vt adoratio, illi: vltroneus casus, infami adorationi ministraret? adoratur etiam aliquis, id est colitur modicâ corporis inflexione: & quidem cantandæ victoriæ, plusquàm satis hanc esse Dæmon sciebat: humilem tamen prostrationem, non tam sibi necessariam, quàm ambitiosis solitam postulauit: qui vt plurimùm non tam modicis impensis vt poterant, honori seruiunt, quàm laxis habenis proruunt in obsequia, vt ipsam diligere notam, ipsi seruire seruituti videantur. Ambitiosa venerat ad Christum, Mater filiorum Zebedæi, vt nôsti, & quæ consanguinitatis titulo, & fœmineâ indole sic tumuerat, vt plus sibi, quàm filiis præsumeret concedendum (huc enim ni fallor collineat illud: *Dic vt sedeant hi duo filij mei.* Matth. 20. v. 21. (Id est, quia mei sunt, qui tantam sortiti matrem:) non tamen vtcunque reuerens accedit: sed *adorans & petens.* v. 20. Græcè clarius προσκυνοῦσα, id est propriè. *Flexis genibus adorans.* quia quamuis tot titulis fidens, minori adoratione sibi opus esse præsumeret; ipsam tamen adorationis seruitutem, ambitionis affectu, voluit insuper sibi adoratam, ita est: Sic seruili animo degunt ambitiosi, vt consequendis honoribus, non solùm quasi coacti à seruitute admixtâ teneantur, sed etiam quasi amatores, dilectam ipsi teneant seruitutem. Grauiter Seneca Epist. 22. de Ambitiosorum honoribus, locutus. *Ab his ergo, inuiti homines recedunt: & mercedem miseriarum amant, ipsas execrantur. sic de Ambitione, quomodo de amicâ queruntur: & si verum affectum eorum inspicias, non oderunt, sed litigant. Excute istos, qui, quæ cupiêre, deplorant, & de earum rerum loquuntur fugâ, quibus carere non possunt, videbis voluntariam esse illis in eo moram, quod ægrè ferre ipsos & miserè loquuntur. ita est mi Lucili, paucos seruitus, plures seruitutem tenent.* Egregia gnome.

Fœminea arrogantia.

Matth. 20.

Amat ambitiosus seruitutem.

313. *Nihil in honore terreno grande est, ad quem non nisi per dedecora ascenditur.* Sed vnde Ambitiosus propositam sibi apertè adorat seruitutem, tanquam honoris comitem inseparabilem: indidem generosus spiritus admonetur, vt honoris ipsius fallaciam recognoscat: ad quem non nisi per infames hos abiectiores gradus peruenitur. Hinc in prædictâ tentatoris Dæmonis verba, sic habet D. Irenæus lib. 5. *Ipse fatetur, quoniam adorare eum, & voluntatem*

Irenæus.

& per ruinam. *luntatem eius facere; est cadere à gloria Dei. At quid aut suaue, aut bonum participare potest, qui cecidit? aut quid aliud sperare, aut expectare potest, qui talis est, nisi mortẽ; et enim qui cecidit, proxima mors est, deinde nec illa, quæ promisit, præstabit: quomodò enim præstabit ei, qui cecidit?* & meritò, nullus enim est honos subsequens ita validus, qui conceptam probrosi casus maculam possit abolere; quid ergo ipsâ adorantis seruitutis propositâ notitiâ, in honoris despectum non exsurgat generositas? Adeste huc Hebræi Iuuenes fortissimi, qui Babylonici tyranni arrogantiam conculcâstis, irrisistis minas. Esto feruidiori charitatis incendio flagrantes, fornacem contemnatis, insultetis igni, in cuius pabulum montes decrescunt: in cuius potum naphtini bituminis scaturigines exsiccantur; vt flamma in quadraginta nouem cubitos cristaretur: quid tamen regalis mensæ dapibus, thesauri opulentiâ, honorum cumulo, dignitatum excellentiâ non moueminì, vt tantorum ambitione titillati, gratiam Principis, de statuæ erectæ cultu promereatis? Sed responderent, credo, ipso se Regis præconio institutos, qui præmiserat: *Cadentes adorate statuam auream.* Daniel. 3. v. 5. vnde D. Chrysost. ibi, Homil. 4. ad Pop. Antioch. *verè cadere erat, adorare simulacrum* quid igitur grande, in honore adipiscendo præsumere iam possent: ad quem per tantum dedecus ascensuri? aut vnde non ruinosum eius fastigium, in cuius basim, ruina præmittebatur? *Dan. 3 v. 5. D. Io. Chrys.*

314. *Ridicula ambitiosi seruitus.* Solummodò ergo degeneres, dignitatis natiuæ, excellentiæque propriæ obliti: & aliunde vanissimi mortalium, vanis aliunde honoribus, caducis dignitatibus, sic ambitiosè student, vt seruire etiam minoribus, & proprium conculcare splendorem non erubescant, vnde videas Reip. aliquando Proceres, & Dynastas, ne sibi inuicem, in minimo honoris apice concedant: aliunde Togati Iudicis anteambulones, tumidæ pompæ partem infælicissimam: Iurisconsulto, imo & Notario humiliter obsequentes: & quorum natales spernunt, adorantes officium, quibus multò satiùs, longè foret honestiùs, æqualibus & fortè maioribus concedere, quàm ad minorum cogi seruitutem. *Qui, ne cedat æquali, seruit minori.* Tales puto Solymitanos Principes: qui per summam ambitionem, Christo subijci recusantes, missis Sacerdotibus & Leuitis: *Tu quis es?* Ioan. 1. v. 19 Baptistam sibi in Regem & Messiam sollicitabant: parati adorare priuatum & sibi subditum hominem, ne Principi cælesti cedere viderentur. *Ioan. 1. v. 19.* Quàm nouus captandi honoris labyrinthus! quàm cæca & inexplicabilis conditio! per dedecus fouetur ambitio: per maximam infamiam seruitur dignitati: obliuioni datur ingens, propria dignitas, vt minor, aliena alia procuretur: illiúsque ingenti dispendio, huius lucellum vilissimum comparatur. *Ambitionis intricatus labyrinthus.* Expende, quid post diluuium agant iam mortales. *Venite*, inquiunt, *faciamus lateres: &c. faciamus nobis ciuitatem & turrim, &c. & celebremus nomen nostrum.* Genes. 11. à v. 3. Non solùm vulgares homines, sed & Principes, imo & hi maximè vtpote ambitiosiores, in eandem mentem conuenisse colligitur. *Genes. 11.* Non erubescunt miseri Principes cum plebeis; ipsi lutum subigunt, lateres formant, vilissimè laborant, parcere inferioribus parati, fortasse ædificandi arte præstantioribus: quia, vt rectè ibi Oleaster. *Facillimè con-* *Oleaster.*

iunguntur homines ad ea quæ sunt vanitatis: neque in rebus vanis curant dignitatem suam. An igitur non est inexplicabilis Ambitionis labyrinthus, quæ non solùm turpiter seruit, vt imperet indècorè, sed & ipsam seruitutem sic adorat, vt vanitati studens, solidam aliunde conculcet dignitatem?

Sed ecce noua alia conditio huius labyrinthi: ipsa vanitas cui tam auidè inhiat ambitiosus, infaustum miserè premit: redditur ipsa leuitas ponderosa, vt deijciat: & vt aggrauet, vanitas ingrauescit. 315. *Ambitionis vanitas grauissima.* Dabo hîc Dauidis locum, quem iam alibi fusiùs scripsi, quia addendis alijs necessarius. *Iniquitates*, inquit, *meæ supergressæ sũt caput meũ, & sicut onus graue grauatæ sunt super me*, Ps. 37. v. 5. *Psalm. 37.* Iniquitatis onus, non humeros vt videbatur, sed caput dicitur supergredi: quia non cuiusuis iniquitatis, sed ambitiosæ superbiæ damnum deplorat hîc Propheta, vt ait Augustinus: at superbia, in ipso erecto collo, in ipso elato capite sedem collocat, vnde bene Lxx. quos sequitur S. Doctor, vertunt: *Iniquitates meæ, ὑπερῆραν, sustulerunt caput meum.* *Lxx Interpr.* At ecce nodus: leuitatis est attollere & erigere: vnde ergo iniquitas, quæ potuit sustollere caput vtpote leuissima, aliunde vt onus graue dicitur aggrauare? Respondet multis August. nunc illa satis. *Leuitatis est erigere caput, quia ergo leue est, quod potest erigi: accipit pondus, vnde possit comprimi: conuertetur enim labor eius in caput eius: & iniquitas eius in verticem eius descendet.* *D. August.* Monstrosa igitur & fere inexplicabilis redditur vanitas, quam superbissima sequitur ambitio: dum ipsâ leuitate grauat: & nullo pondere vbique mobilis, redditur aliunde, sub prædictâ seruitute onerosissima. *Ambitio, argento viuo comparata.* Argentum viuum appelles meritò, hanc ambitionis Aulicæ vanitatem: quo cùm nihil sit mobilius, & fugaci vento similius, nihil est grauius.

316. Hinc capies verba Pauli, *Creatura liberabitur à seruitute corruptionis:* Roman. 8 v. 21. dum autem differtur libertas: *Omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc.* v. 22. *Rom. 8. 21.* tot gemitus, tot dolores, vt etiam parturientium doloribus comparentur: certè onus aliquod denotant importabile: ecquod illud? vide quod præcedit. *Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui subiecit eam* v. 20 Subiecit nobis Deus creaturas: quas dum superbi, iam ambitiosæ vanitatis pompam ducimus, nobiscum seruire, atque subijci cogimus vanitati: quid ni ergo nobiscum concaptiuæ, sub immenso noui tenoris pondere ingemiscant? multa Cellensis ad hunc locum lib. de Pan. cap. 15. Libo pauca. *Petrus Cell.* *Ex sententiâ Iusti Iudicis, collum superbi peccatoris religatur in hoc sæculo, sub iugo periculosæ vanitatis: primitiæ namque stipendiorum Originalis & actualis peccati, sunt retia inextricabilis vanitatis: grauis autem vsquequaque est vanitas, quam non leuigat Sanctitas, incuruat enim oculum rationis ad inferiora*, certè inextricabilis est vanitas, non solùm quòd ab eius retibus numquam satis expedimur: sed insuper, quòd nesciat quis vnquam extricare, vnde tanta rei leuitas sit tam grauis, vt sub illâ quasi sub seruitutis iugo laboremus. *Ambitionis leuitas onerosa.* Ambitiosi gloriæ Simeon & Leui, in Sororis violatæ vindictam surrexerunt. Genes. 34. multum inde in Patrem decoris putantes deriuandum: prudentior tamen exclamat Iacob; *Genes. 34.* *Simeon & Leui fratres, vasa iniquitatis bellantia,*

in cœtu illorum non sit gloria mea. Cap. 49. v. 6. Neque mirum: ex hebræo enim verti potest: *in cœtu eorum non sit aggrauatio mea:* nam בכבד sic gloriam, vt aggrauationem significat; à radice כבד quæ passim indifferenter nunc *aggrauare*, nunc glorificare exprimit in sacro textu; meritò ergo fugit gloriæ illius vanitatem Sanctissimus Patriarcha, qua se necessariò aggrauandum sentiebat.

317. *Aulicorum statio, apud Principes defatigata.* Restabat hîc, miseros huius seruitutis labores dinumerare: sed quia de his fusè alibi scripsi, pauca dictis addidero. Ridiculi mihi in primis & miserrimi illi, quos in Dynastarum Aulis passim cernimus, fixo gradu immobiles, & instar statuarum, bonam diei partem sedenti Principi circunstantes, nunc huius delyris verbis, quasi oraculis applaudentes, nunc Curiæ & orbis rumusculos insusurrantes semper detecto capite, & fatigata statione, Maiestatis fastum, & vel oscitationem, venerantes. Ecquis aut insanior labor, aut inutilior? & tamen ab hac statione, ab Aulicâ assistentiâ, (*Cortejo* vocant) quasi ab honore eximio, se iactant. Princeps ille arrogans, quem sub formâ Leonis, sed insuper aquilinis
Dan. 7. alis monstrosè insigniti, viderat Daniel: tandem diuinæ vindictæ fulmine punitus, euulsas alas dolet: & cùm putares, minutissimas vel in partes, deinde discerpendum: vel igne periturum: vel pelago immergendum: solùm audis: *& super pedes, quasi homo stetit.* Cap. 7. v. 4. & hæc fuerit condigna pœna sceleris tam immanis: si à formâ sæuientis bestiæ, in Hominis iam formam detrudatur? Non vtcunque hominem dixit, sed stantem, & fixo gradu immobilem: quo satis sæuum supplicium, post auulsas iam pennas denotatur.
Ricard. Vict. Ricardus Victorin. ibi, apud Godef. *Vtinam vel serò desinas, se Angelum credere: & tandem aliquando desinas, supra hominem præsumere; iam non volat vt Angelus, non ambulat vt homo: sed stat vt nunquam requiescat, assiduè ergo stat, quia sine intermissione laborat: pedes sine incessu fatigat: sine fructu laborat,* & non rideas, quod huic misero, per summũ pœnã euẽnit: id ambitiosis Aulicis, in seruitutis suę gloriam ingentem deputari?

318. *Aulici, Pseudomartyres.* Sed quantulus hic labor, si cum alijs, quos fert grauissimos Aulicæ ambitionis seruitus, comparetur? Vno verbo: vt Pseudoapostolos, Pseudoprophetas, Pseudointerpretes, vt suprà fusè dixi, ab inuidis detractoribus, in Aulâ sibi parat Dæmon: sic ibidem ab ambitiosis, Pseudomartyres etiam disponit. In certamen, cum Sacerdotibus impijs Baal, descenderat pijssimus Elias: nec erat aliud præmium conflictûs, quàm adoratio, & veri Numinis professio, aut Deo, aut Idolo assignanda: vter enim Sacrificium, misso cælitus igne incenderet, pro domino deinceps habendus. Id in hac re mirum, quod pares, & eiusdem conditionis victimas, in tam diuersa holocausta exigat Propheta: *Dentur* inquit Elias, *nobis duo boues*, &c. 3. Reg. 18. v. 23. Quò pergis prudentissime Vates? cur tam similes victimas postulaueris, Deo & Baali mactandas? fac tu Deo, vt assoles, boue: Sacerdotes Baali faciant, quo libuerit: nam ad rem probandi Numinis, per ignem emittendum, perinde est, si diuersa holocausta designentur: pro decentiâ verò pacti quod statuis, satius videbatur, si non ex æquo, Deus, & Dæmon siue Baal, paritate victimarum, se iudice conferantur, quò ergo pergis? voluit credo inter Religionis negotia grauissima, aliquid obiter Politicum non inutile edocere. Exigit itaque consimiles victimas Deo Dæmoníque: quia Dæmoni Deóque nouerat eiusdem conditionis hòmines sæpe sacrificari: & similibus hostijs humanis, licet affectu dissimili, vtrunque placari solitum, nec minoris doloris esse tormenta illa, quibus ambitiosi Aulici subiacent, vt vanitatis suæ seruiant Idolo: quam quæ Martyres & mortificati Iusti, in Dei seruitute patiuntur. Stephanus Cantuar. ibi. *Deus habet suam victimam, Diabolus suam, qui enim macerant se, & labores sustinent, vt Superiores efficiantur in hoc Mundo, sunt bos interfectus à Prophetis Baal, qui Superior interpretatur; qui verò pro Deo se mortificant, sunt bos mactatus ab Elia. Propheta Baal, sunt diuites & potentes huius Mundi.* Superiori, siue Baal se immolant igitur, quíque aliunde potentes, adhuc in Aulâ superioris Principis, superioribus gradibus anhelant: ibi videre est Proceres aliunde splendidissimos vilissimis obsequiis se mancipantes: & cum quandoque minus illi à Principe; quàm ab illis, famuli subsistent: in ea se Principi abijciunt ministeria, quæ sibi, à nullo suorum ingenuo audeant postulare; vtpote vilioribus mancipijs deputata.

(3. Reg. 18.; Steph. Cant.)

Vt Amori Dinæ seruiret Hemor Princeps: vtque Hemoris affectui indulgeret Sichem pater: per maximum & sæuissimum dolorem se circuncidunt. Nota historia ex Genesi, toto Cap. 34 bonâ tuâ pace, Hispane Lector, accommoda hic palatum prudentissimæ allegoriæ, quam sic euoluit venerabilis Ricardus apud Godefr. *Quid sibi volunt eiusmodi nomina: Sichem, quod interpretatur humerus, vel labor: & Hemor, quod sonat asinus?* planum id ex Hebræo. *Sed si eorum facta consulimus, qui sint, citiùs inueniemus, qui sunt enim qui solent, non tam pro Deo, quàm pro Dina: non tã pro conscientiâ, quã pro verecundiâ, pudenda sua circumcidere: quàm Amor propriæ excellentiæ, amor vanæ gloriæ? attende nunc ergo hunc Hemor, quàm sit stultus, & inuenies, quod certè Asinus nuncupetur: quid enim stultius, quàm de malo proprio, vel de bono alieno aliquo gloriari? sed & quod Sichem, humerus vel labor dicitur, ad idem pertinere videtur: humeris enim onera portamus: & hoc agendo vtique laboramus.* Habes Aulicorum vanæ gloriæ, & honoris excellentiæ ambitiosè inhiantium, mores expressissimos: qui in miserâ seruitute, à propudiosis gestis se comprimunt: non tam vt sint, quàm vt boni videantur, & dignitatibus digni approbentur, tu reliqua. Pergo. Militem in profundo specu, & verè tenebrarum spelæo, Sacris Idoli Mithræ initiandum: *quasi Mimum martyrij* dixit Tertul. lib de Cor. Milit. cap. 15. Nec immeritò, innumera enim tormenta patiebatur. Vnde D. Gregor. Nazian. (dedit hunc ibi Cerda) de Cruciatibus crudelissimis Arethusij locutus, Mythriacis illos comparauit. *Raptabatur per plateas, protrudebatur per cloacas: crinibus, & aliâ quauis corporis parte (admistâ nempe tormento contumeliâ) ab his trahebatur: qui in Mithra Sacris, huiusmodi supplicijs condignè cruciantur*, & non vocem Martyrum Mimos, vel Pseudomartyres, Aulicos, quos ambitio cogit, per Principis fastidia, per abiectissima ministeria, per Coaulicorum insidias: mythriacos pene labores, vt initientur honori, tolerare?

(319. *Pseudomartyrum horũ labores.* Genes. 34. Ricard. Vict. *Aulici Mythra Sacerdotes.* Tertul. D. Greg. Naz.)

XII.

XII.

Aulicus Chamæleon, vento pastus: de Corio suo lucens:

320. *Aulici, & Chamæleontis diligens comparatio.* SEd illa prædictæ seruitutis acerbior conditio, quâ miser Aulicus, ad Principis sui affectus mutat totus: vario illius semper ingenio, vbique concolor, vt nunquam idem, quasi de corio suo ludat: interim spe vanâ, quasi vento pastus, purum & putum dixeris Chamæleontem: de quo *Tertul.* Tertullianus lib. de Pal. cap. 3. post alia. *Ieiunus scilicet semper, & indefectus, oscitans vescitur, follicans ruminat, de vento cibus: tamen & Chamæleon mutare totus, nec aliud valet: nam cùm coloris proprietas vna sit, vt quid accessit, inde suffunditur: hoc soli Chamæleonti datur, quod vulgo di-* *Aulicus ieiunus.* *ctum est, de corio suo ludere.* Ieiunant semper ambitiosi, quia semper famescunt, nec accepta respiciunt, sed inhiant accipiendis: de quibus gra- *Seneca.* uiter Seneca lib. 10 epist. 74. *Multa Principibus debent, sed & multa imputant: quibus nunquam tam plenè occurrere vlla liberalitas potest, vt cupiditates illorum, quæ crescunt, dum implentur, exsatiet, &c. Adijce nunc, quod nemo eorum, qui in Republ. versantur, quos vincat sed à quibus vincatur, aspicit: & illis non tam iucundum est multos post se videre, quàm graue, aliquem ante se: habet hoc* *Ambitio nunquam respicit.* *vitium ambitio, non respicit*, quia solùm præcedentes aspicit, suspicit alta, nec ad respiciendum, reflecti potest: quod etiam, vt id obiter dixerim, Chamæleontis est; de quo Tertullianus citatus: *Tertul.* *Aulici ventosi pabula.* *Capitulum statim à dorso, nam deficit ceruix: itaque durum reflecti.* redeo. Eergo sic ieiuni Aulici, quia famescentes, tamen *indefecti*, id est, indeficientes persistunt, quia etiam præ tædio laboris oscitantes, saltem vanissimæ spei, & inanis gloriolæ aluntur vento: quem, quod mirere, quasi solidus foret, ruminant follicantes. Ideo Statius lib. 4. Sil. 4. ambitionem suam ingenuè testatus, ait:

Statius. *——Nos otia vitæ*
Solamur cantu: ventosaque gaudia famæ,
Quærimus.——

Sed prudentissimè Prudentius in Hamartig. inferni monstra Tartarea commemorans, sic scribit.

Prudent. *Informes horrent facies, habitusque minaces:*
Ambitio ventosâ tumet.

quod enim horribilius vnquam monstrum ab Inferno prodire potuit, quàm sub immanis mortis periculo, ventosæ vitæ cibus inanissimus? Et tamen perstant Aulici, vt vento hoc pascantur, de corio suo ludentes, mutant vbiuis cum Principe, & vt loquitur Socrates lib. 1. cap. 3. (dedit hunc *Socrates.* *Aulici, colores mutant.* *Beauxamis.* Cerda) *Sicut Chamæleontes varians*, Bene Beauxamius, ad illud Matth. 10. *Cauete ab hominibus:* ita: *Et si enim multis Chamæleon coloribus opertus sit: non superat tamen illa sua varietate, hominum varietatem.* Sed præcipuè ventosi Aulici, inquam ego.

321. Nimirum, cùm sic tenui cibo, alimento sic subtili, id est aurâ leuissimâ toleretur Chamæleon, tenue & permeabile corpus efformat necessariò: vnde fit, vt cutis, interno affectu suffuso inficiatur facilè: aut, variato lucis reflexu, varietur. Hinc Seneca lib. 1. Caus. Nat. cap. 5. *Chamæleontes, & reliqua animalia, quorum color, aut ex* *Senec.* *ipsis mutatur, cum ira vel cupidine accensa cutem suam variant humore suffuso: aut positione lucis, quàm prout rectam, vel obliquam receperint, ita colorantur.* Quidni ergo ventoso cibo animam nutrientes Aulici, sic reddant permeabilem vt ad quosuis affectus, varient colorem: vt è Principis vultu, cuius luci intendunt, nunc in hos blando, nunc in eosdem irato, & frequenter mutante, quasi è vario reflexu varientur: obliquè toruis, aut benignè rectis radiis concolorati? Talis ille Piletus, verè aulicus de quo Statius lib. 2. Silu. 6. ita ad Vesum, è Romanis proceribus, & Pileti patronum.

—Tecum tristisque, hilarisque: nec vnquam *Statius.*
Ille suus: vultumque tuo sumebat ab ore.

Aulicus, ex vultu Principis mutatur. Conglobaui fusior quàm soleo, in re morum, prophana ista: quia intacta adhuc tot Politicorum scriptoribus, qui Aulicum Chamæleonti conferunt, sed tumultuariè. Iam ad seria ex sacris.

322. *Matth. 17. 1.* Eduxerat Christus Dominus, discipulos chariores, *In montem excelsum seorsum: & transfiguratus est ante eos.* Matth. 17. v. 1. non figurat se Christus: id enim illorum est, qui fucante penicillo, adulterinæ seruiunt pulchritudini. Neque se desigurat quod vbique hypocritæ; quod in Aulis Principum, ludiones & parasiti, vultibus in ridiculas formas compositis facere consuêrunt: absit. Ergo se tantummodo transfigurat, id est nouam assumit formam venustatis. Sed cur in tam abdito loco, in semotissimo monte, & non potiùs in vrbe transfiguratur? cur gloriosus, paucis tantùm, non multis innotescit? ego inter tot alia mysteria, non dissonum putarem id ita factum, ne gloriolæ vanæ ambitiosus videretur. *Chamæleon*, inquit Aristot. lib. 2. animal. cap. 11. *mutat suum colorem inflatus.* Quia vt dixi ob *Aristot.* aeris inclusi raritatem, facilè permeabilis. Habet vrbs, habent Principum aulæ innumeros Chamæleontes, qui ventosâ ambitione inflati, inaniter gloriantes facillimè nouas formas assumunt: & mirè transfigurati, obiectis circunstantibus concolorantur. Cauit ergo meritò Christus *Aulicorum Chamæleontini colores.* ne apud maleuolos Iudæos talis argueretur. Ferè in hanc mentem Hugo Card. ibi. *Nota quod quidam se figurant, alij desigurant, alij transfigurant. Figurant se mulieres, quæ se pingunt, &c. Desigurant se hypocritæ & Truttani; & alij se transfigurant, modo de vna formâ in aliam: hi sunt inaniter gloriantes, qui sunt sicut Chamæleontes. Sic transfigurari non est bonum, sed sicut transfigurauit se Dominus.* Quasi inde quod inanis vento gloriolæ inflentur, facilè instar Chamæleontium colores mutent, & de corio suo ludant indecori: parati ad quanuis lucem transmutari.

323. *Luc. 23.* Gaudet Herodes, & missum sibi, à Pilato, hilariter excipit Saluatorem: credens fore vt apud se multa ederet miracula, & regio nutui totam pompam expanderet prodigiorum. Nil autem operante Christo, neque respondere dignato: *spreuit illum Herodes cum exercitu suo, & illusit indutum veste albâ.* Luc. 23. v. 11. vbi Caie- *Caiet.* tanus, *Scribæ & sacerdotes, Iesum vt malum: Herodes autem vt fatuum non solùm habet, sed tractat: existimauit enim, illum esse loquacem cum vulgaribus: nesciat turbas sequi illum: & propter-*

ea sprevit illum. Putauit itaque illum vulgarem hominem, & tantùm nesciis turbis, mutuâ fatuitate imponentem: quasi si qua vrbanitate Aulicâ, & aliunde quauis potentia floreret: necessariò ad Regis gustum, instar Chamæleontium suorum, quiduis esset facturus, ad eiúsque varium nutum variandus, quasi in hoc vno, tota Aulica vis & sapientia (heu fatua, & stultissima!) consistat. Sed bene quod insanissimus Princeps dum Christo putat inludere, eum veste albâ induit. Nihil Christus in Aulâ regiâ, nos potuit vtilius docere exemplo suo, quàm Aulicam istam Chamæleontis indolem abominari: nec aliunde (si piè magis quàm solidè argutari libet) ab illa remotiorem se poterat ostendere, quàm dum colore albo se patitur insigniri. Verissima enim illa D. Gregor. Nazianz. Orat. 3. *Chamaleontem in quoduis facile mutare aiunt: atque omnes subinde colores, exceptâ vnicè albedine; induere.* Ergo dum albâ veste induitur Christus ab Herode, nihil Aulicæ Chamæleontinæ sortitus enuntiatur. Nesciunt, nec ferunt, de corio ludentes, & versipelles Aulæ Chamæleontes, simplicissimum innocentiæ candorem: fucatæ gloriæ anhelantes, saturos fuco colores norunt mutare: hic candor in Aulâ, soli Christo & sequacibus eius, vt pote verâ gloriâ cumulatis asseruatur. Vt etiam huc faciat, quod ad hunc locum Ambrosius. *Non otiosum, quod veste albâ induitur ab Herode, immaculatæ tribuens indicia passionis, quod agnus Dei sine maculâ, cum gloriâ, mundi peccata susciperet.*

Aulici, ad Principis gustum condiuntur.

D. Greg. Naz. *Chamaleon nunquam albus.*

D. Ambros.

324. Facilis ab hoc, ad alium Herodem gradus. Auditis Magis, Nuntium lucis, in ortu, noui Regis exortum nuntiantibus: *Herodes Rex turbatus est, & omnis Ierosolyma cum illo.* Matth. 2. v. 3. neque mirum: cum Regis ad exemplum, totus, vt aiunt, Orbis componatur. Congregans igitur Herodes sacerdotum Principes, scribas populi, Solymitanos scilicet Aulæ suæ Proceres: & ab his sciscitatus, vbi Christus nasceretur? audit respondentes: *In Bethlehem Iudæ: sic enim scriptum est per Prophetam.* v. 5. Nil ergo consequentius videbatur, quàm qui tam probè nascituri Messiæ cunas agnoscebant, agnitas adirent: & puerum tam aperto, hospitum Regum auidè confluentium, testimonio indicatum, adorarent: nihilominus fidei obsurdescunt: & faustissima nuntiantibus renuntiant. Vnde tantum, impietatis? Dices nec immeritò, sperâsse illos Messiam temporalis regni pompâ conspicuâ nasciturum: ideóque minimè hunc esse credidisse, qui tam occultè, tam sine solito apparatu nascebatur; fateor hanc apud illos, falsam increbuisse opinionem: sed indidem magis miror, quod illam tam solido Magorum suffragio non deponerent: neque enim persuaderi non poterant, cælesti sydere monitos istos Reges, qui tot impensis eò veniebant: & aliunde Puero cælestibus his præconiis decantato, vilissimam terræ pompam, decentem & necessariam existimare; foret ridiculum. Vnde ergo miserrimè hebescunt, ne priscam illam sententiam deponant? quia sententia erat, cui ipse infaustè timidus rex Herodes adhærebat: & ad illius arbitrium impij Chamæleontes, arbitria etiam sua componebant. Fortasse totum hoc voluit D. Leo Magnus serm. 4. de Epiph. qui ad hunc locum ita. *Quam facilè, & quam consequens fuit, vt Hebræorum Proceres crederent, quod docebant. Sed apparet illos carnaliter cum Herode sapuisse, & regnum Christi commune, cum huius mundi potestatibus æstimâsse: vt isti temporalem sperarent Ducem: & terrenum metueret ille consortem. Superfluo Herodes timore turbaris: & frustra in suspectum tibi puerum sæuire moliris: non capit Christum regio tua: nec Mundi Dominus potestatis tuæ sceptri est contentus angustiis.* Itaque licet diuerso spei & timoris affectu: vnam cum Herode Chamæleontes combibunt altiùs sententiam: malúntque cum illo carnaliter sapere, id est desipere: quàm Prophetam spiritualiter intelligere.

Matth. 2.

Aulici, Regis sententia gibarent.

D. Leo.

325. Vrgente impij Pharaonis imperio, vt laterum numerus, etiam denegatis paleis, ab Hebræis impleretur: addit Textus. *Videbant se præpositi filiorum Israël in malo.* Exod. 5. v. 19. Cùm hæc reciprocorum affixa, in Hebræo, vt nôsti, sint æquiuoca, longè aliter alij transtulerunt. Oleaster ex Pagnin. ita. *Intuiti sunt Præpositi filiorum Israel, eos ad malum:* Quod deinde literaliter sic explicat. *Per videre in malum; intellige videre toruè aut ad puniendum.* Prætereo an hi Præpositi forent Ægyptij, an Hebræi: multis probabilius & meritò Hebræi putantur. Vtcunque sit, certissimum est, illos iniquam Regis sententiam iudicâsse: ideo præmittitur. v. 15. *Veneruntque Præpositi filiorum Israel, & vociferati sunt ad Pharaonem dicentes, Cur ita agis contra seruos tuos?* Quid ergo postea miseri Israelitæ peccauerunt, vt denuo ab his Præpositis, & oculorum toruitate, & punitionis duritie exciperentur? certè nihil: sed Præpositi, vt pote Regis administri, licèt iniquum eius imperium subnotarent, videntes tamen constanter in malitiâ perseuerare, in eiusdem affectum transierunt; & instar Chamæleontium; nouo se odij colore induerunt. bene idem Oleaster iam moraliter. *Commune est, hoc, vt toruè aspiciant serui eos, quos viderint à dominis suis odio haberi, &c. Odio habent, quos domini oderunt: etiam si cognoscant dominos irrationabiliter odisse: transierunt enim in affectum eorum: vt eos solos diligant, aut odio habeant: quos oderunt vel amant domini eorum.* Vt ergo supra Iudæi in Herodis sui mentem, sub alio affectu: sic Ægyptij sub alia mente, in Pharaonis sui affectum commutantur & quidem si Præpositi isti, Hebræi erant, vt puto: multo est mirabilius, quòd contra consanguineos, Chameleontinæ Aulicæ sic seruirent: & in concarnes suos luderent de corio.

Exod. 5.

Pagnin.

Oleaster.

v. 15.

Aulica, in prauos Principis mores, conuertuntur.

Oleaster.

Aulici ad gustum Principis, nesciunt consanguineos.

326. Petierant, intercedente Matre, primas sedes à Christo Iacobus & Ioannes Matth. 20. v. 21. Sed repulsam passi, insuper ignorantiæ arguuntur. v. 25. Tunc subditur: *& audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus*, v. 24. Auditâ sæuiori Christi responsione tunc indignantur immeritò, cùm potiùs afflictis condiscipulis, & tam palàm ambitionis ignorantis pudore sugillatis, compati deberent: qui potiùs auditæ priùs arroganti petitioni debuerant indignari: tunc tamen nec mutire audentes, ecce iam fremunt; causa est in apertò, non dum diuini aduentu Spiritus purgati, carnaliter adhuc sapiebant: regnúmque Christi, instar temporalium tractabant potestatum: ergo Aulici Chamæleontes, à Regis sui vultu pendebant, quo propenderet, inclinaturi: parati candidatos fratres gratulatoriis adulationibus excipere, si probarentur: reprobis, vt euenit, indignari?

Matth. 20.

Aulici à vultu Principis pendent, vt propendeant.

Caiet. indignati. Neque hinc abit Caietanus ibi, *Non prius indignati ſunt, quam audirent reſponſionem Domini: & vt, carnales adhuc non ſunt compaſſi ignoranter petentibus: ſed indignati ſunt, agrè ferentes, quòd illi duo voluerint omnibus præferri.* Quaſi quid facturi, à reſponſione Regia ſolummodo ſuſpenderent. Quod ſi illorum ſententiæ ſubſcribas, qui putant ſubmiſsâ voce factam petitionem (quod fortè probabilius: quæ enim frons ſufficeret in has, coram reliquis, preces) & ex repulsâ datâ, dominicaque ratione cæteris patefactam: nec ita tamen Chamæleontinam, carnalium adhuc, indolem excuſabis: Cur enim cum toties ante viderent, hos fratres cum Petro, ſibi præponi, & notis amoris maximi inſigniti, diſſimulârunt: hic autem vbi repulſos audiunt, indignantur: niſi quia vtrobique de corio ludentes, quaſi ad huc vanitatis vento perflabiles, dominico ſe colori attemperabant? bene Euthymius, *Tunc indignati ſunt, ſiue grauiter tulerunt. Si quidem quando frequenter Chriſtus, illos præ cæteris honorauerat, non agrè tulerunt, ipſum ſcilicet reueriti; quando autem per ſe primatum petierunt, indignati ſunt: & maximè cognito, quòd exauditi non eſſent, ex Præceptoris enim reſponſione intellexerunt, quod petiiſſent.*

Et illum colore consolantur.

Euthym.

327. Quando fratres Ioſeph in Ægyptum redierunt, Diſpenſatorique eius, pecunias, quas in ſaccis inuenerant obtulerunt, ne fortè ſuſpecti de furto haberentur: reſpondit Diſpenſator: *Pax vobiſcum, nolite timere: Deus veſter, & Deus Patris veſtri, dedit vobis theſauros in ſaccis veſtris.* Geneſ. 43. v. 23. Sed vnde vir Ægyptius, & ille nobilis officio, erga Hebræos & vilioris muneris, paſtores ſcilicet, tam verbis blandus, tam reſponſo comis, & religione pius? Aulicus erat Chamæleon: notarât, quàm hos prius Ioſeph benignè exceperat: ideo erga eoſdem hic redditur benignus: paratus vinculis tradere, & affligere, ſi (quod poſtea euênit) mutatus Princeps, in ipſos deſæuiret: vbique ad Principis ſui nutum, de ſuo corio, tam variè luſurus. Oleaſter ibi, *Sicut iniquus, omnes Miniſtros impios habet: ſic Iuſtus, omnes iuſtitiâ præditos: & vt plurimum cuius fidei eſt Dominus eiuſdem eſt ſeruus, & quali vultu Dominus aliquem recipit, tali & Miniſtri eius.* Hæc ſatis de Aulicâ Chamæleontinâ, cui ventoſa Ambitio deſeruit: tantò magis à generoſo ſpiritu inludenda: quantò de corio ſuo ludens fœdius commutatur.

Geneſ. 43.

Aulicus cum Principe mutatur.

Oleaſter.

328. Non tamen propterea vetauerim Aulicos meos probos, vt ſi quandoque in Principem incidant vndequaque perfectum, (rariſſima hæc Auis) qui pro varietate rerum, & temporis diuersâ circunſtantiâ, ſine vllo conſtantiæ diſpendio, mutat: quin tunc poſſint, & debeant, ad eiuſdem colores variari. Non eſt hoc de corio ſuo ludere, ſed miniſtrare decorè: de quo plenas paginas, vt morales, ſic germanè politicas dedi in Cant. & totidem in Spicil. hîc vnum tantummodò verbum addidero in exemplar. Nihil vnquam feſtiuius cæleſtis Curia appararat, quàm Angelicam pompam reſurgenti Redemptori miniſtraturam: in hanc, quidquid beata Gaza reconderet pretioſius ad voluptatem, iucundius ad delitias videbatur liberaliſſimè expendendum. Pende tamen qualis primus, & fortè Princeps Angelus deſcribatur. *Erat autem aſpectus ſicut fulgur: & veſtimenta eius ſicut nix*, Matth. 27. v. 3. Et quid horror fulguris, fulminantis ignis incendium, ad ornatum? Qualis mixtura niuei blandimenti, & fulgurantis furoris ad comptus apparatum? Erat cæleſtis aulæ ſanctiſſimus Chamæleon: neque ſe aliunde credidit comptiorem: quàm ſi diuini Regis mores ſpiraret vndique, & aſſumptis coloribus radiaret. Gregorius Magnus ibi, homil. 21. *In fulgure terror timoris eſt, in niue autem blandimentum candoris, quia vero Omnipotens Deus & terribilis peccatoribus, & blandus eſt Iuſtis: rectè teſtis reſurrectionis eius Angelus, & in fulgure, & in candore habitûs demonſtratur: vt de ipſâ ſua ſpecie, & terreret reprobos: & mulceret pios.* Habet iam in tot exemplis ſuprà, quod fugiat: habet in hoc, quod ſequatur, quiſquis inanitatis vento non paſcitur, tumidæ ambitioni ſeruiturus. De ſermonis Chamæleontinâ, infrà 368.

Quaſi decora probi Aulici chamæleontina.

Matth. 27.

Greg. Magn.

De Aulica auaritiâ, fuſiſſimè iam ſuprà: fusè infrà de Adulatione dicemus, cætera mortalium vitia, licet in Aulâ ſcateant & fortè fœdius: non ſunt tamen huius loci: vtpote illi, Orbique communia.

NOTATIO VI.

De Principis Adminiſtris, Domeſticis,

329. VIDIMVS, quæ ferè, Aulæ, vitia innaſcantur: vnde Baltaſaris regimen meritò coniectemus, qui *Baculus Impiorum* factus ſolummodò: viſus ab hac ſentinâ fæcem hauſiſſe: dum è tot prauis, peſſimos quoſque habebat chariores: hos ſibi in miniſterium penitius, & commercium familiarius aduocabat: quos fulciens, infauſti deinde populi ceruicibus imponebat. Cùm enim veriſſimum Politicis habeatur illud Lampridij in Alexand. *Meliorem eſſe Rempubl. & prope tutiorem, in quâ Princeps malus ſit, eà, in quâ mali Principis Miniſtri:* quò tandem miſeriarum Rempubl. Babylonicam putes deueniſſe: in qua peſſimus Princeps, conſimiles miniſtros perquirebat? Videndum ergo iam è contra, quibus Miniſtris, optimus meus Princeps ſit vſurus: quos claritatis ergo, cum ferè omnibus Politicorum ſcriptoribus, reuoco in has claſſes. Miniſtrorum alij domeſtici, ſiue Palatini: alij publici, ſiue quibus Reipubl. partes commendantur. Illorum, quidam abiecti, quibus viliſſima, familiæ regiæ, obſequia deputantur: quidam, pro ſuo quiſque gradu, digniores, prout auguſto conclaui magis proximi. Publicorum verò, quidam à Conſiliis, quaſi ſolummodò ore adiuuantes: quidam, adhibito etiam opere quaſi pro partibus ſuis, ſolerti manu tenentes gubernaculum, & variis officiis Præfecti. Præter hos omnes, imo & ſuprà omnes, eſt alius quidam primarius Principis adminiſter, totius Imperij machinæ, ab illo, ſubſtitutus: quem olim *Amicum Regis*; apud Romanos vt plurimùm *Prætorio Præfectum*: nos paulo ante *Priuado*: nunc iam cultâ prurigine *Valido* appellamus. De his omnibus

Lamprid.

Felicior Reſp. ſub malo Principe, & bonis Miniſtris quam è contra.

Miniſtrorum Principis, diuiſio.

bus seorsim disserendum: neque tam nouorum dogmatum, quam noua, veterum, robora cumulabo.

Monita Politica.

I.

Princeps, familiæ suæ morum Censor acrior.

530. *Princeps priuata suæ familiæ censor acrior.* Homo est Princeps, sed is homo, vt etiam priuata illius, publico aut commodo aut incommodo administrent: vtque eiusdem ethica, (de quibus suo loco) sic œconomica politicorum induunt rationem: & miro tenore, quæ in cæteris tam aliter diuiduntur, in illo vno videntur copulari: vt etiam domestica institutio, ex communi Reipub. negotio componatur. Hinc Dauid officio pij perfectique Principis se functurum pollicitus, subdit statim: *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domûs meæ.* Psalm. 100. v. 2. & paulò post, v. 7. de quouis flagitioso ait: *Non habitabit in medio domûs meæ.* Quasi sic necessariò domestica componenda, ne publica indecenter agerentur. Multa Plinius de Traiani publica, deinde istud de domestica disciplinâ. *Magna ante te, magna post te, iuxta tamen maximâ quies: tantum vbique silentium, tam altus pudor: vt ad paruos Penates, & Larem angustum, ex domo Principis, modestia & tranquillitatis exempla referantur.* Nihil de Palatio grandius dici potuit. Monitus Rex Abimelech à Deo, Saram, quam ignarus rapuerat in vxorem, restituit marito, quem insuper multis muneribus ditauit: deinde ait ad illam: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo: hoc erit tibi in velamen oculorum, ad omnes qui tecum sunt: & quocunque perrexeris, memento te deprehensam.* Genes. 20. v. 16. obscurissima est sententia: Sto nunc illis, qui volunt peplum, in vultus tegimen, in oculorum velamen emendum assignati. Causam inquiro, cur magnificus Princeps, qui tot armentis, tot seruis, Abrahamum v. 14. ditarat: vxori, quam tot aliis regalis gazæ xeniis, potuerat decorare, solum vultus tribuat velamen? Ego sic puto, ex plagâ quam Abimelech, eiúsque familiâ tulit muliebris v. 17. satis colligitur, diu ibi commoratos hos Coniuges; (nec enim aliter sterilitas & fœcunditas familiæ notaretur:) vnde meritò iam non hospites, sed domestici putari poterant. Ergo æquissimus Princeps, qui viderat Saram licèt iustam, propterea ad se adductam, quod pulchrum vultum, (nouam Prouinciam inspectura curiosiùs) non obtexisset: iam illius modestiæ consulturus: tegendos deinde oculos admonuit. Hamerus ibi, post alia de Saræ pulchritudine, & virtute. *Cæterùm in tam egregio corpore nanus erat, & sine vitio nemo est. Sara vt casta & sanctis moribus, certè tamen mulier, neque innato fœminis more, genuinisque vitiis carebat. Cum enim primum in terram Abimelech, se cum Abraham habitatum contulisset: mox fœmineâ curiositate ducta, & nouæ regionis cognoscendæ cupiditate impellente, oculos quoquò versùm imprudentius circumferret: omnium in se aspectum vertit: Abimelechque Regem imprudens nolénsque in sui amorem pellexit. Cæterùm ille dum ardentiùs formâ illius raperetur, à Deo increpitus, à nuptiis, quibus illam sibi asserere parabat, destitit: amplissimis tamen muneribus illam cumulauit: adiecitque etiam mandato, quo in posterum meminisset, vt oculos contegeret, neque curiosiùs omnia collustrare vellet, & viris cupiditatis facem accendere.* An non hoc erat ex angustâ Principis domo, modestiam in angustos Abrahæ lares deriuari? Nec temerè, vt puto, credidit Iacobus Bolduc lib. de Eccles. ante leg. fidelem, id est, illius temporis Catholicum, fuisse hunc Regem: quàm enim probè disciplinatam habuisse familiam credendus, qui emissurus domesticam iam Saram, sic instituebat? Addo in eandem mentem, ne videatur insolens Dionysium ibi. *Id est, donum istud pecuniarum sit tibi ad pepla emenda, quibus faciem tuam tegas vsque ad oculos, inter omnes apud quos fueris: ne ex inspectione pulchritudinis tuæ te ament: & viro tuo te subtrahant.*

Psalm. 100.

Plin. Palatij modestia.

Genes. 20.

Princeps, familiarium moribus comendis incumbat.

Hamer. Familiæ curiositas.

Dionys.

331. *Fœmina iam grandæua, aliunde pulchritudini studentes, carpuntur.* Sed non erit abs re, festiuiùs adhuc hæc verba interpretari: quasi sic Saram instituat æquus Princeps, vt interim vrbanitatis aulicæ aliquid admisceat: & lepido magis, quàm amaro scommate illam pungat. Nihil aliud illius æui mortales enixiùs optabant, quàm mortis tempore, à charioribus sibi claudi oculos: (quod ex vtraque paginâ nôrunt pueri) vnde Sudariola oculis vultuíque tegendis, in sepulchro, exquisitioris pretij solicitâsse, ex variis locis & sacris & profanis, satis colligitur. Quid ergo si dicamus, in id velaminis, hoc pretium à Rege destinatum? attende sodes. Vocarat se Sara Abrahæ Sororem. v. 2. ne marito periculum adornaret: didicerat verò ex hospitum confabulatione Abimelech, Saram licèt etiam tunc pulcherrimam, at bona eiusdem pace, esse nonagenariam: hinc ergo illam, ridens voluit instituendam, si Dionysio credimus, qui addit. *Vel in velamen oculorum tuorum: id est, ad operiendos oculos tuos, cùm per mortem fuerint clausi, vtpotè in præparationem funeris tui. Vt elegans extet irrisio, quasi dicat: cùm vetulam te esse iam nouerim, potiùs te oportet cogitare de pertinentibus ad funebria: quàm vti tali modo loquendi, per quem alij ducantur ad appetendum te pro vxore.* Vt iam non parum facturus credatur, si nonnullas palatinas seniores (quod est innatum illarum vitium) iocosa hinc serietate quandoque admoneat Princeps meus: quo infantilia penè verba, puellares gestus, & comptus deserant, quibus si non virum quærere, saltem mentiri ætatem præsumuntur. Nolui hoc domesticæ suæ disciplinæ monitum, à tanto Rege inditum, ab extatico Doctore explicatum, licèt minus videatur graue, præterire. Redeo ad grauiora.

Dionys.

Instar igitur Dei Princeps æquus, sic totius Imperij mores curet: vt præcipuè in domesticorum suorum vitam & vitia animaduertat. Sunt optima, in hanc rem, verba illa Domini ad Israël. *Tantummodò vos cognoui, ex omnibus cognationibus terræ: idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.* Amos 3. v. 2. Præsidebat supremus Princeps Orbi vniuerso, vbi nec folium, absque eiusdem nutu, à vento raptum: & tamen sic Israëli, id est, priuatæ suæ familiæ in cuius habitabat medio, attendebat: quasi præ illius curâ, cæteris omnibus gentibus indormiret. 332.

Amos 3. Deus, familiares asperiùs reprehendit.

ret. Hinc iusta, in Israëlis vitia, indignatio, non tam fastidio, quàm amore districta: quò enim familiaritate sua hunc fecerat pretiosiorem, eò diligentiùs putabat custodiendum. Ruffinus pius ibi. *Non ista liberalitas negligentiorem conuersationis vestræ Iudicem reddidit: sed hoc magis malefacta vestra castigo, quò vos cunctis gentibus praetuli. Est enim consequens vt diligentius inspiciantur, quæ pretiosius æstimantur.* Nihil homines pretiosiùs habent, quàm è propriis laribus, in Aulam & familiam Principis aduocari: nihil maius Princeps communicat, quàm dum selectiores, è subditis, pro suo quemque gradu inserit palatio: Quidni ergo diligentius debeat inspicere, quos æstimat pretiosius? pulchriora, quæ subdit idem Doctor. *Decor ergo genti vestræ, vel meâ indulgentiâ, vel parentum virtutibus comparatus, nullam sinit culpam incastigatam relinqui: quia vilescit concessa nobilitas, si non auferatur indignis: haud itaque impunitatem criminum, sed custodiam mandatorum nobilitas acquisita commendat.* vtriusque generis sibi assumit Princeps familiares, vel quos è radio & puluere, (Solis instar) euehit in hunc honorem: vel quos prisca Parentum gloria iam commendat: vtrorumque debet moribus inuigilare: ne peruerso tenore, nobilitatem, quam in virtutis augmentum acceperunt, in culpæ asylum, & immunitatem sceleris inuertant: quæ est Palatinorum pestis frequentissima.

(Ruffin. — Idem. Nobilitas, virtutem decet.)

333. Pollutas profani ignis prunas stulto zelo arripiunt Nadab & Abiu, thuribus Deo dandis: quæ instar sulphurei fœtoris abominatus Dominus, & quasi fumus iræ ascenderet in nares eius (2. Reg. 22. v. 9.) euibrato fulmine temerarios consumit Sacerdotes. *Hoc est, exclamat viso prodigio Moyses, quod aliquando à Domino audiueram: Sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi.* Leuit. 10. v. 3. Ecquid hoc iudicij, sanctissime Moyses? an dolor funesti supplicij, quo fratris filios sentis interemptos, mentem turbat ne, quo soles acumine, diuina nobis verba interpreteris? Vindictam Numinis sanctificationem vocas, & creaturarum strages, increatæ sanctitatis testimonio deputantur? planè neque vnquam prudentius Moyses aliquid interpretatus: Radulphus ibi apud Gaifrid. *Sanctificatur apud homines Deus, cum se sanctum esse demonstrat: quomodò autem sanctitatem suam Deus hominibus aperuit: nisi dum de peccatoribus vltionem capiens, se eorum nequitiæ non consentire ostendit.* Sed tu mihi pende à propinquis, id est, à domesticis hanc Dominicam sanctificationem incipere: vt inde seueriores darent pœnas Regi iustissimo, quo funestiùs, contra nobilitatem acceptam, quæ aliis sanctitatis norma deberet esse, peccauerunt. Idem Radulphus. *In iis autem, qui appropinquant ei, priùs iudicat Dominus, vt quia aliis, quod suum erat, non sunt norma viuendi: ad aliorum correctionem, diuini, in seipsis, censuram repræsentent Iudicij?* Debet ergo domestica Principis, populo esse norma viuendi: nec aliter iustum se Princeps manifestabit, nisi indidem seuerior incipiat, & morum censuram publicam, in suamet castigatâ familiâ repræsentet.

(Sacerdotes culpa puniti tur Deum sanctificet. 2. Reg. 22. Leuit. 10. 3. — Gaifrid. — Radulph.)

334. Et quidem, vt paulò antè dicebam, est hic morbus palatinis quasi natiuus, vt intrepidi quoduis facinus, immane quoduis scelus aggrediantur, domestici Principis gratiâ, vt scuto protecti: turpissimè tantum fauorem in pœnarum immunitatem prætendentes. Et pende in prædicto sacrificio verba Textûs. *Arreptisque Nadab & Abiu thuribulis, imposuerunt ignem & incensum desuper offerentes coram Deo ignem alienum, quod eis præceptum non erat:* v. 1. Non vtcunque assumunt thuribula, hæsitabundi, an expediret: sed properantes, quasi conceptâ arrogantiæ fiduciâ, arripiunt. Scilicet diuinum Principem instar sæcularium potestatum æstimabant, seque in Aulâ sacrâ familiarissimos, à pœna immunes, (quiduis culpæ deglutirent) somniarunt. Sed quàm aliter res euenit? fauet Oleaster ibi. *Qualis Iudex, tales & Ministri eius, non sinit Dominus se habere impios Ministros, sed à domo suâ Iudicium incipit, in quo se sanctum esse ostendit, qui Ministros suos quantumcunque intimos arguit & castigat. Solent ministri, qui se Principibus sæculi charos & acceptos vident, impunè peccare, nihil timere: scientes neminem posse eos arguere, omnes eis conniuere.* Quasi tale quid præsumerent infausti isti Adolescentes. Discat igitur Princeps æquus, à familiaribus delinquentibus inchoare supplicia, ne si impunes relinquat, illis similis, neque tàm censor morum, quàm disciplinæ corruptor videatur.

(Amici de fauore Principum, in vitia audaciores. — Leuit. 10. 1. — Ideoque, seuerius puniendi, Oleaster. Famuli, Domino similes.)

335. Caueat, ne de Throni superbiâ, quasi Deum, se somniet, qui familiarissimis quandoque metum adimit, abigit timorem, quasi gratiâ suâ iam protectis. Aliter enim Deus: aliter impius Baltasar, & Impiorum baculus seu fulcimentum, qui se Deum somniauit, hunc timorem à domesticis suis abigebat: ille timidissimos culpæ suos reddens, hinc illos à pœnâ securos collocabat. Baltasar, & huic similes Reges, priùs iniquo fauore, pœnæ timorem auertunt, vnde ad scelera irruant intrepidi familiares. Hinc fit vt Dei domestici, sic culpam trepident, vt quasi certissimam pœnam subituri, sanctissimum pœnæ timorem pacatè retineant; at horum Principum domestici, nil iam pœnam trepidantes, quasi dissimulante Principe securi, nullum culpæ timorem sortiantur. Sed meliùs euoluet ista Oleaster, prædictis sic subiungens. *Angelus Diuæ Virgini dicebat: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum: ac si apertiùs diceret: Non habes vllam timendi causam, quoniam totius Orbis Domino grata es. Qui enim Principibus sunt grati, timorem deposuerunt. Sed serui Dei, quemadmodum peccare, & offendere Dominum suum timent, ita ab eo puniri: Serui autem Principum, quia puniri non timent, peccare non metuunt: illi sciunt se Dominum, qui vitia impunita non relinquat, habere: isti verò putant, Principem omnia sua vitia dissimulaturum.* Ah ne id de te putent, mi Princeps; ni fortè te in Baltasare vis expressum. Sed familiæ tuæ moribus insta Censor acrior. Videndus Cassiod. lib. 10. epist. 5.

(Quàm ex diuersis principiis Aulicis cælestibus, & terrenis, timor adimatur. — Oleaster.)

II.

Familiarium numerus, cur temperandus.

SEd nec solùm familiæ suæ moribus, sed etiam numero, Princeps meus attendat. Non adimo debitum augustæ domui splendorem: sed superuacuam pompam vellem resecatam. Redditus impensis

impensis publicis necessarij, sæpe immodico domesticorum salario extenuantur: hoc autem aliunde si limitetur, exorbitent in rapinas Principis, familiares necesse est, non aliter condigno tanti ministerij comptui suffecturi. Optimum se in hâc re Patremfam. præbuit Alexander Seuerus, de quo Lampridius. *Palatium suum comitatúmque omnem purgauit, abiectis ex aulico ministerio, cunctis obscenis, & infamibus: nec quenquam passus est in Palatinis, nisi necessarium hominem. Iureiurando deinde constrinxit, ne quem ascriptum, idest vagantium, haberet: ne annonis Remp. grauaret: dicens malum tutorem esse Imperatorem, qui ex visceribus Prouincialium, homines non necessarios, nec Reip. vtiles pasceret.* Plura Chokier lib. 5. Pol. cap. 1. certè ex visceribus Prouincialium immodica hæc stipendia extorquentur, siue Principe iniqua in id tributa imponente, siue ipsis in subdolas rapinas exardentibus: qui vt in rosâ viuant; ad spinas cruentandum miserum populum detrudunt.

Princeps, superuacaneos familiares expellat, & cur.
Lamprid.
Chokier.

337. Ex cælestis Archetypi ratione, in futuræ Ecclesiæ exemplar mirum sibi iubet Tabernaculum Deus apparari: nullum opus vnquam politius euasit, nulla moles affabre magis constructa prodiit, nullibi varij artificij laboriosiùs, multiplex desudauit industria. Postquam igitur per longas paginas, totius operis ratio describitur à Deo: iam de eiusdem executione ita ad Moysem. *Ecce vocaui ex nomine Beseleel filium Vri filij Hur de tribu Iuda, & impleui eum Spiritu Dei, sapientiâ, & scientiâ in omni opere: ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro, & argento, & ære, marmore, & gemmis, & diuersitate lignorum.* Exod. 31. v. 2. O quàm diuersa officia vnius diligenti studio commendantur! quid fabroferrario, cum gemmis? quid cum lignis Aurifici? quid Marmorario, cum fusorio metallorum apparatu? & quantò foret facilius, suas quibusvis partes condiuidere, quàm in vnum, singulorum exercitia conglobare? quò ergo tendit Numen, tot à singulari ministro diuersissima seruitia exposcens? scilicet futuros Principes, obiter hinc volebat institutos, ne multiplici ministrorum turbâ vterentur ad singula: si ad omnia, aut saltem ad multa, vnum & eundem idoneum sortirentur, vidit rem Oleaster ibi, sic scribens. *Nunquid bone Deus, deerant artifices in populo tuo, quos ad opus tuum multiplices: vt non sic vni cuncta committeres? Sunt multi Reges, ac Principes, qui se tales non arbitrantur, nisi ad quodlibet munus suum habeant distinctum Ministrum. alius culinam curat, alius equos, atque alius mensam. cubiculum alius, atque alius vestes, & id genus alia. Nunquid maiores estis Deo vestro: qui vnico artifice contentatur, ad omnia opera sua? & si vnicus, ad multa ministeria idoneus, & sufficiens est: cur sic eos in immensum multiplicatis?* Sed dum sibi multiplicant domesticos Administros, quos deinde non rarò, congruis salariis defraudant: quid aliud, quàm publicos parant populo euersores? vnde enim aulicæ pompæ deseruiant, nisi fures, ciuium opibus dominentur? bene idem Oleaster, sic concludit. *Vnde fit, vt cùm non possint tantam alere familiam: cogantur famuli, latrocinio victum quærere.*

Exod. 31.
Quod paucis potest, non multis Princeps, ministris exequatur.
Oleaster.

338. Quid? redditur domesticorum suorum pompâ, Princeps illustrior: neque regiæ Maiestatis fastigium, absque congruo satellitio decorum, fateor: credis tamen, mi homo, à numero potiùs, in immensum crescente: an ab optimâ famulantium indole, id desumendum? falleris, si ab illo. Recusabat timidus Moyses, legationis pondus sibi impositæ: maximè cùm delegantis nomen ignoraret: quo quæsito, audit à Deo. *Ego sum, qui sum ait. sic dices filiis Israël: qui est, misit me ad vos. dixitque iterum Deus ad Moysem. Hæc dices filiis Israel. Dominus Patrum vestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, misit me ad vos. hoc nomen mihi est in æternum: & hoc memoriale meum, in generatione, & generationem.* Exod. 3. à v. 14. Nota verba: sed fortè minus vulgariter expendenda. Pende in primis, Nomen illud *Ego sum qui sum*, ὁ ὤν quod vt alibi probaui erat יהיה, sic æternam Domini substantiam indicare, vt inde Rex sæculorum immortalis & inuisibilis cui soli honor & gloria debetur, agnoscatur: apud quem sic sunt cætera omnia, quasi non sint. Cur igitur, dum deinde, se visibilium Dominum vult haberi, non totam visibilis imperij pompam propalauit? Cur Cæli, Soli, & Sali satellitium non adducit: & omniúm quæ in eis sunt, non apparat clientelam? Respondet D. Chrysost, Homil. de Ana, tom. 6. *Non solùm communiter vnà cum aliis, eorum etiam Deum se profitetur, sed priuatim ipsorum. qua propter dicebat: Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob: non contrahens suum imperium, sed extendens potiùs.* Mira sententia! in trium famulorum angustias augusta Dei Monarchia reducitur: neque tamen contrahi dicitur, sed extendi potiùs? ita est: audi quæ subdit os illud aureum. *Quod non tam multitudine subditorum, quàm eorum virtute censeri vult. neque enim tantùm Deus cæli & terræ, & maris, & eorum quæ in eis sunt, appellari gaudet, quantùm si Deus Abraham, & Isaac, & Iacob vocetur.* dum ergo numerosâ, sed minùs piâ famulantium turbâ censetur Princeps, imperium potiùs contrahit, quàm extendit: neque mirum: angustatur enim imperium exhaustis populis: hæc autem Harpiarum turba, vt initio dicebam, ex prouinciarum visceribus pascitur solummodò. Non igitur numerus immodicè crescens, sed optima famulantium indoles, Regem decorat, quem instituo.

Princeps non tam à multis, quam ab optimis ministris clarus.
Exod. 3.
D. Io. Chrysost.
Pauci iusti omnibus orbis imperiis præcellunt.

Sed mihi non mirum insensibiles, & irrationales creaturas, huc non vocasse Deum, vt pote & sibi spretas, & de fastidio liberas: quibus proinde, non ita decora pompa videri posset: verumtamen, quòd homines in satellitium adducens, cum tot alios afferre posset, tribus tantùm contentus sit; solummodo non mirabitur, qui viderit supremi Regis nostri ingenium eò collineasse, vt ostenderet, non numero, sed excellentiâ familiarium suorum, eiusdem dignitatem hominibus habendam conspicuam. Oleaster ibi: *Mira valde est dilectio, quâ Deus iustos diligit, vt summe delectetur vocari Deus illorum: & malit esse Deus paucorum bonorum, quàm omnium malorum.* At neque id satis: quid ni enim à diuino famulitio expungantur mali? cur tamen cum tot alios iustos ab Abraham posset numerare, in quibus à tempore Ioseph ad Moysem vsque, per tot sæcula, melior Ecclesiæ portio seruabatur: tres solùm exprimit: nisi quia non vtcunque 339.
bonos,

Oleaster.
Pauci iusti, cætera mortalium turbæ præferuntur.

bonos, sed optimos tantummodò volebat sibi putari familiariores? Cùm ergo optimi necessariò sint pauci: videat iam Princeps meus, necessariò numerosiorem & superuacaneam familiam sibi coarctandam, ne de ipso numero suspecta fiat: indeque, quod non sit optima probetur, quia multa est. Deus hos paucos & optimos: *Memoriale* suum æternum appellauit: de quo Vatabl. *Id est, istud Nomen meum est, per quod homines recordabuntur mei.* Quasi condignam solummodò sui memoriam apud posteros excitaret: si paucis sed optimis famulis censeretur.

Vatabl.

III.

Qualis tenor à Principe, eiusque familia, inuicem obseruandus.

340. *Talis debet Princeps familiares eligere: vt in illis possit gloriari.*

EX prædictâ diuinâ sententiâ, quâ se Dominus, optimorum horum famulorum Deum appellauit: tertium iam monitum elicio, vnde optimus & mutuus tenor agnoscatur, quo Rex familiam suam, quo familia Regem debeat obseruare. Eos igitur sibi debet Princeps domesticos sortiri fælix, imo prudens eligere: quibus possit non tam possessor retinens, quàm retenta possessio appellari. Non est leuis ponderis quod tres prædicti Patriarchæ, in tantum diuini diadematis adducti testimonium, non tam Dei dicantur, quàm illorum Deus, *Ego*, inquit, *sum Deus Abraham & Isaac, & Iacob.* Vbi vnquam in re simili talis sermo increbuit? Dominorum nomine, quasi possessi famuli appellantur: non è contrà. Quid ergo suorum nomine Deus, non illi Dei nomine noscitantur? quia nimirum tales elegerat sibi in domesticos: vt eorum sic virtutibus postea addiceretur, quorum se vocari titulo gloriaretur. ideo subiungit citatus Chrysostomus, *Quod in hominibus non solemus, in Deo videre licet. apud homines enim, à Dominis serui appellationem sumunt, & ita omnes ex more loquimur: ille aut ille. Procurator aut dispensator; illius vel illius Ducis, aut Præfecti: nemo autem sic loquitur: ille vel ille Dux aut Præfectus, illius Dispensatoris vel procuratoris: sed minores semper à maioribus denominare cõsueuimus. de Deo autem contra fit, non solùm enim Abraham Dei: sed Deus etiam Abraham.* Nullum maiorem honorem domesticis suis dare potuit Deus: sed neque maiorem gloriam, Regi immortali poterant eius domestici retribuere, quàm eos se gerere, quibus condignus hic honor adueniret, hic mutuus tenor vtrinque gloriosissimus.

Exod. 3.

D. Chrysost. *Deus, iustorū possessio.*

341. *Quales debeant esse Principis familiares, vt ipse eorum possessio habeatur.*

Indecorum est, peruersâ viâ vt solet, in eam nonnullorum domesticorum familiaritatem, Principem deuenire: vt ipse illorum dicatur, non è contra; qui aliunde turpissimis eidem obsequiis administrant. Descripserat Apostolus fusè horum Patriarcharum egregias virtutes, qui *Peregrini & hospites* fuerant super terram, solummodò cælestem patriam inquirentes, hancque è longe ardentibus Fidei suspiriis salutantes: deinde subdit. *Ideo non confunditur Deus, vocari Deus eorum.* Heb. 11. v. 16. non dixit: *ideo vocatur Deus eorum:* sed non confunditur, non erubescit: quasi aliunde rubore suffundendus, quod minorum nomine maior, quod Princeps famulorum titulo appellaretur: nisi tales forent, quibus ob egregia merita, honoris tantum decenter inderetur. Pulchrè tandem concludit Chrysostomus. *Hoc idem igitur & Paulus subindicans dicebat: quamobrem Deus non erubescit vocari Deus ipsorum: non erubescit inquit, Dominus, à seruis appellationem sumere. Quare non erubescit? Dic rationem, vt nos eum imitemur. quia hospites sunt, inquit, & aduenæ? Atqui vel ob hoc ipsum erubescere oportebat. Hospes enim, vilis & contemnendus esse videatur; at illi Sancti, non eo modo hospites erant, quo nos putamus, sed alio quodam minimè vulgari; nos enim hospites eos appellare solemus, qui relictâ suâ Patriâ, in alienam regionem peruenerunt: illi verò non ita erant hospites, sed quòd orbem vniuersum despicerent, & paruifacientes terram, ad cælestem illam ciuitatem respiciebant, non arrogantiâ sed magnanimitate, non insolentiâ, sed propter sapientiæ studium.* Non ergo imitatur Deum Principes illi, (vnde hanc familiaritatis licentiam debent erubescere) qui vitiorum suorum domesticos Ministros, &, si fas dicere, Proxenetas, in id honoris euehunt, & solum de turpi obsequio, de inutilibus iocis, de fœdo lenocinio, habent gratiosiores.

Hebr. 11. 16.

D. Io. Chrys.

Iusti, cur merè peregrini appellentur.

Hoc igitur mutuo tenore Principem cum familia sua vellem colligari: vt ille nihil quod est iusti Patrisfamil. & institutoris: hi nihil quod fuerit iustorum famulantium probè instituendorum prætermittant: sub quouis alio pacto domesticorum familiaritas, & comis licentia intercedat cum Principe, suspecta est: & ruinam pestémque Palatij vtrinque minitatur. Arbores illæ, quæ sibi Rhamnum in Regem sollicitabant, cui se domesticas fieri cupiebant: functæ legatione, audiunt statim: *Si verò me Regem vobis constituistis: venite, & sub vmbrâ mea requiescite: si autem non vultis, egrediatur ignis de Rhamno, & deuoret Cedros Libani*, Iud. 9. v. 15. Quasi nihil mediare possit, quin vel legitimum & verum regnum, si in pacto nihil subdolum latebat, vel si quid latebat iniquum, fœdissimum incendium sequeretur. Iam è parabolæ cortice, nucleum eruamus: vnde, quæso, syncero animo, cum Rege suo paciscuntur domestici, ne diro incendio Aula corripiatur? aut quod est inutile & dolosum pactum, quod necessariò hæc pestis subsequatur? Nimirum si Princeps se optimum gerit familiæ suæ institutorem: si inuicem familia se optimè exhibet morigeratam. Legitimi iam regni gloria enitescit: si è contra, sæuus ignis tempestas sæua exoritur. Multa ad hunc locum D. Nilus lib. Ascet. deinde sic concludens: *Cum enim fœdera sunt inutilia, necesse est vt periculum consequatur, tum eos qui se imperito Doctori subiecerunt, tum illum, qui discipulos ignauos suscepit. Nam vt Doctoris ignorantia discipulos perdit: ita & discipulorum negligentia, Doctori periculum affert, præsertim si ex illius inscitiâ proficiscatur. Nihil enim eum latere debet, quod ad ipsorum institutionem pertineat: neque discipulos decet, quidquam præterire, quod à Magistro præceptum sit.* Sic enim loquitur D. Nilus in Parabola istâ Regis & subditorum, de Magistro & discipulis: vt (quod apud illum ex aliis quæ suprà eiusdem dedi num. 309 notare potes:) imperium à magisterio non distinguat. Vnde etiam bene Seneca ad Lucillum suum, è Romanis Proceribus non postremum, ita: *Recede in te ipsum, quantum*

341. *Princeps suo familiarésque, quo se inuicē debeant tenore habere.*

Iud. 9. 15.

Princeps suorum custos, familiares Principis sui custodes.

D. Nilus. *Discipuli & Magister, quales ad inuicem.*

Seneca.

potes : cum his versare, qui te meliorem facturi sunt : illos admitte, quos tu potes facere meliores: mutuò ista fiunt, & homines dum docent, discunt. Hos itaque tantùm familiares & domesticos admittat Princeps, vnde melior fiat, aut quos faciat meliores. Mutuò hæc recurrant, vt nihil Princeps institutoris optimi, nihil optimi instituti domesticus prætermittat.

343. Sic igitur, à supremo Patrefam. Deo, Regum Rege, commissum sibi totius Populi gregem credat Princeps, vt multò diligentiori cura; domesticis suis, tanquam priuato Peculio debeat attendere: sic domestici Principis se gerant, vt Pastoris sui, dum æquus est, vel sibilo obtemperent. Hic tenor mutuus Aulam stabilit: vt queat Princeps dicere. *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ.* Ioan. 10. v. 14. vbi nescio, si quid politum magis, aut prudentius politicum afferri queat: quam quod ibidem sic scribit Galfridus: non solùm Ecclesiasticis, sed etiam sæcularibus Principibus, horúmque familiis, in cordis meditullio, desigendum. *Felices oues, quibus fuerit Pastor bonus: fœlix pastor, cui fuerint oues bonæ! graue periculum, si abducit oues pastoris perfidia, si negligentiâ patitur euagari. Sed grauis lucta si pastorem ouis non sequitur, sed recalcitrat, si non audit. Expedit sanè, expedit gregi pio, vel sequi quem habet, vel quærere quem sequatur. Si enim ille sequi cogitur ad peruersum; audiuit culpa pastoris incumbere. quidquid Paterfam. vtilitatis minus in grege potuit inuenire. Sic medius inter Patremfam. pastor anxius, neutrum quidem, vellet offendere, minus tamen eum, quem minus oportet. Ferire timet; & mina minùs timentur, dura sunt verbera, & ad verba non corrigitur stultus. Sed quotidie nobis (ait grex inquietus) noua iubentur: & indies alia, atque alia resecantur. Nimirum caulas instruit pastor, vallum reparat decidentem: & tamen si inducit lupos, aut deducit ad noxia gramina, non adhæreas illi: alioqui si vtilia tibi, sed minus grata prouideat, ne mireris.* Expende tecum singula lector, sunt enim ferè tot acumina, quot verba: vbi quæ vsuueniunt domesticæ institutioni, quæ ibi sectanda, quæ fugienda, ad vnguem exprimuntur. Vide plura apud eundem.

Ioan. 10.
Galfrid.
Principis, & subditorum mutua attentio.
Princeps inter Deum, & subditos, medius.

IV.

Immanitas Aulæ, erga viliores Domesticos languentes, increpatur.

344. Bifariàm initio domesticos Principis Administros subdiuisi: alios vilioribus ministeriis (indiget etiam his augusta domus) alios dignioribus, pro suo quemque gradu, deputaui. Cum illis nihil, sed pro illis aliquid agam cum Principe. Expendant, oro, Monarchæ, eiusdem humanæ conditionis participes esse seruos domesticos: & sæpè vilissima Magnatum oculis mancipia, ipsissimis Dominis apud Deum longè esse gratiora. Ingemebat frequens Sanctissimus ille Princeps Ludouicus, Emanuelis Lusitaniæ Regis filius, ne foret, vt mancipio suo beato, ipse damnaretur: miram futuram sortis versionem, si post obitum in cælesti aulâ, tantum sibi seruus, quantum huic in terrenâ ipse præstabat: euenit hoc non rarò. Satis sancti Doctores fusè exposuerunt, qualem se Princeps erga seruos, & famulos abiectos debeat gerere: sed fere omnia, cum aliis dominis vulgaribus, Principi sunt communia, quæ huc superuacanea obtruderentur. Vna est Principi, Magnatibusque erga viliora seruitia, quasi innata iniuria: qua per ferream quandam immanitatem, in eorum obsequio ægros, despiciunt, & morbo abiiciunt correptos. Hæc frequens talium famulorum querela aures vulnerat: hâc notâ inuritur Palatium. Non nimius apud Catholicos exactor audirem, si Christi exemplo cogerem Principem meum, vt per se aliquando inuiseret hos tales, ne illæ, quas quandoque ad Nosodochia stationes videmus, pompæ potius phantasticæ, quàm synceræ charitati tribuantur: qui enim domesticis durus, cur aliis infirmis blandus putetur? dissimulo tamen illi hoc immediatum munus, maioribus si fortè impedito. Curet tamen necessariò vt Aulicorum aliquis huic muneri præficiatur: non titulo tenus, vt solet, sed pio opere, his afflictis miserrimè consulturus. Sed vt vetus immanitatis huius querela: sic præstita his pietas commendata. Paucis rem absoluo.

Serui, apud Deum, dominis sæpè præstant.
Serui ægroti in palatio despiciuntur.

345. Ingresso Christo in Capharnaum: *Accessit ad eum Centurio rogans & dicens: Domine puer meus iacet in domo Paralyticus, & malè torquetur.* Matth. 8. v. 5. Seruus erat, vt expresse habet Lucas cap. 7. δοῦλος, & tamen mitiori vrbanitate, *puerum vocat*, Aulicus Romanus: quia putauit nihil decentius Principi viro, quàm benigna infirmi seruuli tractatio. Ludolphus Chartus. 1. P. cap. 42. *Puer meus, id est, seruus & subditus: quem curialiter loquens, vocat puerum ab ætate, vel familiaritate potius, quàm conditione, contra superbos, qui dedignantur famulos.* Et benè addidit, *meus*: non dominij titulos apud Christum, communem vtriusque dominum, sed charitatis affectus ostensurus. Suus erat, quem tenerè diligebat: Suus, tunc maximè quando languidior, quia languenti conlanguebat: quidni enim suum diceret, cuius morbo sympathicè afficiebatur? Hugo Cardinal. ibi. *Puer, id est, seruus, in hoc humilitas, & pietas. Meus: ecce compassio: quasi dicat: morbus est meus: quis infirmatur, & ego non infirmor?* Illud ad rem nostram singularius, quod addit: *iacet in domo.* Fuit enim non arrogans sed pius titulus, quo diuinam alliceret misericordiam Aulicus præter palatinam immanitatem, sic misericors. Ludolphus citatus. *In domo, contra inhumanos dominos, qui de domo sua expellunt infirmos, & ad Hospitale mittunt eos, &c. non erat ipse, sicut multi sunt hodie, qui videntes subditos suos infirmari, eos negligunt: & plus de seipsis sanis, quàm de subditis infirmis sollicite sunt: plus sibi ipsis in voluptatibus, quàm subditis in necessitatibus condescendunt.* Ferè eadem Hugo Card. & fusissimè sacris profanisque adductis multis Beauxamius. Illud in primis ad rem nostram, quod affert ex Xenophonte lib. 8. qui de Cyro Monarchâ Persico, sic scribit. *Cum cogitaret per multos homines, si quidem bona valetudine vtantur, parare necessaria, & reponere quæ vsui sunt benevalentibus: vt autem, si ægrotarint, afforent vtilia, non admodum eos curare: existimauit circa hæc quoque sibi esse laborandum: medicos optimos*

Matth. 8.
Luc. 7.
Proceres mancipia non spernant.
Ludolph.
Hug. Card.
Languenti seruo, Dominus conlangueat.
Non in Nosodochia, serui expellendi.
Beauxam.
Xenophon.

ad

ad se accersiuit, vt cum his loqueretur: & quacunque vel instrumenta vtilia esse dixisset aliquis eorum, vel pharmaca, vel esculenta, vel poculenta: hæc omnia parata seruabat apud sese. Considerabat enim, quando quis eorum ægrotaret, quod esset curandi tempus, præbebátque omnia, quibus opus esset. Habebat etiam Medicis gratiam, cum quem suorum sanassent. Hæc tanti Principis benefica diligentia, quantùm sibi fidelitatis à domesticis suis conciliaret, ibidem legeris. Quæ, sub debitis circunstantiis, Principi meo rogatem imitanda, erga viliores famulos, quorum in hac re iustæ & crebriores querelæ Palatium infamant. Nec me suppudet in regiis Politicis, ad has seruulorum miserias tantis per diuertisse: quas Cyrus, imò & Christus tam sedulò tractârunt.

V.

Pro mutuâ Principis, cum Domesticis suis Amicitiâ, nonnihil moneo.

346. *Principis cura, amicis eligendis.* PRopero ad Domesticos alios, dignioris in Aulâ ministerij: quorum tamen cum ferè omnia, quæ ad muneris sui fidelem strenuitatem pertinent, cum cæteris Ministris, (de quibus infrà fusè) sint communia: pauca delibabo, quæ ad hos singulariùs visa spectare, vtpotè quæ, ex frequentiori familiarium, cum Principe, commercio, solent exoriri. Ingenerat domestica consuetudo etiam in Principe, suam qualem qualem cum familiaribus amicitiam. In quo, id te moneo Princeps, id ante denuntio: ne affectu raptus, sed iudicio ductus ineas amicitiam: ipsa tibi fælicitas, obsidio est: adulatoria sunt iacula vt plurimùm, quæ tu deuota putas, tuorum charitatis, argumenta: distentus, & aliis occupatus, non aduertis, nec tempus considerando impendis, nullam esse amicitiam nisi mutuam: qui ergo te non sentis subditis amicum? (O quantùm inuoluit hæc vox) quid illos tibi amicos fore, deciperis? ergo priùs de amicis iudica eligendis, electos dilige: inuicem amicabiliter diligendus, prudenter Seneca epist. 3. quasi tecum agens.

Seneca. Amicitia mutua est. *Nullum habet maius malum occupatus homo, & bonis suis obsessus: quàm quòd amicos sibi putat, quibus ipse non est. Tu verò omnia cum amico delibera, sed de ipso priùs. post amicitiam credendum est, ante amicitiam iudicandum.*

Peruersè iudicio, amor præponitur. *Isti verò præposterè officia permiscent, qui contra præcepta Theophrasti, cùm amauerint, iudicant: & non amant, cùm iudicauerint.* Quæris quales Amicos, Princeps probaturus? prudentes, fortes, pios, iustos: vno verbo, viros.

Prouerb. 25. *Amici, Principis quales.* LXX. Interpr. Hinc illud Prouerb. 25. v. 1. *Hæ quoque Parabolæ Salomonis: quas transtulerunt viri Ezechiæ Regis Iuda.* L X X. in Sixt. vertunt, *quas descripserunt Amici Ezechiæ Regis Iuda.* Quasi prudens Princeps, solùm illos amicos numeraret, qui pleno ore, viri dici possent: id est, numeris omnibus absoluti: à quibus nihil timeri malum: & quidquid iustum possit sperari. Hoc est, quod edoctum Principes voluit, æquissimus Spartiatarum Rex Agesilaus: de quo ita Auctor

Auctor. Apophth. Apophtheg. lib. 1. *Quidam petiit ab Agesilao, vt se scriptis litteris, ad hospites & amicos suos Asiaticos commendaret: quo apud illos ius suum consequeretur. Respondit, nihil esse opus literis commendatricibus: nam mei, inquit, hospites, suâ sponte, quæ iusta sunt, faciunt: etiam si illis non scripsero.* Hi certè sunt, qui vitam Principis sui, propriæ vitæ periculo defendunt.

Iturìebat Christus Lazarum suscitaturus: & 347.
in re sic difficili, sic arduo negotio, tot Iudæorum, in Principem cælestem, apparatis insidiis, cùm cæteri trepidarent: animosior tamen, & cæteros animaturus Thomas exclamat. *Eamus & nos, vt moriamur cum eo.* Ioan. 11. v. 16. quo Ioan. 11.
roborati, pergunt omnes. Quæris vnde hæc Didymi animositas? vnde tanta persuadendo efficacia? ego ortam puto ex verbis, quæ paulo ante Dominus dixerat. *Lazarus amicus noster dormit: vade, &c.* v. 11. dum enim Lazarum communem amicum vocat: satis illos commonefecit amicitiæ suæ cum eisdem: neque enim vnquam germana amicitia aliquorum cum tertio, qui non inuicem amici habeantur. *Non sit tibi amicus, qui amicorum tuorum non sit amicus.* Ergo recogitato amicitiæ iure, animatur & cæteros Thomas animat facilè persuasos. Mallet ille quidem amiciorem Principem periculo, (vt putabat) propter amicum Lazarum non exponi: idque tunc rectum ordinem credebat: vbi vero incommutabile Christi intelligit decretum: sibi suisque non æstimat parcendum, vt vel salutem defuncti amici Lazari procurarent: vel occidendi Principis sui, amicitiæ, vitâ propriâ, vt par est, litarent. Et quidem ita puto capiendum Ammonium ibi, in Ammonius.
Cat. Cord. qui ita. Eamus, &c. *Id est, ne Amici parum studiosi videamur, despectis Iudæorum insidiis, amici nostri salutem procurandam properemus. Bonum quidem, inquit, esset, si nobis credens, hic permaneret, & inimicorum insidias declinaret: verùm cùm omninò illi statutum sit, eò ire: comitemur & nos: melius enim nobis est, ipsi morienti commori, quàm propriæ vitæ consulendo, à magistro derelinqui.* Sed nobis in re præsenti satis est, licèt nihil de Lazaro, intelligas: cum sola Principis sui amicitiâ, vtpotè qui eos prudentissimè elegerat, in mortem ire, necessarium iudicent Apostoli.

Sic, iam præuio iudicio, assumptos Amicos, 348.
& longâ experientiâ probatos, Princeps constanter retineat: ne si faciliùs expellat, paulò post perditi boni desiderio, suam fateri cogatur leuitatem. Stultum est, non tam præsentis boni dotibus complacere, quàm absentis iacturâ admoneri: vt huic, etiam per famæ iacturam, id est, rei non benè pridem gestæ, confessionem, medearis. *Amicus probè electus, cur tenaciter retinendus.* Expulerat ab Aulâ suâ Rex Abimelech, prudentissimum & sanctissimum Amicum Isaac, dicèns: *Recede à nobis, quia potentior nobis factus es valde.* Genes. 26. v. 16. recessit Isaac, & Genes. 26. 6.
fodiens sibi puteos, greges cumulans, excreuit vehementior. Sed ecce paulò post ad eundem Isaac, properat Rex, & Proceribus suis stipatus, subdit. *Vidimus tecum esse Dominum: & idcirco nos diximus: sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus.* v. 28. An non cùm apud ipsum erat Vers. 28.
Isaac, & potens valde, à Domino id procedere nouerat Abimelech? planè: nec enim innocentissimo aliàs viro, aliunde posse procedere, augurabatur. Quid ergo fœdè expulsum, ambitiosè iam captat, quasi sub Domini tutelâ collocetur: quem expellens, sub eadem, iam nouerat collocatum? Quia licèt id vidisset, non tamen

sub præsentis boni vsurâ videbat, quàm sibi foret, dilecti Deo, vtilis amicitia: quod quidem absentis iam boni iacturâ sic cognoscit: vt etiam per honoris iacturam, priorem leuitatem confessus, negotium resarcire cogeretur. Guillelmus Hamerus ibi. *Isaac cum sibi aquarum copiam paraßet, ab aulico Regis Abimelech satellitio se se alienauit: & priuatam vitam egit. Cæterum mortalium res ita habent, vt ea ipsa bona interdum vehementius desiderare soleamus, quàm cum prius præsentia, & in manibus essent, &c. Idem quoque Regi Abimelech contigit, cum Isaac virum præstantissimum, inuidiæ facibus succensus, à se, non sine iniuria resecisset. Subijt igitur Abimelech, Isaac viri sapientissimi sanctimonia, & pietas; quam exploratam cognitamque non obscuris signis habebat: & chariorem iam absentem habere ceperat, quàm prius habebat, cum præsentem haberet.* Cauendum igitur prudenti Principi temerè cum Aulicis probatissimis rescindere amicitiam: quam postmodum coactus, non absque facilioris leuitatis notâ & prioris gesti pudore, teneatur resarcire.

349 *Quam incōstans Principū gratia.* Sunt tamen in hoc gesto plusculà, ad rem præsentem attentiùs, cum eodem Hamero, ponderanda: vnde Princeps, eiusdemque amici, cumulatius instituantur. Mirum in primis tam pacato animo Isaac expulsionis iniuriam tulisse, vt nec verbo conquestus audiatur: ideo statim additur: *Genes. 26. v. 17.* *& ille discedens, vt veniret ad Torrentem Geraræ. habitaretque ibi: rursus fodit alios puteos.* v. 17. Nunquid nouæ habitationis cura, nouo quærendæ aquæ labore, nōn nouerat se fatigandum: & inuentis, Palestinorum inuidiæ, vt reapse euenit exponendum? ita est. cur ergo discedens, nec leuiter immurmurat? quia Principis amicitiam, *Ideo parui facienda.* non arrogans sed prudens, iam pridem parui duxerat: non quod, dum duraret, decoram sibi & vtilem non putaret: sed quod necessariò instabilem præuideret: consideratione ergo præuiâ munitus ictum tulit intrepidus, quem certum ab Aulâ Principis, sperasse potiùs diceres, quàm timuisse. *Hamerus.* Hamerus. *Isaac regium amorem & amicitiam facilè pro nihilo duxit, & sua que de que tulit: vt qui probè sciret Principum animos, cothurno instabiliores: & iratos grauiori odio insectari: quàm propitios amore prosequi.* Audiant hoc Aulici, *Amici apud Principem, pila* apud Principes familiariores: vt quo loco hæc tanta amicitia sit ponenda, intelligant. Hominem *Dei pilam* vocarunt Prisci: Ego Principis pilas, amicos eius dicerem, nunc inuectas nubibus; paulo post mutabili impulsu, luto immergendas. vulgatissima sunt. sed optima apud Politicor. script. verba illa Polybij (quæ cum multis aliis affert Chokier lib. 5. cap. 6.) qui ita. *Et calculi supputatorij* *Breuia momenta plerunque extollunt homines, rursusque deprimunt: in primis vero eos, qui in Aulis versantur. illi enim profectò similes sunt mensarum calculis: qui pro eo, ac calculatori libet, modo Assem, modo Talentum valent. ita Aulici, ad nutum Principis, modò beati, modò miseri fiunt.* Ecquid vnquam instabilius, quàm quod vario nutu sic impellitur?

350. Authoritatis ergo suæ partem reputet Princeps non exiguam, quòd præter Regum indolem, in hoc deprauatam, in Amicitiâ constans perseueret. Si autem quandoque, (licèt enim aliunde æquissimus, at homo est) labatur cum Abimelech: eiusdem tamen moderamini, saltem modestus & temperatus ex parte, assuescat: vt minori postea dispendio lapsum corrigat. Nihil non malum machinatur inuidia, vt suprà multis dixi, hæc verò, Imperij districto gladio potens, quid non tentaret? Quid ergo est, quòd cùm Aulici sui inuidiâ laboret Abimelech, & huius succensus facibus illum expellat, nil tamen mali, *Genes. 26.* præter simplicem expulsionem machinetur? vt verè postea diceret? *Nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet, sed cum pace dimisimus auctum benedictione Domini,* v. 29. Temperauit nimirum inuidiæ præsentis odium, euentus, si fortè futuri prouidâ cautione, & tanquam *Amicitiam ita scinde, quasi iterum reconciliandus.* sapiente reuolueret sententiam illam Chilonis, (quem postea inter septem sapientiæ Græcæ columina suspexit orbis) dicentis; *Hoc fine ames: tanquam fortè fortuna osurus: hoc iisdem tenus oderis, tanquam forsasse postea amaturus.* *Tenor erga amicos seruandus.* Sic odij sui babenas in Isaac cohibuit, ne ad extremam vsque metam, quò impellebat inuidia, profunderetur: vt ita minori dispendio, paucis sed veris sermonibus, expulsum, cùm opus esset reuocaret. Hamerus *Rex Abimelech non atroci, nec vltima odij lineâ Isaac insectatus est: sed simplici, & cui facilè mederi potuit. Præceptum illud Chilonis, (vnius è septem Sapientibus) Rex Abimelech prius ostendisse videtur.* *Hamerus.* Talem itaque se gerat Princeps meus, si quandoque in bene meritum amicum contingat immeritò desæuire; sic oderit tanquam fortasse postea amaturus, vt de facili, priscæ temeritati, nec multo pudoris dispendio medeatur. Bene enim Valer. Max lib. 4. cap. 7. de *Valer Max.* vinculo Amicitiæ, ad consanguinitatis vinculum comparato. *Hoc certius & exploratius: quia illud, nascendi sors fortuitum opus: hoc vniuscuiusque solido iudicio, incoacta voluntas contrahit. itaque celerius sine reprehensione, propinquum auersere, quam amicum: quia altera diremptionis, vtique iniquitatis, altera leuitatis crimini, subiecta est.* *Cur consanguinitas potius, quàm amicitia rumpenda.* Laborandum igitur, vt saltem ita tenuis sit amicitiæ scissura, vt nunquam graui crimini dari possit, & proinde difficilius medicanda.

351. *Cum amico reconciliato, qualem se Princeps gesturus.* Sed quid si Princeps quandoque, licet aliunde iustus, in Amicum probatum grauiter delinquat? nec instar Abimelech Regis temperatus, extremam odij metam attingat, & altiori dedecore afficiat: & eiusdem operâ postea indiguerit: reconciliabitur-ne illi, & in Aulicam familiaritatem muniisque priscum reuocauerit? Reconciliandum ex animo, & compensandam iniuriam, solùm hæretica prauitas, solùm Machiauellus impius denegauerit. multa tamen deberent occurrere (quæ fere dari non solent) vt Principem ad intimum huiusce læsi commercium obligarem. Recondit vt plurimum sic læsus, alto pectore, iniuriam suam, nec absumit: deinde datâ ansâ, in meditatam diu vindictam erumpit feruidus: & aut Regis vitâ, aut Regni proditione litat iniuriæ: funestantur pestis huius frequentissimis exemplis priscæ recentioresque Historiæ. Tutius ergo prudentius, nec minùs sanctè, fecerit *Reconciliatio suspecta.* Princeps meus iam pœnitens, si munus publicum, & aulicum amicitiæ honorem, ex æquo imo & ex abundanti, huic resarciat bonis aliis: quàm si illum ad prisca, sic sibi periculosa, restituerit. non quòd velim (absit) vt de reconciliato Amico suspitiosus degat: sed cautum volo: ne magna vita, ne Resp. periculo exponatur. aliud enim est temerè suspectum aliquem habere: aliud

aliud ab aliquo, ob commune in hoc negotio, mortalium ingenium, sibi præcauere: neque tam de temerariâ in eum priuatâ præsumptione, quàm de frequenti ab aliis captâ experientiâ, velut suspectum, prudenter declinare.

352. Nihil enixiùs optabat Iacob, quàm se fratri plenissimè reconciliare mutuamque ex integro amicitiam resarcire: vtpote cuius ope non solùm indigebat, sed insuper potentiam formidabat. Et tamen cùm Esau inito iam fœdere, se illi viæ comitem exhiberet, familiaritate strictiori penitius insinuandus: respondet. *Præcedat Dominus meus ante seruum suum: & ego sequar paulatim vestigia eius.* Genes. 33 v.14 Sed cur fraterno, támque intimo ministerio renuntiat, vnde strictius, quod quærebat summopere, poterat colligari? propterea, quòd intima hæc forent ministeria: licet enim, verissimæ inhiaret amicitiæ, inque eius reconciliationem, larga iam fratri munera præmisisset: non tamen sibi tutum, familiaribus vti fratris ministeriis existimauit: aliud enim, in hoc negotio erat, amicitiam redintegrare: aliud commercium familiarissimum inire: vtque illud fraternæ charitatis iuri æquissimum: ita hoc sibi, periculosæ aleæ plenum opus, prudenter agnoscebat. Scilicet aut fuerat, aut saltem se crediderat grauissimè olim læsum, Esau: & tam vili primogenitorum emptione, támque astuto benedictionis furto, se à Iacob acerbissimè doluerat vulneratum. Merito ergo sibi cauet iste, ne recrudescens vindicta facilem in ministerio occasionem, distringendi furorem sortiretur. Oleaster ibi. *Admonet locus iste, eum, quem semel offenderis, semper habere suspectum: & non libenter acceptare eius ministeria.* Hanc igitur cautam potiùs quàm improbam suspicionem conseruet Princeps, si in consimilem fortè inciderit euentum. De cætero erga alios Amicos, pueriles & subdolas Aulæque congenitas euitet suspiciones: sibíque sub debitis, pro re quauis, circumstantiis, dictum putet illud Senecæ, epist. 3. *Cum Amico, omnes curas, omnes cogitationes tuas misce: fidelem si putaueris, facies: nam multi fallere edocuerunt, dum timent falli: & illi ius peccandi, suspicando fecerunt.* Affecisti enim iniuriâ, de illo aliquid temerè suspicatus: vel probâsti sontem te, timore tuo, vtrinque ius peccandi in te, & sumendi vindictam, visus facere.

Cauet Princeps semper quem semel offendit. Genes. 33.

Oleaster.

Princeps non sit suspiciosus, & quare. Seneca.

VI.

Vterque insanit, cùm superbus Princeps, Ministro inuidens: tum Minister gnauus, Principi æmulus.

353. ILlud autem in primis obseruent familiariores Principum Amici, ne de communibus dotibus, cum illis vnquam contendant: nec sors inferior supremo throno æmuletur. Stultæ & puerilis arrogantiæ est, apud Principem, liberaliores dotes ostentare: & quem de dignitate superiorem suspicis, ex virtutis alicuius præstantiâ, quasi inferiorem despicere. Non celes vbique, mi Aulice, sed ita semper tempera id, in quo fortè Principi tuo excellis, vt tu contentus secundis, primas illi videaris deferre. Nihil citiùs amicitiam Principis scindit, odium parat, quàm si quemuis è suis, in re, cuius ipse fuerit studiosus, sibi præstare senserit. Superbum animal, Princeps, & inuidum: inde sibi æquari neminem præsumit: hinc æmulum conficere festinat. Redi ad Abimelech, de quo fuse paulo anteà num. 348. qui ad Aulicum suum familiarissimum Isaac, ita. *Recede a nobis, quia potentior nobis factus es valde.* Genes. 26 v. 16. Hæc cine scindendæ amicitiæ apta ratio, congruens argumentum? An non germanus Amicus, amici bonis gaudeat necesse est: cuius augmento, magis quàm proprio, crescere sibi visus? Vnde ergo congratulationis causam, in dissidij fomitem, suggerit Abimelech? Non poterat melius ordinariam Principis indolem declarare. Falleris, Aulice, si te etiam penitiùs habitum, verè amicum Principis arbitraris: nescit, nec potest vt plurimum, tam dissita extrema, syncerae amicitiæ vinculum copulare. Ergo vnde vero amico fieres gratior, qui tibi, à te superatus gratularetur, inde Principem offendis: qui neque te gloriæ suæ corriualem superbus patitur: neque inuidus, præcipitio tuo parcet. Audiendus Hamerus. *Principis cum priuato coniunctio, nunquam vera amicitia dicenda est: tantùm enim inter illos interest, quantùm inter Dominum & seruum, quos inter nulla amicitia esse potest: est enim Amicitia inter pares. Princeps, priuatum sibi parem diuitiis ægrè sustinet, dum illum potentiæ suæ riualem metuit. Quam verò fluxa & ἀβέβαιος, regum amicitia erga priuatum sit, satis declarat Abimelech, suo in Isaac exemplo: quem priùs charum & acceptum, inter Aulicos habebat purpuratos: cuius uxoris Rebecca pudicitiam acerrimo edicto tuebatur: eum iam diuitem, & multâ re bonâ beatum, odiosum habet: neque sine ignominiâ ab Aulâ suâ proturbat.* Et tamen modestissimus bonorum vsurâ Isaac: quid si arroganter, quasi Principis oculis præstringendis opes ostentaret? fastu tumeret? Hinc post celebre puellarum Epinicium, Dauidem celebrantium: ait Saul: *Dederunt Dauid decem millia, & mihi mille dederunt: quid ei superest nisi solum regnum?* 1. Reg. 18. v. 8. Timuit non vtcunque, sed Regni iam riualem: & cui cedebat bellicâ gloriâ, cedere etiam Regno metuebat. Emphaticè magis, vertit ex Hebræo Vatab. *Et porrò, profectò, illi Regnum.* Quasi non solum Regni riualem, sed iam plene possessorem intueretur: & eodem elogio, fortitudinis lauream, & regni acciperet coronam. Hinc tam malè regali odio vexatus Dauid innocens: quid non ferret, si se efferre inaniter, contenderet? Si arrogans insaniret? Stultos tamen vtérque Princeps, qui ob inuidiam optimis se domesticis priuârunt.

354 Et tamen parem nullum, nedum maiorem, Principis ingenita patitur arrogantia. Post tot mira in Ægypto exhibita à Moyse: addit sacer Textus. *Fuitque Moyses, vir magnus valde in terra Ægypti, coram seruis Pharaonis, & omni Populo.* Exod. 11. v. 3. At certè Moysi, tota decertatio fuerat cum ipso Pharaone: non vanæ captator gloriolæ, sed diuino imperio obediens: ipsissimum magis Regem sæpiùs confuderat: quàm eius proceribus, & populo se mirabilem ostenderat. Quid ergo his potiùs, quàm ipsi Pharaoni, *Magnus videbatur?* respondet ibi Oleaster. *Aduerte Moysem, Magnum describi apud Aulicos & Populum: non tamen apud Regem:*

Insanit subditus si Principi præcellere tentarit.

Despicit Principem, si sub-

diturum dotibus inuideat.

Genes. 26.

Hamer. Inter Principem & subditum, nunquam vera amicitia potest intercedere, & cur

Princeps inuidum animal.

1. Reg 18.

Vatabl.

Exod. 11. Princeps neminem magnum putat, nisi se solum,

Oleaster.

gem: quia Reges, neminem magnum arbitrantur, nisi se ipsos. Hoc est omnium ferè Principum ipsissimum ingenium: vnde igitur, si coram sic animatis, nonnulli non solùm magnos, sed etiam maiores se probare præsumpserint, non indignentur: quomodò litatui superbiæ, inuidiæ facibus non armentur in vindictam? Celebre est apud Politicos in hanc rem exemplum illud Assyrij Monarchæ & Gobriæ iuuenis illustrissimi, sed imprudentis: quem ille sibi in Generum iam destinarat. de quo Xenophon lib.4. Cyrop.

Xenophon. *Infelix, qui se Principi præponit.*

Inuitauit eum Rex ad venationem: venarique liberrimè cum permisit, ratus longè se illi equitatione præstare.itur, & ecce oblatam fortè vrsam cum vterque insequeretur, misso iaculo Rex frustratus est: Gobrias vero spiculum cuibrans, illam prostermit: id quod Rex ægrè molestéque ferens: inuidiam tamen pectore recondit. Incurritur paulo post leo, qui à Rege, conatu pariter irrito impetitur: à Gobria conficitur. tunc Rex secum mussitans: En, inquit, bis spiculo iste vibrato, vtranque feram prostrauit: ita-ne? arrepta igitur à quodam Ministro lanceâ, pectus traiecit Gobriæ adolescentémque, cuius strenuitatem ægris tulerat oculis, vita priuauit. Tu mi Aulice, ne crediderís Principi, tecum similibus exercitiis decertanti, quamuis consequendæ tibi victoriæ spondeat libertatem: aut enim fallit vrbanitati consulens: aut fallitur superbus, maiora de se præsumens, cui proinde, si superetur pœnas dabis: arte tibi opus est: nam ita simulare ignauiam, quasi volens, non coactus cedas; æquè periculosum est, atque non dissimulare robur, quò victor euadas: vinci tibi opus est, & tamen videndus, vincere laboràsse. Non aliter tumidissimo animo, condignam victoriam, Princeps æstimarit: nec nisi sub sic gloriosè vincente, tutus deges. Imitandus ergo Angelus, Iacob antagonista Genes. 32. qui gloriosam victoriam æmulo concessurus, sic dissimulato robore, ignauiam cautè simulauit, vt contendisse pro viribus nec nisi coactus cessisse videretur.

Quanta arte, apud Principem dotes ostentandæ.

Gen. 32

355. *Sic debes Principi cedere incertamine, quasi necessario cedas.*

2. Reg 12.

Probè se Aulicismi huius peritum exhibuit Ioab. *Igitur pugnabat Ioab contra Rabbath filiorum Amon: & expugnabat vrbem regiam. Misit ergo Ioab nuntios ad Dauidem dicens: dimicaui aduersus Rabbath, & capienda est vrbs aquarum: nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside ciuitatem, & cape eam: ne cum à me vastata fuerit vrbs, nomini meo adscribatur victoria.* 2. Reg. 12 v. 26. Fere omnes vtriusque paginæ Politici scriptores id vnicè in hoc loco expendunt, nō sibi, sed Regi suo victoriam, eiúsque glorias Duci conquirendas. Altiùs tamen aliquid ad rem nostram, hîc expendendum. Non ad Regem quemuis, sed ad eum Regem, qui manu fortis, qui militari robore instructissimus, scilicet ad Dauidem, mittit Ioab: à quo sibi cauendum timuit, ne gloriæ tantæ æmulus putaretur. Neque de qualis qualis vrbis victoriâ certamen erat: sed vrbis Regiæ, arte locique genio munitissimæ. vnde bene Vatab. *Quæ inexpugnabilis pene erat, propter ingentem vim aquarum, quâ cingebatur.* Quid ni ergo putaret Ioab, militatem Regem, regiæ vrbis debellandæ honoribus, quasi opimis spoliis auide inhiasse? Meritò igitur cedit gloriæ, lauream concedit: ne Regem de æmulatione gloriæ inuidum fortassè pateretur: quem non ita pridem (se conscio) de minori libidinis æmulatione, tyrannum durum senserat Vrias. Et quidem vt regio nomini victoria vtcúnque adscriberetur, satis erat si Dauid paucis comitatus in castra veniret, vrbémque sub ipso victricis eruptionis impetu, cum ipsis Ioab copiis ingrederetur? Maluit tamen Ioab prudens, vt ipse Dauid suis auspiciis exercitum ductaret, mœnia obsideret: vt partâ sibi potius, quàm acceptâ, è duce suo victoriâ frueretur. ideo dixit: *& cape eam.* Signatius in Hebræo: *vt tu capias eam.* Sic enim robur suum dissimulauit Ioab, vt ignauiam simulare non nosceretur: cum enim copiæ suæ, vt ex contextu patet, satis forent: callidè regias adhuc acies dixit necessarias: quasi ab his euentus certior dependeret. Meliora, fateor, de Dauide iam pœnitente præsumi debuerant: attentus tamen Aulicus, noluit in tanti periculi negotio, nisi tritâ via, & apud Reges tutissimâ, incedere.

Vatab.

Tales ergo se habeant, apud Regem, Domestici prudentiores: si inuidus, (vt euenire solet) ne noceat: si Iustus, vt debitam modestiam ipsi conseruent. Reprehenditur meritò Lucanus, inter Romanos Proceres non postremus: qui à Nerone defecit, quòd Princeps (impensiùs quam par erat Poësi deditus, & Lucano inde inuidens) eius carmina deprimeret: vnde Tacitus Annal. 13. de quibusdā coniuratis locutus, subdit. *Lucanum propria causa accendebant, quòd famam carminum eius premebat Nero, prohibueratque ostentare vanus æmulatione.* æstimaui nūc Lypsij correctionem. At quanto satiùs foret splendidissimo Iuueni, in his poeseôs nugis, ridiculo Principi concedere: quam ab hac leui scintillâ incendium excitàsse, quo tandem, vt nosti, crudelitatis, Neronis, pompam cumulauit, fortasse non tam in læsæ Maiestatis reum, quàm in carminum riualem, sæuientis (tam grauiter, etiam in his minutioribus, castigare solet Princeps sibi æmulum) Hinc Ecclesiastici monitum diuinum. *Non litiges cum homine potente: ne forte incidas in manibus illius.* cap. 8 v. 1. *Non contendas cum viro locuplete ne fortè contra te constituat litem tibi.* v. 2. quia in quauis re contendens illi æmuleris, aliunde ansâ captata litem tibi mouebit opprimendo,

356. *Insania est, Principi, se gloria contentionem obtrudere.*

Tacitus.

Eccles 8.v.1. & v.2.

Id igitur in Principe meo præcipuè commendarem, imo suspicerem, si hanc superbæ indolis inuidiam, ab animo suo penitus resecaret: si se, quantumuis dignitate, cæteris præstantem; Amicis tamē, de priuata dote agnosceret cessurū: non semper sceptrum, eximiæ dotes omnes consequuntur: datur sæpe priuatis, quòd Princeps desideret: vtque est horum prudentiæ, eximiis suis, Principi non insultare, sed seruire: sic Principis modestia est, subditis applaudere, non inuidere. vnius est supremi Regis Dei Amicis non indigere; subditis, absque dispendio, renuntiare: mortales Reges ab horum virtute pendent, qua quò maior, sublimiùs ministrantur: è se fragiles, suorum dotibus muniuntur. Exultabat Isaias viso Christo, subdens. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis: & factus est Principatus super humerum eius.* cap.9. v.5. Non loquitur de feminate Imperij, & regiis insignibus, tunc enim Principatum, potiùs capiti in coronam, aut dextræ in sceptrum, aut in purpuram corpori, quam humeris imponeret ad decorem. Neque sermo videtur fieri de Principatu, quatenus onus est: & moles, humeros premens cum

357. *Princeps Iustos subditos se excellentiores, inuidia non prosequitur.*

Princeps terrenus, subditis eget. Isa.9.

h ono-

honore: tunc enim nihil singularius de Christo diceretur: (quod tamen ibi, quasi apposito discrimine, intendit Isaias) cum probis quibusque Regibus, id muneris, pro suis cuique viribus, incumbat. Quid ergo? Respondet Nicetas interpres Nazianz. orat. de Nat. Dom, *Quoniam omnes alij Reges, non in proprijs viribus Imperium suum, ac regnum habent constitutum, sed in alienis, puta in militibus, ac satellitibus, ac propugnatoribus. Christus autem solus Principatum super humerum habet, id est in suâ ipsius patientiâ: per humerum enim vires significantur.* Quæ ergo insania est, illorum dotibus inuidere, quorum nisi humeris, maiestatem fulcires, rueres necessariò? sine quorum fulgoribus, subitò tibi gloria caligaret?

Nicetas. Quorum viribus regnat.

358. *Genes. 21.* Prudentior longè, senior ille Abimelech, (non is, de quo paulo ante, Isaaci coæuus) qui Abrahamum, initurus cum eo fœdera, conuenit. Dixit Abimelech & Phicol, Princeps exercitus eius, ad Abraham: *Deus tecum est in vniuersis quæ agis: iura ergo per Deum ne noceas mihi*, &c. Genes. 21. v. 22. Erat iste Rex Palæsthinorum, apud quos, vt ibidem legis habitabat, & habitauit tutior deinceps Abraham *multis diebus*, v. 34. Vnde ergo priuatum hominem in Amicum sic allicit, & inuitat? Audierat victoriam Abrahæ, quam fœlix & fortis è tot prostratis Regibus comparatat, cap. 14. optauitque, in Amicum hunc sibi comparare. *Quod robore constituitur.* Atqui bellicosus Princeps, & exercitu semper, sub duce suo Phicol, instructo, munitissimus, hinc potiùs bellicoso aduenæ inuisurus putari posset: verumtamen prudens, tantùm abest ab inuidia, vt ob præclara gesta, in hospitis amorem rapiatur: nil sibi aut digniùs putans aut vtiliùs, quàm illum sibi facere amicum, cui Deus amicus erat: cuius deinde robore & virtute, cùm maiestas eius tutior, tum Prouincia reddebatur nobilior. *Hamerus. Rex inuidum animal.* Hamerus ibi: *Arguit certè hoc, Abimelech animum cordatum, & prudentem: & qui virtutem in quouis homine susp iceret, & adamaret, quod quidem contra Regum esse morem, nemo nisi stupidus inficias ibit.* Quod postquam profanis exemplis, insanam Principum inuidiam *Hamerus.* denotantibus satis illustrat: sic concludit, *Abraham & priuatus & peregrinus gesserat res præclaras, & inuidiæ plenas, cum potentissimos Assyriorum Regulos, bello superatos à Palæstina expulisset, sed apud Regem Abimelech, illa Abrahæ virtus, adeo inuidiosa non erat, vt pro magno negotio haberet, cum illo fœdus inire.* Nullibi certè Princeps aut honestiùs, aut lucrosiùs negotiatur: quam dum firma Imperij sui columina sic conquirit: & quem ipse solus nequit; subditorum talium potentiâ fulcit Principatum. Ex quibus iam satis patet insanientis esse inuidiæ in superbo Principe, gnauum ministrum perdere, & se excellentiorem deturbare: & insanientis puerilitatis in ministro, Principi æmulari, & se potentiorem irritare.

R. P. Pinto Ramirez Monit. Polit.

VII.

Domesticis Principis Ira quî ferenda: hæc illi, quàm fœda, quàm extirpanda penitus, aut temperanda.

SEd parum est, vt tutus degat, Principis, domesticus, si superbientis inuidiam non prouocet: iram eius, (impotentissimum scilicet, Potentioris affectum) sic debet prudenter palpare: quasi ipse cum innocentior offenderet, & iustæ indignationis fateatur se Reum. Fastidiosum Principis ingenium, indoles delicata, adulatoriis tot ministrorum obsequiis assueta, imò adorationibus: facilè ad quosuis alicuius defectulos commota, concepto igne feruet, fœdis omnia inuoluturo incendiis, si coneris compescere: solúmque, cedentis patientiâ, mitigando. Sic feras rebelles adhuc, non duro verbere tractandas, sed palpante manu mulcendas, Magister nouit. Hinc Statius lib. 3. Sil. 3. Libertum illum, Hetrusci patrem, optimum Aulicum commendat. 359. *Principis ira à subditis, quî ferenda.*

——Tiberia primum *Statius. Subditus licet innocens, irato Principi nô resistat.*
Aula tibi, (vix dum ora noua, mutante iuuentâ)
Panditur, hic annis multa super indole victus,
Libertas oblata venit: nec proximus hæres,
Immitis quamuis & furijs agitatus abegit
Hinc & in Arctoas, tenuis comes, vsque pruinas,
Terribilem affatu passus, visúque tyrannum,
Immanémque suis: vt qui metuenda ferarum
Corda domant: mersásque iubent, iam sanguine tacto,
Reddere ab ore manus, & nullâ viuere pradâ.

itaque *Passus*, non resiliens, furiosi Caligulæ iram domuit, feratum instar domitoris, nec aliter posset, tot Cæsarum furores superare, quos inter Nero, & Domitianus: sub cuius extremis temporibus decessit, & perpetuò in Aula gratiosus. Ideo Prouerb. 18. *Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam: spiritum verò ad irascendum facilem, quis poterit sustinere?* v. 14. LXX, vertunt in Sixt. *Furorem viri mitigat seruus prudens: pusillanimem autem virum quis sustinebit?* quasi animosus ille spiritus siue furor, quo Dominus irascitur, imbecillis cuiusdam animi sit nutritor: & Princeps ad irascendum facilis, quasi affectus sui impos sit pusillanimis: vnde Seneca lib. 2. de Irâ cap. 38. *Ab ira abstinendum est, siue par est, qui lacessendus est, siue superior, siue inferior: nam cum pari contendere, anceps est: cum superiore furiosum: cum inferiori sordidum. Pusilli hominis & miseri est, repetere mortem, vt mures, & formicæ, ad quas, si manus admoueris ora conuertunt. Imbecilla se lædi putant si tanguntur.* Nec tamen aliunde, quàm serui prudentis industriâ, veniet is talis temperandus. Nullam verò industriam, patientiâ putaueris callidiorem. *Prou. 18. LXX. Interp. Princeps iratus pusillanimis.*

Impio calumniatori Sibæ, tribuit temerè omnia quæ Miphiboseth domini, subiratus Dauid. 2. Reg. 16. v. 4. & ecce euidenter iam propulsatâ calumniâ, perstat adhuc in sententiâ: & saltem dimidio bonorum iniustissimè spoliatur innocens dominus assiduus Aulicus & Dauid Regis conuiua. cap. 19. v. 29. Quid ad hæc Aulicus? 360. *2. Reg. 16. & 19.*

cus: *Respondítque Miphiboset Regi. Etiam, cuncta accipiat, postquam reuersus est Dominus pacificè, in domum suam,* v.30. vbi Vatab. *Etiam. Hebraismus, quasi dicat, placet mihi.* Et quidem non poterat tam iniqua partitio placere, & tamen quasi acceptâ iniuriâ, caperet beneficium, gratias agit: & Dauidi ob victorias gratulatur: quatũ fælicitatẽ etiã amissâ totâ suâ hæreditate, magni faceret. Quid ita? nimirum, postquam patefacto etiam Sibæ dolo, & innocentiâ comprobatâ, adiratum adhuc Regem subnotauit, illis verbis: *Quid vltrà loqueris? fixum est quod locutus sum: Tu & Siba diuidite possessiones:* v.28. tutius duxit non altercari quamuis iustissimè, ne furori incepto fomitem ministrans, pro dimidio, nihil auferret: aulicâ prudentiâ agnoscens, omnibus, irati Regis libidini concessis, dimidium ipsum in tuto collocari. Notent obiter Principes, quid ab hoc iræ præcipitio temerè conceptæ euenerit Dauidi: de quo ibi Lyran. ita. *Iniustè concedens seruo medietatem hæreditatis: propter quod regnum eius fuit postea diuisum tempore Roboam, nepotis eius.* Cessit iræ Rex, & dum dimidium hæreditatis tribuit iniquè: dimidium regni nepotibus amittit. Sed Domesticos Principis hinc admoneo, solo Miphibosethicæ patientiæ tenore, aulici fauoris constantiam foueri. Trita sed pulchra sententia illa Senecæ lib.2. de ira, cap.33. *Notissima est vox eius, qui in cultu Regum consenuerat. Cum illum quidam interrogaret, quomodo rarissimam rem, in Aulâ, consecutus esset senectutem? iniurias, inquit, accipiendo, & gratias agendo.* Perstitit in Aula Miphiboseth, quia iniuriam accipiens, gratias egit. Nec minus aptum quod addit, de splendidissimo equite Romano, cuius alterum filium Cæsar immanis occiderat. Carpo verba. *Venit nihil vultu exprobrante, &c. Nec lachrymas emisit, nec dolorem aliquo signo erumpere passus est: cœnauit, tanquam pro filio exorasset. Quæris quare? habebat alterum, &c. perierat alter filius, si carnifici conuiua non placuisset.* Perierat & nostro, alterum dimidium, si priori, iniquè ablato, reclamaret.

Vatab.

Principi irato, quamuis iacturam facias, non resistas.

Rex ira cedens, euertitur.

Seneca. *Irato Principi pro iniuriis, gratias age.*

Seneca

361. *Irato Principi vbique cedere, quandoque secedere opus est.* Matth. 2.

Furiosum itaque est, non cedere irato Superiori: imò quandoque secedere opus est, ne scintillatus aspectu, sæuiùs exferuescat. Voluit æternus Princeps, de amoris ingenio Herodi Principi nasci subditus: desæuit iste, at ille in Ægyptum discedit: monitúsque Ioseph ab Angelo, *Consurgens accepit Puerum, & Matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum.* Matth.2.v.14. Non erat necessitatis fuga, sed exempli: edocuit, quî nobis Principis ira, aut in reliquum mitiganda, aut superanda fælicius. Poterat quidem exhibito miraculo, Regis furorem compescere: poterat Mariæ verbis, & Iosephi id suadelæ cælestis adhibere, quâ Rex iratus, prænosceretur mitigandus: sed tibi in exemplar, non idoneus: cui nec ita paratum miraculum, nec ita fuerit efficax suadela: Maluit ergo secedere, quò tibi, ni præsentis patientia valeat, secessu quærendum remedium persuaderet. D.Chrysol. ibi serm.161. *Persecutorem qui prouocat, facit: corrigit, qui declinat. Fugere debemus ergo, prouocare non debemus, si saluare Persecutores nostros volumus, pro quibus præceptum est nos orare, &c. orandum est, fugiendum est, vt & ille, qui per ignorantiam furit, sanetur: & ille qui patitur, de patientiâ palmam subeat, non subeat de temeritate discrimen. Fratres si Paulum, Martyres non fugissent, Paulum non scripsissent.* Hac arte à facie Saulis, desertâ Aulâ fugerat Dauid: vt quem iratum, non potuerat tot obsequiis mitigare; pio saltem secessu reuocaret. 1. Reg. vt iam nescias an Saul, qui sic adhuc perstitit iratus, insanior à Dæmone, quem passus: an ab irâ, quâ flagrabat, sit habendus: Illud scio, Regem sic immaniter Aulico vtilissimo inuectum, vt absentem & pie secedentem inquirat ad necem: (vnde dicitur: *Iratus iracundiâ Saul, abiit etiam ipse in Ramatha, &c.* 1. Reg.19. v. 22. Dauidem scilicet occisurus) vtro tunc morbo laboraret, vix discernendum: cùm vteruis eisdem indiciis putari posset: pulchrè enim D. Gregor. Nyssenus lib. de Beatitud. Cap.7. Iram sic describit. *Sanguine suffusi, ac distorti eorum, qui à Dæmone vexantur oculi sunt, lingua præceps, aspera in loquela, acuta, ac latranti similis vox. Communia hæc tum iræ, tum Dæmoni: quassatio capitis, manuum stolidi motus, concussio & quasi æstuatio corporis totius, pedes instabiles. Vna vtriusque morbi, per eiusmodi accidentia, descriptio est.* Quod quidem irato & Dæmoniaco Regi aptè accommodes: nisi quòd peius, in vtrouis, vtrinque visus laboratse.

D.Chrysol. *Iram proximi, qui debeas vitare.*

1.Reg 19. *Iratus iniquè Princeps, à Dæmoniaco non distat.* D.Gregor. Nysseno. *Ira turpitudo.*

362. Princeps autem meus, hanc in domesticos, (nam de cæteris infrà fusè) iræ pestem sic euitet, quasi nihil regiæ Maiestati indecentius: de quo integras paginas ministrat Seneca: & quisquis Politicorum scriptor: è sacris mihi pauca delibanda. Iacebat in sterquilinio Rex Iob, è throno deiectus: inuaditúrque ab vxore Reginâ, dolis vt supra dicebam aulicis instructissima, ad blasphemiam, vel quod certius puto, ad impatientiam prouocandus: ad quam tunc ille. *Quasi vna de stultis mulieribus, locuta es: si bona suscepimus de manu Dei: mala quare non suscipimus?* Et additur statim. *In his omnibus non peccauit Iob labiis suis.* Cap. 2. v. 10. Fit criminis præsumptio, excusatio non postulata, nec satis videas, quid in tam modestis verbis criminis appareat, ne præpropera excusatio textûs videatur. Quid enim nimiùm, si apertè delirans fœmina, non tam stulta dicatur, quàm stultis modestius comparetur: maximè, cùm tam euidens ratio, ferendi æquanimiter Numinis, adducatur? quorsum igitur inopinata defensio? quia licèt verba nunc nobis sonarent prudentissima, posset tamen suspiciosus aliquis putare, in tanta Aulicæ fœminæ insaniâ, iustum quamuis sermonem, subirato tamen tenore, & iracundiæ asperiori fastidio; à Iobo fuisse prolatum; Id ergo, ne quis crederet, cauet Textus Chrysostom. ibi in Cat. græc. *Nec fas, inquit Scriptura, est dicere, vxori quidem eum talia locutum esse: partes vero animæ interiores, iracundia atque fastidiy plenas fuisse. Nihil ergo is est, labiis suis, factus locutus.* Quasi nefas foret, vel etiam sub hoc discrimine constitui, tanti Regis virtutem prudentissimam, degeneris iræ maculâ denotare: Serenius, cordis illius cælum radiabat, quàm fulminans præsumatur. Tu mi Princeps, si vndique Regis huius ingenium nequis spirare: saltem sic irascere, vt non pecces. Ideo Rex Propheta: *Irascimini, & nolite peccare:* Psalm. 4. v.5. de quo Tertul. lib.2. contra Marc. cap.19. *Irasci, & non delinquere, id est, in irâ non perseuerare, siue sanire.*

Princeps Iustus, iram euitet.

Iob. 2.

D. Chrysost. *Ira infamatur Principi.*

Psalm. 4. Tertul. *Ira, non sit saltem perseuerans.*

nire. Quia si primos motus posses excusare, perseuerantiam tamen, vtpote sæuitiem meditans, non poteris. Indignum id Rege, & quauis generosa eruditaque mente. Cape gemmam ex Petronij Arb. limo erutam, qui cap. 19. Satyr. ita. *Incultis asperisque regionibus, diutius niues hærent: ast vbi ea aratro dome facta tellus nitet, dum loqueris, leuis pruina dilabitur. Similiter in pectoribus ira considit: feras quidem mentes obsidet, eruditas prælabitur.*

Petron. Arb. ira, rustica potius affectus.

363. Hoc est igitur discrimen Principis à Tyranno: quòd ille mitis, & quasi culta tellus ignitis iræ motibus diutius non inhorret: hic sæuus & incultus obsidetur. Est & adhuc discrimen, perfecti, numerisque omnibus absoluti Principis, ab illo, qui licèt bonus, nondum tamen in hoc, exactissimæ gubernationis fastigium euasit. quod primus, quidquid est iracundiæ sic resecat, vt in pace suauissima tranquillus animus perseueret: Secundus, tantisper naturæ indulgens, motus quandoque iræ patiatur, quos tamen diligentissimè cohibet & castigat. Id quidem in duobus primis Principibus Israëlis, Moyse & Aaron; ænigmaticè voluit Deus significatum: sic enim ad Moysem. *Sumes pectusculum de ariete, quo initiatus est Aaron, sanctificabisque illud eleuatum coram Domino, & cedet in partem tuam. Sanctificabisque pectusculum consecratum, & armum, &c. cedentque in partem Aaron.* Exod. 29. à v. 26. Est pectus, quod nemo nescit ex Philosophia, iræ bellaturientis sedes & domicilium: (huc alludit proximè Petronius: id fusè probat, infra citandus Philo:) quid est ergo, quod cùm vterque Princeps, à victima siue anima Deo immolatâ, pectus consecrat, & quasi sanctificatum deinde sibi retinet: Aaron insuper, armum & brachium sibi retineat? si dignior reuera erat Moyses: cur minori donetur portione? imò propterea, quia dignior, quia perfectior erat Princeps, brachio operationis instrumento non egebat. Vterque pectus ab ira mundatum, Deo consecrabat: diuerso tamen modo. Moyses vtpotè perfectissimus, omnino vel à leuissimo iræ affectu prærpurgatum: imperfectior Aaron, & tantisper quandoque indulgens naturæ, non penitus ab omni iræ motu liberum offerebat: meritò igitur, & brachium sumit iste, quasi adhuc operaturus, & totus in cohibendis iræ habenis occupandus; vno verbo: Princeps optimus, expugnatâ iam irâ fruitur pacificus: bonus, adhuc oppugnat, rebellem superaturus. Fusissimus in hanc rem Philo Iud. lib. 2. Allegor. intercerpo tantummodò necessaria. *Moyses totam iram recidendam & resecandam censet ex animâ: non moderationem affectuum, sed prorsus priuationem amans. Attestatur id meis verbis sanctissimum oraculum: sumptum, inquit, Moyses pectusculum separauit, &c. (Leuit. 8. v. 29. iuxta LXX.) valde pulchrè: illum enim virtutis, Deique amatorem decebat, consideratâ totâ animâ, pectus desumere ex eâ, quod ad iracundiam pertinet: adimeréque id, & abscindere: vt exactâ parte bellaturiente, de cætero Anima in pace degeret, &c. viden quomodò perfectus, perfectam immunitatem ab affectibus semper meditatur? Qui autem adhuc proficit Aaron, secundus ab illo, mediocriter, vt dixi, in eis se habet, &c. Hanc differentiam manifestius docebit nos dum ait: Pectusculum, &c. Leuit. 7. v. 34. Vides quòd hi non sunt contenti solo pectore, sed assumunt etiam brachium: Moyses verò accepit id sine brachio? cur ita? quia hic cum sit perfectus, paruum & humile nil sapit, ac nec mediocriter quidē vult indulgere affectibus, sed eos egregiè ac omnes omnino excidit. At illi non admodum vehementer ruunt, ad repugnandum eis, sed fœdus & inducias cum eis faciunt, quatenus cohiberi per aurigam debeant ab impetu nimio.* Vbi deinceps de hoc brachio seu labore, plura: quæ dedi alibi.

Perfectior Princeps à Tyranno, & imperfecto Principe differt, quod iram penitus rejecerit.

Exod. 29.

Philo Iud.

Igitur Iustus Princeps, qui adhuc ad Moysis perfectionem accedere non valuit, saltem Aaronis instar, forti brachio, debellandis, insanæ iræ motibus insistat: Pectúsque totum, iræ domicilium, si reuellere non potuit, compescat ad minus. Hinc illud Dei, ad Moysem; de Aarone locutus. *Pones autem in rationali iudicij doctrinam & veritatem: quæ erunt in pectore Aaron.* Exod. 28. v. 30. Inter sacri Principis vestes & ornamenta, nihil isto Rationali comptius, aut pretiosius, vt nôsti: sed cùm totum tot gemmis, tot mysteriis variegatum, in veritatem, & doctrinam Iudicij collinearet: capiti potiùs, quàm pectori, putares imponendum: caput mentis arcem, doctrinæ sedem, veri iudicij domicilium, videbatur compturum: maluit tamen Deus, pectori, id est, iræ centro inhæreret: quasi totum doctrinæ & iudicij sui pondus eo debeat dirigere Princeps, vt iram, quam penitus nondum potuit resecare, sedulus reprimat, & gubernet: mentémque velut aurigam, huius subsultoriis motibus semper adhibeat. Philo citatus. *Nondum enim potest pectus & iram excidere: gestat tamē supra id aurigam, cum agnatis rationis virtutibus, Rationale: in quo doctrina est & veritas.* Et pulchrè sic cohibita ira, rationis virtutibus dicitur subiecta: vt iam se cum brutis putet irrationalem is Princeps, cui ferarum instar, indomitâ exferuescit iracundiâ. 364.

Saltem resistere semper iræ, contendat Princeps.

Exod. 28.

Huc totius mentis vires adhibeat.

Philo Iud.

In Orbis Principem formaturus Deus Adamum, propriis manibus, non Angelorum ministerio, lutum mollit, & totius corporis ducit lineamenta: credo, vt quem è lapide & robore posset edere: è tenerrimo limo productus, blandam indolem, neque sæua iracundiâ rigescentem probaret illico. Suauius tamen longè est, quod additur. *Formauit igitur Dominus Deus Hominem, de limo terræ: & inspirauit in faciem eius Inspiraculum vitæ: & factus est homo in animam viuentem.* Genes. 2. v. 7. Nihil oris flatu delicatius, nihil tenuius, diuinóque, si consideras, nihil mitius: Quid ergo est, quod non vtcúnque, sed ex diuino flatu, hominis Anima producatur: nisi vt à nobis, vel minimus iræ furor exsufletur? quid ita? vt iam indignum haberes, si iratus ferinos animos spirares, qui brutis imperaturus, sub tam leni spiritu nascebaris. Oleaster ibi. *Aduerte qualiter Dominus tuus, ex intimo suo flatu vitam tibi communicauit. Potuit enim dicere, fiat homo in Animam viuentem: sed hoc non contentus, quasi ex suis præcordiis vitam eduxit: cui non sat fuit vaïbus spiritum suum communicare, sic noluit vllum hominem spiritûs sui expertem, &c. Quod si intra præcordia tua, vitalis Dei flatûs particeps es: quare ferinum spiritum iratus, vt fera emittis?* Imò inde feris sæuior sic irasceris, quod illæ, sui generis consortibus solent parcere: tu in eiusdem conditionis homines, & sæpè, in sedulo ministrantes, aut incautè 395.

Genes. 2. 7.

Quàm aliena ab homine, ira conditio.

Oleaster. Spiritus diuinus, quam lenis.

incautè errantes domesticos, raperis indignatus.

366. Nimirum ignis est ira, cui ni vigil habenas, ad motus primos, mi Princeps cohibueris, Aulam incendio misero inflammabis: armata enim Potestas, insuper ignitis iræ jaculis stimulata, quò non prorumpet? & fortasse ideo impij illi, apud Salomonem, hunc lenissimum flatum vnde nobis vita indita, temerè interpretantes, igni deputauerunt: *Quoniam fumus flatus est in naribus nostris, & sermo scintilla ad commouendum cor nostrum, quia extinctus cinis, erit corpus nostrum, & Spiritus diffundetur, tanquam mollis aer.* Sap. 2. v. 2. & 3: qui enim furore semper inflammatos, & igne iræ se senserant æstuantes: igneum sibi adhærere spiritum æstimabant, cuius fumus, cuius scintilla foras erumperent: solummodóque tunc mollissimum aerem vocabant, quando languidus per mortem elabatur, cadaueribus proinde in cineres iam frigidos, nam humorem ignis consumpserat, redactis. Tu igitur, ni adulter in impietatem declinas, qui tam alium tibi è diuinis præcordiis spiritum nôsti communicatum: caue hôc igne rapi permittas, & qui igne regiam gazam corripi doleres, regium animum à peiori longè incendio prohibeto: audi D. Cæsarium Arelat. Homil. 10. *Non sine grandi verecundia & possumus, & debemus nos ipsos reprehendere: qui cum Arcâ vbi sunt vestimenta nostra, qualemcúnque scintillam ignis nolumus intrare: per iniquas tamen cogitationes, in Arca conscientiæ nostræ flammas iracundiæ, non solùm intrare permittimus: sed etiam falsis suspicionibus, in maius incendium prouocamus, atque succendimus.*

Ira ignis ni compescatur, sic te omnia consumit.

Sap. 2. v. 2.

D. Cæsar Arel.

Notatio VII.

De Principis Consiliariis.

Germane politicum, Monitum illud Aristotelis in epist. ad Alexādrum: *Rerum humanarum accommodissimū est, consultatione vti.* Quò fit vt optimi Principes, optimis Cōsiliariis sedulò acquirendis studeant; quasi sententiam illam Imperatoris Iustiniani de his prolatam, recolentes: *Non minus proui lere humano generi, quam si prælijs atque vulneribus, Patriam Parentésque saluarent*: quod non solùm Iurisconsultis, de quibus, Iustiniano, est sermo, sed cæteris Consiliariis commune est. Nisi quod mihi, pace tanti Imperatoris, non solùm *non minus prouidere humano generi* Consiliarij, quàm bellatores videantur, sed etiam multò magis: quantò nimirum iucundius vtil usque Reip. est, remotissima mala prudente præcauere consilio, quàm ingruentia iam, & forte occupantia, districto gladio submouere. Putares igitur, de nullo mihi fusiùs, Administrorum genere, disserendum, cum nullum Politicis institutionibus habeam vtilius: & quidem facerem, si, quæ adduci poterant fælicius inuenta, & elegantius scripta ab aliis non viderem? quò enim pars ista necessarior, eò Politicorum vtriusque paginæ scriptoribus tractata diligentius: vt nisi acta agere vix possem, si diffunderer. Totam Politicam Principum doctrinam, ex libris Ioannes Chokier, satis eruditè conclusit, quorum tamen duos integros, Tertium scilicet, & quartum, consultationibus, & Consiliariis impendere, dixit necessarium, fere omnia quæ huc probari poterant exhauriens. Dabo igitur pauca sed nostra, supplemento potiùs, quàm operi seruitura.

Aristot.

Quasi sit Consilium, in Reip. necessarium

Iul. nian Imp.

Monita Politica.

I.

Sententiæ Chamæleontinas euitet Consiliarius: & qualem, veræ, possit fucum, prudenter adhibere.

Illud in primis, Consiliario probo infixum hæreat, vt ab omni affectu alienus, quidquid rectum, quidquid vtile, sic proponat, quasi solummodò, in illud, quod putat verius, collineet: horreat illorum ingenium, quibus ita sententiam dicere moris est, ita temperare sermonem, ita fucare verum: vt si videant postea Principem, digniorésque alios Senatores, aliò, quò ipse non tenderat, directos: possint sermonem suum, quasi eodem tendissent, interpretari, imo contorquere. Hæc verborum Chamæleontina, peregrinis quibusvis subiecta formis: cum magis proferre visam sententiam tunc suspendit: nunquam tamen ad trutinam veritatis. Agebatur in Romano Senatu de successore, Cæsari Augusto, assignando: Tiberius enim interim callidâ simulatione, ancipitem se gerebat: additque Corn. Tacit. Anal. 1. *Inter quæ Senatu, ad infimas obtestationes procumbente, dixit fortè Tiberius: se, vt non toti Reip. parem, ita quæcunque pars sibi mandaretur, eius tutelam suscepturum. Tum Asinius Gallus: interrogo, inquit, Cæsar, quam partem Reip. mandari tibi velis: perculsus improuisâ interrogatione paulum reticuit, dein, collecto animo respondit: nequaquam decorum pudori suo, legere aliquid, aut euitare ex eo, cui in vniuersum excusari mallet. Rursus Gallus (etenim vultu offensionem coniectauerat) non idcirco interrogatum ait, vt diuideret, quæ separari nequirent: sed vt suâ confessione argueretur, vnum esse Reip. corpus, atque vnius animo regendum.* Consiliarius nequam, & ex verborum potiùs chamæleontinâ, quàm ex offensione, Tiberio, ni paris indolis foret, puniendus: Sic solitus nimirum semper sermones temperare: facilem tunc euasionem inuenit, quo sententiam aliàs rectam, sub dubiâ veritate, in Cæsaris fauorem declinaret. Aliter ergo probus Consiliarius sententiæ suæ pondus ad veritatis ducat bilances, sperans semper falsò præualiturum: certissimúmque habens illud, quod in rem aliam D. Cyprianus, Epist. 1. ad Demetr. *Respondemus igitur tibi, ò Demetriane, pariter & cæteris, quos tu forsitan concitasti, & aduersùs nos, odia tuis maledicis verbis, seminando, comites tibi plures, radicis atque originis tuæ pullulatione fecisti: quos tamen sermonis nostri admittere credo rationem: nam qui ad malum motus est mendacio fallente, multò magis ad bonum mouebitur veritate cogente.* Sed quam vim suauissimè coactiuam in illâ vnquam, licèt verâ sententiâ præsumpseris, quæ sic fucato tenore apparatur, vt mendacio facillimè possit indui? Nefas! neque Catho

368.

Chamæleontina, in consilio dando euitanda.

Cornel. Tacit.

Sententia, veritati consonet.

D. Cyprianus.

Catholico Consiliario, id est Christi discipulo, non fœdissimum.

369. *Gene. 49.* In Iuda suo, Christum laudaturus Iacob, sic habet. *Pulchriores sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores.* Genes. 49. v. 12. vt acumen cognitionis, in oculis, de vini alacritate: & sermonis purissimam simplicitatem, de lactis candore, in dentibus, significaret. Sed mihi semper dubiũ, cur à dentium nitore, in sermonis candorem, metaphoram cum desumat Patriarcha, lac potiùs; quàm quiduis aliud candidum, huc vocaret? vulgò olim, vt & modò, dentiũ nitori limpidissimo exprimendo; Eboris splendor assumi solitus: aut si delitiosiùs res proferenda, margaritarum fulgor aduocabatur: vt & in Cant. cap. 6. v. 5. & in Spicil. ad hunc locum, notaui multis. Quid ergo est, quod vsitatis relictis comparationibus, insolenter lactis candor huc assumatur? aut quid in lacte aptissimum esse potest, vnde sermo Dominicus viuidiùs explicetur? *Verborũ simplex candor, in consiliis.* Habet nimirum lac præ cæteris, quòd nihil specularis ingenij sortiatur, quòd nullas peregrinas recipiat effigies, nullam alienam reddat imaginem: nihil ergo simplicissimæ veritatis sermoni aptiùs denotando: à quo praua hæc Chameleontis indoles longè abest. Pulchrè Germanus Archiep. Constantinop. Orat. 2. de Cruce, apud Grethser. post varia discrimina adducta, inter serpentem Mosaicum, & Christum Crucifixum, sic ad rem nostram concludit. *Germanus.* *Venenati sunt dentes serpentis, mortisque atra authores: At Christi dentes candidi sunt, seu potiùs lac, secundum Prophetam Iacob: partim quidem quòd sermo eius nos ducat in terram lacte, & melle manantem, ad Ierusalem illam spiritualem, & solo intellectu cognosci aptam: partim verò, quod typicarum repræsentationum non sit capax: nam solum lac ex omnibus humidis speciem nullam effigiat, neq; formas corporeas reddit, nec repercutit.* Tanto ergo à Christo lógiùs recedere se existimet Consiliarius: quantò propiùs sermoni sic disposito assuescit, quasi qui de corio suo ludens, in diuersas figuras, & contrarios typos, mutare possit.

370. *In verbis, qualis comptus quærẽdus Consiliario* Non tamen propterea denegauerim, honestum aliquem virtutis comptum in dicendâ sententiâ admitti posse, & quandoque debere: meretricium namque, id est adulatorium fucum sic reiicio, vt tamen decorum ornatũ putem necessariũ. Nuda si distringitur veritas, insipientium oculos præstringit sæpe, & assuetis mendacio, palatis palatinis, nisi temperata tantisper, amarescit: rem vt capias audiendus priùs Seneca lib. 6. de Benef. cap. 30. vbi ita de Principum miseriâ. *Seneca. Principis miseria, nunquã verum audire.* *Omnia sane exclusserit opulenta felicitas: monstrabo tibi, cuius rei inopia laborent magna fastigia: quid omnia possidentibus desit: scilicet ille, qui verum dicat: & hominem inter mentientes stupentem, ipsâque consuetudine, pro rectis, blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum, vindicet à consensu, concentúque falsorum. Non vides, quemadmodum illos in praeceps agat extincta libertas, & fides in obsequium seruile submissa, dum nemo ex animi sententiâ suadet, dissuadétque; sed adulandi certamen est, & vnum amicorum omnium officium, vna contentio, quibus blandissimè fallant?* Ne ergo & tu desis, qui Principi tuo verum possis dicere, immò vt ipse inter mentientes stupidus, & consuetudine falsi blandimenti, nauseans veritatem hanc possit deglutire: sic illam attemperaueris. vt sub sancti doli specie, sub vmbra nescio, quâ pij mendacij, verissima sententia propinetur: sicut pueris absynthia tetra Medici porrecturi, priùs, poculi oram melle inungunt: aut pillulam fastidioso gustui, auro bracteant: nescit aliter assueta mendacio auris, verum sibi propositũ absorbere.

Propositis à Christo, Populo parabolis: addit Matthæus: *Hæc omnia locutus est Iesus, in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis: vt impleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem: Aperiam in parabolis os meum.* 371. *Matth. 13. v. 34* cap. 13. vers. 34. Quin & Prophetæ olim cum *Veritas, sub quo fuco honestè dissimulanda.* Regibus agentes, vt plurimùm ad parabolas recurrebant. Ecquid est, quòd cum veritas nuda sit efficacior: à Domino tamen eiusdémque fidissimis Administris, sub his inuolucris necessariò putaretur inuoluenda? Habet quidem parabola ficti aliquid: & licet mendacium penitus euitet, at vestem, sub quodam ficti coloris fuco sibi induit: assuetis igitur mendacio auribus piissimè sic inludit: & quam nudam sustinere non possent: fucatam sic deglutiunt veritatem. Oleaster infra citandus. *Oleaster.* *Sæpe sæpius consideraui, cur Sancti Prophetæ parabolis vterentur, & similitudinibus, præsertim, cùm Regibus & Principibus loquebantur. Cur Christus tam frequenter Turbis in parabolis loqueretur, quòd fere nihil sine his, turbis prædicaret. Cuius hæc, meo indicio, causa est. Considerabant sancti, quàm agrè ferrent veritatem audire: quàm toruo vultu, & hirtoso naso eam aspicerent: & quàm hilari facie mendacia amplexarentur: & considerantes quàm necessarium foret hominibus, veritatem audire: veritatem parabolis & similitudinibus inuoluebant, & velabant: vt qui veritatem nudam fastidiebant, & ad mendacia arrectas haberent aures, veritatem saltem fictis vestibus tectam audirent.* Inde est quod cùm Nathan Dauidem adulterum & homicidam voluit increpare 2. Reg 12. sub fictâ Ouiculæ iugulatæ metaphorâ *Auris regia, veritati impernia.* rem expressit, non solùm quòd vulgò creditur, quasi in alienam personam æquiùs, illatâ sententiâ, suismet verbis Dauid condemnaretur: sed magis, quia Rex olim, & postea sanctissimus, id temporis iniquis Regibus adnumeratus consimiles iam aures accepisset: nec proinde nisi piè fucatam veritatem beneuolè accepturus Oleaster ad illud Exod. 23. vers. 1. *Non suscipies vocem mendacij,* sic scribit, *Nihil in iudiciis perniciosius: ideo maximè cauendum ab eis docet, dum indices instruit, sed hoc tempore, nihil mendacio licentiosius. Expende quæso temporum nostrorum malitiam, quando tam auidè mendacia audiuntur, & veritas cunctis tam exosa est, & omnibus fastidio, maximè Magnatibus.* *Exod. 23. Oleaster.* Tunc adductis, quæ suprà dedi sic concludit. *Sic prudentissimus ille Propheta Nathan, cùm sciret Regem Dauidem, apertam veritatem, dicenti non auditurum, Ouis similitudine rem velauit: & eum proprio mucrone confodit.* Si ergo hoc est hominum & maximè Principum ingenium, nudam scilicet veritatem aspernari: ingeniosæ iam fuerit pietatis si ab æquo Consiliario ita dissimuletur, vt efficacior possit penetrare.

Neque hoc ita capias, quasi ex se, nuda veritas ipsa, non foret efficacior: reapse enim robustior & expeditior, antagonistas mendaces, inuestis veritatis sermo, & omni spoliatus fuco, Athleta superaret: seruit tamen prudenter læsis concertantium, oculis qui præstricti nudo & euibrato fulgore, nunquam ad luctam venirent 372. *Veritas sua pro natura, quandoque se dissimulat sub umbra falsi.*

superandi: nisi à fuco, parem sibi præsumerent aduersarium. Expendo huc trita alias Philosophi Epicteti verba, in Enchir. *Approbato eos, qui benè consulere cupiunt: non eos qui vbique adulari student. Illi enim vtile in veritate cernunt; isti vero ea, quæ potentibus placent, spectant: corporúmque vmbras imitantes omnibus illorum dictis assentiuntur.* Si ergo vmbrarum Mimi hi Consiliarij, verè laruæ vmbratiles Senatûs: vnde possent lucifugæ, solaribus nudæ veritatis radiis assistere: aut fæliciter, sperato certamine, expugnari? aut vnde his talibus assuetus Princeps obumbrari, districto, noui generis splendori, non conniueat? Sed concedamus quandoque inter fucat tam falsitatem, & veritatem nudam iniri certamen, pugnam sustineri: foret quidem hæc potentior apud prudentissimum Principem, & quasi præconis voce, victrix renuncianda: at apud eum Principem, qui, vt vidisti ex Seneca, inter mentientes stupens, ipsâ consuetudine audiendi blandum, pro recto, ad ignorantiam veri perductus est: certè falsitas coronabitur, nec solùm palmam, sed insuper lemniscatam reportabit. Fucetur igitur piè paulum veritas, non vt simpliciter validior, sed vt apud hos tales astutior hinc reddatur. Sunt in hâc rem elegantissima verba Petri Cellensis lib. de Panib. Cap. 16. *Polita falsitas penè superat in oculis insipientium, fictâ similitudine, veritatem contentam nudâ simplicitate: elaboratum quoque mendacium foliis ficulneis, siue tunicis pelliceis vestitum, pompâ ambitiosiori gloriatur, quàm simplex verum. Virtus verò in oculis suis pretiosior, emendicatis recusat offuscari nitoribus, pudet eam alienis onerari magis, quam honorari splendoribus: nuda formosior est, aperta decentior, intuita coruscis luminibus pulchrior: repetita iterum, iterumque appetibilior: planè ad hoc solum vestitur, ne intemperanter contemplata*, (id est, nisi fuco isto se temperans aspiciatur) *oculorum lippitudo reuerberetur.* Iam verò piissimi huius fuci diuersa genera, Prudentia pro rerum diuersitate ministrabit: Nunc enim palpandus tantisper Princeps instar membri læsi: quod fotum antea, subitò tandem ferro pungit Chirurgus? Nunc Aduersariorum sententiæ commendandæ: quasi nostra, non tam Ducis, quam exploratoris, si fortè ab ipsis probandi, partes subeat. Iam apud temerè audaces, negotij difficultas sic expendenda, ne præcipites ruant: sic apud ignauiter timidos attenuanda, ne iusto minorem præsumant, incautè perituri. Vbique pro materiæ, & senatûs conditione, stylo attemperato. De quibus, hisque similibus, quoniam in aliis opusculis nostris non pauca dedi: ad alia properandum.

Epictetus Consiliarius fallax, larua est vmbratilis.

Petrus Cellensis

II.

Quænam Consiliarij inconstantia, laudi, quæ danda vitio.

373. Sic propositis, quæ, re attentius discusâ, putauerat verissima: caueat subinde Consiliarius meus, eisdem æquo tenaciùs adhærere: vt enim nihil, in his quæ benè dixisti, constantiâ gloriosiùs; sic nihil fœdiùs, quàm si quid postea rectiùs afferatur, non mutari. Vtrumque delibo paucis: non tam rem ipsam, vtpotè planam & fusissimè ab aliis illustratam, quam eiusdem circunstantias inculcans: quibus aut Constantia, aut mutatio reddatur gloriosior. Ratum in primis esto monitum illud Senecæ epist. 72. initio: vbi ad Amicum. *Subinde me de rebus singulis consulis, oblitus vasto nos mari diuidi: cùm magna pars consilij sit in tempore, necesse est euenire, vt de quibusdam rebus, tunc ad te proferatur sententia mea cum iam contraria potior est: consilia enim rebus aptantur, res nostræ feruntur, imò voluuntur. Ergo consilium sub die nasci debet: & hoc quoque tardum est nimis: sub manu, quod aiunt, nascatur.* Pende illud, quod magna pars Consilij *sit in tempore*, id est, à temporis sic dependeat circunstantiis, vt his variatis, veniat variandum. Nihil verius. Consuluerat Nabuchodonosor Danielem, de somnio, deque somnij interpretatione: iste reuelato illo, ad hanc iam ita. *Hoc est somnium: interpretationem quoque eius dicemus coram te, Rex.* Cap. 2. v. 36. Putares ad circunstantiam personæ attendisse, dum non contentus dicere, *Coram te*, addidit, *Rex*. Sed quidem iam quæret, si rectè memini, Regem appellârat, superfluáque hic videretur denotandæ personæ repetitio. Quid ergo? circunstantiam temporis voluit expressam: q. d. dum adhuc Rex es, & somnium tibi proponitur, & interpretatio suggeritur, cuius pulcherrimis monitis, poteris multa, ad Imperij tui regimen ediscere: & consilio frui saluberrimo. Nempe in bestiam ferè, paulò post mutatus cap. 4. iam diuerso consilio indigeret. Venerabilis Richardus ad hunc locum. lib. 1. de Erudit. Inter. Hom. Cap. 31. licet paulum ad mystica deflectens. *Fælix cui eo adhuc tempore visio hæc ostenditur, & interpretatio reuelatur: dum adhuc rex est, passionibus suis dominari potest.* Hinc viderit Consiliarius prudens, quod ante ratum putauit, labente tempore, sic posse infirmari, vt contraria sententia potior habeatur.

Seneca. Consilium sub die, imò sub manu nasci debet.

Dan. 2.

Totum, à temporis circunstantiis pende consilium.

Richard. Vener.

Sed quid, si initio errans, vicit tamen: & reliquis in suam tractis sententiam, lex vel dogma, v. g. statuitur: quibus longâ temporis consuetudine statur deinceps? Sunt nonnulli, qui si paulò post, ab euentu errorem suum deprehenderent, sedulò hunc curarent corrigendum, nec illos inconstantiæ suppuderet: qui tamen iam diu inualescentem non audent retractare: siue quòd erubescant post longas solummodò moras, visi sapere: siue quòd Consilij sui etiam errantis, repetitis iam applausibus indulgeant: id interim dissimulandæ culpæ prætendentes, iniqui pridem Consilij legem, ipsâ saltem consuetudine roboratam. Absit hoc ab ingenuo Consiliario: nullibi enim veriùs, quàm hîc, *quod ab initio inualidum est, tractu temporis non conualescit.* Nisi ergo fortè euenerit, vt quod ab initio fuerat noxium, mutatis longioris temporis circunstantiis, iam vtile reuerâ habeatur: de cætero consilium reuocare, & licèt serò resipiscere, constantissimæ deputet Prudentiæ, nec hilum consuetudini fallaci putet arrogandum. Rogârat Thomas viam, eundi ad Patrem: & audit respondentem Christum. *Ego sum via, veritas, & vita.* Ioan. 14. v. 6. Poterat Dominus in hoc loco, se potiùs consuetudinem, quàm veritatem appellare, nec importunè: quasi monens tutam Discipulis viam ineun- 374.

Quando se debeat Consiliarius, etiam post longum tempus retractare.

Consuetudo, quæ sit probanda.

Ioan. 14.

incundam, si consuetæ eiusdem sequelæ instarent perseuerantes: maluit tamen ab hoc vocabulo abstinens, se dicere veritatem: (quod tamen verbum adeo obscurum interpretibus in hoc loco, vt multas patiatur increpationes: vide Maldonat.) vt se non consuetam, sed veram viam magis enuntiaret: ecquæ causa? acutè Tertul. lib. de vel. virg. cap. 1. hanc inculcat. *Ostendam virgines nostras velari oportere: hoc exigere veritatem, cui nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non priuilegium regionum: ex his enim fere consuetudo, initium ab aliquâ ignorantiâ, vel simplicitate sortita; in vsum per successionem corroboratur, & ita aduersus veritatem vindicatur. Sed Dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominauit. Si semper Christus, & prior omnibus: æque veritas sempiterna, & antiqua res.* Vides è quibus fontibus, & fallaciæ quàm expositis, consuetudo oriri soleat, & inde successiuè in vsum roborari: meritò ergo Christus, nihil viæ suæ à consuetudine, sed totum à veritate voluit arrogandum. Caue igitur Consiliari, vindicetur idest defendatur tibi, aduersus veritatem, consuetudo: & quod ab initio errasti, ab illâ corrige, cui, nullis iustis titulis, præscribi potest.

Maldonat. — Tertul. — Contra veritatem, non præscribitur.

375\. Mutanda deinde consilia rebus; cùm verò res nostræ, vt ex Seneca vidisti, perpetuò ferantur, imo voluantur: pene in diem, & sub die, imo sub manu, id est, vt præsens omnino se res habuerit, consilium variandum, & quasi tibi denuo nasciturum. Pulchrè iterum Seneca lib. 4 de Benef. cap. 38. *Non est leuitas, à cognito & damnato errore discedere: & ingenue fatendum est: Aliud putaui, deceptus sum. Hæc verò superba stultitia arrogantia est: quod semel dixi, qualecunque est, fixum ratúmque sit. Non est turpe cum re mutare consilium* quod etiam perinde se habet, licèt nullus error initio intercederet. Acerrimè Galatas suos, à Circuncisionis charactere, remouit Paulus, ita vt diceret: *sed licet nos, aut Angelus de Cælo, euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit.* cap. 1. v. 8. itane? sic fixum, sic ratum cupis, quod semel dixisti, vt nec etiam Angeli consilio, si fortè contrarium fuerit, velis standum; ingens quidem & laudabilis constantia: quia tunc nihil verius dici poterat, sed cur ita, si Paulus ipse Timotheum iam Christianum circuncidit: Act. 16. v. 3. idque *propter Iudæos* & illis morem gerens? O quid agis Paule? reprehensibilem traducis Petrum, quod à gentilium conuiuio adblanditurus Iudæis, se tantisper abstineret: nec te times, a Petro traducendum, qui sic consilio varius: nunc constantissimè circuncisionem prohibes: nunc circuncidis? Iudæis discipulum circumcidis? Reprehendit Paulus Petrum Gal. 12. quod mitiori ingenio, (licèt sub leuissimâ vix culpa) & suauiori tenore quàm opus fuerat, mutauerat consilium: sed modestissimè & prudentissimè Magnus Petrus, Paulum non reprehendit, sed commendat, 2. Pet. 3. v. 15. quod sub diuersis temporis, rerum & personarum circunstantiis, Circuncisionis consilium mutâsset. Multa Tertul. lib. de Præscrip. adu. Hæret. qui cap. 23. ita de Apostolis, ad hæc loca. *Cæterum si reprehensus est Petrus, quod cum conuixisset Ethnicis postea se à conuictu eorum separabat personarum respectu: vtique conuersationis fuit vitium, non prædicationis, &c. Respondebo quasi pro Petro, ipsum Paulum dixisse, factum se omnibus omnia, adeo pro temporibus, & personis, & causis quædam reprehendebant, in quæ & ipsi æquè pro temporibus & personis & causis committebant, quemadmodum si & Petrus reprehenderet Paulum quod prohibens circuncisionem, circuncideret ipse Timotheum.* Tu pende verba Afri.

Mutanda cum rebus consilia. — Seneca. — Galat. 1. v. 8. — Actor. 16. v. 3. — 1. Galat. 12. — 2. Pet. 3. — Tertul.

376\. Quid? solet denuò ratio occurrere, pridem non discussa: quæ quia validior, etiam sub eisdem rerum & personarum circunstantiis; consilium mutare cogit. Iurabat in omnia Parentis Traiani verba Imperator Adrianus: quem tamen in negotio summo ponderis bellici, noua ratio à Parente coëgit dissentire, idque prudenter. Dio Cassius in Traiano. *Ponte Danuuium ideo Traianus coniungere voluit, vt expeditius, vel non glaciato amne præsidia facultas traducendi foret, quoties Romani, qui trans Danubium agerent, a Barbaris bello & armis vexarentur: ergo velut astricto frigoribus fluuio, cum res deposceret commeare licebat. Cæterum contraria ratio Adrianum mouit: siquidem is verium, ne pulso Romano præsidio, aut oppressis legionibus, feræ & indomitæ gentes facto aditu, in ea loca inuaderent, quæ cis Danubium sunt, Massiámque subinde populauerunt: structuras & fornices, quanta super aquam eminebant demoliri iussit.* Quod si vbique verum, nullibi tamen districtius, quam dum Consiliarius Catholicus; post initum consilium, quod Regi, Reipque suæ credidit vtilissimum, audit Romano id Pontifici displicere, & Ecclesiæ perniciosum iudicari. Hic certè constantia superbissimæ proteruiæ deputandum.

Consilium, sub grauiori rationis pondere, variandum. — D. Cassius.

377\. Egerat iam multis Iob cum Deo, & tandem subdit. *Qui leuiter locutus sum, respondere quid possum? manum meam ponam super os meum, vnum locutus sum, quod vtinam non dixissem, & alterum: quibus vltrà non addam.* cap. 39. v. 37. nihil tunc prudentius habuit, quam tacere: non vltrà cum tanto Domino ausus altercari. At ecce cap. 42. legis: *Respondens autem Iob Domino dixit: scio quia omnia potes, &c.* v. 1. & 2 vbi plura ad v. vsque 6. connectit. & vnde tam subita consilij mutatio? quis ab illo sic taciturno ore, impositorum digitorum claustra resoluit? quis propositi silentij signaculum resignauit? si vtilis non fuerat neque prudens taciturnitas, cur pridem à tanto viro stabilita? si talis, vnde tam facilè, mutato iam consilio, remouetur? nulla hîc inconstantia, sed prudentia multa: stultæ quippe foret proteruiæ arrogantia, si quod locutus fuerat, silentium sibi indicens, ratum fixúmque vbique vellet. quid ita? Audierat intermedio cap. 40. à Domino: *Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & indica mihi.* v. 22. & vidit, nunquam se constantius acturum, quàm si mutaret. Olympiodorus ibi, in Cat. Gr. *Illud dignam quæstionem habet, quamobrem is secundò sermonem vsurpet, quo se haud vsurum esse promiserat? Sed tamen huius ipsius quæstionis perfacilis est explicatio: quia enim post illam silentij pollicitationem, Dominum audiuit, cùm diceret: nequaquam: sed accinge sicut vir lumbos tuos, &c. scilicet diuinum iussum, suo promisso anteponendum, putauit; præstat enim diuinis parere mandatis, quam sua promissa excludere: nec verborum nostrorum sunt pondera examinanda, vbi diuina iis voluntas fuerit aduersata.* Sic in re nostrâ quidquid aut orthodoxæ fidei minùs consonum aut communi totius Ecclesiæ honesta-

Iob 39. v. 37. — Iob 42. — Cap 40. v. 2. — Olympiodorus. — In Catholico Consiliario, quæ circunstantia laudabilis.

tis

pi, sanctisque moribus alienum forte dixisti, quamuis vtilissimum Reip. & humanis oculis videretur prudentissimum: à Romano Pontifice damnatum, Palinodiæ debet commendari, vt, cum Iobi mutet consilio. Nisi fortè hæreticâ impudentiâ, in his rebus, non sub eodem pondere, & Dei, & Vicarij illius, putaueris decreta trutinanda. Te ergo dum sic mutas, catholicus mirabitur constantiorem: nihil enim hâc inconstantiâ firmius, nihil laudabilius.

378. *Quæ damnanda.* Quæ ergo, inquis, inconstantia, apud Consiliarium damnanda? illa nimirum, quâ sic te habes, vt dum hodie aliquid rectè probasti: cras iam non maiori fultus iure, sed vel pretio, vel affectu corruptus, contrarium tueris: illis similis, de quibus benè Cæsar apud Sallustium: *Ex alienâ libidine, huc illuc fluctuantes agitantur: interdum alia, alia deinde decernunt. Vt eorum qui dominantur, simultas aut arrogantia fert, ita bonum malúmque publicum existimant.* (Sallustius.) Mira erat illius ligni natura, de qua Deus ad Protoparentes. *Ex omni ligno Paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni & mali, ne comedas.* Genes. 2. v. 17. (Genes. 2. 17.) vnus idemque fructus, vtriusque scientiæ fontes porrigebat, & tamen denegatur, vnde facilè possent mortales, maximè sub innocentiæ statu habiti in delitiis, breui gustu doctissimi euadere. Et cur ita? meritissimò sanè: quia dum ex æquo boni & mali scientiam porrigebat, & quasi sub paribus lancibus vtrinsque notitiam trutinabat: videbatur iam hominibus facere arbitrium, vt nunc bono, nunc malo adhærerent: (parum id:) vtque vnam eandemque causam consulti sic euoluerent, vt nunc æqua, nunc sophisticis fundamentis haberetur iniqua. Hamerus ibi. (Hamer.) *Potest lignum scientiæ boni & mali, quod tamen edendum non est, referri ad astutum ingenium, quale est Rhetorum, quorum est pro arbitrio, in candida nigrum vertere, in nigra candidum, &c. In eodem morbo sunt Iurisconsulti: qui causam eandem, nunc tuentur, nunc impugnant. Ad eum sensum detorsit Plutarchus, quod Circe eâdem virgâ mentem adimit, ac reddit: pecudes facit, & homines.* Iurisconsultos hîc, à cæteris Consiliariis non distinguo, quorum eadem est ratio. Et quidem Rhetores, innoxiis vt aiunt acetabulis ludunt: at Consiliarij, ni iure in contraria moueantur: hac damnatâ inconstantiâ quasi Circea virgâ, misero Principi nunc mentem adimunt, nunc reddunt: nunc in pecudum, nunc in hominem commutant. Absit igitur à pio Consiliarij animo sic praua indoles.

Callida Cōsiliarij versutia, qua sub eodem iure nunc huic, nunc illi parti fauet, reprehenditur.

379. *Hæc versutia, non à Paradiso, sed ab inferno est.* Hinc fortasse eo tenore prædicta verba in Textu sic adaptantur, vt mysticè ab Animâ, hanc versipellem scientiam, versutum hoc consulendi ingenium credatur alienum. Ideo Phil. Iud. lib. 1. Alleg. (Philo Iud. Gene. 2.) *Ex omni ligno Paradisi comede.* Sic scribit. *Hortatur animam, vt fruatur non vnâ quapiam arbore non vna quapiam virtute, sed omnibus virtutibus: nam istud comesse, alimoniā Animæ significat. Alitur autem anima tractatione rerum honestarum, & actione bonorum operum.* Quasi, quod latius suprà probârat Philo, Paradisus, de virtutum in animâ consistentium congerie, capiatur. Pende ergo quod additur: *De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas.* Si ex omni Paradisi arbore edendum iam præceperat, dum à ligno scientiæ postea vetat edendum: videtur quodammodo istud in Paradiso non fuisse, significari: non enim dixit, de omni ligno Paradisi comede, præterquam de ligno scientiæ; quasi hoc etiam ibidem collocaretur: sed concessis absolutè omnibus quæ erant in Paradiso, addit: *de ligno autem, &c.* Quasi hoc alibi collocari, quod ad mystica pertinet, intelligendum. Idem Philo, post multa. (Philo cit.) *Ergo non est in Paradiso arbor hæc: quando quidem hortatur, vt edant ex omni Paradisi arbore.* Certè non debet esse in anima sic versuta calliditas, sic callida vafricies, sed eradicanda penitus, ne ex illa pascaris, & consultationes toxico suffundas.

III.

Arrogans, Consiliarij nequam ignorantia, & pertinacia, traducitur.

Expulsâ igitur ab Animâ scientiâ illâ dolosâ, quâ in vtramque partem, non tam pro iuris æquitate, quàm pro arbitrij licentiâ, nunc bono, nunc malo insistit vafer Consiliarius: boni scientiæ, sic sedulò bonus Consiliarius studeat, vt rem tractandam probè calleat, dispiciat attentè, donec introspiciat: aliàs, à præbendo consilio abstineat omnino. Pessima est, & aliunde ridicula illorum ignorantia, imò arrogantia, qui vt in omnibus sapere videantur, rerum etiam, & negotiorum, quæ nec à limine salutârunt: dissimulatâ hebetudine, adita sibi simulant penetralia. Proposuerat Nabuchodonosor Consiliariis suis, quos sapientissimos putabat quid sibi & oblito somnij, & aliunde eiusdem interpretationem cupienti, opus foret: Dan. 2. respondéntque Sapientes. (Dan. 2. 4.) *Rex in sempiternum viue: dic somnium seruis tuis, & interpretationem eius indicabimus.* v. 4. Dixerat iam Rex, se mente confusum, ignorare quod viderat v. 3. & tamen contendunt, vt somnium ipse suum enarraret, cui deinde iam facilem promittunt interpretationem. Non fatentur itaque, quod maximè debuerant, ignorare se somnium; & tamen spondent, id quod minimè poterant, eius interpretationem. Et vnde, si quale erat, non nouerant, iam planè interpretandum fore præsumebant? Sed, hic est communis pudor, & generalis similium Consiliariorum impudentia: ignorantiam suam ita celare, vt deinceps arrogantes, in ipsâ ignoratâ materiâ consilium, & notitiam habere glorientur. Richardus Victor. lib. 1. de Erudit. Inter. Hom. cap. 4. (Richard. Victor.) *Attende quid dicunt, vnum exigunt, & alterum promittunt: exigunt à Rege visionem, & eius pollicentur interpretationem: & tamen quam vanè exigunt, tam falsò promittunt: vnum autem veraciter dicere possent, si vera confiteri voluissent, visionē videlicet minimè nôsse, nec per se scire penitus potuisse: qui verò falsa profitetur, cur saltem vera non confitemur? communis pudentia, generalis impudentia: communis pudentia, impossibilitatem suam celare: generalis impudentia. vltra possibilitatem suam promittere.* Vtra peior sit, dubium: sed illud certum, vtramque risui & ludibrio prudentibus exponi.

380. *Dissimulata, & arrogans ignorantia Consiliarij damnatur.*

381. Hinc prudenter satis, ad illos, Nabuchodonosor: (Dan. 2. 8.) *Certè noui, quod tempus redimitis, scientes quod recesserit à me sermo. Si ergo somnium non*

non indicaueritis mihi, vna est de vobis sententia, quod interpretationem quoque fallacem, & deceptione plenam composueritis. Ibidem v. 8. vnde ridiculi magis reddi poterant, quam dum tot, de sapientiâ gloriantes, à Principe imperito mysteriorum, sic apertè, de merâ naturali prudentiâ, conuincuntur? minus erat præcedens somnium vtcunque diuinare: quàm subsecuturum mysterium interpretatione certâ reuelare: illud quippè sub tot expressis imaginibus, phantasiæ infixum, à Dæmone videri potuisset: hoc autem sub diuinæ voluntatis inuolucris delitens, nullo modo: Potuit ergo Dæmon suis præterita fortassè exponere: quibus tamen non poterat futura. Apertissimè igitur ex ignorato somnio, falsi futuri interpretes arguuntur. Idem Richard. cap. 5. *Ecce vtrumque vitium simulationis, & dissimulationis Rex in suis subiectis deprehendit, &c. ignorantiam suam dissimulabant, & apertè fateri nolebant, & in hoc tempus redimebant: & tamen de somnij interpretatione falsa promittebant. Sed ecce dissimulationis malum, in eis experiendo probauit: simulationis verò malum, ex ratione cognouit, dum vnum vitium ex alio collegit: si enim nec illud poterant, quod minus erat, quomodò illud possent, quod maius erat?* Vtinam ab Ethnico discerêt Catholici Principes, Consiliariorum suorum ignorantias & fraudes deprehendere: quos enim sæpè in rebus minoris ponderis, cernunt euentu negotiorum infausto, aberrantes; cur in maioris, aberraturos fœdius non præsumant? nisi fortè, sic stupidi iam Principes oscitent rebus suis, vt nec etiam tot infælicibus euentibus, prauo suorum consilio, indies pullulantibus admoneantur passim ab eodem, è Charybdi in Scyllam deuoluendi.

Ignorantia hac deprehensa, ridiculos reddit Consiliarios.

Richard. Vener.

382. Quid ergo mirum, sub sic stultis Principibus, pessimi Consiliarij, demoliendæ euertendæque funditus Reipub. insistant? errant, & fouentur: delirant & commendantur: euertunt populum, & pro debitâ pœnâ, nouo præmio afficiuntur: quosque, omnes suspirant, damnandos: soli Principes, quasi viros cælestes sibi datos suspiciunt, absque quorum consilio, ruitura imperia sua reformidant, scilicet, ô Principum amentiam! ô Consiliariorum arrogantiam! non solùm horum consilio, stant stulti illi, sed etiam arrogantiæ credunt obcæcati: & ne nouos, melioresque audiant Consultores, à priscis illis pessimis & arrogantibus persuadentur, nullos esse, qui profundiùs metipsis, negotia publica queant penetrare. Hoc est quod Babylonico Regi sed prudenti, prædicti Consultores, sed irriti, conantur persuadere, dum subiungunt. *Non est homo super terram, qui sermonem tuum, Rex possit implere.* v. 10. Non dicunt expressè, (quantumuis conuicti) se non posse; ne scilicet nouo hinc pudore afficerentur: Sed neminem esse in Orbe toto, nedum in Assyrio dominatu; qui valeret. Sed vnde nôrunt neminem sic potentem, licèt è longè: cùm tàm propè esset Daniel, sermonem Regis, facilè impleturus? planè, non nouerant, sed arroganter iactabant, nemini concedendum, quod sibi non tàm fatebantur, quàm indicabant negatum: ne scilicet ipsis expulsis, alius Principi in Consilium aduocaretur prudentior. Richardus iterum eodem Cap. *Videamus quàm falsò, vera loquantur. Non dicunt simpliciter, nos non possumus, (quod vtique verum erat) sed, non est homo super terram, qui possit: quod absque dubio falsum erat: nam Daniel homo erat, & super terram erat, qui hoc potuit: sicut postea rei exitus probauit.* Resipiscant ergo, si fortè in hos tales Consultores inciderint, probi Principes: & experientiâ ipsâ Monarchiæ collabantis, ipsis reiectis, Danielem aliquem inquirant, à quo sibi, Imperiisque suis fælicius intendant.

Quid stultescat Princeps in quos Consiliarios veneratur.

Stulti Consiliarij, arrogantia. Dan. 2. 10.

Richard.

383. Caueant itaque ab his Consiliariis, qui sibi arroganter grandia vsurpant, qui summam rerum prudentiam sibi arrogant, nec vsquam alios iactant sibi similes: inuidentis enim superbiæ, & inuidiæ immensum superbientis est, fœdissima, sed plerisque Senatorum innata hæc præsumptio. Pende quæso, quid tandem addant, prædicti huc vsque Babylonici Sapientes. *Nec reperietur quisquam, qui indicet illum in conspectu Regis: exceptis Diis, quorum non est cum hominibus conuersatio.* v. 11. Neminem mortalium, à somnij ignorantiâ excipiunt vt solis Diis cedentes, (idque fortassè inuiti, nam obiter illos inuidos, & denegantes commercium, insimulabant) non erubescerent: at quidem quod ad interpretationem somnij attinet, quam saltem hominibus volebant penetrabilem, nullum, sibi mortalium socium admiserunt: ideo dixerant, vt vidisti: *Dic somnium seruis tuis, & interpretationem eius indicabimus.* v. 4. expressiùs in Hebr. apud Vatab. *Nosque interpretationem reddemus*: quasi dicant *Nos*: non alij quique hominum: nec solùm indiciis inculcandam, sed planissimè redditam interpretationem suggeremus. Talis est Consiliariorum indoles, talis humani fastûs arrogantia. Concludat citatus toties Doctor venerabilis Richardus. *Quid quæso est quòd animus humanus, secundùm bonum quod in se probat, alios omnino non prædicat: & tamen secundùm malum, quod in seipso inuenit, alios adducit? ecce sapientes isti, quod de somnij interpretatione præsumebant, non tamen æquè omnibus commune tribuebant: verum tamen, quod de somnij recuperatione non poterant, neminem posse confirmant.* Vt ignorantia scilicet, de communi omnibus vitio, nulla: sapientia, de singulari priuilegio commendetur: nec iam alius aucupandæ Principum gratiæ admittatur.

Dan. 2.

Praui Consiliarij, arrogantia.

Richard. Vener.

384. Sic illud in hac prædictorum similiúmque Consultorum arroganti ignorantiâ notabilius, quòd cùm frustratis sæpè consiliis, infælices rerum exitus passim deplorent, adhuc tamen non mutent: & eò pertinacius insistant prosequendis negotiis, quò illa deprehenduntur attingere inefficaciùs: vnde quidem apud dolentes populos, & apud Deum Iudicem redduntur detestabiliores. Synagogæ consilium, & exhibita ibi consilia taxans Christus, ita ad Ecclesiam. *Aperi mihi soror mea, amica mea, &c. quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Cant. 5. v. 2. Caput, Patrem suum, quod & Apostolus docuit, appellauit. Est ergo acuta licèt singularis, explicatio Gelliberti, ibi serm. 42. vbi ita. *De Deo Patre gloriantur Iudæi, eius se iactant habere notitiam: Filium reprobant & blasphemant: tu aperi mihi: Caput meum plenum est rore: non tales desiderat, non sitit, sed magis fastidit: ideo plenum est.* Quam phrasim Hispanismus noster assequitur: de illis enim, quos fastidimus, adductâ ad os manu, solemus dicere: *Estoi ya harta aqui: estoi lleno: estoi harto dellos.*

Damnata, praui Consiliarij pertinacia.

Cant. 5. 2.

Gellibert.

Id tamen in hac re obscurum, cur homines diuinam ita nauseam prouocantes, roris potius guttis & minutæ pluuiolæ, quàm præcipiti turbini, & tempestati fœdæ comparentur? Sed certè nihil aptius adduci poterat. Vt enim nihil leuius madente rore, ita nihil molestius: vt pluuiâ minutulâ nihil inefficaciùs, ita nihil solet decidere pertinaciùs. Talia horum consilia, tales eorum assertiones putabantur. Elegantet idem Gellibertus.

Gellib. *Hæc pertinacia, quàm inefficax.*

Plenum est rore: eò quòd sensu leues sint, rationis carentes pondere, non habentes aliquod in assertione momentum, Ratione leues, obstinatione graues: quasi ros & gutta inefficaces, & pertinaces. Nihil à probo Consiliario alienius: nihil improbis vsitatius, vbique Talpæ, & tamen vbique se Lynces venditantes: quorum tam facilè, alios, ex aliis, coarguas errores: quàm lepidè, pertinaces & inefficaces naturæ mystas irridens confundit Tertullianus, lib. de An. cap. 10. *Errantes Philosophi pro certo renunciauerunt, culicibus, & formicis, & tineis, deesse pulmones & arterias. Dic mihi, inspector curiosissime, oculos habent ad videndum? at qui pergunt, quò volunt, & vitant & appetunt, quæ videndo sciunt, designa oculos, denota pupillas. Sed & exedunt tinea: demonstra mandibulas, deprome genuinos. Sed & personant culices, ac in tenebris quidem, aurium ca..itubam pariter, & bianiam oris illius ostende.* vt enim in his, quidni in arteriis, & pulmonibus dignoscendis errare possent? sic in re nostrâ. Sed pergo.

Tertul. *De lyra ethnicorū Philosophia.*

IV.

Pharisaicæ Consultationis vitia euitanda propono.

ARrogantem Babylonici Senatus ignorantiam paucis vidimus: Pharisaici nunc Concilij, è leuibus pertinacibúsque consultoribus; vt dixi congregati, vitia discutiamus: & præmonstratis scopulis, quibus horum sententiæ impegerunt, habeat Consiliarius meus iustus, quasi ob oculos, quæ sibi in Consultationibus præcauenda. *Collegerunt Pontifices & Pharisæi Consilium, & dicebant: quid facimus quia hic homo multa signa facit?* Ioan. 11. v. 47. confusè & tumultuariè res peragitur: nec tam vnus post alium, sententiam, vt deberent; quàm omnes simul affectum suum expromunt: non quid faciendum sit, quærunt, sed queruntur ad nocendum factas moras. *quid facimus?* inquiunt, se increpantes, se coarguentes quasi non tam consultando venirent, quàm inuicem reprehendendo, quod tandiu pepercissent. Caietanus ibi. *Arguendo legendum est; materia tractata in Concilio non nuda describitur, sed cum modo, quo tractabatur: scilicet arguendo proprias moras, ad occurrendum tanto periculo.* Nihil iniquius: neque enim in cōsultatione affectus indicandus, sed ratio distringenda: & vide quàm vehementé nocendi prodant affectum: qui enim iam multis dolis, & nocumentis variis Christum diuexârant, quasi nihil fecissent, ingerunt, *quid facimus?* quia semper otiosos se putârant, nisi extremum Crucis damnum tandem adducerent. *Quid facimus?* quasi dicat, saltem aliud facimus, quàm quod extremæ nostræ debetur iniquitati: quia dum, non pessimum, quod

Ioā. 11. v. 41.

In Consultatione, non indicandi affectus.

Caiet.

Impius, semper se otiosū putat nisi extremè noceat.

Impius nl male agat, tēpus terere si bi videtur.

cupimus, exequimur: iam tempus terere, & aliud quid, ab instituto nostro diuersum agere denotamur. Dixit eleganter Seneca epist. 1. *Quædam tempora eripiuntur nobis, quædam subducuntur, quædam effluunt: turpissima tamen est iactura, quæ per negligentiam: & si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus.* Ergo improbis his senatoribus, iactura, si Deo placet, temporis condoletur, quod toto retroacto aliud agerent dummodò Christi necem dilatabant.

Seneca.

Addunt. *Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.* v. 48. Iam non solum affectum, sed etiam rationem inculcant, quæ tamen ab affectu obcæcato, non à vero iudicio descendat. Nihil funestius. Ne tam libito, quàm iure decertare viderentur, distringunt rationem: sed eam rationem, quâ non tam negotium dubium discutere, quàm fixum sibi decretum iam enuncient. Tu caue sic procedas? si semel in alteram partem animus obstinatur, quid opus est consultatione? libranda vtriusque partis fundamenta, solidioribus standum. In tam arduo negotio, an Christus Messias esset, nec-ne: tota fuerat Scripturarum series euoluenda, vitæque & operibus eius commensuranda: illi tamen de his nihil, quia quidquid foret, obstinati iam in necem coniurârant. bene Rupertus ibi. *Credere nolebant; & nequaquam consultando veritatem agnoscere, sed veritati resistere quærebant. Igitur de voluntate Scripturarum, sine quibus legitimum non est Concilium, omnino tacuerunt: & quod mallent significantes, ita protinus proposuerunt: si dimittimus, &c.* q. d. Hoc ratum fixúmque esto; non fore dimittendum. Et pende nefas animi, obcæcatæ mentis delyrium: *Omnes* inquiunt. *credent in eum.* quid ita? *quia hic homo multa signa facit.* & quæ alia credendo ratio iustior, aut efficacior? grauiter Theophylactus, *& quale hoc crimen, quòd signa facit? oportebat ergo credere, & admirari: & non adhuc habere pro puro homine.* Obstinatio Consultorum ipsum etiam ius vertebat in iniuriam, & quò furebat affectus, eò etiam iura ipsa detorquebant. Rectè olim Cæsar apud Sallustium in Catil. *Omnes homines, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitiâ, irâ, atque misericordiâ vacuos esse decet: haud facilè animus verum prouidet, vbi ista officiunt: neque quisquam omnium libidini simul, & vsui paruit.* Timent ergo ne populus homini, totus adhæreat, tot signa facienti: quia ipsi non signa Christi verissima: sed signa sua, discernendo Messiæ volebant arroganter & subdolè attendenda. Hinc Propheta, quasi in hos intenderet, *Posuerunt signa sua, signa: & non cognouerunt* Ps. 73. v. 5. de quo pulchrè Gellibertus serm. 14. *Ponunt, quæ non inueniunt: ponunt, quæ praué postea exponunt.* quid à vero consultore (licet generalius loquatur Auctor) alienius? ipse ponit, non inuenit: ipse signa fingit, quæ postea ad libitum, exponat & refringat: inque causâ, quæ non sunt causæ, machinetur, obstinationi suæ temerè seruitura. Addit Gellib. *Signa: quasi dicat, tantùm signa, & non veritatem: signa non certitudinis, sed suspicionis. & non cognouerunt: non enim cognitione, sed coniecturâ vtuntur.* loco ergo prædicti Consultoris signa Christi verissima impugnabant, quia signis suis euanidis credi volebant: his nimirum, vnde sic Messias populo assumeretur, vt nullo

386.

Vers. 48. *Consultatio, de re aliunde fixâ, frustra subitur.*

Rupertus.

Obstinatio Consultorū, ius in iniuriam vertit.

Sallustius.

Psal. 73.

Praui Consultoris descriptio.

modo moribus, & honoribus eorundem contrarius veniret: quod tamen sub Iesu nostro longè futurum aliter, sentiebant.

387. Et tamen impios hos affectus, vt tegant pessimi Senatores, subiungunt: *venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem.* Id est: indignabitur meritò in nos Cæsar, quod Regem, ab illo alium admittamus: & misso exercitu, nos atque gentem nostram deuastabit: quid ergo hunc non occidimus, quò & Cæsari fideles, & populo parentes comprobemur: illi æmulum, huic euersionem auertentes? habes similium Consultorum apertam, sub apparatâ vtriusque veli occultatione, indolem: qui semper aut obsequendi Principis, aut fouendi boni communis prætextu, affectibus suis solent ministrare: Quis enim sic abscondita retia non incidat? quis sic celatas decipulas deprehendat? Historicè visus magis, quàm propheticè, sacrilegi huius Concilij consilia, declinâsse Dauid cum dixit. *Exacuerunt vt gladium linguas suas, intenderunt arcum, rem amaram: subito sagittabunt eum, & non timebunt: firmauerunt sibi sermonem nequam: narrauerunt vt absconderent laqueos, dixerunt, quis videbit eos?* Ps. 63. à v. 4. Firmant sermonem nequam, quia vt vidisti, non tam de te consultant, quàm firmum iam propositum enuntiant: abscondunt laqueos suos, sic quòd à nemine deprehendi possent, securi: vt potius integerrimi Consultores venirét commendandi. Grauissimè citatus Rupertus. *quem putarent tali causâ propositâ, posse ipsorum intentionē reprehendere, vel illum vnum hominem audent defendere? de cōmuni salute gentis totius cōsultabatur: de seruādo Romani Imperij fidelitate consilium quærebatur: ergo hunc hominem interficere, apud Tribunalia quidem Cæsaris, videbatur fore tutum: apud Iudicem Populi fingebatur necessarium. Sic intenderunt arcum conuentus illi malignantium, & multitudo operantium iniquitatem: sic inquam intenderunt arcum, rem amaram, sic firmauerunt sibi sermonem nequam: sub hac occasione timoris, vel fidelitatis Imperij Romani, absconderunt laqueos, & dixerunt, quis videbit eos?* Hæc est illa pestis, quæ Imperia labefactat quis enim Principum, fallaces sibi nouerit Consultores, quos suo eiusdem bono sic videt differentes? aut vnde Populus putet hos sibi iniquos: quibus potius, tanquam communis salutis studiosissimis, applaudendum & congratulandum iam reputat necessarium?

Ioan. 11. cit.

Sub quibus prætextibus impij Consiliarij, venena occultent.

Ps. 63. v. 4.

Fidelitatem erga Principem, vtilitatem erga populum, attendi fingunt.

Rupertus.

Vnde iniqui deprehendi, non timeant.

388. Centum & viginti Satrapas, sibi Consiliarios & Imperij sui administros elegerat Darius, quibus Danielem præposuerat. Superabat Daniel non solùm sanctitate, sed etiam scientiâ hos omnes, quidni ergo ab eisdem inuideretur. Ergo laqueos illi parant, cuius ab humeris, & Regis salus, & populi incolumitas dependebat: sed illos laqueos, quibus discernendis, vel etiam ipsi lynces cæcutirent. Formant igitur Senatu plenissimo decretum, ne quis Mortalium certis triginta diebus, à Deo vel ab homine aliquid postularet, nisi à solo Dario Rege: quem insanâ hâc palpitatione, non solùm suprà hominum fastigium collocabant, sed etiam ipsis Diis præferebant: si quis contra faxit, morte plectendus. Nimirum nouerant, Danielem ab oratione, & cultu veri Dei, hinc non deterrendum, & proinde tutissimè accusandum. Sed mirâ emphasi protulit Scriptura tenorem, quo deinceps Decretum regio sigillo stabiliendum, Dario obtulerunt: pende verba: *Tunc Principes & Satrapæ surripuerunt Regi, & sic locuti sunt ei.* Dan. 5. v. 6. Regibus quidem plura surripiuntur, quàm abstrahuntur: plura domesticorum furto pereunt, quàm raptu hostium: sed nullum illis furtum perniciosiùs, quàm si furtiuâ & subdolâ Aulicorum technâ, optimo aliquo ministro spoliantur: quod hic pessimi Consultores adornabant. Sed ita ne, ante Darij oculos, surripiendus, & damnandus Daniel, quem Rex in ipsis pupillis gerebat, nec aduertit? quî poterat, si surripientium laquei sic occulti, si retia sic subreptitia, vt possent dicere, *quis videbit eos?* scilicet sub velo regiæ gloriæ quærendæ dolos dissimulabant: vnde ergo fallax Decretum, & Regi perniciosum putari poterat, quod regio honori sic apertè consulere videbatur? D. Hiero. *Pulchrè dixit, surripuerunt: non enim hoc locuti sunt, quod agere cogitabant: sed per honorem Regis inimico moliuntur insidias.* Hos ergo sibi in Magistros proposuerunt in hoc loco Pharisæi: imò & hic in Danielem coniuratus Senatus, iam Pharisaicum Concilium in Christum subdolè sæuiens exprimebat. Rupertus lib. 1. in Dan. cap. 11. id fusè probat, tu legeris.

Idem probatur.

Dan. 6. v. 6.

Pessimum furtum patitur Princeps, si optimo ministro spoliatur.

Sub regie gloriæ prætextu, Rex ipse à suis laeditur.

D. Hieron.

389. Furit in Mardochæi zelum piissimum, tumidissima superbia. Aman: nec vno iugulando contentus, in omnem Israëlem parat vindictam: amicus ergo Regis, & primarius Consultor, hunc sic aggreditur. *Est Populus, per omnes Prouincias Regni tui dispersus, & à se mutuò separatus, nouis vtens legibus, & ceremoniis: & Regis scita contemnens.* Esth. 3. cap. 8. Iam satis dixisse putares: quid enim insolentius populo, quod crimen grauius, quàm Regis scita, siue Decreta contemnere? sed nondum ille satis hoc credidit: videbat quippe, quandoque optimum Regem propriis iniuriis solitum conniuere: vt subditorum suorum commodo, totus inuigilet. ergo illos parat laqueos, qui oculatissimum quemuis latere possint. *Et optimè nôsti, quòd non expediat Regno tuo, vt insolescat per licentiam.* ibidem. Nota illud *optimè nôsti.* Nulla structior adulatio, nulla potentior machina captando Regi, quàm dum prouidus, & rerum peritissimus commendatur: quasi à Consiliario suo nō tam doceri videatur, quàm ad attentionem reuocari illorum, quæ ipse Princeps nouerat acutior. Optimè Lyranus ibi: *Optimè nôsti? Hoc dixit adulando Regi: vt magis inclinaret ad credendum sibi.* Id mihi miruma cur adulatione incipiens non vtatur? cur credi sibi potiùs cupiat quod subiungit de damno Regni: quàm quod suprà, de Regis iniuriâ, proposuerat? putarémque astutum dolo penetrâsse, altius hinc Assuerum, quàm illinc commouendum. Quisquis Princeps, licèt mediocriter prudens, dum illa sibi audit proponi, quæ priuatæ gloriæ suæ faciunt & honori, facilè suspicatur, ne fortè emacis aliquid obrepat blandimenti: at nullus pene fuerit, etiam prudentissimus, qui boni publici consilium, omninò planum, & ab ingenuo animo profectum, non crediderit. Meritò ergò, hoc potiùs sibi credatur, quàm illud, cupit Aman: quia hîc occultior longè consilij pernicies deliteret. ideo addit: *si tibi placet, decerne vt pereat, & decem millia talenta appendam Arcariis gazæ tuæ.* v. 9. quasi sic sedulus Regis dignitati, quem contemnere Israël, & Regni paci, quàm inquietare fingebat,

Idem aliunde insidiatur.

Esther. 3. v. 8.

Princeps de Amore erga populum palpatur.

Et de notitia rerum.

Lyranus.

Vers. 9.

Dionysius. Religionis diuersitas, Reip. incendium.

gebat, ipse consuleret: vt impendiis suis vtramque restituere conaretur. Dionysius ibi. *Hoc addit Aman, vt videretur multùm zelari pro Rege, & pro pace communi: cuius nouerca & corruptrix solet esse dissimulitudo, & dispar cultus.* O laquei! *quis videbit eos?* Tales hic Pharisæi Consultores: & Cæsari, & Genti simulant consulere: & postea propriâ pecuniâ, à Iudâ Christum mercantur. an non lauerint.

Consiliarij, priuatis affectibus obcæcati, delirãt.

390. At vide in hoc ipso stupendam, imo stupidam illorum cæcitatem: fatentur Christi egregia miracula, quæ non nisi à Deo venire poterant, vnde apertè iam Messias noscebatur: si ergo Deus, vt rectè expendit Caietanus, tot miraculis, omnes ad Christum, id est Messiam suum trahebat: nonne facilius illos, continuatis miris, ab exercitu Romano posset defendere? quid? non ne ipsi in Messia, Ducem quendam fortissimum à quo omnes superandi Reges, sperabant? Cur ergo si in Christo togato, iam tot potentiæ signa, contra Dæmones, morbos & mortem iam deprehenderant: cur ab eodem paludato, contra Romanos paria non præsumebãt? cæcârat illos, propriæ vtilitatis, & gloriæ affectus: *venient*, inquiunt, *Romani & tollent locum nostrum*: id est sacerdotium, & cultum Templi: hoc prætendunt, sed aliud timent: scilicet non tam à Romanis, quàm ab ipso Christo, si semel admittatur, spoliandos, cùm alios in se, ab illius sanctitate mores recognoscerent: Caietanus, postquam prædicta dubia proposuit, sic concludit. *Patet itaque, quod non cohærebant sibi Senatores isti: excæcauit enim illos malitia eorum, & amor propriæ authoritatis, quam sciebant se non habituros, sub Messia rege iustissimo: conscientia namq; propria test: firmabatur ipsismet, quòd perdituri essent locum authoritatis suæ, si omnes crederent in Iesum iustum. Mirum itaque non est, quod aduersus Iesum cæci fuerint, quorum consilia sibi ipsis non constabant.* en quò rapiuntur Consiliarij, si priuato affectu veniant consultaturi: nullius legis, nullius iuris lumine discutiuntur hæ tenebræ, quominùs in pessima quæquæ perpetuò impingant.

Aliud indicãt, & aliud timent.

Caietan.

Ioan. 11.

391. Veruntamen; prædicti omnes, iusti quodammodò, si ad Caiphæ iniquitatem comparentur. *Unus autem ex ipsis, Caiphas nomine; cùm esset Pontifex anni illius, dixit eis.* v. 49. quid est, *vnus ex eis?* Si non connumerantur, quæ non conferuntur: & quod in vno quouis genere excellentius est, cum eiusdem vilioribus non confertur? non videtur in hoc loco, Caiphas Pontifex, & Concilij caput, cum cæteris eiusdem membris connumerari. quid ergo? *vnus ex eis* dicitur, non tam cæteris conferendus, quàm adimendus: *vnus ex eis*, id est, inter tot iniquos singulariter iniquissimus: *vnus*, non primus: ne tam, seriem nectere, & numerum facere, quàm in diuerso ordine videatur collocari. acutè Hugo Cardin. *vnus dicitur, quia inuerecundior erat reliquis, & in malitia singularis.* Vidẽdum igitur, quod nam singularissimæ huius nequitiæ, in consilio suo præbeat argumentum. *Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit nobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.* v. 50. Hæc est extrema Caiphæ consultoris iniquitas: non solùm vt cæteri suprà, sub specie fidelitatis erga Regem, & curæ erga commune bonum, Christum, quasi Cæsari rebellem, & proinde Populo noxium, condemnare: sed insuper statuere, vt qualiscunque sit Christus, siue nocens siue innocens: iustissimè vnum occidi, cuius, licèt innocẽtis, occasione, tota gens poterat perire: meritoque vnum quemuis damnari, si propterea plures venerint redimendi vno verbo Machiauellismum induxit Caiphas: propterea vnus & pessimus denotatur. fauet Caietanus ibi. *Palliatum iudicium specie communis boni præponendi bono particulari, nulla mentione factâ, de iustitiâ, deque innocentiâ. non admittit recta ratio, vt occidamus iustum, innocentémque vnum vt saluetur libertas, aut vita totius gentis.* quia nimirum innocentis supplicium, directè intentum, quauis de causâ, intrinsecè est malum. Nisi quod adhuc pessimo Caiphâ, peiores Machiauellistæ: ille saltem, pallium quærit prauo dogmati, quod commune bonum præponatur priuato: hi nõ contenti, subdunt insuper, posse quemuis Principum, vt priuato sibi consulat, communia quæuis innocentium deperdere. Ex quo vnquam barathro, putaretur lues sic terra prouentura? Hæc nunc satis de Pharisaico Concilio. Subdo solummodò ad Consiliarium meum, verba illa Philostrati lib. 5. de vita Apol. *Tibicen quidam valde sapiens, discipulos audiuim mittebat ineptissimos Tibicines: vt ex eis quo pacto canendum non esset, addiscerent: tu itaque Rex, quomodo imperandum non sit ab his qui malè imperarunt, iam didicisti.* Sic visus Ioannes Pharisaicam hanc consultationem nobis proposuisse, vt quomodo consultandum non sit, addisceremus.

Hugo Card. Malitia, cum enormis est, singularis dicitur.

v. 50.

Caiet. Iustum ob nullum bonum commune damnari potest.

Machiauellistarũ delyria.

Philostra. Ex prauis Ministris, quomodo discamus.

V.

Quæ impia Principum, & Consultorum Consilia, in Atheismum declinent.

EX proximè citato Machiauellismo, à Caiphæ sententiâ deriuato, ad alios consimiles, & 392.
quandoque peiores iam deuenio, quos longè cautiùs quàm pestem, effugiat non solùm iustus Consiliarius; sed quisquis peior pessimis non cupiat appellari. Amisimus quidem iam vera rerum vocabula, vtque temerarios, fortium: prodigos liberalium: mordaces, dicacium: & suspitiosos, cautorum nominibus appellamus: sic non longo ante tempore, *Politicos* appellandos volunt eos, qui per fas, nefásque, conseruationem Politeiæ concedunt procurandam: qui sanctum quidquid deturbant, vt *ratio Status* quam vocant, illæsa & sibi consulens perseueret. Nisi fortè dicas, Antiphrasim, eámque congruam, hîc quæsitam: vtque Trinitarios Hæreticos dicimus, qui diuinissimum Trinitatis mysterium blasphemârunt: & qui pretiosissima Christi conculcant sacramenta, Sacramentarios: sic etiam eos qui veram Politeiam, è Romanâ, id est syncerâ Christi doctrinâ prouenientẽ, fœdant, & auertũt; *Politicos* nominemus: quos puros putos arguimus Atheistas. Non est præsentis instituti hos impugnare: nisi fortè, quæ in optimæ Polítices institutionem, & pessimæ cuiuis detestationem, per vniuersum hoc opusculum dispergo monita: tacitam quandam Antipoliticorum horum Hæresis, dixeris impugnationem:) sed probis Consiliariis ad oculum, nonnullos

Politicorum hæresis.

nullos illorum errores, & praua gerendis rebus conſilia, præmonſtrare: vt in conſultationibus ſuis, longiſſimè à talium ingenio ſibi nouerint fore diſcedendum: lupiſque, & agnis, quanta ſortitio obtigit: tanta inter vtroſque fuerit diſcordia. Veriſſimè enim Beauxam. ad illud Chriſti: *Qui non colligit mecum, diſpergit.* Sic ſcribit. *Sunt, qui ad Principum aures ſuſurrent, nullam Numinis habendam eſſe rationem in negotiis Status, vt vocant, nimirum quæ & regium, & publicum ſtatum concernunt, quaſi quid, ſepoſito fundamento ſuperſtruant, & ſepoſito vinculo, colligere poſſint. Hos nonnulli Politicos, ego verò Atheos vocauerim. Quæ verò vnquam, vel ab Ethnicis lex poſita eſt, quæ non quaſi à Numine proficiſceretur? inde fit vt dum Principes, horum impiorum conſiliis nituntur, nihil colligant, ſed omnia diſperdant, & in peius proficiant.* Sed iam ad rem.

Quàm ſibi pugnent Politici & Christiani. Beauxam.

Eteria principii.

393. Eſt igitur prima adulteratæ huius Politices cura, per diuinorum contemptum, licèt diſſimulatum, humanis vigilantiſſimè attendere. Sollicitabant anxie Iudæi Chriſti mortem, ſcrutabantur ſedulò illius verba, ſi fortè horum lapſu veniret accuſandus: ſolenniſſimo tandem Enceniorum die, ſic ad Dominum: *Quouſque animam noſtram tollis? Si tu es Chriſtus dic nobis palam.* Ioan. 10. v. 24. Si enim ſe palàm, & coram tot teſtibus, Chriſtum fateretur, id eſt, vnctum & Regem; facile apud Præſidem deferretur tunc Ieſus: *Loquor vobis, & non creditis: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.* Verſ. 25. non potuit ſe clariùs Dei filium, Deúmque, cuius ſibi opera arrogabat enuntiare: diſſimulans interim, quod de Regis vnctione quæritabant, nihil optabilius inimicis accidere potuiſſe, videbatur. O quid agitis? læſæ Maieſtatis humanæ reum cupiebatis: habetis diuinæ læſæ reum in confeſſo: actum eſt de Ieſu: properate apud Pilatum, accuſaturi. Sed illi, nihil de adeundo Iudice tunc cogitant. Cur ita, ſi longè deteſtabilius hoc crimen, ad calumniam? quia Pilatum, pſeudopoliticâ hâc peſte iam infectum agnoſcebant: cui proinde Dei iniurias, nihili: at Cæſaris iniurias, magni facere, ſtatutum. Caietanus ibi. *Audiuerant ipſum dicentem ſe filium Dei, & ſe miſſum à Deo, & alia huiuſmodi ſpiritualia: ſed nunquam dicentem manifeſtè, ſe Chriſtum: & ſciebant, quod dicere ſe Chriſtum, erat dicere ſe Regem, ac per hoc offendi Cæſarem, & poſſe accuſari apud Pilatum.* Quaſi apud hunc, accuſatio affectatæ Diuinitatis paruipendenda: cui affectati regni ſuſpitio foret inexcuſabilis.

Per diuinorum contemptum, humanis attendit ſubdolè.

Ioan 10. 24.

Politicis non tam diuina, quàm humanæ maieſtas læſa, æſtimatur ad pœnam.

Caiet.

394. Neque mirum: tenebat quippè id temporis Imperium Tiberius: cui ſimilia placita, in arcanis conſiliis ſemper habita: cui Machiauelliſtæ Conſiliarij, probati ſemper: quidni ergo hinc apud illum commendaret ſe Pilatus? Audi Tacitum, lib. 1. Anual. *Rubrio, crimini dabatur: violatum periurio nomen Auguſti.* Paulo ante iſte, publicâ dicatus apotheoſi, ſanctiſſimum Numen Romanis habebatur. Sperares ſummas periurij pœnas: pende quod additur. *Quæ vbi Tiberio innotuere, ſcripſit Conſulibus: Non ideo decretum Patri ſuo cælum, vt in perniciem Ciuium is honor verteretur, &c. Iuſiurandum perinde æſtimandum, quàm ſi Iouem fefelliſſet. Deorum iniurias, Diis curæ.* Quaſi hinc ſibi, Conſulibuſque futuras incuriæ enuntiaret: idque verſuto aulicismo, non quaſi per deſpectum Deorum fieri: ſed quod Dij clementiſſimi, non ſibi honores velint decretos ad Ciuium perniciem, ad Reipub. perturbationem: quibus ſatis curæ eſt, quando iniuriarum ſuarum, aut poſtulandæ pœnæ, aut remittendæ: quin id laboris Magiſtratibus imponatur. Nullibi Machiauelli diſſimulatum atheiſmum vidiſti expreſſiorem. Adrei iam ſummam eſt, quod addit Tacitus. *Sed Marcellum inſimulabat, ſiniſtros de Tiberio ſermones habuiſſe: ineuitabile crimen: cùm ex moribus Principis, fœdiſſima quæque deligeret accuſator, obiectaretque reo; nam quia vera erant, etiam dicta credebantur. Addidit Hiſpo, ſtatuam Marcelli, altiùs quàm Cæſarum ſitam: & alia in ſtatuâ, amputato capite Auguſti, effigiem Tiberij inditam. Ad quod exarſit adeo, vt ruptâ taciturnitate proclamaret: ſe quoque, in eâ cauſâ laturum ſententiam.* Notas Hominis feruorem in ſuas, qui ſic tepidus in Deorum iniurias perſiſtebat? quod ſi Marcellum poſtea abſoluit, (vt ibidem legitur) non pietati tribuas, ſed diſſimulationi: *Quanto incautius efferbuerat, pœnitentiâ patiens, tulit abſolui reum criminibus Maieſtatis.* Cedit vindictæ, ne iræ, quam diſſimulare non valuit, ceſſiſſe penitus notaretur. Ab hâc igitur ſcholâ Pilatus, Tiberij Aulicus & adminiſter, conſimilem ebiberat ſententiam: ideo prudentia diuina Ieſus, titulum Regis tunc diſſimulat, quia nondum tempus necis eius aduenerat, quam, hoc audito, omnino procuraret. Neque id præteriit Caietanus, qui ſubdit. *Nec nunc liberè voluit eis dicere, ego ſum Chriſtus: quia adhuc non erat tempus paſſionis eius, ab eo diffinitum.* Vide Ioan. cap. 19. v. 12.

Iisdem, plura.

Cornel. Tacit.

Idem.

Caiet.

Conſortes eiuſdem Pſeudopolitices Phariſæi. Inde Lucas: *Anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, &c. Sub Principibus Sacerdotum Anna, & Caipha, &c.* Cap. 3. v. 1. Vnde enim duo Principes Sacerdotum nominentur, cùm iure diuino Monarchica eſſet illa iuriſdictio: quod perinde criminis erit, licèt alternis annis imperaſſe dixeris, cùm vnus tantùm vſque ad mortem, eodem iure imperaturus conſtitueretur? Reſpondet ibi Beauxam. *Cùm poſt illud tempus, legis inſtituta iam quodammodo deleta eſſent, deleta eſt vna, ſummorum Sacerdotum ſucceſſio: qui priùs propter maiorum genus & ſtirpem, eidem muneri ſummo ſuccedere, & totum vitæ ſuæ curſum, in eo obeundo, terere conſueuerant. Sed etiam, cum illa, quæ ad verum Dei cultum ſpectabant, nullo ordine adminiſtrarentur, ſed à Præfectis, qui Populi Roman. authoritate, Iudææ præerant, modò hic modò ille, ad ſummi Sacerdotij functionem deſignaretur, non ampliùs vno anno vnus, illo deinceps miniſterio perfunctus eſt.* Audis diuina iura, ab his impiis Sacerdotibus cóculcata: admiſsámque ſacrilegam Romanorum electionem, nefas deglutitum: vt ipſi ſibi Sacerdotij ſummi honorem, & Throni authoritatem conſeruarent? Politicos agnoſce: & meritò proinde cum Tiberio & Pilato, quos hæc labes, vt vidiſti, infecerat, ab Euangeliſta adnumeratos. Scilicet ſic infauſta tempora, mores ſic corrupti, quibus prædicatio Chriſti ſpreta, quibus ipſe Creator à creaturis ſuis crucifigitur: (vtrumque enim ſub prædictis Romanis, Iudæiſque Principibus euenit) non poterant ex- 395.

Luc. 3. 1.

Beauxam.

Impia ratiò ſtatus, iura diuina terit.

pressiùs designari: quàm vtriusque Curiæ Romanæ videlicet & Iudaicæ, consiliis adnotatis: quorum libitò, diuina, hîc verè, illic præsumptiuè, iura, profani Statûs rationi, subdebantur.

396. Matth. 15. Accesserunt aliquando ad Christum, scribæ & Pharisæi dicentes: *Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum: non enim lauant manus suas, cùm panem manducant?* Matth. 15. v. 12. Nihil id temporis Iudæo Populo sceleratius, deploratius nihil: conculcabantur diuina iura, vt dixi: fas nefas perinde erat: Nec tamen vsquam legis, in sic deperditum populum; Pharisæos hos Senatores, & Iurisconsultos scribas, vnquam indignatos. Vnde igitur tam nunc zelantes pro traditionibus illis, quæ ad legis obseruantiam videbantur conducere? Non quòd diuinæ legi conducere crederent, sed vt authoritati suæ deseruirent. Ipsi illa traditionum scita, ipsi noua ceremoniarum placita constituerant, lucro de postulatis pœnis inhiantes: & honorem, de legis latorum titulo, ambientes, quibus status sui vtili authoritati consulebant: Igitur nil curantes, vtrum diuina iura conculcarentur, suis tantummodò legibus inuigilabant; si minùs voce, facto ipso dicentes, *Dei iniuriæ, Deo curæ:* at in suarum causâ, *se laturos sententiam:* quo-se, (vt suprà de Tiberio vidisti) Politicos germanos, & verè Atheistas professi sunt Huc facit ibi Hugo Cardinalis. *Terribiliores esse volebant, quia & ipsi legislatores erant: vlciscebantur sua, quæ Dei erant, non curantes. Similes his sunt, qui magis offenduntur, & arguunt, si transgrediatur homo constitutiones mundanas, quàm mandata Dei.* Tales quodammodo etiam Senatores, qui exortâ quandoque inter vtrunque forum lite, Ecclesiastico Tribunali contra fas derogant, vt Regio blandiantur rationi ciuilis Status, sacram Canonum rationem postponentes; & vnde aliter Hæresis Anglicana pullularet, iam Caluinismo permixta? Caluinismo, inquam, quem vix intermisso vngue, separes ab atheismo. Auctor est Pater Sacchinus, in Lainez, vi argumentorum Possevini, Caluinistam Episcopum ad incitas redactum, tandémque vltimâ consequentiâ iam non Caluinismo, sed atheismo hærere conuictum, respondisse: *Perinde est.* Sed redeo.

Politici, terribilius humana, quam diuina legis violatores puniunt.

Hugo Card.

397. Cautè Catholicus Princeps scrutetur, (ne aliquando hâc labe inficiatur) Consiliarios suos & amicos: & si quem fortè, vel leuissimè huius pseudo politices notârit suspectum, tanquam Sirenem pestiferam euitet: ille enim iustissimus, qui non tam suis damnis, quàm diuinis condolet iniuriis, qui Status sui rationem sic calcat, vt aliter sentientes Amicos, & Consultores auerruncet. Ades huc Rex sanctissime Iob. Iacens in sterquilinio, amicis stipatus Regibus; sic ad Deum post multa. *quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis?* cap. 7. v. 20. siue vt alij ex Græco vertunt: *quare posuisti me obtrectatorem tuum?* & quidem videris iniquè tibi conuicium facere, commendante aliunde Scripturâ, linguæ tuæ in tam excedentibus pœnis modestiam, nunquam vel leui questu doloribus adblandientis. vnde ergo obtrectatorem te compellas: Sed esto: obtrectasti, demus id: quid nunc non tam doles culpam, quàm tristitiæ grauedinem inde resultantem? an non est puerile indulsisse obtrectationi, & iam apud Deum queri, quod inde mœstus degas, & tibi metipsi grauis efficiaris? respondet

Princeps aquius nō tam rationi status, quam diuinæ gloriæ attendit.

Iob. 7.

Olympiodorus in Protheoriâ capitis tertij, huc alludens. *Corpore atque animo grauiter affligitur: corpore quidem ob plagæ atrocitatem, artus fodicantis: animo autem, quia cum homo frugi, Deoque charus esset, nonnullos, suis offendi calamitatibus intelligebat: qui Dei gloriam iccirco exagitabant, quia in virum iustum, incumbere mala illa, animaduertebāt. Etenim cùm inquit: quare posuisti me oblocutorem tuum: non is Dei obtrectator erat: absit: verum hic dicit: cur meâ causâ Domine nomē tuum contumeliosè tractatur?* Tantum enim aberat Rex vt rationibus Status sui consulturus, Religionem læderet: quin potiùs oblitus doloris sui, irreligiosis amicorum vocibus, illam ludentium pungeretur. Imo propterea vrbem reliquit, (de quo suprà num. 297.) ne pestiferis Aulicorum his vocibus inficeretur: quibus tantummodò Religio probabatur, dum in vtilitatem temporariam cedere videretur: paratis scilicet in blasphemias, dum amici Regis fœlicitas collabaret.

Olympiod.

Est hæc nimirum Pseudopoliticorum nostrorum indoles vsitatissima: hinc Religionem spernere vt vidisti; hinc iterum eidem subdolè adhærere: prout Status sui rationibus vtilius id fore coniectauerint: quò iam vmbratilis hæc Religio, non tam cultui, quàm quæstui adhibeatur. Hinc illa vox sacrilegi Israëlis, hæreticæ Synagogæ, sub meretricio habitu denotatæ. *vadam, post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum meum, oleum meum & potum meum.* Oseæ 2. v. 5. en tibi tota ratio, cur relicto Deo, idolis deseruiret. Sed euenit, vt diuinâ Prouidentiâ, sub Idolorum cultu, malè se haberet v. 6. quid tunc? reuertitur ne ad Deum verè pœnitens, impietatem exosa, & commissi sceleris maculam deletura? vide quid addat: *Vadam & reuertar ad virum meum priorem.* v. 7. quia sanctus, quia iustus, quia summo amore dignus; nihil id curat: *sed quia bene mihi erat tunc, magis quam nunc.* ibidem: quasi parata ad Idololatriam recurrere, si spes affulgeat, melius se habendi. An non ludebat de Religionis corio Synagoga? quid miraris, Pseudo-politica iam erat & prauis recentioris Machiauelli cōsiliis instituta. pulchrè ibi Ruffinus pius, post multa. *quibus sanè dictu quanquam ad peccata sacrilegij, ingrata quoque mentis crimen adiungat: tamen illud quoque videtur inducere, quod in profanorum etiam nunc ore versatur: inter varias videlicet opiniones, nullum esse validius certæ religionis testimonium, quàm quod vox afferat Prosperorum.* Habes obiter ex grauissimo & antiquissimo Doctore, (quem non esse Ruffinum illum, Hieronymi impium antagonistam, fusè alibi suffragatore Riberâ, comprobaui) iam illis temporibus, profanam & damnatam hanc sententiam. Pergo.

398. *Politicus religione abutitur ad rationem status.*

Oseæ 2. v. 5.

Ruffinus pius.

Itaque illam habet Pseudopoliticus (qui reuerà nullam habet) veram religionem, quæ sibi vtilior prosperitati temporariæ obtinendæ & inter varias opiniones, nullum putat validius argumentum, quàm quod voces & consilia afferant Prosperorum: ad Status conseruationem versipellis, religionem approbat, aut repellit: vna religio est, nulli vnquam constanter religari. Iudaismo iurauerat Herodes Senior, cuius religionis tota ratio in suspirando Messiâ consistebat. Sed ecce venit Christus, Stellæ tubâ, & Magorum præconio nuntiatur: & ecce sæuit impius Rex, & sanctis satagit imponere, vt sibi inuentum renuntient: 399.

Politico, religio de vtilitate pensatur: qui pin Atheista est.

vt

Matth. 2. v. 9. Beauxamis. *vt & ego veniens* inquit, *adorem eum.* Matth. 2. v. 8. cum tamen occidere puerum destinaret. de quo aptè ibi Beauxamius, cum D. Gregorij, verba sua commiscens. *Natiuitate Regis cognita, ad callida argumenta conuertitur: & ne terreno regno priuetur, renuntiari sibi, vbi puer inueniretur, postulat; adorare eum se velle simulat, vt, quasi hunc inuenire possit, extinguat. &c. Huic similes sunt permulti qui prætextu religionis religionem euertere conantur: & ad instar Iudæ, osculo filium hominis tradunt.* Mihi tamen non mirum simulata adoratione, germanam impietatem dissimulasse Herodem; euenit id, heu nefas, frequentissimè. illud illud, omne superat mirum, quod qui se Iudæum profitebatur, & proinde necessariò, si non Deum, saltem à Deo missum Messiam credere tenebatur, in Deum apertè postea auderet rebellare: vnde insania? Politicus erat, & inde necessariò Atheista: vnde ergo timeret Deum, qui nullum esse Deum præsumebat? pulchrè idem Beauxa-

Idem. mius. *Tales hi, quos Politicos dicimus, qui, vt sunt veri Athei, qualis erat Herodes, eâ tantùm ratione religionis curam suscipiunt, vt illius prætextu, populi gratiam nanciscantur, etiam aliquando Religionem subuertant. Hos Principibus insusurrare videmus, id quod à Numa Pompilio profectum est: nuper autem à Machiauello reuocatum, non aliâ prorsus ratione, Religionem inductam esse, quàm vt populus timore contineretur: idcirco Principem, vbi occasio tulerit, se religionis vinculo absoluere posse. Adeo nihil ob oculos Principum versari volunt, quàm suam, non autem Dei causam.* Dedi multa quæ huc faciant, in Comment. Cant. de iis agens, qui Deo non seruiunt, nisi ab eodem inuicem seruiantur.

400. Non degenerauit ab impio Parente, iunior
Politici [illegible] vulpes appellantur à Christo. Luc. 13. alius Herodes. Admonitus Christus, quòd ab illo occidendus quæreretur, respondit. *Ite, & dicite vulpi illi: ecce eiicio dæmonia, & sanitates perficio, &c.* Luc. 13. v. 31. cur lasciuus Princeps, Herodiadis amplexibus inhærēs, nō potiùs obscæno cani comparetur, meritò dubitaueris: cur non lupo, fraterna iura violans: cur non Leoni, sanguinarius, Christum neci inquirens, Baptistam tradens? ni fallor, in causa est, quia licet omnia & singula eiusdem vitia Christo displicerent: illud præ omnibus ægriùs quod versipelli & versuto vulpis ingenio denotatur, Dominus ferebat. Ecquod

Beauxamius. istud? Beauxamius iterum ad cap. 3. Luc. *Versipellis enim ille, Iudaicæ legis se sectatorem profitebatur. non religionis gratiâ, sed vt hac occasione, sibi plebis animos conciliaret. Tales nimirum vulpes, permultòs videas, qui clauum Reip. tenentes, tantùm sibi Religionem curæ esse debere censent: quantum ab huius opinione, commodi & quietis sibi accessurum, arbitrantur. quod etiam manifestum est, in eorum & moribus, & factis, & edictis, vbi enim vident, aliquid sibi accrescere posse, cum detrimento veritatis & diuini ministerij: tunc Religionem suis commodis postponunt: eo vsque fideles, donec lucrum, aut commodum cesset.* Bene igitur vulpi solummodò comparatur Herodes, quem impia Pseudopolitices consilia, in id barathri deduxerunt, vt de Religione ludere, serium Status sui putaret axioma.

461. Et bene etiam vulpes, istius modi Politici
[illegible] licet non [illegible] tenent [illegible]. Consiliarij qui Principem suum, sic fraudulenter instituunt, appellantur: neque enim nisi versutè & callidè procedunt, & occultato veneno, in damna apertissima erumpunt: & Catholicæ doctrinæ vineam demoliuntur. Vulpizandum ergo piè, contra impias vulpes: & prudenti tenore, astutiæ deprehendenda. Non putet Princeps, atheismum, sibi ab his palàm proponendum. Nullus sic effronti amentiâ delirauit, vt in secretioribus consiliis, ne dum in frequentiori Senatu, apud Catholicum Regem, se audeat Atheistam profiteri. Nulla Hæresum laruata magis, lucifuga nulla Atheista multiplex larua.
magis: operibus tantùm loquitur: nec tam dictis contra Deum manifestis, quàm subdolis contra sacros Canones Edictis, & prætextu Politeiæ dissimulatis consiliis decertat. *Dixit insipiens in* Psal. 13.
corde suo, non est Deus. Psal. 13. v. 1. *in corde* dicit. nam ore non audebat. & quid inde? *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* v. 2. vbi aptum scholium Vatabli? *Abominabilia reddunt* Vatabl.
opera sua: id est, conspurcare solent mores suos, neque quidquam rectè operantur: & vt semel dicam, non est qui faciat rem gratam aut Deo, aut hominibus: hoc autem faciunt, quia nullum credunt esse Deum. Prudens ergo Princeps, cùm hos mores, hæc opera, hæc studia siue cōsilia, in Consiliario suo subnotauerit, id certum habeat, dixisse hunc talem *in corde suo, non est Deus.* Ne fallaris, mi Princeps: insusurrat tibi impius aliquis Machiauellus, prudenter Statui cedere Religionem: id Deo placi- Vnde intelligenda.
tum, res humanas suauissimè disponenti: tu Deum audiens, nil iam de atheismo suspectum habes consilium: & tamen planissimè est atheon: negatur Deus, si iniquus prædicatur. Occidit fratrem Getam, Bassianus Imperator: de quo ita Spartianus in illius vita. *Bassianus cum eum occidisset, ac* Spartianus.
vereretur tyrānicam ex parricidio notam, audirétque posse mitigari facinus, si Diuum, fratrem appellâsset: dixisse fertur; sit Diuus, dum non sit viuus. Sic quidem Bassianizat Consiliarius tuus: patietur Diuum, sed non viuum, id est asserto nomine, numen denegabit. Ergo non tibi oris sonus, sed cordis penetrale scrutandum, satis hoc in operibus, & versutis contra Deum consiliis, cùm maximè Deum prædicat, reuelatur.

Acutè D. Chrysologus, ad illud Lucæ de Diuite auaro: *Cogitabat intra se dicens: quid faciam,* 402. Luc. 12.
quia non habeo quò congregem fructus meos. cap. 12. Latens atheismus, dæmonum in pectore clau-
v. 17. sic scribit serm. 104. *Cogitabat intra se: quasi* dit.
posset extrà se quippiam cogitare? sed intrà se iste cogitabat, qui in corde suo, impietatis consilio recepto, nil pietatis sibi, misericordiæ nil reliquit: cogitabat intrà se: digno consiliario se vsus, qui mali animi non poterat habere solatium, non poterat habere collegam. Cogitabat intrà se dicens, quid faciam? interrogantis vox est: & quem putas interrogabat iste, in illo erat alter, quia ad eius penetralia, iam diabolus possessor insederat, & qui intrauerat in cor Iudæ, mentis eius tenebat arcanum. Putares de prædictis Atheistis locutum Chrysologum. cogitans intra se, quia toti quoti sunt, impietas sunt, nec aliquid extra impietatem possunt cogitare. Cogitant intra se, dignis & solis Consiliariis se vsi, quia neque conceptæ iniquitatis professione publicâ solatium captare audent: neque communicati dogmatis horrore, sperare collegam. Intrà se cogitantes quærunt & consultant, qui dæmones sibi habent internos Consiliarios, vnde apertè venenata combibunt consilia: quæ posteà dissimulanter, Principibus insusurrent; & palliata euomant in Senatu, ergo verbis, in altum ditissimæ

mæ professionis silentium, compositis: solum impiissimis operibus loqui consuerunt: quæ nisi cretizans, vt dicunt, cum Cretensibus, prudens & pius Princeps punienda captauerit, capietur.

VI.

Quàm debeant Arcanorum tenaces esse Consiliarij: & quàm ob id à fœminis sibi cauendum.

403. *Consiliarius, arcani regij, tenacissimus.* Tobiæ 12.7. Vatab.

ALiud est silentium pulcherrimum, & summopere Consultoribus meis necessarium: de quo Angelus ad Tobiam. *Sacramentum Regis abscondere, bonum est.* Cap. 12. v. 7. Clarius Vatab. *Arcana Regis celâsse, pulchrum est.* Nil hoc silentio probis Consultoribus dignius, quando nihil, sigilli huius resignatione, fœdius reperitur. Hinc est, vt in sacris, Consilium, siue consultatio, pro ipsissimo secreto capiatur. *Dissipantur cogitationes, vbi non est Consilium:* inquit Sapiens: Prouerb. 15. v. 22. Chaldæus Paraphrastes vertit. *Franguntur cogitationes, vbi non est secretum.* Nec enim vllius operæ pretium Regi fuerit, consultatio, si Consiliarij pectus rimas egerit. Exempla prisci, recentiorisque æui passim incurres, neque ad rem notissimam necessaria: si tamen egeas, adi Ioan. Chok. lib. 3. cap. 15. Habeat ergo visceribus hoc infixum, meus Consultor, vt priùs animam, quàm Principis reddiderit secretum. Multa agere, pati multa: quædam dissimulare, piè simulare quædam, non mendacio, sed se aliis attemperando, opus est: ne vnquam commissi arcani custodia periclitetur. Denique, quod Alexander fecisse quandoque legitur, qui committens Amico secreta, *eiusdem statim labiis annulum signatorium admouit quasi sigillanda requirens:* hoc sibi in quibusuis Principis sui arcanis nouerit statutum.

Prou. 15. Chald. Paraphr. — Ioan. Chok. — *Os Consiliarij sigillatũ.*

404. Luc. 12. *Prudens dissimulatio secreti, qui discenda.*

Remansit puer Iesus solus in Ierusalem, *& non cognouerunt Parentes eius.* Luc. 2. v. 43. Si Ruperto infrà citando credimus, Mysterium non ignorabat Maria, & vbi, quidque ageret puer, callebat probè; sed quod dissimulatâ notitiâ talem se gereret, ac si cum Iosepho, & cognatis, rem ignoraret: ex vsu Scripturæ, (quem fusè in Cant. literali, & Spicilegio illustraui) ignorans appellatur: & sciens, quasi dubia inquirit: neque mendax, absit, sed attemperata, studet conquirentibus. Maius est quod addidit. *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Vers. 48. quid enim doluisse poterat de amisso, quæ potiùs hilaris, illum inter Doctores disserentem, internis intuita oculis, eiusdemmet victoriis fuerat gratulata? Sed neque mentitus dolor, quia licet non iacturæ suæ, at Iosephi, cognatorumque afflictorum dolori condolens, communi negotio puncta credebatur. O quò tendis Deipara prudentissima, suauiter dissimulans, simulans, vel potiùs te assimilans suauiùs? Regis sui Sacramento seruiebat, quod dum ipse volebat, pulcherrimum sibi duxerat, sic abscondere. Rupertus lib. 1. in Cant. fusè in hanc mentem: libo pauca, quæ satis *Si non nesciebat: quomodo quærens dolebat, dolens quærebat? si autem nesciebat: quomodo vel de quibus in corde suo, v. 52. conferebat? Ergo neque à dextris, neque à sinistris sermo sit: quia veraciter magna hæc Prophetissa, quid ageretur non ignorabat, quoniam gratia plena erat: & tamen dolens quærebat: quoniam dispensationi diuinæ ipsa suo silentio seruiens, quamuis cum illis quærentibus quæreret, tempus tacendi custodiebat, & dolentibus condolebat.* Fortassè igitur ideo de Mariâ figuratè dicitur: *Habito in Consilio, & eruditis intersum cogitationibus.* Prouerb. 8. v. 12. Vbi deinceps se totius sanctæ Politices prædicat Magistram: quasi non posset eruditis Consultorum Catholicorum aptior institutrix interesse, quàm quæ per tot dissimulationis sanctæ, attemperatæque simulationis mysteria, Regis sui arcanum & mysterium, tot agens, tot patiens nouerat occultare. Quin imò propterea cap. 4 Cant. v. 3. non vtcunque Cocco, *Sed vitta coccineæ*, labia diuinæ huius Consultricis comparantur: quasi constricta, quasi ligata: suóque exemplo Consultorum silentium colligantia. Hinc illud Salomonis. Prouerb. 15. v. 7. *Labia sapientium disseminabunt scientiam. Cor stultorum dissimile erit.* LXX. vertunt. *Labia sapientium, alligata sunt sensu. Corda imprudentum, non sunt secura.* Quasi sola hæc labiorum gloriosa colligatio, scientiæ, prudentisque consilij sit seminarium.

Vers. 48. — Rupert. — Prou 8 12. — Cant 4 3. — Prou 15. 7.

Id autem in hoc negotio, summi periculi esse, prudentem Consiliarium admonuerim: vt si Regis arcanum ab amico quovis, ab vxore tamen maximè, ne dum ab alienâ fœminâ, debeat custodire. Mulier animal garrulum, in linguas tota composita, nesciens conticere, secreti prodiga: arcanum sibi credendum (Dalilæ instar) à marito exposcit importuna: auidè combibit, auidiùs refusura. Quod quàm prudenti viro cauendum, ex vtraque paginâ, iam plures plenissimè illustrarunt: subdo pauca, sed quæ nondum ab aliis viderim libata. Cognouit tandem Princeps Abimelech, non sororem, sed vxorem Isaac esse Rebeccam: idque inde, quod per fenestram, *vidit eum iocantem cum Rebecca.* Genes. 26. v. 8 in Hebræo est מצחק id est, *ridens*: ridebat ergo cum vxore sua, quia inter ludos iocósque maritalis cuiusdam familiaritatis, de rebus hilarioribus, quæ risum modestum excitarent, cum illâ fabulabatur. Erat Isaac id temporis peregrinus, & hospitij apud extraneos suspecti, (cùm nec vxorem fateri ausus fuerit) necessariò curis detinendus: vnde ergo amœnioribus verbis, festiuo risui indulgeat: à quibus, cum videbatur amotura sollicitudo? quia cùm non foret, vxor illa sanctissima, despicienda præ curis: & aliunde seria grauiáque & arcana, cum vxore, licèt tali prudentissimus vir agere, imprudentiæ deputaret: necessariò honestis salibus, genio muliebri accommodis vacabat. Aptiùs Guillelmus Hamerus ad rem nostram. *Nec illud ab Isaac risu, erga Rebeccam alienum erit: si intelligamus virum non debere cum uxore, seria & ardua tractare: neque enim satis tutum erit, si mulier conscia erit omnium viri sui secretorum: sed illa communicanda sunt vxori, quæ amœna sunt, & voluptatem afferre possunt. Est enim mulier non admodum secretorum tenax, & plena rimarum, huc ac illuc perfluit.* Videat nunc Princeps, videat Principis Consiliarius, an vxoribus suis tutò credant arcana sua: quæ prudentissimæ Rebeccæ, sed fœminæ, prudentior Isaac, credenda non putabat.

405. *Os Consiliarij, ligatum.* — *Consiliarius, secretum à fœminis maximè custodiat.* — *Fœmina, garrulum animal.* — Genes. 26. — *Cum vxore serium aliquid non tractandum.* Gulielm. Hamer.

406. Hinc est, quòd etiam postea, Esau suo indulturus

turus benedictionem, secretum hoc occultauit ab vxore, qui, vt ex Textu colligis, seorsim rem expositurus, filium vocauerat: exitu futurus fœlicior, ni cautiori menti cæcitas oculorum obstaret, quâ non potuit aduertere ibi consultationem haberi, vnde facilè ab vxore audiri poterat.

Genes. 27. *Quod cùm audisset Rebecca, &c.* Genes. 27. v. 5. Quid tãdem fecerit, nôsti. Quod si cum aliis putes vltrò in Conclaue vxorem admisisse Isaac, & secreti participem fecisse: iam iustas dedisse pœnas, fatearis necesse est: cur enim, si æquum putabat (quod de sanctissimo viro nequit ambigi) seniorem filium præponere iuniori: nô id ab vxore occultat, quam nouerat huic impensiorem: aliàs fœmineæ indolis in prodendis arcanis agnitâ facilitate? meritò igitur decipitur ab illa. Et quidem scio, fateórque, piè prudentérque Rebeccem priscâ reuelatione admonitam, diuinæ dispositioni ministrasse: at Isaac, qui prælato Esau, nihil contra Deum agi existimabat, minùs, quàm par foret, cautè procedere, hinc arguitur: dum arcanum putat vxori committendum. Ideo ibi Oleaster. *Docentur coniugati, secreta sua, etiam ab eâ, quæ in sinu suo dormit, occultare: quoniam inimici hominis, domestici eius: neque timet mater maritum offendere, propter filium, quem immodicè diligit.* Alludit autem Oleaster, ad illud Micheæ: *Ab eâ, quæ dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui.* cap. 7. quia quàm turpe est diuitiarum claustra vxori prouidæ claudere; tam est periculosum, arcanorum illi claustra reserare. Vatablus. *quasi dicat, ne vxori quidem tua arcana tua committe.*

Vxori, periculosè committitur arcanum.

Oleaster.

Mich. 7.

Vatab.

407.

Fœmina, vt proprij tenacissima, sic alieni secreti prodiga.

Et quidem aliunde Principem, Principísque Consiliarios, facilitatis, reuelandi vxoribus secreti, pudere debet: quòd hæ, maritalis secreti ita prodigæ, proprij sui quandoque sic habeantur tenaces, vt priùs cor extorseris, quàm illud. Quid enim fœdius, quàm in hoc à fæmellâ superari: vt cum illa, dum expedit, arcanum suum, tibi habeat abstrusissimum, obdurescens sigillo: tu illi tuum mollior resignes? Repudiatâ Vasthi, conquiruntur vndique virgines Assuero, vt electâ pulchriore, nouis nuptiis, veterum obliuiscatur: præponitur tandem cæteris Esther, ducitur Regi, coronatur, diligitur ardentissimè. Tunc addit textus: *Cúmque & secundò quærerentur virgines, & congregarentur, &c.* Esth. 2. v. 19. obscura verba: si virgines priùs propterea conquisitæ, vt è pulcherrimis, pulchrior nuptura Regi eligeretur: quid iam Esthere ductâ, & coronatâ, adhuc secundò virgines conquiruntur? nunquid displicuerat iam Esther, marito Principi? imò indies flagrantiùs amabatur. Quid igitur? pende quod additur: *Necdum prodiderat Esther Patriam, & populum suum, iuxta mandatum eius.* Id est, Mardochæi. Hinc nodus soluitur: de quo Dionysius ibi. *Cur iam post initum cum Esther connubium, virgines quærebantur? dicunt quod ipsa Esthere, nequaquam volente prodere Genealogiam suam, rex simulauit se velle ducere aliam: & simulatoriè fecit virgines quæri, quatenus sic extorqueret à coniuge genus ipsius, ad quod referunt, quod sequitur v. 20. nondum prodiderat, &c.* Nec certè vnquam prodidit, nisi post longum tempus: cùm sibi, ex monito Mardochæi id vidit necessarium: quasi parata pridem pellici, & regno cedere, quàm frangere sigillum. Talem igitur cuperem Principem, & eius Consiliarium erga vxores, qualis erga maritum fuit vxor hæc regina. Ne fœminis de constantiâ, in negotio tanto postponi videatur. Dixit postea Esther, Deum allocuta, & deprecans: quod abominaretur diadema. *Et quod non portem, inquit, in diebus silentij mei.* Cap. 14. v. 16. Vbi iterum Dionysius. *Id est, dum permittor in secreto thalami mei, Deo vacare, in tranquillitate, silentio, & contemplatione: quoniam fœmineam quoque loquacitatem abhorreo.* Hinc ergo fœmina prudenter marito taciturna, quia præter indolem virilescens, sexûs garrulitatem vbique superauerat. Vt iam putem ideo erga vxores, secreti sui prodigos quandoque Consiliarios: quia ad ingenium fœmineum mollescentes, in rebus aliis, garrulitati solent studere: quod tamen Senatorio muneri probrosum. Hinc Salomon. *Contradictiones comprimit sors: & inter potentes quoque diiudicat.* Prouerb. 18. v. 17. Quia dum de re aliquâ dubiâ olim consultabatur, aliis aliò abeuntibus: sedandis contradictionibus, sorti (in quâ multum diuini oraculi putabatur inesse:) negotium committebatur. Nunc pende, qui vertant L X X. in Sixt. *Contradictiones sedat taciturnitas, & in Potentatibus definit.* Quasi taciturni aliàs Senatoris sententia, pro sorte, & diuino Oraculo habeatur. Sed redeo.

Esther. 2.

Dionys.

Esther. 14.

Dionys.

Quanta laude, garrulitatem fœmina compescat.

Prouerb. 18.

Taciturnitas, in Consiliario, diuina.

LXX Interpr.

408.

Amicam arcana tua, strictiùs celes, opus est.

Sed parum est, ab vxore sibi caueat Consiliarius, ni amicam diligentius euitârit: huius amor quò pellacior, eò extorquendis secretis efficacior. Exempla profanè obuia in hanc rem: vnum pro cunctis sit sacrum illud Sansonis: quod quamuis æquè notum, aliquid tamen suggerit denuò expendendum. Ter iam luserat animæ Dalilæ Iudex iste fortissimus Hebræorum, aliunde meretriciis amoribus mollissimus: ad quem tunc illa. *Quomodò dicis quòd amas me, cùm animus tuus non sit mecum?* Iudic. 16. v. 15. Non dixit: cum mihi virium tuarum arcanum non reueles: *Sed cum animus tuus non sit mecum.* Sed vnde verè, Sansonis animum, non tecum esse, garrire potes, fœmina perditissima, licèt fortitudinis secretum tibi abscondat, qui tot aliis indiciis deperditum se fatetur? an non plus est vbi amat, quàm vbi animat, qui toties relictâ patriâ, parentibus, ad te conuolat: & quod maius est, per colendi Numinis iniurias, Idololatricæ meretrici se commiscet? qui expertus inuicem ter, non ioco, sed seriò proditricem, sic inhæret defixus, vt non oderit? & tamen rectè coarguit, amantem, se professum; nisi dolosè, semetipsam falsò probaret redamantem: cùm Amor mutuus semper indiuisis secretis vniatur: nec apud tales syncerus habeatur, nisi arcana reuelet: quasi propterea describatur nudus, quòd mentis penetralia inuicem denudauerit, nec inuolucro aliquo, intima quæuis pectoris abscondat. Lyranus ibi. *Quomodò dicis, quod amas me, cùm animus tuus non sit mecum. Quasi dicat: hoc est manifestè falsum, cum proprium sit amantium, secreta sua inuicem reuelare. Consequenter describitur veritatis apertio, quia per molestiam mulieris importunè petentis, veritatem rei aperuit, ad sui interitum.* Hæc ergo fuerit summa Consiliarij infœlicitas, meretriciis amoribus indulgentis: quòd cùm amari cupiat, amet necesse est: neque vnquam se ardenter probauerit amantem, nisi secretorum omnium prodigus reuelator.

Iud. 16.

Amantium secreta, necessariò communia.

Lyran.

409. Numer. 19. v. 15. Ligata silentio ora. Concludo tandem hoc monitum verbis Philonis, qui in lib. *Det. pot. insid.* allegorizans illud: *vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit.* numer. 19. v. 15. sic scribit. *Nec quia linguam & os, & instrumenta vocis sortitus es, statim effare vel secretissima: prodest enim nonnunquam silentium. Meâ certa sententiâ, qui didicerunt loqui, etiam silere didicerūt, cum vtrunq; eiusdem facultatis sit. At, qui narrant ea, quæ non decet, non eloquentiam ostentant, sed sitendi impotentiam. ideo studemus vnum quodque os, de quibus diximus, obligare, non rumpendis temperantiæ vinculis: quotquot enim nullis cohibentur vinculis, vt alibi Moyses ait, impura sunt, quasi causa infælicitatis sit, laxari, & hiare, soluique partes animæ*, quod cum illis, quæ de colligatis Mariæ labiis, paulo ante dicebamus, mirè conuenit. Vt ergo periculosum pariter, & perniciosum fuit Santoni, arcana sua Dalilæ reuelare: sic vbique infælicissimum est Consiliario arcana Regis prodere, & fere semper infausto sui exitu luendum. Cùm autem, vt ait Scriptura, vinum & fæmina æquè secretis prodigendis cor soleant auferre: solent Politici scriptores, multa hîc, de ebrietate vitandâ congerere: sed me, fateor, suppuduit huius moniti: tum quia à prudenti quouis viro, qualis necessariò habendus Consiliarius, huius vitij infamia præsumitur aliena: tum quia Hispanis Consiliariis, quibus laborem hunc nostrum præcipuè dicatum volumus, incognita omnino: qui vtinam sic à cæteris alieni.

VII.

Consultorij muneris dignitas eximia; vnde arcanum violantis, pœna grauissima.

410. Solus Consiliarius, ad decus Principis Amicus dicitur. QVæstuosiora solēt esse alia Principis beneficia, quibus aliquos Aulicorum sibi deuincit, vtiliores aliæ dignitates: apud Prudentes tamen, nullum aut ad honorem pretiosius, aut familiarius ad gratiam, Consiliarij munere, reputatur: neque mirum. redditur enim necessariò, æqualis quodammodò Principi Consultor, dum amicus redditur: nec enim nisi inter germanos & synceriissimos amicos, secretorum communicatio inuenitur: neque amicitia summá quam potest æqualitatem non inducit: ideo Glossa interl. (Glossa.) ad lib. 1. Reg. cap. 16. v. 15. sic habet. *Omnes subiecti Regis, serui, vel pueri: soli Consiliarij vocantur amici.* Ergo inter tam diuersa extrema regiæ scilicet, priuatæque sortis, sola communicatio secretorum, vt amicitiam, sic affert æqualitatem. In cæteris beneficiis, sua Princeps, hoc vno se ipsum cōmunicat. in cæteris vel opum, vel honorum aperit thesauros in hoc ipsius cordis thesauros porrigit spoliandos. Quid vnquam subdito contingat pretiosius? quidve Princeps concedat liberalius? In Catalogo illo virorum fortium Dauid quem texit Scriptura 2. Reg. 23. vt (2. Reg. 23.) nullius facinora egregia fusiùs memorantur, sic solius Banaiæ præmium refertur expressius. Binos Leones, Hercule fortior, vnus confecerat: imo & tertium, cisternam niuibus obseratam, & noui generis speleum solus ingressus, fælicior prostrauit: quin & Aegyptium ducem, virum testante scripturâ *dignum spectaculo*, v. 25. & hastâ terribilem, ipse ad ludibrium, fragili baculo instructus, fortiter aggreditur, & hastâ extortâ miserum eâdem fæliciter transuerberat. Quæris, quo, bellicosissimus Princeps præmio, hunc affecerit? *Fecitque eum sibi Dauid, Auricularium à secreto.* v. 23. Titulus est, non alibi in sacrâ paginâ expressus: quem Glossa Interl. sic explicauit? *fecit illum, secreti conscium:* vt sicut non nisi tot meritorum virum, in Consiliarium, & secreti participem aduocari à Dauide noscimus: sic tot gesta gloriosissima, vberiori præmio affici non posse intelligeremus. Bene Liranus addit. *Nam bonus Prælatus & Princeps, figuratus per Dauid, tales Secretarios, & Consiliarios cum diligentia quærit.* Imò nec tales viros, inquam ego, maiori potest honore decorare. (Consiliarij ingens dignitas. Glossa. Lyranus.)

Non prauam versutiam, sed cumulatam prudentiam commendat Salomon, ex omnium sententiâ, quo contextus concinit, cum dicit: *Homo versutus celat scientiam.* Prouerb. 12. v. 23. sed mira est lxx. versio: *Homo astutus, thronus est sensus:* (sic in Schol. Sixt. θρόνος) quo quid significetur, vidit ibi acutè noster Salazar. *Id est, sapiētia & consilium, in ipso, tanquam in throno sedet. nimirum, seu Rex aliquis supremus throno suo, sic insidet animo: quapropter sicut ad Regem in throno sedentem, non cuiuis adire licet: sed his tantum, qui familiares sunt, & qui proxime ipsi assident: ita etiam sapientium Consilia non patent omnibus, sed dignis, sed amicis, sed his quorum fides explorata est.* Si ergo in quouis prudentium, tam regaliter, ad arcani maiestatem, Consilia semouentur: quantò regalius, in Rege prudentissimo semouebuntur? certè, quâ reuerentiâ Rex à subditis, eadem à Rege, ipsiusmet consilia, visa tractari: Vtque Rex throno assidet subditis colendus: sic regio pectore assidet arcanum, vtpote ipsimet Regi venerabile. Cum igitur magni fiat gratia illa, quâ Rex ad exteriorem thronum admittit familiares: maioris longè iam venit facienda illa, qua ad interius arcani pectoris solium ab ipso admittuntur Consultores; nec quid aut dignius ab ipso dari posse, aut à subdito preciosius accipi præsumendum. (Prouerb. 12. Lxx Interp. Salazar. Regibus ipsis, secreti proprium venerabile est. Vnde summus honor, illud communicare.)

411. Violator regij secreti, extremo supplicio dignus. Hinc est igitur iustissimus ille sensus, ad dolorem: & in vindictam iustissima indignatio, quâ in violatorem secreti sui suauissime crediti, Princeps solet desæuire. Infensissimos illos aduersarios quos in vrbe Ceila 1. Reg. 23. passus est Dauid, ex probabili aliquorum sententiâ, pungit toto Ps. 54. & postquam aliorum fraudes exponit: ad singularem cuiusdam nequitiam, (qui Iudæ proditoris aperta figura fuit, sicut ipse, Christi:) deueniens sic conqueritur. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique: Et si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo: tu verò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos.* à v. 13. q. d. quòd tu etiam me prodideris, quî poterit sustineri? expendo verba attentiùs, quia tota ad rem præsentem & pulcherrima. τὸ *Homo vnanimis:* vertit Vatab. *sed tu eras homo æqualis mihi* Emphaticè magis in Hebræo: *tu eras homo, iuxta pretiū meum.* quod in notis sic exponit ipse Author. *id est, quem in tanto pretio habebam, quanto* (Ps. 54. v. 2. Vatab.)

me

Quia in summum honore nititur, deliquit. *me haberi cupio.* quasi non posset esse *vnanimis* cum Rege, nisi & ipsi quodammodo *æqualis*, & æquè pretiosus ,;& proinde amicissimus haberetur. Ingens honor, supremum priuilegium! cùm verò istæ sint, vt initio dicebam Consiliarij notæ apertissimæ: Consiliarium exulis Principis hunc fuisse, non ambigo: ideo vbi nos legimus: Vatab. *qui simul mecum dulces capiebas cibos*: Vatab. Hebr. vertit. *Mutuo enim & suauiter secreta communi-* Vatab. *cabamus.* suauius in Hebræo. *qui simul dulcescere faciebamus secretum.* quod deinde sic explicat in Scholiis. *id est: qui cum summa animi voluptate, de rebus nostris consilium inebamus. Vera amicitiæ vincula exponit.* Hinc iam, in maledictorum vindictam, quam tunc solummodò poterat, insurgit. *Rex: veniat mors super illos: & descen-* Ps.cit.v.16. *dant in Infernum viuentes.* Vers.16. Quasi dicat: Cùm nihil morte sit amarius, iustissime illum punit, qui dulcescens Regis arcanum violans, Regem prodidit. Sed quasi dicta retractans: parum id, inquit, descendat in infernum viuens, vt corpore & animo sæuiùs torqueatur: qui regium corpus Sauli tradere meditatus, priùs regium animum, reuelato secreto, iam tradiderat: neque ad leue aliquod solatium, vitæ vincula rumpat puniendus: qui ad immane scelus, sic arctæ de arcanorum communicatione, Amicitiæ vincula disrupit. Non poterat Consiliarij honor eximius: nec iustissima Regis indignatio in violatorem, sæuissimaque pœna subsequens, exprimi viuidius.

413. Violatori arcanorum nullo bono tempore parcitur. Sed est aliud, in hanc rem, pulcherrimum, eiusdem Dauidis exemplum, mirabilius longè, quia insperatius. Discessurus iam, instanti morti proximus, vocat Salomonem suum, ad quem imperandis cæteris, hoc præmittit. *Tu nôsti quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ: quæ fecerit duobus Principibus exercitûs Israel, &c. quos occidit, & fudit sanguinem belli in pace, &c. Facies ergo iuxta sapientiam tuam, & non deduces canitiem eius pacificè ad Inferos.* 3. Reg.2. v.5. & 6. 3.Reg.2. Quid contra hos Principes fecerit Ioab, ex textu patet. Quid contra ipsum Regem commiserit, nouerit Salomon, nobis certè in arcanis est: alij aliud diuinàrunt. Sed quidquid illud sit, quis non miretur Regẽ sanctissimũ, iam iã coram Regum Rege rationes vitæ suæ redditurum: tunc maximè vindictam meditari? fuisse illam iustam, nemo Catholicorum dubitare poterit: sed neque id satis est: parum fuerit egregiæ, tanti Regis & Prophetæ, sanctimoniæ, iustitiam non violâsse, cùm videretur Clementiæ deseruiturus. Esto aliorum iniurias, ad exemplum punitas, vellet: propriæ tamen parcere, priuatã dissimulare, vtilius & æquius illi fore, quisquam haud temerè, putet: daret veniam, vt veniam acciperet: & vt sibi dimitteretur à Deo, proximo dimitteret. Cur igitur qui mansuetudinem suam Deo memorandã voluerat, adhuc viuens, Ps.135. iam moriturus eidem non studet? quia Ioab ignoscere, non misericordia foret, sed in exemplum pessimum, socordiæ. Crimen grauissimum, si priscæ Hebræorum traditioni credimus, commiserat Ioab, cui viuens non pepercit Dauid, sed rerum vsui seruiens dissimulauit: tantúmque abfuit, vt moriens putaret, eius punitione clementiam violari: quin potiùs, quasi gratissimã victimã Ioab occiso, promerendum sibi Numen existimaret. Ecquod crimen? audi Lyranum ibi. *Per hoc intelligitur malum, quod fe-* Lyran. *cit Ioab, contra personam David, ostendendo aliis litteras, quas sibi secretò miserat David, de morte Vriæ, & sic regem scandalizauit. Quod enim istud secretum fuerat reuelatum, patet ex hoc, quod Nathan dixit ad David.* Fecisti inimicos blasphemare nomen Domini lib.2.c 12. *Sicut fuit ibi expositum. Nec istud factum, reuelatum fuit per David, neque per Bethsabee, quia celabant crimen suum, quantum poterant: & ideo verisimile est, quod per Ioab fuit reuelatum: ad excusandum se erga alios milites, de morte Vriæ: quod non fuisset mortuus per incautelam suam, sed per Regis mandatum.* Quid faceret David, si innocenti sibi secretum violaretur? fortaſsè (vt literalis præsumptio ampliùs roboretur) ideo dissimulauit tandiu: ne iusta pœna, à vulgo garrulo, concepto, priuatæ iniuriæ, odio adscriberetur.

Tanti nimirum faciebat iustissimus & piissimus 414
Rex, ne hanc noxam, vtpotè immanem, ferret quisquam impunè: tanquam qui probè nouerat, quòd sicut nullibi fœdius quodammodò, contra Diuinum suum Regem posset ipse peccare, quam si eiusdem arcana impiè reuelaret. Sic nullibi grauius contra se, in Politicâ gubernatione, Dei vicarium, deliquisse Ioab: quàm dum arcana regia violauit. Ideo ipse ad Deum. *In corde meo absconditi eloquia tua, vt non peccem tibi.* Ps.118. Ps.118. v. 11. Putares potiùs è contrario, fore Dauidi ad Secreta Dei, quando tacenda. culpam, imputandum silentium: Cur enim eloquia diuina, ad aliorum instructionem, non effunderet? cur auarus, aliis inde perficiendis cælestem illam doctrinam inuideret? Sed non erant eloquia hominibus transfundenda: quæ enim communicare fas erat, abundè satis Psalmographus dictârat? sed erant arcani sermones, secretáque sibi vni, à supremo Rege communicata: quæ proinde violare, extremum nefas duxerat meritissimò. Pulchrè ibi D. Ambrosius. *Pro-* D.Ambros. *pterea ergo mysterium Regis, bonum est abscondere: peccat enim Deo, qui commissa sibi secreta mysteria, putauerit indignis esse vulganda: periculum igitur non est falsa solum dicere, sed etiam vera, si quis, ea insinuet, quibus non oportet. Quod vitium quadripartitum est: vel adulationis, vel auaritiæ, vel iactantiæ, vel loquacitatis incautæ.* Quod deinceps fusè probat S. Doctor: fe- Violandi secreti, quæ sint iniquæ causæ. rè eisdem verbis humani Principis arcanorum violatoribus accommodandum; ab his enim quatuor fontibus, vt plurimum hoc scelus solet dimanare. Hæreat igitur Consiliario meo, monitum illud Salomonis, Prouerbiorum 11. v. 13. Prou.11.13. *Qui ambulat fraudulenter reuelat arcana.* Vel, quod vertunt LXX. *Vir bilinguis, reuelat* LXX. Interpr. *consilia in consessu.* Vbi & Consilia, quod initio notabam, pro ipsissimis secretis accipiuntur: & horum reuelatio, fraudulento tantùm tribuitur, & bilingui.

NOTATIO VIII.

De publicis Principum Administris.

415. VOCO publicos Principis Administros, qui nec ad Aulæ splendorem, priuatúm-

que regiæ domus ministerium? nec ad Consiliorum arcana aduocantur: sed publicis Reipubl. functionibus admittuntur: puta Proreges, Præsides, Præfectos, Prætores, Iudices, quotquot denique certis Imperij partibus adhibentur. Hi sunt, quos, dummodo fidi, *Dextras Principum* Romani appellarunt: de quo alibi pluscula adnotaui: horum industriâ vel ignauiâ
Iust. Lipsius. stat Resp. vel collabitur: *Incumbit Principi*, inquit ex Tullio Lipsius lib. 3. Polit. cap 10. *in hac custodiâ Imperij, vt non se vnum modo, sed omnes Ministros, cum his & resp. præstet.* sine quibus nimirum vnus tantam molem non poterit sustinere: quibus tamen improbis, se & vniuersum
Bonis Ministris, quibus egeat Princeps. Imperium pessundabit. Bene Iustinus Imperator cùm piissimum Tiberium, sibi in successorem, purpurâ circumuestiret. Sic subiungit, vt
Euagrius. Author est Euagrius lib. 5. cap. 13. *Nec te in errorem inducat vestis splendor, neque illustris ornatus istarum rerum, quæ sub aspectu cadunt, decipiat: quibus ipse in fraudem impulsus, imprudens me ipsum grauissimis supplicijs obnoxium reddidi, &c. Atque, digito Magistratus demonstrans: non oportet inquit, horum consilijs morem gerere: nam hi me, ad istas, quas cernis miserias deduxerunt.* qualia forent Administrorum, seu Magistratuum horum opera, ex ipsorum consilijs coniectes: scilicet quæ cum Imperatore Imperium deturbarent. Ad rem.

Monita Politica.

I.

Non plus sibi, quàm Regi attendant Administri: & quid in hac re pessimum habeatur.

416. *Ministri, non plus sui, quam regis negotiis attendant.* Potest quidem Principis amor, ex familiariori commercio contractus, domesticos quandoque suos sic afficere, vt iam adhibitis ministeriis, non tam sibi, quàm Domino videantur studere: possunt consiliarij, ipso ingenti, communicatæ animæ, fauore contenti, ministrare. Maius periculum in publicis Administris, vtpote remotioribus, ne tàm Principi dilecto quàm sibi promouendis putentur deseruire: ideo illis hoc monitum præcipuè destinaui: quod etiam non paucis prædictorum, qui sibi, quàm Regi, tenacius adhæreant, necessarium venerit, & commune. Est igitur hæc, non inter exiguas, Principum miseria, vt raro sic sincerum subditorum amorem, in se prouocent (nec enim sinceritatem hanc admittit inæqualitas tanta) quo ipse potiùs quàm profecta inde vtilitas respiciatur: quò ipsi potiùs, quàm sibimet subditi consuluerint ministrantes. Sed quamuis hunc morbum, ab Administrorum pectoribus penitùs diffidam repellendum, temperandum tamen conabor, ne saltem plus sibi, quàm Principi, in totius Reip. bonum constituto, satagant prouidendum: patiar, si strenuiores, sibi minùs: si saltem ex æquo, imbecilliores, Principi optimo studuerint. Visâ transfigurati Domini gloriâ exclamat Petrus: *Domine bonum est nos hic esse.*
Matth. 17. Matth. 17. v. 4. At cuinam bonum? certè non Iesu, cui vnicè bonum erat, præceptum Patris implere, homines instituere, culpam, dæmonem mortem, Cruce superare. ideo addit Lucas Luc. 7. c.
nesciens quid diceret. cap. 9. v. 33. Diuinum Regem carnaliter adhuc tractabat Petrus, idque nesciens: quia nil ab officio probi Administri delirantius, quàm nihil bono Principis, & vndique vtilitati suæ studere.

417. Math. 20. v. 19. Illusiones diras, verbera diriora, dirissimam necem subeundam, prædixerat Christus Dominus Discipulis, dicens, *Tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum, & crucifigendum: & tertiâ die resurget.* Matth. 20. v. 19. & additur statim, *Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filiis suis; adorans & petens aliquid ab eo.* v. 20. primas scilicet, vt nôsti, sedes, in Regno, quod crediderant temporario. Poterant-ne vnquam accedere importunius? auditis Regis iniuriis, & his grauissimis, tunc ab eodem, honores amplissimos properant consequendos. Pende quid Lucas addat, dominicis his laboribus memoratis. *& ipsi nihil horum intellexerunt*, cap. 18.
Luc. 18. v. 34. v. 34. quasi excusaturus petitionis importunitatem, quam licèt non memoret, nouerat tamen,
Quàm sit impium, vt cùm Princeps affligitur, tu Minister priuatis commodis studeas. id temporis euenisse. Dicuntur ergo hæc non intellexisse, id est in parabolicū sensum imprudenter traduxisse: ne longè delirantius errare notarentur, si intellectis Regis sui laboribus, nihil hos curantes, toti honoribus suis inhiarent: & cū condolere Regi maximè debuissent tunc spei suæ gaudio indulgerent. Fauet Eusebius Gal-
Euseb. Galli. licanus Homil. in Quinquages. vbi ita. *Quando Dominus ascendebat Ierosolymam, vt pro omnibus pateretur, tunc Mater filiorum Zebedæi à filiis admonita accessit ad Iesum, vt primas sedes filiis postularet: in quo manifestè apparet, quia, vt Euangelista dicit, verba Domini Discipuli non intellexerunt, quæ modo de sua passione, eis Dominus nuntiauerat: si enim intellexissent, potiùs ad fletus & lachrymas conuerterentur, quàm de dignitatibus aliquid loquerentur.* Neque enim sic effrænata, in Discipulis, licet adhuc carnalibus, ambitio poterat cogitari, vt regis sui necem nil curantes tunc maximè gloriolas captarent. Quo ergo loco pones Ministros illos, qui dum Resp. nutat, dum Rex piissimus, curis anxiis, vndique laceratur: tunc sibi grauiora negotia commissa, nihil ad publicam, sed vnicè in priuatam conferunt vtilitatem? & tamen nouimus, & dolemus ex his plures.

418. Quod si propterea dixerit Lucas, Discipulos *nihil horum* intellexisse: *non quod verba* (vt ibi
Caietan. ait Caietanus) *Iesu non intelligerent, sed quia sensum verborum existimabant, aut dubitabant esse, sicut sensus sermonis parabolici*: iam sub hoc dubio, imprudentiores Discipuli, quam sub omnimodâ, quam dixi, ignorantiâ, denotarentur, non tam si mentem dubiam, quàm si appetentem voluntatem hîc consideres. Quid enim stultiùs
Prauus Minister, per Principis labores priuata commoda inhiat. quàm sub dubiâ saltem Regis sic affligendi suspensione, tunc certo impetu, regni eiusdem honoribus inhiare? Quid enim si sub hoc dubio, pars illa subeundæ necis, re ipsâ eueniret? etiam id deglutiunt, nondum Spiritu sancto purgati auidi Administri, & quia auditâ morte, subsecuturam statim resurrectionē audiuerunt, *& tertiâ die resurget*: Matth. citato loco: pro nihilo pene præuiam, & amarissimam Regis tanti necem reputantes vtiliori sibi resurrectioni sequenti atten-

attendentes solummodo, negotium suum agere satagebant, Caietanus ibi, *Audita iam propinqua resurrectione Christi, accessit instructa & inducta à filijs Iacobo & Ioanne, qui hanc tam propinquam resurrectionem audierant*, tam infixum carnalibus adhuc discipulis instar prauorum Administrorum, sibi potius, quàm Regi deseruire.

Caiet.

419. Hinc capies verba illa Thomæ ad Condiscipulos, prætendentes mortis periculum, vt Christum à curando Lazaro deterrerent. *Eamus & nos, vt moriamur cum eo*, Ioan.11. v.16. An non nouerat Thomas posse Christum, quærentium se manus euitare, qui paulo ante lapidantium inluserat furori, & toties hostiles impetus refrænarat? Quid ergò sic certam reputat Christi necem, Quasi sibi suisque sociis, si eò irent, pariter subeundam: quasi decorum ducat, Regi commori? formidolosà affectus mœstitià, nihil priscorum miraculorum recolebat, præsentis periculi memoriæ defixus: neque tam animosa vox ista est, quàm querula. Nolunt ignaui Administri Regem strenuum, cum quo pariter periculo exponi teneantur. vtpote non tam eius gloriæ, (si subditis suis, periculose occurrat) nobiliter comparandæ, quàm propriæ vtilitati consulentes. Tales sunt qui Regem hæredibus iam stabilitum, ad bella proficisci, & periclitantibus Prouinciis vetant succurrere, vnde gloriosus rediret, vel occumberet pro suis gloriosior, ne ipsi partem periculi subierint. Peiores adhuc, qui progressuro iam Regi, quæsitis artibus se subtrahunt: opere ipso, si non verbo, prædicantes, hanc esse præcipitis Principis stultitiam, cum quo sibi prudentibus non liceat stultescere: qui semper sibi priùs, quàm Regi proposuere seruiendum. Sed præstat audire verba Theophylacti, Thomæ sententiam sic exponentis, *Non fiducia, sed formidinis, & tristis animi verbum est: nam vt condiscipulos moraretur, memores eos facit mortis, & dedita opera hoc apponit*, vt moriamur, *quasi talia dicens: Esto ipse, inquit, vitā suam non tam magni faciat: nos autem, cur ita stulti essemus?* ferè sub eodem timore cæteri Discipuli, qui dixerant paulo ante: *Rabbi, nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc*, v.8. quasi verò non vidissent, quam facilè tunc Christus lapides euitasset, tam posse nunc inludere inimicis. Sibi ergo non Domino timebant, cui ne vllo suo periculo ministrarent, malebant gloriâ resuscitandi Lazari fraudaretur, quàm seipsos discrimini exponere. Hugo Cardinalis ibi, *Sic loquuntur, ac si pro ipso formidarent: tota autem formido erat, pro se ipsis, nondum enim erant firmati.* Firmetur igitur quoad possit probus Administer, ne consimile dedecus incurrat.

Ioan.11.16.

Ignauus minister non vult strenuū Principem.

Theoph.

Formidinem suā prætextu formandi Principis, celat ipse.

Hugo Card.

410. Importunè quærebant Iudæi à cæco illo, quem Christus videndæ luci restituerat, quo tenore, ab ipso curaretur: ad quos ille: *Dixi vobis iam, & audistis: quid iterum vultis audire? nunquid & vos vultis Discipuli eius fieri?* Ioan.9. v.26. Tunc subdit Euangelista: *Maledixerunt ergo ei, & dixerunt: Tu discipulus illius sis: nos autem Moysi discipuli sumus*, v.28. siue maledictio, id est, dira deprecatio, siue vt alij volunt, conuicium fuerit, & mera exprobratio: tota in id resoluitur: *Tu discipulus illius sis*, &c. Nam τὸ *Maledixerunt, & dixerunt*, idem est atque: *Maledixerunt dicentes.* Caietanus, *Maledixerunt, pro conuiciati sunt: non enim imprecatio significatur sed conuicium.* Tu discipulus illius sis, *pro es. Intellexerant Pharisæi, istum se profiteri Discipulum Iesu: & hoc ipsum, in conuicium illi dicunt.* Vtrumuis tamen, siue vtrumque fuerit: an non mirandum, quod pro maledictione huic imputetur schola Christi, cuius plusquam regalem authoritatem, tot prisca, & recens hoc miraculum asserebant: interimque se iactent Pharisæi, quod sub Moysis obsequio perseuerent? Sed quid ni facerent, improborum Administratorum moribus & ingenio imbuti: stultissimam insaniam putabant Regi, Duci, & Magistro adhærere, è quibus sibi aspera quæuis, & laboris duritiem compararent: id tantum versutæ calliditati dandum approbantes, si Duci Magistroque illi, obsequium præbeatur, vnde subditis vtilius quid deuenerit: illud Christo, hoc Moysi, putabant cæci homines referendum: quid ni ergo alterum cæco in irrisionem iactāuerint & maledictionem: sibi alterum ad pretium, & fælicitatem attribuerint? Bene Ludolphus Carthusianus lib.1. cap.83. ad hunc locum, *Moyses prædicauit seruantibus legem, fertilitatem, & bona temporalia: & propter hoc, habet plures discipulos, quam Christus, qui prædicauit paupertatem, & similia.* Non quod plures vnquam numero Iudæi, quam Christiani, si Religionis attendas professioni: sed quod plures ex ipsis Christianis, sic in præstando superioribus obsequio formentur, vt potius Mosaicis promissionibus, quam dominicis institutis videantur adhærere: sic nihil pro communi bono Regibus administrant, nisi saltem maiori ex parte, in propriam vtilitatem redundaret: sic probos, tanquam stultos irrident, si sincerius Reipublicæ attenderint, & Regi per discrimina, neque captato præmio studuerint.

Ioan.9.26.& 28.

Caietan.

Non officio erga Principem, sed lucro proprio attendit prauus minister.

Ludolph.

Inter hos tamen pene impios Principis Administros, illi apud prudentem quemuis peius, me iudice, debent audire: qui id ipsum, in quod alias proni & parati iam erant, imo quandoque aliunde obligati: si Regis interim necessitas intercedat, faciundum iam dissimulant, & simulant prætermissum: vt cui operæ & sponte & iure inhiabant, iam non nisi ingenti mercede conducti applicentur. Cupiebat ardenter, debuerat naturaliter Moysis mater Infantulum suum enutrire, quem Termutis Regina (sic Pharaonis filiam vocari ferunt) ab inundatione sæua clementer seruarat: & tamen aduocatæ ait Regina, *Accipe puerum istum, & nutri mihi: ego dabo tibi mercedem tuam.* Exod.2. v.29. Nouit Hebræam fæminam; quæ infanti Hebræo tam piè contra præceptum parentis liberato præsumi posset gratis, imo & adhibitis, reginæ gratiis, auxiliatura: nec tamen nisi præmisso mercedis pacto, puerum illi tradit, credo, quia sagax muliercula vultu, in displicentis speciem composito accesserat, anxiam rei peragendæ dissimulans auiditatem: non solùm ne se Matrem proderet, sed etiam vt obiter, à Reginâ, mercedis sibi aliquid captaret. sed quidquid sit de istâ? certè sic vaferrimi Principum Administri hos decipere consuescunt. Oleaster ibi. *Miseria Regum est, facilè à suis decipi: nam famula, matrem suam, pretium habere voluit, pro eo quod iure natura tenebatur facere.* At quamuis hæc, fælicitatis Principis, miseria habeatur, mihi longè miserior est sors Administri, quem hæc nota fœdissima inurit: dum nihil lubens, pro Rep. pro Principe, moliatur; sed aut

411. *Astutus minister dissimulat affectū erga officium, vt carieri conducatur.*

Exod 2.9.

Oleaster.

 pretio,

pretio, aut imperio inductus & coactus: quod tamen aliunde auidiùs moliretur.

422. Job. 1 v. 6. D Ioan. Chrysost. Expendens D. Chrysost. in Cat. Græc. illud Iob: *Quadam autem die, cum venirent Filij Dei, vt assisterent coram Domino: affuit inter eos etiam Satan.* Cap. 5. v. 6. Sic scribit. *Neque Angeli, neque Satanas, ratione corporeâ Deo assistunt: verùm quauis muneris functio assistendi ratio nuncupatur. Diabolus etiam cum Dei creatura sit, quæ opus sunt, facere iubetur: ac licèt voluntate, diuini Imperij frenos mordeat, iugum nihilominus sustinet seruitutis: & tanquam tortor & Carnifex imperata facere iubetur. Et quemadmodum apud nos Principes, quando cum honore quempiam accersunt, honestos homines mittere consuêrunt: quando verò cum ignominiâ abstrahunt, crudeles quosdam satellites immittunt: ita Deus ad Sanctos quidem, Angelos mittit Ministros ad salutem: quando verò pœnâ coërcere vult, facinorosis præcipit potestatibus.* Nihil Dæmon auidiùs, nihil ardentiùs exoptat, diligentiùs nihil exercet, quàm hominibus nocere, vt ex Iobi plagâ, quam summopere sollicitauit, satis claret: & tamen voluntate detrectante, diuini imperij fræna mordere potius dicitur à Chrysostomo, quàm subire: recalcitrans iuga sustinens seruitutis, dum Carnifex torquere aliquos iubetur. Et quidem acutè prauam huius Ministri indolem agnouit S. Doctor, grauiter explicauit: qui enim si sibi relinqueretur, lubentissimè perdendis hominibus insisteret vltroneus: iam coactus & recalcitrans eò defertur, solum quando, diuina, Regis supremi, voluntas ibidem immiscetur: imperij prementis seruitute, non amoris suadentis obsequio ministraturus. Sic sibi semper, Regi nunquam, solicitus studere. Caueant ab hoc ingenio Principum Administri, ni fortè (nefas) dæmonibus voluerint adnumerari: quin Angelorum instar sponte seruiant, hócque optimum officij sui pretium arbitrentur, iustissimo & optimo Principi ministrare, plus huic semper, quàm sibi, opera destinantes.

Prædictus Minister, Dæmoni quàm sit similis.

II.

Administrorum obedientia erga Principem, suauissimè ex animo profectura.

423. *Obedientia erga Principem, qualis futura.* POstremus hic locus nos vocat, vt fusiùs Ministrorum erga Regem obedientiam recolamus: quâ nihil Politica gubernatio aut diligentiùs requirit, aut experitur vtiliùs. In primis igitur beneuolam, deuotam, & ex animo eductam potiùs, quàm exteriori opere exhibitam, commendo obedientiam: non tristem, non subdolam, non extortam. Vno verbo, quam non formidato Principis Imperio, sed affectui in Rempub. pio, imputet Prudentia. Hæc fuit Administrorum obedientia, quibus sibi Roma Orbem subiugauit. *Ambigua laudis Ciuem existimans*, inquit Valer. Max lib. 1. *Qui debitis Reipub. officiis, non suâ sponte, sed iussus fungeretur: quia quidquid imperio cogitur, exigenti magis, quàm præstanti acceptum refertur.* Quidni ergo ex Catholicis cupiam Administris, ad obedientiam, apostolico præcepto institutis erga Regem: id quod mero iure naturæ, Roma Ethnica sibi tribuendum exigebat? certè si coacta fuerit quæuis subiectio, mendacio potius danda, quam obedientiæ. Ideo Dauid ad Deum: *In multitudine virtutis tuæ, mentientur tibi inimici tui.* Ps. 65. v. 13. ita ne? diuinâ potentiâ, qua hostes conteruntur, vnde ad verum vocandi videbantur, hos impulit ad mentiendum? mentiuntur quidem: non id tamen diuinæ æquitati, sed illorum malitiæ tribuendum: qui cum non solum naturæ, sed etiam victoriæ titulo ad Dei obedientiam vocarentur, dum pertinaces, non ex animo obediunt, sed coacti, mendacij meritissimo infamantur. Clarior versio Vatab. *Ob amplitudinem virtutis tuæ, supplices tibi erunt, licèt falsò, hostes tui.* Vatab. An non, mendacissimum est opus illud exterius, cui tam dissimilis animus adhibetur? Connectat igitur obedientiæ animum, probus Administer, vt amore potiùs, quam timore parens imperio, non illud mendax simulet se velle, quod mallet non fuisse: benè enim D. Maximus ser. 5. Pasch. *Multi faciunt à timore: sed qui faciunt legem, timendo pœnam, mallent non esse, quod timebant: qui autem faciunt, amando iustitiam, gaudent ibi, quia non habent inimicam.*

Deuota scilicet, & ex affectu. Valer. Max.

Credat mihi Administer probus, (qui quò altiori fungitur munere, eo sæpè difficiliori impenditur obedientiæ) nisi enim ex animo, iustis regis imperiis, paruerit: iam quidquid exequatur de laborioso impendio industrius, non tam Regi obsequium, quàm sibi carnificinam apparabit. Iubetur Abraham filium occidere: Genes. 22. Nihil difficilius Administro vnquam præcepit Princeps: at ille, *Extendit manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium.* Vers. 10. Nihil doloris, nihil humani sensûs, hic audis. Nunquid videretur imperio detraxisse, si tantisper naturæ indulgeret? imò, eò videbatur fortior obedientia, quò sensibilior, & tamen adimplenda. Quid igitur dolorem, tam altè premit? Vt opus totum ex animo amante, & nec minimum ex naturâ dolente, proficiscatur: vt in quorum conspectu Angelorum rem peragebat: Sacerdos, non parricida, non carnifex, sed oblator agnosceretur. D. Zeno Veron. serm. de Patient. ibi. *O nouum spectaculum, & verè Deo dignum! in quo deffinire difficile est, vtrum sit patientior Sacerdos, an victima; non percussoris, non percutiendi claudicat color: non membra timore vibrantur: non demissi, non torui sunt oculi: nemo rogat, nemo trepidat, nemo se excusat, nemo turbatur: ne verè sit parricidium.* Sic in Politicâ nostrâ obedientiâ, quidquid non ex animo peragis, quo fuerit difficiliùs; eo te sæuiùs laniaueris: nec Principis Administer, sed tui Carnifex, obsequio tuo, parricidium non victimam ministrabis. Et quid stultius, quàm coactè seruire & ministrare, vbi tibi necessario ministrandum? & quod, in præmia posses vertere comparanda; idem tibi, pœna sit maxima, ministerium?

424. *Nisi ex animo obedientiæ tibi Carnifex eris.* Genes. 22. D. Zeno Veron.

Naturæ ipsius iure, obeditura, viro, fœmina procreatur: imperfectior sexus, *in adiutorium*, id est, perfectioris ministerium adhibetur: Genes. 2. v. 18. Sic sub ipso innocentiæ statu, Politica humana disponebatur. Peccat deinde Eua, & audit a Deo: *Sub viri potestate eris: & ipse dominabitur tui.* Cap. 3. v. 16. Ecquæ ista pœna? nónne ante culpam sub viri dominantis fuerat 425. Genes. 2. 18. & 3. v. 16.

pote

potestate? nunquid vir pridem fœminæ subiectus: aut saltem in corpore monstroso, biceps Monarchia:absit.eadem ergo obedientia,sed sub diuerso indicitur tenore. vt quæ ex animo prius, & lubens edebatur: iam insuper volens, nolens ederetur: Nec durioribus pœnis fœminea constringi potuit arrogantia, quàm dum id etiam timore facere cogitur,quod amore debuerat perpetrare. Alcuinus quæst.77.*quaritur cur dicatur: sub viri potestate eris:si ante peccatum mulier sub potestate viri esset?respondetur. fuit itaque, sed eâ seruitute, quæ per dilectionem operatur, & foras mittit timorem,post verò conditionali timore, quæ per disciplinam operatur.* Vnde etiam inferes ex primaria Numinis intentione. sic administræ huic fœminæ, erga Principem suum, impressam obedientiam:vt nihil ibi timoris,& pœnæ intercedere voluisset: solumque secundariò, ob eius nefas hanc intercessisse: quasi coacta ista & pœnalis ministratio, non ex Deo,sed quodammodò ex peccato orta videatur. Vnde igitur hâc, pro merendum tibi Principem, Dei scilicet primarium Administrum, improbus Administer, Principis, speraueris. qui instar Dei, illam potiùs vltroneam à te requirit? & meritò, si vel saltem Valerio, ethnico scriptori suprà citato,fidem adhibueris.

426. Ro.13.v.3. Ex tuis etiam subditis, ô Administer, qui Regiâ authoritate geris potestatem quale quale exemplum desumere licebit: sic enim ad illos Apostolus. *Principes* (id est,quiuis Magistratus) *non sunt timori boni operis, sed mali. vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illâ: Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris time, non enim sine causâ gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei,qui malè agit.*cap.13 à v.3. Itaque ex primariâ Dei intentione, ideo per Regem, Magistratus & Potestates disponuntur:vt subditis bene operantibus,sint in laudem, & tanquam ministri ad horum vtilitatem constituti: deinde verò,& quasi secundariò, iam rebellibus timori sunt, & in vindictam iustam gladium portant. Hinc D. Irenæus lib. 5. *Quoniam absistens à Deo, homo in tantum efferauit: vt etiam consanguineum, hostem sibi putaret: & in omni inquietudine & homicidio & auaritiâ sine timore versaretur:imposuit illi Deus humanum timorem, non enim cognoscebat timorem Domini, vt potestati hominis subiecti, & lege adstricti, aliquid assequantur iustitiæ, & moderentur adinuicem, manifestò positum gladiū timentes.*Vtri ergo ex his, tibi gratiores? an quos vltroneos, bono studentes, laudas, & præmio afficis:an quos, non nisi districto gladio impellis ad iustitiam: & sub debitâ obedientiâ coerces? res plana. Sic tibi erga Regem faciundum:ne districto imperio coactus, sed exhibitæ voluntati spontaneus: id est non vt Eua iā lapsa, sed integra administres. venit enim ex æquo tibi erga Regem, quod subditis erga te subiungit Paulus. *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* vers. 5. vt sic præcepto Principis Iusti obedias, vt dum necessitate cogeris imperantis, non solùm illius iræ euitandæ rem peragas, sed tuæ etiam, (imo potiùs) exhilarandæ conscientiæ. Hinc ad Deum Dauid. *Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.* Psal 85. Vatab.vertit. *Coge pectus meum, vt timeat n. t.* quia tantum aberat

In præmia prius quàm in pœnas subditorum, destinatur Princeps.

D. Irenæus.

Vers.5.

Obedientia cum voluntate.

vt fidissimus Minister,coactionem illam beneuolæ obedientiæ,onerosam & tristem sibi putaret, quin potiùs ad lætitiam deferebat. Ps.85.v.12. Vatab.

Hinc illud eiusdem Prophetæ. *Legem pone mihi Domine viā iustificationum tuarum, & exquiram eam semper.* Psal.118.v.33. ad quem locum D. August.opponens illud Apostoli: *Lex Iusto non est posita.* 1. Tim.1.v.9. postquam fusè explicat Paulum de lege timoris,& pœnaliter cogēte obedientiā,locutum. Dauidem verò,amoris legem, & beneuolam obedientiam postulasse,sic concludit, *qui timore pœna, non amore iustitiæ opus legis facit,profectò inuitus facit: quod autem inuitus facit si posset fieri, mallet vtique non iuberi: ac per hoc legis, quam vellet non esse,non est amicus, sed potiùs inimicus:nec mundatur opere, qui immundus est cogitatione & voluntate.* Tantùm ergo abest, vt Regi per obedientiam placeas coactus,vt potiùs obediētiæ inimicus reputeris, dum animo non vtcunque seruili, sed seruitutem ipsam odiente, egregia aliunde opera contaminas: hâc enim ratione,non de merè seruili timore, qui bonus est, procedit Augustinus: cuius iam plura ad hunc locum,alibi altiùs ponderaui. Addo pulchra verba Senecæ,de seruis ad Dominum locutus, epist. 47. *Colant, potius te, quàm timeant. Dicat nūc aliquis,me vocare ad pileū seruos,* (id est,quasi liberos facere) *& Dominos de fastigio suo deijcere:quod dixi,colant potius Dominos,quàm timeāt.Ita ne,inquit:perinde colat, tanquā clientes, tanquā salutatores?hoc qui dixerit obliuiscetur,id dominis parū esse,quod Deo satis est,qui colitur & amatur, non potest amor cum timore misceri.* Qui ergo à seruis tuis, si cum Seneca sapis, non tàm timorem cupis, quàm cultum: quia hic dum obedit,dum paret,amori miscetur, cui timor aduersatur: putas tibi Regem promerendum, cui, non instar modesti, sed nequissimi serui, pulcherrimis licèt ministeriis, sub malo illo timore obediuisti? Aduoco iterum Dauidem: qui eodem Ps. 118. v. 54. sic scribit. *Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ,in loco peregrinationis meæ.* Vatab.vertit. *Mihi verò, Decreta tua, sunt carmina.* Decreta enim Dei sic iusta,vt ipsissimæ iustificationes appellentur, quæ proinde sic auidè audiebat, quibus sic lubens obediebat Dauid,quasi musicis carminibus delectatus. 427. Psal. 118. 1. Timoth. 1.v.9. Seneca. Psal.118. Vatab.

D. August. Obedientia ex Amore, quàm sua-uis, quam ex timore fallax.

428. Genes.15. v.9. Significandæ sanctæ obedientiæ, quâ se ipsum quis immolat superiori,Deum repræsentanti:aliud sacrificium Genes.15.ab Abraham exegit Deus:de quo, multa iam Mystici protulêre. Id tantummodo in rem præsentem obscuriusculum: cur vacca potiùs, quàm taurus exigatur? *sume mihi* ait Deus *vaccam, &c.* v. 9. bene enim quod bos,natum iugo animal; in Administrum iugo obedientiæ tollentem, sumatur exprimendum: cur tamen sub viliori sexu denotatur? an non robustior Taurus, an non ministeriis ipsis animosior? ita est: Neque tamen perfectæ obedientiæ exprimendæ, aptius apud Deum? quàm mirifice vacca designauit. causam vidit venerabilis Ricardus ibi apud Godefr. proposito dubio sic respondens. *Scimus de boue, quia iugum portare potest, lac autem dare non potest, vacca vero vtrunque facit.O quale sacrificium, & obedientia iugum humiliter portare: & inter qualibet obedientia ardua, cordis dulcedinem seruare, & nil aliud per verba, quàm dulcorem lacteum distillare! bouem quoque facit obedientia fortis.* Ricardus Victor.

Vaccam

Vaccam quoque obedientia dulcis: bouem offerre, est obedire viriliter, vaccam, obedire gratanter. Prompti ergo & parati simus, quantum in nobis est, non solum melioribus vel æqualibus, sed etiam peioribus talem obedientiam exhibere: & constabit nos vaccam iuxta imperium Domini obtulisse. Ideo ergo in hoc loco vacca gratior apud Deum. *Neque enim à tanto amico*, præmiserat, Richardus, *exigeret, quod minus ipse diligeret.* Attendant monito isti, omnes Principum, (vt de aliis taceam) Administri: non tàm viriliori in facinora robore, quàm suaui in obedientiam animo Principes demulceantur: ab hoc profecta, etiam exigua ministeria, pluris fiunt: non animosa semper, sed semper animata exiguntur: talia sunt, non quæ effectu turgent, sed quæ spirant affectum.

Obedientia prompta & suauis, quasi fiat à Principe.

III.

Prædicta obedientia, quò magis cæca, eò tractandis prudenter negotiis fit oculatior.

419. *Obedientia cæca, erga Principem.*

PVtaueris fortasse subridens, prælecto titulo, non mihi politicam, sed religiosam obedientiam delineari: & monita illa, quibus in cæcam obedientiam à sanctissimo Patriarchâ Ignatio, Societas nostra allicitur, importunè tibi obtrusa, subsannaueris. Sed ego obedientiæ virtutem, quam Administris Principis, necessariam omnino, nullus vtriusuis scholæ scriptor non fatetur: vtrobique eiusdem ingenij esse, certum scio. Non mutat, vel sæcularis, vel Religiosi animo, adhærens virtus, mores: non variat rationem: sub eadem, inquit Theologus, specie perseuerat: nisi quòd Principi, naturali tantùm diuinoque præcepto obedire tenemur: at religioso Prælato, votis insuper obligamur: non itaque alia hîc, sed strictiùs debita, eadem obedientia obseruatur. Cùm igitur, quod nemo negat, perfectissima illa sit, quæ cæca fæliciter fuerit: quæ non solùm externum opus & voluntatem, sed insuper Iudicium prostrat Superiori: (de quo aurea Ignatij nostri Epistola, tot gemmis radians, quot literis, à nemine non teritur Politiorum) dum perfectissimum & Catholicum instituo Principis Administrum, non temerè, hâc ornandum, videar contendisse. Sed esto, inquit, aliquis, non temerè contendis: Speres tamen temerè, persuadendum: frustra laboras, dum sæcularibus scopum apponis sic arduum, quem vel religiosa pietas attingit rarò. Arduum esse fateor, & ignauus experior, non tamen strenuis aliis insuperabilem. Quid? cur nimiùm putem à catholico, & perfecto Administro me exegisse, quod gloria obsequendi contentus, disponendi iudicium, iusto Principi, quasi desuper illustrato, remittat: cum id & politicæ institutioni omninò necessarium, & comparabile, etiam Ethnicus Author scripserit? Audiendus Cornel. Tacitus lib. 6. Annal. apud quem M. Terentius ita ad Tiberium Imperatorem. *Non est nostrum æstimare, quem suprà cæteros, & quibus de causis extollas: tibi summum rerum iudicium Dij dedere; nobis obsequij gloria relicta est, &c. Abditos Principis sensus, & si quod occultius paras, exquirere, inlicitum, anceps, nec ideo adsequare.* Nihil vltrà à te volo mi Administer, quam quod ibi, Conuinciique ut is, siue verò siue falsò: certè prudentissime, iste & necessarium fatetur & vsitatum. Iubeat, eligat Princeps, tu causas ne æstimaueris, inlicitum id, anceps, & sæpiùs impenetrabile: à Deo bonum Principem crede institutum, qui huic iudicij pondus, tibi obedientiæ gloriam commisit. Hæc est ergo ex profano stylo, quam sacro, Doctores sancti, obedientiam cæcam commendarunt: abiecto itaque, quasi inaccessibilis nominis, terriculamento: Rem, probo cuique iam facilem, & aliunde summopere requirendam, aggrediamur.

Cornel. Tacit.

Quatuor illa flumina, quæ è Paradiso profluentia describit Moyses, ad quatuor præcipuas virtutes ab animâ emanantes, nonnulli Philone duce, aptissimâ allegoria deduxerunt, prudentiam, vt par est, primam, in Phison primo flumine explicantes. Non abnuo: ideo enim statim additur de Regione, id est, anima, quam Prudentia peruadit? *Et aurum terræ illius optimum est.* Genes. 2. v. 12. Sæpè siquidem in sacro Elogio, Prudentia & scientia per aurum explicatur. Dubia tantummodò est versio Græca, quæ habet: *Aurum terræ illius bonum est.* Si enim hæc, & in hoc loco Prudentia commendatur tanquàm *bona*; alia alibi necessariò damnabilis intelligitur. Ecquæ igitur ista? audiendus Philo Iud. lib. 1. Allegor. *Ergo est aliud aurum non bonum? certè est: alterum vniuersale, alterum particulare. Itaque prudentia mea, cùm sit particularis, non est bona, nam perenne, simul interit: vniuersalis autem illa, quæ Dei sapientiam inhabitat, eiu domicilium, bona est: incorruptibilis enim in domo incorruptibili permanet.* Sic in re nostrâ: Administri prudentia, quia particularis est, diiudicandis negotiis, mala putanda est: bona solummodò illa Principis quodammodò vniuersalis: Administer, negotij sibi commissi, priuatas circunstantias intuetur, ibi sistit: Princeps, non solùm has, sed insuper quid negotium hoc priuatum, ad arcanos alios sensus, & Administro ignotos, faciat, plenè in Consiliariorum abditissimo Senatu examinauit. Hinc fit sæpè vt quod Administro omittere, mutare, vel peruertere, attentâ tantum, rei præsentis conditione leuissimum putatur: Principis vniuersaliori prudentia, dispectis occultis aliis totius Monarchiæ circunstantiis, æstimetur grauissimum. Aberrabit ergo negotiorum Administer, ni prudentiam suam occæcans, vndique vniuersali illi obediens se committat, oculatior sic futurus: & meritò, quandoquidem vniuersalis hæc Principis prudentia, sic proximè illam Dei vniuersalissimam contingit: vt etiam summum rerum iudicium illi concessum, Tacitus suprà, credendum existimaret. Labitur tandem pereunte Ministro, particularis prudentia: at illa Principis iusti, in futurum respiciens, diuinæ innixa, æternitatem videtur æmulari. 430.

Genes. 2. 12.

Phil. Iud.

Propria cæca prudentia, mala est. Superioris solum modo prudentia attendenda, & quare.

Grauior est alia Philonis interpretatio, qui, vt Paradisum ad Animam deduxit: & Arbores, ad eiusdem virtutes, & potentias: sic pulcherrimam illam plantam, quæ erat in medio Paradisi, ad intellectum in mediâ animâ radiantem, voluit deferendam. Sed deglutitâ hac allegoriâ, nouum adhuc scrupulum ingerit significatio. Rebellat in Deum Adam, transgredienique præceptum 431.

ceptum debita obedientiæ vincula disrumpit: & ecce paulò post? *Abscondit se Adam & vxor eius à facie Domini in medio ligni Paradisi.* Genes. 3. v. 8. O quid agis, miser homo! vnde, aliàs sic amens, qui te, à Deo abscondi posse præsumis, ad intellectum destinas confugere? Vnde tutas tibi æstimes, ab intellectu, latebras apparandas, cùm nihil priùs, sub tantâ stultitiâ amiseris, quàm intellectum? Non poterat res aliter eueniri, nec aliò confugere decuit, iam amentem: iam deploratū stultum, ipsa ad intellectum suum, fuga, probauit stultissimum. Quippè, nihil vnquam stultius dari potest, quam diuini Regis fugere iudicium, intellectum spernere: vt proprij intellectus iudicio acquiesceret. Philo lib. 2. Allegor. *Consideremus iam vbi abscondatur, in medio, inquit, arboris Paradisi: hoc est in medio intellectu: qui & ipse est tanquam medium Paradisi, videlicet totius Animæ: Nam quisquis à Deo fugit, confugit ad seipsum. Cùm enim duo sint intellectus, alter vniuersalis, qui est Deus, alter suus cuiusque: quisquis à proprio fugit, confugit ad vniuersalem: talis autem relicto intellectu proprio, fatetur nihil esse intellectum humanum, ad Deum omnia referens. Contra quisquis fugit à Deo, negat eum, causam vllius rei, sibi ipsi, quod facit, tribuens.* Vbi deinceps plura vitia stultissimæ huius supputat arrogantiæ. Si igitur Principis intellectus, tot Senatorum consiliis instructus, proximiorisque Numinis afflatus luce, vniuersalem vt dixi, huius prudentiam imitatur: quantum erit Administri delirium, si hoc spreto, intellectui proprio putet adhærendum? Si negotium sic aliter disponat, vt non rescripto Principis prudentissimo, sed astutiæ propriæ, consilio, gestum fortè fæliciter, tribuatur? certè hunc ego, iam cum Adamo rebellem denotarem: qui damno suo oculos aperiens v. 7. cæcus deinde miserrimus remansit: oculatissimus alias futurus, si sub cæcâ obedientia, pœnam interpretandam, Præcepti, non putaret.

Gen. 3. 8.

Obediens sub proprio iudicio stultissimus.

Phil. Iud.

432\. Parum fuerit, si hæc proprij iudicij æstimatio, contra obedientiam, stultitia immanis, nisi etiam sacrilega impietas habeatur. Iustissimæ vindictæ Administrum, contra Amalecitas. expediuit Deus Saulem: cui insuper in mandatis dedit, vt vniuersa eius demoliretur. Venit, vidit, vicit: sed iudicio proprio contumacius adhærens, diuini sacrificij prætextu, pinguioribus gregibus parcit, & armentis, satiùs ducens, ad aram Domino victimas; quàm prædas ad stabulum, furori iugulare. Tunc ad illum Samuel. *Melior est obedientia, quàm victimæ, & auscultare, magis quàm offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi, est repugnare: & quasi scelus Idololatriæ, nolle acquiescere.* 1. Reg. 15. v. 22. Vbi benè post multa ibi D. Gregor. *Tantò ergo quisquis Deum citius placat, quantò repressâ arbitrij sui superbiâ, gladio præcepti se immolat.* Hæc fuit tota Saulis culpa, Arbitrum se Dei constituere: & diuino, iudicium proprium præponere arroganter: quo nihil magis impium. Sed multa hìc veniunt denuò scrutanda. Non cuiuis, impio, *sed Ariolo*, Saul comparatur. Ecquis Ariolus? Hugo Card. ad hunc locum. *Arioli sunt, qui circa aras, in fibris animalium immolatorum, futura requirebant.* Didicit ferè ex D. Isidoro, qui lib. 8. ita. *Arioli vocati, propter quod circa aras Idolorum nefarias preces emittunt: hisque celebritatibus, Dæmonum responsa accipiunt.* Benè ergo proprij Iudicij tenax contra obedientiam, Ariolus vocatur: vt enim iste spretis Dei oraculis, Dæmonis præfert responsa: sic ille conculcato Superioris iudicio, qui quasi cælesti oraculo debuerat obedire: è seipso responsum, quasi à Dæmone, accipit falsissimum. Per animalium fibras, & immolatorum viscera, diuinare tentat Ariolus, ridiculè sub mortis spoliis, ordinandæ vitæ inquirens documenta: Nec aliter inobediens, qui dum sæpè maiorum exempla reuoluit, vt præsentis decreto Principis contradicat: nil aliud quàm per cadauera, ordinem disponendi negotij, & exitum videtur diuinare. Quæ priscis faustè ceciderunt, sibi putat, contra iudicium Principis, (præsentes sed arcanas circunstantias alias recondentis) euentura: an non est hoc fibras mortuorum tractare, & ab his quasi oraculum sperare? Hinc pessimi passim euentus in negotiis. Putauit temerè Saul, gratum Deo futurum sacrificium suum, quia priscorum Patriarcharum & Iudicum sacrificia, in simili negotio viderat gratissima: sed non videbat occultas circunstantias, quibus hìc & nunc, non tàm Sacerdotis, quàm militis gladius, animalibus captis quæreretur: miser ergo dum ex mortuis vult sapere maioribus, omnino desipuit: oculatior longè futurus, si fæliciter cæcus, si non arbiter, obediret.

Obediens, proprium iudicium æstimans Idololatra est, & Ariolus, & cæt.

1\. Reg. 15.

D. Greg.

Hug. Card.

D. Isidor.

Sed emphaticum magis quod additur: *Et quasi scelus Idololatriæ, nolle acquiescere.* In Hebræo est: *Iniquitas Teraphim, nolle acquiescere.* Id est, *iniquitas imaguncularum.* Vbi Glossa Ordin. Marg. *Teraphim, imagines, in quibus futura aspiciebant Diuini.* Vatab. *Simulacra, per quæ futura sciuntur.* O quas imagines, quàm fallaces consulit in mente suà proteruæ contumaciæ Administer! in his tantùm futura aspicit: ab his se æstimat, negotij commissi exitum noscitare: cùm tamen mens nunquam occæcatior, quàm cum sophisticis suis indulget rationibus. Benè citatus proximè Philo, Abrahamum prudentissimum Dei administrum (qui Genes. 15. v. 5. foras eductus dicitur) describens, post multa, subdit. *Intelligere debemus, mentem eductam esse in extima: quid enim proderat reliquisse corpus, & ad sensum confugere? quid sensui valedicere, & rationi sese submittere? oportet enim, vt qui mentem educturus est, relinquat eam liberam, immunem ab omnibus corporeis necessitatibus, instrumentis sensitiuis, ratiocinationibus sophisticis, persuasionibúsque: denique à seipsa.* Scilicet, (quod fusissimè ibi probat) vt diuinæ sic menti adhærescat. At neque hoc scelus satis, inobedienti Administro: quippè non contentus mentis propriæ imagines consulere, asserere rationes, probare iudicia: (quo si impius, nondum tamen Idololatra probaretur) insuper, hinc se Arbitrum Dei constituens, non Ministrum: iam proprium decretum venerabundus exosculatur, & voluntatem, quam hinc putat prudentius institutam, pro Deo colit. An non proinde rectiùs in vulgatâ, scelus hoc *Idololatriæ* appellatur? pulchrè ibi Balduinus, apud Godefr. iam rem ad quosuis Administros & seruos deducens, qui Principi Dominóque instar Dei habendo, parere resistunt. *Seruus non debet herilis imperij esse arbiter, sed Minister. Idolum est autem hominis, quidquid plus, quàm Deum colit, aut diligit. Filiis ergo inobedientiæ, voluntas sua Idolum est, cuius mo-*

433\. Versio Hebr.

Gloss. Ord.

Vatab.

Proprium Iudicium, idolum est, sicut voluntas propria.

Balduin.

tui, contemptâ Dei voluntate sequuntur : & quidquid ipsa iusserit, quasi sacrosanctum adorant. Ecce in quod barathrum, proprij arbitrij tenacitas, inobedientem Saulem deturbauit.

434. Ponderat bene idem Balduinus, cur, cùm in sacris litteris, crines capitis, pro curis & cogitationibus capi soleant : in Ecclesia tamen, diligentissimâ Dei Administrâ, hæ curæ, non in capite, sed ad collum commendentur : *vulnerasti* inquit Christus, *cor meum, soror mea sponsa in vno crine colli tui*, Cant.4. v.9. id est, in vnitate cogitationum tuarum, vt omnes fere explicant: quasi vt comæ in nodum colligantur, sic cogitationes collectæ vnirentur. Cur si curæ sunt, si cogitationes celebrantur : non in capite totius cognitionis arce, & consiliorum Senatu recensentur, sed in collum, tam aliò à notitiarum sede deflectuntur? scio ad collum, comptus ergo, crines dimitti solitos: at in hoc loco, vbi sub hâc metaphorâ cogitationum pulchritudo designatur, potiùs sub alio cultu, scilicet aut ad verticem religati, aut saltem propenduli ad frontem videbantur exprimendi. quid igitur? Respondet aptè idem Balduinus. *Omnes capilli Sponsæ ad collum, vbi est iugum obedientiæ, reducuntur : & in vnum crinem, nodo timoris constringuntur : quia in omnibus semper obedientia, in timore Dei cogitanda est, &c. vnus igitur crinis in collo, vnitas est cordium & cogitationum in iugo obedientiæ:* Habetur apud Godefr. ad cap. 12. Ecclesiastis pulchra sententia ad rem præsentem. Non in capite sunt cogitationes istæ & consilia, vbi tanquam in suo domicilio, vident & ratiocinantur & iudicant: (neque enim nisi in capite Anima his functionibus impendi potest) sed quodammodo extra sedem rapiuntur, vt obsequio magis, quàm notitiâ ministrent obedientiæ: ibi sunt, vbi laborare possunt, iudicare non possunt : Neque obedientia, quæ cæca, fæliciorem se agnoscit, nisi penè cæcas admitteret has notitias : id est quæ solùm videant quomodo ad obedientiæ iugum ire queant, de cetero nil iudicantes, oculatiùs sic causam dispositura. Prudentissimè D. Hieron. epist. ad Celantiam, *Et sanè, nescio an possimus aliquod leue peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur : estque prudentissimus, qui non tam considerat, quod iussum sit, quàm illum qui iusserit: nec tam quantitatẽ imperij quàm imperantis cogitat dignitatem.* Tales ergo Principem loco Dei imperantem, cuperem Administros, quibus eò prudentia cumulatior, quò minùs, nisi obeundi mandati, scrutatrix.

Cant.4. v.9.

Balduinus. *Cogitatio obedientis, non iudicat, sed ministrat.*

D.Hieron. *In obedientia nihil paruum.*

435. Ita est ; nihil enim egregium nihil sanctum ab illis Administris præsumendum : qui superbâ præsumptione, proprium suum, Principis iudicio putant præferendum. Nuntiatur Moysi, duos è senioribus Eldad & Medad, in castris prophetare: neque turbatur : quia bonum esse spiritum, ex prophetiâ, vel prudenti coniecturâ intelligebat. Tunc addit Textus. *Statim Iosue filius Nun, Minister Moysis, electus è pluribus ait, Domine mi Moyses, prohibe eos.* Nume.11. v.28. Nunquid inuidiâ motus rapitur in furorem? absit à tanto viro. vnde ergo coercendos volebat afflatus hos Propheticos? quia non à Deo, sed à dæmone missos suspicabatur: Neque leuis & imprudens suspitio, ex præsentibus, quas tantùm notare poterat, circumstantiis. Vocârat Princeps Moyses septuaginta senes ad Tabernaculum, vt diuini spiritûs participes, prophetarent : venerunt sexaginta octo, & subitò enthei, propheticum numen spirant. ibidem à v.24. At prædicti duo, qui pariter descripti, vocatique fuerant, non venerunt, *descripti fuerant, & non exierant ad tabernaculum.* v.26. non quidem ex proteruiâ, sed ex iustâ aliquâ, licèt occultâ Iosue causâ vt exitus comprobauit. Iste ergo timens, ne fortè illi de contumaciâ non venissent, (quorum scilicet excusatio ignota) proprium suum, Principis iudicio præferentes, quasi accipiendo spiritui, non esset opus è castris, ad tabernaculum ventitare: non temerè suspicatur, vanam & fallacem esse illorum Prophetiam ; Electus enim è pluribus Administer, Principis sui imperia vbiq; exequens nunquam scrutans: nihil egregium nihil sanctum in Coadministris suis poterat æstimare, quorum erga Principem, superbiam in iudicio, inobedientiam in opere præsumebat. Dionysius ibi? *Quare hoc an Iosue? forsitan quia putauit, eos ex superbiâ & inobedientiâ non venisse cum aliis, iuxta Moysis iussionem: ideo dubitauit, an verè spiritum Prophetiæ haberent.* Fallebatur quà homo Iosue: imbutus tamen non temerè priore opinione, secundæ prudentissimus assentiebat.

Numer.11. v.28.

Nihil egregium & pij de Ministro inobediente præsumi potest.

Dionysius.

Arduam, & penè supra humanas vires, eruptionem in hostes, meditabatur Ionathas, dicens ad præcipuum suum Administrum, *Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si fortè faciat Dominus nobis.* 1. Reg.14. v.6. Bini homines aduersùs munitissimam Philistinorum cohortem animantur. Et quidem non miranda Ionathæ audacia, vt enim cum Iosepho, multi volunt, & ex Textu euentúq; colligitur miraculoso, non spem solùm, sed etiam victoriæ pignus iam acceperat. At quæ est Administri prudentia, qui nondum agnito Dei signo, respondet tamen intrepidus. *Fac omnia, quæ placent animo tuo; perge quò cupis, & ero tecum vbicunque volueris*, v. 7. Ita-ne? Princeps Israëlis, Regis parentis amor, populi delitium, spes Reip. tanto exponendus periculo, ab Administro probo non reuocatur, saltem non monetur, aut tandem, vnde inaudito & pleno aleæ facinori impellatur, non exquiritur? an hic non stultitiæ arguendus; imo nunquam prudentior æstimandus. expertus diu nouerat nihil temerè, nihil nisi prudenter Ionatham molitum; vnde neque in præsenti negotio incautè processurum: suarum ergo partium, non tam iudicium, quàm cæcam obedientiam fore meditatus, *non tam quantitatem Imperij*, vt suprà ex Hieronymo adnotaui, *quàm imperantis cogitat dignitatem.* Allucet aliquid versio Lxx. in Sixt. *Fac omne, quodcunque cor tuum inclinauerit : ecce ego tecum: sicut cor tuum, cor meum.* Cor, in hoc loco, (vnde Prudentes, cordati appellantur) non temerè vt sæpe alibi in sacris litteris) de Prudentiâ capi potest; quò ergo inclinabat Principis prudentia, eò ibat administer, prudentiámq; priuatam, ad vniuersalem illam regulabat. vt iam huic videatur infixum, quod postea Religiosis scribit ita D. Cæsareus Arelat. Homil. 18. *Nihil rependas, nihil discutias, in nullo penitus murmurare præsumas: quia in Monasterium seruire venisti, non imperare. obedire potius, quàm iubere. totum sanctum, totum iustum, totum vtile indica, quidquid tibi aut aliis videas imperari.* Sit tibi, aulice mi Administer, in hâc re Palatium pro Monasterio : vtrobique obedientia perfectè exercenda, quæ

436.

1.Reg.14.

Vers.7. *Ministri Principis prudentia totus barras.*

LXXX. Interp.

D. Cæsar. Arelat.

quæ nisi sub hoc tenore despicabilis: hoc tantùm iudica æquum esse quidquid Princeps aliàs iustus imperauerit. Egregium gestum, inuideret sibi Ionathæ Administer, ni fæliciter cæcus obediret: dignus hac obedientia, cui statim Princeps, v.8. arcanum è cælo signum reuelaret: fortasse ideo illud subticens initio, vt deuotam Ministri fidem comprobaret.

IV.

Hæc cæca Obedientia, quò magis pendula, firmior stabilitur: ignara termini, temporis, negotij, manifestat catholicum Administrum.

437. *Obedientia Ministrorum hi firmior, quò magis pendula.* SEd sub hac cæca Principum obedientia, id frequentiùs, tanquam difficilius, queruntur Administri, quòd sæpe in ardua missi, ignari tamen aliquorum (quæ præcognita negotio facere viderentur) soleant procedere. Iubetur Dux facere delectum, parare commeatus, & sæpe mouere castra: nec quorsum tendat, qualis futurus expeditionis terminus, agnoscit. Obsignatas gerit epistolas, quas sub certis spatiis resignet, & has sacras, vtpote quibus, solummodò nouum Principis mandatum sperare, iubeatur. Sic cum togatis Administris, in re simili. Hinc murmura, hinc querelæ: satiùs fore, rem totam ab initio penetrasse, efficaciùs sic necessariis disponendis incumbi: quorsum enim guttatim detur, quod tandem exhauriendum? Iniquus tamen questus, falsum iudicium. Resoluitur imperij vis, si arcana Principis, si Senatus Consilia, vel etiam Administris vulgentur facilè. At quando hæc deessent, nouerint necesse est digniores Magistratus, hanc Principi obedientiam se debere, quàm sibi ab inferioribus extorquent ipsi. Hæc Cæsaris, etiam nondum Monarchæ, Politica, erga commissos sibi à Republ. exercitus. Sueton. cap. 65. *Sueton.* *Non itineris, non prælij tempus denuntiabat: sed paratum & intentum momentis omnibus, quò vellet, subitò educeret.* Hæc pendula obedientia, hæc suspensio dubia, dum torquet durius, cùm ministri animum probat generosissimum, tum Principis imperium stabilit venerandum. Sacra reuolamus.

438. *Gen.12.1.* Vocatus Abraham, audit à Deo: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui: & veni in terram, quam monstrauero tibi,* Genes. 12. v. 1. Non monstratur terra, sed monstranda indicitur: & cùm rem alio & aliò modo, variéque rationem longè aliter videretur dispositurus Patriarcha, si proximior, vel longinquior Prouincia designaretur: tamen dubius procedere iubetur, viæ certus, incertus termini. Quid ita, si prompto animo, vt fas est credere, quouis præmonstraretur, prænoscitur abiturus? Ne tam mercenarius viator, quàm obediens foret Administer: pendulâ enim obedientiâ exercitus; probatur generosior, & cæcus in metam dirigitur oculatiùs. *Hæc pendula obedientia, quàm generosa.* D. Chrysostomus tom. 6. homil. de Abraham, *D.Chrysost.* *Nec dixit quidem illi Deus, in quem locum eundum esset: at nullo eum nomine designans, ipsius animum exercuit, ac tentauit. Si enim illi dixisset, in terram te sum lacte melléque manuitem abducturus: tunc non voci diuinæ Abraham paruisse, sed terram terra pratulisse reperiretur.* Quasi sic dubia hæc suspensio, perfectæ obedientiæ prærequiratur, vt absque illa, non tam obedire Principi Minister, quàm sibimet consulere reperiatur. Quid enim faciunt Hispani Proceres, si nauigare iussis, Mexicana, aut Peruana prouincia, regenda designatur? illud laudi dandum, quòd instructissimâ classe dubij nauigent, an cum Mauris, an cum hæreticis, sit sibi decertandum: an appulsuri portui amico, vel hostili: an perpetuò cum ventis atque fluctibus præliaturi: incerti diu, donec epistolâ Catholici Monarchæ, sub tali & tali resignanda articulo, reddantur certiores. Non stat aliter ratio Principatus.

Seuerius quidem fuit illud aliud, eiusdem, ad eundem Administrum, Domini præceptum, de filio immolando: sed pende verba: *Vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum, super vnum montium, quem monstrauero tibi,* Genes. 22. v. 2. 439. *Gen.22.2.* Non satis fuerat, sub pendula dubij cruce, probari semel probum Administrum; iterum, sed longè strictiùs, retentatur. Erat terra illa, vt plurimùm diuersis montibus eleuata, ideo Deuteronom. 11. v. 11. dicitur *montuosa*, quoties *Deut.11.11.* ergo pius pater, (non quidem segnis obediendo, sed necessario naturæ sensu tactus) montem cerneret, toties renouato dolore pungeretur. & sub dubio, an is esset designandus, lanienæ cordis certissimæ indulgeret. Chrysostomus citatus, *Neque montem illi indicauit, sed ex montis incertitudine, maiorem illi tristitiam iniecit.* *D.Chrysost.* Certè maior iam tunc, cùm auditur incertus Mons: sed in dies, ad cuiusuis conspectum cumulandus. Pulchrè D. Basilius Seleucus orat. 7. ex versione nostri Claudij, ad hunc locum, *Neque cædis locum notum facit: montium producit numerum, capiens morum specimen,* *D.Basil.* id est (quidquid scioli, quod ignorant, argutentur:) examinans Patriarchæ mores, & quale virtutis specimen præberet. Nihil latinius. Sed pace mei Claudij, licèt mens sancti Doctoris aptè sic exprimatur, emphaticoterōs tamen ex Græco verti debuit: habet enim Basilius βασανίζων τὸν τρόπον, id est, *ad quæsturam tormenti, deducens mores.* *Hæc obedientia virtutis est examen.* Quid enim propriè sit βάσανος, vnde βασανίζω, nemo vel leuissimè Græcis tinctus ignorauerit: id ergo vult Basilius, sub hoc dubio, quasi in equuleo Abrahami fidem, & amorem in Deum contorqueri, nouo cuiusuis montis aspectu, quasi strictiori lacerantis funiculi nodo sæuius discerpendus: neque tamen vel leui repugnantiæ nutu, nedum verbo, prompti animi propositum violaturus. Quæris quid tam arduo tormento exquirat Deus? idem quod suprà, terram indeterminans, scilicet obedientem probare. Dixerat ad locum priorem Lyranus, *Adhuc reuelationem terræ ei non reuelauerat, vt ostendatur obedientia Abrahæ ad Domini mandatum, etiam ad locum indeterminatum.* *Lyranus.* Eò ergo in hoc secundo dubio clarior obedientia, quò præceptum asperius: verumtamen vtrobique, nisi pendula non placeret.

440. *Hæc pendula obedientia imposita tātum abest à tyrannide vt sit germana ratio Principatus.* Est tamen adhuc alia Administrorum querela, vt æquè frequens, sic & latu dutior. Esto, inquiunt, incerti viæ terminum perquiramus: sed ecce accedimus, & subitò noua ambiguitas, iterata perplexio: monemur ibi adesse, sperare nouos ordines: nec rei exequendæ facti certiores, neque

neque quamdiu, apud infensissimas quandoque gentes, sit nobis immorandum, agnoscentes. Ecquid est aliud in miseros Ministros tyrannidem exercere? Absit calumnia: Non hæc Tyrannidis, sed æquissimi Principatûs dispositio est: diuinam Politicam, sub his obedientiæ pendulæ necessariis arcanis, Princeps æmulatur. Furente Herode, ait Angelus ad Iosephum. *Surge, & accipe puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum: & esto ibi, vsque dum dicam tibi.*
Matth. 2. 13. Matth. 2. v. 13. Prætereo, quæ multa D. Chrysologus serm. 150. & 151. aliique passim Patres ad hunc locum, de exilij huius miseriis, de barbaræ Prouinciæ, vbi commorandum, disseruerunt. Id solummodò inquiro, cur Ioseph aliunde prudentissimus, ab Angelo temporis durationem supprimente, hanc non exquirat? Licèt pauperi, domesticæ tamen supellectilis tenuissimus saltem aderat apparatus: nec quantus pro pueri tanti educatione, conuehendus, prudenter, nisi sub notitiâ moræ præcognitâ disponeret. Quid ergo tacet? nouerat Imperantis prouidentiam: illi iudicium remittens, solùm obedientiæ allaborat, quam videbat eò Deo gratiorem, sibique vtiliorem, quò magis pendula contorqueret.

D. Pet. Chrysol.

D. Ioan. Chrysost.

Chrysost. ibi. Homil. 8. post alia. *Vir erat fidelis, neque curiosè reuersionis tempus inquirit, quod vtique ab Angelo, non significatè fuerat expressum: sed esto ibi, inquit, vsque dum dicam tibi. Verum ille, ne ad istud quidem factus est segnior, sed obedit & credit: omnes prorsus tentationes cum gaudio sustinendo.* Et quidem pulchrè, *obedire & credere* coniunguntur: Nam etiam erga Reges & Superiores quosuis, hæc fæliciter cæca obedientia, fidei quodammodò sibi induit colores: omnia ab imperante, vbi aperta non est culpa, credit iustissima, & instar fidei, quò cæcior dependet, attingit oculatior, de quo bellè in Epistolâ suâ Magnus noster Ignatius.

Obedientia hæc, fidei coniuncta.

441. Et fortasse ideo apud Catholicos Administros, (notate Aulici) facilior hæc pédula & cæca obedientia, vtpotè quibus cognata eiusdem fides, est domestica: Infidelibus autem hæreticis, vt plurimùm blasphematur. Aduerte mihi sic in hoc loco cæcam & pendulam obedientiam, Angelum Iosepho indixisse, vt puero ipsi rerum Domino, Patris Sapientiæ, præcipuè indicta habeatur: ipse transmigrat, ipse fugit, ipse seruo Angelo, sed loco Dei imperanti obedit; & aliùnde omniscius & omnipotens, non solùm obedientiam, sed hanc quodammodò piè cæcus & pendulus exercet. Quid ita? Euangelio suo exemplar se ipsum præbet, & qui pendulam hanc cæcitatem, à suis exposcit, priùs, quantùm res postulat, eandem patitur; vt hoc maximè charactere Pseudoeuangelium condemnet Hæreticorum, quibus inobedientia erga Principes frequenter commendatur. Quanta insania! hinc se Dei filios, & liberos & ingenuos iactare, quod nec Principi Ecclesiæ, imò sæpè, nec sæculari, obedientes deseruiant, idque asserri per Christum, (vt garriunt) in libertatem: cùm tamen ipse Christus seruire passim, obedire hic Angelo agnoscatur.

Hæc obedientia, hæreticis cur inuisa.

Salmer. Audiendus Salmeron tom. 3. Tract. 44. ad hunc locum. *Cæcam, Domini Angelorum exigit obedientiam, Angelus: quam & præstat filius Dei: in quo docet nos obedientiam præstare Superioribus nostris. Nam ille maior, Sapientior, & Sanctior, inferiori Angelo præcipienti obsequitur: & Maria, Iosepho minori, paret: quidni tu Parenti tuo, &c. Et Regi tuo rem gerens? Euangelium enim nouum, tales fructus habet, qui apertè indicant non esse ipsum verum. Nam primò docet non obedire: ait enim noli parere Papæ, vel Concilio, &c. Deinde progreditur, & inquit: noli obedire Regi, vel Imperatori, aut Principi tuo. Atque ita omnem eneruat obedientiæ vim, nouum istud Hæreticorum Euangelium.* Probet igitur se Administer probus, inde Catholicum, quòd faustè cæcus, quod hilariter pendulus, non discusso morarum tempore, obediat.

In Administros sibi fidelissimos, adoratores 442.
Reges, sapientissimos Magos elegit paruulus noster obediens, sed Regum maximus Dominus dominantium: & additur de his statim: *Responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem: per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.* Ibid. v. 12. Quanto ænigmate, quam pendulâ probantur, anxietate? O quid agitis, prudentissimi viri: si Deus est recèns natus infantulus, quid timet hominem, quid Herodem formidat? Sed esto Deus, qui stellam in nuntium expediuit. Cur tamen qui venientes, eiusdem occulto robore animati, Herodem & eius satellites, turbatúmque exercitum spreuistis: aspectu, acceptaque pueri gratiâ, longè animosiores non redibitis? cur quasi exules & fugitiui, per aliam viam dimissi conticetis? Erant fideles, erant iam Catholici: Principi suo iudicium rei agendæ: sibi cæcæ & pendulæ obedientiæ gloriam, tanquam boni Administri reseruabant. D. Chrysost. Homil. citatâ. *Ad cuncta tractabiles sunt, & æquanimes, nihilque omnino turbantur: neque ipsi secum disputant, dicentes: si magnum quiddam esset hic puer, & potentiæ aliquid obtineret: quid opus esset fugâ, occultòque progressu? cur enim nos, qui palam ac liberè venimus, nec tanti populi fragorem, nec Tyranni furorem pauentes: quasi exules quosdam, ac fugitiuos, Angelus ciuitate propellit? Verum nihil omnino tale, vel ore proferunt, vel mente concipiunt. Hoc est enim, Fidei insigne: ne inquirat rationem eorum quæ imperantur: sed tantùm vt iussa capessat.* Mira sententia! non dixit. Hoc esse *Fidei insigne*; ne inquirat rationem eorum, quæ creduntur: Sed, *eorum quæ imperantur*: Nec vt dogmata; sed, *vt iussa capessat*: quia fideles isti Administri, sic cæcam obedientiam tractabant instar fidei, vt iam vtramque colerent in vtrâuis Redeo.

Matth. 2. 12.

Hinc fideles, Catholicique Ministri probantur.

D. Ioan. Chrysost.

Iniquè igitur queritur Administer, quòd non 443.
solùm viæ terminus, sed insuper morarũ tempus illi abscondatur: non est hæc Principis Tyrannis, sed ratio Principatûs, & prudentiæ dispositio: non à Principis iniuriâ, sed à rebelli, Administri, impatientiâ, oriuntur querelæ. Homo, impatiens vbique Animal, ad breues temporis moras impatientius, quidquid hinc fert malè, imputat peiùs: quem à brutorum Politicâ, instituit, ad pudorem D. Zeno Veron serm de Patient. vbi post multa, ita. *Quid Auium diuersarum decora commercia, litteráque? Quid arduis volatibus, aëriæ grues? Quid piscium dissimilium, cum suis sibi ductoribus, gradata ætatis, innumerabiles cunei? Nónne, cùm inuitationi temporum parent, solennisque remigij specioso discursu, vel aquas sulcant, vel aëra distinguunt, & patienter veniunt, & patienter excedunt? Solus homo præceps, solus impatiens, prauis quotidie mobilitatibus*

Homo, impatiens animal obediendo.

D. Zen. Ver.

Impatientia mala.

tibus gaudet, varietatibus studet: miserum se putat, si ipse sit: nec intelligit rem dementia esse consimilem, in statu suo non manere. Impatientia enim, quid est nisi mens lubrica, promotionibus crebris & rapidis se semper expugnans? Incultior iam brutis Administer, si tempus præuertat, si festinet reditum, si moras incuset: atque ad veniendum, vel excedendum, non id saltem dat pendulus, arcano Principis imperio: quod tacito naturæ impulsui, bestiæ concesserunt.

444. Conscius futuri diluuij, ignarus temporis, ædificat Noë Arcam, in refugium & integri sæculi laboribus, tandem perficit. Sub tanto rerum metu, sub tam arduo, instantis cladis periculo, nihil priùs, nihil antiquiùs illi habendum videbatur: quàm, vbi perfectam vidit, ingredi festinanter: & tamen expectat, Deum auditurus dicentem: *Ingredere tu, & omnis domus tuà, in Arcam*, Genes. 7. v. 1. Si reuelante Deo iam agnouerat, in quod arca ministerium pararetur. si instantem aliunde plagam timet iustissimè, & se à Deo, in renouati Orbis seminarium, audierat apparari: quid incurreret culpæ, si absque nouo monito Arcam ingrederetur? Fortasse aut nulla ibi culpa foret, aut leuissima: nihilominus, qui se dignum probare studebat, qui solus tanti operis Administer fuisset electus, non debuit quasi impatienter festinans, moras temporis metiri, sed domino relinquere ponderandos: illa sub impendenti diluuio, pendula obedientia, non scrutans tempus, sed iussa capessens, idoneum planè Ministrum demonstrauit. Idem D. Zeno ibidem, *Noë cataclysmum, quo omnis caro funditus deleretur, denuntiante Deo, imminere per momenta, & credit & timet: arcámque cum suis, vt salum foret, quam iussus est facere, non præcipiti festinatione compingit, nec tantum munus, quasi præsumptor & demens rapit: sed patienter ædificat, patienter exornat, patienter varijs animantibus replet: quando ingredi iubeantur, quando ianuam claudere, patienter expectat. Dignus euadere, qui in tanto Orbis metu, non festinauit euadere.* Tam pulchræ gnomi aliquid addidisse, fœdasse fuerit.

Gen. 7. 1.

Patientia obediendo probat Ministrum.

D. Zeno.

445. Iam ergo & Termini, & Temporis ignorantiam, sub pendulæ obedientiæ fælici cæcitate, solùm temerarius in Principem Administer incusauerit. Sed neque rei ipsius gerendæ occultam seriem, & certis interuallis instillatam notitiam, meritò in querelam trahi, iam breuiter ostendamus. Deiicitur Paulus Act. 9. in Apostolum, ex aduersario, erigendus: *& tremens ac stupens dixit, Domine quid me vis facere.* v. 6. illi se totum deuouens ad obsequium, cuius paulo ante doctrinam, ab Orbe funditus vouerat extirpare: tunc Dominus: *surge, & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere.* v. 7. Sed tanti ne erat, occultare tunc, quid sibi faciendum, cùm paulò post, id esset in ciuitate auditurus? tanti. Egregium Ecclesiæ suæ administrum, in Paulo, sibi apparabat Christus: quem proinde sub charactere pendulæ obedientiæ in primis necessario, fere per totam vitam circunducturus: (Nunc satis illud eiusdem Pauli: *Ecce alligatus ego spiritu, vado in Ierusalem, quæ, in eà ventura sunt mihi ignorans: nisi quòd Spiritus S. per omnes ciuitates mihi protestatur dicens, quoniam vincula & tribulationes Ierosolymis me manent.* ibidem cap. 20. v. 22. parco aliis: Ergo ab ipso vocationis initio, in ipsis incundi cursus carceribus, quasi

Act. 9. 6.

v. 7. *Cæca obediētia pulchrū examen.*

Cap. 20. 22.

præmisso examine, hanc illi obedientiam imponit. ideo Chrysostomus ad hunc locum, homil. 19. *Vide quomodo, non statim omnia illi reuelat: sed solùm illius mentem præmitigat.* Et quidem quòd spiritus, sub tanto stupore ac tremore concussus, solâ pendulæ obedientiæ insinuatione, quiuerit mitigari: & ardorem, exquirendæ festinanter notitiæ, comprimere: iam, qualis futurus postea Paulus, indicabat: qui non tunc cæcus magis videndo, quàm obediendo cæcus, faustè permansurus: neque tot illi paulo post, videndæ luci, ab oculis corporeis squamæ ceciderunt: v. 18. quot indies, non discutiendis iussis, menti suæ, squamas fæliciss imè obducturus. D. Chrysost.

V.

Obedientia Administri prompta, cerea, liquefacta: nec honor, nec quæstui studens.

AB hâc igitur obedientiâ, non solùm externum opus, sed affectum, & insuper iudicium subiiciente, neque discussis causis, arcanum Principis mandatum syncerè exosculante: redduntur Administri proni, prompti, & ad quoduis Imperium tractabiles & cerei: quo nihil fælicius Reip. euenit, nihil contingit salubrius. Acutè pungit Hugo de Foilleto, apud Godefr. inobedientes Monachos, dum allegorizans crimen illud immane Sacerdotum, qui non coctam sed crudam carnem, idque quando, qualem, & quantam postulabant. 1. Reg. 2. sic scribit. *Carnem crudam icirco desiderant, vt quod, & quomodò, & quantùm velint, sibi coquant. Tres sunt quidam, qui morantur in claustro, quasi in Silò: qui nihil aliud faciunt, nisi quod, vel quomodo vel quantum volunt.* Tales & plerunque praui Principum Administri: rude & quodammodo crudum negotium, committi sibi cupiunt, pro libito deinde suo disponendum: Principis pro singulis rerum articulis præscripta, Senatus decreta, ordines frequentes fastidiunt: vinctos se queruntur, & instar infantium non tàm iustos gressus, quàm cespitantes motus sibi concessos. Hinc tædium, ignauia, difficultas. Pareant cæci fæliciter, & faustè penduli: obediant non disponant: tunc adnotabūt experti, quàm suauiter, quàm expeditè gradiatur: hic est enim vt necessarius, si etiam generosissimus huius obedientiæ effectus. Vnde Dauid de mandatis diuinis, *Etenim seruus tuus custodit ea: in custodiendis illis retributio multa,* Psal. 18. v. 12. vbi Vatabl. vertit, *etiam seruus tuus præcipuè illis admonetur, &c.* & quasi tàm prompta esset obedientia, vt admonitio mera, iam pro verâ custodiâ haberetur: idémque audire, & obedire, intelligatur. Sic iterum Psal. 77. de Iustis: *vt mandata eius exquirant,* v. 7. vertit idem Vatabl. *Mandatáque eius obseruent.* quia de cætero cæci, solummodò exquirebant, quod obseruarent.

446. *Inobedientia character, qualis.*

Hugo de Foilleto.

1. Reg. 2.

Obedientia sit prompta. Psal. 18. 12.

Vatabl.

Psalm. 77. 7.

Vatabl.

Resistebat Pharao Moysi, & Aaroni, ne Populum dimitteret: *quis enim*, inquit, *est Dominus, vt audiam vocem eius?* Exod. 5. v. 2. quia etsi barbarus, nouerat, erga verum si is foret, idem esse audire, & obedire. Sed maius est, quod sancti 447. Exod. 5. 2. *Audire, & obedire, pe[r]inde sit.*

respondent Administri. *Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro.* v.3. Pende verba: *vocauit nos*, inquiunt: vel vt alij legunt, *occurrit nobis* & cætera, quæ suprà dixerat Deus cap.3.v.18. vtrobique enim sic formantur verba, quasi illis non præcipiatur sacrificium: sed tantùm vocatio, siue occursus exprimatur: clariùs tamen cap.3. citato: *Dominus Deus Hebræorum vocauit nos, ibimus viam trium dierum in solitudinem, vt immolemus, &c.* vnde in cap.5. illud *vt eamus*: non tàm quasi ex præcepto imperantis, quàm ex audientium desiderio, explicandum: q. d. ille vocauit, vel occurrit nobis: & quamuis nil aliud addiderit de sacrificio, nobis tamen satis ille occursus, vt eamus sacrificatum: vnde bene vertit Vatabl. *Vocauit nos: liceat nobis quæso, vt eamus, & sacrificemus, &c.* Probabiliter satis Textus seriem, sic aliqui concatenant: nunc ad rem. Cur, dicat aliquis, sic disponendam sententiam voluit Deus, vt illis non videretur sacrificium præcepisse: cui aliunde, tanquam Domino gratum, ipsi properarent? vt tales intelligeretur habere Ministros, qui ad leuem vocationem, ad primum occursum, eiusdem voluntatem, nondum auditam, præ voto ardentissimo obediendi, diuinarent. Oleaster ibi, *Disce hic, qualiter Deo tuo obedias. non dicunt, Deus Hebræorum nobis hoc præcepit: sed tantùm, occurrit nobis: & statim, quasi diuinantes voluntatem eius, volunt ire viam trium dierum. Gens, ait Psalmus, quam non cognoui, in auditu auris obediuit mihi.* Hæc est enim generosa obediendi voluntas, quæ Principis sui diuinat voluntatem.

Vatab.
Verus obediēs diuinat voluntatem Superioris.
Oleaster.

448. Peccat insanus Israël, & in deserto vitulum adorat: tunc vindictam jam Domino distringenti, intercedit Moyses dicens, *Aut dimitte illis hanc noxam, aut dele me de libro, quem scripsisti.* Exod. 32.v.32. An non Populus, sæpe iam contra Moysem obmurmurarat? an non tunc maximè v.1. quasi virum lenem mordebat, qui titulo colloquij diuini, eò abiret, vnde non rediturus? ita est. Aliunde Moyses à Domino ne, audierat, diligendos inimicos? nullo modo: sic enim res se tunc gerebant, vt etiā deinceps lex, de dente pro dente, & oculo pro oculo eruendo, irrogetur. Vnde ergo tam sollicitus orat pro inimicis? Nouerat se Dei administrum, & negotiis grauissimis præpositum: indignúmque tanti muneris se putauit, si, solùm sibi præceptis obediret promptus; nec tacitam Domini voluntatem exequeretur. Scilicet præceptum hoc arduum, quod legi gratiæ seruabatur, vellet etiam Deus Iudæis obseruandum: non tamen imponebat, quod contumaci illorum ingenio, ad lapsum frequentem potiùs, quàm ad virtutis progressum, præuideret futurum. Moyses ergo Domini voluntatem quodammodò prædiuinans, inde pretiosiùs obedit, vnde coniectat remotius. Fauet D. Chrysostomus Orat.3. de Cruce. apud Greths. vbi adductis aliis exemplis legis nouæ, circa inimici diligendi præcepta: sic concludit, *Vis & alios videre, non ex nouo, sed ex veteri testamento, qui idem fecerunt? tunc enim maximè admirandum est, quando illi, quibus non est imperatum inimicos diligere, sed oculum pro oculo, & dentem pro dente eijcere, & par pari referre; ad Apostolica perfectionis culmen euadunt. Audi quid dicat Moyses, toties à Iudæis ca[illegible] appetitus. Si dimittis, &c. Nihil peccasti, cur vis esse* particeps supplicii [illegible], inquit, *fælicitatem: si alij rebus aduersis co[illegible]ntur.* Hæc fuit certè optimi eius Administri, & pene ante Christum, Christiani, præclarissima obedientia, tacitam Principis sui implere voluntatem.

Exod.32.32.
Obediens generosus non solùm expresso præcepto, sed voluntati tacitæ se subdit.
D. Chrysost.
Charitas, ut se fælicē putat, alijs infælicibus.

449. Neque mirum diuinent obediendo, qui, quod prudenter cæci ducantur, obedientiam habent in deliciis; solemus enim, quæ cupimus ardenter, diuinare. Quàm cæcus ad obediendum duceretur Abraham, & suprà indicaui, & Patres, cum Ignatio nostro, fusè probant; at pende ex hac fælici cæcitate, quàm ardens, quàm strenuus procedat. Accepto mandato additur statim: *Igitur Abraham de nocte consurgens, strauit asinū suum*, Genes.22.v.3. Is erat Patriarcha, qui pridem, nondum ita opulentus, plusquàm trecentos vernaculos suos numerauit, quibus hostilem exercitum pessumdedit: nec tamen vlli ex his, vilissimum sternendi asini officium committit: quia ardens obediendi desiderio, moras longas putauit, si aduocandi serui ministerium expectaret: si vt diem, sic etiam huius manus non præueniret. Lyranus ibi, *Strauit asinum suum ad portandum ligna, quæ erant necessaria in sacrificio holocausti; & notandum, quod ipsemet strauit: non enim expectauit, quod seruus suus surgeret ad hoc faciendum, ex desiderio ferventis quod habebat, ad implendum Dei mandatum.* Et planè feruidissimum desideriū, qui sic breues moras, vel etiam seruili officio putauit redimendas: quasi iniquitatem putaret cæcus & hilaris obediens, si quid minimum pigritiæ in opere pullularet. Hinc Salomon, *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger his, qui miserunt eum*, Prouerb.10.v.26. Lxx. in Sixt. vertunt, *Sicut vua acerba dentibus noxia, & fumus oculis: sic iniquitas eis qui vtuntur ea.* Vt iam nouerint probi Administri, non solùm violatâ, sed etiam pigrescente obedientiâ, deputandos iniquos.

Obedientia, impiger in mandato ardens, & prompta.
Genes.22.3.
Lyran.
Pigritia obedientis, iniquitas est.
Prou.10.26. LXX. Int.

450. Hinc prouenit, vt qui tam cordatè cæcus, omnia Principis sui imperia, (vbi apertum scelus non cernitur) iusta putat, & æqua arbitratur: non solùm hilariter, & ardenter in illa feratur, sed facilis & flexibilis in omnia appareat: & quasi cereus, ad libitum Principis, non solùm quouis flectatur, sed etiam in varias veluti formas, impresso Regij mandati sigillo commutetur. Monebat Dauid Rex fideles subditos, quales se erga Deum essent gesturi, subdens post multa, *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra*, Psalm 94.v.8. id est, ne lapidea corda, sed carnea, cerea, & flexibilia Domino exhiberent. Et quidem mirum sic anxiè id passim à Prophetis commendari, qui alioqui probè nouerant, quàm facilè petrinus obdurati cordis rigor à Deo molliri possit, qui olim leui digito, lapideas etiam tabulas insculpsit: obrigescat quantumuis cor humanum, penitus lapidescat, conanti tamen Deo, nunquam veniet impenetrabile. Quid ergo quasi maximè necessarium commendetur, quod solùm æquius, & congruentius videri potest? Quia vox diuina non solùm immediatè à Deo, sed etiam mediis vicariis eiusdem, Principibus scilicet & Superioribus, in nos transfunditur, nec sibi putat vnquam obediri, si Principibus nostris repugnemus. Meritò igitur cerea corda poscit, obediendo Principi omnino necessaria, qui licèt imperaturus à Deo ipso participet potestatem: non tamen obediendus, pares molliendis cordibus vires, vni supremo

Vera obedientia, flexibilis & cerea.
Psal.94.8.
Idque varijs sigillis accipiendis.
Galfrid.

mo Domino reseruatas, debuit accipere. Pulchrè Galfridus, ad cap. 5. Matth. *In tabulis cereis, vel ceratis, ad arbitrium suum stylus hominis notat, & delet: scribit, & corrigit, mutat, & auget, & minuit; quod ad Præpositi spectat officium, &c. Nolite ergo obdurare corda vestra, charissimi: Nemo contumax, nemo rebellis appareat, improbus, inobediens, obstinatus: in lapideis tabulis solius Dei digitus scribit, qui potens est de lapidibus filios Abrahæ suscitare.* Quàm ergo Reipub. necessaria est Administrorum obedientia, tam Administris, hæc cerea voluntas prærequiritur: nunquam talis futura, (vt bellè D. noster Patriarcha comprobauit) sub rebelli iudicio, an benè, an malè sibi imperetur, contumaciter discernente.

Galfrid.

451. Parum tamen adhuc, si in ceram voluntatem efformaueris: liquefiat insuper hæc cera, necesse est. Hinc vox illa Ecclesiæ, & cuiusuis ex optimis Domini Administris. *Anima mea liquefacta est, vt locutus est.* Cant. 5. v. 6. Vbi pulcherrimè ad rem nostram hæc adnotat Gellibertus serm. 44. quasi è cereo hoc fauo mel instillet. *Non cernitis quod liquescit, qualiter quodam rigore, & immobilitate moueri incipit? seipsum egredi, & deserere nititur: de tumore, & mole pristinâ defluit, descendit, & euanescit. Seipsum ducentem, & ad humiliora loca, facilè sequitur, vel eadem, per seipsum sectatur, præcurrens frequenter ducentis conatum.* Nihil fælicius Principi adueniret, quàm sic liquefactos sortiri Administros: quis enim militum vilia ministeria recusaret, ad quæ promptus & quasi liquefactus Dux descendit, non tàm Principis sui imperio speratо, quàm quasi diuinato conamini, iam præcurrens? Non est hoc perspicacis cuiusdam obedientiæ opus, quæ honori suo, à vilioribus timet ministeriis: quæ semper tumorem suum nititur conseruare: sed perfectissimæ illius obedientiæ, quæ nihil iudicio suo tribuens, amore Principis, bonique publici fæliciter obcæcata, humile quidvis sibi decorum putat, dummodò decori publico ministrauerit. Hoc est quod subdit ibidem Gellibertus. *Magna in liquefactis ad sequendum mobilitas, & prompta voluntas: intelligitis iam, vt arbitror, ad obediendum, aptitudinem grandem, humilis animæ affectum tractabilem: hanc humilitatem, non metus infringit, sed calor amoris informat: metus, mentem violenter infringit, amor emollit: & teneram ac liquidam reddens infringit ad libitum: humilitas de charitate profluens, nil molestiæ patitur, vltrò ad imum tendens, quiescens, cùm apprehenderit inferiora.* Hæc est tota cuiusuis Reipubl. miseria, quod Administri tumidi, inferiori, sed necessario muneri addicti, non quiescunt: rebelles semper, dum inhiant maioribus, vires obeundo officio impendendas, altiori gradui impendunt ascendendo. Quos grauiter coarguit, exemplo Christi subditi Parentibus, Luc. 2. v. 51. D. Anton. de Padua, serm. Dom. 1. post. Epiph. his verbis. *Miser homo, manibus & pedibus reptans ad honores, sui dedecoris gradum nititur ascendere. Et bonus Iesus, ad interrogationem piæ Matris, vsque ad triginta annos negotium distulit, quod inceperat duodennis: & de templo, in quo in medio Doctorum sedebat, descendit.* Sic enim obedientiæ cæcæ, Magister cælestis optimè ostendit (Deus ipse aliunde, id est, increata Sapientia, dignitas immensa) cuius honoris gradui obediendi tenorem præferendum.

Obedientia, non vt cera, sed ipsa liquefacta. Cant. 5. 6. Gillibert.

Liquefacta obedientia præstantia.

Gillibert.

Superbia obedientiæ inimica.

Luc. 2. 51. D. Ant. de Padua.

Absit ergo ab Administro meo, contumax pertinacia illorum, quos initio arguebam, qui non nisi crudam carnem, id est, rude imperium capessunt: qui solummodò dum honoris vel lucri spes affulserit, nôrunt obedire. Cœnabat Minister proditor cum Christo, corde tacito meditans contractum impium: ad quem porrectâ buccellâ ait Dominus: *Quod facis, fac citius.* Ioan. 13. v. 27. Et tamen cùm nullus discumbentium intelligeret, & alij aliò verba ducerent, vt notat Euangelista: solus Iudas re perceptâ, & quasi parens imperio, illud nulla positâ morâ pergit executurus. *Cùm autem accepisset ille buccellam, exiuit continuò: erat autem nox.* Vers. 30. Mira diligentia; non sperauit Iudas diem, sed instar Abrahæ, licèt tàm alio affectu, sub ipsâ nocte maturat obedientiam: scilicet, quia hanc vnam ex voto sibi videbat prouenire: & qui cæteris dominicis mandatis semper obduruerat: huic vni, obiicienti potiùs, quàm decernenti perfidiam, totus mollescit: Origenes ibi, in Cat. Aur. *Sic igitur, Iudæ Saluator dicebat: quod facis fac citius: atque proditor, in hoc tantum, ad præsens, obedit Magistro: accepto namque pane, nullam traxit moram.* Talis est improborum Administrorum agilis ad obediendum celeritas, si quid ad votum illis præcipiatur: qui ad cætera tardi, inflexibiles, non obsequendi studio cæci, sed scelere obcæcati, cum immanissimo Iuda obdurescunt. At probus Administer audiat Salomonem. *Receptus est Regi minister intelligens: iracundiam eius inutilis sustinebit*, Prouerb. 14. v. 35. LXX. in Sixt. vertunt. *Acceptus est Regi Minister intelligens: sua autem agilitate aufert ignominiam.* Vbi noster Salazar. *Hic prudens atque intelligens Minister, ideo Regis sui beneuolentiam & gratiam iustè init, quia suâ industriâ, & expeditâ promptâque ad res peragendas solicitudine honori Principis sui decorè prospicit, & omnes pudoris occasiones arcet.* Sed de hâc promptâ, flexili, & in varias formas mutatâ obedientiâ, in Spicilegio iam abundè dictum.

452. Prauus Minister solum in sibi placitis, obedit.

Ioan. 13. 27.

Origen.

Prou. 14. 35. LXX. Interpr.

Salazar. Ministri obedientis laus.

VI.

Prædicta obedientia sit strenua: perseuerans, & prudenter scrupulosa.

Svbdo alias, prædictæ obedientiæ prærogatiuas: quòd strenua; quòd continua; quòd non ex imprudentiæ vitio, sed ex ardenti placendi desiderio, degat scrupulosa: Percurro breuiter singula. Nihil ita arduum, nihil ita periculosum, quod ab Administro probo, cùm fuerit necesse, non veniat in Reipubl. vtilitatem exigendum: imò quò iste melior, eo crebriùs reddendis strenuitatis suæ fructibus impendendus. Sed cur, inquis, tam magna anima, virtus sic excellens, tot casibus exponatur? Respondet ex optimâ Politice Cicero Orat. pro L. Man. contra eos, qui magnum Pompeium, iniquè in tot discrimina, à Senatu expediri, iactare visi. *Quominùs certa est hominum, ac minus diuturna vita, hoc magis Resp. (dum per Deos immortales licet*

453. Obedientia, in rebus difficilibus, strenua ita.

M. Tullius.

cet, frui debet summi hominis vitâ, atque virtute.* Nemo enim meritò inter egregios Administros venerit numerandus, qui vitam alias fragilem, malit in lecto, per morbum languidum, quàm per gloriosum vulnus, fundere in bello: & potiùs corpori deridi per ignauiam, quam per pericula, gloriosæ obedientiæ, dotes sacrificare. Parum est tamen frui per tot pericula, generosi Administri vitâ, atque virtute, quando id vtilitas publica postularit: Nemo ita effrons, qui obedientiæ tunc resistat, cùm priuatis communia præferuntur. Illa illa est strenuior obedientia, quæ periculis exponitur, communitate in tuto collocatâ. Nisi fortè dixeris, (& quidem me iudice, prudenter) iam satis boni communis, Principem erga Rempubl. aucupari, dum tàm arduo obedientiæ priuatæ exemplo, cæteri animantur.

454. *2 Reg. 22.* Obsessam Patriam liberaturus Dauid, mouerat castra. 2. Reg. 22. & interim aquam, ab eiusdem cisternâ, ardens suspirat, non petit imperiosus. Insinuatam Principis voluntatem tres fortissimi Duces aucupati, hostibus per immensum periculum penetratis, aquam asportant. *Erat* inquit *D. Ambros.* Ambrosius citandus. *Inter lacum, & sanctum Dauidem, interfusus hostis, & media hostilium septa castrorum. Praeciderunt tres viri multitudinem aduersariorum, & impleuerunt aquam de lacu, qui erat in Bethlehem, & obtulerunt Regi bibendam. Sed Rex noluit bibere.* Vbi multa, & *Quomodo Princeps, suorum obedientiam probare debeat.* Textui & moribus aptissima. Sed cur non bibit, si tamen sitiebat? Si non sitit, cur suspirarat? Si auidum, aliò quàm indulturus siti, duxerat suspirium: cur expressè non præcipit afferendam? Omnibus videtur respondere idem Ambros. 1. Apolog. cap. 7. *Exercuit subditos ad virtutis efficium, vt etiam per pericula, regali imperio, voluntarij milites obtemperarent. Quod autem noluit bibere, declarauit probandorum militum se imperasse gratiâ, non sitis victum necessitate; prospexisse etiam, ne cui Regum, bibendi vsus, alienis periculis quæreretur.* *Voluptas Principis, periculo subditorum non quærenda.* Expendi iam in Concept. aliquid ex hoc loco: plura restant. Strenua itaque quæritur obedientia, per pericula: regale imperium, desiderio tantùm enuntiatur, in commune iactato, vt solummodò voluntariis, & qui se vltrò offerrent; gloriosius obtemperetur. Respuitur aqua, ne tam siti, quàm subditorum probationi, indultum nosceretur: probatur enim optimè obedientia, & prudenter tot pericula impenduntur, dummodò ad aliorum exemplum, ad quiduis, promptus animus Administri noscitetur. Vltima ratio, immodicas Principum voluptates, subditorum periculo paratas pungit.

455. *Inobedienti, vires decrescunt: crescunt cum obedienti.* Neque mirum tot pericula, tam strenuè adeat obedientia, ipso enim obsequendi feruore experitur facilia: Sicut è contra, piger inobedientis Administri animus, leuissima quæuis præcepta, tanquam difficillima exhorret: siue quòd præ torpore, talia putat: siue quòd iusto Dei supplicio, illi vires etiam ad minima adimuntur. *Euseb. Gall.* Eusebius Gallicanus, Homil. 9. ad Mon. de inobedientia locutus, sic ad rem nostram. *Cùm captiuam illaqueauerit mentem, statim intoleranda, atque impossibilia facit, etiam illa, quæ parua ac leuia sunt. Et sanè dubium non est, quòd vires inobedientibus diuinitus subtrahuntur: sicut & ille, qui non habebat in se necessariam fidei deuotionem, & quod habebat, auferebatur ab eo, ita inobedientia obdurat animum, quem semel cæpit: vt ad suscipienda præcepta, nec authoritate, nec ratione flectatur.* Vtinam non ita passim hoc ipsum experientia demonstraret. Non vtcunque incarnatum Dei Verbum, Saluatorem infantem suscepit Simeon: Sed dum, *accepit eum in vlnas suas*, Luc. 2. v. 28. necessariò vidit pectori suo *Luc. 2. 28.* admouendum: Nam quod manibus capimus, ad quamuis nostri partem possumus applicare, quod vlnis siue brachiis excipitur porrectis, vix ac ne vix quidem, nisi pectori & cordi applicabile. Ecquid est, quòd à prudentissimo hoc templi administro, nouus Princeps, noua lex, certè nouus gratiæ legislator, non manibus capitur, quibus humero, ad obedientiæ opus *Obedientia, & patientia, sunt ... * designandum, posset imponi: sed brachiis, soli pectori adnectendum: respondet aptè Galfridus. *Galfrid.* *Duo sunt brachia obedientia & patientia, sine quibus interim Verbum Dei firmiter non tenetur: bona faciens, & mala patiens. Si fueris in vtroque non segnis, si non trepidè, non tepidè, sed viriliter agas, sed confortetur cor tuum & delectetur: salutare Dei in vlnis habes, in sinu foues, & ipse pariter confoueris. Est, qui gestat illud in humero, cui onerosa est æquitas, cui molesta sobrietas, cui grauis est disciplina.* Sic strenuam in Administro probo vellem obedientiam, laborum, periculorum patientiæ coniunctam: obedientiam, quæ diligat mandata, quæ Principis sui præcepta cordi applicet, non iudicio: sinu foueat, pariter fouendus: non humeris imponat, quasi oneris grauitate opprimendus; sed pectori, quasi strenui obsequij blandimento, recreandus.

456. *Obedientia perseuerantia pulchra.* At quidem multi sunt Administri, qui strenuè se in primordiis obedientiæ gerentes, flaccescunt tandem: nunc morbum, nunc ætatem, nûc laborem diutini obsequij causantes, requiem orant, exigunt missionem. Iure id quandoque fieri, non negauerim: vt plurimùm tamen, ignauiæ hæc vota deputanda: & rebellantis animi, iámque obedientiam nauseantis, indicia manifesta, præsumenda. Sic Panonica legio iam rebellans apud Tacit. Annal. 1. *Adstrepebat diuersis incitamentis, hi verberum notas, illi canitiem exprobrantes.* *Corn. Tacit.* Vbi fusè diutinum laborem conquerentes, clamant missionem. Sic paulò post rebellant Germanicæ legiones: *Quidam prehensa manu eius* (Imperatoris scilicet) *per speciem osculandi, inseruerunt digitos, vt vacua dentibus ora contingeret: alij curuata senio membra ostendebant.* Lege Tacitum, videbis fucatum prætextum, cùm reuera tota causa, lasciuiâ, & nouarum ambitu consisteret. Caueat Administer *Obedientiæ deprecatio, rebellionem portendit.* ingenuus, importunè solicitare obedientiæ inditæ missionem, ne sibi rebellionis conflet suspicionem. Exemplar optimum fuerit Caleb, Moysis olim, postea Iosuë fidelissimus Administer: *Iosue 14. 11.* qui petiturus promissam sibi à Deo hæreditatem: ita ad Principem. *Hodie octogenta quinque annorum sum, sic valens, vt eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum: illius in me temporis fortitudo vsque hodie perseuerat, tàm ad bellandum, quam ad gradiendum. Da mihi ergo montem istum, quem pollicitus est Dominus, te quoque audiente, in quo Enacim sunt, & vrbes magnæ atque munitæ si fortè sit Dominus mecum, & potuero delere eas, sicut promisit mihi.* Iosue. 14. v. 11. Nihil generosius: promissam sibi à Deo

Deo terram, etiam priscis obsequiis debitam, animosus hostium explorator, & suorum animator egregius sic exposcit, dum priùs vires integras, iustum robur, spiritus iuueniles, senex ostentat: cur ita? noluit videri cum honoris, & præmij adeptione, etiam oneris missionem captare: nec alieno sudore sed suo, debitum iam stipendium conquirere: adhuc sacramenti vinculo, Militiæ laboribus, Principis obsequio exhibet se promptum, qui se aptum prædicat & valentem: non solùm bellando, sed etiam gradiendo paratum, se enuntiat: quasi lubens nouam explorationis viam, iam senior si præcipiatur, subiturus: quæ est optima strenuæ obedientiæ constantia, & humilis obsequij strenuitas. Visus sanctissimum hunc Administrum, ob oculos posuisse Eusebius Gallicanus citatus, dum ad suos sic subiungit. *Nullus illic senior tàm doctus appareat, vt putet, quod eum non decet obedientia, quæ Deum decuit: humilitas enim atque obedientia in iuniori, adhuc necessitas: in senioribus, dignitas. Ille enim benè proficit, ille benè consummat, qui quotidie sic agit, quasi semper incipiat: quapropter augmenta meritorum, incitamenta debent esse profectuum.*

Obedientia, seniorum est dignitas.

Eusch. Gal.

457. Explorârat Noë prudentissimè, finem Diluuij, & præmisso, nec redeunti Coruo, immittit columbam, quæ nunc vacua, postea oliuæ virore compta faustum nuntiat: emissa tertiò, non ampliùs reditura. Tandem ergo, *Aperiens Noë tectum arcæ, aspexit, viditque, quod exiccata esset superficies terræ.* Genes. 7. v. 13. Nullum horribiliorem carcerem viderat natura: Brutis & hominibus commune spelæum, & illud obseratum: mobile antrum: tantisper in mansiunculas digestum Chaos: fluctuans domicilium, Arca erat. Quis vnquam mortalium, aut vinciri molestiùs, aut potuit fastidiosiùs nauigare? Putares ergo, viso portui, feruenter appellendum, respiranti libertati auidè inhiandum: & tamen subsistit Noë, eò constantior, quò auiditas scintillato iam terræ aspectu, erat flammatior. Nimirum, non tàm homini sæua prædicti carceris vincula, quàm erant Administro, obedientiæ vincula iucunda; Expectat ergo constans, donec audiat à Deo: *Egredere de Arca.* Vers. 16 ne iniussus egrediens, obedientiam heroïcam, (de quâ suprà) quam inchoârat ingrediens, violaret. Lyranus ibi. *Sicut enim ingressus fuerat arcam de mandato Domini, ita ad egrediendum, expectauit eius mandatum.* Id secum reputet probus Administer, obedientiæ lauream, continuò tantùm obsequio, promerendam.

Genes. 7. 13.

Obedientia, cuius nutu incepit, eiusdem cessat.

Lyranus.

458. Neque tamen huc vsque perfecta obedientia, nisi sic obeundo ministerio commisso fuerit exacta, vt ad vnguem, vel leuissimas circunstantias obseruet: qui enim prudenter, vt dixi, cæcus debet procedere, iam se malè videntem profitebitur, si inter obeundas, atque prætereundas diiudicauerit. In hoc obedientiæ negotio, sæpè ex accessorio totum constat principale: Leuissimus ergo Minister, qui leuem aliquam ab Imperio Principis putat circunstantiam: æstimandus magni, qui in has fertur prudenter scrupulosus. Obtemperauit, vt vidisti, cæcus Abraham: ductóque in holocaustum filio, addit Textus: *Cùmque alligasset Isaac filium suum, posuit in altare, super struem lignorum.* Genes. 22. v. 9. Timebat, credo, ne fugeret Adolescens, qui viribus robustior, sed pietate par, Patri erat exemplar ad obsequium. Quid ergo filium alligas sanctissime Patriarcha, quem vt nexibus recalcitrantem non posses, sic ictui non recalcitraturum, probè nôsti? Audiuerat à Principe suo, non vtcunque ad necem, sed ad victimæ necem, immolandum holocausto postulari: nouerat aliunde victimas sacrificari solitas sub ligamento; (scilicet-ne fugerent, ne obstreperent cultro.) Noluit ergo piè ad obedientiam scrupulosus, solemnem ritûs circunstantiam, quamuis tunc minùs necessariam præterire. Nihil sibi putat diiudicandum, dummodò sacrificij tenorem, vt iacet, adimpleret. Lyranus. *Aduertendum etiam quòd Abraham ligauit filium, non propter hoc quod timeret eum fugere: sed vt immolaret eum sicut animalia, quæ offerebantur in holocaustum, quæ ligata immolabantur.* Satis ista ad Tropologiam: nam ad literam, quid, de victimis ligatis & solutis déque harum diuersitate apud Ethnicos & Hebræos, sit habendum, fusè ad hunc locum, in Spicil. coniectaui. Pergo.

Obedientia prudenter scrupulosa, ne minimam circunstantiam prætermittat.

Gen. 22. 9.

Lyranus.

Obseruator legis Adolescens, altioris adhuc perfectionis viam inquirens à Christo, audit: *Si vis perfectus esse, vade & vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælis: & veni sequere me.* Matth. 19. v. 21. Abeunte hoc tristi: Christóque interim, non nihil de diuitiarum miseriis, interserente, subiungit Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Vers. 27. Nouerat tam probè Petrus, amator ardēs, longè synceriùs amorem ministrare, quò longiùs à præmio captando remouetur: habet diuinum obsequium, certissima stipendia, videt hæc qui squis generosè obsequitur, nec tamen in hæc collineat, seruiret Principi suo, etiam nil donanti: scopo nobiliori inhians, non præmio ditari satagit, sed placere dilecto. Quid ergo Petrus aliunde ingenuus, & generosus Christi Administer, tam anxius tam videtur sollicitus de præmio? an si tibi nihil donetur Petre, non ministraueris? an non pulchriùs, solius obsequij gloriâ contentus deges? absit, non sordide remunerandum obsequium captat Apostolus, sed obsequij præstiti tenorem prudenter scrupulizat: auditísque illis, quæ Christus Adolescenti dixerat, ne fortè singularem & indeclinabilem perfectionis normam sortirentur: sibi sociísque timet, quod aliquas circunstantias incautè præterierant. Audi ibi Euthymium. *Timuit Petrus sibi & condiscipulis, quasi ipsi minus fecissent, quia non vendiderant, quæ habebant, nec dederant pauperibus: ideo etiam ait: ecce nos non vendidimus, nec dedimus pauperibus, sed simpliciter omnia reliquimus, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Quasi parati & vendere, & dare pauperibus quidquid superesset, si reliquisse, si spreuisse omnia, non satis videretur. 459.

Mat. 19. 21.

Vers. 27.

Scrupulosa hæc obedientia, quam generosa.

Euthym.

Hæc satis de obedientiâ, quæ licèt cæteris omnibus Administris (imò & quibusuis subditis) conueniant: ideo ad publicorum Classem reduxi: quia his & frequentiora, & difficiliora mandata dari solent.

VII.

Quo, quando, & quali ministerio, gratia Principis promerenda.

460. *Administer alieno se officio, non ingerat.*

SIc formati ad obedientiam Administri, caueant alienis, ab accepto officio, ministeriis, se ingerere: vnusquisque proprio muneri attendat, si vtiles Reipub. fructus, si grata Principi obsequia, impenso labore parere meditatur: dixi non pauca, in Spicil. Tropol. sed plura ex industriâ huc seruaui. Eligendo Pontifici duodecim Principum virgæ, in Tabernaculum Domini inferuntur: præponitúrque cæteris Aaron, cuius, vt nôsti, sola virga floruerat: sed vide quomodo: *Turgentibus gemmis eruperant flores: qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt.*

Num. 17. 8.

Numer. 17. v. 8. benè: neque enim quasi truncus sterilis, ministerio tanto venire putaretur, is, in cuius gratiam, aridus ille baculus fructescebat. Illud mirum, cur in solas amygdalas amœnetur: vt enim de aliis pomis taceam, videbantur saltem huc Malogranata venire aptiora, coronatus enim fructus supremam accipiendi diadematis dignitatem adumbraret viuidius: aut cur in sceptro Principis non micarent elegantius hæc poma, quæ ad eiusdem oram vestimenti, immixta tintinabulis propendebant? Solebant Israëlitæ Tribuum Principes, id est, præcipui Moysis Administri, in dignitatis suæ insigne, (sicut & hodie) virgas portare, hásque non ex aliâ arbore, quàm amygdalo: vigilantiæ nimirum denotandæ; (præcocior enim cæteris vigilat & vernat amygdalus,) Meritò ergo noluit Deus, vt amygdalina virga alienis hîc fructibus, (sed suis ipsis amygdalis) turgesceret importunè: vt ab ipsâ potestatis suæ virgâ disceret Aaron, propriis, accepti muneris, vacare ministeriis, nec alieno officio impendi. D. Cyrilllus in Cat. par. ad hunc locum. *Quod ex virgâ eruperant amygdala, multo magis congruum fuit, quam si nuces alias, aliosve fœtus virga tulisset: erant enim omnes virgæ amygdalinæ, de more eius gentis, qui ex ea potissimùm arbore, scipionibus vtebantur: gerit enim ea arbor symbolum vigilantiæ.* Ego quidem, non aliunde miserabiliùs collabi Rempub. crediderim, quàm dum, per totius Politicæ abusum, ministeria publica confunduntur: Quid Episcopis, cum classe, cum exercitu? Quid togato iudici, cum militum delectu? certè quod armato Duci, cum forensibus causis. Peruertuntur certè vtriusque Mineruæ, doctæ scilicet, ac bellicæ, officia: dum vtrivis, vtrumvis, & quandoque vtrûque commendatur. Sic in cæteris: sed semper in Reip. ruinam: tandiu solummodò constitutæ, dum administri publici, propriis tantùm ministeriis, solerter incubuerint.

D. Cyril.

Propriis, officij sui, fructibus vernat amœnius.

461. Docturus Christus Dominus, qualis in cordibus fidelium, plantet gratiæ germina, virtutum rudimenta, inde altiùs pullulatura, comptiùs polienda: sic ait: *Simile est grano sinapi, quod acceptum homo, misit in hortum suum.* Luc. 13. v. 19. Crescit enim minimum granum in arborem grandiusculam. Tunc instituturus, quàm aptè conceptæ gratiæ sapore, omnes deinde actiones condiantur, subiungit. *Simile est fermento, quod acceptum mulier, abscondit in farina sata tria, donec fermetur totum.* Vers. 21. Aptissimum exemplum fateor: minùs tamen primo aspectu putari posset alicui necessarium, cùm in eodem sinapi consistens, nec ad fermentum diuertens, vtrumque posset Saluator monitum apparare. Certè vt sinapi, è minimo crescit in magnum, dum seritur, ita dum gustatur, cibos cæteros condit, egregium salsamentum. Quid ergo opus fuit, ad fœminam diuertere fermentantem, cùm in viro serente, integra comparationis ratio stare possit? voluit diuinus Magister, explicato virtutum incremento, & sapore, politicam obiter tradere institutionem: ne scilicet in vsu virtutis, & officij nostri, ministeria confundenda putaremus: sed quisque talento sibi tradito ministraret. D. Chrysolog. serm. 99. *Res de vsu geritur: vir in agro sinapis arborem serit: domi mulier fermentum procurat, & panes præparat alimoniæ: quia virum foris expectat labor: intus mulierem, domestica cura constringit.* Cogita, quæso, mihi familiam, vbi maritus otians, curarum pondus remitteret vxori: vbi colloquiis hospitem ista detineret foris: ille intus fercula disponeret: ista filiis doctrinam, ille ancillis pensa ministraret: illa in agro serens, iste in penatibus farinam miscens cerneretur: quid faceres, nisi fœminæ gladium, colum viro assignare? nisi quod in consimili familiâ, neque lana tractatur, neque bello studetur. Talem ergo puta magnam Reipub. domum, si tumultuariè ministeria permiscentur: nisi quisque officio commisso, pro talenti sui viribus, studuerit.

Luc. 13. 19.

Ministrorum quisque, commendato sibi officio assuescat.

D. Chrysol.

461. Erupit aliquando Sulamithis Christum quæsitura: nec longæ moræ: inuentum dilectum alligat, infigit cordi sic strictè, vt meritò exclamarit: *Tenui eum nec dimittam.* Cant. 3. At ecce alibi Magdalena, desideriis fortè feruentior, meritis dignior, eundem quæritans, sepulchro adstat tandem, curis stupida, saxo immobilior: statuam marmoream diceres, ni suspiria crebra, ni perstillantes lachrymæ proderent animatam. Interim, visi Domini, pedes, dum rapitur amplexatura: audit ab illo: *Noli me tangere.* Ioan. 20. v. 7. Et cur Sulamithis præferatur Magdalenæ? cur teneat illa fælicior, vnde ista amans tenerius, arcetur asperè? Scilicet ab aliena plantâ, à non propriâ arbore, alienos fructus captabat hîc Maria: nec mirum, si ieiuna contabesceret. Potuit quidem sepulchrum, mortis scilicet domicilium, reddere Mariæ, lachrymas, gemitus, dolores: hæc sunt natiua poma funestæ arboris: at indidem amplexus hilares, festiua commercia, vitæ gaudia sollicitare, labor frustraneus: noluit Christus, vt ex tristitiæ horto, plenæ lætitiæ fructum putaret degustandum. Gellibert. serm. 9. postquam fusè de sponsa egit, sic tandem de Maria. *Inuenit illum Maria Magdalena, sed prohibita est, non dico tenere, sed etiam tangere: quia penes Monumentum vitam quæsiuit.* Crede dictis, mi Administer: ab officio tuo, proprios, non alienos fructus, credideris vtiliter germinaturos: ieiunabit infaustus Princeps, tabescet misera Respub. si dum è bonâ literaturâ tuâ, consilium sperat, tu militari robori adspires imbellis: Si quem ducendæ Classi Nauarchum peritissimum destinârat, is ignarus, iuri dicendo, adscribendum se satageret. Tuis ergo, id est, talento accommodis ministeriis honori & oneri tantummo

Cant. 3.

Et proprij ministerij, fructum edat.

Ioan. 20. 17.

Gellibert.

tummodò litaueris. Nemo sutori, gladium; nemo calceos, fabroferrario commisit construendos.

463. Sed adhuc aliquid his addendum putauit Propheta Rex, iustum Dei describens Administrum: *Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo*, Psalm. 1. v. 3. non solùm alienos, sed etiam alieni temporis fructus auersatur: suos, suóque tempore redditos commendat. Sic in illa celebri vineæ Parabola, quæsiti Pharisæi à Christo, quid facturus Paterfamil. contra fraudatores Agricolas, respondent: *Malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs Agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis*, Matth. 21. v. 41. Quia licèt aliunde cæci, non poterant tamen non videre fructus, nisi suis temporibus, despiciendos: quippe qui sub alieno tempore fructus, vel de immaturitate acerbi, vel de vetustate putrescentes respuuntur. Sic igitur ministeria idonea probet Administer, si non solùm sua, sed etiam suo tempore contulerit. Venit Christus sub Patrisfamil. figurâ, in vineam suam: & sub sterilis ficus parabolâ, infructiferam denotat Synagogam: tunc meritò iratus exclamat: *Succide illam, vt quid etiam terram occupat?* Luc. 13. v. 7. Non miror iram, contra mysticæ plantæ infœcunditatem, toto scilicet triennio obduratam: illud quæro, cur cùm tot aliæ arbores huc assumi possent, vna potiùs ficulnea, in tantæ miseriæ symbolum, traducatur? Respondet aptissimè D. Petrus Chrysologus serm. 106. *Hanc similitudinem, quare Dominus dixerit, audiamus. Arbor ficus brumali tempore transacto, dum grossos producit in florem, & simulat suum, suis floribus fructum, decipit incautos, illudit ignaros: namque mox proijcit grossos, pigrum proficit, & prorumpit in germen, & fit posterior cæteris fructu, quæ videbatur cæteras antecisse. Meritò ergo à Domino, Synagoga arbori fici comparatur, quæ calefacta tepore legali, temporaliter Ecclesiastici fructus floruit in figurâ, &c. Ignari verò, dum fiduciam gerunt in lege totam, neque sunt de Christi expectatione solliciti, neque suscipere Christum, neque agnoscere meruerunt; & ita sunt legalibus decepti flosculis, sicut nescios, grossis suis decipit ficus.* Pulchra gnome, si penitiùs adeatur. Priùs quàm in germen & in folia reuirescat ficulnea, flosculos emittit præcoces, & hos, simulati fructus habitu, dissimulatos: malè coctos scilicet grossos & inutiles: ah quàm alieno tempore, ideo suo tempore, fructus etiam tardos negasse deploratur, iure in malè ministrantis, & semper sterilis Synanogæ figuram, succidenda. Tu mi Administer, caue debiti temporis obsequia præuertas: flores porrigere, cùm frondes deberes, periculi est: hypocrisis verò, teneros ipsos flores, solidorum specie fructuum circunuestire. Instar Synagogæ decipientis ignaros; incautum Principem, stultam decipies Rempubl. & vero, suique temporis, obsequio defraudato, solo fuco præstigias commouebis.

464. Non tamen hinc vetauerim, dum sui temporis fructus exactor postulo, flores interim porrigas; quia nimirum sui temporis flores, fructibus adnumero: flos, spes fructuum est: satis est fructuosa spes, satis sui temporis implet mensuram, dum possessio, proprio tempori reseruatur. Præficeris, v. g. exercitui, contra longinquos hostes decertaturus, bello alienam infestaturus Prouinciā. placebis mirè Principi, si dum moraris in Patria, Conciues bellorum simulacro detineas, & milites exercens, castra adumbrans, ficta committens prælia, fructum victoriæ his flosculis mediteris. Ideo prudenter Chrysolog. cit. non iam ignaros & impios innumeros, sed paucos iustissimos & prudentissimos; Synagogæ, commēdans alumnos, sic scribit: *Patriarcharum radice solidata, sacerdotali exaltata culmine, propheticis dilatata ramis, Iudaicis obseruationis repleta grossis florebat, tunc spe sola, fructū daturaper Christum, imo ipsum Christū datura post, fructum, dicente Psalmista: De fructu ventris tui, ponam super sedem tuam. Vnde sancti scientes hac, spem fructus ex flore capiebant, & solabantur præsentia de futuris.* Sic prudens Princeps, vt fucatos & subdolos flores Administrorum suorum solet spernere: debet etiam germanos & proprij temporis natiuos, quasi virtutum rudimenta, collaudare. spe floris contentus, vtpote absque quo sui temporis fructum non decerpet. Nouerit ergo, vt dixi, Administer meus, officij, conditionis, ætatis flores edere, vberiorem cumulati ministerij fructū faustè pollicitus.

465. Sæuit Herodes, *Et mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infrà, secundùm tempus, quod exquisierat à Magis*, Matth. 2. v. 16. Nascitur Christus sub concentu Angelico, Deo gloriam, pacem hominibus personante: & tot parentum ploratus, tot lactentium sanguis, festiuæ musicæ consonus æstimatur? an ideo non tuba, sed *militia cælestis*, Luc. 2. v. 13. aduentauit, vt publicatæ Deo gloriæ, indictæ hominibus pacis, loco: doloris & belli tumultum excitarit? Sed esto, neque diuinæ gloriæ purpura, absque Martyrum sanguine radiarit: neque pax hominum, absque victoriæ, per mortem, trophæo serenetur. Cur tamen, qui omnium Saluator aduenit, non omnis ætatis, sed solius infantiæ triumphos libat, consecrat libamenta? Respondet amœnissimè D. Ioan. Chrysostomus homil. de Innocent. apud Lippoman. *Transmittit infantes, infans Christus ad cælum, noua xenia Patri, primitias fructuum exhibet genitori.* Sapientissimus scilicet humanæ salutis Administer, semper proprios fructus, sed ætati, sed conditioni consonos Patri porrigit; præludit floribus, messes oblaturus: viro sibi, plenissimum humanæ salutis ministerium, quasi proprio tempori reseruans: infans, infantium coronulis attendit, ne quod tempus, pro suis gradibus cesset ministrando. Ideo D. Leo Magnus serm. 2. de Epiphan. *Christus ne vllum ei tempus esset absque miraculo: ante vsum linguæ, potestatem verbi tacitus exercebat: & quasi iam diceret, Sinite paruulos venire ad me, &c. nouâ gloriâ coronabat infantes, & de initijs suis, paruulorum primordia consecrabat: vt disceretur, neminem hominum, diuini non capacem esse Sacramenti, quando etiam illa ætas, gloriæ esset apta Martyrij.*

466. Satis hæc probandis Ministris, alicui fortasse visa: non tamen tibi, prudens ô Administer: aliquid insuper captes placiturus, aliquid vlteriùs aucuperis, necesse est: suum, & proprio tempore ministerium, quisquis adhibet obediens: at prudenter sagax, non solùm voluntatem, sed etiam voluptatem Principis iusti, nouit obseruare. Scrutare sedulus, quo indoles, quò tui Principis gustus deferatur, & dummodo incorruptus fuerit, nec vllo modo ab æquitate deuians, adblandire palato: non hic fœda adulatio, sed syncera ministrandi,

Psalm. 1. 3. Obsequium à circumstãtia temporis, opportunum.

Matth. 21. 41.

Luc. 13. 7.

D. Chrysol.

Præcoces fructus esse, periculosum.

Bonum Ministro etiã flores, fructibus admittit.

In spem scilicet.

Matth. 2. 16

Luc. 2. 13.

D. Chrysost. Ministrorum ætatibus, fructus correspondeant.

Leo Magn.

Non solùm voluntas, sed etiam iusta Principis voluptas, obseruanda.

strandi, prudentia interseritur: Quàm solicita ministrabat Christo Martha: quæ quasi vires suas incusans, tanto Hospiti excipiendo, Sororis operam ardens implorabat: & tamen audit à Domino: *Martha Martha sollicita es, & turbaris erga plurima: porrò vnum est necessarium: Maria optimam partem elegit: quæ non auferetur ab eâ.* Luc. 10. v. 41. Non solùm reprehenditur Martha aliunde piissima, & dilecta Christo, sed etiam palàm, quasi per fastidium, & despectum, postponitur: & vnde in tanta Iesu clementiâ, in eximio erga Martham amore, hæc larua subitati fastidij? Voluit supremus Princeps, administrarum suarum exemplo, regios Ministros sanctam quandam Politicem edocere: vt non solùm quod necessarium, sed etiam quod iucundius est æquo Principi, administrent. Oleaster infrà citandus. *Ministrabat sedulò sancta fœmina Martha, Saluatori: ita vt in eo turbaretur, nesciens quid primum pro eo faceret: audiuit tamen, sororem illâ, meliorem elegisse partem, quæ quasi otiosa, verba Domini, ad eius pedes, audiebat. Sed quare, putas? quia administrabat ei in his, quibus non delectabatur, nempe in cibo, & potu. Solent enim Principes eos Ministros diligere, eorúmque ministeria plenè soluere: qui in his, quæ ipsi diligunt, & quibus afficiuntur, seruiunt.* Fuit ergo eximia Magdalenæ prudentia, captare diuini Principis gustum: & in bipartito ministerio, suauiora affectûs fercula, illi apparare. Tu itaque Principi tuo, quantùm æquitas tulerit, fac similia.

Luc. 10. 41.

Oleaster.

467. *Caue tamen, ne Principi, ad culpas obsequia præstes.*

Attende tamen tibi, mi Administer: est in hoc captandæ regiæ voluptatis studio, ingens periculum. Prauis vt plurimum affectibus Princeps indulget: & hinc Administros fastidit, vel commendat, prout vitiis suis repugnant, vel obsequuntur: animos ergo instrue, robora spiritum, vt magis velis, Principis gratiæ, quàm æquitatis facere iacturam. Non soluet iste tibi, licèt ingentis operæ, pia ministeria, quæ fastidit, prodigus aliunde impiis soluendis: sed tibi satiùs oleum & operam, quàm animam perdidisse. Aduocârat Rex Balac, Magum Balaam, vt Israëli malediceret: iste per diutini laboris ministeria, per sacra, per auguria (de quibus plenè in Spicileg.) rem conatus, nihil perficit: in benedictiones enim à Deo cogebatur: tunc addit Textus. *Iratúsque Balac, contra Balaam, complosis manibus ait: ad maledicendum inimicis meis vocaui te: quibus è contrario, tertiò benedixisti. Reuertere ad locum tuum: decreueram quidem magnificè honorare te: Sed Dominus priuauit te honore disposito.* Numer. 24. v. 10. In Hebræo, pro *Reuertere*, est, *Fuge*: quasi citâ fugâ illi opus esset, ne malè diu immorans mulctaretur: tam longè à præmio sperando, vt pœnam pertimeret. Sed quid? nónne seruierat, nónne laborârat, asinam etiam patiens terentem, & quod peius est, docentem? planè: nec tamen ad gustum: quia impietati Regis non plenè ministrauit. Et quidem pro solito Principum ingenio, in Deum sacrilegâ impietate refundit Balaac, *quod honore disposito* priuetur Magus: Similes enim occasiones, quisquis Impiorum Principum quærit, ne soluat: quia non tàm impenso ministerio, quàm adimpleto vitio, præmia destinat. Oleaster ibi. *Ecce retributio impiorum, quam iustis, pro suo labore retribuunt: non enim reputant bona, sed mala ministeria: nisi enim in his, quibus ipsi afficiuntur, ministraueris, oleum & operam perdes, &c. Si gulosus sit Dominus, diligit seruum, qui gulæ administrat: Si lubricus, illum qui in his diligens est: & sic de omnibus aliis vitiis dicendum erit. Fuit ergo Balaam male remuneratus, quoniam non obtemperauit Regi, in his quæ volebat. Aduertendum etiam hîc, quàm facilè Domini occasiones quærunt, ad non soluenda sibi exhibita ministeria.*

Num. 24. 10. *Princeps iniquus, non nisi turpia obsequia remunerat.*

Oleast.

Dixi, in hoc captandæ regiæ voluptatis studio, *Ingens periculum esse*: Neque temerè dictum. Vehementissimus est affectus, quo præmiis, Principis gratiæ anhelant Administri: vnde cùm Princeps vt plurimùm aut vitia, aut saltem quædam minùs aptâ Reip. aucupetur: eúmque, generosioris Accipitris notâ, probet Ministrum, cuius operâ, his prædis fruitur: quis non videat, quàm valido hinc ariete, ad impietatem, animus Administri propulsetur? Volens nolens, vtcunque Deo parens obduruerat diu Balaam: auditâ tamen Regis irâ, vide quid addat. *Pergens ad Populum meum, dabo tibi consilium, quid populus tuus populo huic faciat, extremo tempore.* Ibidem v. 14. Quod consilium quamuis non exprimatur ibi, illud meritò creditur Interpretibus, de quo Cap. 31. v. 16. adhibendas scilicet fœminas pulchras, quæ per fornicationem, ad Idololatriam allicerent Israëlem, facilè deinceps superandum. Sed quid agis miser Balaam? Vt homini blandiaris, Deum exasperas: & euidentem Prophetiæ spiritum, prauo, dubij consilij molimine, satagis defraudare? Non qualis qualis homo, sed Rex erat Balac: quid mirum si tanto authoritatis pondere, labantem diu Ministrum, tandem affligeret? audeo dicere, non solùm Magum, sed probum quemuis nisi constantem penitus, labefactaret. Audiant quæso aulici Ministri, & maximè Theologi, hic Oleast. *Rarus est sanctus, qui à se omnino preces regias reiiciat: licèt enim in multis constantiam seruet, vix tamen in omnibus. Sit iuris prudens, sit Theologus, sit Monachus, vix aliquis est, qui se abscondat à calore eius: qui tandem leges humanas & diuinas non conformet beneplacito Regis.* Heu sub quantâ conscientiæ aleâ versamini Administri! caueant ergo his ministeriis, gratiam Principis promereri, quos instituo.

468. *Quàm impotenter Ministri, ad obsequendum, etiam per iniqua, Principi, rapiantur.*

Num. 14. 14 & 31. 16.

Iuris C. & Theologi Curiales & Aulici, in quanto sint periculo.

Oleast.

At in aperta vitia, à Principe fortasè intenta, non proruere, facilius probo quandoque fuerit Administro: Verùm in illa, quæ cum speciem virtutis præ se gerant, aliunde imprudentiùs, aut saltem importuniùs intenduntur à Principe, rarissima Administri fuerit continentia, si non pronus & præceps deferatur: scopulus est iste, quem vix dexterrimus Palinurus euitauerit. Triumphârat iam hostes suos Dauid, & cupidus ædificandi Templi, sic ad Nathan Prophetam: *Vidésne, quod ego habitem in domo Cedrinâ: & Arca Dei posita est in medio pellium?* 2. Reg. 7. v. 3. Piissimus erat Dauidis affectus importunum tamen opus, & extra tempus, quod ex pacis mysterio, Pacifico Salomoni v. 13. seruabatur; audi tamen, quid adblanditus Regi, respondeat Administer Propheta, & is sanctissimus. *Omne quod est in corde tuo, vade, fac: quia Dominus tecum est.* Vers. 4. Et tamen fallitur, neque enim hæc erat voluntas Dei, ideo paulò post. v. 5. à Deo edoctus, recantatâ palinodiâ cogitur retractari.

464 *In his, quæ non sunt apertè mala obstare Principi, rarissimæ virtutis est.*

2. Reg. 7. 3.

& v. 4.

Sed

Sed mihi non mirum desipuisse in hoc vno negotio Administrum : homo erat , & monstratæ Principis voluntati , & voluptati primo intuitu optimæ , cessit facilius : miror tamen dicentis verba : *Omne* , inquit , *quod est in corde tuo, vade & fac* : q.d. Cùm Deus tecum sit , non huius tantùm, sed cuiuscunque negotij destinati timorem preme : omnia tuta erunt , probanda omnia. Potuit aliquid dici præcipitantiùs , aut clariùs, à Bethsabeæ & Vriæ negotio post retellendum ? Sed ea est Regis authoritas , etiam apud iustos Administros , vt nisi apertè iniquitas proponatur, non solùm præsentia negotia,sed etiam futura , immodico placendi ardore approbent,ad executionem paratissimi.Concludat tandem cultissimè Olcaster. *Voluit semel sanctus Dauid , domum nomini Domini ædificare : ad quam rem Prophetam Domini consulit : qui statim inconsulto Deo , sese Regis animo adæquans , ait : Omne quod bonum est in oculis tuis fac. Quid dicis Nathan ? Nónne nôsti , quàm iniqua sunt aliquando beneplacita Regum ? cur illi consulis facere , omne quod bonum est , in oculis eius ? cantabis,velis, nolis palinodiam : vt discas de cætero, esse cum Regibus cautior , & in verbis strictior. Coactus est Propheta sequenti die , verba sua restringere : & fortè , cum magno authoritatis suæ dedecore reuocare : in quibus plusquam par erat, fuerat liberalior.* Tu ergo mi Administer , qui non ita familiarem Deum habes Consiliarium, vt hic Propheta : sedulus cogita, quale ab initio, Regi tuo præbeas ministerium : ne vel cum pudore intersistere : vel cum maiori damno prosequi , tenearis.

Olcast.

VIII.

Administer, erga Populos nihil sinistrum, nihil subdolum , nihil asperum gerat.

470. *Qualis futurus Administer, cui sinistrum nihil tribuendum.*

VIdimus quales erga Principem , se sint gesturi , prudentes Administri : nunc quales se erga Populum gerere debeant videamus. In primis tales illos voluerim,vt quæquæ aut noxia, aut minùs prospera in populo cernantur,fortunæ potiùs , & ordinariæ rerum successioni, ac vicissitudini , quàm ipsorum , aut iniuriæ , aut incuriæ deputentur. Temporarium Regem , imaginata Christum accessit Salome rogans , & petens aliquid ab eo , hisce verbis. *Dic , vt sedeant hi duo filij mei , vnus ad dexteram tuam,& vnus ad sinistram , in Regno tuo.* Matth. 20. v. 21. Pendo prudentissimam , sub imprudenti petitione,verborum mutationem : *Dexteram tuam* dixit ; neque tamen *sinistram tuam* , quod videbatur : sed cautius , *sinistram in regno tuo* , subiungit. Quid ita ? quia in tanto Rege , & his, quos, eidem volebat accessores & Administros , nihil sinistrum poterat cogitare : Esto enim quædam sinistra euenirent (cùm necesse sit vt veniant scandala) ista tamen Regno potiùs , quàm regimini ,& turbis , successibúsque rerum , quàm Regi eiusque Administris , putabat imputanda. Sed nunquam de vobis talem , ô Princeps , ô Principis Administer, opinionem commouebitis : nisi hi fueritis , vt virtutes Christi , & quas in filiis,probârat pia mater, æmulemini ; tarissimè enim sanctimoniæ habetur is , in quo nihil, nocendo , sinistrum : sed omnia , benefaciendo, dextera existimantur.Hinc Dauid , Iustissimi cuiusuis celebrans victorias ait. *Cadent à latere tuo mille , & decem millia à dextris tuis.* Psalm. 90. v.7. Latus ; pro lateronibus posuit , qui ad sinistram : & cum alios *dexteras*, vtpotè strenuiores Ministros appellarit , cauit illos *sinistras* appellare : ne vel iusto sinistram , vel Ministros sinistros tribuere videretur. Quem tropologicum sensum , quàm pulchrè literali conueniat , alibi fusè explicatur. Pergo.

Mat.20.21. *Bonus Princeps nihil sinistrum habet.* Psalm.90. 7.

471. *Sed totum dextrum.*

In illo pulcherrimo sermone , vbi Christus Apostolos suos,in Ecclesiæ Principes , & Administros , instituebat , sacri statûs rationem , ab eximia patientiâ prædocens capiendam : sic subiungit : *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam : præbe illi & alteram.* Matth. 5. v.39. Quasi tam longè futurus ab insanâ vindictâ , vt si opus fuerit nouæ digluriendæ iniuriæ pararetur. Sed quid est , *præbe illi & alteram ?* Cur percussâ dextrâ , repercutiendam sinistram non expressit ? *Cur alteram* dixit, quæ correlatione mutuâ dexteram aliam videtur importare ? Certè propterea volebat Christus nihil in Administris suis sinistrum existimari. D. Hieron. *Alteram , id est , alteram dexteram : iustus enim sinistram non habet.* Hæc optima administrandi Populi conditio : vt quocunque Administros suos Princeps expedierit , non solùm gerendis negotiis dexterrimos , sed dexteras omnino beneficas & promptas , mittere videatur , sinistrè nihil in subditos , exequuturas. Propterea Deus , in Dauide Principe æquissimo , Christum figurans, post multa de eius imperio , subiungit adhuc: *Ponam in mari manum eius , & in fluminibus dexteram eius.* Psalm 90. v.16. vbi Vatab. *Hoc est abiiciam potentiæ eius mare:& flumina imperio eius.* Sed tu mihi nota Imperium istud,vtriusque manus amplexu assertum , expresâ dextrâ, sinistram communi vocabulo significari , quasi nihil sinistrum pateretur.

Matth.5.39. D.Hieron. Ps.90 16. Vatab.

472. *Minister, nihil subdolum gerat, erga subditos.*

Vt nihil sinistrum, sic etiam nihil subdolum, nihil magnum , astutum nihil nocendo populo, habeat optimus Principis Administer. Luctatur Angelus cum Iacob : percutit eius fœmur, & addit : *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* Genes.32. v.28. Et benè iam non appellatur supplantator siue Iacob , qui percusso fœmore , *claudicabat pede* : Vers. 31. Cur enim vocaretur , quod non erat : quippè qui debilis & claudus , athleticos dolos, & supplantationes non poterat exercere ? Quantum ænigma ! lucta amoris erat : non durum , sed beneficum antagonistam expertus est Iacob , qui benedictione susceptâ , non se læsum deplorat , sed decorum, sed donis æstimat cumulatum : & tamen vsque ad claudicationem percutitur : & quas ab vtero gessit supplantationibus in posterum defraudatur,ignauus & penè iners relinquendus ? Neque mirum, cùm iam deinceps maiori longè honore, *Israël*,id est, *Princeps cum Deo* appelletur : cum quo titulo , nullatenus prior ille poterat conuenire. In magnarum , apud Deum , iam rerum, Administrum vocabatur Iacob : quasi vnus è purpuratis eius , deinceps æstimandus : ab omni ergo supplantatione , ab omni dolo , ab omni nocendi arte , alienus foret , necesse erat.Nescio,

Gen.32. 28.

D. Hieron. an id totum intendat D. Hieron. lib. de quæst. Hebr satis tamen fuerit, si veram nominis etymologiam edificamus ab illo sic scribente. *Sensus est: non vocabitur nomen tuum supplantator, id est, Iacob: sed vocabitur nomen tuum, Princeps cum Deo, hoc est Israel.* Claudicat ergo deinceps Patriarcha, quia quo impeditior supplantando, eò, obeundo syncere ministerio, expeditior.

473. *Improbus Administer. dum se nihil posse simulat sæuius opprimit.*

Ille autem vt pessimus, sic etiam vsitatissimus, supplantandi Populum tenor, apud Ministros, quo se nihil posse simulant, nihil valere: meros se regiæ voluntatis executores appellant: sic se deprimentes, vt tutius alienarum virium potentiâ, subditos opprimant, Rempubl. pessundent. Insidiantem Populo potentem, & quasi leonem in speluncâ sua, descripserat Dauid Psalm. 10. Tunc sic addit. *Insidiatur vt rapiat pauperem: rapere pauperem, dum attrahit eum: in laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se, & cadet.* Vers. 31. (Ps. 10. 31.) Sed cur inclinatur incuruus: cur cadens abiicitur? pergitur in eadem metaphorâ leonis: de qua benè ibi Vatab. (Vatab.) qui vertens, *atterit sese, &c.* Sic scribit. *Pro atterit sese, verti potest, comprimit sese, colligit sese. Leo prædam inuasurus, incuruat sese, & humilem facit, vt potentius insiliat in prædam.* Tales puta hos improbos Administros: illa simulata deiectio, illa ficta impotentiæ humilitas, quâ se nihil posse garriunt, dolosus astus est, astuta supplantatio, quâ in leoninam rabiem efferati, miserum populum perdunt, & digluriunt. Idem Vatab. (Vatab.) *Sic interdum deiectionem animi simulat improbus, vt commodius pauperem opprimat, & euertat: simulat se esse debilem, & nullarum virium: & corruit in manus eius plenas robore, congregatio seu multitudo contritorum, debilium, seu confractorum.* Euitet sedulus has pessimas simulationes meus Administer: humilietur, & claudicet reuerà, cum Iacob: sic nocendo debilis, fortior cum Deo Princeps existimandus. Talem se gessit Rutilius Gallicus, optimus Romani Principis Administer: quem inde celebrat Statius lib. 1. Sil. 4. causas, vnde Populum Rom. sibi deuinciret, has enumerans.

Statius.

Hoc illud: tristes inuitum audire catenas,
Parcere verberibus: nec, quæ iubet alta potestas,
Ire, sed armatas multùm sibi demere vires,
Dignarique manus humiles, & verba precantũ:
Reddere iura foro, nec perturbare curules,
Et ferrum mulcere togâ. Sic itur in alta,
Pectora: sic mixto reuerentia fidit amori.

Sic enim *armatas multum sibi demere vires*: addere est authoritatem, & suscepto ministerio fungi rectissimè.

474. *Administer mitis sit & suauis erga Populum.*

Vt nihil sinistrum, nihil subdolum, sic etiam asperum nihil, nedum crudele, in Populum machinetur Administer: pium, mitem, suauissimum illum volo: & qui non solùm, vt dixerat Statius, catenas inuitus audiat, parcat verberibus: sed qui Principem iustè etiam indignatum in Populos, aut mitigare curet: aut si non possit, decretas saltem pœnas, tristis, & compassiuus exequatur. Quando in diuinis literis, diuinæ quadrigæ velocitas exprimitur celerior: plumis venti, vel volatu Angelico declaratur: Psalm. 17. Angelus enim, qui vnius dieculæ spatio, primum cælorum mobile, vniuerso Mundo circungyrat: quidni facilis ipse, totum Mundum momento peragrabit? Sed ecce tibi mittuntur Angeli duo Sodomam euersuri: qui ab Abrahamo excepti, paulò post meridiem discedentes, miseram vrbem perrexerunt: & additur statim. *Veneruntque duo Angeli Sodomam vespere.* Gen. 19. v. 1. Breuiculum sanè erat spatium, inter Vrbem, & Abrahæ tentoria interiectum: quandoquidem potuit iste è domo suâ. Vers. 27. miserum illud incendium intueri? Vbi ergo immensa illa velocitas? Vbi pennæ, quæ ventis celeritatem tardant? tam curtum spatium à prandio vsque ad vesperam percurritur? Respondet ibi Lyran. *Tantum tardauerunt, vt viderent si Dominus parceret terræ, propter preces Abrahæ: quia erant Angeli boni.* Et verè boni Administri, qui mitissimi Regis misericordiam affectantes, malunt de testudineo gradu putari claudi: quàm de volatu celeri, asperiores. Lentabant etiam credo, passus suos, quasi mœstitiâ tristes grauarentur: quia licèt in obsequium Dei proni: è se tamen ad supplicium inuiti ferebantur.

Angeli boni quàm in homines, 79. Gen. 19. 1.

Minister iuste, inuitus puniat Populum.

475. *Angeli sancti mala nostra dolent. Genes. 3. 24.*

Delinquentibus Protoparentibus, addit Textus, de Deo. *Collocauit ante Paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Genes. 3. v. 24. Cherubim erant, id est, non alij spiritus, quàm sapientissimi, quorúmque ipso vocabulo, scientiæ plenitudo designatur. Nunc attende. Protoparentum scelus, vetitum scientiæ fructum degustantium, si præter Creatoris iniuriam, Creaturæ alicuius inuoluit læsionem, iura læsit: certè non alij, quàm Cherubicæ visum, inuidisse: Quid enim erat per nefas, scientiæ plenitudini anhelare, quàm fas omne Cherubicum conculcare? & tamen non audis Cherubinos ad miserorum supplicium conuolasse, & quasi vltroneos, interdicto, ad custodiam, ostio adstare feruidè: *Sed collocari*: quasi Dominico imperio, non proprio studio cogerentur. Quid ita? Tristes & inuiti quodammodò, asperos se Administros exhibebant. Viderat fortè rem D. Chrysostom. tom. 6. serm. 9. de Ascens. saltem id quod conamur expresse dixit. *Licèt Cherubim custodirent Paradisum, vicem tamen nostram dolebant: & sicut Minister conseruum, ex mandato Domini apprehensum, & carceribus traditum, custodit quidem: compassione tamen conserui ductus, super illud quod accidit, dolet & angitur. Ita & Cherubim susceperant quidem custodiendum Paradisum, at de custodiâ dolebant.* Commoueat te saltem mi Administer Cherubicum exemplum: quando, vt vides, de tuâ (quasi debitâ, quasi ordinariâ, ô vtinam.) Cherubicæ benignitatis ratio, sanctissimo Doctori, putatur explicanda.

Minister probus, ciuium damnis condolet. D. Chrysost.

476. *Bonis viris congaudet.*

Positâ piissimi Pastoris parabolâ, qui deuiam ouiculam reduxit ad Caules, dulce onus propriis humeris asportans, festinas inde amicorum excipiens congratulationes: addit Christus: *Dico vobis, quod ita gaudium erit in cælis, super vno peccatore pœnitentiam agente: quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentiâ.* Luc. 15. v. 7. Vbi notaueris, cum tota parabola, pio suauissimi pastoris officio commendando impendatur: solúmque ad calcem, quasi lacinia, Amicorum hilaris congratulatio exponatur: tamen in eiusdem explicatione, cæteris omnibus silentio inuolutis, solummodò cæleste gaudium, id est, festiua Angelorum congratulatio exprimitur: idque ni fallor, vt Administro

Luc. 15. 7.

Angelorum, in nos, suauitas.

ministrorum suorum honori Christus consuleret? Quid ita? Poterant quidem homines, Angelorum ingenio quasi seuero, indoli quasi asperæ obmurmurare, quos nouerant, ad paradisi custodiam, ne ipsi ingrediantur, excubare, & perpetuas agere vigilias. Timorem ergo mittite, inquit Christus: blandiùs de Administris meis credatis necesse est: si enim hos exultantes auditis, dum per pœnitentiam, fœlix, priscúmque domicilium recuperatis, satis claret, ad custodiam dolentes excubuisse; nec tam vindici genio in vos, quàm promptæ in me obedientiæ indulsisse putandos. Non abest hinc citatus Chrysostomus, qui post
D Chrysost. alia de eisdem, sic subiungit: *Quod enim res nostras pro suis ducunt, disce quantum gaudium conceperint videntes nobis conciliatum esse Dominum: si enim antea non condoluissent, non sanè eâ essent postea lætitiæ voluptate perfusi; quod autem gauisi sunt, patet ex iis, quæ Christus ipse dixit: gaudium erit in cælo*, tam longè ab ingenio aspero, etiam ad iustissimas pœnas administri.

477. Gen. 8. 2. Expiato iam Orbe, & diluuij pelago, flammis totius carnis consopitis, in homines denuo diuinæ misericordiæ pelagus inundat: additque Textus: *Et clausi sunt fontes abyssi, & cataractæ cæli, & prohibitæ sunt pluuiæ de cælo*, Genes. 8. v. 2. Ex Hebræo vertunt aliqui, *clauserunt se fontes abyssi*. Quasi ipsimet fontes, vltronei se compescerent; ipsimet claues sibi imposuerint, vbi Deum in homines senserunt iam pacatum. Non est leuis ponderis, hæc auidissimi aliunde elementi, modestia insperata. Aqua initio rerum totam terræ superficiem obtegens, coacta à Deo in vnum locum recedere, Genes. 1. Videtur continuis fluxibus, prisco recuperando Imperio inhiare. Quid ergo est, quòd cum in diluuio priores limites attingere cerneretur, quasi à Deo fæliciter restituta; ipsa tamen sponte decrescat, & reluctantibus angustiis se concludat? quia hoc restitutionis beneficium, non sibi in sui gratiam, sed in hominum vindictam nouerat apparari; mallétque imperium suum non dilatare, quàm seuero vindictæ tantæ ministerio deseruire. Affulgente igitur denuò, diuinæ in homines radio pietatis, cohibetur sponte, vt pridem inuita puniisse nosceretur; vt non solùm ab Angelis, sed etiam ab insensibili elemento, asperam Administer probus indolem dediscat. Oleaster ibi, *Clauserunt se, quasi ostendentes, quod inuiti, & non sua sponte homines afflixerint, à quibus Ministri Iudicum discant, non suâ sponte, sed quia parere opus est iudici, sententiam exequi damnationis.*

In puniendis hominibus, etiam in exsequiis mitescunt.

Oleaster.

478. Et quidem si damnabilis asperitas, & Administrorum immanitas, etiam in pœnæ iustæ exercitio. Qualis iam dixeris illos Administros, qui ferocientes Principis animos, qui iniquam damnationem auidè exequuntur? hos ego in ipso suo furore, sub ipso sæuiente spiritu, fæmellis molliores, & euiratos vndique prædicauerim. Inuidet Pharao Israeli, & populi sui viros ad immanissimi sceleris conuocat ministerium. *Præcepitque Pharao omni populo suo dicens, quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proiicite: quidquid fæminini, seruate*. Exod. 5 v. 22 Parent, sæuiunt, suffocant, putabis strenuam, licèt impiam, sæuo Principi operam præstitisse: at certè nihil euiratius edere potuerunt. Obstetrices fæminæ v. 17. in id vocatæ, impium Tyranni mandatum conculcantes, solum Deum sibi timendum proposuerunt: viri agnitâ impietate Principis, non tam eius reuerentiæ, quàm timori, ministrarunt; vtros igitur putes strenuiores? Bene Oleaster: *Mirum valde est, quod fæminæ in mala Regi obtemperare noluerint, viri verò facilè: vt isti summergerent, quos illæ seruarant.* Certè mirum, nisi quòd iam frequentissima hæc improborum Administrorum ignauia, sub obedientiæ prætextu, timorem à Tyranno, celans conceptum: admirationem non solet commouere.

Ministeri ... in pœnalum, effeminatum est. Exod. 1. 22. *Fæminæ, ... andoque ... viris præstāt.* Oleaster.

IX.

Cur se Princeps erga Ministros absentes, quasi præsentem; absentem erga præsentes sit gestaturus.

479. Satis ista de publico erga Principem, & Populum, Administro: addo paucis qualem se Princeps erga Administrum probum sit gesturus. Vno monito, sed illo bipartito contentus fuero; absentibus Administris sic inuigilet, quasi præsens adsit curandis & fouendis; præsentibus sic committat liberas recti ministri partes, quasi absens degat: vt enim deponere absentium suorum curam, periculosæ ignauiæ est; sic præsentibus obstrepere, & nihil agendum relinquere, importunæ confusioni deputatur. Transfiguratum Principem suum Iesum, solarique luce, & niueo splendore coruscantem, Discipulis admirantibus, addit Matthæus, *Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias, cum eo loquentes*, cap. 17 v 7. Vbi vides, Discipulis apparuisse dici, non Christo: cùm tamen etiam ipsi Domino, quà homini re verâ tunc denuò aduentarent. Causa, ni fallor illa, quia sanctissimos hos Administros licèt absentes, & in Paradiso alterum, alterum in limbo positum, sic instituebat, sic curabat Christus, quasi illis semper adesset; vnde neque Principi vnquam, denuò aduenire, neque subitò apparere videbantur. Talem quæro optimi Principis vigilantiam, ne ipse rerum notitiâ defraudetur, & improborum culpis videatur indormire, aut proborum curâ sollicitâ destitui. Quod etiam nostro loquendi modo, ex Deo poterit adnotari. Expendebat Dauid terrenos iustos insigniores, qui à cælesti curiâ peregrinantes, & quasi Deo absentes, humana hic negotia Domino ministrabant: tunc sic exclamat: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est Principatus eorum*, Psalm. 138. v. 17. Nihil apud Deum, nimium, qui omnia continet in pondere & mensurâ: si quid tamen nimium vnquam videri potest, honor ille est, quo ab æterno Rege, eius Administros cernimus affectos; dum communicatum sibi Principatum, sic firmant, sic corroborant, ne nutent. Sed vnde inquis hæc firmitas mira, eximia hæc constantia administrando? quia absentes sic curat, sic fouet æterni Principis vigilantia, vt illis semper non solùm immensitate & gratiâ, sed curâ & cogitatione adesse cognoscatur. Maius est, quod prædictum locum sic vertat Chaldæus Paraphrastes, ferè ex Hebræo, *Mihi autem nimis mirabiles, & stupendæ factæ sunt cogitationes tuæ Deus*, quasi amicos hos Administros, sic insistens solicitè curet Deus, vt pro curis & cogitationibus diuinis

Oleaster. *Princeps præsenti curâ, ab sentibus ministris debet inuigilare.* Matth. 17. Psalm 138. *Amicus sic charus Deo, vt curæ illius sit.* Paraphrast.

diuinis vsurpentur, idémque sit vel *amicos*, vel cogitationes Dei nominare. Immodicè palpans dixit Statius ad Imperatorem lib. 4. Sil. 2. *Te, spes hominum, te Cura Deorum, cerno, &c.* Et Matt. lib. 1. Epig. 83. *Quis curam neget, esse te Deorum.* Quod tamen verè, apud verissimum Numen, Administris suis concessum congratulamur.

Statius. Martial.

480. Ter in anno, Templum adoraturi, ex vniuersâ Prouinciâ, adirent, præcipiebat Deus, viris Israëlitis: & quò non timerent, ne fortè desertæ virili robore Ciuitates, ab hostibus circumuicinis inuaderentur: subiungit statim: *Nullus insidiabitur terræ tuæ, ascendente te & apparente in conspectu Domini Dei tui, ter in anno.* Exodi 34. v. 24. Pende attentissimum prouidentiæ genus. Nouerant hostes ascensum Israëlitarum in Ierusalem, relictum imbellem sexum, prædæ potiùs, quàm munimini futurum: & cùm auidè inhiarent euertendo Israëli, continebantur tamen, propemodum ad miraculum, in officio, & penè stupidi occulto timore, ignotâ reuerentiâ, parata spolia attingere non audebant. Quò tendis iam continuato prodigio, æternum Numen? respondet Oleaster ibi. *Docet pulchrè hic Dominus Principes, eorum negotia & res diligenter in absentiâ curare, quos nouerint suo, aut Reipub. ministerio impeditos: dignum est enim Principem illius priuata bona curare, qui pro eo, publica munia, & negotia tractat.* Sic enim absentibus Administris affectu & curâ adesse debet Princeps, vt eorum etiam rebus, sollicitus inuigilet: quasi quos ab aspectu dimittit, corde tamen retinere agnoscatur. Et certè hæc Principis erga suos, horumque res, attenta vigilantia: attentissimos ipsos, commendato negotio reddit, ac peruigiles: fidelitatem non solùm efficaciter eliciens, sed etiam suauissimè extorquens: quidni si amorem, & quod maius est, desiderium Principis manifestat: quo nihil venire potest Ministro gloriosius? quo nihil esse potest æstimabilius?

Exod. 34. 24.

Oleast. ibi. *Ministri absentis negotia, curet Princeps.*

481. Mira sunt illa, quæ Princeps Apostolus, filio suo charissimo, fidelissimóque Administro Timotheo, scribit epist. 2. vbi ita. *Gratias ago Deo, cui seruio in conscientiâ purâ, quod sine intermissione habeam tui memoriam, in orationibus meis: nocte ac die desiderem te videre, memor lachrymarum tuarum.* Cap. 1. v. 3. Pulchrè enim hinc gratias, me iudice, Deo agit, quòd rectè accepto Apostolici Principatûs officio fungatur: quia absentis Administri memoriam nullo tempore deponit. Sed illud in hâc re dubium, cur ad se Paulus, Timotheum quandoque, ad breuem saltem conspectûs fruitionem, non reuocaret? Esto enim desideriis propriis licèt ardentibus, fortis imperaret Apostolus: cur saltem tenerrimis, Administri, lachrymis, votis anxiis, blandus non indulgeat? Vidit credo, longè gloriosiùs, longè æstimabiliùs Timotheo ipsi habendum, quod eâ curâ, eâ solicitudine à Principe suo absens haberetur, vt etiam sui desideria excitaret, quàm si eiusdem familiari commercio, & intimo contubernio frueretur. Ita est; curantis absentem Principis desideria, (quæ propriè Lusitani vocamus *Saudades.*) Ministrum decorant & commendant: mauult sic sibi absenti, Principem desiderantem ad esse: quàm Principe præsens frui, per amicitiam. Politicus, politissimè, Plinius in Panegyr. de quodam optimo Administro, qui officio missionem, & Aulam deserendam, aliò nauigaturus, à Traiano impetrarat. *Stetit Cæsar in illâ amicitiæ speculâ, precatúsque maria, celerémque, si tamen ipse voluisset, recursum: nec sustinuit recedentem, non etiam atque etiam votis lachrymis sequi. Nam de liberalitate taceo: quibus enim muneribus æquari, hæc cura Principis, hæc patientia potest? quâ meruisti, vt ille sibi nimiùm fortis, ac propè durus videretur: nec dubito quin agitaueris secum, an gubernacula retorqueret: & fecisset, nisi quod penè ipso contubernio Principis faliciùs, iucundiúsque est, desiderare Principem.* Quidni ergo, vbique sic curatus, sic desideratus à Principe Administer, sub hac eximia honoris felicitate, totus Principis negotiis, ad sanguinem vsque impendatur? Sic absenti tuo ades, sic cura, sic desidera mi Princeps: vt optimo Administro perfruaris. Hæc satis de prima Tituli parte.

2. Tim. 1. 3.

Plin.

Desideria Principis, erga absentem Amicum, omni honori præponuntur.

Fortasse non vtilior, nescio tamen quomodò necessarior Politicæ institutioni, pars secunda, ideo diligentius illustranda. Odi Principem, qui probatis iam Administris nihil relinquit agendum: omni negotio incertus, immediatè omnia attrectans potiùs, quàm disponens, cuncta confundit: dum singulis obstrepit, omnia perturbat, quasi Administris, non tàm rem, quàm nomen deleget potestatis. Ergo quàm est ignaui & otiosi Principis negotiis grauioribus, nó insistere consilio: tam est scioli & inquieti, nihil Administrorum iudicio relinquere: grauissima solummodò Princeps per se exerceat, necesse est, reliqua, minoris ponderis, per suos: si nihil iuris Administris concedis, nihil authoritatis arrogas, cur assumis? Serenitatem Orbi redditurus Deus, *Adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ.* Genes. 8. v. 1. Non poterat credo Dominus solo nutu aquas imminuere, qui solo verbo produxerat aquas, & Orbem? logi. Quid ergo ventum aduocat exsiccaturum? dederat huic, naturam, & exsiccandi potestatem ab initio, vnde noluit Ministri authoritati derogare: nec tanti ponderis erat hoc negotium, quod ministri industriæ committi non deberet. Oleaster. *Sunt multi Domini, qui omnia per seipsos facere volunt, non sinentes suos Ministros, ministeria deputata sibi, operari: non sic autem Deus, qui suos Ministros, sua munia implere, non solum permittit, sed præcipit: qui tamen omnia per se, meliùs facere potest, &c. Nobiliora namque per se, cætera verò, à suis naturalibus causis gigni permittit.* Vbi pulchra alia, quæ alibi, ad rem Concept. Mar. iam expendi. Sic igitur Ministrorum consulitur authoritati, vt ministeria rectè obeantur. Gerat proinde se Princeps, in his rebus, quasi absens, soláque præsentia ad eosdem vtatur honorandos. Prudenter citatus Plinius ad Traianum. *Est hæc natura sideribus, vt parua & exilia, validiorum exortus obscuret. Similiter Imperatoris aduentu, legatorum dignitas inumbratur. Tu tamen maior omnibus quidem eras, sed sine vllius diminutione maior: eandem authoritatem præsente te quisque, quam absente retinebat. Quin etiam plerisque, ex eo reuerentia accesserat, quod tu quoque illos reuerebare.* In quam sententiam sacra plura, in Comment. Cantic. cumulaui. Pergo. 482.

Princeps præsens, prudenter Administro abesse dicitur, dum illius ministeriis, non obstrepit.

Non omnia, per se agat Princeps.

Gen. 8. 1.

Oleast. *Ministris, ministeria libera relinquenda.*

Authoritatē Ministrorū, non diminuat Princeps, sed conseruet.

Rogabat miser, Pater, filij salutem à Christo, qui 483.

qui lunaticus, imò dæmoniacus nunc in ignes, nunc in aquas præcipitem ſe dabat, nec ab Apoſtolis ipſis curari poterat. Matth.17. v.15. & 16.

Matt.17.17.

Tunc modeſtiſſimè indignatus Dominus exclamat: *O generatio incredula & peruerſa, quouſque ero vobiſcum? quouſque patiar vos? afferte illum ad me*, v.17. Et vnde iuſta indignatio? quid peccat miſer pater, ſi quod Miniſtri non poſſunt, rogat à Principe? quid deliquerunt Diſcipuli ſi conantes, validum tamen hoſtem non poterant ſuperare? Dederat vt nôſti diuinus Princeps, Adminiſtris ſuis poteſtatem vt curarent omnes morbos, & omnes immundos eiicerent ſpiritus, cap. 10. v.1. Cùm igitur hîc non poſſint, poſſet putare aliquis, iam Chriſtum illorum authoritatem minuiſſe, vt quaſi importunus Princeps, deputato ſemel aliorum miniſterio ſe ingereret. Hinc ergo iuſta indignatio, quod & Patris, & miniſtrorum incredulitas v.20. implendo miniſterio obſtaret, vnde vtcunque illa contra Dominum ſuſpicio oriretur. Quippe tam longè aberat, vt Adminiſtrorum poteſtati commiſſæ vellet obſtrepere, & illorum ſe ingerere miniſterio: quin potiùs, quòd ſua culpa non valeant, indignetur. Fortaſſe totum hoc cogitabat Origenes homil.4. qui ita ad hunc locum, *Nam quoniam non potuerunt eum ſanare, neque ipſi Diſcipuli Ieſu, quaſi adhuc modica fide conſtituti: propterea dicit: O generatio incredula!* O quàm alia indignatio inquieti Principis, ſi quid non obſtrepente ipſo, diſponatur!

& cap.10. 1.
Doleat Princeps ſi obſtrepat, & ſuis ſeruorū officio præſumatur.
Origenes.

484. Et quidem tantùm abeſt, vt ſupremus Princeps, delegans poteſtatē ſuam Adminiſtro, liberéque illum ſinens operari, propriam authoritatem imminuat, quin potiùs hinc anguſtior videatur. Ad Moyſem, iam in totius Iſraelis Principem, & quod maius eſt, in Deum Pharaonis conſtitutum, ait Dominus. *Cum dixerit vobis Pharao, oſtendite ſigna, dices ad Aaron: Tolle virgam tuam, & proiice eam coram Pharaone, ac vertatur in colubrum*, Exod.7. v.9. quod ita reapſe factum legis, v.10. Mirum erat hoc prodigium, grande miraculum: cúmque primum foret, quo Moyſes dignitatem, & quodammodò diuinitatem ſuam apud Pharaonem eiúſque Aulicos eſſet oſtenſurus, videbatur ab ipſo conciliando ſtupori operandum. Cur ergo Aaroni potiùs commendatur? vide quæſo, quid v. 1. Deus ad Moyſem: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit Propheta tuus*, id eſt, erit Interpres & Miniſter. Putauit ergo Deus longè glorioſius Moyſi, quâ Principi, quâ Deo Pharaonis, ſi per Adminiſtrum ſuum imperio impoſito, delegata poteſtate, quam ſi immediatè opus exequeretur. Dionyſius ibi; *Vt ordo mediationis ſeruetur ſit Aaron inter Moyſem & Pharaonem: ſuperioritas quoque Moyſis, in hac commendaretur: iam enim dixerat Deus ad Moyſem: Ecce conſtitui te, &c. ideo Moyſes, quaſi Superior, & quaſi quidam Deus Pharaonis, per intermedium fratrem ſuum iuſſit virgam proiici.* Crede mihi mi Princeps, authoritas tua eſt, auguſtior creſcis, dum Miniſtro quandoque dilatas poteſtatem: hinc Dominicæ potentiæ creſcit opinio glorioſior, quo in ſeruis nobilior ſtupetur: quia eò grandius aliquid in Domino præſumitur, quò acceptis inde viribus ſeruus illuſtrius operatur.

Principis poteſtatē ſuam delegans, nec importunè aſſumens, decetur.
Exod.7.9.
Et 10.
Et 1.
Dionyſius.

485. Legitur ſæpe in Euangelio Chriſtus, vt miracula edat, Patrem orans: & tamen legitur alicubi Elias ſic pronuntians: *Viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto: ſi erit annis his ros & pluuia, niſi iuxta oris mei verba*, 3.Reg.17. v.1. Quò tam præceps viſus ruere, ô Elia? Chriſtus Princeps orationem aſſumit erga Deum: tu ab hoc, quaſi abſolutum imperium tibi præſumis? an hæc immodica ſuperbia, tumida arrogantia? Imo ſumma eſt in Deum reuerentia, & maioris longè poteſtatis Chriſti, certiſſimum argumentum. Nemo enim; niſi hæreticâ prauitate obcæcatus, preces Chriſti Domini, non myſterio potiùs, quàm indigentiæ deputauerit: qui videt Eliam ſeruum ſic potentem: quanta enim Chriſti Principis excellentior fuerit potentia, ex Adminiſtri geſto coniectatur. Capies hinc Chryſoſtomum tom.6. orat. de Petr. & Elia, vbi ita, *Quid facis Elia, quid pronuntias? Saltem ora Dominum, & proinde ſermonem adimple. Vbi ſunt Hæretici, qui dicunt filium Dei orare? Miſer homo & impudens, quid ais? Elias pronuntiat, & Dei filius orat? Seruus iubet, & Dominus obſecrat? neque eum honorem Dei filio tribuis, quem Eliæ? an non vis parem ſaltem dignitatem Domino concedere, & ſeruo? non orat, neque precatur Elias, ſed veritatis ſermonem proponit, & cælum ipſum claudit.* Et quidem claudit magis ipſo geſto, Hæreticorum ora, quàm verbo cælum concluſerat. Vt diſcat iam Princeps, quantùm ſibi ex potentiori miniſtro accreſcat authoritatis, nec obſtrepat inquietus ſingulis ſe negotiis interſerens.

3. Reg.17.1.
Principis dignitas ex Adminiſtri potentia coniectatur.
D. Chryſoſt.

Hæc de miniſteriorum exercitio. quibus non ſemper volo Principem intermixtum: aliud, de Principis conſilio, & Imperio dicendum; ſine quo ſaltem in grauioribus negotiis, nihil, vel etiam primario Adminiſtro machinandum, infrà fuſior oſtendam.

NOTATIO IX.

De Iudicibus à Principe deſignatis.

INTER publicos Principis Adminiſtros, nullis grauiores cauſæ, quàm Iudicibus commendantur: ideo ſeorſim, priuata his congerere monita, putaui neceſſarium. 486.
Iuſtitia ſtat Reſp. floret Imperium: Iuſtitia ſui ordinis virtutum Princeps, æquitatis Regina, arbitra pacis, morum compoſitio. Hinc eſt, vt ex aliquorum ſententia hanc preſsè virtutem Matth. 6. v. 1. Chriſtus vanæ gloriolæ cauerit exponendam. *Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis*, quia licèt quæuis virtutum, ſacrilego hoc næuo fœdetur: fœdius tamen, quæ omnium eſt pulcherrima conſpurcatur: dolebat nimirum præcipuè, ſupremus Princeps, excellentiſſimam Adminiſtram conniuens interim aliis contaminari: & quam in oculis gerit, vel leuiſſimo puluere ſordeſcere. Eleganter D. Petr. Chryſolog. ſerm.9. ad hunc locum, *Quomodo quod fit ab hominibus, coram hominibus non fit? patentis Iuſtitia, latet ſenſus, publici operis quod ſecretum? Quis potuerit celare radios Solis,*

Iuſtitia encomia glorioſa.
Matth.6.1.
D. Chryſol.

lis, Iustitia potuerit occultare fulgorem: Iustitia, lux rerum, consiliis non velatur occultis: Iustitia cum sibi facto claret, omnes illustrat exemplo: & quid est, quod eam Dominus coram hominibus fieri non vult, per quam statum capiunt res humanæ? & vbi est illud Matthæi: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona? quomodo Iustitiam vult celare, cuius opera vult sic elucere? Fratres, hic præceptio cælestis, vult iactantiam tollere, auferre pompam, vanitatem demere, summouere inanem gloriam: sic Iustitiam vult celari. Iustitia per se sibi abundat ad gloriam: spectaculum Populi, vulgi laudes, fauores hominum, Mundi gloriam non requirit: à Deo genita cælum spectat, in oculis agit diuinis, supernis virtutibus mixta, à Deo solo, vt glorificetur expectat. En quale vobis depositum creditur, ô Iudices: vos videritis, an iure, violandum præsumatis: Ergo præter illa, quæ vobis, cum cæteris Administris (de quibus iam fusè) sunt communia: hæc vestra capite, legite, seruate.

MONITA POLITICA.

I.

Ius suum vnicuique Iudex tribuat: & quo animo, quâ innocentiâ processurus.

487. *Quantum ab æquo tantum distas à Iudicis officio.*

CONstantiæ rectitudo: Propositi, ius suum vnicuique distribuentis, æqualitas Iudicem constituunt: quantum ab his, aberras ab officio. Israelis Iudex, contra Ægyptios mittendus Moyses, audit à Deo: *Quid est, quòd tenes in manu? respondit, virga.* Exod.4. v.2. Iussus illam proiicere, serpentem horret: quem rursus acceptum cauda, in virgam demiratur reuersum. Vers. 3. & 4. Cùm tot aliis prodigiis, accepti muneris signa, Deus Moysi præstare posset: à virga tamen putauit inchoandum: vt quæ futura erat, iudicialis Potestatis insigne, insignia miracula initio exhiberet: & quidem meritò, inquit Oleaster: *Voluit Dominus, Moysem virgam secum ferre in manu, quoniam facturus erat iudicia in Ægyptios. Cuius quidem Iustitiæ virga, cùm Moyses caput apprehenderet, serpens erat: cùm verò caudam, in virgam vertebatur. Hoc enim habet Iustitia, vt si quis principium aspiciat, mordere videatur reum: sed si finem inspecies, virga est, æquans inæqualia.* Illud tamen in hac re dubium, cur quæ initio, serpentis instar horribilis cernitur sibilare: tandem in fine, blandiens & adæquans præsumatur? quid enim non timeatur latere dissimulatus, in virgâ Iudicis, furor: tam districtè in principio euibratus? aut quis non timeat postea subdolè insidiantem: quam semel apertè asperam subnotârat? timeretur quidem, & meritò, suspecta, si inflexa in arcum, & non potiùs in longitudinem recta haberetur hæc virga: abolet tamen omnem suspicionem, dum recta sic Iudicem notat, vt pariter mensorem designet. Vnde ergo suspectam habeas Iustitiam, quæ sub certâ mensurâ res adæquat? hoc est, quod addit idem Oleaster: *Si quæras, quare Iudices, virgâ rectâ vtantur: aduerte eos hac virga rectitudinis, rectitudinem iudicij designare: aut quia virgâ metiri solemus, ostenditur Iudices vnicuique debere seruare mensuram.* Si ergo sic te Iudicem geris, vt pariter non adhibeas te mensorem, si deest officio mensura æquissima: non iam Administer publicus Iustitiæ: sed dissimulati veneni serpens vbique præsumeris.

Exod.4. 2.

Oleast. *Virga iudicialis Sacramentum.*

Oleaster.

488. *Iustitia, etiam puniens, neminem offendit.*

Hinc est vt æquus Iudex, nec etiam quando in Reos, quasi serpentis furorem videtur spirare, ab ipsis, infesto odio habeatur: quia nemini aduersari præsumitur, qui singulis mensuram seruat inflexibilis. Redeant quatuor illa flumina, de quibus supra fusè, quæ è Paradiso, in symbolum quatuor virtutum, ab Anima emanantium, scaturiunt; mirum enim est quam alio, & alio modo, de Tigri, & Euphrate, (id est, Authore Philone lib.1. Allegor. de Temperantiâ, & Iustitiâ) loquatur Scriptura. *Nomen fluminis tertij, Tigris: ipse vadit contra Assyrios. Fluuius autem quartus, ipse est Euphrates.* Gen 1. v.14. Cur etenim, vt de reliquis virtutibus taceam, quemadmodum de Tigri, siue Temperantia dicitur, mollissimas Assyriorum voluptates impetere, & oppugnare: bellum aliquod Euphratis, seu Iustitiæ, iniustis & iniquis illatum, non profertur? An non Iustitia iniustitiæ opponitur, destruit iniquos? Opponitur quidem, sed non belli odio: destruit, sed non felle dissidij: quasi non tàm contra, quàm pro iniquis, ire videatur: quæ enim æqua fuerit, iniquorum querela, iusta indignatio, si sibi ius suum, id est, debita pœna, assignatâ Innocentibus victoriâ, tribuatur? meliùs citatus Philo, post multa. *Iustitia, quam nobis refert Euphrates flumen, nec oppugnat quemquam, nec circumuallat, nec habet aduersarium. Quare? quia huius est, suum cuique reddere: & est loco non accusatoris, sed Iudicis. Quemadmodum igitur Iudex nec vincere vult quemquam, nec habere aduersarium: sed latâ sententiâ pondus addit parti iustiori: ita Iustitia quoque cum nemini aduersetur, cuique rei, quod suum est tribuit.* Sic erumpe mi Iudex, si te Euphratem, id est, frugiferum contemplaris: pœnas ipsas, quas sic rectus inflixeris, tanquam optimos fructus, ipsi amotâ proteruiâ damnati commendabunt: qui enim feriens, hostis non creditur, medicus recolitur.

Gen.1.14

Phil. Iud.

489. *Iusta opera, non tam sibi quàm Iustitiæ, Iudex exerceat.*

At neque satis est ius suum vnicuique tribuere: nisi ita tribuas, vt hinc, non tam tibi, quàm Iustitiæ, blandiri videaris. Oppugnabant Philistim, Saulem: anxius Princeps Deum consulit: qui tamen iratus, *Non respondit ei, neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas.* 1. Reg. 28. v.6. Tot modis, hisque pro solito piis, quæsitum Numen, obduratur seuerum. O quid obsurdescis, Pater piissime, cum aliunde prænoueris, ad has incitas redacto Principi, Dæmonem iam, pro Deo consulendum? Quid non misereris infausto, ne tandem sacrilegus aduocet Pythonissam, qui paulo ante iustus Iudex (quod ibidem legitur à v.7.) Pythonicos, Magos, & Ariolos omnes, extremo supplicio affecerat? an saltem impia omnia oracula sustulisse, non te tantisper emolliret: vt illum, à Magiæ recursu præseruares? Respondet optimè D. Iustinus Martyr, quæst. 52. *Diuinatrices abstulit Saul, eo facto se Deum reconciliaturum sperans: vt suam ille sententiam, qua eum, vt regno indignum*

1. Reg.28.

D. Iust. Mart. *In illam culpam relaberetur, quam, sed non propter Dei amorem, ingulasti.*

gnum repudiauerat, mutaret: non ariolorum odio habens impietatem, sed Regni adamans administrationem. Et quia consilium eius Deus non probauerat, propterea cum ita reliquit, vt eos hic requireret, quorum non bene instituto parauerat eadem. Illustrissima virtus est Iustitia, & in diuinis oculis peragenda, sacranda Deo: si illam tibi exerces, iam profanas: neque tam partibus distribuis ius suum, quàm totum tibi arrogas iniurius: pœnam potius, quàm præmium promeriturus.

490. Vngitur in Principem Israelis, Iehu: 4. Reg. 9. idque eo consilio peragit Deus, vt ille impiam Achab familiam, vindex acerrimus funditus deleret. ita factum: occidit Iezabelem v. 30. Achab vxorem: & septuaginta eius filios cap. 10. trucidat. Quid æquius, & diuino Palato dulcius, fieri posse videbatur? & tamen audi Dominum, per Oseam. *Adhuc modicum, & visitabo sanguinem Iesrael, super domum Iehu.* cap. 1. v. 4. idest, summam vindictam à familia Iehu, propter sanguinem familiæ Achab, quem Iehu ipse fudit in Iesrael Samariæ. Quæ explicatio multorum, (licet mihi minus probabilis) ad Tropologiam saltem, non contemnenda. nunc ad rem. Quid est, quòd pœna sumitur à Iehu, cùm tamen rectissimæ mensuræ iudex, ius suum, idest debitam, Deóque gratam, impiissimæ familiæ pœnam irrogarit? Respondent quidam apud Emanuelem Sà. *Etsi enim illud fieri Deus voluit: sed ille, secundùm quosdam, animo dominandi fecit, non parendi Deo.* Quod quamuis ipse Sà ibi redarguat ex cap. 10. non tamen aperte satis: cùm nunquam ex contextu satis clareat v. 30. an vt gestum, sic etiam animus Iehu placeret Deo. Bene ergo punitur tanquam iniquus iudex, qui rectè facti iustitiâ, iniusto animo putauit indulgendum: qui virginem virtutem, proprii commodi vitio violauit temerè, quam debuit illibatissimam Deo custodire.

4. Reg. 9.

Oseæ 1. v. 4. *Iustitia publica, priuato affectu exercita, inculpâ reperitur.*

Emanuel Sà.

491. Sed aliud insuper nefas, in Iehu, reperio, quod summopere in iure suo cuique tribuendo, Iudici in eo vellem adnotandum. Nouerat Iehu, hinc præcipuè contra Achab, eiúsque familiam, Deum indignatum, quòd colendis aureis Ieroboam vitulis persisteret: & tamen ipse, qui Baal Sacerdotes contudit penitus, eosdem tamen vitulos durauit colens, *Porro Iehu non custodiuit vt ambularet in lege Domini; Dei Israel in toto corde suo, non enim recessit à peccatis Ieroboam.* lib. & cap. sæpe citato, v. 31. Hæc est ergo iustissima iuxta, & frequentissima Dei indignatio contra iudices, quòd cum rectum iustúmque statuant, vt par est, pœnarum ius, sceleribus impertiri: ipsi tamen eisdem sceleribus implicati, suppliciorum immunes degere contendant. Sed esto euitent humana, cum Iehu tamen diuinis certè duriùs subiacebunt. Grauiter de Iehu eiúsque familiâ, Ruffinus pius, in verba Oseæ citata, (etiam probato eiusdem animo, erga pœnas Achab,) sic subiungit. *In hos Iehu posteros, qui Achab deleuerant, ideo dicitur ira consurgere, vt illorum, qui, ab his, extincti fuerant, sanguinem vindicaret: non quòd cædes fuisset iniusta, sed quoniam qui illam fecissent, per imitationem criminum, decus Iudicum perdidissent: & similia illis, quos deleuerant, exequendo, transissent in numerum, & societatem reorum.* O quot decora, quot Iudicum ornamenta, hinc hebescunt! Tu caue, quæ in aliis punis peccata, tibi foueas: aut saltem corde humili non deplores. Hoc est quod Iudas cauit, Iudex integerrimus, dum agnitis pignoribus, absoluens nurum, ait: *Iustior me est.* Genes. 38. v. 26. non quòd iustior Thamar, simplici fornicario comparata, quæ sciens, incestum, & adulterium deglutierat: Sed quia punire crimen, cuius ipse particeps erat, æquus Iudex sic exhorruit, quasi ipse nocentior, & supplicio dignior longè foret. Hoc est quod Christus, Ministris illis, adulteram damnaturientibus ait, *qui sine peccato est vestrum primus in illam, lapidem mittat.* Ioan. 8. v. 7. quia nec etiam Pharisæos sic effrontes existimauit, vt peccato proprio agnito attentiùs, neque deleto, alieni peccati causam damnare auderent: ideo dum recogitant, nec emendant: vnus post alium, renuntiantes causæ, discesserunt. Sed de hoc vbiuis multa.

4. Reg. 9. *Sacrilegè Iudex, in sceleribus subiacet, quæ in aliis castigat.*

Ruffinus Pius.

In'euntca' fligat scele-ra, quibus scatet.

Genes. 38. v. 26.

Ioan. 8. v. 7

II.

Neque fictæ pietatis, neque concordiæ affectatæ prætextu violandum hoc ius.

Sed sunt pluscula, quæ ab honesto, officii sui, Iudicem, vsu retardant. Non est animus taxare denuo Auaritiam, Ambitionem, de quibus suprà, quæ pestes, cum aliis Administris, huic communes: taceo consanguinitatis amorem excæcantem, de quo in Spicilegio sacro, abundè iam: pauca suggeram, quæ quò occultiùs obrepunt, eò nocent periculosiùs, & difficiliùs euitantur. Mira vndique est, illa Dei institutio ad Iudices. *Pauperis quoque non misereberis in iudicio.* Exod. 23. v. 3. vel vt alii ex Hebræo vertunt: *Pauperem non decorabis, in causâ suâ.* Personam diuitis non attendendam, passim clamat scriptura, vt pote periculosam, quæ aut donis corrumpat Iudicem, aut affligat authoritate. At verò in causâ desertâ pauperis, nullum periculum Iudicis, sed proprium: vnde in sacro Textu, vix redigas ad numerum, quoties hoc hæc à Patrono Deo procuretur, insinuetur, commendetur. Quid igitur est, quod in hoc capite tam disertè causa pauperis præcipitur deserenda. Præmonstratur occultus, fictæ pietatis, scopulus, latens Scylla, cui, (euitatâ, decorandi diuitis Charybdi) impingit quandôque Iudex. Vatab. ibi. *Licet multo fauore Deus vbique prosequatur pauperes, & nolit opprimi: non vult tamen respectu paupertatis Iudicium corrumpi.* Pari quippe iniquitate, si Iustitiæ rectitudinem attendas, ius violaueris, si defraudato diuite, læseris eius causam, quàm è contra: quamuis apud vulgus, minus interim suspectus videaris. 492.

Exod. 23.

Fictæ pietatis prætextu, violatur ius.

Vatab.

Sed habet emphasim prædicta Hebræa versio, *non decorabis*: vel vt vertit in Scholiis Vatabl. *Pauperem ne honora, in lite sua.* Quam passim in sacris Bibliis, verbo decorandi, & honorandi, pro donis & muneribus cumulare, próque ornare diuitiis, capiantur, nullus vel mediocriter peritus ignorauerit. Sic multi explicant præceptum de honorandis parentibus: & multa congerunt ad illud: *Honora Deum de tuâ substantiâ.* 493.

Vatab.

Prou. 3. v. 9.

tiâ. Prouerb. 3. v. 9. Est ergo sensus germanus loci nostri, in litibus diuitiarum, vbi pauper & diues contendunt, strictissimo iuri standum, nec illius paupertati, præter fas, indulgendum. At cur in his litibus diuitiarum signatius, & præcipuè, hanc fictam pietatem Iudicibus cauendam, præcipit Deus? quia in his maximè, non solùm est occultus scrupulus, quo obuertant, sed insuper blanda quædam deceptio, quâ sibimetipsis illudunt iniqui Iudices. Conniuent aut deglutiunt diuitis iustitiam læsam, dum Pauperi misericordia blandiatur: & qui de suo, nec teruntium pauperibus vnquam erogant, iam sub quavis iustitiæ specie, eosdem de alieno satagũt ditare: sibi interim, si Deo placet, quasi de profusâ eleemosyna applaudẽtes. Acutè ibi Oleast. *Grauissima & perniciosissima sunt mala, quæ prætextu pietatis fiunt, & qui ex suo pauperi obolum non darent: facilè iniquam ferendo sententiam, tribuunt alienum: & cuius non miseretur, vt eleemosynam porrigat, eius miseretur in iniquâ sententiâ.* Sed sic facta, in pauperes misericordia, ipsis Iudicibus miseria est extrema.

Prou. 3. 9.

Maximè, in lite pecuniaria.

Oleaster.

494. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum,* venturus Christus, passim in sacris enuntiatur: vel quòd vniuersum Orbem, ingenti virtutum paupertate oppressum inuenit: vel quòd prætermissis Potentibus, pauperes & abiectos, priuato amore fuerit prosecutus: vnde & pauper ipse venire destinauit. Quis ergo non putaret, vndique blandum, nihilque seueræ iustitiæ, sed omnia, piæ saluti tribuentem descendisse? audi tamen Zachariam: *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: ecce Rex tuus veniet tibi, iustus & Saluator. ipse pauper, &c.* Cap. 9. v. 9. Pauper ipse, quia salutis pauperum studiosissimus: & tamen non solùm Saluator venit, sed etiam iustus: quasi salus absque iudicio indigna Deo: qui sic vocat per gratiam, vt litem expendens, coronet iam saluos per iustitiam. Benè Origenes: hom. 14. in Matth. ad hunc locum. *Veniebat autem Rex iustus, & saluans: non simpliciter saluans, sed iustus, & saluans, id est, cum iudicio, & iustitiâ saluans.* Non saluas ergo pauperes, & afflictos, mi Iudex, more Dei, nisi illos cum iustitiâ saluaueris. Et fortasse propterea Dauid ait: *Deus Deorum Dominus locutus est.* Psalm. 49. v. 1. In quo Psalmo vt nôsti, totius Orbis salus, & iudicium pariter, enuntiatur: pende tamen, quid hic legatur ex Hebræo: *Deus Iudicum Dominus, locutus est.* Quasi Iudices æquos, Deorum titulo signatiùs appellare videatur in hoc loco: vt à Deo didicerint, nunquam absque iustitiâ salutem apparare: cùm hâc mixturâ Dei æquitas maximè astruatur. Ideo grauiter D. Irenæus lib. 3. cap. 43. euertens nouissimam & fœdissimam hæresim Marcionis, sic scribit. *Marcion igitur ipse, diuidens Deum in duo, alterum quidem bonum, & alterum iudicialem: ex vtrisque, interimit Deum. Hic enim qui iudicialis, si non & bonus sit, non est Deus; quia Deus non est, cui bonitas desit: & ille rursus qui bonus, idem quod hic patietur, vt auferatur ei, ne sit Deus.* Quod cur ita sit, dixerat paulò ante Cap. 42. *Si enim iudicialis, non & bonus sit, ad dandum quidem his, quibus debet, & exprobrandum his, quibus oportet: neque iustus, neque sapiens videbitur. Iudex rursus bonus, si hoc tantùm sit bonus, non & probator, in quos emittat bonitatem, extra iustitiam erit, & bonitatem: & infirma bonitas eius videbitur, non omnes saluans, si non cum iudicio fiat.* Pulchrè dictùm: qui enim non discernit, non diiudicat, sed temerè fundit salutem & bonitatem: cur non omnes saluat, nisi quia infirmam & coarctatam habet bonitatem? Danda ergo vero Numini, æterno Iudici, infinita bonitas, cuius tamen communicationem, solius iustitiæ prudentia limitârit. Tu cætera expenderis, ne in iudicio piæ bonitatis prætextu deliraueris.

Zach. 9. 9.
Deus, cur Saluator & iustus appellatur.

Origen.
Nulla est pietas, sub violatione Iustitia.

Psalm 49. 1.

Iudices, cur Dij dicantur.

D. Iren.

Est & alia fouea, in quam frequens delabitur Iudex, & hæc occultior: affectata nimirum Concordia Senatus. Nihil est funestius, quàm, dum lis apud Iudices deuoluitur grauissima; quot capita ferè, tot afferri sententias: hinc enim animorum sæuientia dissidia; hinc instantis negotij perplexitas insuperabilis. Vnde prouenit, vt hunc scopulum euitare conantes, nonnulli Iudices, cæco aliunde hiatu decipiantur: & prætextu solicitandæ concordiæ: non tàm suæ sibi vitæ cum paucis, quàm plurium sententiæ subscribere, tutius habent: licèt minus Iustitiæ congruere videatur: ab extrinseco, vt loquuntur Theologi, & aliorum authoritate scrupulum deponentes. Quasi verò, quod serenandæ priuatæ conscientiæ, id etiam publico iudici, cuius districtum postulatur suffragium, satis fuerit. Quàm id cauit Deus, Iudices instituens! *Non sequeris turbam, ad faciendum malum: nec in iudicio plurimorum acquiesces sententiæ, vt à vero devies.* Exod. 23. v. 2. Emphaticè in Hebræo: *Neque respondeas in iudicio, declinando post multos, vt peruersum quid committas.* Quasi acquiescere plurimorum sententiæ, in iudicio, solùm quia plurimi sunt, iam ab officio fuerit declinare: Standum ergo paucis, si rectiores tibi putentur: quidquid postea tumultus excitetur. Bonum ibi scholium Vatabli: *Si plures in iudicio condemnauerint Innocentem, tu sequere pauciores, qui illum saluare conantur: & ne declines in iudicium cum multis.* Quod idem in cæteris negotiis statuendum: hæc enim declinatio, ruina est. 495.

Non violanda Iustitia, vt concordia consuffragãtiũ teneatur.

Exod. 23. 2.
Hebr. versio.
In Senatu nõ plures, sed aequiores sequendi.

Vatabl.

Longè tamen rei nostræ aptior venit, prior illa clausula: *Non sequeris turbam, ad faciendum malum.* Quæ Oleastro & aliis sic vertitur: *Non eris post multos ad mala.* Non dixit: non eris, *cum multis*, ad mala: Sed, *post multos*: licèt enim cum multis, quia multi sunt, prauam sententiam ferre, prudens quisque Iudex soleat euitare: tamen post multos, quorum quidem prioribus suffragiis, & lis dirempta, & negotium cernitur confectum, non ire, cùm suffragium singulare, quod restat, licèt æquius, nullius tamen sit ponderis & momenti: id quidem strenuissimæ cuiusdam fuerit rectitudinis. Quid ita? quia dissimulando scrupulo, subit quidem scopulus occultissimus. Cur enim, inquit Iudex, denoter singularis, & quasi plus omnibus sapere contendens, aliunde tamen, nihil profecturus? Cur parem mihi victricis iam partis odium, & conflem coniudicum mihi, risum, & inuidiam; cùm nihil læsam, (sed æquiorem) partem, hinc firmauero? An non modestius, an non ad concordiam aptiùs, subticere? Hæc ille. Tu verò subdolum caue prætextum, totius æquitatis euersorem: audi Oleastrum, ibi. *Admiranda legislatoris prudentia! Arbitrantur aliqui Iudices, & Consiliarij, se à peccato immunes esse,* 496.

Oleaster.
Suffragium non debet ab aequo deflectere, quamuis inutiliter procedat.

Oleast.

cum

cùm viderint alios se se in malo præcessisse, dicemes: postquam res conclusa est, vota priora sunt sufficientia: quid in ea odium quæro? quod extrema dementia est: quid scis, an alij, postquam te audierint, sententiam in melius mutabunt: quàm si non mutent, tuo suffragio mendacium & iniustitia roborantur. Ventilant Theologi, an iste non solùm culpæ, quod planum est, sed etiam restitutioni sit obnoxius. Ego eum saltem, qui prudenter dubitauit, an suffragio suo peractam iam iniquitatem possit reuocare, & tamen subticuit: pro qualitate dubij, ab hac obligatione non exonerarim. Pergo.

III.

Iudicum concordia: & quàm debeant successores recto Præcessorum iudicio insistere.

497. *Iudices, quã debeant veram inter se concordiam procurare.*

ABsit vt credas, Iudicum me concordiæ hinc obuiare, cùm nihil magis reputem necessarium, qui horum discordiam dixi funestissimam: sed alia est affectata proprio commodo concordia, quam impugnaui: alia, ex recto iure, & Spiritu facta sancto, quam propterea vtpote vtilissimam, iam commendo, adductis tibi exemplis illustratam. Grauatus Moyses, populi cum clamoribus, tum querelis, queritur apud Dominum: auditque ab illo: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, &c. Faciésque ibi adstare tecum, vt descendam & loquar tecum: & auferam de spiritu tuo, tradámque eis: vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris*, Numer. 11. v.16. Non Moyses hunc sanctum Spiritum formandis denuò iudicibus communicat: sed hunc eiusdẽ spiritũ Deus coadiutoribus communicat: ne videlicet hæc sacra conspiratio, ab homine, sed à solo Deo emanans crederetur. Ideo D. Petr. Damian. apud Godef. *Notandum quod non ait, auferes de spiritu tuo, tradésque eis. Sed potiùs, auferam & tradam: vt profectò ostenderet, quia non homo homini Spiritum sanctum tradit, sed solus Deus, qui prout vult, gratia sua dona distribuit.* Non est Spiritus sanctus, quidquid Iudices, attrahendis coniudicibus insusurrant; aliunde certè prouenit hic afflatus. Sed tu mihi pende, non vtcunque Spiritum sanctum hîc dici à Deo datum: sed illum Spiritum, id est ipsissima illa sancti Spiritus dona, quæ in vno Moyse erant. Quid ita? ne putaretur diuersa, eiusdem licet Spiritus, dona, vtpote septiformia, his Iudicibus assignari: sed illa & eadem, quæ in Præside Moyse erant, ipsis communicari; inde strictius concordes, vnde indiuiso spiramine afflabantur. Idem sanctus Doctor, à Iudicibus, ad Ordinatores etiam rem deducens. *De spiritu autem Moysis, viris dedisse Dominus dicitur: vt Ordinatores, vnum debere spiritum habere, perspicuum doceatur.* Neque obstat sub vno eodem spiritu, sententiarum diuersitas, etiam apud rectissimos Iudices inuenta: hæc enim, non scindendæ concordiæ, sed discutiendæ adnititur veritati.

Num. 11. 16.

D. Petr. Dam. *Vt vnanimes eis demque- rent spiritus participes videantur.*

D. Pet. Dam.

498. *Successores nullis Præcedentium iudicio & termini insistãt.*

Id autem non parui ponderis æstimo, vt successores Iudices officio præcessorum suorum æquis sententiis, quantùm iura, & temporis circunstantiæ tulerint, insistant, iudicio concordent. Turbatur neque leuiter Resp. exasperantur meritò litigantes, si causa hoc anno, frequenti Senatu damnata, postea in re omnino simili, à successoribus, victrix enuntietur, quasi prisci iuris decreta, scriptæ leges, non ex æquo, sed ex Iudicum arbitrio veniant interpretandæ: & quas olim æneæ tabulæ firmas: nunc ceræ, mutandas, & quouis ducendus facilè, exhibeant. Hinc tanti, in Romana Curia, *styli*, quem vocant obseruatio, fieri consueuit: & meritò, ne consimiles causæ, dissimili tenore iudicatæ, aut priores, aut successores Iudices, inscitiæ vel doli, videantur arguere. Sic ergo concordet, sic hæreat Præcessori iusto Iudex meus successor, vt non solùm idem sentire, idem dicere: seu penè idem esse præsumatur. Instituebat Christus discipulos suos dicens: *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos*, Ioan. 15. v.12. id est, sicut dilexi vos, propter Deum, in ordine ad diuina, vt Deus, sub hac mutua charitate, diligatur præcipuè; ita ferè Caietanus ad cap. 13. Ioan. v.34. *vbi mandatum nouum*, appellatur. Sed hoc ne est præceptum tuum, mi Iesu, an potiùs Patris, & vbi illud, quod interroganti, de præcipuo legis præcepto, respondisti verissimè, Matth. 22. v.37. Amore Dei, & proximi contineri? Si priscæ legis, si Patris est hoc præceptum: quid tuum tam disertè profiteris? Succedebat Christus Patri, nostro loquendi modo, Legislatoris & Iudicis officio, cui & iudicium & potestas est delegata: licèt ergo pro temporis, & rerum circunstantiis, multa sub lege gratiæ nouasset: hoc tamen præceptum vtrobique necessarium, non solùm non mutauit, sed etiam longè firmius stabiliuit. Ideo ergo suum iam vocat, quod alibi Patris, siue legis esse dixerat: vt se vnum, & eundem cum Patre exhiberet, nec in iis, quæ rata & firma esse debent, successorem ab illo discordare. Hinc acutè pungit hæreticos, (qui Christum non à Creatore Patre & Legislatore, sed à Deo alio occulto descendisse garriebant.) D. Irenæus lib. 4. cap. 27. *Hoc maximum & præcipuum præceptum, sequens autem, circa proximum, Dominus docuit; totam legem & Prophetas pendere dicens ex ipsis præceptis, & ipse autem aliud maius hoc præcepto non detulit, sed hoc ipsum renouauit suis discipulis, iubens eis Deum diligere ex toto corde, & cæteros, quemadmodum se. Si autem ex alio descendisset Patre, nunquam ex lege, primo & summo vsus esset præcepto: sed vtique omnimodè eniteretur, in alium hoc à perfecto Patre deferre: & non eo vti, quod à Deo legis fuisset datum.* Hæc est germana succedentium Iudicum concordia: nam qui priorum sententias & pacta ad libitum reuellunt, non iam ab his & post hos, sed contra hos venire comprobantur.

Ioan. 15. 12.

Caietan.

Matth. 22.

Talis se gessit Christus respectu Patris.

D. Irenæus.

499. *Et item Spiritus sanctus respectu Christi. Act. 2. 3.*

Descendit Spiritus sanctus in Apostolos? *Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum*, Actorum 2. v.3. intimus erat diuini huius spiritûs afflatus, actio penitissima, quæ gratiarum coloribus, animas potiùs, quàm corpora variegaret, mentibus magis, quàm sensibus blandiretur. Quid ergo opus fuit, non solùm sub sensibili aëris sibilantis strepitu, sed etiam sub corporea linguosi ignis specie aduenire? An non ab orbe condito, inditus iustis viris idem Spiritus? an non Mariæ conceptæ, & magis concipienti, longè quàm hîc Apostolis datus profusior, & tamen nec aspectibus corporeus? Quid ergo in hoc loco, corpoream similitudinem sic affectat? quia non vtcunque, vt anteà

teà, sed loco Christi discedentis datur: vt ex toto patet Euangelio: parentis pij, solliciti aduocati, benigni Iudicis vices impleturus: vno verbo, Christi in officio suauissimo successor. Ne ergo putaretur aliud se acturum, Christi ve scita, placita, & sententias rescissurum: quoad fieri potuit se illi conformat: Filióque Dei incarnato & corporeo abeunti, corporeus quodammodo succedit: satis probans quàm illi sit vnanimis, cui concorporeus fieri, per omnia concordans satagebat. Fauet D.Gregor. Nazianzen. Orat. in Pentecost. *Nam cum filius corpoream nobiscum consuetudinem habuisset: spiritum quoque corporeo modo cerni conueniebat: & cùm Christus ad sese reuersus esset, Spiritum quoque ad nos descendere.* Sub eodem ergo tenore, pari concordia, vt Patri Christus, sic Christo succedit Spiritus.

D.Greg. Nazianz.

500\. Neque caret mysterio, ad rem nostram, quòd sub linguarum habitu potiùs, quàm aliâ formâ delitescat. Quid enim est, quòd ignis tantus, Spiritus tam vehemens, solummodò in linguas adaptetur? An quod vario linguarum genere, verbis vt essent proflui, Discipulos imbuerit? Sed quamuis hoc sit verissimum, non tamen vrgens: multò enim pretiosiora erant alia dona ipsis inserta, quibus tamen, expressa sic exteriùs significatio, non petita: vnde non videbatur ita necessarium, vt solummodò linguarum donum, priuatim repræsentaretur. Quid ergo sibi volebat sanctus Spiritus? Se vnum & idem esse, cum Christo, cui succedebat, (quantùm exteriori signo fieri poterat) exhibere. Erat Christus, æternum Patris Verbum: Verbum autem, si cum aliqua externâ figurâ, analogiæ aliquid & proportionis sortiri potest, solum cum linguâ, id est, verborum instrumento, hanc habere potest. Benè ergo sub linguâ, venit successor Spiritus, vt hinc verbo diuino cognatus, & per omnia concors, agnoscatur, amabili Præcessori. Idem Nazianzenus citatus. *Iam verò in linguis apparet, propter cognationem eam, quam cum Verbo habet.* Hanc esse diui Doctoris, & magni Theologi mentem, (præter illa quæ in Spicil. dedi) probat etiam hic vetustissimus & acutissimus Nicetas, post alia subiungens. *Si magis arridet, per Verbum hoc loco, Christum intellige: itaque cum einsmodi verbo, Spiritus sanctus perinde ac lingua quadam, cognationem necessitudinémque habet.* Hinc discas velim: quia nihil Tribunalium Administros, Reósque, & Actores dirius solet contorquere: quàm sub continuâ Iudicum successione alia, discordantia, & quodammodò successiua iura experiri: quasi non iam Cæsarea & Prouincialia placita, sed Iudicum arbitria, litem dirimnat: dum eiusdem ponderis causarum, altera ab isto absoluitur: altera, à successore, dissentire obstinato, condemnatur.

Spiritus sanctus cur sub linguarum habitu descenderit.

D.Greg. Nazianz.

Nicetas.

IV.

Iniustus pro Tribunali sedebis, nisi te, Dei sedem exhibueris; firmus hinc Judex.

501\. Habet adhuc prædictum Spiritus diuini exemplum, doctrinæ aliquid, Iudicibus in primis necessariæ: neque enim temerè, non tàm venisse, non tàm descendisse, aut implesse Apostolos, dicitur hic Spiritus, quàm sedisse: *Seditque supra singulos eorum.* Cap. 2. citato. Quod vt explicem, attende. In primo illo Consilio Canonico, vbi lis grauissima, de abolendâ Circumcisione agitabatur: cùm non solùm exilio, vtpotè iam tunc importuna, sed etiam sepulchro, quasi post Christum, noxia, Iudicibus Apostolis, tradenda iuberetur: Decretum sic inchoârunt: *Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris.* Actor. 15. v. 28. quibus verbis satis indicant, imò exprimunt, ita se Iudices ac Senatores consistere, vt Spiritui sancto quasi supremo Præsidi, & Regi iudicaturo præcipuè assisterent. Neque mirum: ideo enim, non vtcunque Spiritum sanctum acceperunt, sed in semetipsis sedentem, *Seditque supra singulos eorum.* Vt huic regium thronum, & sedem apparâsse viderentur. Ita vno verbo, sed suo Nazianzenus citatus, quem videris: do clariorem paraphrasim Nicetæ, qui ita *Sedit suprà singulos: quia regius thronus ipsi facti sunt, Regis ac Dei: hoc est Spiritus sancti.* Et quidem pulchrè dictum: neque enim iudiciales sedes, non solùm in fidei, sed etiam, in morum causis, condignè occuparent Apostoli, nisi semetipsos priùs in Dei sedes ac thronos efformarent: vt tanti Præsidis ductu, rectissima inde funderent iudicia, oracula certissima. Delirauetis igitur passim Iudex, si priùs iudicando thronum ascenderis, quàm te in Dei thronum composueris.

Actor. 2.

Act. 15. 28.

D.Greg. Nazianz. Nicet.

Spiritus sancti thronus anima iusti.

Perfectionis normam exposuerat Christus, cæterorum omnium abnegationem, & sui vnius sequelam: tunc quæsitus à Petro, ore omnium, quid sibi præmii, re iam peractâ, superesset: respondit: *Cum sederit filius hominis, in sede maiestatis suæ: sedebitis & vos super sedes duodecim. iudicantes duodecim tribus Israel.* Matth. 19. v. 28. Mira hæc potestas, dignitas stupenda: quàm proinde è lógè intuitus Dauid, *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi*, Ps. 121. v. 1. subiungit. *Illuc enim ascenderunt Tribus, Tribus Domini, ad confitendum nomini Domini: quia illic sederunt sedes in iudicio, sedes super domum Dauid.* v. 4. & 5. Illud tamen in hoc loco difficile, quòd non tàm Iudices discernentes, quàm eorum locatas sedes, videatur describere Propheta, dum non tàm Iudices, quàm sedes exprimit sedisse. Nunquid stratum solummodo tribunal, admotis sedibus: & tamen Senatoribus vacuum contemplabatur? non crediderim: neque enim aliunde exultatio tanta proueniebat, nisi quòd domus, gentisque suæ posteros, in id honoris cerneret euectos. Quid ergo est, quòd non tam posteros suos Iudices, quos videbat, quàm sedem commendauit? quia vt horum Iudicum non solùm honorem, sed hunc condignum & iustum explicaret, ipsos Iudices, sedium nomine appellauit: propterea enim isti decoras sedes ad iudicandum occupabant, quod semetipsos priùs, in Dei sedes efformârant. Diuus Hieronymus (si fortè is est) in Psalm. prædictum. *Sedes Dei, Apostoli sunt, super quos Dominus requiescit. Hæ sedes sedebunt super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel: sicut ipse ait in Euangelio.* Nó itaque insensibiles sedes & vacuas, sed potiùs his insidentes & viuas Dei sedes, Apostolos nimirum Iudices,

502.

Mat. 19. 28.

Ps 121. 1.

Iustus, est sedes Dei.

D. Hieron.

Iudices, exultans tot ante ſæcula, Propheta ſibi propoſuit celebrandas.

503. *Spiritus ſeniibus, Iudicibus inſidet.*

Damnatâ iam impiis, perfidæ laſciuiæ, ſuffragiis, caſtiſſimâ Suſannâ: paulò ante iuueniles, ſenilis ardoris, ſtimulos fortiter retundente: in lapides fere ibatur, fidem & innocentiam illius obruturos; quæ dignior, cui pretioſi vndique lapilli, nitidæ gemmæ venirent ad coronam. Quid funeſtiùs, quàm ſaturos puriſſimo ſanguine, immaniſſimè fuſo, Iudices cernere, quòd, turpiter delibâſſe pudorem, non potuerint? ſed ecce contra inferni Adminiſtros, cæleſte auxilium, in turpiſſimos Seniores, puer integer, virgo

Dan. 13. v. 45

Daniel expeditur. Pende tamen verba: *Cum que duceretur ad mortem, ſuſcitauit Deus Spiritum ſanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel: & exclamauit voce magnâ dicens: mundus ego ſum à ſanguine huius.* cap 13. à v. 45. non dicitur aduenisse, non implêſſe eum Spiritus, ſed ſuſcitatus in eo: vt iam pridem in puero fuiſſe, & quaſi in ſede quieuiſſe, intelligatur: vnde tunc erigi, ſeu ſuſcitari meritò dicatur. Bene ibi Gloſſa Ordin. *Iam in eo erat, ſed propter ætatis infirmitatem quieſcebat.* Tunc igitur vrgente negotio ſuſcitatus Spiritus ſe exhibet, præcoces gratiarum fructus, puero maturans: quæris cauſam? Non quouis modo, ſed Iudicis officio rectiſſimo, abſoluenda Suſanna, damnandi ſenes erant à Daniele: inde illi ad hunc: *Veni, ſede in medio noſtrum, & indica nobis.* v. 50. noluit ergo Deus, vt Daniel priùs ſedem iudicii aſcenderet, quàm ipſe nobis manifeſtiſſimè ſedes ipſius Dei probaretur. Hinc rectitudo iudicii, hinc perſpicua calumniæ confutatio, innocentiæ victoria.

Gloſſ. Ord.

v. 50.

504. *Iudex iniquus Dæmonem patitur.*

Tu caue mi Iudex, aliter in ſedem iudicii conſcendas: ni fortè tyrannus dignitatis haberi cupias: & expulſo ſeſſore Deo dæmonem inſeſſorem patiaris. Præcipitur Samuel vncturus Danidem, in Regem: additque Textus: *Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum, &c. & directus eſt Spiritus Domini, à die illâ, in Dauid, & deinceps, &c. Spiritus autem Domini receſſit à Saul: & exagitabat eum Spiritus nequam, à Domino.* 1. Reg. 16 à v. 13. Mihi non mirum, quod Spiritu ſancto imbuatur Dauid, qui ad thronum, Iſraelem iudicaturus, aſſumebatur. Illud difficile, quòd Saul reiectus, non ſolùm ab hac die Spiritu ſancto ſpolietur, ſed etiam Cacodæmone corripiatur. Si enim culpam notas inobedientiæ, iam illa ante non paucos dies, aut ſaltem aliquos, præceſſerat: nec tamen tunc à Dæmone præoccupatur. Quid ergo denuo ſubortum vt in has miſerias incideret infauſtus Princeps? putarem, dum Dauid non vngebatur: adhuc Saulem & ſi reprobum, iure Regni legitimo gaudere apud Deum, neque inſtar tyranni ab illo exiſtimari: at poſtquam Dauid vnctus, legitimus Rex creatur à Domino: tunc Spiritus bonus regiminis, (iuſtificans, & gratum faciens, pridem abierat) quaſi iniquo poſſeſſori ereptus, ad legitimum Regem tranſuolans dirigitur: cuius loco ſucceſſor Dæmon permittitur, Saulis deinde iudiciis, quaſi Conſiliarius interuenturus, vt intelligeremus, eum qui abſque Spiritu inſidente, aſſidet gubernaculis & iudiciis: iam tyrannum eſſe honoris, atque ſeſſore Dæmone repletum. Ideo moraliter rem explicans Rupert. lib. 1. in Reg. cap. 21. Sic habet. *Myſterium hoc tam in promptu eſt: quo ſcilicet dæmoniacus Rex Saul, furioſum peccati Regnum: Dauid autem, pacatum iuſtitiæ regnum ſignificet.* Quaſi nullibi aptiùs generoſè vitii, & virtutis Imperium: quam in priuato Principe vel Iudice, Spiritus ſancti aurâ afflato, aut Dæmonis inſidentis furiis agitato, exprimatur.

1. Reg. 16.

Rupertus.

Habet tamen ad præſens Inſtitutum non parum emphaſis vocula illa: *Directus.* Non enim vtcunque importat impetum & volatum: ſed impulſum illum quo ſic dirigitur ſagitta, vt recto ictu, medium ſcopum propoſitum attingat. Expende quæſo, mi Iudex, (ſi fortè hæc noſtra legere digneris) nihil tale de Saule dictum, cùm tamen aliquandiu ſpiritu Sancto afflatum, doceat Textus: in eo enim fuerat, à quo dicitur, receſſiſſe. Quid enim in his Principibus, totius & eiuſdem Populi iudicio aſſignatis tam diuerſum: vt etiam dum vterque legitimus, tam alio, & alio tenore Spiritum ſanctum accepiſſe videantur: vt que de Dauid dicatur: *directus eſt Spiritus Domini à die illâ in Dauid:* quod tamen de Saule adhuc integro, ſubticetur. Neſcio ſi quid amœniori grauitate in hoc Commentario ſcripſerit Rupertus, cap. 28. ſic ſubiungens. *O quantum habet pulchritudinis & gratiæ, verbum ipſum, quo ſic dicitur!* & directus eſt. *Non ſic dictum eſt, nec ſic dici debuit de Saul, à quo Spiritus Domini erat receſſurus. Nec de alio quoquam, cuius animam fictam aut duplicem, ille Spiritus amoris, recto nunquam oſculo dignatur: fictionem eius, poſt leuem attactum, ſtatim effugiturus. Iſtum, ſecundùm cor ſuum, inuenerat Dominus: & iccirco in animam eius deoſculandam, promptiore & recto pectore ferebatur.* Cupis honorem tuum retinere firmum? Sic ab initio præpara cor tuum, vt Spiritus S. in te, recto pectore, affectu ſuauiſſimo, perenne fixurus domicilium dirigatur. Si inſtar Saulis, quamuis initio ſimplex & iuſtus, aliquid fictum, duplex aliquid videris occultare, paratus nimirum ſub quâuis occaſione virgam inflectere, iudicium corrumpere: leui tantùm Spiritus ſtatim receſſuri, attactu perfrueris: tàm ad lapſum honoris pronus, tàm labilis ad ruinam: quàm lubricum in te illi thronum apparaſti?

505.

Spiritus S. fictam & duplicem animam refugit

Rupertus.

506. *Solum cæleſtis dignitas perennat.*

Sed quoniam, quidquid honoris humani eſt, ſub mortalitatis ſphærâ continetur: vt, quanuis diu durare videatur, pereat tandem: curauit Deus Iudicibus ſic rectis, qui ſe firmam Spiritus S. ſedem efformarunt, præter humanos hos thronos, quos licèt longior quandoque, caduca tamen claudit temporis conditio: diuinos alios in Cælis adornare, viciſſitudinem omnem ſuperantes. Redeant illa, quæ initio diximus de Apoſtolis, qui relinquentes omnia, audiunt à Chriſto: *Cum ſederit filius hominis, in ſede Maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim.* Quas ſedes, etiam D. Bernardus infra citandus, ad eaſdem reuocat, de quibus ſupra Dauid: *quia illic ſederunt ſedes in Iudicio.* Expendo igitur denuo, relinquentibus omnia Diſcipulis, vt ſemet ipſos in Spiritus S. thronos expedirent: non quâuis, ſed quaſdam *ſedentes ſedes* promitti: idque grandi, prophetici Scriptoris, emphaſi: *quia illic*, inquit, *ſederunt ſedes in iudicio*: illic nimirum in cœlis, Iudicum ſedes ſedent: non hic, in terris: quamuis enim vtrobique ſedibus inſideant Iudices: at ipſæ ſedes, ſolummodò illic ſedère exiſtimandæ, & cur ita? Reſpondet D. Ber-

Matth. 19.

Pſ. 121.

D. Bernard.

D. Bernard. in Declamat. citati Textus Euangel. *Illic sederunt sedes, illic planè, non hic: quomodo enim sederent, quas hic videmus sedes, quæ toties nutant, toties titubant, toties subuertuntur?* Caue igitur mi Iudex, ne sic inconstantem sedem, dolo aliquo, vel arte impiâ fulcire cures: nec enim firmare poteris volubilem: totóque labore nil aliud perages, quàm vt è ruinosâ corruas longè fœdius. Vna est virtus, quæ cordi tibi insidens, humanam sedem, quantùm mortalitatis fert conditio, hìc corroborat: & illic æternitatis æmulam aliam adornat, sedentem, stabilem, fixam, in qua, æterno Regi, supremo Iudici gloriosus assideas. O quid huc non anhelas.

V.

Iudex, in aduocandis testibus, iuris formam, & competens iudicium sequatur: ne tam propriâ authoritate procedat, quàm Iustitiâ.

507. IAm sic facto, Spiritus sancti, throno, Diuinitatis sedi, nihil priùs Iudici meo commendauerim, quàm vt nihil propriæ authoritati, sic multum synceris & legitimis testibus putet tribuendum. Non aliunde fœdius funestantur iudicia, quàm dum spreto testium iure, pondus causæ, tumido iudicis arbitrio arrogatur. Non longiùs abibo: Ab ipso Deo, quem tibi designaui Præsidem, statui insessorem: stylum, quem vocant, & procedendi methodum perdisces. Si enim hunc, quasi argumentis, sententiæ suæ iustitiam, probare, & testes aduocare, viderimus: non poteris non Iudicum illorum proteruiam confundere, quibus vt plurimum propria authoritas, spreto testium dicto, visa est satis litibus contestandis. Et quidem Philo Iudæus lib. de sacrif. Abel, Dei exaggerans benignitatem, quòd cum sit summa veritas, assumat tamen interim iuramentum: hæc ad rem immiscet. *Ipsi certè nullo teste opus est: neque enim est alius Deus, huic honore par. Ne quid dicam de teste, quod in quantum testimonium exhibet, maior est eo, cui datur testimonium: alter enim opis indiget, alter opem fert.* Et visus tamen Deus, cedere authoritati suæ, vt fusè probabo, dum ad iudicia sua, testium opem sustinet implorare: quo suo Iudices exemplo commonefaciat: & cùm verissima sint illa Saluiani, lib. 3. de Prouid. *Alia omnia, id est, humana dicta, argumentis & testibus egent: Dei autem sermo, ipse sibi testis est: quia necesse est, quidquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum sit testimonium veritatis:* Tamen non egens, testes aduocat: ne homunculus diiudicans, testium iuri putet derogandum.

Testium authoritas, quanti sit apud Iudices, facienda.

Philo Iud.

Deus vnicè testibus non eget, quos tamē aduocat.

Saluian.

508. Illustre sit, ad præsens institutum, exemplar illud Micheæ. *Surge, contende iudicio aduersum montes, & audiant colles vocem tuam: audiant montes Iudicium Domini, & fortia fundamenta Terræ: quia iudicium Domini, cum Populo suo: & cum Israel diiudicabitur.* Emphaticoteros apud Vatabl. legitur ex Hebræo. *Quoniam lis est Domino, cum Populo suo: & contra Israëlem sese argumentis tuebitur.* Cap 6. v. 1. Quid afferret vltrà seruus aliquis, si cum Domino suo decertaret, quàm trepidam de lite suspensionem, & argumentorum, tuendis congestionem? huc vsque visus descendisse Deus. Illud hìc obscurum: quid huc faciant sublimes montes, colles erecti, & infimæ terræ fundamenta: (quibus digniores, vilioresque creaturæ designantur) vt non nisi his audientibus, adeatur iudicium, sententia proferatur? Testes citauit Deus pro se, quatenus Actor: ne dum quà Iudex puniret, à propriâ authoritate argumenta quæsisse, & potens magis arbitrio, quàm iustus alieno testimonio, videretur. D. Hieron. ibi. *Qui poterat quasi Deus, pro sceleribus populi peccatoris inferre supplicia: non vult videri potens, sed iustus: & ad iudicium prouocat peccatores, &c. Populum Israel cogit, præsentibus Angelis & omni creatura, si quid habeat respondere.* Quasi suprema authoritas Creatoris, adstantium creaturarum testimonio, tanquam arbitro iudicio, indigeret.

Mich. 6. 1.

Vatabl.

Deus, in tra- *ctandis lo-* *ribus, quàm insi-* *piatum.*

D. Hieron.

509. Puniturus Sodomam descendit Deus: ad hunc enim præcipuè scopum, toto Cap. 18. Genes. longi illi cum Abraham sermones deducuntur. Secum tamen vt nôsti, duos Angelos duxit, (vnde Patriarcha tres videns, ad vnum Dominum adorationem & verba dirigebat) qui postea c. 19. v. 1. in Sodomam dicuntur peruenisse; *Venerunt duo Angeli Sodomam vespere.* Sed cur, inquis, qui solus in ictu oculi, totum potest Orbem funditus euertere, socios, delendis paucis vrbibus, aduocauit? Dices, pro regiæ Maiestatis decore, supplicium Ministris voluisse delegatum. Benè est. Quorsum tamen duobus Ministris? An Angelus vnus, qui totam cælestem machinam indefatigatâ manu conuertit facilis, non posset facilior incendere ciuitatulas? nemo dubitârit. Aliud ergo, præterquam punitionis ministerium, ab his duobus Angelis quærit Deus. Ecquid illud? Vidisti aliquando litigatorem sollicitum, qui contestandæ liti testes quærit: neque vno contentus, (*quia in ore duorum, vel trium stat omne verbum*) binos adducit: ne tam dictis propriis, quam illorum testimonio, fidem facere agnoscatur? talem hìc puta Deum: in sic apertis scelerum clamoribus, puniturus Iudex non solùm descendit ipse, quasi ad oculum rem visurus cap. 18. v. 20. Sed insuper duos Angelos adducit, qui priùs Sodomiticæ culpæ testes fuerint, quam exequendæ pœnæ Administri: non tam fidei suæ dubius; quàm Iudicum exemplo, consulturus. Nunc capies D. Euaristum primum, epist. 2. habetur tom. 1. Concil. vbi ita. *Si Dominus omnium, Sodomorum mala, quorum clamor ad cælos vsque peruenerat, omnia sciens prius: nec credere, nec iudicare voluit, quàm ipse ea, cum fidelibus testibus diligenter inuestigans, quæ audierat, opere veraciter agnosceret. Multo magis nos humani, & peccatores homines, quibus incognita sunt occulta Dei iudicia, præcauere, & nullum, ante veram iustámque probationem, iudicare, aut damnare debemus.* Vt ita è fidelibus testibus, id est, Angelis, turpissima vrbium iniquitas comprobata, miserorum, in tanto supplicio, querelam obturaret.

Gen. 18.

& 19. 1.

Pœnas, quibus certis testimoniis, impi ... Deus.

D. Euaristus

510. Sub eodem tenore, perfidam Israëlitarum, quos in filios adoptârat, indolem abdicaturus; Cælos auritos conuocat, auritam terram: ideo apud Isaiam. *Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est: filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Cap. 1. v. 2.

Isai. 1. 2.

D. Zen. Ver. v. 2. In quæ verba ſic habet D. Zeno Veron. ſerm. 3. *Cælum, terrámque teſtes citat, vt exaggeret crimen.* Et quidem, ni fallor, ideo hos vocat præcipuè teſtes, quia criminum, quæ iactat, oculatiorem notitiam habebant. Queritur Deus enutritos ſibi, Angelorum pane, filios, iam ingratos: teſtentur id cæli, qui eſcatili pluuia polis rotantibus, per tot annos, Mana Populo, miniſtrárant. Queritur exaltatos, & in Paleſtinæ imperium euectos, iam contumaces: teſtetur id Terra, quæ olim ipſorum curſui, montes & colles ſuos complanans, & gloriam proſternens, exaltando ſuauiſſimè deduxit. Ne ſolùm teſtes, ſed hos exceptione omni maiores, videretur adducere. Sed quorſum tam exactæ Iudicij circunſtantiæ, à ſupremo Domino, cum viliſſimis ſeruis decertante obſeruantur? Reſpondet idem D. Zeno ſerm. 4. *Cenſuit eos, cælo & terra teſtibus, denotare: vt inexcuſati facinoris competenti iudicio ſubiacerent.* Ac ſi foret minus competens iudicium illud, vbi à blaſphemo aliquo, de ſpretis teſtibus, iudicium potentiæ, & non potius Iuſtitiæ tribueretur.

Deus competenti iudicio, reos punit.

D. Zen. Ver.

511. Vnde capies, quod in eodem capite, poſt multa ſubditur: *Quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam: & venite, arguite me, dicit Dominus.* Verſ. 17. aliter Græca in Sixtianis: *venite arguamur.* διαλεχθῶμεν, ſtemus nunc huic verſioni. Iuſtitiam & miſericordiam ab illis poſcit Deus: neque tam ipſos, præmio dicitur affecturus, quàm ſibi eos aduocaturus, vt pariter, cum eo arguerentur. Sed neque ibi parum præmij eſt: cùm nullus maior ſit honor, quàm Deo ſic adhæſiſſe, vt cum eodem, & argui & defendi videantur: Id tamen in hoc loco caligat adhuc: quòd cum Deus, ab impiis arguendum piiſſimè ſe exhibeat, ſocios aduocet, quaſi opem allaturos: nec alios velit, niſi in quibus tot virtutes, & quæ v. 16. numerantur, affulſerint. Quid enim alienâ ope indiget Omnipotens? Sed eſto, per impoſſibile indigeret: cur non ſatis ſit ſanctos, ſed ſanctiſſimos, ſolummodò aduocare? Non erat certamen iſtud potentiæ, ſed Iuſtitiæ: quo Deus Actor, cum reis impiis erat diſputaturus: (vnde alij Codices non per, ε, ſed per, α, ſcribunt διαλεχθῶμεν, *diſputemus.*) Meritò ergo opem implorat teſtium: nec qualeſcunque, ſed rectiſſimos ſollicitat, quaſi omni exceptione maiores: ne cum Iudex ſententiam tulerit, non tàm pro libito, quàm pro rigoroſiſſimo competentis iuris tenore videretur proceſſiſſe. Non auderem ſic nouam explicationem, niſi aduocato teſte D. Ambroſio, qui ſerm. 20. in Pſalm. 118 ſic ſcribit. *Vt multa perſecutiones, ita multa martyria: quotidie teſtis es Chriſti. Tentatus es ſpiritu fornicationis, ſed veritus Chriſti futurum iudicium, temerandam mentis & corporis caſtimoniam non putàſti? Martyr es Chriſti. Tentatus es ſpiritu auaritiæ, vt poſſeſſionem minoris inuaderes, indefenſæ viduæ iura temerares: & tamen contemplatione cæleſtium præceptorum, opem magis ferendam, quàm inferendam iniuriam iudicaſti? teſtis es Chriſti. Denique tales vult teſtes Chriſtus aſſiſtere, ſecundùm quod ſcriptum eſt; indicate pupillo, & iuſtificate viduam, & venite diſputemus, dicit Dominus.* Pende vltima verba, quæ niſi mecum faciant, vix nec vix quidem aliter potuero explicare: tu melius. Pergo.

Iſai. 17.

Græc. verſ. Iuſti, ab impiis, cum Deo arguuntur.

Iuſti perſecutores, Deo teſtes adhibentur.

D. Ambroſ.

R. P. Pinto Ramirez Monit. Polit.

Deprehenſus blaſphemus quidam, de nouo, in recèns datam legem, crimine notatus, deducitur ad Moyſem: qui Deum, de pœnâ tanto ſceleri infligendâ, conſulens, audit. *Educ blaſphemum extra caſtra: & ponant omnes, qui audierunt, manus ſuas ſuper caput eius: & lapidet eum omnis populus.* Leuit. 24 v. 14. Iam ille conuictus fuerat, iam in carcere vinctus, vt ibidem exprimitur, detinebatur: de pœnâ ambigebatur, non de culpâ. Quid ergo opus erat, vt qui audierant, non pauci (qui condemnando ſatis fuerant) ſed omnes ſuper infauſtum caput ex priſco teſtium vſu, manus coram lapidaturo populo, imponerent? Erat in illâ lite non ſolùm pars læſa, Deus, (cuius nomen reus blaſphemárat) ſed etiam Iudex: à Moyſe, in tanto ſibi negotio, diffidente, aduocatus: noluit igitur, vt præcedentibus obſeruati humani iuris circunſtantiis, noua quaſi ratificatio teſtium deeſſet: quaſi caueret, ne forrè in populo, nouas ſeueri punitoris, ſuperbíque iudicis blaſphemias excitaret: Si blaſphemus, abſque apertiſſimâ tot teſtium declaratione, potentiæ magis faſtu, quàm pleniſſimo iuſtitiæ tenore videretur oppreſſus. Grauiſſimè Saluianus lib. 1. de Prouid. *Nunquid non præſens Dei eſt manifeſtum iudicium, & prolata, quaſi iuxta humani examinis formam, cæleſti diſceptatione, ſententia? primùm qui peccauerat comprehenſus eſt; ſecundo quaſi ad tribunal adductus; tertiò accuſatus, deinde in carcerem miſſus, poſtremò cæleſtis iudicij authoritate punitus: porrò autem non punitus tantùm, ſed punitus ſub teſtimonio: vt damnare ſcilicet videretur reum Iuſtitia, non Poteſtas.* I nunc, ô Iudex: & diuini iuris forum viola: omnia proprio arbitrio diſponens: cùm ipſe Deus, humani iuris formam, inſtituendo tibi, lubens ſequatur. Adhuc vnum verbum. 512.

Leuit. 24. 14.

Totam Iudicij formam, obſeruat Deus.

Saluian.

Cupiebat Chriſtus Dominus, falſam illorum confutare opinionem, qui Deum non tam blandum, quàm aſperum parentem, & penè vitricum, reputabant: inde duritiem petræ, panis teneritudine: piſcis guſtu, ſerpentis venenum: Scorpionis horrorem, oui ſuauitate, de paterni amoris vſu exſufflans, ſic ſubiungit: *Si ergo vos cum ſitis mali, noſtis bona opera dare filiis veſtris: quanto magis Pater veſter de cælo, dabit ſpiritum bonum petentibus ſe.* Luc. 11. v. 13. Cùm verò quodvis horum exemplorum ſufficere videretur: quorſum, dicat aliquis, tam multa congeruntur? aliquid ibi myſterij deliteſcit: quæuis enim cauſa, in ore duorum, & potiſſimè trium, concluſa creditur: tres ergo adducit comparationes, vt quodammodo tribus teſtibus ſermonum ſuorum confirmans veritatem, impios quaſi legitimo iudicio condemnaret. D. Petrus Chryſologus ſerm. 55. *In commendationem pietatis, tria Dominus protulit, & demonſtrauit exempla: vt tribus teſtimoniis, ſicut tribus teſtibus, & pios, ad fidem ſui amoris animaret: & confutaret impios, non Patris, ſed ſuo vitio, charitatis gratiam non cepiſſe.* 513.

Luc. 11. 13.

Etiam veritati ſuæ, teſtes quærit Deus.

D. Petrus Chryſol.

Pro monito præfixo,
dictum ſatis.

* * *

V. VI.

VI.

Quàm syncerus, & quare, in Testibus examinandis, Iudex processurus.

514. SEd iam & vsus, & pudor, etiam iniquum Iudicem vetat, ne vnquam sine testibus, se conscio fictis saltem & corruptis, sententiam expromat: non in hoc arguendo immoror, iam satis à Politicorum scriptoribus, vapulante. Æquè periculosus est, licèt occultior, scopulus alius, quem breuiter permonstro. Pendet vt plurimum causarum vel iniquitas, vel iustitia, ex modo, quo Iudex testes examinat: ni sincerus, ni quasi in æquilibrio positus, suspensum exhibeat affectum: perdit negotium: Testes in vtramuis partem inclinet, secum conuehet: è vultu, gestu, vocis tenore, interrogationis ordine, coniectat testis etiam hebes, quò propendeat Iudex: & nisi sit ille fortissimus, ad huius, aut facilis, aut trepidus, mentem se componet. Ad incitas redactus Dauid, & ne in manus Saulis, infesti sibi Iudicis inciderit deprecatus: sic Deum orat, *Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui*, Psalm. 26. v. 12. Iudices tribulantes & infensos commemorat, & pariter iniquos Testes: & tamen his prætermissis, ab illis tantummodò expressè rogat liberari: quod cur ita faceret, cùm tamen vtrinque periclitaretur: coniecto ex Varabli versione, *ne permittas me libidini eorum, qui mihi infesti sunt: adstiterunt enim contra me testes mendaces.* Iudices enim erant, quorum animæ amissâ iam mente, & parte intellectiuâ penitus consepultâ: solùm affectiuâ parte constare videbantur, vt iam *libido* pro animâ hic ponatur. Hos igitur tantùm meritò deprecatur, quasi prænoscens hinc totam rem pendere: Testésque aliunde integros nedum mendaces & iniquos, illorum se se libidini componendos: quasi si synceri procederent, vix calumniantes testes pertimeret.

Iudex syncerus testes examinet, ne ad illius gustum isti se componantur. Psal. 26. 12.

Vatabl.

Iudex prauus totus in libidinẽ conuersus.

515. Hinc est, vt obstinatus iam iniquus Iudex odisse personam, odio etiam prosequatur veritatem, nec testem illum habeat fidelem, aut probet in iudicio, imo nec audire sustineat, sibi pariter odiosum, quem personæ despectæ nouerit fauturum, verissimo prolato testimonio. Testem se Christi vbique probabat Paulus, non solùm publicis Concionibus, sed etiam scriptis litteris, hunc testificans: ideo omni exceptione maior, quia infensissimum paulo ante eidem egerat aduersarium. Hinc erat, vt omnes epistolas, proprio inscripto nomine inchoaret: *Paulus*, &c. quia inde robustius testimonium suum præuidebat, quod ipsissimus Paulus nosceretur, qui pridem spirans minarum, Ecclesiam Dei fuerat persecutus, nec nisi euidenti ratione firmatus, eiusdem nunc fautor poterat præsumi. Vna & sola est ad Hebræos Epistola, quæ longè alio incipit tenore: *Multifariam, multisque modis*, &c. cap. 1. v. 1. Suppresso Pauli nomine, non solummodo ad initium, sed nec per longam epistolam audiendo. An non testimonium Hebræis parandum robustissimum, vtpote durioribus? an non ipsi melius quàm gentes, prisca Pauli in Christum bella agnoscebant? quid ergo hic Apostolus, validam proprij nominis machinam non admouit? Nouerat se ab illis habitum, quod impensè pro Christi veritate iam certaret: vidítque prudenter ex odio Christi, & per consequens futuri testis, dicta impiis Iudicibus, non solùm non probanda, sed nec etiam audienda: maluit ergo dissimulato nomine, aliquid roboris subtrahere; quàm expresso, totum apud impios eneruare testimonium. D. Thomas in Prologo huius epist. *Nomen suum Iudæis erat odiosum, vt patet Actorum 22. & ipsum tacuit, ne saluberrima doctrina huius epistolæ abijceretur.* Hausit Doctorum Alpha, à Clemente Alexand. imo ab Eusebio Cæsar. qui lib. 6 cap. 11. sic concludit: *Quia præiudicatum Hebræis erat de Pauli nomine, ne eius dicta susciperent: & idcirco prudenter declinasse, ne statim in principio, Pauli nomine inspecto, lectio eius repudiaretur.* Hæc est corrupti Iudicis iniquitas, inter maximas: aut abiicere auditum testem, aut penitus non audire, quem nouerit, deprauato suo affectui non adblanditurum.

Iudex iniquus, testem reijcit, quem sibi nouit nõ adblanditurum.

Hebr. 1. 1.

D. Thom.

Clem. Alex.

Euseb. Cæs.

Ex odio personæ bona doctrina respuitur.

Hinc capies verba illa Christi ad eosdem Iudæos: *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare non creditis mihi?* Ioan. 8. 516.
v. 46. non dixit, *quare non creditis illam*, sed *mihi*, quia nouerat testimonium suum, aliunde euidens & verissimum, hinc maximè repudiari ab iniquis, quòd dicenti etiam innocentissimo, infestissimo iam affectu obdurati, insurdescerent. Neque mirum, hæc enim praui affectus obstinatio, sic mentem, vt initio dicebam excæcat, & ad se trahit, vt non iam intellectus de more, dux fáxque voluntatis: sed è contrà cæca voluntas, intellectui viam & facem monstrare videatur. Hinc Iob sanctissimus Princeps, Iudex integerrimus, diras sibi imprecans, si quid grauius deliquisset, præ aliis grauissimum, hoc subiungit: quasi ab illo esset alienissimus *Si declinauit gressus meus de viâ, & si secutus est oculus meus cor meum*, cap. 31 v. 7 quia licet malum sit, si quandoque cordis affectus, & volũtatis libido, interni oculi, delassique intellectus iudicium sequatur: illud tamen pessimum est, neque ferendum, si oculus iste, si mens, obstinatæ voluntati sequendæ assuescat: & cui ductum præstare debuerat, ducem eligat. Hoc igitur pestilenti morbo, quem à se penitus auerruncatum profert, Iudex iste rectissimus, prædictos Hebræos Iudices infectos noueris: ideo & Christum testem irrefragabilem, & verissimum eius, de Patre Deo, de salutis negotio, testimonium repellebant: quia iam Deo, & saluti suæ infensi, vanæ gloriæ, & propriis commodis fauendis inclinabant: rationem scilicet, prauo affectui, pedissequam locantes. Hugo Cardin. in Ioan ibi, *Quia eorum affectus est ad aliud inclinatus, & ad idem inclinat rationem, & intellectum: & ita non recipit veritatem. Vnde Iob per contrarium: si secutus est oculus meus cor meum, id est intellectus affectum.* Caue ab hac peste mi Iudex, ni vndique syncerus, suspendas æquilibrio affectum, examen improbum trutinæ admittes, & testem incorruptum perosus, verissima testimonia conculcabis.

Idem. Ioan. 8. 46.

Iudici iniquo, libido pro iudicio est.

Hugo Card.

Non tamen propterea vetauerim Iudicem æquum, vt possit quandoque parti, quam nouit aliunde iustam, in examinandis testibus fauere: tunc maximè, dum Coniudicum iniquitate, testium aliorum calumniis, videt opprimendam: in hoc & similibus euentibus, non solùm potest, sed fortasse tenetur, læsæ per iniquitatem parti 517.

In quo casu possit Iudex testes in affectum suum allicere.

parti consulere: & vultu ipso, interrogationis tenore, verborum gustu, testes incorruptos animare; vt syncerè quod verum norunt profiteantur. Habeo egregium huiusce rei exemplum in Euangelio. Obstupens turba, cæco illi à natiuitate oculos restitutos, ad Pharisæos Iudices, hunc deducit. Interrogant isti, *Quomodo vidisset?*
Ioan.8.15. Ioan.8. v.15. Cæco rem, vt euenerat, exponente: alij Iudicum Christum iniquè damnant, quasi Sabbati violatorem: alij tanquam à Deo missum, iustissimè commendant: *Et schisma erat*
Vers.16. *inter eos.* Vers. 16. Tunc addit Euangelista. *Dicunt ergo cæco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? ille autem dixit, quia Pro-*
Vers.17. *pheta est.* Vers. 17. Verumque, hic, non leuiter prætereundum: alterum, quàm distet hæc noua interrogatio ab illâ aliâ: ibi, solummodò receptæ lucis; hic etiam miraculi, & aperientis Christi oculos, fit mentio: alterum, quàm pulchrâ animositate cæcus, cùm pridem sciret Pharisaicum odium aduersùs Christum, eundem audeat Prophetam attestari. An non vtrique scrutando pia iam curiositas allaborat? Erant nimirum, qui sic interrogârunt, ex beneuolis: qui videntes apud coniudices prauos, æquissimam Christi causam periclitari: non vt pridem, absolutè de recepto visu, interrogant: sed interrogationem sic attemperant, vt cæcum obiter de benefactore suo commonefaciant: quasi præmonstrantes, quàm deberet non ingratus, syncerè veritatem quam nouerat, proferre. Hinc ergo animosior cæcus, illustre pro Christo protulit
Theophyl. testimonium. Longè grauior rem edisserit Theophylactus. *Qui fuerunt interrogantes cæcum.* Tu quid dicis de eo, qui aperuit tibi oculos: *Erant planè ex beneuolorum sorte, &c. Vide enim, quomodò beneuoli interrogant: non enim dicunt: tu quid dicis de eo, qui lutum fecit, qui Sabbatum non seruauit: sed miraculi recordantur*, qui aperuit oculos tuos. *Quasi exacuentes curatum, vt pro Christo, quæ digna erant, diceret: in memoriam enim reducunt*, qui aperuit oculos tuos: *Beneficio te prosecutus est, dicunt: & tu debes illum prædicare. Ideo cæcus, confitetur tunc id quod potuit, quod non sit peccator, sed ex Deo.* Restituitur quandoque causa aliunde labans, hoc pio, *& ex charitate*, saltem debito, examinantis Iudicis, tenore. Ego etiam *ex Iustitiâ* hîc debitum affirmarem.

VII.

Benigni Iudicis palpebræ vigilant, dum conniuent: oculique, dum verberant, reuerberantur.

518. *Iudices, quandoque causis debent conniuere.*

ATtentissimos hucusque volui Iudices, causis discernendis: nunc iam etiam conniuentes, dissimulandis quandoque culpis cupio: dum scilicet ex pœnâ, non vtilior effectus; sed contra, ex dissimulatione, suauior correctio speratur. Diuino planè consilio Salomon, in viro
Prou.6.14. illo, qui spopondit pro amico Prouerb. 6. Iudicis & Prælati curam, erga commissum sibi populum, commendans sic subiungit. *Ne dederis somnum oculis tuis, & palpebris tuis dormitationem.* Vers. 4. Vbi illud non tumultuariè expendendum; quòd sic curatum vigilias inducit, vt obiter in iudice, & oculos, & palpebras condistinguat. Prisci olim, in iuris & Iudicis typum serpentem erexerunt, quia nunquam dormire visus, nisi apertis oculis, quasi ipso vigili somno, nullas sibi inesse palpebras contestetur. Quid ergo est, quòd tam disertè in hoc loco, Iudicis sui palpebras commemoret Deus: dúmque illas ponit vigiles ad custodiam, certè supponit, in rebus aliis quandoque demittendas? quorsum enim palpebræ, nisi vt attigi, sic protendi possent & dimitti? Respondet prudentissimè ibi Gal- Galfrid.
fridus. *Si non nimis videtur curiosum, à somno oculorum, dormitationem discernere palpebrarum: opus est nobis oculis, sed palpebris fortassè non minus: multis enim, multorum suspecti sunt oculi: & qui videntur plurimùm oculati, plurimis inueniuntur hodie odio & terrori. Quamobrem non modo inuestigare, sed plurima dissimulare nos conuenit, & nonnulla nescire: quòd si vigilantia opus est in rebus considerandis, non minori forsitan in dissimulandis. Benè ergo vigilat & si palpebras quandoque complodat, qui nihil negligit, & si multa dissimulat: benè etiam clausis palpebris non dormitat, qui quantùm expedit, singula curat; & si plura, quasi non videat.* Neque enim administrum suum Iudicem cupit Deus, vt semper apertis palpebris referat serpentem: contrahat illas quandoque necesse est: inde vigilantior, quòd non de ignauâ iniuriâ, sed de solerti industriâ nouit dormitare.

Sæpè conniuentes & dissimulantes oculi vigilant attentius.

Scilicet mores suos, Delegato suo, vult Deus, 519.
communicatos: de ipso verò, qui neque dormit; neque dormitat, dum authore Dauide custodit Israëlem: ait aliunde idem Propheta: *Oculi eius, in pauperem respiciunt; palpebræ eius interrogant filios hominum.* Psalm. 10. v. 5. Dum cura paupe- Prou.10.5.
rum profertur, exprimuntur aperti oculi: dum hominum declaratur disquisitio, palpebræ adducuntur: quid itaNescit clarissimum illud lumen ad Iudicij venire interrogationem, nisi palpebratum. Et bene Vatabl. pro, *interrogant*, vertit, *explorant, examinant*: Vt tunc vigilantior credatur examinator, quando de palpebrarum conniuentium, vsu celebratur: quo delegatus eius nouerit quandoque conniuere, & tamen vigilantius interim intueri. Euthymius ad hunc locum. *Palpebræ Dei, cognitionis velamen: palpebræ si quidem, tegmina sunt oculorum. Per palpebras igitur significare voluit, quod si quando videtur Deus non aspicere, sed in absconditis animi, ac mentis morari, tunc tamen, nihilominus videt: vel quòd omnia prospicit, veluti qui non oculis tantùm, sed etiam ipsis palpebris intueatur.* Falleris ergo, mi Iudex, si te putas minùs perspicacem, dum conniues: nunquam magis Dei æmulus, nunquam existis perspicacior, quàm dum demittis palpebras, dum somnum simulas, & dissimulas culpam, quam intueris: quasi ipsas palpebras obductas, in clarissima lumina conuertas.

Palpebra conniuentes cernunt attentius. Vatabl. Euthym.

Iam hinc non miror, eundem Dauidem reum, 520.
qui dixerat: *Auerte faciem tuam a peccatis meis:* Psalm. 50. v. 11. addidisse statim v. 13. *Ne proiicias me à facie tua.* Quasi extra faciem peccator, & ad faciem stare concupisceret: re enim verâ, vtrobique benignam Iudicis faciem exorat: Sciebat enim, non ideo proiici à facie, quòd auersos, & clausos quodammodò oculos rogaret: nam dum

Ps.50.11. Vers.13.

D. Petr. Chrysol. Vigilare & conniuere inuicem, debet Iudex.

dum Deum Iudicem timet, rogat, vt pro suâ consuetudine conniueat paulatim, palpebras demittat, ne perdatur reus. D. Chrysol. pulchrè serm. 21. de Christo dormiente in nauiculâ, Matth. 8. ita. *Et vbi illud, Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel? per se non dormit, neque sibi dormitat Maiestas expers lassitudinis, quietis ignara; sed totum per me mihi agit: qui quoties speciem sui actus, sui vultûs immutat, toties nostrarum varietates arguit & culpas animarum. Audi Prophetam dicentem: palpebræ eius interrogant filios hominum: videte quemadmodum Dei oculi clauduntur, ni videat eos, vt vindicent qui delinquunt: auerte, inquit, faciem tuam, à peccatis meis: & iterum patent, vt currentes incitent, lassescentes erigant, respiciant supplicantes.* Tantùm ergo aberit, vt in iudicio, (seruatis prudentiæ regulis) Deum irrites, dum aliunde oculatus conniues, dum claudis palpebras, ne cogaris ad pœnam: quin potiùs tunc maximè, deleganti tuo Principi conformaberis. cuius certè naturam nouerat Dauid, dum quos vbique patentes oculos credebat, clausos nihilominus pœnæ postulabat. de quo alibi jam paginas impleui, in Cant. Tropol.

421. *Ierem. 1. v. 11.* Tale est illud eiusdem Domini, qui iudiciali throno erecto ita ad Ieremiam: *Quid tu vides Ieremia? & dixi: virgam vigilantem ego video. & dixit Dominus ad me: bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo, vt faciam illud.* Cap. 1. v. 11. Vatabli Scholium ex hebræo legit: *baculum amygdali ego video.* Benè, arboris, naturâ ipsâ, in flores præcocis. in folia vigilantis, virga vigilans, ad Iudicii sceptrum assumitur: illud expendo, nudam videri & aridam, vt proinde meritò *baculus* appelletur; quod etiam fatetur Vatablus, sic subiungens. *Amygdali, id est, arboris vigilantis, quæ sollicita est vt suos flores emittat. Baculum dicit, quia virga illa amygdalina, quam vidit, carebat foliis & floribus.* Cuius rei causa illa est, ni fallor: quia tunc Dominus noscitur vigilantior, non quando in flores, & quodammodò in vindicis iustitiæ folia progerminat: non quando viret ramus, rigor turgescit: sed quando arescit baculus, decrescit tumor: certè, quia Iudex tunc quandoque vigilantior, quando dissimulantior inuenitur. Quòd si contendas cum aliis, ideo virgam vigilantem hîc dici, quia florida erat, tunc enim vigilare dicitur Amygdalus, cùm floret: non abs re erit: quid enim suauiùs, vt benignitatem Iudicis agnoscamus? non fructus amygdalinos sub duriusculis corticibus germinabat, sed tantùm flores tenerrimos: quasi à percutiente virgâ inflicti ictus, non tam reis torquendis dolores inferant, quàm flores afferant, amœnandis.

Vatab. — *Vatab.* — *Adhuc de vigili iudicis conniuentiâ.* — *Illus. funi?lis virga floridi.*

422. *Iudex dum percutit, compassione repercutitur.* Sic ergo consueti, iudiciariæ benignitatis, oculi, palpebris contrahendis, si quandoque in necessariam vindictam erumpunt, miserorum supplicium ita dolent: vt dum percutiunt, repercuti videantur. Venit huc etiam (quod alibi fusiùs expendam) illa prædicta virgæ explicatio, quâ ideo virga dicitur vigilans, quia instar illius hieroglyphicæ, quæ imperio significando, oculum in cacumine habebat apud Aegyptios: sic etiam hæc prophetica, diuino quodam oculo insigniretur. Quòd si verum duxeris, quid aliud significabit oculus iste, in percutiente virga, quàm dolorem, quo ipse Deus percutit, pietatem, quâ castigat? quomodò enim delicatus oculus posset ferire, quin pariter feriretur? Quomodò reis ictu sanguinem, quin ex collisione, lachrymas saltem sibi, non eliceret? Vt discas, quàm benignus iudiciariâ virgâ vti debeas, in quâ ad cælestis delegantis exemplum oculos geras necesse est: vt sic percussurus irruas, quasi eodem ictu inuicem percutiendus. Quâ enim non consideratione, vt ita dicam, Taurus, quantumuis indomitus & cornupeta, feriret; si cornuum cuspides gereret oculatos: ne saltem quoties cornibus aliquem impeteret, eodemmet ictu, oculos sibi lædere cogeretur? sic longè aptius in re nostrâ; oculata virga est, vigilans ipsemet ictus, non solùm ne quid impetu non discernat, sed etiam, ne feriens, mollissima pupilla, per ingentem dolorem, inuicem feriatur.

Virga oculata, iudicis symbolum, quid signif.

Expende in hanc rem, mirum illud exhibitum Ioanni spectaculum: *Et vidi, & ecce in medio throni, & quatuor Animalium, & in medio seniorum: Agnum stantem, tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem: qui sunt septem Spiritus Dei missi in omnem terram.* Apocal. 5. v. 6. Non quatuordecim Angelos, Dei scilicet, in omnem terram missos Administros: sed septem tantummodò, multiplicatis in duplum symbolis, disertissimè voluit explicatos: qui cornua simul, & oculi haberentur: vnde bene Sà, ibi. *Septem Spiritus, idest Angeli, per cornua & oculos significati: fortes enim, & perspicaces.* Erant igitur cornuti quidam oculi, aut cornua oculata (nec fortè id à litterâ, & symbolico charactere, alienum) quæ virgæ illius vigilantis, si non formam referrent, saltem morem exprimerent: scilicet vt sic ferirent, vt indidem se noscerent compassionis dolore feriendos: nunquam cornupetæ, quin pariter, si vocem licèt fingere, fractoculi: tantùm, ex alieno vulnere dolorem percipientes, quantùm ex pupillæ propriæ perciperent læsione. Neque certè poterat res aliter euenire, quandoquidem perspicuo Agni præsidis exemplo, ad benignam pietatem informabantur. Dixerat paulo ante Senior ad Ioannem. v. 5. *Ne fleueris, ecce vicit leo de Tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum:* qui tamen vt vides, citato v. 6. non tam *Leo*, quàm Agnus appellatur: vt in supremo Iudice, Leonis potentia, sed Agni mansuetudini commixta intelligatur: Sicque reus, ad Leonis fortissimi paueat occursũ, vt ad mitissimi Agni conspectum, recreetur. Ideo omnino emphatica vox illa Angelorum clamantium ibidem: *Dignus est Agnus qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem.* Vbi vides non tàm Leonem fortitudine cingi, robur accipere, quàm Agnum: vt etiam dum fortis prædicatur, intelligatur mitis: quasi admittens fortitudinem, sed tamen mansuetudinem non amittens. Pulchrè de hoc Bernardus serm. 1. Paschæ. *Leonem Ioannes audierat, & Agnum vidit: Agnus occisus est, Agnus accepit librum, Agnus aperuit, & apparuit Leo. Denique, dignus est, aiunt Seniores, Agnus qui occisus est, accipere fortitudinem: non mansuetudinem amittere, sed accipere fortitudinem: vt & Agnus maneat, & Leo fit.* Hinc ergo prædicti Angeli, in terræ Iudicium missi ediscebant. Sed de hoc iam plura.

423. Apoc. 5. v. 6. — *Petrus Sà.* — *Iudicis necessarius dolor in feriendo.* — *v. 5. Iudex Leo simul & agnus* — *D. Bernardus*

VIII.

VIII.

Quàm velit Deus, Iudicibus suis blanda indoles adhærescat, & cur.

524. Iudici, blanda indoles adsit. NEque mirum sic Angelos suos Deus informârit: vbivis Administros Iudices, hàc piissimâ indole expetit imbutos. Inuenitur Maria grauida, & totâ mœstitiæ grauitate opprimitur Ioseph: anxius dubitat, quò se vertat: de pudore, vt puto, certus, dubius de alueo gestato, mauult tandem exilium ipse pati, quàm virginis excidium videre. *Ioseph autem vir eius, cum esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam.* Matth. 1. v. 19. (Matth. 1. 19.) Quid vsquam suauius, quid benignius potuit excogitari? dolorem suum deuorat, calcat zelotypiam; non disquirit, quas sibi iniurias grauissimas aliquis reputaret; & tamen interim, non tam pius, non tam misericors, quàm *Iustus* appellatur. Vbi benè Chrysologus, serm. 145. (D. Chrysol.) *Et quomodò iustus, qui conceptum sponsæ duxit non discutere? suspecti non exquirit causam puderis? coniugij famam non vindicat, sed requirit!* Lego: *relinquit!* Tunc aptissimè sic respondet. (Idem.) *Voluit occultè dimittere: hoc pio magis videtur conuenire, quàm iusto: sed humano iudicio, non diuino. Penes Deum, neque pietas sine iustitiâ est, neque sine pietate, iustitia.* Scilicet Sanctissimus Dei Administer, iuris sui causam tractat benignissimè: vt tunc te nôris de iustitiâ commendandum, quando impensiùs, de pietate commenderis: tunc enim dignioribus potestatis infulis adornaberis, quando misericordiæ vittis percingêris.

525. Irascitur Elias contrà populi scelera, & cælum claudit: cuius claues è labiis, suspensas gerens, discedit iuratus. Perit interim Israël fame: dum Propheta vbertim, nouo quodam pascitur prodigio: *Corui quoque deferebant ei panem & carnes manè, similiter autem & carnes vespere.* 3. Reg. 17. v. 6. (3. Reg. 17.) Et quid sibi voluit Deus, tam noua nutriendi Prophetæ conditione? Cur pio officio auis impia delegatur? Vt corui, inquiunt, exemplo, delegati sui Iudicis austeritatem argueret, & misericordiam prouocaret. Non abnuo: Aliquid tamen addendum, tàm solicitæ, Domini, diligentiæ agnoscendæ, putarem necessarium. In delegati Eliæ, in Iudicis seuerissimi tribunali, quodammodò delegantis Dei Misericordia rea accusabatur: (Misericordia Dei, apud Iudices asperos, accusatur.) Expeditur ergo Coruus diuinæ misericordiæ patronus: vt tãto exemplo Eliæ seueritas flectatur ad pietatem: neque Dei delegantis pietas, quæ semper miserando prona, in delegati aueritate periclitans, crederetur austera. Nunc capies D. Chrysost. tom. 1. homil. 1. (D. Chrysost.) de Eliâ, qui Deum sic inducit loquentem. *Absurdum est ô Elia, quod apud te Misericordiæ meæ patrocinantur Corui: tu autem, Iudæis in quos sæuio, non intercedis. Erubesce, & vel coruorum exemplo, Iudæis esto clementior.* Certè infamant crudeles Iudices, Principem delegantem: dúmque Domini indoles à delegatorum ingenio præsumitur, in horum Tribunalibus, non tàm reos, quàm Principis famam dixeris contorqueri. (Delegantis famam, apud) Hinc est vt Christus in Catholicis Ministris, hanc clementiam tantopere requirat: quasi sibi, (à quo mitissima Potestas) & Principibus, consulere videatur. (delegatum austerum, periclitatur & infamatur.) Attende.

526. Irruunt Coruis longè sæuiores Iudæi, lupi rabidi in Agnum nostrum. Ligant innoxium, vexant innocentem. Tunc Petrus, iustâ commotus irâ, perfido cuidam abscidit auriculam: ad quem statim Christus: *Conuerte gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Matth. 26. v. 52. (Mat. 26. 52.) Nullus audacior quàm Petrus, cui Dominus vices suas, & saltem in spe iudiciariam delegârat potestatem: vnde nullus meliori iure debitam pœnam, à nefariâ turbâ poterat postulare: & tamen interdicitur: causam subdit Ambrosius in Cat. Aur. (D. Ambros. Luc. 22.) ad illud Lucæ: *Et cùm tetigisset auriculam eius, sanauit eum.* Cap. 22. v. 51. (Malchum scilicet percussum:) his verbis. *Quare Petrus? quia ipse ligandi, atque soluendi adeptus est potestatem: & ideo tollit gladio spirituali aurem interiorem malè intelligentis. Sed Dominus ipsi refundit auditum: demonstrans, & ipsos (si conuertantur) posse saluari: qui in Passione Domini vulnerati sunt: eò quòd omne peccatum, fidei mysteriis abluatur.* (In nullo peccatore, remedium desperandum.) Vt sic delegatum suum institueret ad pietatem, ad misericordiam informaret. Altiùs tamen adhuc tendit sacramentum. Non solùm interdicitur Petrus, dum curatur Malchus: sed insuper reprehenditur, & minis consimilis vulneris deterretur, authoritate quodammodò suspensâ. Et vnde tantus Christi dolor? tam seuera in Administrum aliunde beneuolum, reprehensio? quia apud Petrum iudicem sic austerum, qui primo statim iurisdictionis suæ actu, nihil blandæ pietatis ostendebat: non tam Malchus, quàm Christi misericors patientia, patiens misericordia, accusata propemodum vexabatur. Quid ita? quia ab Administri discipuli asperitate, delegantis Magistri mores turba præsumeret: in delegato igitur delegantem se dolebat efferatum, aut saltem minùs clementem Iudicem, minùs mansuetum Principem haberi: proinde auriculam restituit læso, quasi læsæ pietati suæ videretur patrocinari. Nunc pleniùs intelliges verba aliunde trita Tertulliani, nondum à quibusdam satis expensa: (Tertul.) lib. de Patient. cap. 3. *Cùm vero traditur, cùm adducitur vt pecus ad victimam, (non enim magis aperit os, quàm Agnus sub tondentis potestate) ille cui Angelorum legiones, si voluisset, vno dicto de Cœlis affuissent: ne vnius quidem Discentis gladium, in vltorem probauit: patientia Domini, in Malcho, vulnerata est. Itaque & gladij opera maledixit in posterum: & sanitatis restitutione, ei, quem non ipse vexauerat, satisfecit per patientiam Misericordiæ matrem.* Tota explicatio (vt rectè in notis, post alias, vidit etiam Cerda) pendet ab illa voce *Discentis*: hinc enim vulneratur delegantis Magistri patientia, quia delegatus discipulus sæuiebat.

527. Delegat Deus Moysem regendo populo, & indit æ potestatis signum adiungit, vt primum, sic præcipuum. (Exod. 4. 2.) *Quid est*, inquit, *quod tenes in manu tua? Respondit Virga. Dixitque Dominus: proiice eam in terram: proiecit & versa est in Colubrum.* Exod. 4. v. 2. Vbi præter ea, quæ suprà dedi, habent ad rem præsentem pondus, verba Brunonis apud Godefr. (D. Brun.) *Quid per virgam, nisi correctio? vnde: virga tua & baculus tuus,*

Solum incorrigibilibus aspere irascendi. *ipsa me consolata sunt. Hac autem virga illis vertitur in Draconem, qui leuiter correcti emendare se nolunt* Vt sic doceretur Moyses, solùm contra incorrigibiles, Draconis felle vti: cæteros omnes mansueto solius virgæ attactu gubernare. Neque

v.4. caret mysterio, quod additur: *Extende manum tuam, & apprehende caudam eius: extendit & tenuit, versaque est in virgam*, v. 4. de quo citatus

D. Bruno. Bruno: *Huius caudam Moyses tenet, & in virgam serpens conuertitur: quando aliquis vir iustus, vindictam peccatoribus imminentem suis orationibus auertit. Cùm enim Deus ab vltionis ira placatur, draco saeuiens in virgam vertitur.* Quod & ipse postea fecit, toties impendentia supplicia populo auertens. Deúmque tenens; à quo & in hoc loco edidicit pietatem: nam dum videtur irasci, & colubros iaculari, iubet teneri, *extende & apprehende*, quasi minis tantummodo contentus.

IX.

Quam tardus debeat ad pœnas Iudex procedere.

528. *Iudex testudineo gradu procedat ad vindictam.* SEd cùm etiam suauissimæ indolis Iudex, necessariò aliquando & maximè incorrigibiles, punire teneatur: ne criminum impunitas cæteris sit stimulus ad peccandum: de quo infrà fusè: in hoc loco tantummodò Iudicem meum sedulò vellem admonitum, vt tardus, lentóque, & testudineo gradu procedat in vindictam: quod etiam à diuino præcipuè ingenio, cui per omnia debet insistere, ostendendum. Desæuiebat Deus iustissimâ indignatione in Israel: vnde per

Ierem.2.9. Ieremiam ita ad populum: *Propterea adhuc iudicio contendam vobiscum, ait Dominus, & cum filiis vestris disceptabo. Transite ad insulas Cetim, & videte: & in Cedar mittite, & considerate vehementer, & videte si factum est huiuscemodi?* cap.2. v.9. Quærebat-ne Deus, sibi ab Idolis exempla: an ab ethnicis, Israeli? hoc secundum certius nemo videre nequeat: id enim optabat, vt factâ comparatione Israelis, cum gentibus notaret, quantò in fœdiora scelera corruisset. At quantò facilius foret inuentu, & exemplo efficacius, si ad Patriarcharum, & indigenarum Iustorum considerationem, illos mitteret: (vt sæpe alibi) à quibus turpiter degeneres, domestico pudore acriùs pungerentur? Quid ad remotissimas Cetim insulas, peregrinaturi impelluntur: qui è viciniâ institui potuissent? Nondum pœnâ, sed adhuc iudicio contendebat, si quomodo infligendam pœnam posset euitare: & longissimæ peregrinationis moras, morosásque in scrutandis gentium moribus apparat disquisitiones; vt saltem impendens iam supplicium retardaret. An-

D.Athan. nuit D. Athanasius lib. de Passione Dom. *Verbo adhuc, designat suam bonitatem, & tolerantiam. Nisi mansuetè, & longanimiter agere vellet, non admonuisset eos: non iussisset peragrare: & peragrando discere ex contrariis, boni comparationem discriminéque.* Vt quot illi, in tam longâ peregrinatione passus protenderent, tot gressus, eius vindicta suspendere cogeretur: & quantùm illi discerent ad resipiscentiam, tantùm ipse dedisceret de pœnâ: eò in hac tarditate pretiosior, quò illi, ad effundendum sanguinem fuerant velociores.

Respiciebat huc Apostolus, quando iustè aduersùs peccatorem indignatus, ponderatâ diuini Iudicis benignitate, sic exclamat: *Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti Iudicij Dei?* Rom.2. v.5. Quasi omnes diuinæ iræ effectus, quos ab initio Orbis, immensæ Maiestatis læsio fulminauit, & illos, vt nôsti, quandoque seuerissimos: vix apud Apostolum iræ nomen promereantur, si cum vltimâ irâ comparentur: ideò enim signanter postremum illum, *diem iræ* appellauit, tanquam si tunc solummodò Deus pugnax, in cæteris velitasset. Id ergo caligat in hoc loco, quod Iudicium istud formidabile, non asperi, non saltem seueri, sed solùm *iusti* titulo appelletur. An non tunc diuina Iustitia, in seueritatem debitam componitur? an tunc plenè furorem non distringit? Cur igitur terrendis altiùs peccatoribus, non potiùs seuerissimum, quam iustum appellatur? Respondet ad rem nostram grauissimè D. Cyprian. epist. 11. *Iustum iudicium Dei, dixit esse: quia serum est, quia multum diúque differtur, vt homini ad vitam, longâ Dei patientia consulatur. Tunc repræsentantur pœnæ impio & peccatori, quando iam non potest pœnitentia prodesse peccanti.* Meritò ergo non seuerum, sed in ipsâ grauissimâ seueritate Iustum, quod sic benignè tardum processit ad vindictam: solúmque maximam pœnam tunc indicit, quando iam pœnitentia desperatur. 529. Rom.2.5. *Iudex tamen iustissimus ad vindictam quando tardus.* *Pœna ... plurimum solum incorrigibiles afficiat.*

Idem de singulis, in vltimâ Iudicij particularis pœnâ verum est. In vniuersali igitur contra omnes, in particulari contra singulos, thesaurizata ira iustè funditur, quia sera venit: ac si quodammodò minùs iusta, & apud aliquos calumniatores, iniqua videri posset, summa hæc ira, nisi post mortem fulminaretur: quando scilicet resipiscendi tempus subtrahitur. Ostenderat multis D. Petrus Chrysologus, celerrimas iras, quibus scelera Deus, prisco ante Christum æuo puniebat: qui nunc longè mitior, longa patientia, in extremum iudicium, omnium omnia, & singulorum singula videtur reseruare: vt suauissima tarditate, resipiscendi inducias ad mortem vsque illis administret: tunc ita subdit sermone 42. *Hac est Christi magna, larga, sola misericordia, qua iudicium omne in diem seruauit vnum, & homini totum tempus ad pœnitentia seruauit inducias: vt quod de vitijs infantia suscipit, rapit adolescentia inuadit iuuentus: corrigat vel senectus: & de peccato vel tunc pœniteat, quando sentit iam se non posse peccare: & tunc saltem reatum deserat, quando illum reliquerit iam reatus: faciat de necessitate virtutem, moriatur innocens, qui totus vixit in crimine.* Huius te Iudicij lenti imitatorem exoptat Christus, si iustus magis, quàm immanis iudex, de rapida celeritate vis haberi. Hinc capies verba illa eiusdem apud Prophetam: *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam*, Psalm. 128. v. 3. Nihil scelestius, quàm inde prolongare malitiam, quia fidei iussoris Christi impendiis, soluendos se sperabant: quando ergo seuerissimam pœnam sperares, audis statim v. 4. *Dominus iustus concidet ceruices peccatorum.* Vt qui dorsum & ceruicem diuinam oppresse 530. *Ira iudicis minus iusta nisi sera.* D. Chrysol. Psal.128.3. v.4.

proſſerunt, humanis confractis ceruicibus opprimantur. O mirum dictu! quaſi ſub æquo Talionis iure, diuina iniuria, humano detrimento compenſetur. Illud tamen ſignatiùs ad rem præſentem: quòd poſt tantam criminis prolongationem, non tàm benignus punitor, quàm *iuſtus* appelletur: quaſi vera iuſtitia in hâc grandi tarditate cognoſcatur: & inde Iuſtus Dominus vocetur, vnde patiens pariter recolitur, dum iniquitatis turres proſternere non feſtinat. Eleganter D. Zen. Ver. in hunc locum. *Iuſtus Dominus, patiens ſcilicet in vltionem, diſſimulator ad pœnitentiæ tempus: non inter exordia iniquitatis promptus ad pœnam: ſed deſinendi à criminibus, ſeram licet voluntatē peccatoris expectans: tunc ceruices cōtudit, cùm ſine aliquo deſinendi modo fabricatur, cùm in longum peccata tenduntur, cùm iam omne patientis miſericordiæ tempus excluſum eſt.* Et benè *iuſtus*, quia ſcilicet patiens: *iuſtus*, etiam dum prima fabricæ ſceleratæ conamina non contudit: ſed erectas malitiæ moles, altiori patientiæ mole, non tàm euertere parat, quàm curare.

Iudex inde iuſtus, vnde patiendo ſerus.

D. Zen. Ver. Deſperata correctione, iuſta vltimū ſupplicium impenditur.

531. Per ſex dies Ierichuntinam Vrbem bellatoribus cingi iuſſit Deus, Ioſ. 6. v. 3. & tandem die ſeptimo, ſacerdotalium buccinarum clangore inſultari, Verſ. 4. donec *Muri funditus* corruerent, Verſ. 5. & infauſta vrbs miſerrimè vaſtaretur. Grauidus eſt ſeptenarius hic numerus ſacramentis, & paſſim diuinæ benignitatis aliquid importans, vt longiſſimis paginis iam alij expenderunt. Vnde non immeritò dubitaueris, cur hic dierum numerus, infælici vrbi aſſumatur euertendæ, qui rebus aliis ſaluti ſolet eſſe, & fælicitati? Ego crederem defraudatum hîc numerum ſuo priuilegio; ne more ſuo piiſſimo Iuſtitia diuina fraudaretur. Nimirum ſex diebus vniuerſum Orbem Deus ædificârat: & ciuitatulæ cuidam proſtrandæ, ſaltem plus vnum impendit, quia neſcit, niſi tam lento pede, niſi manu ſic tardâ procedere puniturus. Dixi plura in hunc locum alibi ex Chryſoſtomo. Homil. 5. de Pœnit. qui tandem ad rem præſentem ſic concludit. *Nos homines multo tempore ædificamus, vno die deſtruimus: Deus contra, cum ſtruit, velociter ſtruit: cùm deſtruit, tardè deſtruit: illud potentiæ, bonitatis iſtud: potentiæ excellentiâ velox; mulctâ, de bonitate tardus.* Sic nec prima fundamenta ſtultæ illius Babel Geneſ. 11. euertere ſuſtinuit: iam vrbs erat, iam Turris, Verſ. 5. quando obſtaſſe dicitur: ídque, ne, ſine aliquo deſinendi modo, ſcelus magis erigerent, quàm ædificium.

Ioſ. 6. 3.

Verſ. 4.

Verſ. 5.

Lento pede, tarda manu, in vindictā, Iudex procedat.

D. Chryſoſt.

Gen. 11. 5.

532. Venit paſſurus Chriſtus: & tamen ab Herode quæſitus ad necem, fugit in Ægyptum: ideo Angelus ad Ioſephum: *Surge & accipe puerum, & Matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Matth. 2. v. 13. Sed quid, inquis, fugit mortem, vitæ auctor, mortis euerſor? potentiam, fortè dixeris, diſſimulauit: Non abnuo: ſed cur diſſimularet fugâ, non paſſione? Si de vitâ pro ouibus poſitâ, paſtorem ſe bonum, immaculatus agnus commendauit: cur occaſione oblatâ non ponit vitam? Certè quia paruulus erat, quia parum ſperâſſe videretur, qui tardus ad Herodis pœnam, dato reſipiſcendi tempore, iuſtus proinde Iudex procedere cupiebat. D. Chryſol. ſerm. 151. *Chriſtus fugit, vt noſtras fugas, in perſecutionibus temperaret. Martyr cùm comprehenſus, debet tenere conſtantiam: non comprehenſus debet fugere perſequentem, vt & perſecutori indulgeat reſipiſcendi tempus, & ſibi tempus non auferat ſupplicandi.* Fugit itaque Chriſtus, norma noſtra, vt piâ tarditate reſipiſcentiam offerat indurato: Fugit, quaſi oculos arcens, ne viſâ impietate ſceleris, in celeriorem vindictam cogeretur. Sic capiendus idem S. Doctor, ſerm. 152. *Magiſter mali, miniſter doli, iræ artifex, inuentor ſceleris, impietatis author, pietatis prædo, inimicus innocentiæ, hoſtis naturæ, malus omnibus, ſuis peior, peſſimus ſibi: quem Chriſtus non vt euaderet, ſed ne videret, aufugit.* Hanc eſſe Chryſologi mentem, ſatis conſtat ex illis, quæ ipſe alibi ait de Chriſto demittente oculos, aut diſcedente, *Ne crimen cerneret, quod puniret.* Expendi alibi fusè. Habes ergo exemplar optimum mi Iudex, vnde in pœnas tardior, quantùm res paſſa fuerit, procedas.

Deus, puniendo peccatori præbet induciam.

Matth. 2. 13.

D. Chryſol.

Idem.

Idem.

X.

Supremus Iudex, in appellationibus, & ſuppliciis qualem ſe geſturus.

Licèt quæ hucuſque dixi de Iudicibus, ad ſupremos etiā cuiuſuis Tribunalis Iudices, imò ad hos præcipuè ſpectet; ſeorſim tamen pro his aliqua adnotanda, vtpotè ad quos, & grauiora ſpectant, & Inferiorum appellationes, dirimendo negotio, deferuntur: vnde attentiſſimè, toto Numine pleni debent procedere. Dum ambiguum, & difficile aliquod Iudicium, inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam, & cauſam variatis Iudicum ſententiis, apud Iſraëlitas inſurgebat, Deuter. 17. v. 8. hunc dirimendæ litis tenorem Moyſes ſtatuebat. *Aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniéſque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore: quæréſque ab eis, qui indicabunt tibi in Iudicij veritatem: & facies quodcunque dixerint, &c.* Ibidem v. 9. & 10. & ſtatim pœna mortis in rebellem, qui huic ſententiæ ſtare noluerit, fulminatur. Verſ. 12. quaſi veriſſimo, & irrefragabili iudicio repugnantem. At vnde inquis, illa ſententia, tam certa & infallibilis præſumenda, vt quaſi ab ipſo Numine dictatæ, iam tale nefas eſſet reſiſtere, quod ſolâ rebellantis nece veniret expiandum? quia ſupremi Iudicis erat, quem ſic ab iniquitate alienum, ſic Numine plenum exiſtimari volebat Deus, vt non niſi per ingentem temeritatem illi reſiſteretur. Pulcherrimum hinc depromit nobis monitum Oleaſter. *Hinc fortè ortæ ſunt appellationes ad ſuperiorem Iudicem. Et conſiderent hæc Principes, & Conſilia ſuprema, à quibus non conceditur appellatio, quales eſſe debeant; vt ſcilicet eorum iudicium ſit omnino rectum: quod vix eſſe poteſt, niſi reſponſum Domini penes ſe habeant, quemadmodum iſti. Solus enim Deus nouit omnia cauſarum merita.* Certè, ſi quod tunc manifeſtum Oraculum lex habebat: nunc fides & gratia, vberiori, quamuis occulto ſpiritu, non ſuppleat, rectus appellationis ordo defraudabitur: & ſub iniquitate ſupremi Senatus præſumptâ, innocens litigantium rebellio præſumetur; quo nihil abſurdius iuxta fuerit, vel funeſtius.

533.

Iudices ſupremi, in appellationis negotio, attentiſſimi.

Deut. 17. 8.

Verſ. 9. & 10.

Verſ. 12.

Oleaſter.

Vrgebat Abraham Dominum, ne in Sodomam extremo tandem ſupplicio inueheretur, ne fortè 534.

Iuſti

Genes. 18. v. 25.

Iusti cum impiis viderentur inuolui: hinc ita subdit: *Absit a te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio, &c. non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram: nequaquam facies iudicium hoc.* Genes. 18. v. 25. Nihil planius, nihil clariùs, quàm à diuino iudicio, quidquid iniquitatem redolet, abesse longè. Non video tamen, vnde prudentissimus senex roborari argumentum suum putârit; quia Dominus iudicat omnem terram: *non est*, inquit, *hoc tuum, qui iudicas omnem terram*: Summa enim & vniuersalis potentia alicuius Principis, non infallibiliter arguit iustitiam, immò potiùs Tyrannidis fit suspecta: quid igitur? Sic euenit apud perditissimos Principes, vt quò profusior fuerit potentia, eò laxior iniquitas procedat: at in Deo, Principibúsque ad illius ingenium efformatis, longè aliter: & maximè in re iudiciali: quò enim superiores sunt, eò se æquiores satagunt exhibere, & diligentiores causis discutiendis: est enim apud illos error incorrigibilis, à quibus appellatio esse non potest. Prudenter idem Oleaster suprà citatis verbis hæc subiungit. *Cùm Dominus diceret Abrahæ, velle ciuitates Sodomorum subuertere, occurrit illi S. senex Abraham dicens: absit à te Domine, vt perdas iustum cum impiis, præsertim cum sis omnis terræ Iudex, à quo ad Superiorem nulla est appellatio, cùm sis supremus; vbi docet supremos Iudices, summè aduertere debere, ne quid iniustum faciant, cum non habeant, qui eorum sententias corrigant. Similiter discant, quàm probè debent leges, quibus iudicandum est, nosse.* Formalissima est ergo apud prudentes & pios consequentia, quâ ex supremi iudicii authoritate, à qua non licet appellare, eximia & summa quædam æquitas arguitur.

Iudex, quò superior, eò sit rectior. & cur.

Oleaster.

535. Iam verò si necessariò, dispectâ probè causâ, sit puniendum: sic Deo plenus, fulminet sententiam supremus Iudex: vt non tam turbante irâ, quàm sereno pectore pergat in vindictam. Puniturus Deus homines, parat diluuium: & ait Textus: *Pœnituit eum, quod hominem fecisset in terrâ: & præcauens in futurum, & tactus dolore cordis intrinsecùs: delebo, inquit hominem, quem creaui.* Genes. 6. v. 6. Cum pœnitentia mutationem importet, Deum naturâ ipsâ immutabilem, nunquam propriè facti potest pœnitere: Vnde bene hanc Dei in hoc loco pœnitentiam, per iustam Dei iram interpretes aliqui explicarunt cum Saluiano, qui lib. 1. de Prouid. ita. *Sub nomine pœnitentis Dei, vim demonstrauit irati.* Non tamen adhuc difficultate caret explicatio, fere enim eandem imperfectionem ira importat, quam Pœnitentia: vnde vtraque à Deo exulet, si propriè loquamur, necesse est. Quæ igitur inquis, est metaphorica Dei ira? nimirum dum incorrigibiles sic seuero punit supplicio, vt quasi iratus degere videatur. Doctè idem Saluianus. *Ira est autem diuinitatis, pœna peccantis.* Quasi tàm sereno pectore procedat ad vindictam, vt solùm in exteriori effectu, scintillantis iræ notitia exprimatur: pacato, & imperturbato penitus interiori. Huic, ira tua, mi Iudex, quo ad fieri poterit, assimilanda.

Iudex non iratus, sed serenus, procedat ad vindictam.

Gen. 6. v. 6.

Saluianus.

Saluianus.

536. Iam verò hæc exterior ira, hæc immissa pœna, sic tarda, sic attenta veniat, vt non tam à te fluere, quàm ab ipsis sceleribus putetur extorqueri. Parum est, quòd tandiu puniendis Sodomis tardaret Deus, criminis iam clamore cælos terebrante: parum quòd Angelos mittat in testes, hósque vt suprà dixi, testudineum gradum affectantes. illud maius, non statim, vbi in vrbem accesserunt, erepto Loth & familiâ, cæteros omnes subitò incendisse: adeunt domum Loth, conuiuantur, pernoctant. Genes. 19. v. 3. & ibi immorantur pacifici: donec insanus Populus existimatos adolescentes, per summum furorem exposceret ad libidinem. Nimirum inuitum ad pœnam, voluit se probare, diuinus Iudex: tandiúque Administrorum Angelorum manus & gladios cohibuit, donec videri possent repellendæ potiùs præsenti iniuriæ, quàm præteritis culpis vindicandis studuisse: Sicque extorta potiùs, quàm euibrata fulmina noscerentur. Idem Saluianus citatus. *Quod pœnam eorum tandiu distulit, misericordia fuit: Iustitiæ, quòd aliquando puniuit. & ideo cum Angelos, Sodomam Deus immitteret, hoc nobis probare voluit, quòd etiam malos puniret inuitus. Scilicet, vt cùm legeremus, quæ à Sodomis Angeli pertulissent, & videremus scelerum immanitatem, criminum turpitudinem, libidinum obscænitatem: probaret nobis Deus, quod ipse eos noluerit perdere, sed ipsi extorserint, vt perirent.* quasi non satis Iustitiam suam probaret supremus Iudex: nisi, ad pœnam extortam, coactus probaretur.

Iudex sic inuitus puniat, quasi à culpa cogatur.

Genes. 19. v. 13.

Saluianus.

537. Quid? ipsa etiam pœna extorta, sub iis circunstantiis infligenda, eo tenore processura, vt nemini non appareat, inexcusabiles vndique reos fuisse, nec Iudicem supremum affectu vel leuissimo accusabilem. Erecto iam in Israelitas Tribunali, aduocatísque, vt suprà dixi, testibus: subdit Deus. *Filios enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Isaiæ 1. v. 2. Dum arguit, dum corripit, dum non solùm intentat minas, sed extrema insuper distringit iam supplicia: Patrem se potiùs, quàm Iudicem appellat: non tàm reis, quàm filiis denotatis: hísque paternâ curâ ad gloriam euectis, & propriâ contumaciâ, paternæ reuerentiæ spretoribus. Scilicet, nullus pater præsumitur, odio magis quàm iure, in filios desæuire: nullus filius præsumitur innocens, quem Pater Iudex cernitur damnare: tam stricta necessitudo, solùm apertissimi iuris gladio scindi nouit: nec Patris inuiti lachrymæ, sanguineum filii poculum temperare sufficerent, nisi aliunde irrefragabili legum testimonio vrgerentur. Hoc est, quod prædictis verbis intendit Deus. D. Zeno Veron. ibi. serm. 5. *Filios appellat, vt abdicatios exaltatos, vt ruina timeatur: spretores suos, vt impios monstret. Infœlix culpa est, fratres, in qua locum qualiscunque non inuenit excusatio: detestabilis certè filius, quem pater pius, quem pater damnat inuitus.* Talem te aliunde gere, supreme Iudex, vt totius Populi pater agnoscaris: sic erit, vt etiam dum punis, inexcusabilis potiùs reus, filius detestabilis arguatur: quàm tu iniqui Iudicii subiaceas suspitioni.

Pœna sic debet imponi, vt inexcusabilis reus agnoscatur.

Isai. 1. v. 2.

D. Zeno Ver.

XI.

XI.

Modico pœnæ impendio, paret exemplum: legem, si opus fuerit, quandoque frangat: aut saltem benignitate vbique temperet.

538. Exemplum, sub minori pœnarum impendio, paret Iudex.

SIt autem Iudici meo, monita inter prima: vt si quandoque terrori, & aliorum necessario exemplo seruiendum: ibi sæuiat, vbi sub pari profectu subditorum, minus sequatur damnum, terrorisque & exempli præmissi fructus grandis, sub exiguis pœnarum impensis, colligatur. Ascendebat Christus Dominus iam passurus, in Ierusalem: additque Matthæus. *Et videns fici arborem vnam secus viam, venit ad eam: & nihil inuenit in eá, nisi folia tantum: & ait illi: nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum: & arefacta est continuò ficulnea.* Cap. 21. v. 19. Et quidem disertis verbis notauit Marcus, *non erat tempus ficorum.* Cap. 11. v. 13. Vnde ex hoc titulo minus digna supplicij videbatur. Quò ergo tendit tam inopina pœna? Sed esto: demus, quòd rerum Domino, vniuersorum Creatori, etiam sub alieno tempore, vt alibi expendi, debeant creaturæ ministrare: erit quidem hoc verum in illis creaturis, quæ vt criminis participes, sic etiam supplicij consortes esse meruerunt: at insensibilis ficulnea, culpæ incapax, cur pœnæ subiacuerit? non erat hæc propriè pœna, sed phantastica pœnæ species & figura: cùm verò supremus Iudex, tunc iudicandus, potentiæ suæ exemplum discipulis suis videret necessarium: materiam piissimus elegit, vbi pari emolumento, minoribus expensis, illud exhiberet: & sub puniendi specie, impunitos reos, si fortè corrigendi, Discipulis demonstraret. Capies rem ex D. Athanasio, quæst. 58. *Quid peccauit Ficus, quod eam Christus arefecit? quonam id proposito fecit, & quomodo? quoniam Dominus passurus iam erat: ne existimarent eius Discipuli, ipsum non Omnipotentem esse, sed infirmum, ideòque pateretur: in hac inanimata re suam declarauit potentiam: vt ostenderet, quòd omnes aduersarios suos, ariditate percutere posset. Sed quemadmodum dixit ipse, quia non venit ad iudicandum Mundum, quin potiùs ad seruandum; suam quidem, inanimatâ in ficu potentiam declarat: suum autem erga homines amorem, immensâ erga illos patientia exercet.* O quam sæpè, minori sanguinis impendio, Reipubl. incendium restinguerent supremi Iudices, si huic cælestis Iudicis tenori assuescerent!

Mat. 21. 19.

Marc. 11. 13.

D. Athanas.

539. Populo vniuersè cùm peccante, scelestiores tantùm puniendi.

Quòd si vniuersus quandoque populus, aut ingens Reipub. pars, sceleris iam conuicta, deprehendatur: tunc summâ prudentiâ opus est: ne aut impunitas in exemplum prauum deducatur: aut pœna tot reos deuoret, vnde exhaustis Imperij neruis, ipsa Respub. manca collabascat. Scelestissimos quosquos neci tradendos, (qui quasi seditionis fontes denotantur) dimissis cæteris, Politici ferè omnes multis adductis exemplis scripserunt: vt Moyses in paucos, si totum Populum ferè Idololatram consideres, legitur desæuiisse. Et probè sic statutum. Hinc pueri-le, hinc tyrannicum est credere, Rempub. propter leges conditam; cum è contra leges propter Rempub. condantur. Non solùm ergo lenienda, deducenda, sed etiam frangenda quandoque lex, ne tot resecatis membris, imò & trucidato corpore, perfringatur Respublica. Iniqua foret lex, nisi se ex debitis circunstantiis, vtilius quandoque frangi pateretur: & imprudens, si mallet violari persistens, quàm rumpi, ne violetur. In eodem Moyse res apparet. Descendebat ille è diuino colloquio. *Cùmque appropinquasset ad castra, vidit vitulum & choros: iratusque valde proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis.* Exod. 32. v. 19. Non fuit, quasi noui doloris subita indignatio: iam enim peccatum populi nouerat, & doluerat, pro quo enixè Dominum rogârat. Quid ergo est, quòd se Iudicem Moyses vult haberi, qui iura scripta proiecit? Quid est, quòd cùm destructurus culpam videbatur, legis potiùs tabulas euertit? Audiendus hîc Bruno, apud Godefr. *Irascitur Moyses, & frangit tabulas; populus peccat, & tabulæ franguntur: populus peccat, lex destruitur. Vt quid hac? si enim Moyses tabulas non fregisset, populo non pepercisset. Et quid proderat, quod orando Deum placauerat, si ipse eos ex legis imperio occidisset? lex enim dicit, qui immolat Diis occidetur, præterquam Domino soli. Noluit igitur cum tabulis, noluit cum rigore legis ad populum delinquentem venire: sed tabulas fregit, legem euacuauit, & populo delinquenti pepercit.* Nam si stante lege parceret multitudini, iam legis authoritatem violabat: si non parceret, peculium suum Deo adimebat. Maluit igitur pro tempore confringere: quasi honestius duceret ipsi legi, tunc non esse, quàm non obediri: & aliunde æquiùs videbatur, vt lex, quo ad partem pœnalem, propter homines facta, tunc quodammodo esse desineret: quàm in pœnæ obseruationem omnes homines perirent. Et quidem cum rupices illæ paginæ, saxeum volumen, nobiliori stylo, diuino scilicet digito exaratum, summâ veneratione haberi deberent: non tamen propterea Moyses de illarum fractione à Deo reprehenditur: *Moyses* addit Bruno: *pro fractis tabulis nusquam à Domino reprehenditur.* Probauit enim Deus in supremo hoc Populi Iudice, tales quandoque adesse personarum & temporum circunstantias, vt non solùm leniri, sed etiam frangi, pœnalia decreta opus fuerit.

Respub. non est propter leges, sed è contra.

Exod. 32. Satius est abrogare legem, quàm violandam exponere.

D. Brun.

Vnde in bonâ Republ. lex quandoque frangenda.

D. Brun.

In cæteris satis fuerit, si rigorem legis putaueris leniendum: Neque enim aliud voluit ipse Deus, dum suprà Arcam, quæ legis continebat tabulas, iussit Propitiatorium collocari: Exod. 25. v. 20. subdiditque ad Moysem. *Inde præcipiam, & loquar ad te suprà Propitiatorium.* Vers. 22. Vt dum videret Moyses subiectam quodammodò legem Propitiatorio: & ipsum legis Dominum, in solo Propitiatorio, re & nomine benignitatem spirante, thronum sibi collocâsse: iam ediscerer, legis obseruationem mirâ suauitate exigendam, & pœnas vbique propitiâ benignitate temperandas. Oleaster ibi. *Optima rerum conuictio est hæc, arca seu legis, quæ in ea delitescebat, cum Propitiatorio. Vt si contingeret in lege peccare, ad manum esset Propitiatorium. Quod si te seueritas legis deterreat, consoletur Propitiatorium, quod ad legis rigorem flectendum, factum est.* Et quidem, cùm soli supremo Sacerdoti & Iudici

540. Rigor legis temperandus.

Exod. 25.

Oleast.

Iudici, in hæc Sancta Sanctorum, familiaris esset accessus: longe planiùs, quàm cæteri Sacerdotes & Iudices minores, intelligeret, tunc optimè Iudicia exerceri, cùm lex aliunde imperans, benignitati tamen subdita colitur.

Notatio X.

De Primario Principis Administro.

541. *Priuatus Principis, quis vulgò appellatur.*

VOco primarium Principis Administrum, quem pridem Hispanum vulgus, ab intimo, & priuato Principis commercio, *Priuado*! nunc ex eâdem causâ, quod multùm, apud eundem valeat, *valido* vocat. Hic arctissimus ille Amicus, cuius fidei arcana cuncta committuntur, cui rerum omnium traditur dispositio, in cuius humeros totius Imperii machina deuoluitur. Regis mens, Regis dextra: & vno verbo, Rex absque coronâ: quem speciali vocabulo Persæ *Surenam* appellabant. Non est animus disputare, an hæc Politices ratio, an contraria, Regi & Regno veniat vtilior: pro vtrauis parte validissimæ certant rationes, & adhuc sub Iudice lis est: nisi quòd vsus frequentior apud Principes, in approbando hoc *Priuado*, (liceat mihi breuitatis ergo, hac voce, pro primario Administro, vti) potioris aliquid Iuris, affirmanti sententiæ visus attribuere. Tantummodò igitur, qualis iste futurus, describetur. Et quoniam quæ hucusque, de tot Administrorum ordinibus asseruimus, huic etiam imprimis apta veniunt: illa tantùm deinceps adnotabimus, quæ *Priuato*, priuatim visa conuenire.

Monita Politica.

I.

Priuatus optimus, de amore, & beneficiis, in Populum, probandus.

532. *Deus numquã alterum deturbat, nisi interim alterum subleuans.* Exod. 32.

HÆc est prima, & certissima *Priuati* optimi nota, si amantem, si beneficum Populo, se exhibeat: Hinc Princeps prudens, primarium hunc Administrum probaturus: si non tàm priuato suo, quàm publico Populi commodo consuluerit. Irascitur Deus in Populum Idololatram: & districturus iam gladium, ait ad Moysem: *Dimitte me, vt irascatur furor meus, contra eos, & deleam eos: faciamque te in gentem magnam.* Exodi 32. v. 10. Sic iram vibrat, vt tamen misericordiæ non obliuiscatur: & sic impios deleturum se minatur, vt nouæ & meliori genti, gloriam promittat obiter: ne Moysi argumentum relinqueretur, quo Deum aut solitæ pietatis admoneret, dum solummodò desæuit: aut sibi innocenti, ereptum quereretur imperium, dum meliori Populo non præficitur. Non poterat arctiùs Moyses colligari, ne diuinæ vindictæ iam obstreperet: & tamen vt nosti, non tam fixa decreta, quàm minas intentans Deus, veniam reo Populo interim dandam meditabatur: nec aliud magis optabat, quàm vt Moyses pro Populo, (quod & euenit) anxius precaretur. Cur ergo, inquis, tam validâ in contrarium machina tentatur Moyses? erat primarius Dei administer, supremi Regis *Priuatus*, hincque proinde maximè probandus, quod priuata sua emolumenta, communi Populi bono, amator & beneficus postponebat. Oleaster ibi. *Probat locus iste, quod communiter sancti dicunt, neminem videlicet Deum deiicere, nisi alterum subleuet: vult eos consumere, sed non delebit, nisi Moysem faciat in gentem magnam: vbi etiam Ducem summè tentare voluit: vt experiretur, an pro priuato bono sineret commune perire.* Quasi hæc esset summa tentatio superanda, vt summa propemodum optimi Priuati probitas, indoles fidelissima, & tanto necessaria ministerio, probaretur.

Princeps, Priuatum suum examinet de amore in populum.

Oleaster.

543. Exod. 33. *Priuatus, cur à Principe gratiam tanquam aquaductus, debeat optare.*

Senserat se iam deinceps Moyses, Deo gratiorem, vnde post longa aliquandò colloquia, familiaritatis fiduciâ, sic subiungit. *Ostende mihi faciem tuam, vt sciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos: respice Populum tuum, gentem hanc.* ibidem, cap. 33. v. 13. Putârit aliquis ex his verbis, si non frigidum, saltem minus feruentem, in amore erga Populum, se Moysem exhibere: suprà enim omnia sua Populo postposuerat: nunc iam sibi primò gratiam, deinde in secundis, fauorem Populo visus postulâsse. Nunquid Priuatus optimus, dum crescit apud Principem gratior, in charitate erga Populum decrescit? absit: imò potiùs, vnde se pridem gratiorem nouerat, ex ardenti nimirum, in Populum amore: indidem, nouis incrementis sollicitat se gratissimum. Non ergo mentionem fecit Gentis, & populi, quasi in secundis promouendæ: sed quasi vrgentissimæ rationis, vnde prædictæ consequendæ sibi gratiæ inhiabat. Clariùs in hebræo, apud Vatab. *& attende quod populus tuus gens ista sit* q. d. Peculium, & in delitiis habitum, est tibi populus iste: cui me Administrum medium esse voluisti: me ergo tibi indies familiariorem redi, fac gratiorem: vt quò dignior, eò vberiora è te in illum transferam beneficia: neque enim hæc mihi, nisi tanquam Aquæductui, cupio communicata. Hanc fuisse egregii Priuati mentem vidit ibi politissimus Oleaster, sic scribens. *Verè Iustus, qui suam, non propter se, sed propter populum, gratiam requirebat. Adhoc debet Prælatus velle gratus esse Deo, vt subditos suos, Deo gratos faciat. Et ego, ait Christus, pro eis sanctifico me ipsum.* Sic in re nostrâ: generosam Priuati indolem hinc probabis, si non suam propter se, sed propter populum, gratiam apud Principem requirat. Sed adhuc à Moyse, & Oleastro, plura.

Vatab.

Oleaster.

544. Exod. 34.

Obtinuit tandem, quam postulârat gratiam, prout mortalis vitæ conditio ferre poterat: c. 34. v. 5. inde voti compos, quod iam diuino Principi gratissimus, dum illa non tam sibi, quàm Populo beneficus requirebat. Exclamat interim priuatus, commendata Dominica pietate, & misericordiæ visceribus celebratis: additque Textus: *Festinúsque Moyses, curuatus est pronus in terram, & adorans ait: si inueni gratiam in conspectu tuo, Domine: obsecro, vt gradiaris nobiscum.* Vers. 8. tenetiùs in Hebræo. *Si inueni gratiam* v. 8.

tiam in oculis tuis, vadat Dominus, in medio nostri. Non solùm orat vt Dominus, sed etiam, vt *in medio* omnium, progrediatur. At nónne satis, si Dominum in Ducem præuium postularet, & consequeretur? certè ingenti suo erga Populum amori, non satis. Aquæ ductus licet liberalissimus, accepta fluenta refundat: hoc tamen speciale habet, & speciosiùs, quòd priùs possidendi illa fruatur priuilegio: Neque igitur priuatum hoc priuilegium, generosissimus *Priuatus*, sibi inesse volebat: sed iam amantior, & beneficentior in populum, Dominum, in huius medio ire satagebat: vt æquè ab omnibus participaretur: vtque omnes quasi eiusdem meriti, & sub eodem immediato fauore, intimos Deo redderet, & *Priuatos*. Sic capiendus ibi Oleaster. *Vadat Dominus in medio nostri. Non postulat sanctus vir, sibi priuatum aliquid: sed se gratum esse cupit, vt populo suo gratiam acquirat.* Illam scilicet gratiam, quâ medium Dominum, omnes æquè & immediatè participarent. O quàm hodie longè hinc, Principum se gerunt priuati, qui licèt quandoque in Populos benefici: at Compriuatos pati, ferunt ægerrimè. Sed de hâc zelotypiâ, infrà fusè:

Priuatus nihil sibi priuatum cupiat, quod populo non sit commune.

Oleaster. Priuatus, ne simpliciter Compriuatorum fugiat.

545. Probauit itaque Deus Moysem, ab amore Populi in *Priuatum*: & inde habuit gratissimum, quòd se illi in hoc exhibuit constantissimum. Ita est: Non solet Deus aliunde, *Priuatorum* suorum fidelitatem experiri: quod quia fusè, in te amoris, erga Deum & Proximum alibi ostendi, non semel: paucis hic additis contentus ero. Reprehendebat Christus Scribas & Pharisæos, quòd prætextu orandi Deum muneribus oblatis, offerentium parentes, debito victu, & honore defraudabant: tunc sic subiungit: *Hypocritæ, benè prophetauit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè est à me.* Matth 15. v.7. Crimen erat istud Administrorum, (qui se Dei Amicos & *Priuatos* iactabant) fateor; sed quo, non tam Deus immediatè, quàm miseri Parentes lædebantur: & tamen locum istum Isaiæ, vnde diuina Maiestas singularissimè læsa denotatur: de hoc maximè crimine intelligendum, voluit Christus: quia non tàm priuatos Amicos, quàm publicos sibi hostes, eos reputat, à séque remotissimos statuit, quos sub prætextu honorandi Principis, per subditorum euersionem, proprio commodo, cernit studentes. Certè nil aliud cupiebat Deus, dum Angelum euaginato gladio populos trucidantem ostendit Dauidi. 2.Reg. 24. quàm eundem pœnitentem reddere, & ad priscam amicitiam, *Priuatum* restituere. Sed vnde, inquis, doleat Dauid, qui non tàm se, quàm populum videbat percussum? immo propterea: hæc enim erat arctissima tentatio, vnde Dauid & pœnitens, & priscâ amicitia dignus probaretur: si amator Populi, plus huius, quàm propriis damnis condoleret. Ideo exclamat egregius *Priuatus*: *Vertatur obsecro manus tua contra me, & contra domum Patris mei.* Vers. 17 Vbi D. Bernardus: *Cernens, dolénsque Populi stragem, Angelo percutienti occurrit: & in se potiùs, domumque Patris sui diuinam transferri satagit vltionem.* Fuit hæc vox gratissima cælesti Principi: qui vt ibidem legis, holocausta pacifica ab eodem statim, misso Prophetâ nuntió, acceptauit. Habet meus Princeps, habet primarius meus Administer:

Indignum Priuatus est, qui sub prætextu honorandi Principis, populū damnat.

Matth. 15. 7.

2. Reg. 24.

Priuatus, plus communibus, quam priuatis damnis condoleat. D. Bernard.

vnde alter probans, probatus alter, rectissimos se exhibeant.

II.

Beneficus hic amor, circa omnes: etiam exhibendus cum periculo.

HIc Amor, hæc, primarij Administri, beneficia, in vniuersum Imperium, quâ ratione pótuerit, diffundenda: *Priuatus* enim qui priuatim vni solummodo vrbi, aut Prouinciæ, diligens consulit, & beneficus: non tàm communi Regis, quàm singulari suo, denotatur consulere, emolumento: Regij igitur Solis splendor ipse fuerit vniuersalis, & (quod de Rege suprà dixi) radios diffundat in omnes, qui omnium saluti procurandæ, in commune assumitur instrumentum. Assumptus, in *Priuatum* Christi, Baptista, *venit in omnem regionem Iordanis, prædicans Baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum.* Luc. 3. v.3. Optimum Administri ingenium, in omnem sibi designatam venire Regionem: fauere omnibus: & hinc, cæteros in idem aduocare. Priuatas vrbes colere, paucos Amicos, suspectum est, imò apertè malum; communis fontis aquas, sibi soli, aut suis deriuare, auarum: omnium Principis, fauores, omnibus non præbere, ambitiosum: stultum, communi luci, nubeculam se obiicere. In summa gloria apparuit cælestis Princeps transfiguratus: adhæserant illi, Moyses & Elias familiarissimi *Priuati*: *& dicebant excessum eius, quem completurus erat in Ierusalem.* Luc. 9 v.31. In summa hilaritate, necis subeundæ ingerunt mentionem, nec tamen intempestiui: ingenuâ quippè indole, communi omnium saluti gratulabantur. Eusebius Gallicanus, Homil. in hoc festum. *Loquebantur isti duo viri cum Iesu, de morte, quam in proximo passurus erat in Ierusalem: & fortasiè læti, quia videbant suæ redemptionis, totiusque humani generis, diem appropinquare.* Nullam prætermittat occasionem *Priuatus* fidelissimus, cum Principe, de communi subditorum salute, disserendi: nunquam quippè apud iustum Principem, hoc negotium ingeritur importunè: quouis tempore venerit, non obtruditur. Et quidem correxit se hoc loco Elias ab illo zelo, quo quondam, minùs in suos beneficus, videbatur.

Suspenderat Elias claues cæli, ab ore suo, pluuiam sic suspendens, & importuno sereno terram enecans, 3. Regum 17. v. 1. mille artibus, *Priuatus* cogitur à Principe, vt mitescat, & tamen perseuerat durus: (quod fuse iuxta & eleganter describit D. Chrysostomus tom. 1. homil. 1. de Elia) contentus vni viduæ hospiti, cibos præbere. Tandem Deus ad illum, *Vade ostende te Achab, vt dem pluuiam super faciem terræ*, cap 18. v. 1. Et cur Deus per se ipsum aquam non tribuit, pluuiam terris omnibus non infundit? Quid opus erat, medium Eliam interponere? consulebat, credo, *Priuati* sui famæ & bono nomini, qui malè de beneficiis induratis posset audire: consulebat & famæ suæ, ne minus beneficum *Priuatum* amasse videretur, qui solùm de amore & beneficentia communi cæteros probarat. Huc faciunt suauissima Dei verba, apud Chrysostomum cita-

546. *Hic Priuati Amor in Populum, non in aliquos, sed in omnes, exhibendus.*

Luc. 3. 3.

Luc. 9. 31.

Euseb. Gal.

547.

3. Reg 17.

Cap. 18. 1. In amatur Princeps Priuati si i duritia.

D. Chrysost

D. Chrysost. tum, ad hunc locum, *Reconciliari eis volo sed absque te non reconciliabor: tu gratiam illis prabe, qui nunc castigantur: ego clam apud te, pro illis intercedo: tu autem manifestus, amicitia resarcita sis auctor, &c. Tu concilia, tu significa, tu pluuiam concessam pronuntia, & ede: ego autem tuis sententijs subscribam.* Sic illum apud subditos beneficum haberi cupiebat, ne Priuati durior & tenacior indoles, non se solùm, sed & Principem minùs amabilem exhiberet. Igitur tandem Primarius iste Administer, authore eodem Chryso- D. Chrysost. stomo, *Curris volens & nolens, & imbres futuros predicas*: at licèt quodammodo inuitus, iam tamen benignius & blandius, functurus videbatur ministerio: vnde in plures annos eidem adhibendus. Sed ecce paulo post, non gustata morte 4. Reg. 2. 11. rapitur Elias, *& ascendit per turbinem in calum*, 4. Regum 2. v. 11. O quid agis, Princeps optime? quid viuum adhuc à viuentium commercio secludis? quid missio tua, emeritos tantùm post mortem solita designare: nunc mortis violato iure, emittit nondum mortuum? Respondet ex D. Chrysost. ore Chrysostomi ipse Deus: *Nam si diu tibi manendum in terris, propediem humanum genus, quod à te continuò plectitur, aboleretur.* Amabat Priuati sui fidem synceram, zelum tamen seuerum, & indolem minùs blandam agnoscebat. Voluit igitur, vt ante tempus emeritus secederet: & notam si fortè incurrendam, ignitæ quadrigæ gloriam, Paradisi statione obuelauit. Pulchrum Principibus exemplar, in consimilis fidei, sed minùs benigni ingenij, Priuatis semouendis.

Priuatus durus à Principe, deponendus.

548. Non ergo in Priuatis suis, numerandum vult Deus, quem in Populos minùs beneficum, & minùs in omnes largum experitur. Quæsiuit à Philippo Christus tentans illum, vnde tolerandæ multitudini, panes emerentur: additque Ioannes: Ioan. 6. 7. *Respondit ei Philippus, ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicum quid accipiat. Dicit ei vnus ex discipulis eius, Andreas, &c. Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces, &c.* cap. 6. à v. 7. Expende illud, *vnus ex discipulis*: cùm enim Andreas, post Philippum etiam discipulum, loqueretur: *alius*, aut *alter* ex discipulis, cum respectu ad priorem, dicendus videbatur: & tamen *vnus* dicitur, nulla ad Philippum habita ratione, quasi in hoc loco, à discipulorum albo iste expunctus esset. Nimirum Andreas, qua ratione potuit, afflictæ multitudini consuluit: Philippus obiecta ferè desperatione, remedium non solùm non curare, sed etiam amouere videbatur: propterea admisso illo, à *Priuatorum* (tales erant discipuli,) numero, hic excluditur. Non istud futile pro præsenti scopo. Sed illud adhuc attentius ponderandum, non pecunias à Philippo postulari, sed à tentante Principe locum solummodo inquiri, vnde emendi panes asportarentur: non enim dixit, quoto pretio, sed *vnde* scilicet loci, *ememus panes?* Philippus verò addendis rei difficultatibus, ingentem pecuniarum vim exponit necessariam, cuius etiam pars minima, tenuissimo tanti Principis ærario deficiebat. Est hoc curti, & pusillanimis ingenium Priuati, (Priuato meo penitus abhorrendum) difficultates Principi ingerere, beneficentiæ communi retardandæ. Bene Oleaster. Oleaster (licèt etiam ad alios rem deducat) ad cap. 12. Numer. sic scribit, *Hac est hominum conditio, impossibilia facere, qua Deo facillima sunt, & qui adiuuare debuit voluntatem dantis, eam sua difficultate auertere, & retinere conatur. Sic & Philippum apud Ioannem fecisse legimus, &c. Non ex te Philippe, pecunia quaritur, sed locus vbi panis inueniatur, tuum erat dicere: Domine in denario potentia tua, & non in impossibilitate diffidentia mea panis inuenietur ad hanc multitudinem satiandam.* Meritò igitur Priuati, id est Discipuli tunc titulo non afficitur: qui miseram in multitudinem minus tunc piè affectus deprehenditur.

Neque Priuati titulo dignus, qui in omnes non beneficus.

Iniqui Priuati est cunctando Populo, obijcere apud Principem difficultates.

Vt autem Elias, priorem zelum corrigens, se cum Christo beneficum iam populis ostendit, vt 549.
vidisti: Sic & Philippus, puto, se correxit: & paulo post cum cæteris ministrantibus, liberalissimum se exhibuit. Attende sis, historiam: *Accepit Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discumbentibus, similiter & ex piscibus, quantum volebant*, Io. 6. v. 11. Ioan. 6. 11. Neque ordo, neque ratio postulat, vt credamus, ipsummet Christum immediatè discumbentibus tot millibus cibos distribuisse: quàm enim longæ moræ in diuidendo, nisi temerè miracula multiplices? Distribuebat ergo discipulis duodecim: qui deinde facilè discurrentes, discumbentibus conuiuis subdiuidebant: id expresse habet Matth. cap. 14. v. 19. Matt. 14. 19. *Dedit discipulis suis panes, discipuli autem turbis.* vbi Maldonatus: Maldon. *vt per eos quodammodo tanquam Ministros miraculum fieret*, vt sic *Priuatos* suos apud Populum de larga beneficentia commendaret. Habet tamen plurimum emphasis, illud, *quantum volebant*: quod ex contextu, non ad conuiuas, sed ad Discipulos, aliqui, cum Caietano volunt deducendum. Explicandæ igitur multiplicantis Domini largitati, Ministrorum ingeritur voluntas, quasi illa huic commensuretur: vt dum largitas Domini in immensum quodammodò cernitur excreuisse: benefica *Priuatorum* voluntas erga Populum in immensum creuisse agnoscatur. Caietanus ibi, Caietan. *Crediderim significari, quòd tam panes quam pisces Iesus multiplicabat, quantum volebant discipuli, ad distribuendum turbis: quemadmodum principalis dispensator dat Prapositis mensarum, quantùm petunt: illi autem petebant, ad affluenter dandum.* Non poterant generosissimi, primariique isti Administri, penitiùs Populi amoribus se insinuare: nec voluit Christus aliunde *Priuatos* suos, altiùs commendare: quàm dum eximiam liberalitatem suam, munifico horum ingenio, ad affluenter dandum petentibus, attemperare: quasi in diuinam propemodum circa omnes assurgerent largitatem.

Priuati beneficentia, erga Populū regia beneficentia correspondeat.

Iam facilem aditum, ad Maiestatis suæ solium, 550.
Amico Isaiæ, Dominus reserarat: iam inter Seraphicos Spiritus, in *Priuatum* adhibuerat sibi hominem: cap. 6. à v. 1. cùm subditur: Isai. 6. 1. *Et audiui vocem Domini dicentis: quem mittam, & quis ibit nobis? & dixi: ecce ego: mitte me*, v. 8. Vers. 8. Promptum sanè *Administri* ingenium, nisi paululum in temeritatem declinasse videretur. Nosti ne ô Isaia, quò, cui, & quorsum nuntius requiratur? Quid si vltrà vires negotium destinatur. Quid si robustiores humeri requirantur? An non sub pio animo latet arrogantia: dum te nondum expenso oneri aptum venditas, quasi nulli, immenso licet, succubiturus: at certè nihil hîc arrogantis Aulici, sed plurimùm generosi *Priuati* exhibuit Isaias. Doluerat paulo ante: *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sum: & in medio Populi, polluta*

Vers. 5. *polluta labia habentis ego habito*, vers. 5. Sentit statim Seraphicâ manu, diuini ignis calculo repurgari sibi labia, & in cælestis Principis intimam familiaritatem adaptari: Vers. 7. audit
Vers. 7. *Priuatus accepta sibi, debet remunerando Populo coeptare.* nunc quærentem, quis iturus, quis mittendus? Suspicatusque pêe, in id Ministrum quæri, qui (sicut sibi spiritus) polluta labia Populo repurgaret: beneficus in Populum, & omnes secum, apud Deum, exoptans Purpuratos & *Comprinatos*: hilarem & exultatem sese offert: quasi se sub honore condignum *Priuatum* Principis probaturus. Nicetas ad Gregor. Orat. 1. Pasch. *Cùm*
Nicet. *remissis ipsi peccatis audiuisset: quis proficisceretur ad Populum hunc? atque existimaret, eam ob causam nuntium quæri: vt pari beneficio fruerentur illi, ad quos mitteretur: præ animi lætitiâ seipsum offert: vt illis quoque peccata remitterentur.*

551. *Etiam per grandia pericula, Priuatus saluti Populi procuret.* Neque vtcunque Populo; *Priuatus* meus, se exhibiturus beneficum: sed etiam, cum ingenti sui periculo, si opus fuerit. Spoliatis Sodomis, captóque Lot nepote: prædas exultanti acie ducebat victor exercitus, tot Regum triumphantium robore munitus. Insurgit stimulante pietate, in illius libertatem Abraham: *Et numerauit*, inquit Textus, *expeditos vernaculos suos, trecentos decem & octo: & persecutus est eos.* Gen. 14. 14. Genes. 14. v. item 14. Ecqui vernaculi isti expediti? respondet ibi Alcuinus. *Expeditos dixit, ad*
Alcuin. *bellum promptos, & qui non erant vxorati: de quibus in sequentibus, Iuuenes, &c.* Optima delectus militaris faciendi ratio: vt sint prompti
Militum delectus, qualis. seu fortes ad bellum, Iuuenes, & Cælibes. Sed quid ô Abraham, qui te sic expedito exercitui, sed paruo admodum, describis Ducem? Vbi robur, vbi fortitudo, sub perpetuo pacis otio, sub nullo armorum vsu? vbi feruida Iuuentus membris iam senectute frigescentibus? Amoues Albo vxoratos, absoluis sacramento: ne fortè aduerso Marte, destitutis viduis, desertis tuorum familiis, induxeris lamenta: nec tibi curæ est, tua Sara, fortasse viduanda: illustris familia, peregrinò in solo deserenda? Erat nimirum multitudo illa Abrahæ subiecta, Populus fidelis, Ecclesia Dei, apud quem ipse, amicissimi *Priuati* partes gerebat: ideo generosâ constantiâ, bello insuetus, senex, vxoratus, maluit se periculo exponere, (vt Lot familiam, sibi etiam à Domino commendatam, eriperet) quàm seniores alios vxoratos: his consulit, ne pugnent periclitantes, illis ne captiui abducantur in mortem: sibi tamen non parcit: quasi minus rectè debito *Priuati* officio, nisi per necessaria quandoque discrimina functurus. Annuit D. Petrus Chrysol.
D. Petrus Chrysol. serm. 121. *Extorris Patriâ, domicily nescius, ipse & domus omnium fuit, & Patria: sciens se non incubatorem, sed dispensatorem diuinæ positum largitatis: vt vindicaret oppressos, absolueret captiuos, eriperet iam iámque morituros, ipsum se morti, nouus bellator addicit: apud quem pietas in alterum, vitâ suâ charior fuit.* Incubas ergo auarus, non dispensas regia beneficia, ni te omnibus communem quendam exhibeas largitorem: nique, per pericula propria, aliorum saluti consulueris, degeneras à fidelissimo *Priuato*.

552. *Licet inde fauor regius periclitetur.* Quid? licèt ipsa Principis amicitia, & fauor periclitetur eximius, publico bono debes studere: ingenti te crimine obnoxium existimans, ni etiam per hoc discriminis, priuata tua, communibus postponas. Adoptatus, à Pharaonis filia, Moyses, nemo apud Regem dignior, nullus *Priuatus* degebat familiarior: & tamen, vt nosti, Ægyptium, de Hebræis quendam, percutientem, zelator occidens, suspectus iam Regi, postpositis Aulæ delitiis, & honoribus, cogitur exulare. Expendit rem Apostolus, sic scribens. *Fide Moyses, grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis: magis eligens affligi cum Populo Dei: quàm temporalis peccati habere iucunditatem.* Hebr. 11. v. 24. Sed non est Hebr. 11. 24.
facile explicatu, quod hic immiscuit Paulus, de peccato. Fuit quidem egregia virtus Moysis, spretâ iucunditate, miseriis se populi sociare: vnde tamen, aut quod peccatum, (nondum enim cum Deo egerat, nondum ministerio designatus) si fælicitati licitæ adhæreret? An non sic probè moratus erat Moyses, qui posset deliciis aulicis integer frui, immunis à peccato? Erat nimirum illius Principis *Priuatus*, qui Tyrannicâ impietate Ierusalem diuexabat, quem nunquam in beneficenciam potuerat impellere: putauit igitur se culpæ obnoxium, si afflicto tandiu populo, ipse diutiùs in Aulæ rosâ, in Principis fauore durissimi, duraret. D. Anselmus ibi. *Peccatum* D. Anselm.
enim putauit, se lætari in aulâ, dum fratres sui affligerentur. Hinc immensis periculis expositus Palatium cum exilio commutauit.

III.

Qualem se in Principis beneficiis diuidendis gesturus sit Priuatus.

CVm verò regiæ beneficentiæ erga Populum, *Priuatus* instrumentum habeatur, monita illa, quæ pro Rege benefico suprà cumulaui, ob oculos iste gerat, necesse est: insupérque, hæc, sibi, priuata voluerit retinenda. Errat imprimis liberalitatis scopum, Principis *Priuatus*, qui prænoscens, quàm fuerit beneficiorum hamus efficax amori expiscando, inuitis etiam obtrudit beneficia: quorum animi, non tam his emolliri, quàm pertinaciùs durescunt obstinati ad odium. Præfecturam. v. g. & honore grauem, & censu pretiosam, proindéque multis Aulicis ambitam: Dynastæ illi obtrudere, cuius delitiæ sunt, pacata quies, aulæ fuga: Curiæ & negotiorum fastidium, non tàm beneficium fuerit, quàm pœna: neque hoc, mi *Priuate*, illius tibi animum attrahes, sed irritabis. Benè Horatius, licet affectatâ Græcâ constructione obscurior. *Qui seruat inuitum, idem facit, occidenti.* Id est, idem facit, quàm qui inuitum occidit. Lædis itaque, quem accipiendo cogis beneficio. Causam grauiter scribit Quintilianus, Declam. 7. *Omnium beneficiorum ista natura est, vt non sit necessitas, sed potestas. Quidquid in honorem alicuius inuentum est, desinet priuilegium vocari posse, si cogas. Cuncta, si videtur, iura percurrite, iu, quam adeo, pro nobis solicita lex est, vt quod præstat, extorqueat. Dedit cæco actionem Talionis, non manus recusantis impellit: iniuriarum, cædis; agere permisit, sed non cogit inuitos. Adeo penè leuius est, vltionem perire, quàm potestatem. Genus seruitutis est coacta libertas: & eadem iniquitas,*

553. *Priuatus, abnuentibus, & respuentibus, non obtrudat beneficia.*
Horat.
Quintil.
Legis priuilegium, non est coactiuû.

quidquid de inuito homine facias. Pari elegantiâ, sed grauioris, ad rem nostram, exempli, addito pondere, illustrat hanc Politicem Plinius in Paneg. qui summi beneficii, supremi honoris Missionem, à Traiano, impetratam: è purpurato amico, (Præfecto Præt. scilicet concessam) sic commendat. *Opera pretium est referre, quod tormentum tibi iniunxeris, ne quid amico negares. dimisisti optimum virum, tibique charissimum, inuitus & tristis, & quasi retinere non posses, quantùm amares eum, desiderio expertus es, distractus separatúsque, dum cedis & vinceris. Ita, quod fando inauditum, cum Princeps, & Principis amicus diuersa velletis, id potius factum est, quod amicus volebat. O rem memoriæ, litterisque mandandam! Præfectum præt. non ex ingerentibus, sed ex subtrahentibus legere: eundémque otio, quem pertinaciter amet, reddere: cúmque sis ipse distentus Imperij curis, non quietis gloriam cuiquam inuidere.* Vidit prudentissimus Princeps, iam non esse beneficium, sed pœnam, si Amicum in honore inuitum retineret: ipsóque tunc priori beneficio, longè magis beneficam missionem. Concludit ergo post multa, belle Plinius. *Et ille quidem, vt maximâ fructus suscepti, ita maiore depositi est y, gloriâ fruitur: tu autem facilitate istâ consecutus es, ne quem retinere videaris inuitum. Ciuile hoc erat, & parenti publico conuenientissimum, nihil cogere: sempérque meminisse, nullam tantam potestatem cuiquam dari posse, vt non sit gratior potestate libertas.* Imò nec ego, illam potestatis nomine dignam putârim, cui renuntiandæ adimitur potentia: qui posse cogitur, indidem non potest: fœdius seruit, cui libertas obtruditur: patitur sæuius, cui inuito impellitur beneficium: nec vlla validior machina prosternendo amori, odio promouendo. Multa sacri Interpretes ad illa verba Christi. *Vis sanus fieri?* &, *Vultis & vos abire?* & similia.

Plinius.

Nulla est dignitas, si inuitus cogeris.

154.

Priuatus debet Principē compescere. à noxiis beneficiis Populo tribuendis.

Errat etiam Priuatus munificus, qui ventosa, popularis plausûs, pabula hinc suspirans, nescit quandoque incautam Principis liberalitatem, reprimere: tunc maximè, cùm ipsa beneficia in ipsius Populi damnum ventura suspicatur prudenter. Inhiabat carnibus Populus, Mana fastidiens: Defert ad Moysem, *Priuatum* Dei querelas, iste ad Deum Principem: annuit Deus votis, & epulas in mensam sternendas, nec in diem, sed in mensem promittit duraturas. Numer. cap. 11. Tunc ad Deum Moyses: *Sexcenta millia peditum huius Populi sunt, & tu dicis, dabo eis esum carnium mense integro?* v. 21. Quasi verò, in egressu Ægypti, non longè maiora prodigia vidisset Moyses: qualique difficilius, cælesti pane populum per tot annos pastum, mense vno, terrenis carnibus, satiare. Non ergo tam visus dubitare, quàm difficultates, vt poterat, obiicere, quò promissum beneficium subditis retardaret. Sed vnde qui tam sedulum vbique, captandis Populo fauoribus, se apud Principem exhibuerat administrum: nunc durus obices admouet, ne concedat? Non fuit Moysis durities, sed pietas: non tenax indoles, sed profusior: erraret, ni obsisteret, si quomodò, fortè, diuinum Principem, denegando nunc beneficio inflecteret Oleaster ibi. *Forte, Sanctus cognoscens iratum Deum, & beneficium populo non profuturum, illud detinere suâ difficultate conatur. vt nos doceat prudenter beneficia diuertere: quæ nostris aut nobis nouimus non profutura.* Infœlix, vt nôsti, euentus piam Administri prudentiam asseruit: soláque proteruia Populi, piis illius precibus obstitit suscipiendis.

Numer. 11. v. 21.

Oleaster.

155.

Caret Priuatus, beneficia Principis, toto populo, nota facere.

Erras insuper, mi *Priuate*, si sic communia Principis dispendis beneficia, vt eadem nota omnibus facere prætermittas. Aliquando occulta, à Principe, præstanda beneficia dixi: nec id retracto: Moneo tamen vt plurimùm, & maximè communia, si minùs à Principe venditanda pomposè, ab Administro tamen eius, (cuius cura præcipua, populo gratum reddere Principem suum) solerter declaranda: vt quò populus se nouerit obligatiorem, eò fideliùs seruiat, nouísque promerendis allaboret. Occultum est non rarò, & inde seuerius pœnæ genus, beneficia dare, & tùm ipsa, tùm datorem occultare. Hinc illa Dei vox ad Populum liberandum. *Ego Dominus, qui educam vos de ergastulo Aegyptiorum, & eruam de seruitute, ac redimam in brachio excelso, & Iudiciis magnis. & assumam vos mihi in populum, & ero vester Deus.* Exod. 6. v. 6. nullum grandius beneficium, tunc dari posse Populo videbatur: & tamen quasi aliquid pretiosius insuper polliceatur, addit Deus: *Et scietis, quod ego sum Dominus Deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Aegyptiorum.* v. 7. hæc scientia, hæc datoris & beneficii notitia, tanquam præstantius à Deo indebatur beneficium, quo, ad grati animi significationem exhibendam, commoti, nouis accipiendis aptarentur. Et quidem meritò: quando hoc ingratos supplicio grauissimè punit Deus, vt accepta beneficia non agnoscant. Idem Oleaster, ibi. *Vult Dominus, nos scire beneficia eius: & hâc pœnâ solet punire ingratos, scilicet ignorantiâ beneficiorum suorum. Solet enim Dominus, vt ait Moyses, non unquam dare alicui beneficia sed negare oculos, quibus ea cognoscat.* Et sanè proterua hæc cæcitas, quæ ad culpam sufficit: dúmque minùs proficit ad solutionem, eò impensius obæratur ad debitum. Arceat igitur hoc malum, à populo, meus Administer.

Vna Priuati Cura, Principem amabilem populo reddere.

Exod. 6 v. 6.

v. 7.

Ignorantia beneficiorum, in ingratos pœna.

156.

Priuatus differat quandoque regia beneficia. vt postea clariùs Populo agnoscantur.

Hinc est vt quandoque debeat dilatare Principis beneficia: quando hæc dilatio, clariorem accipiendi muneris notitiam, & vberiores accepti gratias, elicitura, à Populo, præsumitur. Solicitârat pia Mater vinum egentibus conuiuis: non potuerunt suauissima illius viscera primo defectûs conspectu retardari: ad quam tum Christus: *Quid mihi, & tibi est mulier? nondum venit hora mea.* Ioan. 2. v. 4. Nunquid displicuit intercessio materna filio reuerenti? nefas. Nunquid Maria, minùs prudens, aut importuna interpellauit? absit. *Quid ergo?* simulatio quædam fuit reprehensionis: non innocentissimæ & prudentissimæ virginis reprehensio, (vt bene notauit Maldonatus:) vt conuiuas in id attentos aliquid edoceret. Et quid tandem edoctos volebat? ni ego fallor, vt noscerent defectum plures, & beneficium desiderarent, acceptumque & agnitum, vberioribus gratiis prosequerentur: ideo non illis inscius, miraculum vt poterat perpetrauit: sed tempus vult insumi, vt dum aqua tractatur implendis hydriis, vota indigentium spe ferueant, & mutati liquoris notitia clarescat. D. Chrysost. in Cat. Corder. *Opportunius, ipsos qui indigebant, rogatum accedere:*

Ioan. 2. v. 4.

D. Ioan. Chrysost.

cedere: quò illud plurimâ cum gratiarum actione, & beneficij cognitione suscipiant. Reliqua quæ ibi addit S. Doctor, sæculo, nondum ita, circa Magnæ Matris excellentiam, illustrato, licèt nullo modo tenenda, condonanda. Ad rem. Prudentissimè igitur Maria, Ministros, ad Christum remittit, monet, vt pareant vers. 5 quæ enim piissimè celer fuit indicandæ necessitati, remedio exigendo, etiam tunc, nullo modo tempus opportunius præuertere satagebat: quin potiùs debitas moras, à filio, faciendas, agnoscens adorabat, & tanquam vtiliores conuiuis, (præscribens ministris obedientiam in filium) disponebat. Habes mi *Priuate*, optimam sanctæ Politices Magistram: vbi videas afflictum populum, statim Regem mone, ora: non tamen vt subitò, (si non sit opus) sed vt opportuniori tempore subueniat: quò pressiùs agnito beneficio, vberiores gratiæ reddantur.

(*v. 5. B. Maria Politica Magistra.*)

IV.

Priuati, in Principem, Amor, Admonitio: & sub quibus hæc circumstantiis adhibenda.

557. Diximus de *Priuato* erga, Populum: Videamus quid, erga Principem suum, debeat obseruare. In primis amorem penitissimum, vigiles pro Principe suo curas in hoc requiro. Mecænatis erga Augustum exempla, cuius obuia: do illud Turbonis erga Adrianum, de quo ita Dio Cassius. *Hic primum in Prouinciis, Procurator fuit: deinde Præfectus Prætorianorum: in quo Magistratu nihil vnquam aut molle, aut superbum gessit: sed velut vnus de numero gregariorum militum vixit. Et alia multa, tum illud maximum fecit, quòd totum diem, cum Imperatore versabatur: ad quem plerumque post mediam noctem accedebat, quo tempore, cæteri ferè hominum dormire incipiunt, &c. Turbo, nunquam domi, per diem cubans, visus fuit: neque etiam, cum morbo laboraret. Atque monenti olim Adriano, vt quiesceret: respondit: oportere Præpositos rerum, stantes mori.* Amor similis, consimiles curæ Rutilij, si Statio creditur: ad quem subitò oppressum morbo, ita Poëta lib. 1. Sil. 4.

(*[illegible] vigil [illegible] amor, & [illegible] erga Principem. — Dio Cas. — [illegible] Mi[nistr]um [illegible].*)

> ——*Non illud culpa senectæ,*
> *Quippe ea bis senu, vix dū̆ orsa excedere lustris,*
> *Sed labor intendens, animique, in mebra, vigētis*
> *Imperium, vigilésque suo pro Cæsare curæ:*
> *Dulce opus.*

Omnia, si nôsti expendere, pathetica, & amorem quendam vigilem spirantia: ideo *sum* Cæsar dicitur, quasi cordi infixus: ideo tot vigiliarum labor, *dulce opus*, quia ab amore profectus. Talem te volo: & certè lapidescis stupidus, si Principem, cui Imperij quodammodò debes consortium, non amas feruidissimus & despis amens, si ipsius saluti rebúsque curandis non inuigiles.

558. Sit autem Amor iste vigil, ita syncerus, sic probatus, vt alieno non egeat testimonio: suspectus sit *Priuatus*, si fidelissimas pectoris scintillas, aliunde, quàm intimo corde, & propriis operibus, probatas cupit: nec intus tuta fides præsumitur, quæ de foris se commendat: abhorret extrà malagmata, intra valens. Nouerant iam Discipuli cæteri probè satis, quanto se omnibus feruidiùs amaret Christum Petrus: nec trepidâ negatione, amissam fidem, imò pœnitentiâ, amorem validiorem longè fuisse effectum, apertè subnotârant. At ecce ter quæsitus à Domino Petrus, de amore: respondet semper. *Etiam Domine: tu scis quia amo te.* Ioan 21. v. 15. Quòd semel sic rogatus respondeat, nihil mirum: sed quòd secundò & tertiò interrogatus, constans, solùm conscientiæ suæ, & Principis notitiæ, rem committat: nullum discipulorum aduocans testimonium, cúmque iam tristis esset, alieni tamen suffragij spernat solamen, id planè singulare. Non egebat, fateor, cordium scrutator Princeps, testium asserto: at egebat certè Petrus hoc solatio, quasi non soli Deo, sed etiam hominibus amans agnoscatur, cur ergo id non curat? vidit credo, in hoc negotio, ineptum & nullius ponderis, quin imò suspectum fore, externum testimonium: audiens enim à Christo, sub primâ responsione: *Pasce Agnos meos:* intellexit promissum sibi munus primarij Administri, & *Priuati*, iam tradi: ad id autem, non aliunde Amorem, quàm à semetipso, probandum, ne suspectus veniret, agnoscebat. Vnde non solùm agnos, sed etiam oues suscipit pascendas. Allucet aliquid Theodorus Eracleota in Cat. Cord. *Animum vtique resumentis, & valde confidentis, erant ista: quòd nullum alium, præter conscientiam suam, testem acciperet, vel ipsummet cordium scrutatorem, & arcanorum omnium cognitorem. Vnde tanquam vera dicentem approbans rationem: prædictorum illi agnorum curam committit dicens: Pasce oues meas.* Quasi quævis alia ratio quæsita deforis, minùs vera, minùs probanda, & omnino suspecta haberetur.

(*[illegible] Princi[pem] proprio [amore] pro[bare]. — [Amor Priuati non eget al]ieno testimonio. — Ioan. 21. 15. — Theodor. Eracl.*)

559. Ab hoc amore, ab hac vigili curâ zelus ille exoritur, in Priuato, quo Principem suum admonet de officio, ne quàm notam à regiâ dignitate contrahat alienam: ne quid, vnde aut iniquus, aut Populo minùs reddatur amabilis, indignum exequatur. Nota cuiuis, Mecœnatis monita ad Augustum, satis apud Politicos decantata: sacra recolamus. Non potuit præ amoris teneritudine, dilectissimo *Priuato* Abrahæ, Sodomiticæ pœnæ arcanum occultare Deus: *Num celare potero Abraha, quæ gesturus sum?* Genes. 18. v. 17. non poterat mutuus Amor molliùs explicari. Tunc Abraham: *Nunquid perdes Iustum cum impio? &c. absit à te, vt hanc rem facias.* Vers. 24. Imò, absit à te ô Abraham, vt hanc rem dicas: Nunquid enim consilio, & monitione tuâ, indiget Dominus? quo ergo importunè tuis, temerarius institutor? non arrogantiæ temeritas, sed amoris fiducia ista fuit, putauit se Patriarcha, accepti fauoris indignum, si Deo sic suauissimè facili, vt more humani Principis consultaret: ipse monendi officio non fungeretur: non quòd monitionem Domino crederet necessariam: sed vt ex suauissimâ ipsius cum Domino altercatione, Principibus, horúmque Priuatis redderetur exemplum: ne hos monendi constantia, illos audiendi benignitas desereret. Oleaster ibi. *Tanta erat Abrahæ iustitia, vt Deum ipsum docere videatur, quod iustum est. Similiter docet Prælatos, quàm patienter subditorum monitiones audire debent.* Et benè eximia

(*Priuatus Principem debet de defectibus admonere. — Genes. 18. 17. — Debet & Princeps, audire monitiones. — Oleast.*)

eximia Abrahæ iustitia siue sanctitas hîc expenditur: debet enim iustissimus esse *Priuatus*, in id muneris: effrontis enim foret animi, si obnoxius vitio, Principis defectibus auderet oblatrare.

560. *Iniquè tamè Priuatus mouebit Principem, ni ipse à vitio fuerit immunis.* Oseæ 4.14. Hinc ad Israëlem Deus: *Non visitabo super filias vestras, cum fuerint fornicatæ: nec super sponsas vestras, cum adulterauerint.* Oseæ 4. v. 14. Id est, non puniam filiarum vestrarum violatores, & sponsarum vestrarum mœchos, non castigabo. Causam reddit statim, de Israëlitis locutus: *Quia ipsi cum meretricibus conuersabantur: & cum effœminatis sacrificabant.* Ibidem. Vbi

Ruffin. Pius. benè Ruffinus Pius, postquam pœnam delicto proportionatam expendit, quâ legis adulteri domesticis adulteriis puniuntur: sic concludit ex ore Dei. *Libidini quippè vincentium sponsæ vestræ & filiæ subiacebunt; nec apud aliquos Indices, istam ignominiam, vel mariti arguent, vel parentes. Cæterum totum flagitium consumetur in*

Extrema miseria est; vt læsus accusare lædentem non possis. *dedecus, vt de eo supersit nihil ad reatum.* Sed cùr iam in terris alienis, & sub nouo domino commorantes, licèt miserè seruiant: hæc tamen probra, (nullo iure seruis illata) non arguant? puto non auderent: quia consimili vitio sensérant se pollutos, qui meretricibus & effœminatis dediti, insuper Idololatræ, adulterârant: Erat itaque hæc misera captiuitas hinc infaustissima:

Ruffin. cit. pergit ideo Ruffinus. *Acutè ergo negatâ flagitij obiurgatione conclusit, nihil esse acerbius, quàm sub conditione seruitutis eiusmodi constitisse: in qua extrema necessitudinum flagitia videre pergas, accusare non audeas.* Sic ferè in cæteris solet euenire: vt nemo id incusare audeat, quo delinquit. Nec pluribus rei planissimæ opus est. Vnde ergo tu mi Priuate, Principem reprehendas, fortè reprehensibilior? Increpuit Abraham Regem, cuius olim & hospes fuerat & ami-

Gen. 21. 25. cus: Genes. 21. v. 25. Increpuit & Isaac Regem

Gen. 26. 27. alium, Genes. 26. v. 27. cuius vt alibi notaui, fuerat Purpuratus: Vterque verò Princeps, vtrique satisfacere non dedignatur: vt ibidem legitur: quia nimirum vterque monitor, iustus, constans,

Guill. Ham. generosus: notauit Guillelmus Hamerus subdens. *Vterque cum Regibus, iniurias suas expostulare ausus est: neque illi, magnitudine sua indignum putabant, satisfacere.*

561. *Priuatus sic moneat, vt tamen reuerentiam, non amittat.* Hoc igitur tanquam notissimo, prætermisso: id maximopere Priuato meo, in hoc monendi officio velim obseruandum, vt intùs, forisque, Amor, modestia, reuerentia interim exhibeatur: neque fas, erga Supremum Principem; neque Prudentia, erga potentiam ingenio tumidam, monitionem distringit asperiorem: maximè, dum peruicax obstinatio Principis non obduruit. Somniârat diuinitus Nabuchodonosor: somniúmque, & somnij interpretationem, à sapientibus suis exquirebat: negant isti, se valere, & meritò: erat quippè vtrumque hominibus impossibile. Furit interim Princeps, plectendisque capite, publicandis domibus, bonis, subscribit horum proscribendis. Edoctus tandem

Dan. 2. 27. à Deo Daniel, Regem adit; subdens post alia. *Mysterium quod Rex interrogat, sapientes, Magi, & Arioli, & Aruspices nequeunt indicare Regi: sed est Deus in cælo reuelans mysteria.* Cap. 2. v. 27. Ecce blandissimè sic excusantur sapientes, vt regius furor modestissimè arguatur. Sed pende quæ prudentèr ingerit. *Qui reuelat mysteria, ostendit tibi, quæ ventura sunt: mihi quoque, non in sapientia, quæ est in me,* (id est, non quod in me sit sapientia) *plus quàm in cunctis viuentibus, sacramentum reuelatum est: sed vt interpretatio Regi manifesta fieret.* Vers. 29. Vers. 29. *Sed prudenter palpare videatur.*

Quàm sancta palpatio! quàm pia blandimenta! Regi, tanquam apud Deum, in deliciis habito, inditum hoc mysterium, exponit: sibíque tantummodò in Regis gratiam, interpretationis inditam reuelationem. Cùm autem nihil sibi plus scientiæ, & aptitudinis, quàm cæteris inesse fateatur: satis indicat, plus amoris, plus curæ fuisse erga Regem, vt reuelationem à Deo consequeretur. Et quorsum inquis tam studiosæ pietatis prudens adulatio? Vt dum Regem amanter, modestè, reuerenter de concepto furore reprehendit: non tam insultare furiosè quàm pru-

denter monere videatur. Allúdit pulchrè D. Simeon Metaphrastes Orat. de Trib. Pueris. Vbi ita D. Simeon Metaph.

de Daniele. *Ingressus, primùm se excusauit, nolens aliis Chaldæis, &c. Non enim per experientiam, neque quòd sit subtilioris, & solertioris ingenij, hoc accidit: sed nostri, inquit, misertus est Deus, qui veneramus in mortis periculum: mihi pro mea animâ, & eorum qui sunt eiusdem generis, precanti, somnium aperuit, & eius expositionem. Non minorem enim nostri doloris, quam tua gloriæ curam gerebam, O Rex, qui viros tam bonos, & tam honestos, iniquè mori iusseras: cùm nihil petiisses, quod esset humanæ sapientiæ: sed hoc ab eis exegisses, quod erat solius Dei opus.* Est hæc vrbana, & prudens admonendi Principis dispositio.

562. *Quàm prudens simulatio opus sit, ad hunc monitionem.*

Quin imò, opus quandoque est aliquid prudenter simulare, vt per mutua colloquia, in erroris sui notitiam, non tam monitus, quàm incidens, videatur Princeps deuenire. In traditiones vanas Pharisæorum, circa cibos, iustissimè inuectus Christus: subdit ad Turbas: *Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore.* Matth. 15. v. 11. Tunc subditur: *Accedentes discipuli dixerunt ei: scis quia Pharisæi, audito verbo hoc scandalizati sunt?* Vers. 12. Sic Mat. 15. 11. & v. 12.

omnes tumultuariè, (nondum Spiritus sanctus illos, quàm nullo monitore egeret Dominus, edocuerat) sic omnes cateruatim, admonitum Principem suum cupiebant. Pende tamen vnius Petri verba, postquam Christus, Pharisaicam cæcitatem increpuerat. *Respondens autem Petrus dixit ei: edissere nobis Parabolam istam.* Vers. 15. Ecquæ Parabola, Petre? quæ nam hîc & v. 15.

similitudo, quæ figura; quod ænigma? certè nullum: Nec Petrus, aliquid hîc Parabolæ agnoscebat: simulauit, tamen aliquam sibi in verbis, ignoratiam parabolam videri: cùm enim illa Christi sententia primo aspectu aliquid non solùm contra Pharisæos, sed etiam contra Moysis legem, certos nec paucos cibos prohibentem, videretur gestare: tanquam familiarior Priuatus, & cæteris Administris longè prudentior, non putauit decorum, palàm Principem admonere, quod dogmate, quasi legi contrario, ipse etiam cum condiscipulis offenderetur: sed fictâ dubitatione, ad rem quasi parabolicam differendam, Dominum prouocauit, vt illam recolens Christus, quasi incidenter notaret, si quid in illa veniret corrigendum. Errauit quidem Petrus, nondum vt postea illustratus, circa personam: non tamen poterat prudentiùs aut reuerentiùs, si diuino Principi admonitore opus esset, admonitionis modum

modum temperare. Iam capies ibi Theophylactum, *Petrus quia sciebat legem prohibere esum omnium: & timebat dicere Iesu, ex his quæ dixisti offendimur, apparent enim legi aduersa esse: simulat ignorantiam, & interrogat.* Igitur erga humanum Principem, qui monitore non semel eget, tenorem *Priuatus* meus huic similem obseruet. non tamen veto, quandoque, audaciam prudentem.

Theophylactus.

563. Est pulchrum in hanc rem colloquium illud Apollonii Philosophi, & Titi Imperatoris, apud Philostratum lib. 6. *Ego autem Demetrium sodalem meum tibi comitem adiungam, qui tecum erit, vbicunque volueris, & quod bonum Principem facere deceat, edocebit. Tum Titus: qualis, inquit, est eius viri, quem dicis Sapientia? audacia pollet, inquit Apollonius, vera loquendi, quam nullius rei timor impedit, habet enim vim quandam Cynicam. Cùm Titus, audito canis nomine turbaretur: Telemachus, inquit Apollonius, apud Homerum inducitur, canes petens duos, qui tanquam famuli ipsum comitarentur, ad Itacensium concionem proficiscentem, quamuis hi comites rationis essent expertes: tibi vero canis aderit, qui pro te aduersus alios, & contrà te ipsum, si quando peccaueris, sapienter tamen, & non sine ratione latrabit. Ducam igitur, Titus inquit, pedisse quum canem: concedamque non latrare tantum, sed etiam mordere, quoties iniuste aliquid me facientem animaduerterit.* Hæc rationis audacia, quando necessaria, nec amori nec reuerentiæ opponitur: nihil impudentiæ habet sapiens iste canis, qui vt fidelis amator passim latrans pro Principe suo, sic contra illum quandoque latrat amantior: Fælix Princeps, qui iustissimi instar Titi, (quem delitias suas Orbis appellauit) non solùm latratus, sed morsus pios, lubens admittit: dentes hos fidelissimos, quasi medicam Canis linguam contracto si fortè vulneri, aucupatus. Bene Origenes Homil. 1. in cap. 16. Matth. vbi Christus quærit à Discipulis: *quem dicunt homines esse filium Hominis?* Discipulique vulgi sententias exponunt; sic ad nos. *Et nos, qui volumus esse Christi imitatores, semper scrutemur, qualis opinio sit apud homines de nobis. quod multum proficit nobis, vt si quid mali dicitur de nobis, occasiones mali illius omnimodò præcidamus à nobis: si quid autem dicitur boni, eius occasiones amplius augeamus. Sed & discipuli Episcoporum, Apostolorum instruuntur exemplo, vt qualescunque opiniones de Episcopis suis audierint foras, eas referant.* Quæ si Principibus, eorumque Priuatis perinde obseruentur: fælicissimas Orbi Respublicas restituent.

Quandoque tamen ibi, audacem libertatem admitto, sed prudentem.
Philostratus.
Princeps patienter, non solùm latrantem sed etiā mordentem, audiat prudentem monitorem.
Matth. 16.
Origenes.
Monitio, qui data, qui audienda.

564. Tandem si hoc amore, hâc reuerentiâ, prudenti hâc audaciâ vsus, à Principe tamen propterea durè exciparis, tracteris immaniter: non tàm te punitum doleas, quàm illius traducti miserere. Modestissimâ audaciâ Herodem admonebat Ioannes, ob incestuosam amicam, dicens: *Non licet tibi habere eam.* Matth. 14. v. 4. Furit Tyrannus, & monitorem obtruncat: de quo D. Andreas Cretensis Orat. de Bapt. ita ad Herodem. *Verum enim verò, si quid de tuis malis in te latens erat antea occultatum, id aduersùs te manifestum reddidisti, cæde aperiens flagitium, cuius arguebaris. quid enim necesse erat, eum, qui in occulto prohibebat adulterare, reprehendentem ducere in triumphum. Tu igitur dum cædem facis, argueris libidinis.* Tota illa pompa, tota Scena quâ Minister, probatæ apud Populum innocentiæ, à Principe deiicitur: nil aliud, quàm infaustissimam eiusdemmet famæ apparat tragœdiam. quod, quò frequentiùs, oculis cernitur; eò parciùs calamum requirit.

Princeps, iustum monitorem castigans, se traducit.
Matth. 13.
D. Andr. Cretensis.

X.

Priuatus sic Regi subdatur: vt nihil, absque huius arbitrio condat: aliunde suspectus & perniciosissimus futurus.

Ab hoc amore vigili, apud quemuis: à temperatâ verò etiam monitione, solummodo, apud optimum Principem, familiariùs se insinuat *Priuatus*, altiores acceptæ gratiæ radices iacit, & regiæ penitiùs illapsus amicitiæ, rerum tandem potentiæ tenet fastigium. Sed, hoc opus, hic labor est: ne tumor, ne arrogantia, ad libitum cuncta disponendi increscat: ne se non solùm, in dominationis consortium, (quod superbiæ fuerit) sed insuper in Principis ipsius dominationem, (quod stultitiæ furentis est) crediderit euectum. Pauci, quos, amauit Prudentia, quos ad Cœlum Modestia euexit, vitârunt hunc scopulum. Et quidem de Principis illius insaniâ, apud quem non valet *Priuatus*, sed apud *Priuatum* ipse valere visus: nec tam instrumento vsus, quàm instrumentum irridetur, admotus: infra dicàm. Huius est loci, Priuatum meum instituere. Se semper & vbique Principis sui, recolat Administrum, nihil condat, nihil donet, vltrà meri, licet præcipui instrumenti, conditionem, tractandi scilicet regio arbitrio, non supremum hoc arbitrium tractaturi. Nouerit, nunquam sibi quantumuis *priuatissimo* partes aliquas dari à Principe, sed commendari, & ad huius perpetuò nutum disponendas. Sic diuina (quam passim Catholicis scribens, aduoco in exemplar) Politica procedit. Importunis Pharisæis, cæleste signum petentibus, à Christo, respondet ipse. *Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei.* Matth. 12. v. 39. Cùm ab ipso peterent, pressiùs responsurus videbatur: *signum non dabo ei.* maluit tamen oculatissimus dicere, *non dabitur:* quia vt non à se, sic etiam nec à *Priuatis* suis, (quibus signorum commiserat potestatem) absque eiusdemmet nutu, nouerat exhibenda: absoluit itaque obiter Aulam suam ab humanæ Aulæ suspitione, vbi quandoque *Priuatus* id concedit, quod Rex ipse putauit denegandum. Iam verò pseudo signa, aut falsi, aut quod perinde est, vsurpati sigilli, quàm ab Aulâ diuina exularent? 565.

Priuatus absque Regis arbitrio nil disponat.
Huiusque modestiæ, securi reddat Principem.
Matth. 12. v. 39.

Cogitabat Christus Bethaniam, Lazarum suscitaturus: obstrepunt tunc Discipuli dissuadentes, duros, durioris Iudææ lapides opponunt: ad quos tunc ille. *Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit: quia lucem huius Mundi videt: si autem ambulauerit in nocte, offendit: quia lux non est in eo.* Ioan. 11. v. 9. Si nonnullis Interpretibus, cum Ruperto ibi, assentias: fateberis timorem ab Apo- 566.

Ioan. 11. v. 9.

stolis sic auferri: vtpote qui sub ipso die, sub ipso Sole Christo, tuti degebant bene est, quid tamen in hanc rem, duodecim illa horarum commemoratio? Voluit sane cælestem, *Priuatos* suos, Politicem edocere, vt se duodenos duodecim diurnis horis componerent, & quorsum id? audi

Rupert.
Ab enum horologium esset Aula, vbi Princeps Ministros sequeretur, non è contra.

Rupertum, *Quid, inquit, mihi consilium datis: cum non vos me, sed ego vos elegerim duodecim: & sic debeatis sequi nutum Magistri, si ut sequuntur horæ motum Solis, siue diei?* Quàm dissonum sonaret illud Horologium, quo non solem horæ, sed Sol horas sequeretur! vbi cymbali deliræ pulsationes, Solis motui non attemperarentur: sed Sol quasi insano crepitu excitatus, ad earundem arbitrium moueretur! quàm foret monstrosum horologium illud suis lineis descriptum, vbi non Sol vmbræ, sed vmbra Soli præiret! Tale puta Palatium, vbi Princeps, *Priuato* ministraret: vbi ad huius nutum, ille moueretur: vbi augusta claritas, in vmbram, sequendo subdito degeneraret. O vmbratilem dignitatem! Et bene diurnæ, non verò nocturnæ horæ huc aduocantur: audiendus ibi Eusebius Gallicanus, *quia hora estis, diem sequimini, hoc enim horarum proprium est, si quis autem hunc diem sequatur, si quis in eo ambulauerit, si quis mihi crediderit, non offendit, &c. Si autem in nocte ambulauerit, errorem & tenebrarum Principem secutus fuerit: offendet & cadet: quare? quia lux non est in eo, quia erroris tenebræ obcæcauerunt oculos eius.* Sic igitur sequere Principis tui radios, ne vnquam cæcis erroribus, & occultis designiis inuolutus nocturnus videaris. Sic diurnus sequere, ne larua vmbratilis, ne nocturnum phantasma, occurrenti fortasse Populo videaris. Sed hæc alia iam querela est, nec huius loci Redeo.

Ministri solaris Principis sunt vmbra, & hora.

Euseb Gallic.
Sed diurna.

567. Heroicæ confessionis præmium, Petrus accepturus audit à Christo. *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis*, Matth. 16. v. 19. Si accipit cælorum claues, quid illi vltrà cum terra? quorsum hîc ligat, hîc soluit: si illic tota potestas exercetur? quòd si non Petrus, sed Christus in cælis ligat vel soluit, quæ in terris à Petro ligantur, vel soluuntur: vnde nam *Priuatus* tantus, re verà cælorum claues dicatur accepisse? Meritissimò quidem, quia quæ in terris Petrus agit, per ordinem ad cælestia capiuntur: vnde in cælis iam agere videtur, qui quæ recta ex officio hîc agit, eò committit, à Christo infallibiliter peragenda: non poterat res aliter euenire, nec aliter Diuinus noster Princeps etiam penitissimo *Priuato* delegat potestatem. Ignarus torpor, non gratia Principis liberalis est, sic negotia Priuato committere grauiora, vt apud hunc conclusa existimentur: ministrat fidelior, librat *Priuatus* negotium longè attentior, quod nouerit tandem Principi deferendum. Caietanus ibi, post multa. *Admiranda efficacia, vt ligatio à Petro facta super terram penetret cælos: sed tam stupenda efficacia, quemadmodum terribilis ligatio à Petro, ita libranda traditur ab ipso Petro colligere siquidem hinc potest, & debet, quòd non ad libitum ligat super terram, sed tunc tantùm, quando vinculum ratificatur in cælis: & similiter nō ad libitū soluit, sed tunc tantùm, quando solutio rata est in cælis: alioqui voluntarias, imo etiam malas Petri ligationes, & solutiones, cælestis cogeretur curia approbare quod est non solum stultum, sed blasphemum.* Sic ergo commissam sibi credat potestatem meus *Priuatus*, quasi à Principe suo manuducendam: nec sibi, sic credat Dominum mancipatum, quasi necessariò rescriptis suis pessimis assensurum: claues gerat, sed quæ ad regium tantummodò nutum claudant, vel aperiant. Nouerant infaustæ illæ virgines & imprudentes, quàm ab hoc immunis vitio aula sancta: ideo clauso iam ostio expulsæ, clamant: *Domine Domine aperi nobis.* Matth. 25 v 11. ipsum Regem, ipsum Sponsum interpellant: nec importunis clamoribus cessant, fastidium magis, quàm commiserationem commouere: sed quid facerent! Oraturis, solus Princeps orandus veniebat: non ibi seruulus seducendus, non corrumpendus ianitor, non *Priuatus* excelsior aduocandus: Seræ illæ, solius nutu Principis, licèt horum ministerio reserandæ, is ergo vnus contenditur exorandus. Misera est illa Aula, vbi inscio sæpe, & quandoque inuito Principe, solius *Priuati* arbitrio, honorum ostia clauduntur, vel reserantur, perindeque pœnarum etiam diplomata expediuntur.

Matt. 16 19. Priuatus gratia quæque disponit, sed non absoluit à sque Principe.

Caietan.

Negotiorum claues, Priuato, sed ex Principis nutu tradantur vtenda.

Matt. 25. 11.

Indutus diuino zelo Elias, sic ad Populum: 568.
Viuit Dominus in cuius conspectu sto, si erit annis his, ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba. 3. Reg 17. v. 1. nil præruptius intonari posse videbatur: ideo bene Chrysostomus, tom. 1. Homil. 2. de Elia; *clauis cæli, fit sermo Eliæ sanctissimi.* Neque mirùm, quando his dictis, triennium totum cælos obserauit: tandem post, nunciat afflicto Achab: *iunge currum tuum, & descende, ne occupet te pluuia.* ibid. cap. 18. v. 44. Dictum, factum: ecce turbines, & reseratis cælis, pluuia grandis: An non in terris positus Elias, iam instar futuri Petri, claues cæli, gestasse præsumendus? Sed quid hoc rei. Vterque quidem apud Deum, licet diuerso tempore *Priuatus*, longè tamen diuersi ordinis: vt enim giganti Infans, sic Petro cedit Elias: vnde igitur cùm non nisi ratificanda in Cælis, Petro concedantur: absolutius quædá Eliæ videntur concessa: vt non claues cæli gerere solùm: sed insuper sermonem suum clauē eiusdem fuisse, absque recursu ad Principem cognoscatur? falleris: nihil nisi ad Principis sui arbitrium expedit Elias: ideo obseraturus ait: *Viuit Dominus in cuius conspectu sum:* nihil làtenter, nihil subdolè, nihil nisi præsente Domino decernebat; ideo reseraturus, *pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua* 18. v. 42. eâ nimirum corporis compositione Principem suū orans, quà (vt alibi dixi) Infantes, in vtero humillimi efformantur: ne tam suo nutu quam è Dominicâ dextrâ, fœcunditas effusa nosceretur. Hoc est quidem apud Principem ministrare, hoc est valere: si iusta, ab illo, *Priuatus* impetret, non imperet misello. Bene ergo citatus Chrysostomus, *Iubet & clauditur, orat postmodum & aperitur: claudit inquam cælum & aperit, ligat & soluit, reserat quod conclusit: vt Sanctorum meritum monstraretur, non solùm in terris posse, quod voluit, sed & in cælestibus posse impetrare, quodcunque petierit.* Nil ergo infæliciùs Aulæ venire potest, quàm si contra, *à Priuato* suo, quædam Princeps dicatur impetrare.

3. Reg. 17. 1.

D. Chrysost.

cap. 18. v. 44.

Priuatus licet potentissimus, nihil absente Principe, disponit.

D. Chrysost.

569. Hinc illud Christi Domini beneficentiam erga inimicos, de Patris Dei exemplo commendantis: *qui Solem suum oriri facit super bonos & malos.* Matth. 5. v. 45. *& pluit super Iustos, & iniustos,*

Matth. 5 45.
Priuatus, Principis, ad nutum ipsi subditum.

iustos. ibidem. Notandum enim discrimen, quo quasi despecto Pluuiæ dominio, solummodo *Solem suum* appellauit & cur ita? Creauit Dominus Solem, insensibilium Creaturarum nobilissimum: vnde, *in Sole posuit tabernaculum suum:* Psalm. 18. v. 5. vel vt clariùs in hebræo: *Soli posuit tabernaculum suum.* Scilicet, vt quasi è tribunali, purpureis horis præsideret, lucis quæstor, prætor diei; meritò ergo illum appellat *suum* id est sibi subiectum, & semper in officio contentum: quasi nec leuissimam lucis stillam, absque supremi Principis ordine dispenset. Neque suspitio hominibus orire tur, ne fortè minister tantus, accepto imperio tumidus superbiret, vel aliquid, inscio Principe, moliretur quod neutiquam de abiectiori pluuiâ præsumendum. Sed vt nullum præclarius erga Principem obsequium præstare potest Minister, quàm semper ab eius nutu dependere: sic inuicem non aliunde cumulatius à Principe compensatur. Proinde cùm Sol, in hominum beneficium, oriri & occidere noscatur, solùm in præsenti loco *oriri* dicitur: vt sic fidelis Minister, nunquam mori intelligatur: occasus Solis, noua cuna est, quæ Antipodis fulgentior renascitur. Securus degat *Priuatus* sic procedens: non occidet, non occumbet: depositus si fortè, emeriti potiùs gloriam, quàm dedecus expulsi sustinebit: quieti potiùs necessariæ traditus: quàm ignauo otio eiectus deputabitur.

Ps. 18. v. 5.

Sic fidelis Priuatus nũquam perit.

570. Exhibuit se Deus, quod nunquam alibi, Proceribus Israel, pene manifestum, in throno Saphirinis lateribus, & picturâ asaroticâ constrato & cum illi, nihil futurum priùs videretur, quàm quos sibi obsequentes cupiebat, longo sermone in debitam obedientiam exhortari: ad Moysem solummodò hæc pauca dirigit: *Ascende ad me in montem, & esto ibi, daboque tibi tabulas lapideas, & legem, ac mandata, quæ scripsi, vt doceas eos.* Exod. 24. v. 12. quasi verò propterea non occideret Deus, appropinquãtes Proceres, (quod sæpe alibi euenerat, non vt illos alloqueretur, sed vt testes habiti, ad Moysem, sermonis, haberentur, & vnde, inquis id ita necessarium? Authoritati credo suæ, & bonæ Priuati famæ consulebat. Legitimum se Principem exhibet, dum se ipsissimum exhibet legislatorem, dum sua, suóque ductu mandata protestatur: Priuatum coram tot testibus à suspitione liberat, ne quid suo arbitrio condidisse præsumatur. Pulchrè Oleaster ibi. *Ne suspectam haberent legem, manibus delatam Moysis, prædicit Dominus, se eam illi daturum.* Semper enim suspectus *Priuatus*, de nouo circa gubernacula molimine: nihilque fastidiosius capiunt Populi, quàm quod ad huius libitum, non ex Principis arbitrio, sibi præsumunt aggrauari. Et quidem propterea instar Solis, oriri potius semper visus, quàm mori aliquando, optimus *Priuatus* Moyses, (etiam in ipsa morte) visus est: dicitur enim postea: *Mortuus est Moyses iubente Domino.* Deuter. 34. v. 5. iussu quidem Domini moritur, sed quo instrumento? Lxx. *Mortuus est per verbum Domini.* ita ne? Verbo Domini, quo cuncta firmantur, quo vita funditur, Moyses occiditur? imò propterea: audiendus D. Ambros. lib. 2. de Cain, cap. 2. *Mortuus quidem legitur, sed per Verbum Domini mortuus, per quod facta sunt omnia: verbo autem Dei, Cæli firmati sunt: per verbum igitur Dei, non lapsus operis sed firmamentum est.* vt sic bonus *Priuatus*, Admini-

Exod. 24. 12.

Oleaster. *Suspectus est Priuatus, si quid extra libitũ Principis agere præsumatur.*

Deuter. 34. v. 5 *Immortalis, si ad illius arbitrium, cuncta disponit.*

D. Ambros.

R. P. Pinto Ramirez Monit. Polit.

ster sic fidelis, non tàm morti, quàm æternitati traditus videatur. Et benè addit Textus: *Non cognouit homo sepulchrum eius.* Vbi iterum Ambrosius: *Nemo scit sepulturam Moysis, quia vitam eius omnes nouerunt.* Ne scilicet putarent, morti potiùs damnatum, quàm quieti emeritum assignari *Priuatum* illum, cuius omnes dum viueret, rationes, ad Principis sui nutum dispositæ, fidelissimum semper ostentârant.

Idem.

Congratulatus Pharao, *Priuati* sui lætitiæ, & agnitis exceptisque fratribus applaudens, addit Textus: *Dixitque ad Ioseph, vt imperaret fratribus suis, dicens: onerantes iumenta vestra, ite in terram Chanaan, & tollite inde Patrem vestrum, & cognationem, & venite ad me: & ego dabo vobis omnia bona Ægypti.* Genes. 45. v. 17. quòd tam munificus polliceatur, sic curet Patris, cognationisque aduentum, mihi non mirum: debebat hoc officij Princeps optimo Administro: quorsum tamen minima illa curat de Iumentis onerandis, de frumento conuehendo? An non satis Ioseph ipse rem prouideret? Nouerat Pharao iam expertus, *Priuati* sui modestiam singularem: nouerat è publicis bonis, nihil absque Regis arbitrio dispensaturum vbiuis, nedum hic, vbi in suos suspectus de vehementiori affectu putari poterat: hærenti igitur præcurrit animando. Oleaster ibi post alia. *Considera Ioseph modestiam, qui sine Rege non audet aliquid Patri mittere.* Tale est illud Christi, cõuiuas suos oppipare excipientis: *Accepit ergo Iesus panes, & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus.* Ioan. 6. v. 11. Nam vt alibi dixi, non tam ipse immediatè, quàm Discipuli distribuebant, in quorum etiam manibus (à rapacitate Ministrorum scilicet alienis) etiam excreuisse panes, aliqui putant: solus tamen distribuisse dicitur Princeps, quia non solùm dona, sed etiam distribuendi ordinem præscribebat, optima scilicet hæc Principum attentio; & Priuatorum optima attemperatio, præscriptum sibi ordinem non excedens, nec aliquid extra Principis arbitrium disponens. 571.

Genes. 45. 17 *Aliquando, nec etiã parua det Priuatus, inscio Principe.*

Oleaster.

Ioan. 6. v. 11.

Dant perfidi Hebræi thura vitulo; quo naribus diuinis iram accendunt: ducatũ Deus Populo negat suum: *ne fortè*, inquit, *disperdam te in via.* Exod. 33. v. 3. solúmque comitantem Angelum pollicetur. Reclamat Moyses: *Si non tu ipse præcedas, non educas nos de loco isto.* v. 15. O quid oras Moyses? non ne quo ardentior, Populum, Deus amat, quàm Angelus, eò magis zelotypus, funestius pertractabit delinquentem? Non ne ab irâ suâ iustissimâ, sibi præcauet Deus, ne gentem rebellem disperdere in viâ cogeretur? Quid ergo Angelum ductorem respuis, non ita exarsurum, si delinquat? Sciebat optimè Moyses, Angeli huius in ministerio suo exactionem, nec leuem vnguẽ à cõmissis sibi partibus, extra Regis sui arbitriũ, deuiaturũm: at sanè Angelus, Iustitiæ solius, non misericordiæ susceperat delegationẽ, de quo suprà, *non dimittet tibi, cũ peccaueris.* Exod. 23. v. 21. Prudenter igitur mauult, ipsummet diuinum Regem secum ducere, qui etiam si sæuiùs indignaretur, at poterat ibidem misereri: quàm Angelum habere ductorem, qui licèt in pœnis mitior, nihil tamen ad misericordiã iuris obtinebat: & aliũde de optimi *Priuati* indole, nihil sibi Iuris arrogaturus, præter id quod à Principe acceperat. Nunc capies ibi Oleastrum. *Tu Domine Deus meus, cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis: non sic autẽ* 572.

Exod. 33. 3. *Bonus Priuatus, cõmissionem sibi tactam, non excedit.*

Exod. 23. v. 21.

Oleaster.

Y 2 *Ange-*

Angelus, qui nomen tuum habet: qui potestatem habet vt puniat, non autem vt parcat. Ideo S. Moyses, sic suspectum habet Angelorum ducatum, vt dicat, nisi, &c. Frustra quippè à diuinis Administris speraret, præscriptum vel leuissime ordinem excedendum.

573. *Nec Principis Primogenitum, aut, nisi extra Patris arbitrium concedat.* Non ergo pudeat *Priuatum* Principis, quorum Dei etiam non suppudet *Priuatos*: sciat, ad Regis sui arbitrium cuncta deferenda: Nec minui authoritatem propriam, dum augustior Principi reseruatur: aut cur non faciat, quod etiam Primogenitos Principum fecisse legimus? Ad seditiosè tumultuantes Panoniæ legiones Drusum filium misit Tiberius: militibúsque multa & fermè iniqua postulantibus, subdit Cornelius Tacitus Annal. 1. *Ad ea Drusus cùm arbitrium Senatus & Patris obtenderet, clamore turbatur. Cur venisset neque augendis Militum stipendiis, neque adleuandis laboribus: denique nulla benefaciendi licentiâ? at Hercule verbera, & necem cunctis permitti. Tiberium olim, nomine Augusti, desideria legionum frustrari solitum: easdem artes Drusum retulisse: Nunquam-ne ad se, nisi filios familiarum venturos, &c.* Et tamen constitit Drusus, constiterat pridem Tiberius, nec minis, nec tumultu perterritus militari, nil præter Principis Patris arbitrium, permissurus. Quid? ipse Christus, petentibus primas sedes discipulis, respondet: *Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam & sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Matth 20. v 23. Maluit enim piissimus Dominus, æqualitatem potentiæ dissimulare: & quodammodò cum Angelo Moysis, & Druso limitatum se ad Calicem passionis, & verbera infligenda, videri: quàm quâ homo filius, aliquid inconsulto Patre, præsumi concessurus. Et audeat *Priuatus* erga Principem, emancipari se potiùs, quàm filij familiâs loco gerere? delyrium hoc, imò nefas, & Principis permittentis, & perpetrantis Priuati. At quale fuerit si iste illum, loco filiifam. habuerit?

Cornel. Tacit.

Mat. 20. 23.

574. *Quàm indignè se Priuato suo, Princeps subiiciat.* Erat vt nosti *Surena* Persicus, (id est, primarius Administer, & ab Assuero secundus, & vno verbo, *Priuatus*) Aman perfidus: quo apud Regem, insidias contra Israëlem machinante, subditur statim. *Tulit ergo Rex annulum quo vtebatur, De manu suâ, & dedit eum Aman, &c. dixitque, de Populo age, quod tibi placet.* Esth. 3. v. 10. Dictauit ergo Aman epistolam illam, Populo immanissimam, sibi honorificentissimam, quæ toto Cap 13. habetur: & quasi non suis, sed Regis verbis scriptam, regio annulo sigillari munitam, promulgauit. Vbi benè Dionysius, ad illud: *Vnus qui sapientiâ & fide cæteros præcellebat, & erat post Regem secundus, Aman nomine, indicauit mihi, &c.* Sic scribit. *Hoc Aman ex nomine Regis scripsit de seipso, cùm tamen in vitiosis, & passionatis non sit vera prudentia, quæ est virtus, neque sapientia salutaris, quamuis possit esse in eis versutia, &c. Ecce scelestissimus Aman, quam apparenter dictauit istam epistolam, & quam celauit ferocitatem atque inuidiam. Quem in hoc multi vsque in præsens sequuntur, qui sub specie boni & optimi, mala, & pessima regunt, proponunt, & practicant.* Sequuntur quidem hoc *Priuati* multi, sed pari & Regni & Regis damno, quod Assuerus, eiúsque Monarchia subiret, ni Deus, Israëli consulens, obstaret conatibus. Quæris, vndè tam stulta Assuero facilitas, vt sigillarem annulum, pro libito abutendum, *Priuato* traderet? Respondeo id euenisse, quòd longè stultior Princeps, *Priuatum* loco Patris coleret, quòd Aman callidus, Assuerum loco filiifam. gubernaret. Ideo in eadem epist. vers. 6. *Iussimus, vt quoscunque Aman, (qui omnibus Prouinciis præpositus est, & secundus à Rege, & quem Patris loco colimus) monstrauerit: cum coniugibus ac liberis deleantur.* Actum quippè de Regno, vbi Rex *Priuati* sui gerit pupillum, vbi *Priuatus* ad libitum disponit.

Esth. 3. 10.

Dionys. *Quàm quis in totius imperij ruinam.*

VI.

Zelotypiam amantis, & amati Principis, nescit Priuati probi, indoles generosa.

575. *Priuati error, quem Principis vexat zelotypia.* SEd etiam, in modesto *Priuato*, quem neque arrogantia inflat, neque absoluta, vsurpatæ dominationis, potentia corrumpit, næuus quidam frequenter reperitur, quo zelotypus, Principis sui amorem sibi vni sollicitat impensum, neque in alios, arctiorem hanc beneuolentiam diffusam patitur: munera, beneficia, honores, liberalissimè communicandos cæteris solicitabit: regium amorem tamen, exhauriendum sibi, curat anxius. Est hæc angustæ mentis, & delusi consilij, noxa fœda. Si solus amare Principem contendis, iam minus amas, cui consimiles inuides amatores: at si plures, vt dicis, Principis tui expetis amatores: iam necessariò hunc expetis redamantem: nescit amor non esse mutuus, ni sit fucatus: Falluntur (& Principes maximè) quique se arbitrantur amari, cùm non ament: aut ergo decipis, aut deciperis, dum Principem amabilem reddere satagis, amandum Proceribus curas, quem interim amantem prohibes, beneuolum retardas. Adde quòd ipsa zelotypiâ, augustæ Principis indoli derogas, quam breuem, quam limitatam traducis, dum times diffundendam: quasi adimendum tibi necessariò quidquid aliis concedatur: generosius de Principe tuo cogites necesse est, capacius est regale pectus, quàm impleatur te vno: fons perennior, quàm qui singulari vasculo exhauriatur: multum de Deo participat Princeps optimus: ab illo sub debitâ proportione, hunc metire: ab illius *Priuatis* disce, qualem te Priuatum in re amoris, erga Principem tuum sis gesturus. Bene Gellibertus serm. 19. de medijs diuini ferculi charitate constratis, Cant. 3. v. 10. sic scribit: *Charitas non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, & vt sic dicam super inæqualitate: congaudet autem veritati: priuatum autem non cogitat, medio quodam & communi lætatur: quæ sua sunt non quærit, sed quæ Christi Iesu: eius in omnibus, gloriam vel optat, vel amat: communis est Christus, mediator enim est, & ideo eius non sunt, quæ media non sunt, sed in partem se restringunt. Quid tu liuore, Christum vis in partem contrahere: auaram vis esse gratiam Spiritus, cuius circa te solum optas beneficia restringi? Sine, vt excrescat, & exuberet, & effundat se supra omnem carnem Spiritus Domini, & repleat Orbem terrarum: noli communem omnibus beneficentiam, intra cordis*

Gellibert.

Cant. 3. 10. *Charitas, omnia habet communia.*

tui

tui angustias incarcerare. Sic fere, quantùm materiæ diuersitas patitur, in re nostrâ.

576. Est certè, Dei *Priuatus*, & primarius administer, Iustus ille, quem tot titulis in Cant. celebrat idem Salomon: qui tamen citato Cap. dum Principem suum suspirat absentem, sic apud omnes quærit, sic interrogat, *num quem diligit anima mea vidistis?* v. 3. vt etiam dotes illas amabilissima subiungat Cap. 5. quibus diuinus Princeps agnosci posset. Vtrumque in *Priuato*, non ita obuium poterat putari: & quòd abesse, à Principe suo, sustineret: & quòd illum, apud alios, sic quæreret, quasi ab his & inuentum, & amatum exoptaret, aut saltem inueniendum & amandum inuitaret: Sed erat indolis *Priuatus* optimæ, erat egregiis virtutibus ornata Anima: quæ etiam dum sub sponsæ metaphorâ celebratur, ignorat Zelotypiam. Idem Gellibertus serm. 5. *Delitia eius sunt, tecum esse dilectum suum: non inuidet, non zelatur: dilectum suum, omnium vult esse dilectum: ideo apud omnes quærit, vt illum apud omnes, aut inueniat, aut inuenet. quærit enim apud illos Iesum, quorum quærit profectum in ipso.* Talem te erga Principem tuum gere, mi *Priuate*: opta omnibus amabilem, & amatum, vt eodem inuicem proficiant amatore.

Iustus, diuini amoris non capit Zelotypia.
Cant. 3. v. 3.
Gellibertus.

577. Et vide quæso, quid addat fœlix hæc anima, ingenua Administra: *Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum, vt nuntietis ei, quia amore langueo*, Cant 5. v. 8. Nouerat Angelorum Regina, sciebat Maria (hanc intelligit ibi Rupertus:) quàm probè, vulnerantem ipsius charitatem, nouisset æternus Princeps, neque nuntiis egere extraneis, qui proprium, diligentis dilectæ, pectus penetrabat. Quid ergo nuntios expedit, parat legationem? audi Rupertum ibi. lib. 5, *Nunquid ille dilectus nesciebat amorem languentis, siue languorem amantis, nisi annuntiaretur ei?* &c. *Quorsum ergo tendit, quid efficit hæc adiuratio? eò nimirum, vt percussa percutiat, vulnerata vulneret Mater familias, salubriúmque vulnerum suorum aliquid, & si non statim omnibus, at saltem iam aliquibus eorum, experimentum efficiat: vt audientes filiæ, vel sentientes in Matre. tantum vitæ futuræ, quæ non videtur, desiderium; in mente præsentiant & ipsæ, talem illum esse dilectum, vt iure propter eum fastidiat quiuis vel quæuis hoc præsens sæculum: iámque inter moras præsentis vitæ, magis ac magis cupiant, eum agnoscere, saltem per speculum, saltem in ænigmate.* quàm alienus animus, à Zelotypia! Dilectum Regem suum, omnibus vult esse dilectum, Regina piissimè prudens: non inuidet Amatores, Amato: quia inter cordis sui angustias, non vult dilecti gratiam incarcerare. Nuntios mittit, qui ex colloquio & commercio diuini Principis Domini communis, amorem mutuum hauriant, & infigant. Tentatoris cuiusdam Dæmonis partes agit Priuatus ille, qui colloquia amica, familiaria Principis commercia, multis inuidet: ne ex consuetudine Amor, & fiducia ex amore oriatur. Tale illud subdoli serpentis ad Christum: *Dic vt lapides isti, panes fiant.* Matth. 4. v. 3. non dixit, *dic lapidibus*: Scilicet ad eosdem lapides directo sermone: sed *dicit lapides*: quasi se internuntium cupiat, verbis Domini, pro libito suo interpolandis aut refingendis: Timuit ne si lapides, ad commercium Christi, assumpti quodammodo auriti redderentur, etiam rumperentur in buccas, Tentatoris insidiis detegendis, & dilecto iam familiarius Principi, admonendo. Non *Priuatus*, sed hostis, sed tentator est Principis, quisquis sic agit: Suspectus venit, quasi timeat se prodi, si negato familiariori colloquio Principis, subditorúmque, amori mutuo, obstrepit importunus.

Cant. 5. v. 8.
B. Virgo Maria perfecta charitatis Magistra.
Rupertus.
Dæmoniaci ingenij est, Priuatus ille, qui Principis colloquia, amicis inuidet!
Matt. 4. v. 3.

578. Defunctus Mendicus Lazarus, *ab Angelis in sinum Abrahæ*, Luc 16, v. 22. portatur. Erat locus ille tranquillitatis placidæ, serenæ quietis, æternæ beatitudinis delibatio; cœlestis gloriæ, pro temporis conditione, imitamentum: vbi Iusti, quasi sub Abraham præside, quali quali, diuini Principis, commercio, re ipsâ hilares; sed meliorum spe, longè hilariores, fæliciter quiescebant. Dubitant Interpretes, cur huic Aulæ, non Adam, non Seth, non Noe, non alius quisque Priscorum, sed vnus Abraham recentior dicatur præsidere. An quia Pater multarum gentium electus? non mihi satis id visum: nam & totius, Protoplastus Adam: & restaurati Orbis Noe Pater appellatur. Quid ergo? fuerat sic Dei *Priuatus* Abraham, vt sæpe diximus, qui hanc priuatim præ cæteris egregiam haberet indolem, vt beneficia & terrena bona, quæ à Deo acceperat, non sibi vni asseruaret, sed communia omnibus efficeret. Ergo in Aula illa, vbi non iam terrena bona, sed diuini Principis familiaritas, & penitior amor erat communicandus, etiam dispensatoris partes agit, & vt in terris hospites; etiam hîc in contubernium, & Principis familiaritatem admittit, & deducit venientes Quid ita? quia talis erat ingenii *Priuatus* optimus, vt vix se beatum crederet, si solummodò terrena beneficia, & non etiam Amorem, Principis que familiaritatem cæteris partiretur. Nunc capies D. Chrysologum ibi, serm. 121. *Non immeritò, fratres, suâ nunc omnes sanctos suscipit in requie, & in ipsâ cælesti beatitudine fungitur dispensatoris officio, qui dum semper hîc suscipit peregrinos & pauperes: ipsummet cum Angelis suscipere Deum, ipsum subientorio suo, videre hospitem meruit, quem semper habuit largitorem. Et reuerà fratres, parum se beatum credidit, si in ipsâ supernâ gloriâ, ab hospitalitatis pio cessaret officio: qui hîc, humana bona, crudelem se credidit, cuiquam si negaret.* Vt ergo crudelis fores *Priuatus* si Principis beneficia cæteris non dares: sic minùs beatum te puta, si eisdem familiaritatis regiæ gloriam inuideas.

Luc. 16. v. 22.
Generosus Priuatus Amorem Principis sui, omnibus vult esse communem.
D. Petrus Chrysol.

579. Dixi suprà non semel, quàm largus beneficiorum Moyses Dei *Priuatus*, erga Populum: quámque Dei munera, non sibi, sed genti suæ procurabat: Nunc pende quid ipse ad Populum: *Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus vnus est: diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ fortitudine tuâ.* Deuter. 6. v. 4. quasi dicat; licèt vnus, non tamen à me vno tantùm amari debet: vos omnes, eiusdem cupio amatores, vt redamantem pariter habeatis. quid ita? quia iniquus *Priuatus*, si solùm Principis sui beneficentiam, non etiam beneuolentiam vellet communem. Hinc Chrysologus serm. 147. post alia de Deo Moysem exaltante, sic concludit. *Per omnes virtutum coronas*

Deut. 6. v. 4.
Iniquus foret Priuatus si vt beneficia, sic etiã gratiam Principis, nollet communem.
D. Petr. Chrysol.

coronas ad amicitiam suam promouet, cælestis Regni præstat esse participem & vt ipse sit legislator indulget: totum tamen, vt amaret, accepit: denique tanto esset Dei amore succensus, vt ipse ardenter diligeret, & alios, vt diligerent, sic moneret: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Explicauit bene Tertul. lib. de Orat. Cap. 3. in verbis illis, quibus dicimus, *Sanctificetur nomen tuum.* Matth. 6. v. 9. id peti, vt nomen Dei, iam satis per se sanctum, in nobis, bono opere sanctificatum resplendeat. Tunc quærens, cur id non exprimamus, dicentes: *Sanctificetur in nobis nomen tuum*: Sic respondet *Id petimus, vt sanctificetur in nobis, quia in illo summus: simul & in cæteris, quos adhuc gratia Dei expectat: vt & huic præcepto pareamus orandi pro omnibus, etiam pro inimicis nostris: ideóque suspensa enuntiatione non dicentes; in nobis, in omnibus dicimus.* Vt nos ingenuos, non zelotypos, communémque gratiam & amicitiam cælestis Principis omnibus cupientes, exhibeamus.

Tertul. Mat. 6. 19.

Charitas erga inimicos.

580. Notissima, in hanc rem beneficij communicandi interpellatio illa Petri, pro Ioanne, Ioan cap. 21. Sed non ita obseruatum, quod de amoris inculco communicatione Euexerat Christus Petrum in *Principatum*, & traditis ouibus, vicarium constituerat, & tanquam Pastori bono martyrij gloriam pro ouibus prædixerat. Subsequebatur colloquentes Ioannes, & addit Textus: *Hunc ergo cum vidisset Petrus: dicit Iesu: Domine, hic autem quid?* Vers. 21. Volebat, inquiunt Doctores, Ioannem sibi consortem insinuare, apud Dominum. Sed quid? ignorabat Petrus, vicariatum suum monarchicum futurum: Petram vnam Ecclesiæ supponendam: nec bicipitem thronum eleuandum? absit. Quid ergo, in *Priuatum* huiuscemodi electus, sollicitat socium? examinarat illum Christus à Vers. 15 vt nôsti, in re amoris non semel: quo se satis redamantem declarabat: ne ergo videretur Petrus pariter cum honore Principis, amorem etiam sibi voluisse exhaustum, quasi Ioannes antonomastico titulo *dilectus*, excluderetur: hæc subiecit: vt Ioannes honorem, (qui de iure monarchico diuidi non poterat ex æquo) saltem delibaret ex parte, martyrium verò & amorem, vbi nullum erat inconueniens, æqualiter participaret: Sic puto capiendum Chrysostomum, vbi in Cat. Corder. *Cum magna Christus Petro communicâsset, Orbis terrarum curam demandâsset, martyrium prædixisset: & magnam erga eum dilectionem testatus esset: volens ipsum Ioannem socium habere, ait: hic autem quid?* Nec enim poterat optimum se *Priuatum* clariùs propalare: quàm dum, non solùm dilecto per antonomasiam condiscipulo zelotypus non inuidet: sed insuper vberiorem optat Principis dilectionem: tunc maximè, cum ipsemet præ omnibus aliis diligi videbatur. Quisquis, *Priuati* optimi, notâ cupit insigniri, suauissimo, Petri, ingenio assuescat.

Ioan. cap. 21.

Vers. 21.

Generosus Priuatus socios erga amatum, & amantem Principem, optat.

D. Ioan. Chrysost.

581. At, inquis, Timor est non leuis, ne humani, id est, limitati Principis Amor exhauriatur: (quod à diuino abest) mihique, quod in alios diffunditur, subtrahatur. Angustas, mi homo, Principis pectus augustius, hac opinione: heu nescis, cum Imperio, cor longè cæteris capacius à Deo accepisse. Nulla virtus minuitur, dum dispensatur, & dum tota singulis datur, absque dispendio integra perseuerat. D. Gregor. Nyssen. lib. de Beatitud. Cap 1. *Talis diuisio virtutis est, vt in omnes qui eam amplectuntur, & affectant, diuidatur, & cuique adsit vniuersa inter participantes, non diminuta, &c. Spirituales diuitiæ idem faciunt, quod Sol, qui & omnibus videntibus se impertit; & totus vbicunque accedit.* Amor in suos, præcipua & fundamentalis est virtus in Principe: omnibus sufficit, neque minuendus: omnes & singulos capit augustum pectus: inde passim ab Homero Reges dicuntur Διογενεῖς, & Διοτρεφέες, *deogeniti*, & *Dei alumni*. Quia Dei instar, licèt in terreno ergastulo, immensum quodammodo spiritum sortiti. Mira fuit, licet immodica, illa Senatus & Pop. Rom. acclamatio, ad Imperatorem Traianum: de quâ Plinius in Paneg. *Pro nobis quidem hæc fuit summa votorum, vt nos sic amarent Dij, quomodo tu. Est ne verum, quod inter ista acclamauimus? O nos fælices! quid enim fælicius nobis? quibus non iam illud optandum est, vt nos diligat Princeps: sed Dij, quemadmodum Princeps. Ciuitas religionibus dedita, sempérque Deorum indulgentiam piè merita, nihil fælicitati suæ putat adstrui posse, nisi vt Dij Cæsarem imitentur.* Tu mi Priuate, id opta, vt Princeps tuus Deum imitetur: omnes capiat amans, qui omnibus in Patrem destinatur: nihil illi gloriosius, nihil subditis fælicius, nihil tibi venire poterit plausibilius.

Principis Cor amplum, non exhauritur.

Virtus communicata, non diminuitur. D. Greg. Nyss.

Plinius. Principis amantis populum, encomium.

VII.

Princeps Priuatum condecoret: accedit enim huic reuerentia, quod eundem ille reuereatur.

Vidisti, qualem se gesturus sit *Priuatus*, erga Principem: vide nunc, qualem se, erga *Priuatum*, debeat Princeps gerere. In primis gloriæ, & Maiestatis suæ partem illi communicet: vt quò inde fuerit Populo venerabilior, eò efficacior administret. Præcipiens Deus Moysi, vt Iosue sibi in primarium Administrum, & *Priuatum* sic apertè assumptum declararet, vnde eiusdem futurus successor, in Principatu noscetetur: ita subiunxit. *Et dabis ei præcepta, cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, vt audiat eum omnis Synagoga filiorum Israel.* Num. 27. v. 20. Laborant in explicando Interpretes, quænam esset hæc Principis Moysis gloria, Administro Iosue communicanda. Quidam, splendorem illum vultus, cornutæque lucis radios existimârunt. Non assentio: cùm nec per vmbram, splendida Iosuë facies vllibi legatur. Quid ergo? Dicitur Moyses dedisse illi partem gloriæ suæ, dum coram omnibus extulit, commendauit, & sub quodam, summi honoris, commercio excepit. Et quorsum id, *cunctis videntibus*? vt apud illos esset venerabilior, quem Principi ipsi videbant venerabilem. Oleaster ibi. *Discant ex hoc loco Principes, cum Ministros, & officiales instituunt, eis de suâ gloriâ tradere: & coram omnibus, quibus præficiendi sunt summè honorare. Vt subditi videntes, quanti eum faciat Superior, eum reuereantur, illique obediant, eúmque honorent.* Quod deinde exemplo Patris erga Christum, & huius erga Apostolos, confirmat. Fuit hæc optima, contra aut imprudentes, aut Tyrannos Principes, Politica Traiani. de quo, vel

582. Princeps, Priuatum debet decorare.

Num. 27. 20.

Vt inde venias aliis venerabilior, quod ipse Principi sit venerabilis. Oleaster.

vel ad quem Plinius Panegyrista *Est hæc natura sideribus, vt parua & exilia, validiorum exortus obscuret: similiter Imperatoris aduentu, legatorum dignitas inumbratur. Tu tamen maior omnibus quidem eras, sed sine vllius diminutione maior: eandem authoritatem, præsente te quisque, quam absente retinebat. Quin etiam plerisque ex eo reuerentia accesserat, quòd tu quoque, illos reuerberare.* Quod quidem erga *Priuatum*, vt pote qui aliorum Administrorum vertex, vrget efficacius.

583. Gen. 2. v. 19. Compto iam Orbe à Deo, & Animalibus cunctis habitato, *Adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea: omne enim quod vocauit Adam, animæ viuentis, ipsum est nomen eius.* Genes. 2. v. 19. sed quantò erat facilius, vt à Deo creata, ab eodem nomen acciperent? An aptiùs Adam, quàm Deus, viuentium naturam penetrabat, vt singulis commodiora vocabula imponeret? An erat difficile Adæ, perdiscere postea tot vocabula, ni ipse pridem imposuisset? gerræ. Quid ergo? voluit Deus *Priuato*, & primario suo Administro, gloriæ suæ partem communicare, vt saltem nomina daret subditis bestiis, quibus ipse Creator vitam concesserat: vt iam homo reuerenter à bestiis coleretur, quem à Principe Deo sic honorari videbant, vt cum illo, maiestatis titulos quodammodò diuideret. D. Basilius Seleucus Orat. 2. *Esto Adam nominum Artifex, quando verum esse non potes: formentur à me, nominentur à te, quæ creantur. Partiamur huius fictricis solertiæ gloriam: me agnoscant artificem, naturæ lege: te dominum intelligant, appellationis titulo.* Ita est: nihilo subditi, in Primarii Administri reuerentiam coguntur suauiùs, quàm dum à Principe reuerenter haberi cognoscitur.

Princeps, Priuato, authoritatis titulos communicet.

D. Basil. Seleuc.

584. Hæc ergo vna via est, quâ Princeps *Priuato* suo, tanquam facili, & expedito instrumento, Populis gubernandis, vti potest, si illum coram Populis honoret: vt ab Administro hoc pendentes se agnouerint. Hinc illa vox Dei ad Moysem: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nôsti, quod senes populi sunt, ac magistri, &c. vt descendam & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradámque eis: vt sustentent tecum onus Populi: & non tu solus graueris.* Numer. 11. v. 16. & 17. Attentè satis, è tot millibus seniorum, illi congregari, & eligi iubentur, quos prudens Moysés tales esse agnouerit: idest (vt alibi ex Philone obseruo) qui non tàm canitie, quàm virtute radiarent: nec tam rugarum notis sulcarentur, quàm è sanctimoniæ sulcis, segetem cumularent feracissimam: à quibus scilicet, vitiorum pueritia, & fœdior exularet puerilitas. Bene est: quanto tamen sapientissimus Deus, longè Moyse penitiùs hos agnouerat? Cur ergo ipse non eligit, non designat: sed Moysi *Priuato* suò, remittit eligendos? Respondet Oleaster ibi. *Cur Domine Deus, Rectores non eligis, qui eos melius nôsti: sed Moysi seruo tuo tradis eligendos? optimum illud regimen Philosophi esse tradiderunt, in quo vnus omnibus præest: si enim Moyses istos non eligeret: quando illi vellent ei obtemperare? Consultò ergo voluit Dominus, virum Sanctum eos designare, vt posteà cognoscerent, se ab eo, in regimine dependere.* Vix enim inferiorum horum Administrorum reuerentiam, Moysi *Priuato* debitam conciliaret: nisi hunc ita coleret, vt illius Prudentiæ, & potestati, electionem remittere nosceretur: Huc recidit, quod additur: *Et auferam de Spiritu tuo, tradámque eis.* Vt in Proceres & Administros alios, quasi medio *Priuato*, potestas & authoritas deriuaretur: illum, quasi gratiarum suarum thesaurum, sic condecorans: vt dum alii, ab hoc pendere se nôrunt, subdantur suauius: habeatque istos, *Priuatus* rebus gerendis, sic faciles: vt *Priuatum*, Princeps. idem Oleaster. *Nunquid non habes penes te Domine, Spiritus sufficientiam, vt his senioribus largiaris: sed opus est à seruo auferre, quem illis tribuas Spiritum? absit. Sed vult, vt cognoscant se cuncta a Moyse habere, vt illi facilius subdantur.*

Numer. 11. v. 17.

Vt noscant ceteri Administri, se à Priuato dependere.

Oleaster.

Ibidem.

Cui proinde facilius, in ministerio subdantur.

Oleaster.

585. Et profectò, illa ipsa quodammodò reuerentia, quâ instar Traiani, *Priuatum* suum ingenuum, Princeps colit: non solùm illum venerabilem reddit Populis, sed etiam dominandi condignum: vt iam sit meritum, cæteris imperandis, cultus ille à Principe adhibitus: quis enim huic semper obedire dedignabitur, cui quandoque Principis indulgentia videtur ministrare. Instituebat Christus Discipulos, sive *Priuatos* suos ad humilitatem, quam basim totius honoris admonebat: tunc sic concludit: *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Matth. 20. v. 28. Mihi non mirum tam anxiè humilitatem à Christo commendari: illud quæro, cur his, quos in Ecclesiæ Principes apparabat, & in spirituales, summi cuiusdam dominij Administros promouebat: nihil saltem splendoris concedat, vnde tanto functuri honore animentur? Sint quidem humiles corde, at certè homines genere infimi, censu tenues, industriâ piscatores, non ne aliquo fulciendi videbantur, vnde generosos spiritus conciperent, quibus imperio digni viderentur? Cur ergo in hoc loco Christus dum memorat thronum humilitate adipiscendum: non refert pariter, vnde apud Populos digni essent habendi? non id præteriit Christus, dum enim addidit, se ipsum Principem, quandoque Ministris suis administrâre: satis illos generosos reddidit, satis imperio dignos demonstrauit: plus enim colente eos domimino, quàm tot exhibitis miraculis, nobis obedituris, redduntur venerabiles D. Paulinus Epist. 3. *Bonus dominus, & salutarium magister, seruiendi ministerio, dominandi meritum transferebat: & humilitatis humanæ præbebat exemplum, quibus diuinæ sublimitatis parabat consortium.* Talem se, sub debitis prudentiæ circunstantiis, erga *Priuatum* suum, habeat Princeps meus: vt ex eo, illi accedat reuerentia, quod illum quoque Princeps reueretur.

Reuerentia, qua Princeps colit Priuatum: hunc imperandis cæteris dignificat.

Matth. 20. v. 28.

D. Paulinus.

VIII.

Quibus id præcipuè occasionibus obseruandum.

586. Est autem honor iste erga *Priuatum*, tunc maximè, & in publico necessarius, quando labenti, si fortè, per crimen, (homo est) sed statim resipiscenti, Princeps blandus reconciliatur. Id obseruant Patres, in lapsu Petri, quem resurgens Christus, pœnitêtem singulariter adiuuit,

Princeps, Priuatum sibi reconciliatum, cur impensius debeat honorare.

uit, & sibi congressus benignissimi honore reconciliauit. Tu legeris Euangelij Interpretes. Causa illa: ne Populus, qui nasum irati Principis mouerat in *Priuatum*: factam etiam reconciliationem suspectam habeat, nisi præcipuis amoris & honoris indiciis, reconciliatum videat decorari: insultetque illi, nec obediat satis: quem ob præteritum lapsum minus semper gratum Principi præsumit. Hæc si videret Henricus Anglus, Sanctissimo Pontifici Thomæ, non condonatâ huius culpâ (qui iustissimus processerat) sed irâ suâ sopitâ, reconciliandus: nunquam è gloria Martyris purpuratâ, infamiam sibi Carnificis contraheret: nunquam insultantes Aulici, dum *Priuatum*, quasi adhuc ingratum Principi occidunt, ipsummet, quasi conscium, Principem fœdarent. Notum, sed semper grande exemplum in hanc rem. Aliter Principem probum instituit supremus Princeps.

587. Reconciliato iam sibi Populo, quem turpissima Idololatria fœdarat: ait Dominus ad Moysem: *Vade, ascende de loco isto, tu & Populus tuus quem eduxisti de Terra Ægypti, in terram,*

Exod 33. 1. Oleaster. *Peccator verè pœnitens, sæpè illustrior surgit quam ceciderat*

quam iuraui. Exod. 33. v. 1. Vbi Oleaster. *Nunquam hucusque legimus Deum festinâsse, & vrgisse sic Iudæos ad Terram promissam, quemadmodum nunc post peccatum. Vt intelligamus, Peccatores sæpius ad maiora dona, quam ante peccatum habuerint, resurgere.* Magnum hoc donum, nec tamen illud satis Moysi visum: cum enim Deus Angelicum ducatum Populo spopondisset, Moyses, non nisi ipsissimum Deum in Ducem contendebat: subdens post multa: *In quo enim scire poterimus, ego & Populus tuus, inuenisse nos gratiam in conspectu tuo: nisi ambulaueris nobiscum: vt glorificemur ab omnibus Populis, qui habitant super terram?* Vers. 16. In Hebræo legitur: *In quo cognoscetur hic, inuenisse nos gratiam in oculis tuis: nisi, &c.* Id est, in quo cognoscent hostes, qui hîc sunt propè nos, te nobis perfectè & syncerè reconciliatum, nisi tu ipse præcedas nos? Sed quorsum, inquam ego, tam necessariò id hostes & circunstantes gentes agnituri? Nouerant Israëlem inter Populos, Dei familiarissimum, vituli cultu, ab illius gratiâ cecidisse, incurrisse furorem: sempérque reconciliationem suspectam haberent, Israëlique quasi minùs iam grato, bellis & incursionibus, insultarent, nisi præcipuo hoc ducatus honore, à Deo affectum intelligerent: & in Populo suo familiarissimè, vt pridem, habitare. Sic literam hîc explicuit Oleaster: & deinde ad mores sic subiungit. *Magnum quid est, vt te timeant, neque nocere audeant, scire te gratum esse Principi: nemo audet lædere huiusmodi familiares & dilectos, nemo eos non amplectitur, & in pretio habet, &c. Admonentur etiam Principes, signa gratitudinis ostendere his, qui aliquando offenderunt eos, si pœniteant: ne peccati sui perpetuas pœnas luant.* Caueat ergo Princeps meus, tepidè Priuato suo reconciliari: ni isti, quasi minùs dilecto, ab inuidis Coaulicis, ab effræni vulgo, odia & opprobria cupit conciliata.

v. 16.

Princeps, quam debeat reconciliato amico, honores cumulare.

588. Portæ illæ mystici Templi, quod Cap. 40.
Ezech. 40. vidit Ezechiel, ingressum mortalibus, in supremi Aulam Principis denotabant; de quo ibi fusè Interpretes; illud tamen attentiùs ponderandum, quòd cum in trium portarum frontibus Palmæ radiarent, longè tamen diuerso modo exprimebantur. Nam ad Orientis portam, eiúsque fenestras, *Pictura palmarum* erat. Vers. 16. in Australi verò portâ, *cælatæ palmæ*: Vers. 34. v. 16.
Sic & in portâ Aquilonari, *cælatura palmarum* erat: Vers. 37. Multum quidem præstat Picturæ, cælatura: solidius & pretiosius habetur id quod insculpitur cælo, quàm quod pennicillo depingitur: illud quippè in æuum perennat solide: hoc autem, quovis adhibito fuco, facilè corrumpitur. Neque mihi mirum, si Australis porta, quæ ad Meridiem feruida, virtutis cuiusdam feruidæ venientes alumnos excipiebat: robustius & solidius præmium porrigeret, quàm Orientalis, qua illi qui quasi in exortu, atque virtutis cunâ erant, ingrediebantur. Illud illud scrupulum iniicit, immo stuporem conciliat, quòd Aquilonaris porta, quâ illi, qui peccati frigore olim torpuerant, iam resipiscentes intrant, Orientali innocentiæ præstaret, & feruori meridiano æmulæ, non pictas, sed potiùs cælatas palmas exhiberet. Amouet tamen pulchrè obicem D. Gregor. ibi, homil. 19. *Notandum nobis est, quia in Orientis portâ pictura palmarum: in Aquilone verò & Meridie, cælatura esse perhibetur, &c. quia contingit sæpè, vt hi qui adhuc inchoantes sunt, nondum se in operibus magnis & solidis exerceant: Hi verò qui post iniquitates ad virtutem redeunt, plerumque vt culpas suas, ante Omnipotentis Dei oculos tegere valeant, in magnis operibus exercentur: & quia iam feruore spiritûs, actibus & virtutibus excreuerunt, quasi Meridies, in sanctis actibus inardescunt. In Orientis ergo portâ pictura est: in Aquilonis verò, & Meridiei, cælatura: quia signum victoriæ, quod inchoantibus ostenditur: hoc reuertentibus atque feruentibus, iam solidiùs, & robustiùs tenetur.* Dixi ad pœnitentiæ encomium pluscula in Cant. Tropol. nunc ad rem. Nouerit Prudens Princeps, resipiscentem *Priuatum* sic excipere, vt illum in sublimiori gradu constituat, quàm ante defectum: quia & *Priuatus*, si generosus, longè feruidior exsurgit, admissum næuum penitus deleturus: eò obsequiis promptior, quò de præterito reatu degit confusior.

v. 34. *Feruidus pœnitens, quàm se Deo gratum.*

D. Gregor. Mag.

Sed in re grauis delicti, non ampliùs immorandum, cùm rariùs id soleat euenire, vt Principem grauiter lædat, qui totus Principi cupit inhærere. Sunt alia leuiora iurgia frequentius, inter *Priuatum* & Principem, quæ etiam honore aliquo eximio componenda: ne *Priuatus* (quem Princeps tractauit asperiùs) animo cadens, dum minùs se gratum Domino suspicatur, turbatus assistat negotiis, & timore impeditus, minùs fæliciter publica expediat. Expostulârat Deus cum Iobo, pupugerat *Priuatum* suum acerbè, per quatuor integra capita, & longa illa, & subdit statim sacer Textus: *Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Iobum: dixit ad Eliphas Themanitem: iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos: quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob.* Cap. 42. Vers. 7. Iob. 42. 7.
Vbi Author Caten. Græc. quantum sit honoris, in hoc, dominicæ seruitutis, vocabulo expendit: putarémque fuisse titulum tunc decorum apprimè necessarium, vt Iobus spem erigeret, animos resumeret, serenúmque omnino erga se, animum Domini iam agnosceret. Pende tamen, quæ longè digniora subsequuntur. Iubentur isti opimum sacrificium apparare, vt Iob

589. *Post iurgia Princeps iterum indigeat Priuato.*

Iob Sacerdos pro illis oraret. *Faciem eius suscipiam*, inquit Deus, *vt non vobis imputetur stultitia*. v. 8. Furens Dominus describitur in stultescentes: & grande sacrificium præcipitur: vnde grauiter peccâsse hos viros, necisque reos fuisse, colligunt Interpretes: & meritò: vides tamen vnius Iobi precibus dici condonandos. Quantus hic honor! nimirum, sic demum prædicta reprehensio fuerat mitiganda, & iurgia cum Amico sopienda. Fauet contextui meo ibi Olympiodorus. *Quantum demum honoris, Sanctis Dominus impertitur! nam & illud capitale esse pronuntiat, Iustis detrahere: & propter honorem, quem suis Deus tribuit, necis supplicium condonare.* Ergo bonorum in duplum restitutio, præteritæ patientiæ præmium fuerit: intermedius hic & ingens honor, serenitatis videtur, à præmisso illo iurgio, restitutio, quo Iob validiores animos resumeret.

590. *Imp[...]sum de[...] [...]adus Pri[...] [...]us publi[...] [...] cum illo [...]nis ali[...] [...]uod negotiū [...]mendatur.* Est & alia opportuna occasio, *Priuatum* honorandi, quando nimirum aliquod grandis ponderis negotium, cum subditis tractandum, eidem à Principe committitur: augenda enim signanter tunc, eximio aliquo decore *Priuati* authoritas, ne subditi paruipendant, maius aliquid solito destinantem, & iubentem: cùm tamen non plus solito apud Principem honoretur. Pactum suum fideliter obseruaturis, magna promittit Deus, vnde regnum Sacerdotale, & gens sancta, efficeretur. Exod. 19. v. 6. (Exod. 19.6.) Nuntiat hæc Moyses Populo, expositâ Supremi Principis pactione, hunc alliciens: applaudit pacto populus, respondens: *Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus*. v. 8. Iam peractum negotium videbatur: additur tamen: *cumque retulisset Moyses verba Populi ad Dominum, ait ei Dominus: Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me Populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum*. v. 9. Nota illud, *iam nunc*: quasi in cæteris prodigiis ab exitu Ægypti exhibitis, potiùs ad Deum Moyses recurrisse: hîc autem per summum honorem, ad Moysem, venire Deus intelligatur. Nimirum, maius erat dare asperam difficilémque legem, tot Tribubus, per Moysem: quàm per eundem easdem à captiuitate liberâsse: Tantum erat nunc Moyses negotium ministraturus; vnde neque minori honore prædecorandus, ne à Populo, solitis maiora iubens paruifieret. Fouet priuatam hanc contextus explicationem, communis & verissima doctrina, quam sic ad hunc locum scribit Oleaster. (Oleaster.) *Docet pulchrè locus iste, qualiter Principes debeant, ministros suos, maximè publicos honorare: ne quis de Populo audeat eos parum pendere. Si enim populus viderit ministros minoris fieri apud dominos, non curat eos, neque eorum verba.* Nihil insanius quàm credere Administrum tibi vtilem futurum, qui populo non venerit venerabilis: nihilque facilius veneranda illi authoritas conciliatur, quàm si tu eundem, in his, similibúsque aliis occasionibus, noueris honorare.

* * *

R. P. Pinto Ramirez Monit. Polit.

IX.

Princeps, an, & quando, Priuati sui domum ingressurus: quomodò huius temperaturus honores: & labores solaturus.

Qværes an probandum sit Prudentiæ, illud, honoris familiarissimi, genus, quo Princeps, *Priuati* sui cubiculum solet frequentare, quem scilicet hinc summopere se putat deuincire? Ego quidem frequentiam non probarem, etiam cum eodem Palatio *Priuatus* habitat: nedum si foris ædes sortiretur. Sublimior est regiæ Maiestatis vertex, quàm possit priuatis laribus capi: augustius caput, quàm aut humiliori ostio inclinetur, aut erectum, vt decet, offendat necessariò. Excepit conuiuam Deû, *Priuatus* eius optimus Abraham, cui mensam sub arbore oppiparam strauit: ideo dicitur: *Tulitque butyrum & lac, & vitulum quem coxerat, & posuit coram eis: ipse verò stabat coram eis, sub arbore.* Genes. 18. v. 8. An deerat in Tabernaculo Abrahæ diæta splendidior, extructa cœnatio, ad quam tantus hospes decentior inuitaretur? non crediderim. Quid, foris epulum transfertur: quid sub arbore mensa collocatur? Quia nec ausus Abraham, Dominum in proprios lares inuitare: neque voluit Dominus, etiam familiarissimo *Priuato*, id honoris, tunc temporis indulgere: quid ita? ne *Priuatus* eximio fauore insolesceret. Vltra enim debitam honoris mensuram ingressus iste Principis in domum particularem habebatur. Oleaster in Cap. 24. Exod. post alia infrà danda, sic ad hunc locum. *Ne temerè te aut in Deum, aut in ea quæ Dei sunt, inicias. Sic & Abraha dilectissimo suo fecit, ad quem, & si aliquando descendere dignatus est, nunquam tamen domum eius ingredi voluit. Solet enim homo etiam iustus, ex diuinis fauoribus insolescere, ideo ad mensuram, sibi cuncta ostendenda sunt, & præstanda* quasi familiarior iste ingressus, requisitam mensuram præteriret. Multò igitur cautiùs, circa *Priuatum* humanum debet obseruari, ne nimio hoc saltem si frequens fuerit, Principis sui honore, insolescat. 591. *Princeps Domum Priuati rarò adeat.* Genes. 19.8. Oleaster.

Non tamen vetuerim, quòd si quandoque vrgentior aliqua causa superuenerit, possit, imò fortasse debeat Princeps, se facilem & comem, adeundo *Priuato* exhibere. 592. *Non tamen id, in causa vrgenti, vetuerim.* Vix discesserat Angelus à Virgine, cùm illa concepti Regis impulsu rapitur in domum Zachariæ: *Abiit in montana, cum festinatione in Ciuitatem Iuda, & intrauit domum Zachariæ.* Luc. 1. v. 39 (Luc. 1. v. 39.) Festinabat diuinus Princeps, amicissimo *Priuato* visitando. Ardebat, inquiunt Interpretes, in Ioanne, peccati maculam Christus abolere: & Sancti Spiritûs, in illo domicilium exornare. Parum id: qui enim etiam absens absentem Amicum poterat sanctificare, maius aliquid præsens meditabatur: scilicet sanctificationi honorem illum addere eximium, quem Principis, in *Priuati* domum ingressus afferre solet. D. Thomas Villanoua, in Conc. de Visit. Virg. (D. Tho. Vill.) *Non ergo solummodò sanctificare amicum Christus accelerat: sed etiam honorare: sanctificare quippe ab eo etiam poterat.* Ita ne? non intrat Deus Abrahæ hospitium in Angelo

eximia Abrahæ iuſtitia ſiue ſanctitas hîc expenditur: debet enim iuſtiſſimus eſſe *Priuatus*, in id muneris: effrontis enim foret animi, ſi obnoxius vitio, Principis defectibus auderet oblatrare.

560. *Iniquè tamē Priuatus monebit Principem, ni ipſe à vitio fuerit immunis.* Oſeæ 4.14.

Hinc ad Iſraëlem Deus: *Non viſitabo ſuper filias veſtras, cum fuerint fornicatæ: nec ſuper ſponſas veſtras, cum adulterauerint.* Oſeæ 4.v.14. Id eſt, non puniam filiarum veſtrarum violatores, & ſponſarum veſtrarum mœchos, non caſtigabo. Cauſam reddit ſtatim, de Iſraëlitis locutus: *Quia ipſi cum meretricibus conuerſabantur: & cum effœminatis ſacrificabant.* Ibidem. Vbi benè Ruffinus Pius, poſtquam pœnam delicto proportionatam expendit, quâ legis adulteri domeſticis adulteriis puniuntur: ſic concludit ex ore Dei. *Libidini quippe vincentium ſponſæ veſtræ & filiæ ſubiacebunt; nec apud aliquos Iudices, iſtam ignominiam, vel mariti arguent, vel parentes. Cæterum totum flagitium conſumetur in dedecus, vt de eo ſuperſit nihil ad reatum.* Sed cur iam in terris alienis, & ſub nouo domino commorantes, licèt miſerè ſeruiant: hæc tamen probra; (nullo iure ſeruis illata) non arguant? puto non auderent: quia conſimili vitio ſenſerant ſe pollutos, qui meretricibus & effœminatis dediti, inſuper Idololatræ, adulterârant: Erat itaque hæc miſera captiuitas hinc infauſtiſſima: pergit ideo Ruffinus. *Acutè ergo negata flagitij obiurgatione concluſit, nihil eſſe acerbius, quàm ſub conditione ſeruitutis eiuſmodi conſtitiſſe: in qua extremâ neceſſitudinum flagitia videre pergas, accuſare non audeas.* Sic ferè in cæteris ſolet euenire: vt nemo id incuſare audeat, quo delinquit. Nec pluribus rei planiſſimæ opus eſt. Vnde ergo tu mi Priuate, Principem reprehendas, fortè reprehenſibilior? Increpuit Abraham Regem, cuius olim & hoſpes fuerat & amicus: Geneſ. 21. v.25. Increpuit & Iſaac Regem alium, Geneſ. 26. v.27. cuius vt alibi notaui, fuerat Purpuratus: Vterque verò Princeps, vtrique ſatisfacere non dedignatur: vt ibidem legitur: quia nimirum vterque monitor, iuſtus, conſtans, generoſus: notauit Guillelmus Hamerus ſubdens. *Vterque cum Regibus, iniurias ſuas expoſtulare auſus eſt: neque illi, magnitudine ſua indignum putabant, ſatisfacere.*

Ruffin. Pius. — *Extrema miſeria eſt, vt læſus, accuſare lædentem non poſſis.* — Ruffin. cit. — Gen. 21. 25. — Gen. 26. 27. — Guill. Ham.

561. *Priuatus ſic moneat, vt tamen reuerentiam, non amittat.*

Hoc igitur tanquam notiſſimo, prætermiſſo: id maximopere Priuato meo, in hoc monendi officio velim obſeruandum, vt intùs, foriſque, Amor, modeſtia, reuerentia interim exhibeatur: neque fas, erga Supremum Principem; neque Prudentia, erga potentiam ingenio tumidam, monitionem diſtringit aſperiorem: maximè, dum peruicax obſtinatio Principis non obduruit. Somniârat diuinitus Nabuchodonoſor: ſomniúmque, & ſomnij interpretationem, à ſapientibus ſuis exquirebat: negant iſti, ſe valere, & meritò: erat quippè vtrumque hominibus impoſſibile. Furit interim Princeps, plectendiſque capite, publicandis domibus, bonis, ſubſcribit horum proſcribendis. Edoctus tandem à Deo Daniel, Regem adit; ſubdens poſt alia. *Myſterium quod Rex interrogat, ſapientes, Magi, & Arioli, & Aruſpices nequeunt indicare Regi: ſed eſt Deus in cælo reuelans myſteria.* Cap 2. v.27. Ecce blandiſſimè ſic excuſantur ſapientes, vt regius furor modeſtiſſimè arguatur. Sed pende quæ prudenter ingerit. *Qui reuelat myſteria, oſtendit tibi, quæ ventura ſunt: mihi quoque, non in ſapientia, quæ eſt in me,* (id eſt, non quod in me ſit ſapientia) *plus quàm in cunctis viuentibus, ſacramentum reuelatum eſt: ſed vt interpretatio Regi manifeſta fieret.* Verſ. 29. Quàm ſancta palpatio! quàm pia blandimenta! Regi, tanquam apud Deum, in deliciis habito, inditum hoc myſterium, exponit: ſibíque tantummodò in Regis gratiam, interpretationis inditam reuelationem. Cùm autem nihil ſibi plus ſcientiæ; & aptitudinis, quàm cæteris ineſſe fateatur: ſatis indicat, plus amoris, plus curæ fuiſſe erga Regem, vt reuelationem à Deo conſequeretur. Et quorſum inquis tam ſtudioſæ pietatis prudens adulatio? Vt dum Regem amanter, modeſtè, reuerenter de concepto furore reprehendit: non tam inſultare furiosè quàm prudenter monere videatur. Alludit pulchrè D. Simeon Metaphraſtes Orat. de Trib. Pueris. Vbi ita de Daniele. *Ingreſſus, primùm ſe excuſauit, nolens aliis Chaldæis, &c. Non enim per experientiam, neque quòd ſit ſubtilioris, & ſolertioris ingenij, hoc accidit: ſed noſtri, inquit, miſertus eſt Deus, qui veneramus in mortis periculum: mihi pro mea animâ, & eorum qui ſunt eiuſdem generis, precanti, ſomnium aperuit, & eius expoſitionem. Non minorem enim noſtri doloris, quam tuæ gloriæ curam gerebam, O Rex, qui viros tam bonos, & tam honeſtos, iniquè mori iuſſeras: cùm nihil petiiſſes, quod eſſet humanæ ſapientiæ: ſed hoc ab eis exegiſſes, quod erat ſolius Dei opus.* Eſt hæc vrbana, & prudens admonendi Principis diſpoſitio.

Dan. 2. 27. — Verſ. 29. *Sed prudenter palpare videatur.* — D. Simeon Metaph.

562. *Quàm prudenti ſimulatione opus ſit, ad hanc monitionem.*

Quin imò, opus quandoque eſt aliquid prudenter ſimulare, vt per mutua colloquia, in erroris ſui notitiam, non tam monitus, quàm incidens, videatur Princeps deuenire. In traditiones vanas Phariſæorum, circa cibos, iuſtiſſimè inuectus Chriſtus: ſubdit ad Turbas: *Non quod intrat in os coinquinat hominem, ſed quod procedit ex ore.* Matth. 15. v.11. Tunc ſubditur: *Accedentes diſcipuli dixerunt ei: ſcis quia Phariſæi, audito verbo hoc ſcandalizati ſunt?* Verſ. 12. Sic omnes tumultuariè, (nondum Spiritus ſanctus illos, quàm nullo monitore egeret Dominus, edocuerat) ſic omnes cateruatim, admonitum Principem ſuum cupiebant. Pende tamen vnius Petri verba, poſtquam Chriſtus, Phariſaicam cæcitatem increpuerat. *Reſpondens autem Petrus dixit ei: ediſſere nobis Parabolam iſtam.* Verſ. 15. Ecquæ Parabola, Petre? quæ nam hîc ſimilitudo, quæ figura; quod ænigma? certè nullum: Nec Petrus, aliquid hîc Parabolæ agnoſcebat: ſimulauit, tamen aliquam ſibi in verbis, ignoratiam parabolam videri: cùm enim illa Chriſti ſententia primo aſpectu aliquid non ſolùm contra Phariſæos, ſed etiam contra Moyſis legem, certos nec paucos cibos prohibentem, videretur geſtare: tanquam familiarior Priuatus, & cæteris Adminiſtris longè prudentior, non putauit decorum, palàm Principem admonere, quod dogmate, quaſi legi contrario, ipſe etiam cum condiſcipulis offenderetur: ſed fictâ dubitatione, ad rem quaſi parabolicam diſſerendam, Dominum prouocauit, vt illam recolens Chriſtus, quaſi incidenter notaret, ſi quid in illa veniret corrigendum. Errauit quidem Petrus, nondum vt poſtea illuſtratus, circa perſonam: non tamen poterat prudentiùs aut reuerentiùs, ſi diuino Principi admonitore opus eſſet, admonitionis

Mat. 15. 11. — & v. 12. — & v. 15.

modum

Theophylactus.

modum temperare. Iam capies ibi Theophylactum, *Petrus quia sciebat legem prohibere esum omnium: & timebat dicere Iesu, ex his quæ dixisti offendimur, apparent enim legi aduersa esse: simulat ignorantiam, & interrogat.* Igitur erga humanum Principem, qui monitore non semel eget, tenorem *Priuatus* meus huic similem obseruet. non tamen veto, quandoque, audaciam prudentem.

563. *Quandoque tamen ibi, audacem libertatem admitto, sed prudentem.* Phyloshratus.

Est pulchrum in hanc rem colloquium illud Apollonii Philosophi, & Titi Imperatoris, apud Philostratum lib. 6. *Ego autem Demetrium sodalem meum tibi comitem adiungam, qui tecum erit, vbicunque volueris, & quod bonum Principem facere deceat, edocebit. Tum Titus: qualis, inquit, est eius viri, quem dicis Sapientia? audacia pollet, inquit Apollonius, vera loquendi, quam nullius rei timor impedit, habet enim vim quandam Cynicam. Cùm Titus, audito canis nomine turbaretur: Telemachus, inquit Apollonius, apud Homerum inducitur, canes petens duos, qui tanquam famuli ipsum comitarentur, ad Itacensium concionem proficiscentem, quamuis hi comites rationis essent expertes: tibi vero canis aderis, qui pro te aduersùs alios, & contrà te ipsum, si quando peccaueris, sapienter tamen, & non sine ratione latrabit. Ducam igitur, Titus inquit, pedisse quum canem: concedamque non latrare tantum, sed etiam mordere, quoties iniuste aliquid me facientem animaduerterit.*

Princeps patienter, non solùm latrātem sed etiā mordentem, audiat prudentem monitorem.

Hæc rationis audacia, quando necessaria, nec amori nec reuerentiæ opponitur: nihil impudentiæ habet sapiens iste canis, qui vt fidelis amator passim latrans pro Principe suo, sic contra illum quandoque latrat amantior: Fælix Princeps, qui iustissimi instar Titi, (quem delitias suas Orbis appellauit) non solùm latratus, sed morsus pios, lubens admittit: dentes hos fidelissimos, quasi medicam Canis linguam contracto si fortè vulneri, aucupatus. Bene Origenes Homil. 1. in cap. 16. Matth. vbi Christus quærit à Discipulis: *quem dicunt homines esse filium Hominis?* Discipulíque vulgi sententias exponunt; sic ad nos. *Vt nos, qui volumus esse Christi imitatores, semper scrutemur, qualis opinio sit apud homines de nobis. quod multum proficit nobis, vt si quid mali dicitur de nobis, occasiones mali illius omnimodo præcidamus a nobis: si quid autem dicitur boni, eius occasiones amplius augeamus. Sed & discipuli Episcoporum, Apostolorum instruuntur exemplo, vt qualescunque opiniones de Episcopis suis audierint foras, eas referant.* Quæ si Principibus, eorumque Priuatis perinde obseruentur: fælicissimas Orbi Respublicas restituent.

Matth. 16.

Origenes. *Monitio, quæ danda, quæ audienda.*

564. *Princeps, iustum monitorem castigans, se traducit.*

Tandem si hoc amore, hâc reuerentiâ, prudenti hâc audaciâ vsus, à Principe tamen propterea durè excipiaris, tracteris immaniter: non tàm te punitum doleas, quàm illius traducti miserere. Modestissimâ audaciâ Herodem admonebat Ioannes, ob incestuosam amicam, dicens: *Non licet tibi habere eam.* Matth. 14. v. 4. Furit Tyrannus, & monitorem obtruncat: de quo D. Andreas Cretensis Orat. de Bapt. ita ad Herodem. *Verum enim verò, si quid de tuis malis in te latens erat antea occultatum, id aduersùs te manifestum reddidisti, cæde aperiens flagitium, cuius arguebaris. quid enim necesse erat, eum, qui in occulto prohibebat adulterare, reprehendentem ducere in triumphum. Tu igitur dum eadem facis, argueris libidinis.* Tota illa pompa, tota Scena quâ Minister, probatæ apud Populum innocentiæ, à Principe deiicitur: nil aliud, quàm infaustissimam eiusdemmet famæ apparat tragœdiam. quod, quò frequentiùs, oculis cernitur; eò parciùs calamum requirit.

Matth. 13.

D. Andr. Cret.

X.

Priuatus sic Regi subdatur: vt nihil, absque huius arbitrio condat: aliunde suspectus & perniciosissimus futurus.

AB hoc amore vigili, apud quemuis: à temperatâ verò etiam monitione, solummodo, apud optimum Principem, familiariùs se insinuat *Priuatus*, altiores acceptæ gratiæ radices iacit, & regiæ penitiùs illapsus amicitiæ, rerum tandem potentiæ tenet fastigium. Sed, hoc opus, hic labor est: ne tumor, ne arrogantia, ad libitum cuncta disponendi increscat: ne se non solùm, in dominationis consortium, (quod superbiæ fuerit) sed insuper in Principis ipsius dominationem, (quod stultitiæ furentis est) crediderit euectum. Pauci, quos, amauit Prudentia, quos ad Cœlum Modestia euexit, vitârunt hunc scopulum. Et quidem de Principis illius insaniâ, apud quem non valet *Priuatus*, sed apud *Priuatum* ipse valere visus: nec tam instrumento vsus, quàm instrumentum irridetur, admotus: infra dicàm. Huius est loci, Priuatum meum instituere. Se semper & vbique Principis sui, recolat Administrum, nihil condat, nihil donet, vltrà meri, licet præcipui instrumenti, conditionem, tractandi scilicet regio arbitrio, non supremum hoc arbitrium tractaturi. Nouerit, nunquam sibi quantumuis *priuatissimo* partes aliquas dari à Principe, sed commendari, & ad huius perpetuò nutum disponendas. Sic diuina (quam passim Catholicis scribens, aduoco in exemplar) Politica procedit. Importunis Pharisæis, cæleste signum petentibus à Christo, respondet ipse. *Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei.* Matth. 12. v. 39. Cùm ab ipso peterent, pressiùs responsurus videbatur: *signum non dabo ei.* maluit tamen oculatissimus dicere, *non dabitur:* quia vt non à se, sic etiam nec à *Priuatis* suis, (quibus signorum commiserat potestatem) absque eiusdemmet nutu, nouerat exhibenda: absoluit itaque obiter Aulam suam ab humanæ Aulæ suspitione, vbi quandoque *Priuatus* id concedit, quod Rex ipse putauit denegandum. Iam verò pseudo signa, aut falsi, aut quod perinde est, vsurpati sigilli, quàm ab Aulâ diuina exularent?

565. *Priuatus absque Regis arbitrio nil disponat.*

Huiusque modestia, securis reddat Principem.

Matth. 12. v. 39.

566. Ioan. 11. v. 9.

Cogitabat Christus Bethaniam, Lazarum suscitaturus: obstrepunt tunc Discipuli dissuadentes, duros, durioris Iudææ lapides opponunt: ad quos tunc ille. *Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit: quia lucem huius Mundi videt: si autem ambulauerit in nocte, offendit: quia lux non est in eo.* Ioan. 11. v. 9. Si nonnullis Interpretibus, cum Ruperto ibi, assentias: fateberis timorem ab Apo-

stolis

stolis sic auferri: vtpote qui sub ipso die, sub ipso Sole Christo, tuti degebant. bene est, quid tamen in hanc rem, duodecim illa horarum commemoratio? Voluit sane cælestem, Priuatos suos, Politicem edocere, vt se duodenos, duodecim diurnis horis componerent, & quorsum id? audi Rupertum, *Quid*, inquit, *mihi consilium datis: cum non vos me, sed ego vos elegerim duodecim: & sic debeatis sequi nutum Magistri, sicut sequuntur horæ motum Solis, siue diei?* Quàm dissonum sonaret illud Horologium, quo non solem horæ, sed Sol horas sequeretur! vbi cymbali delirae pulsationes, Solis motui non attemperarentur: sed Sol quasi insano crepitu excitatus, ad earundem arbitrium moueretur! quàm foret monstrosum horologium illud suis lineis descriptum, vbi non Sol vmbræ, sed vmbra Soli præiret! Tale puta Palatium, vbi Princeps, *Priuato* ministraret: vbi ad huius nutum, ille moueretur: vbi augusta claritas, in vmbram, sequendo subdito degeneraret. O vmbratilem dignitatem! Et bene diurnæ, non verò nocturnæ horæ huc aduocantur: audiendus ibi Eusebius Gallicanus, *quia hora estis, diem sequimini, hoc enim horarum proprium est, si quis autem hunc diem sequatur, si quis in eo ambulauerit, si quis mihi crediderit, non offendit, &c. Si autem in nocte ambulauerit, errorem & tenebrarum Principem secutus fuerit: offendet & cadet: quare? quia lux non est in eo, quia erroris tenebræ obcæcauerunt oculos eius.* Sic igitur sequere Principis tui radios, ne vnquam cæcis erroribus, & occultis designiis inuolutus nocturnus videaris. Sic diurnus sequere, ne larua vmbratilis, ne nocturnum phantasma, occurrenti fortasse Populo videaris. Sed hæc alia iam querela est, nec huius loci. Redeo.

Rupert. *Ab omnium horologium esset Aula, vbi Principes Ministros sequeretur, non è contra.*

Ministri solaris Principis sunt vmbra, & hora.

Euseb. Gallic. *Sed diurna.*

567\. Heroicæ confessionis præmium, Petrus accepturus audit à Christo. *Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis*, Matth. 16. v. 19. Si accipit cælorum claues, quid illi vltrà cum terra? quorsum hic ligat, hic soluit: si illic tota potestas exercetur? quòd si non Petrus, sed Christus in cælis ligat vel soluit, quæ in terris à Petro ligantur, vel soluuntur: vnde nam *Priuatus* tantus, re verâ cælorum claues dicatur accepisse? Meritissimò quidem, quia quæ in terris Petrus agit, per ordinem ad cælestia capiuntur: vnde in cælis iam agere videtur, qui quæ recta ex officio hic agit, eò committit, à Christo infallibiliter peragenda: non poterat res aliter euenire, nec aliter Diuinus noster Princeps etiam penitissimo *Priuato* delegat potestatem. Ignarus torpor, non gratia Principis liberalis est, sic negotia Priuato committere grauiora, vt apud hunc conclusa existimentur: ministrat fidelior, librat *Priuatus* negotium longè attentior, quod nouerit tandem Principi deferendum. Caietanus ibi, post multa. *Admiranda efficacia, vt ligatio à Petro facta super terram penetret cælos: sed tam stupenda efficacia, quemadmodum terribilis ligatio à Petro, ita librandi traditur ab ipso Petro colligere siquidem hinc potest, & debet, quòd non ad libitum ligat super terram, sed tunc tantùm, quando vinculum ratificatur in cælis: & similiter nō ad libitū soluit, sed tunc tantùm, quando solutio rata est in cælis: alioqui voluntarias, imo etiam malas Petri ligationes, & solutiones, cælestis cogeretur curia approbare: quod est non solum stultum, sed blasphemum.* Sic ergo commissam sibi credat potestatem meus *Priuatus*, quasi à Principe suo manuducendam: nec sibi, sic credat Dominum mancipatum, quasi necessariò rescriptis suis pessimis assen urum: claues gerat, sed quæ ad regium tantummodò nutum claudant, vel aperiant. Nouerant infaustæ illæ virgines & imprudentes, quàm ab hoc immunis vitio aula sancta: ideo clauso iam ostio expulsæ, clamant: *Domine Domine aperi nobis.* Matth. 25. v. 11. ipsum Regem, ipsum Sponsum interpellant: nec importunis clamoribus cessant, fastidium magis, quàm commiserationem commouere: sed quid facerent! Oraturis, solus Princeps orandus veniebat: non ibi seruulus seducendus, non corrumpendus ianitor, non *Priuatus* excelsior aduocandus: Seræ illæ, solius nutu Principis, licèt horum ministerio reserandæ, is ergo vnus contenditur exorandus. Misera est illa Aula, vbi inscio sæpe, & quandoque inuito Principe, solius *Priuati* arbitrio, honorum ostia clauduntur, vel reserantur, perindeque pœnarum etiam diplomata expediuntur.

Matt. 16. 19. *Priuatus gratia quæque disponit, sed non absoluit absque Principe.*

Caietan.

Negotiorum claues, Priuato, sed ex Principis nutu tradantur vtenda.

Matt. 25. 11.

568\. Indutus diuino zelo Elias, sic ad Populum: *Viuit Dominus in cuius conspectu sto, si erit annis his, ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* 3. Reg. 17. v. 1. nil prætuptius intonari posse videbatur: ideo bene Chrysostomus, tom. 1. Homil. 2. de Elia: *claues cæli, fit sermo Eliæ sanctissimi.* Neque mirum, quando his dictis, triennium totum cælos obserauit: tandem post, nunciat afflicto Achab: *iunge currum tuum, & descende, ne occupet te pluuia.* ibid. cap. 18. v. 44. Dictum, factum: ecce turbines, & reseratis cælis, pluuia grandis: An non in terris positus Elias, iam instar futuri Petri, claues cæli, gestâsse præsumendus? Sed quid hoc rei. Vterque quidem apud Deum, licet diuerso tempore *Priuatus*, longè tamen diuersi ordinis: vt enim giganti Infans, sic Petro cedit Elias: vnde igitur cùm non nisi ratificanda in Cælis, Petro concedantur: absolutius quædã Eliæ videntur concessa: vt non claues cæli gerere solùm: sed insuper sermonem suum clauẽ eiusdem fuisse, absque recursu ad Principem cognoscatur? falleris: nihil nisi ad Principis sui arbitrium expedit Elias: ideo obseraturus ait: *Viuit Dominus in cuius conspectu sum:* nihil latenter, nihil subdolè, nihil nisi præsente Domino decernebat; ideo reseraturus, *pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua* 18. v. 42. eâ nimirum corporis compositione Principem suũ orans, quâ (vt alibi dixi) Infantes, in vtero humillimi efformantur: ne tam suo nutu quam è Dominicâ dextrâ, fœcunditas effusa nosceretur. Hoc est quidem apud Principem ministrare, hoc est valere: si iusta, ab illo, *Priuatus* impetret, non imperet misello. Bene ergo citatus Chrysostomus. *Iubet & clauditur, orat postmodum & aperitur: claudit inquam cælum & aperit, ligat & soluit, reserat quod conclusit: vt Sanctorum meritum monstraretur, non solum in terris posse, quod voluit, sed & in cælestibus posse impetrare, quodcunque petierit.* Nil ergo infæliciùs Aulæ venire potest, quàm si contra, *à Priuato* suo, quædam Princeps dicatur impetrare.

3. Reg. 17. 1.

D. Chrysost.

cap. 18. v. 44.

Priuatus licet potentissimus, nihil absente Principe, disponit.

D. Chrysost.

569\. Hinc illud Christi Domini beneficentiam erga inimicos, de Patris Dei exemplo commendantis: *qui Solem suum oriri facit super bonos & malos.* Matth. 5. v. 45. *& pluit super Iustos, & iniustos,*

Matth. 5. 45. Priuatus, *Principis, ad nutum ipsi subditus.*

iustos. ibidem. Notandum enim discrimen, quo quasi despecto Pluuiæ dominio, solummodo *Solem suum* appellauit & cur ita? Creauit Dominus Solem, insensibilium Creaturarum nobilissimum: vnde, *in Sole posuit tabernaculum suum:* Psalm. 18. v. 5. vel vt clariùs in hebræo: *Soli posuit tabernaculum suum.* Scilicet, vt quasi è tribunali, purpureis horis præsideret, lucis quæstor, prætor diei; meritò ergo illum appellat *suum* id est sibi subiectum, & semper in officio contentum: quasi nec leuissimam lucis stillam, absque supremi Principis ordine dispenset. Neque suspitio hominibus oriretur, ne fortè minister tantus, accepto imperio tumidus superbiret, vel aliquid, inscio Principe, molliretur: quod neutiquam de abiectiori pluuiâ præsumendum. Sed vt nullum præclarius, erga Principem obsequium præstare potest Minister, quàm semper ab eius nutu dependere: sic inuicem non aliunde cumulatius à Principe compensatur. Proinde cùm Sol, in hominum beneficium, oriri & occidere noscatur, solùm in præsenti loco *oriri* dicitur: vt sic fidelis Minister, nunquam mori intelligatur: occasus Solis, noua cuna est, quæ Antipodis fulgentior renascitur. Securus degat *Priuatus* sic procedens: non occidet, non occumbet: depositus si fortè, emeriti potiùs gloriam, quàm dedecus expulsi sustinebit: quieti potiùs necessariæ traditus: quàm ignauo otio eiectus deputabitur.

Ps. 18. v. 5.

Sic fidelis Priuatus nunquam perit.

570. Exhibuit se Deus, quod nunquam alibi, Proceribus Israel, pene manifestum, in throno Saphirinis lateribus, & picturâ asaroticâ constrato & cum illi, nihil futurum priùs videretur, quàm quos sibi obsequentes cupiebat, longo sermone in debitam obedientiam exhortari: ad Moysem solummodò hæc pauca dirigit: *Ascende ad me in montem, & esto ibi, daboque tibi tabulas lapideas, & legem, ac mandata, quæ scripsi, vt doceas eos.* Exod. 24. v. 12. quasi verò propterea non occideret Deus, appropinquãtes Proceres, (quod sæpe alibi euenerat, non vt illos alloqueretur, sed vt testes habiti, ad Moysem, sermonis, haberentur, & vnde, inquis id ita necessarium? Authoritati credo suæ, & bonæ Priuati famæ consulebat. Legitimum se Principem exhibet, dum se ipsissimum exhibet legislatorem, dum sua, suóque ductu mandata protestatur: Priuatum coram tot testibus à suspitione liberat, ne quid suo arbitrio condidisse præsumatur. Pulchrè Oleaster ibi. *Ne suspectam haberent legem, manibus delatam Moysis, prædicit Dominus, se eam illi daturum.* Semper enim suspectus *Priuatus*, de nouo circa gubernacula molimine: nihilque fastidiosius capiunt Populi, quàm quod ad huius libitum, non ex Principis arbitrio, sibi præsumunt aggrauari. Et quidem propterea instar Solis, oriri potius semper visus, quàm mori aliquando, optimus *Priuatus* Moyses, (etiam in ipsa morte) visus est: dicitur enim postea: *Mortuus est Moyses iubente Domino.* Deuter. 34. v. 5. iussu quidem Domini moritur, sed quo instrumento? Lxx. *Mortuus est per verbum Domini.* ita ne? Verbo Domini, quo cuncta firmantur, quo vita funditur, Moyses occiditur? imò propterea: audiendus D. Ambros. lib. 2. de Cain, cap. 2. *Mortuus quidem legitur, sed per Verbum Domini mortuus. per quod facta sunt omnia: verbo autem Dei, Cæli firmati sunt: per verbum igitur Dei, non lapsus operis sed firmamentum est.* vt sic bonus *Priuatus*, Admini-

Exod. 24. 12.

Oleaster. *Suspectus est Priuatus, si quid extra libitũ Principis agere præsumatur.*

Deuter. 34. v. 5

Immortalis, si ad ipsius arbitrium, cuncta disponit.

D. Ambros.

ster sic fidelis, non tàm morti, quàm æternitati traditus videatur. Et benè addit Textus: *Non cognouit homo sepulchrum eius.* Vbi iterum Ambrosius: *Nemo scit sepulturam Moysis, quia vitam eius omnes nouerunt.* Ne scilicet putarent, morti potiùs damnatum, quàm quieti emeritum assignari *Priuatum* illum, cuius omnes dum viueret, rationes, ad Principis sui nutum dispositæ, fidelissimum semper ostentârant.

Idem.

571. Congratulatus Pharao, *Priuati* sui lætitiæ, & agnitis exceptisque fratribus applaudens, addit Textus: *Dixitque ad Ioseph, vt imperaret fratribus suis, dicens: onerantes iumenta vestra, ite in terram Chanaan, & tollite inde Patrem vestrum, & cognationem, & venite ad me: & ego dabo vobis omnia bona Ægypti.* Genes. 45. v. 17. quòd tam munificus polliceatur, sic curet Patris, cognationísque aduentum, mihi non mirum: debebat hoc officij Princeps optimo Administro: quorsum tamen minima illa curat de Iumentis onerandis, de frumento conuehendo? An non satis Ioseph ipse rem prouideret? Nouerat Pharao iam expertus, *Priuati* sui modestiam singularem: nouerat è publicis bonis, nihil absque Regis arbitrio dispensaturum vbiuis, nedum hic, vbi in suos suspectus de vehementiori affectu putari poterat: hærenti igitur præcurrit animando. Oleaster ibi post alia. *Considera Ioseph modestiam, qui sine Rege non audet aliquid Patri mittere.* Tale est illud Christi, cõuiuas suos oppipare excipientis: *Accepit ergo Iesus panes, & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus.* Ioan. 6. v. 11. Nam vt alibi dixi, non tam ipse immediatè, quàm Discipuli distribuebant, in quorum etiam manibus (à rapacitate Ministrorum scilicet alienis) etiam excreuisse panes, aliqui putant: solus tamen distribuisse dicitur Princeps, quia non solùm dona, sed etiam distribuendi ordinem præscribebat, optima scilicet hæc Principum attentio; & Priuatorum optima attemperatio, præscriptum sibi ordinem non excedens, nec aliquid extra Principis arbitrium disponens.

Genes. 45. 17

Aliquando, nec etiã parua det Priuatus, inscio Principe.

Oleaster.

Ioan. 6. v. 11.

572. Dant perfidi Hebræi thura vitulo; quo naribus diuinis iram accendunt: ducatũ Deus Populo negat suum: *ne fortè*, inquit, *disperdam te in via.* Exod. 33. v. 3. solùmque comitantem Angelum pollicetur. Reclamat Moyses: *Si non tu ipse præcedas, non educas nos de loco isto.* v. 15. O quid oras Moyses? non ne quo ardentior, Populum, Deus amat, quàm Angelus, eò magis zelotypus, funestius pertractabit delinquentem? Non ne ab irâ suâ iustissimâ, sibi præcauet Deus, ne gentem rebellem disperdere in viâ cogeretur? Quid ergo Angelum ductorem respuis, non ita exasperatum, si delinquat? Sciebat optimè Moyses, Angeli huius in ministerio suo exactionem, nec leuem vnguẽ à cõmissis sibi partibus, extra Regis sui arbitriũ, deuiaturũ: at sanè Angelus, Iustitiæ solius, non misericordiæ susceperat delegationẽ, de quo suprà, *non dimittet tibi, cũ peccaueris.* Exod. 23. v. 21. Prudenter igitur mauult, ipsummet diuinum Regem secum ducere, qui etiam si sæuiùs indignaretur, at poterat ibidem misereri: quàm Angelum habere ductorem, qui licèt in pœnis mitior, nihil tamen ad misericordiã iuris obtinebat: & aliũde de optimi *Priuati* indole, nihil sibi Iuris arrogaturus, præter id quod à Principe acceperat. Nunc capies ibi Oleastrum. *Tu Domine Deus meus, cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis: non sic autẽ*

Exod. 33. 3.

Bonus Priuatus, cõmissionem sibi factam, non excedit.

Exod. 23. v. 21.

Oleaster.

Angelus, qui nomen tuum habet: qui potestatem habet vt puniat, non autem vt parcat. Ideo S. Moyses, sic suspectum habet Angelorum ducatum, vt dicat, nisi, &c. Frustra quippè à diuinis Administris speraret, præscriptum vel leuissime ordinem excedendum.

573. *Nec Principis Primogenitus, quid extra Patris arbitrium concedat.*

Non ergo pudeat *Priuatum* Principis, quorum Dei etiam non suppudet *Priuatos*: sciat, ad Regis sui arbitrium cuncta deferenda: Nec minui authoritatem propriam, dum augustior Principi reseruatur: aut cur non faciat, quod etiam Primogenitos Principum fecisse legimus? Ad seditiosè tumultuantes Panoniæ legiones Drusum filium misit Tiberius: militibúsque multa & fermè iniqua postulantibus, subdit Cornelius Tacitus Annal. 1. (Cornel. Tacit.) *Ad ea Drusus cùm arbitrium Senatus & Patris obtenderet, clamore turbatur. Cur venires neque augendis Militum stipendiis, neque adleuandis laboribus: denique nulla benefaciendi licentiâ? at Hercule verbera, & necem cunctis permitti. Tiberium olim, nomine Augusti, desideria legionum frustrari solitum: easdem artes Drusum retulisse: Nunquam-ne ad se, nisi filios familiarum venturos, &c.* Et tamen constitit Drusus, constiterat pridem Tiberius, nec minis, nec tumultu perterritus militari, nil præter Principis Patris arbitrium, permissurus. Quid? ipse Christus, petentibus primas sedes discipulis, respondet: *Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam & sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Matth. 20. v. 23. (Mat. 20. 23.) Maluit enim piissimus Dominus, æqualitatem potentiæ dissimulare: & quodammodò cum Angelo Moysis, & Druso limitatum se ad Calicem passionis, & verbera infligenda, videri: quàm quâ homo filius, aliquid inconsulto Patre, præsumi concessurus. Et audeat *Priuatus* erga Principem, emancipari se potiùs, quàm filij familiâs loco gerere? delyrium hoc, imò nefas, & Principis permittentis, & perpetrantis Priuati. At quale fuerit si iste illum, loco filiifam. habuerit?

574. *Quàm indignè se Priuato suo, Princeps subiiciat.*

Erat vt nosti *Surena* Persicus, (id est, primarius Administer, & ab Assuero secundus, & vno verbo, *Priuatus*) Aman perfidus: quo apud Regem, insidias contra Israëlem machinante, subditur statim. *Tulit ergo Rex annulum quo vtebatur, De manu suâ, & dedit eum Aman, &c. dixitque, de Populo age, quod tibi placet.* Esth. 3. v. 10. (Esth. 3. 10.) Dictauit ergo Aman epistolam illam, Populo immanissimam, sibi honorificentissimam, quæ toto Cap. 13. habetur: & quasi non suis, sed Regis verbis scriptam, regio annulo sigillari munitam, promulgauit. Vbi benè Dionysius, ad illud: (Dionys. Quàm sue in totius imperij ruinam.) *Virum qui sapientiâ & fide cæteros præcellebat, & erat post Regem secundus, Aman nomine, indicauit mihi, &c.* Sic scribit. *Hoc Aman ex nomine Regis scripsit de seipso, cùm tamen in vitiosis, & passionatis non sit vera prudentia, quæ est virtus, neque sapientia salutaris, quamuis possit esse in eis versutia, &c. Ecce scelestissimus Aman, quam apparenter dictauit istam epistolam, & suam celauit ferocitatem atque inuidiam. Quem in hoc multi vsque in præsens sequuntur, qui sub specie boni & optimi, mala, & pessima regunt, proponunt, & practicant.* Sequuntur quidem hoc *Priuati* multi, sed pari & Regni & Regis damno, quod Assuerus, eiúsque Monarchia subiret, ni Deus, Israëli consulens, obstaret conatibus. Quæris, vndè tam stulta Assuero facilitas, vt sigillarem annulum, pro libito abutendum, *Priuato* traderet? Respondeo id euenisse, quòd longè stultior Princeps, *Priuatum* loco Patris coleret, quòd Aman callidus, Assuerum loco filiifam. gubernaret. Ideo in eadem epist. vers. 6. *Iussimus, vt quoscunque Aman, (qui omnibus Prouinciis præpositus est, & secundus à Rege, & quem Patris loco colimus) monstrauerit: cum coniugibus ac liberis deleantur.* Actum quippè de Regno, vbi Rex *Priuati* sui gerit pupillum, vbi *Priuatus* ad libitum disponit.

VI.

Zelotypiam amantis, & amati Principis, nescit Priuati probi, indoles generosa.

Sed etiam, in modesto *Priuato*, quem neque arrogantia inflat, neque absoluta, vsurpatæ dominationis, potentia corrumpit, næuus quidam frequenter reperitur, quo zelotypus, Principis sui amorem sibi vni sollicitat impensum, neque in alios, arctiorem hanc beneuolentiam diffusam patitur: munera, beneficia, honores, liberalissimè communicandos cæteris solicitabit: regium amorem tamen, exhauriendum sibi, curat anxius. Est hæc angustæ mentis, & delusi consilij, noxa fœda. Si solus amare Principem contendis, iam minus amas, cui consimiles inuides amatores: at si plures, vt dicis, Principis tui expetis amatores: iam necessariò hunc expetis redamantem: nescit amor non esse mutuus, ni sit fucatus: Falluntur (& Principes maximè) quique se arbitrantur amari, cùm non ament: aut ergo decipis, aut deciperis, dum Principem amabilem reddere satagis, amandum Proceribus curas, quem interim amantem prohibes, beneuolum retardas. Adde quòd ipsa zelotypiâ, augustæ Principis indoli derogas, quam breuem, quam limitatam traducis, dum times diffundendam: quasi adimendum tibi necessariò quidquid aliis concedatur: generosius de Principe tuo cogites necesse est. capacius est regale pectus, quàm impleatur te vno: fons perennior, quàm qui singulari vasculo exhauriatur: multum de Deo participat Princeps optimus: ab illo sub debitâ proportione, hunc metire: ab illius *Priuatis* disce, qualem te Priuatum in re amoris, erga Principem tuum sis gesturus. Bene Gellibertus (Gellibert.) serm. 19. de medijs diuini ferculi charitate constratis, Cant. 3. v. 10. sic scribit: (Cant. 3. 10. Charitas, omnia habet communia.) *Charitas non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, & vt sic dicam super inæqualitate: congaudet autem veritati: priuatum autem non cogitat, medio quodam & communi lætatur: quæ sua sunt non quærit, sed quæ Christi Iesu: etiam in omnibus, gloriam vel optat, vel amat: communis est Christus, mediator enim est, & ideo eius non sunt, quæ media non sunt, sed in partem se restringunt. Quid tu liuore, Christum vis in partem contrahere: auaram vis esse gratiam Spiritus, cuius circa te solum optas beneficia restringi? Sine vt excrescat, & exuberet, & effundat se supra omnem carnem Spiritus Domini, & repleat Orbem terrarum: noli communem omnibus beneficentiam, intra cordis*

575. *Priuati error, quem Principis exornat zelotypia.*

tui

tui angustias incarcerare. Sic fere, quantùm materiæ diuersitas patitur, in re nostrâ.

576. Est certè, Dei *Priuatus*, & primarius administer, Iustus ille, quem tot titulis in Cant. celebrat idem Salomon: qui tamen citato Cap. dum Principem suum suspirat absentem, sic apud omnes quærit, sic interrogat, *num quem diligit anima mea vidistis?* v. 3. vt etiam dotes illas amabilissimâ subiungat Cap. 5. quibus diuinus Princeps agnosci posset. Vtrumque in *Priuato*, non ita obuium poterat putari: & quòd abesse, à Principe suo, sustineret: & quòd illum, apud alios, sic quæreret, quasi ab his & inuentum, & amatum exoptaret, aut saltem inueniendum & amandum inuitaret: Sed erat indolis *Priuatus* optimæ, erat egregiis virtutibus ornata Anima; quæ etiam dum sub sponsæ metaphorâ celebratur, ignorat Zelotypiam: Idem Gellibertus serm. 5. *Delitiæ eius sunt, tecum esse dilectum suum: non inuidet, non zelatur: dilectum suum, omnium vult esse dilectum: ideo apud omnes quærit, vt illum apud omnes, aut inueniat, aut inuitet. quærit enim apud illos Iesum, quorum quærit profectum in ipso.* Talem te erga Principem tuum gere, mi *Priuate*: opta omnibus amabilem, & amatum, vt eodem inuicem proficiant amatore.

Iustus, diuini amoris non capit Zelotypia.
Cant. 3. v. 3.
Gellibertus.

577. Et vide quæso, quid addat fœlix hæc anima, ingenua Administra: *Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum, vt nuntietis ei, quia amore langueo*, Cant 5. v. 8. Nouerat Angelorum Regina, sciebat Maria (hanc intelligit ibi Rupertus:) quàm probè, vulnerantem ipsius charitatem, nouisset æternus Princeps, neque nuntiis egere extraneis, qui proprium, diligentis dilectæ, pectus penetrabat. Quid ergo nuntios expedit, parat legationem? audi Rupertum ibi. lib. 5, *Nunquid ille dilectus nesciebat amorem languentis, siue languorem amantis, nisi annuntiaretur ei? &c. Quorsum ergo tendit, quid efficit hæc adiuratio? eò nimirum, vt percussa percutiat, vulnerata vulneret Mater familias, salubriúmque vulnerum suorum aliquid, & si non statim omnibus, at saltem iam aliquibus eorum, experimentum efficiat: vt audientes filiæ, vel sentientes in Matre. tantum vita futuræ, quæ non videtur, desiderium; in mente præsentiant & ipsæ, talem illum esse dilectum, vt iure propter eum fastidiat quiuis vel quæuis hoc præsens sæculum: iámque inter moras præsentis vitæ, magis ac magis cupiant, eum agnoscere, saltem per speculum, saltem in ænigmate.* quàm alienus animus, à Zelotypia! Dilectum Regem suum, omnibus vult esse dilectum, Regina piissimè prudens: non inuidet Amatores, Amato: quia inter cordis sui angustias, non vult dilecti gratiam incarcerare. Nuntios mittit, qui ex colloquio & commercio diuini Principis Domini communis, amorem mutuum hauriant, & infigant. Tentatoris cuiusdam Dæmonis partes agit Priuatus ille, qui colloquia amica, familiaria Principis commercia, multis inuidet: ne ex consuetudine Amor, & fiducia ex amore oriatur. Tale illud subdoli serpentis ad Christum: *Dic vt lapides isti, panes fiant.* Matth. 4. v. 3. non dixit, *dic lapidibus*: Scilicet ad eosdem lapides directo sermone: sed *dicit lapides*: quasi se internuntium cupiat, verbis Domini, pro libito suo interpolandis aut refingendis: Timuit ne si lapides, ad commercium Christi, assumpti quodammodo auriti redderentur, etiam rumperentur in buccas, Tentatoris insidiis detegendis, & dilecto iam familiarius Principi, admonendo. Non *Priuatus*, sed hostis, sed tentator est Principis, quisquis sic agit: Suspectus venit, quasi timeat se prodi, si negato familiariori colloquio Principis, subditorúmque, amori mutuo, obstrepit importunus.

Cant. 5. v. 8.
B. Virgo Maria perfectæ charitatis Magistra.
Rupertus.
Dæmoniaci ingenij est, Priuatum illo, qui Principis colloquia, amicis inuidet?
Matt. 4. v. 3.

Defunctus Mendicus Lazarus, *ab Angelis in sinum Abrahæ*, Luc 16, v. 22. portatur. Erat lo- 578.
cus ille tranquillitatis placidæ, serenæ quietis, æternæ beatitudinis delibatio; cœlestis gloriæ, pro temporis conditione, imitamentum: vbi Iusti, quasi sub Abraham præside, quali quali, diuini Principis, commercio, re ipsâ hilares; sed meliorum spe, longè hilariores, fæliciter quiescebant. Dubitant Interpretes, cur huic Aulæ, non Adam, non Seth, non Noe, non alius quisque Priscorum, sed vnus Abraham recentior dicatur præsidere. An quia Pater multarum gentium electus? non mihi satis id visum: nam & totius, Protoplastus Adam: & restaurati Orbis Noe Pater appellatur. Quid ergo? fuerat sic Dei *Priuatus* Abraham, vt sæpe diximus, qui hanc priuatim præ cæteris egregiam haberet indolem, vt beneficia & terrena bona, quæ à Deo acceperat, non sibi vni asseruaret, sed communia omnibus efficeret. Ergo in Aula illa, vbi non iam terrena bona, sed diuini Principis familiaritas, & penitior amor erat communicandus, etiam dispensatoris partes agit, & vt in terris hospites; etiam hîc in contubernium, & Principis familiaritatem admittit, & deducit venientes Quid ita? quia talis erat ingenii *Priuatus* optimus, vt vix se beatum crederet, si solummodò terrena beneficia, & non etiam Amorem, Principis que familiaritatem cæteris partiretur. Nunc capies D. Chrysologum ibi, serm. 121. *Non immerito, fratres, suâ nunc omnes sanctos suscipit in requie, & in ipsâ cælesti beatitudine fungitur dispensatoris officio, qui dum semper hic suscipit peregrinos & pauperes: ipsummet cum Angelis suscipere Deum, ipsum subtenterio suo, videre hospitem meruit, quem semper habuit largitorem. Et reuerâ fratres, parum se beatum credidit, si in ipsâ supernâ gloriâ, ab hospitalitatis pio cessaret officio: qui hic, humana bona, crudelem se credidit, cuiquam si negaret.* Vt ergo crudelis fores *Priuatus* si Principis beneficia cæteris non dares: sic minùs beatum te puta, si eidem familiaritatis regiæ gloriam inuideas.

Luc. 16. v. 22.
Generosus Priuatus Amorem Principis sui, omnibus vult esse communem.
D. Petrus Chrysol.

Dixi suprà non semel, quàm largus benefi- 579.
ciorum Moyses Dei *Priuatus*, erga Populum: quámque Dei munera, non sibi, sed genti suæ procurabat: Nunc pende quid ipse ad Populum: *Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus vnus est: diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ fortitudine tuâ.* Deuter. 6. v. 4. quasi dicat; licèt vnus, non tamen à me vno tantùm amari debet: vos omnes, eiusdem cupio amatores, vt redamantem pariter habeatis. quid ita? quia iniquus *Priuatus*, si solùm Principis sui beneficentiam, non etiam beneuolentiam vellet communem. Hinc Chrysologus serm. 147 post alia de Deo Moysem exaltante, sic concludit. *Per omnes virtutum*

Deut. 6. v. 4.
Iniquus foret Priuatus si vt beneficia, sic etiã gratiam Principis, nollet communem.
D. Petr. Chrysol.

coronas ad amicitiam suam promouet, cælestis Regni præstat esse participem & vt ipse sit legislator indulget: totum tamen, vt amaret, accepit: denique tanto esset Dei amore succensus, vt ipse ardenter diligeret, & alios, vt diligerent, sic moneret: diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Explicauit benè Tertul. lib. de Orat. Cap. 3. in verbis illis, quibus dicimus, *Sanctificetur nomen tuum.* Matth. 6. v. 9. id peti, vt nomen Dei, iam satis per se sanctum, in nobis, bono opere sanctificatum resplendeat. Tunc quærens, cur id non exprimamus, dicentes: *Sanctificetur in nobis nomen tuum:* Sic respondet. *Id petimus, vt sanctificetur in nobis, qui in illo summus: simul & in cæteris, quos adhuc gratia Dei expectat: vt & huic præcepto pareamus orandi pro omnibus, etiam pro inimicis nostris: ideóque suspensa enuntiatione non dicentes, in nobis, in omnibus dicimus.* Vt nos ingenuos, non zelotypos, communémque gratiam & amicitiam cælestis Principis omnibus cupientes, exhibeamus.

Tertul. Mat. 6. 19. *Charitas erga inimicos.*

580. Ioan. cap. 21.

Notissima, in hanc rem beneficij communicandi interpellatio illa Petri, pro Ioanne, Ioan cap. 21. Sed non ita obseruatum, quod de amoris inculco communicatione. Euexerat Christus Petrum in *Priuatum*, & traditis ouibus, vicarium constituerat, & tanquam Pastori bono martyrij gloriam pro ouibus prædixerat. Subsequebatur colloquentes Ioannes, & addit Textus: *Hunc ergo cùm vidisset Petrus: dicit Iesu: Domine, hic autem quid?* Vers. 21. Volebat, inquiunt Doctores. Ioannem sibi consortem insinuare, apud Dominum. Sed quid? ignorabat Petrus, vicariatum suum monarchicum futurum: Petram vnam Ecclesiæ supponendam: nec bicipitem thronum eleuandum? absit. Quid ergo, in *Priuatum* huiuscemodi electus, sollicitat socium? examinarat illum Christus à Vers. 15 vt nosti, in re amoris non semel: quo se satis redamantem declarabat: ne ergo videretur Petrus pariter cum honore Principis, amorem etiam sibi voluisse exhaustum, quasi Ioannes antonomastico titulo *dilectus*, excluderetur; hæc subiecit: vt Ioannes honorem, (qui de iure monarchico diuidi non poterat ex æquo) saltem delibaret ex parte, martyrium verò & amorem, vbi nullum erat inconueniens, æqualiter participaret: Sic puto capiendum Chrysostomum, vbi in Cat. Corder. *Cùm magna Christus Petro communicasset, Orbis terrarum curam demandasset, martyrium prædixisset: & magnam erga eum dilectionem testatus esset: volens ipsum Ioannem socium habere, ait: hic autem quid?* Nec enim poterat optimum se *Priuatum* clariùs propalare: quàm dum, non solùm dilecto per antonomasiam condiscipulo zelotypus non inuidet: sed insuper vberiorem optat Principis dilectionem: tunc maximè, cum ipsemet præ omnibus aliis diligi videbatur. Quisquis, *Priuati* optimi, notâ cupit insigniri, suauissimo, Petri, ingenio assuescat.

Vers. 21. *Generosus Priuatus socios erga amatum, & amantem Principem, optat.* *D. Ioan. Chrysost.*

581. *Principis Cor an vst. non exhauritur.*

At, inquis, Timor est non leuis, ne humani, id est, limitati Principis Amor exhauriatur: (quod à diuino abest) mihique, quod in alios diffunditur, subtrahatur. Angustas, mi homo, Principis pectus augustius, hac opinione: heu nescis, cum Imperio, cor longè cæteris capacius à Deo accepisse. Nulla virtus minuitur, dum dispensatur, & dum tota singulis datur, absque dispendio integra perseuerat. D. Gregor. Nyssen. lib. de Beatitud. Cap. 1. *Talis diuisio virtutis est, vt in omnes qui eam amplectuntur, & affectant, diuidatur, & cuique adsit vniuersa inter participantes, non diminuta, &c. Spirituales diuitiæ idem faciunt, quod Sol, qui & omnibus videntibus se impertit; & totus vnicuique accedit.* Amor in suos, præcipua & fundamentalis est virtus in Principe: omnibus sufficit, neque minuendus: omnes & singulos capit augustum pectus: inde passim ab Homero Reges dicuntur Διογενεῖς, & Διοτρεφέες, *deogeniti*, & *Dei alumni.* Quia Dei instar, licèt in terreno ergastulo, immensum quodammodo spiritum sortiti. Mira fuit, licet immodica, illa Senatus & Pop. Rom. acclamatio, ad Imperatorem Traianum: de quâ Plinius in Paneg. *Pro nobis quidem hæc fuit summa votorum, vt nos sic amarent Dij, quomodo tu. Est ne verum, quod inter ista acclamauimus? O nos fælices! quid enim fælicius nobis? quibus non iam illud optandum est, vt nos diligat Princeps: sed Dij, quemadmodum Princeps. Ciuitas religionibus dedita, sempérque Deorum indulgentiam piè merita, nihil fælicitati suæ putat adstrui posse, nisi vt Dij Cæsarem imitentur.* Tu mi Priuate, id opta, vt Princeps tuus Deum imitetur: omnes capiat amans, qui omnibus in Patrem destinatur: nihil illi gloriosius, nihil subditis fælicius, nihil tibi venire poterit plausibilius.

Virtus communicata, non diminuitur. D. Greg. Nyss. Plinius *Principis amantis populum, exemplum.*

VII.

Princeps Priuatum condecoret: accedit enim huic reuerentia, quod eundem ille reuereatur.

VIdisti, qualem se gesturus sit *Priuatus*, erga Principem: vide nunc, qualem se, erga *Priuatum*, debeat Princeps gerere. In primis gloriæ, & Maiestatis suæ partem illi communicet: vt quò inde fuerit Populo venerabilior, eò efficacior administret. Præcipiens Deus Moysi, vt Iosue sibi in primarium Administrum, & *Priuatum* sic apertè assumptum declararet, vnde eiusdem futurus successor, in Principatu nosceretur: ita subiunxit. *Et dabis ei præcepta, cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, vt audiat eum omnis Synagoga filiorum Israel.* Num. 27. v. 20. Laborant in explicando Interpretes, quænam esset hæc Principis Moysis gloria, Administro Iosue communicanda. Quidam, splendorem illum vultus, cornutæque lucis radios existimârunt. Non assentio: cùm nec per vmbram, splendida Iosue facies vllibi legatur. Quid ergo? Dicitur Moyses dedisse illi partem gloriæ suæ, dum coram omnibus extulit, commendauit, & sub quodam, summi honoris, commercio excepit. Et quorsum id, *cunctis videntibus?* vt apud illos esset venerabilior, quem Principi ipsi videbant venerabilem. Oleaster ibi. *Discant ex hoc loco Principes, cum Ministros, & officiales instituunt, eis de suâ gloriâ tradere: & coram omnibus, quibus præficiendi sunt summè honorare. Vt subditi videntes, quanti eum faciat Superior, eum reuereantur, illique obediant, eúmque honorent.* Quod deinde exemplo Patris erga Christum, & huius erga Apostolos, confirmat. Fuit hæc optima, contra aut imprudentes, aut Tyrannos Principes, Politica Traiani. de quo, vel

581. *Princeps, Priuatum debet decorare.* Num. 27. 20. *Vt inde venias alijs venerabilior, quod ipsi Principi sit venerabilis.* Oleaster.

vel ad quem Plinius Panegyrista *Est hæc natura sideribus, vt parua & exilia, validiorum exortus obscuret: similiter Imperatoris aduentu, legatorum dignitas inumbratur. Tu tamen maior omnibus quidem eras, sed sine vllius diminutione maior: eandem authoritatem, præsente te quisque, quam absente retinebat. Quin etiam plerisque ex eo reuerentia accesserat, quòd tu quoque, illos reuerberare.* Quod quidem erga *Priuatum*, vt pote qui aliorum Administrorum vertex, vrget efficacius.

583. Gen. 2. v. 19. Compto iam Orbe à Deo, & Animalibus cunctis habitato, *Adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea: omne enim quod vocauit Adam, animæ viuentis, ipsum est nomen eius.* Genes. 2. v. 19. sed quantò erat facilius, vt à Deo creata, ab eodem nomen acciperent? An aptiùs Adam, quàm Deus, viuentium naturam penetrabat. vt singulis commodiora vocabula imponeret? An erat difficile Adæ, perdiscere postea tot vocabula, ni ipse pridem imposuisset? gerræ. Quid ergo? voluit Deus *Priuato*, & primario suo Administro, gloriæ suæ partem communicare, vt saltem nomina daret subditis bestiis, quibus ipse Creator vitam concesserat: vt iam homo reuerenter à bestiis coleretur, quem à Principe Deo sic honorari videbant, vt cum illo, maiestatis titulos quodammodò diuideret. D. Basilius Seleucus Orat. 2. *Esto Adam nominum Artifex, quando rerum esse non potes: formentur à me, nominentur à te, quæ creantur. Partiamur huius fictricis solertiæ gloriam: me agnoscant artificem, naturæ lege: te dominum intelligant, appellationis titulo.* Ita est: nihilo subditi, in Primarii Administri reuerentiam coguntur suauiùs, quàm dum à Principe reuerenter haberi cognoscitur.

Princeps, Priuato, authoritatem titulis cumulet. D. Basil. Seleuc.

584. Hæc ergo vna via est, quâ Princeps *Priuato* suo, tanquam facili, & expedito instrumento, Populis gubernandis, vti potest, si illum coram Populis honoret: vt ab Administro hoc pendentes se agnouerint. Hinc illa vox Dei ad Moysem: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nôsti, quod senes populi sunt, ac magistri, &c. vt descendam & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradámque eis: vt sustentent tecum onus Populi: & non tu solus graueris.* Numer. 11. v. 16. & 17. Attentè satis, è tot millibus seniorum, illi congregari, & eligi iubentur, quos prudens Moysês tales esse agnouerit: idest (vt alibi ex Philone obseruo) qui non tàm canitie, quàm virtute radiarent: nec tam rugarum notis sulcarentur, quàm è sanctimoniæ sulcis, segetem cumularent feracissimam: à quibus scilicet, vitiorum pueritia, & fœdior exularet puerilitas. Bene est: quanto tamen sapientissimus Deus, longè Moyse penitiùs hos agnouerat? Cur ergo ipse non eligit, non designat: sed Moysi *Priuato* suo, remittit eligendos? Res pondet Oleaster ibi. *Cur Domine Deus, Rectores non eligis, qui eos melius nôsti: sed Moysi seruo tuo tradis eligendos? optimum illud regimen Philosophi esse tradiderunt, in quo vnus omnibus præest: si enim Moyses illos non eligeret: quando illi vellent ei obtemperare? Consultò ergo voluit Dominus, virum Sanctum eos designare, vt postea cognoscerent, se ab eo, in regimine dependere.* Vix enim inferiorum horum Administrorum reuerentiam, Moysi *Priuato* debitam conciliaret: nisi

[Nu]mer. 11. v. [16.] *[Cog]noscant [ab] Admi[nist]ri, se à [Pri]uato de[pen]dere.* [Olea]ster.

hunc ita coleret, vt illius Prudentiæ, & potestati, electionem remittere nosceretur: Huc recidit, quod additur: *Et auferam de Spiritu tuo, tradámque eis.* Vt in Proceres & Administros alios, quasi medio *Priuato*, potestas & authoritas deriuaretur: illum, quasi gratiarum suarum thesaurum, sic condecorans: vt dum alii, ab hoc pendere se nôrunt, subdantur suauius: habeatque istos, *Priuatus* rebus gerendis, sic faciles: vt *Priuatum*, Princeps. idem Oleaster. *Nunquid non habes penes te Domine, Spiritus sufficientiam, vt his senioribus largiaris: sed opus est à seruo auferre, quem illis tribuas Spiritum? absit. Sed vult, vt cognoscant se cuncta à Moyse habere, vt illi facilius subdantur.*

Ibidem. *Cui proximè faciliùs, in ministerio subdantur.* Oleaster.

585. Et profectò, illa ipsa quodammodò reuerentia, quâ instar Traiani, *Priuatum* suum ingenuum, Princeps colit: non solùm illum venerabilem reddit Populis, sed etiam dominandi condignum: vt iam sit meritum, cæteris imperandis, cultus ille à Principe adhibitus: quis enim huic semper obedire dedignabitur, cui quandoque Principis indulgentia videtur ministrare. Instituebat Christus Discipulos, siue *Priuatos* suos ad humilitatem, quam basim totius honoris admonebat: tunc sic concludit: *Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Matth. 20. v. 28. Mihi non mirum tam anxiè humilitatem à Christo commendari: illud quæro, cur his, quos in Ecclesiæ Principes parabat, & in spirituales, summi cuiusdam dominij Administros promouebat: nihil saltem splendoris concedat, vnde tanto functuri honore animentur? Sint quidem humiles corde, at certè homines genere infimi, censu tenues, industriâ piscatores, non ne aliquo fulciendi videbantur, vnde generosos spiritus conciperent, quibus imperio digni viderentur? Cur ergo in hoc loco Christus dum memorat thronum humilitate adipiscendum: non refert pariter, vnde apud Populos digni essent habendi? non id præteriit Christus, dum enim addidit, se ipsum Principem, quandoque Ministris suis administrâre: satis illos generosos reddidit, satis imperio dignos demonstrauit: plus enim colente eos domino, quàm tot exhibitis miraculis, nobis obedituris, redduntur venerabiles. D. Paulinus Epist. 3. *Bonus dominus, & salutarium magister, seruiendi ministerio, dominandi meritum transferebat: & humilitatis humanæ præbebat exemplum, quibus diuinæ sublimitatis parabat consortium.* Talem se, sub debitis prudentiæ circunstantiis, erga *Priuatum* suum, habeat Princeps meus: vt ex eo, illi accedat reuerentia, quod illum quoque Princeps reueretur.

Reuerentia, quâ Princeps colit Priuatum: hunc imperandi cæteris dignificat. Matth. 20. v. 28. D. Paulinus.

VIII.

Quibus id præcipuè occasionibus obseruandum.

586. Est autem honor iste erga *Priuatum*, tunc maximè, & in publico necessarius, quando labenti, si fortè, per crimen, (homo est) sed statim resipiscenti, Princeps blandus reconciliatur. Id obseruant Patres, in lapsu Petri, quem resurgens Christus, pœnitẽtem singulariter adiuuit,

Princeps, Priuatum sibi reconciliatum, cur impensius debeat honorare.

uit, & sibi congressus benignissimi honore reconciliauit. Tu legeris Euangelij Interpretes. Causa illa: ne Populus, qui nasum irati Principis mouerat in *Priuatum*: factam etiam reconciliationem suspectam habeat, nisi præcipuis amoris & honoris indiciis, reconciliatum videat decorari: insultétque illi, nec obediat satis: quem ob præteritum lapsum minus semper gratum Principi præsumit. Hæc si videret Henricus Anglus, Sanctissimo Pontifici Thomæ, non condonatâ huius culpâ (qui iustissimus processerat) sed irâ suâ sopitâ, reconciliandus: nunquam è gloria Martyris purpuratâ, infamiam sibi Carnificis contraheret: nunquam insultantes Aulici, dum *Priuatum*, quasi adhuc ingratum Principi occidunt, ipsummet, quasi conscium, Principem fœdarent. Notum, sed semper grande exemplum in hanc rem. Aliter Principem probum instituit supremus Princeps.

587. Reconciliato iam sibi Populo, quem turpissima Idololatria fœdarat: ait Dominus ad Moysem: *Vade, ascende de loco isto, tu & Populus tuus quem eduxisti de Terra Ægypti, in terram, quam iuraui.* Exod. 33. v. 1. Vbi Oleaster. *Nunquam hucusque legimus Deum festinâsse, & vrgisse sic Iudæos ad Terram promissam, quemadmodum nunc post peccatum. Vt intelligamus, Peccatores sæpius ad maiora dona, quam ante peccatum habuerint, resurgere.* Magnum hoc donum, nec tamen illud satis Moysi visum: cum enim Deus Angelicum ducatum Populo spopondisset, Moyses, non nisi ipsissimum Deum in Ducem contendebat: subdens post multa: *In quo enim scire poterimus, ego & Populus tuus, inuenisse nos gratiam in conspectu tuo: nisi ambulaueris nobiscum: vt glorificemur ab omnibus Populis, qui habitant super terram?* Vers. 16. In Hebræo legitur: *In quo cognoscetur hic, inuenisse nos gratiam in oculis tuis: nisi, &c.* Id est, in quo cognoscent hostes, qui hîc sunt propè nos, te nobis perfectè & syncerè reconciliatum, nisi tu ipse præcedas nos? Sed quorsum, inquam ego, tam necessariò id hostes & circumstantes gentes agnituri? Nouerant Israëlem inter Populos, Dei familiarissimum, vituli cultu, ab illius gratiâ cecidisse, incurrisse furorem: sempérque reconciliationem suspectam haberent, Israëlique quasi minùs iam grato, bellis & incursionibus, insultarent, nisi præcipuo hoc ducatus honore, à Deo affectum intelligerent: & in Populo suo familiarissimè, vt pridem, habitare. Sic literam hîc explicuit Oleaster: & deinde ad mores sic subiungit. *Magnum quid est, vt te timeant, neque nocere audeant, scire te gratum esse Principi: nemo audet lædere huiusmodi familiares & delectos, nemo eos non amplectitur, & in pretio habet, &c. Admonentur etiam Principes, signa gratitudinis ostendere his, qui aliquando offenderunt eos, si pœniteant: ne peccati sui perpetuas pœnas luant.* Caueat ergo Princeps meus, tepidè *Priuato* suo reconciliari: ni isti, quasi minùs dilecto, ab inuidis Coaulicis, ab effræni vulgo, odia & opprobria cupit conciliata.

Exod 33. 1. Oleaster. *Peccator verò pœnitens, sæpè illustrior surgit quam ceciderat*

v. 16.

Princeps, quam ierat reconciliato amico, honores cumulare.

588. Portæ illæ mystici Templi, quod Cap. 40. vidit Ezechiel, ingressum mortalibus, in supremi Aulam Principis denotabant; de quo ibi fusè Interpretes; illud tamen attentiùs ponderandum, quòd cum in trium portarum frontibus Palmæ radiarent, longè tamen diuerso modo exprimebantur. Nam ad Orientis portam, eiúsque fenestras, *Pictura palmarum* erat. Vers. 16. in Australi verò portâ, *cælatæ palmæ*: Vers. 34. Sic & in portâ Aquilonari, *cælatura palmarum* erat: Vers. 37. Multum quidem præstat Picturæ, cælatura: solidius & pretiosius habetur id quod insculpitur cælo, quàm quod pennicillo depingitur: illud quippè in æuum perennat solide: hoc autem, quovis adhibito fuco, facilè corrumpitur. Neque mihi mirum, si Australis porta, quæ ad Meridiem feruida, virtutis cuiusdam feruidæ venientes alumnos excipiebat: robustius & solidius præmium porrigeret, quàm Orientalis, qua illi qui quasi in exortu, atque virtutis cunâ erant, ingrediebantur. Illud illud scrupulum iniicit, immo stuporem conciliat, quòd Aquilonaris porta, quâ illi, qui peccati frigore olim torpuerant, iam resipiscentes intrant, Orientali innocentiæ præstaret, & feruori meridiano æmulæ, non pictas, sed potiùs cælatas palmas exhiberet. Amouet tamen pulchrè obicem D. Gregor. ibi, homil. 19. *Notandum nobis est, quia in Orientis portâ pictura palmarum: in Aquilone verò & Meridie, cælatura esse perhibetur, &c. quia contingit sæpè, vt hi qui adhuc inchoantes sunt; nondum se in operibus magnis & solidis exerceant: Hi verò qui post iniquitates ad virtutem redeunt, plerumque vt culpas suas, ante Omnipotentis Dei oculos tegere valeant, in magnis operibus exercentur: & quia iam feruore spiritus, actibus & virtutibus excreuerunt, quasi Meridies, in sanctis actibus inardescunt. In Orientis ergo portâ pictura est: in Aquilonis verò, & Meridiei, cælatura: quia signum victoria, quod inchoantibus ostenditur: hoc reuertentibus atque feruentibus, iam solidiùs, & robustiùs tenetur.* Dixi ad pœnitentiæ encomium pluscula in Cant. Tropol. nunc ad rem. Nouerit Prudens Princeps, resipiscentem *Priuatum* sic excipere, vt illum in sublimiori gradu constituat, quàm ante defectum: quia & *Priuatus*, si generosus, longè feruidior exsurgit, admissum næuum penitus deleturus: eò obsequiis promptior, quò de præterito reatu degit confusior.

Ezech. 40.

v. 16.

v. 34. *Feruidæ pœnitens, quàm sit Dei gratia.*

D. Gregor. Mag.

589. Sed in re grauis delicti, non ampliùs immorandum, cùm rariùs id soleat euenire, vt Principem grauiter lædat, qui totus Principi cupit inhærere. Sunt alia leuiora iurgia frequentius, inter *Priuatum* & Principem, quæ etiam honore aliquo eximio componenda: ne *Priuatus* (quem Princeps tractauit asperiùs) animo cadens, dum minùs se gratum Domino suspicatur, turbatus assistat negotiis, & timore impeditus, minùs fæliciter publica expediat. Expostulârat Deus cum Iobo, pupugerat *Priuatum* suum acerbè, per quatuor integra capita, & longa illa, & subdit statim sacer Textus: *Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Iobum: dixit ad Eliphas Themanitem: iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos: quoniam non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob.* Cap. 42. Vers. 7. Iob. 42. 7.
Vbi Author Caten. Græc. quantum sit honoris, in hoc, dominicæ seruitutis, vocabulo expendit: putarémque fuisse titulum tunc decorum apprimè necessarium, vt Iobus spem erigeret, animos resumeret, serenúmque omnino erga se, animum Domini iam agnosceret. Pende tamen, quæ longè digniora subsequuntur. Iubentur isti opimum sacrificium apparare, vt Iob

Post iurgia Princeps ... Priuato.

Iob Sacerdos pro illis oraret. *Faciem eius suscipiam*, inquit Deus, *vt non vobis imputetur stultitia.* v. 8. Furens Dominus describitur in stultescentes: & grande sacrificium præcipitur: vnde grauiter peccâsse hos viros, necisque reos fuisse, colligunt Interpretes: & meritò: vides tamen vnius Iobi precibus dici condonandos. Quantus hic honor! nimirum, sic demum prædicta reprehensio fuerat mitiganda, & iurgia cum Amico sopienda. Fauet contextui meo ibi Olympiodorus. *Quantum demum honoris, Sanctis Dominus impertitur! nam & illud capitale esse pronuntiat, Iustis detrahere: & propter honorem, quem suis Deus tribuit, necis supplicium condonare.* Ergo bonorum in duplum restitutio, præteritæ patientiæ præmium fuerit: intermedius hic & ingens honor, serenitatis videtur, à præmisso illo iurgio, restitutio, quo Iob validiores animos resumeret.

590. *...possum de ...orandus Priuatus publi... cum illi graue aliquod negotiũ committitur.* Est & alia opportuna occasio, *Priuatum* honorandi, quando nimirum aliquod grandis ponderis negotium, cum subditis tractandum, eidem à Principe committitur: augenda enim signanter tunc, eximio aliquo decore *Priuati* authoritas, ne subditi paruipendant, maius aliquid solito destinantem, & iubentem: cùm tamen non plus solito apud Principem honoretur. Pactum suum fideliter obseruaturis, magna promittit Deus, vnde regnum Sacerdotale, & gens sancta, efficeretur. Exod. 19. v. 6. Nuntiat hæc Moyses Populo, expositâ Supremi Principis pactione, hunc alliciens: applaudit pacto populus, respondens: *Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus.* v. 8. Iam peractum negotium videbatur: additur tamen: *cumque retulisset Moyses verba Populi ad Dominum, ait ei Dominus: Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me Populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum.* v. 9. Nota illud, *iam nunc*: quasi in cæteris prodigiis ab exitu Ægypti exhibitis, potiùs ad Deum Moyses recurrisse: hîc autem per summum honorem, ad Moysem, venire Deus intelligatur. Nimirum, maius erat dare asperam difficilémque legem, tot Tribubus, per Moysem: quàm per eundem easdem à captiuitate liberâsse: Tantum erat nunc Moyses negotium ministraturus; vnde neque minori honore prædecorandus, ne à Populo, solitis maiora iubens paruifieret. Fouet priuatam hanc contextus explicationem, communis & verissima doctrina, quam sic ad hunc locum scribit Oleaster. *Docet pulchrè locus iste, qualiter Principes debeant, ministros suos, maximè publicos honorare: ne quis de Populo audeat eos parui pendere. Si enim populus viderit ministros minoris fieri apud dominos, non curat eos, neque eorum verba.* Nihil insanius quàm credere Administrum tibi vtilem futurum, qui populo non venerit venerabilis: nihilque facilius veneranda illi authoritas conciliatur, quàm si tu eundem, in his, similibúsque aliis occasionibus, noueris honorare.

* * *

R.P. Pinto Ramirez. Monit. Polit.

IX.

Princeps, an, & quando, Priuati sui domum ingressurus: quomodò huius temperaturus honores: & labores solaturus.

QVæres an probandum sit Prudentiæ, illud, honoris familiarissimi, genus, quo Princeps, *Priuati* sui cubiculum solet frequentare, quem scilicet hinc summopere se putat deuincire? Ego quidem frequentiam non probarem, etiam cum eodem Palatio *Priuatus* habitat: nedum si foris ædes sortiretur. Sublimior est regiæ Maiestatis vertex, quàm possit priuatis laribus capi: augustius caput, quàm aut humiliori ostio inclinetur, aut erectum, vt decet, offendat necessariò. Excepit conuiuam Deũ, *Priuatus* eius optimus Abraham, cui mensam sub arbore oppiparam strauit: ideo dicitur: *Tulitque butyrum & lac, & vitulum quem coxerat, & posuit coram eis: ipse verò stabat coram eis, sub arbore.* Genes. 18. v. 8. An deerat in Tabernaculo Abrahæ diæta splendidior, extructa cœnatio, ad quam tantus hospes decentior inuitaretur? non crediderim. Quid, foris epulum transfertur: quid sub arbore mensa collocatur? Quia nec ausus Abraham, Dominum in proprios lares inuitare: neque voluit Dominus, etiam familiarissimo *Priuato*, id honoris, tunc temporis indulgere. quid ita? ne *Priuatus* eximio fauore insolesceret. Vltrà enim debitam honoris mensuram ingressus iste Principis in domum particularem habebatur. Oleaster in Cap. 24. Exod. post alia infrà danda, sic ad hunc locum. *Ne temerè te aut in Deum, aut in ea quæ Dei sunt, iniicias. Sic & Abrahæ dilectissimo suo fecit, ad quem, & si aliquando descendere dignatus est, nunquam tamen domum eius ingredi voluit. Solet enim homo etiam iustus, ex diuinis fauoribus insolescere, ideo ad mensuram, sibi cuncta ostendenda sunt, & præstanda* quasi familiarior iste ingressus, requisitam mensuram præteriret. Multò igitur cautiùs, circa *Priuatum* humanum debet obseruari, ne nimio hoc saltem si frequens fuerit, Principis sui honore, insolescat.

Margin: 591. *Princeps Domum eius rarò adeat.* — Genes. 18.8. — Oleaster.

592. *Non tamen id, in causa vrgenti, vetuerim.* Non tamen vetauerim, quòd si quandoque vrgentior aliqua causa superuenerit, possit, imò fortasse debeat Princeps, se facilem & comem, adeundo *Priuato* exhibere. Vix discesserat Angelus à Virgine, cùm illa concepti Regis impulsu rapitur in domum Zachariæ: *Abiit in montana, cum festinatione in Ciuitatem Iuda, & intrauit domum Zachariæ.* Luc. 1. v. 39. Festinabat diuinus Princeps, amicissimo *Priuato* visitando. Ardebat, inquiunt Interpretes, in Ioanne, peccati maculam Christus abolere: & Sancti Spiritûs, in illo domicilium exornare. Parum id: qui enim etiam absens absentem Amicum poterat sanctificare, maius aliquid præsens meditabatur: scilicet sanctificationi honorem illum addere eximium, quem Principis, in *Priuati* domum ingressus afferre solet. D. Thomas Villanoua, in Conc. de Visit. Virg. *Non ergo solummodò sanctificare amicum Christus accelerat: sed etiam honorare: sanctificare quippe ab absente poterat.* Ita ne? non intrat Deus Abrahæ hospitium in Angelo

Margin: Luc. 1. v. 39. — D. Tho. Vill.

 repræ-

repræsentante, è cælo descendens, & omnibus conspicuus: Nunc verò ipsissimus, latens adhuc, & sub virgineo claustro detentus, adeundo Ioanni, properat iam festinus? vnde hîc sic facilis, sic comis amore: qui ibi maiestate sic grauis, procedebat. Instabat vrgens ratio pro Ioanne, destinabatur Regis sui Præcursor, & Præco: neque erat conueniens, vt alius, ipso, priùs Dominum

Baptistæ dignitas. prædicaret. Cùm igitur virginis Partus, Christi ortus, diu dissimulari non posset, cùm paulò post saltem stella Regibus, Pastoribus Angelo esset nuntiandus: præuenit Christus non dum natus, adire Præcursorem, vt etiam à non dum nato nuntietur, ne alius prior, tanti officij primitias

D. Th. Vil. vel leuiter delibaret. Idem D. Thomas citatus. *Festinat, ne dilecto concessum, alius surripiat locum: tantum namque Incarnationis mysterium, diu in Mundo latere non potuit: prius itaque in vtero demonstrauit tripudio, quem postea in deserto ostensurus erat digito. O verum amicum Christum, cui est tanta solicitudo pro amico.* Notet Princeps meus, solùm sub consimili aliquâ ratione, quam præmonstret Prudentia, *Priuati* sui cubiculum adeundum: tunc enim seruatâ regiâ authoritate, venit facilis illa comitas, immensum commendabilis.

593. *Princeps in honorando* Priuato *id curet, ne huic inuidiam conflet, sibi minuat authoritatem.*

Semper in fauore, & gratiâ suâ, Principi est authoritas, & grauis quædam Maiestas retinenda: de quo, quia plenam Notationem infrà dabo: hîc aliquid tantum, quod, circa *Priuatum* expediat, delibabo. Illud ergo in honoribus, erga *Priuatum* suum, curet Princeps prudens, ne & huic inuidiam Coaulicorum conflet; vel sibi aliquid maiestatis imminuat. Grandi honore, vt vidisti suprà num. 590. affecit Deus Moysem, dum ad hunc, descensurum se promittit: vt nouum legislatoris munus, nouo titulo decoraretur: pende nunc, quomodò promissio ista in ipso suo implemento temperetur. *Cúmque ascendisset Moyses, operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini, super Sinai, tegens illum nube sex diebus: septimo autem die, vocauit eum de medio*

Exod. 24. 15. *caliginis.* Exod. 24. v. 15. Si nihil aliud, hoc honoris emolumento Deus contendebat, quàm venerabiliorem reddere *Priuatum* suum erga Populum: cur non illi palàm, & coram omnibus, sed obtecto nubis caligine ad blanditur? nimirum, quia habiturus apud Populum venerationem, satis erat si *Priuatus*, intra cortinam; & velum Principis, quodammodò admissus cerneretur: at visa familiaritatis intimæ commercia, quæ sub velo agebantur, conflare eidem possent inuidiam spectantium: alterum igitur beneuolè tribuitur, alterum prudentissimè denegatur. Maius mirum, quòd iam regium velum ingressus, per sex dies sperare iubeatur Amicus: cur enim si penitissimè diligitur, tam lentus ad familiare colloquium admittitur: quasi ad humani Principis ostium, ignotus ianitoribus, speraret? Maiestati suæ Dominus consulit, ne de facilitate, *Pri-*

Oleaster. *uatus* insolesceret. Audiendus iam Oleaster ibi. *Sapienter valde noluit Deus, Populum cognoscere, quid familiaritatis seruus apud se haberet: ne alios inuidiâ permotos, in eum prouocaret. Et vide qualiter prudentissimus artifex cuncta temperauerit: noluit Populum videre, quàm familiaris illi seruus esset, ne inuidiâ torqueretur: & voluit seruum, ad septem dies eum in monte expectare, ne ex familiaritate superbiret. Vbi simul disce Domini maiestatem & grauitatem, qui seruum tandiu expectare permisit, etiam si illi dilectus valde esset.* Habet Catholicus Princeps egregium diuinæ prudentiæ exemplar, in Priuati sui honoribus disponendis.

Est & aliud blandimenti genus, à Principe, 594.
Priuato exhibendum, eò frequentius, quò sæ- *Priuatus à*
pius sub tanto rerum pondere necessarium. Nihil *Populo iniquè per calumnias vexatus: à Principe lenius tractandus.*
sinistrum euenit, (eueniunt autem in Imperio maximo, in tot dispersis Prouinciis, innumera) quin tota culpa, innocenti sæpè *Priuato* imputetur: Populus, regiæ Maiestati non ausus oblatrans *Priuato* semper, mordet non rarò. Sub hoc igitur calamitatis astro, in hoc furentis populi incendio, deficiat *Priuatus* necesse est, nisi regiæ benignitatis solamine respiret, & frigidâ, amicioris indulgentiæ, à Principe suo respergatur: tunc blandissima verba, maiora tunc solito, suauioris pectoris, indicia, Princeps exhibeat. Gubernabat æquissimè Populum Samuël: fuit tamen turbata Prouincia: & reiecto Administro optimo, Regem sibi creandum denuò, postulat tumultuariè. Tristatur Samuël, non solùm dedecus suum, sed etiam filios reprehensos, & magis Populi dolens contumaciam, defert supremo Principi Deo, negotium: ad quem tunc iste: *Audi vocem Populi, in omnibus quæ loquuntur tibi: non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt, à die qua eduxi eos de Ægypto, vsque ad diem hanc: sicut dereliquerunt me, & seruierunt Dijs*
alienis, sic faciunt etiam tibi. 1. Reg 8 v. 7. Ni- 1. Reg. 8. 7.
hil vnquam suauiùs, nihil blandiùs dici potuit. Non solùm *Priuati* iniuriam suæ confert: vt quasi reductitiè, ex æqualitate iniuriarum, personarum æqualitas argueretur: sed semetipsum, in *Priuatum* videtur transferre, vt non iste sed Deus in illo videatur eiectus: Adde quòd idolum quodammodò futurum, nouum Regem sub indicat: si cum solida Samuëlis virtute compararetur: ceu dij alieni, cum ipsissimo Numine comparari. Nimirum iniustè afflictus *Priuatus*, Principi suo optimè administrans, non minori impendio fuerat consolandus. Ideo Diuus Chry-
sostomus Orat. 3. de Cruce, apud Greths. *Sa-* D. Ioan.
muël Propheta, à Iudæis iniuria affectus, con- Chrysost.
temptus, reiectus, & tantâ ignominia notatus est: vt Deus ipse, ei aliquid consolationis afferre voluerit: attendite ore diligenter; dixit enim ad illum Deus: non te abiecerunt sed me. Attendat ergo diligenter meus Princeps, quî in consimili, *Priuatum* solaturus.

Mœstissimo Cain, & sacrificij sui repulsam 595.
condolenti, ait Deus: *Quare iratus es & cur con-* *Minister afflictus, à Principe consolandus.*
cidit facies tua? Genes. 4. v. 6. Ignorauerat, credo Dominus, causam tristitiæ, & serui culpam? logi: Gen. 4. 6.
Quid ergo quærit? miseri solatium: duriores Principes sic instituens. Ergo etiam noxiis Ministris, & non Principis, sed causâ propriâ mœ-
stis, solatium adhibendum? Planè. Benè Oleaster, Oleaster.
ibi *Docentur hic Principes, seruos quos viderint tristitiâ affectos, subleuare: vt vnde malum processit, inde prodeat medicina. Sunt multi Prælati, qui siue subditi tristes sint, siue hilares, non curant: etiam si ipsi, illis causa tristitiæ. Non sic Dominus Deus: sed licèt viderit Cain sine vllâ causa iratum fratrem erga, & tristem: causam tristitiæ inquirit, subleuat, verbisque solatur: pollicetur bona, si mentem & opera emendet.* Quid

ergo

ergo non fecerit Princeps erga non quemuis, sed primarium suum Administrum, & hunc innocentem, cum calumniis iniquis mœstissimè opprimitur?

X.

Principis promissio erga Priuatum: cura erga eiusdem familiam, & cognatos.

596. *Priuatus promissionem Principis, captiosè non extorqueat.*

IAm verò in his Principis fauoribus & beneficiis excipiendis, eniteat *Priuatus* generosus, astutas quasdam Aulæ captiunculas, quas vt meditatur versutia, sic etiam familiaritas exequitur: vtque Princeps imprudentior decipitur, sic *Priuatus* callidior infamatur. Non solùm ab aulâ, sed etiam è sinu, licèt imperfecti adhuc erant Ioannes & Iacobus, *Priuati* apud Christum: inducunt ergo Matrem, vt primas sedes sibi postularet, idque postulationis tenore etiam præscripto. Ergo accedit ad Iesum mater, *Adorans & petens aliquid ab eo* Matth. 20. v. 20 Quid est hoc aliquid? non rem determinatam, sed sub communi beneficium quoddam postulauit: & cur ita? Putabant adhuc cæci diuinitati Dominicæ agnoscendæ, aulica captiuncula Christum innectendum: faciliùs enim postulatio vaga conceditur, qua vt difficile, sic etiam facile aliquid inuoluitur: quàm dum expressa proponitur petiti beneficij difficultas; hac arte solet improbus Priuatus Principem imprudentem innodare. Ludolphus Carthusian. lib. 2. cap. 21. *Suggesserunt Matri suæ, vt peteret munus sine nomine: quo concesso peteret consessionem a dextris & a sinistris in regno suo.* In eo autem latet decipula hæc irretiens, quòd promittens malè, peius teneatur adimplere promissum, Princeps temerarius, ne cùm pudore verbi regij fidem violare videatur: iam particulare concesserat, qui quiduis sub communi concessisse arguitur. Vidit rem ibi Lyranus, *Non petijt primo in speciali, & determinatè, sed tantùm in generali, vt concessione factâ in generali primo, minus posset posteà in speciali denegari.* Astutia petentis versipellis, quâ incautus Princeps, labyrintho sæpe inextricabili addicitur, longè fœdius, quàm Herodes promissor ille præceps.

Matt. 20. 20. — *Ludolph.* — *Lyra.*

597. *Prudenter Princeps exercet has temerariam fal- [...]*

Sed vide respondentis Principis prudentiam: Quid vis? v. 21. Non ignorabat quid illa vellet, cogit tamen exprimere, quid doni quærat, ne temerarius promissor, ignorantibus adhuc videatur. Bene Caietanus ibi: *Mulier priùs genuflexa supplicat, in genere petens vnam gratiam, qui dixit ei, quid vis?, vt ipsamet explicet petitionem suam in speciali.* Nam annuere genericæ petitioni, cum indecens quid possit sublatere, temerarium est: negare illam præuiè, cùm è contrà facile aliquid subesse queat, illiberale. Quid, improbe *Priuate*, in has angustias Principem deducis? Quid Princeps optime, petitionem priùs non examinas? Sed fortè si incautus, in negotio graui, promisisti, quod absque vitio tradi non debeat: talem te erga hunc subdolum gere petitorem, qualem erga ingratos, se quenquam habiturum monet Seneca lib. 4. de benefic. cap. 34. *Si promiseris te daturum beneficium, & postea ingratum esse scieris, dabis, an non? si facis sciens, peccas; das enim cui non debes dare. Si negas, & hoc modo peccas, quia non das ei, cui promisisti. Conscientia nostra hoc loco titubat.* Tunc post alia, quibus probat, promissum denegandum, sic concludit cap. 35. *Tunc fidem fallam, tunc inconstantiæ crimen audiam, si cùm omnia eadem sint, quæ erant promittente me, non præstitero promissum, alioqui quidquid mutatur, libertatem facit in integro consulendi: & meam fidem liberat.* Magis tamen ad rem exemplum illud de quodam, quem subdolus amicus sponsionem in genere pro se faciendam rogauit, & obtinuit stipulationem: irritauit autem meritò promissor pactum, quia specialem vidit sponsionem exigi, noxiam: sibi nemo incautus & simpliciter promittens, cum tanto suo damno præsumitur promisisse. Seneca cap. 39. *Sponsum* (id est sponsurus) *descendam, quia promisi: sed non si spondere incertum iubebis, si fisco obligabis.* Crede mihi mi Princeps, non violas augustæ fidei, regalis verbi maiestatem, si promissum imprudens corrigis: si id negas, cuius implemento Resp. ne dum Deus, minùs afficitur. *Non tantum quod temerè promisi*, addit Seneca cap. 36. *retinebo, sed quod non rectè dedi, repetam: demens est, qui fidem præstat errori.*

Caietan. — *Seneca.* — *Idem.*

598. *Si tamē leue aliquid per errorem promisit, id implere non obstat.* — *Esther 5. 2.*

Sed si id, quod temerè promisisti in genere leuem tandem ad speciem reducitur, quamuis fortè non aliunde tenearis, adimpleas tamen, non prohibuerim. Attende Estheris gestum, adeuntis Assuerum: *Accedens osculata est summitatem virgæ eius*, cap. 6 v. 2. ipso cultu adorandi, ipso accedendi gestu, aliquid petitura venisse indicabatur; ideo enim additur: *Dixitque ad eam Rex, quid vis Esther Regina? quæ est petitio tua? etiam si dimidiam partem regni petieris dabitur tibi*, v. 2. quasi genericam petitionem agnosceret, & tamen annueret. Non probo incautam istam Principis, etiam erga optimam Reginam liberalitatem: probo tamen quod non postea retractarit, cum specificè conuiua tantùm blandus, cum Aman rogari nosceretur, v. 4. Notandum verò, quod additur, *statimque Rex: Vocate citò Aman, vt Esther obediat voluntati*, v. 5. Exultantis, & quasi à curis liberati, est celeritas ista: recogitabat suspicor, promissum æquo liberalius, & gaudet facili exitu adimpleri posse, neque id postulari, quod perperàm dare, vel cum rubore negare cogeretur. Prudens igitur, non se ad has incitas redigi patiatur: scrutetur priùs negotium, quàm promittat. Si tamen in re leuiori huiuscemodi errauit, sequatur Assuerum. Pulchrè in re simili Seneca cap. 36. citato, *Inspiciam tamen, quantum sit, de quo agitur: dabit mihi consilium promissæ rei modus. Si exiguum est, dabo: non quia dignus es, sed quia promisi: nec tanquam munus dabo, sed verba mea redimam, & aurem mihi peruellam, damno castigabo promittentis temeritatem, &c. Est aliquid, in eo quod promiseris perseuerare: est rursus multum in eo, ne indigno beneficium des: hoc tamen, quantum est, attendendum: si leue, cōniueamus: si verò magno mihi, aut detrimento, aut rubori futurum: malo semel excusare, quare negauerim, quàm semper quare dederim.*

[...] indigna [...] — *Seneca.*

599. *Princeps [...] promissa Priuato [...] patienter; & [...] erat iste.*

Potest & aliquando Princeps prudens, promissum egregium aliquod beneficium *Priuato* suo dilatare, tum vt eius generosam probet patientiam; tum vt illud cumulatiùs in patientiæ præmium reddiderit. Et quidem nullo obsequio, sic Principis sui gratiam promeretur *Priuatus*: quàm

dum festinus ipse beneficia subditis solicitat, à Principe, & confert: tamen erga se lentum expertus Principem. & vota, illáque iusta differentem, æquanimiter speret: & de sero beneficio gratias habeat, quasi pridem optanti ardenter concederetur. Notarat Sara Isaac suum, infantem pene, sub specie ludi, pessime institutũ: monet Abrahã, vt Ismaelem pariter cum Matre eiiciat: cui tandem paternâ teneritudine expulsionem indurantі, ait Deus: *Non tibi videatur asperum super puero, & super ancillâ suâ, omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius: quia in Isaac vocabitur tibi semen: sed & filium Ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.* Genes. 21. v. 12. Nihil familiarius dici potest. Multa pridem Deus egerat cum hoc familiarissimo *Priuato* suo, antequam nasceretur Isaac: nunquam tamen illum comiùs, aut suauiùs visus excepisse: domestica ipse iurgia componit, dolentem Patriarcham mitigat, promissiones in Isaac promittit adimplendas: & Ismaelem, paternis insuper meritis promouendum. Ecquid grande fecerat post Isaac natum, Abraham, vt paulò post, hanc cæteris, vberiorem gratiam promereretur? Ego putarem, in ipsomet, præstiti sibi filij, beneficio, cum gratiarum actione accipiendo, ingens obsequium Deo reddidisse. Promiserat æternus Princeps, ab ipsis vocationis exordiis *Priuato* suo sobolem legitimam, vnde omnes gentes forent benedicendæ: Sperabat iste, & suspirabat diu, manens in officio, nec impatienter ferebat beneficij tarditatem: & tandem centenarius hoc excipiens, grauandus puerilis educationis curâ Senex: non minùs gaudet, non minores gratias agit, quàm si robusto & Iuueni concederetur. Hinc ergo plenius Principis sui animum promeretur; vt ipsum beneficium nouo fauore insuper cumularet. Annueret cogitationi nostræ D. Zeno Veron. Serm. 1. de Abraham, vbi ita. *Abraham Patriarcha noster, exploratus à Deo, in senectute suscepit vnicum filium; nihilominus tamen solicitum patri, cuius ætas in annis vergentibus, in occasûs sui terminum versabatur: & educationis tempus angustum, & senectuti exitus iam vicinus. Ecce prima deuotio, hilariter excipere, quod serò datur, & in tristissima senectute, suscepta sollicitudinis mole, gaudere.* Sub talibus circunstantiis non est dilatio beneficij, Principi reprehendenda, sicut illa, cui suprà, artificium exprobraui.

Genes. 21. 12

Hæc Priuati Patientia, quàm grata Principi: vt illũ amplius cumulet.

D. Zen. Verõ.

600. Concludo hanc materiam de fauoribus & beneficiis Principis erga *Priuatum*: monens vt tunc illum largâ cumulet beneficentiâ: cùm ipse *Priuatus* sibi suisque præ ingenuo modestiæ rubore non audet etiam necessarium postulare. Durum Principis ingenium, stupor rigens, si *Priuatum*, *Priuatique* familiam & cognatos sedulus non curat: quos iste præ modestiâ, & impensâ Reip. tota curâ, quodammodo videtur obliuisci. Collætabatur Ioseph exceptis fratribus, & *Priuati* sui gaudio applaudens Pharao, addit insuper: vt imperaret fratribus suis dicens: *Onerantes iumenta ite in terram Chanaan, & tollite inde Patrem vestrum, & cognationem, & venite ad me, & ego dabo vobis omnia bona Ægypti, vt comedatis medullam terræ. Præcipe etiam vt tollant plaustra de terrâ Ægypti, ad subuectionem paruulorum suorum.* Genes. 45. v. 17. Laudanda certè profusa liberalitas, quâ omnia Ægypti tribuuntur: Sed illa debita, modestiæ Iosephi, qui nec etiam necessarium auderet postulare, ni vltrò Princeps, onerandа præciperet iumenta. Hoc Oleaster ibi. *Debent Principes non solùm in bene meritos liberales esse, sed etiam in suos, & quod seruus non audet petere, Princeps imperat.* Sed mihi multò magis miranda cura illa, & sollicitudo, quâ mẽs augusta, animus regalis, etiam in hæc minutula diuertitur, vt de plaustris ad subuectionem suggerat paruulorum. Quid faceret? non aliter fidelissimi *Priuati* merita satis compensanda putauit prudens: qui cùm diu apud se esset, sic diligens, sic totus publicis Ægypti negotiis incumbebat, vt videretur cognationis, Patriæ, & Patris obliuisci. Oleaster iterum. *Quoniam Ioseph sollicitus erat pro bono Reip. Ægyptiæ: fuit etiam Rex sollicitus Patris & domûs illius. Quâ in re admonentur Principes, curare eos, qui rebus suis neglectis, pro communi bono incessanter inuigilant.* Poteris hoc plenas paginas reuocare, quas suprà, de liberalitate Principis, scripsi quæ nullibi condignius, quàm erga Primarium Administrum, si rectè suo fungatur munere, exhibetur.

Rõ impensius Princeps familiam cognatosque Priuati curet: quò iste in eos obliuius se habet.

Gen. 45. 17.

Oleaster.

Idem.

Vt Priuatus Remp. sic Princeps huius familiã curet.

XI.

Priuati ruinosam sortem expono, & infortunia.

Tandem ad ea, quæ præ omnibus Administris, tibi maximè attendenda, mi Priuate, venio sub hoc titulo. Attende tibi: cæteri omnes Aulici in lubrico: tu insuper in edito es: non corrues nisi confringendus: at ruinam, in gradu hoc supremo pene nullus euitauit. Maximæ, vltimæque fælicitati nihil medium: non implet orbem suum Luna nisi subitò minuendæ: summum fortunæ apicem, continuus casus subsequitur: ignorat faustum obicem rota volubilis. Sit tibi Animus tot exemplis obiectis, monitor fidelis: *Ostendat* (verba sunt Senecæ lib. 14. epist. 95.) *ex constitutione vulgi Beatos, in isto invidioso fastigio suo trementes, & attonitos, longéq; aliam de se opinionem habentes, quàm ab aliis habetur. Nam quæ ab aliis videntur excelsa, ipsis prærupta sunt: itaque exanimantur, & trepidant, quoties despexerunt in illud magnitudinis suæ præceps: cogitant varios casus, & in sublimi maximè lubricos. Tunc appetita formidant, & quæ illos graues aliis reddit, grauior ipsis fælicitas incumbit.* Querebatur Deus ingratam Israelis indolem, dicens: *Filios enutriui, & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me.* Isai. 1. v. 2. Poterat innumera, Populo illi collata beneficia exprimere singillatim, vt intensiùs accenderet ruborem: putauit tamen satiùs & faciliùs, exaltationis solius mentione admonere: non poterant sic exaltati cadere, sic ab edito ruere, nisi confringendi: immane illud præceps, horrori æquo sit, necesse est. D. Zeno Veron. serm. 2. *Exaltatos, vt ruinæ terrori sit.* & serm. 3. iterum. *Filios appellat, vt abdicatio: exaltatos, vt ruina timeatur.* Satis erat, vt attoniti & trementes degerent, quod se, ad fastigium illud cernerent exaltatos.

601.

Fælicitas Aulicorum semper attonita.

Seneca.

Isai. 1. v. 2.

& ruinæ, non vt casusque, sed in ferrimo.

D. Zen. Ver.

Tantum, tale, exaltationis ipsius periculum: quid si insuper superbis, si tumes, iam grauis aliis ab ipsâ fælicitate, quæ tibi grauior? Non timueris hominum flagellum: instabit tamen vindex Nu-

602.

Maxime, felicitati superbia accedas.

Numen altiora quævis deprimere paratum: fulmina altiores turres ferire solent. *In labore hominum non sunt*, inquit Dauid: *& cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos superbia.*

Ps. 77. 5.

Psalm. 77. v. 5. heu fallaciam! dolosi struuntur throni: imò doli ipsissimi: non ventura timetur: sed latens ipsis construitur ruina. Ideo ad Deum ipse de his. *Verumtamen propter dolos, posuisti eis: deiecisti eos, dum alleuarentur. Quomodo facti sunt in desolationem? subito defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.* v. 18. *Propter*,

v. 18.

id est, *iuxta dolos* poni, his talibus, thronos, permisit Deus, vt in ipsa eleuatione deiicerentur. Neque vt paulatim ascenderant, labuntur paulatim, sed subitò deficiunt. Quæris causam? tenuerat istos superbia, diaboli vitium: qui propterea è throno, non solùm in profunda, sed subitò, sed fulguris celeritate corruit. D. Bernard. in serm. super illa verba. *Ecce nos.* Sic ad quendam, qui paulatim ascendens, in throno superbierat. *Quo progrederis miser? an, vt ab altiori gradu sit casus grauior? Neque enim sic paulatim decides: sed tanquam fulgur, in impetu vehementi, quasi alter Satanas, subitò deiicieris. In labore hominum non sunt, inquit: ideo tenuit eos superbia peccatum diaboli, quo perierunt.*

Ipsa enim superbia, subita est ruina.

D. Bernard.

603. Et certè timor est, dum sic in fastigio superbis, ne tàm Dei, quàm Dæmonis ope, eò peruenisse videaris. Dixit iste, vt nôsti permittentem Christum. *Et statuit super pinnaculum templi, & dixit ei: si filius Dei es, mitte te deorsum.* Matth. 4. v. 5. Insaniam prima facie dixeris, & dæmonis stultitiam; quis enim sanus, nisi ab stultissimo, hîc sibi obediendum speraret? Quid ergo speras, pessime, à Christo, (quem saltem prudentissimum agnoueras) non tàm impulsu tuo, quàm spontaneo casu, se præcipitet? non delirabat, sed falsò credidit, idem Christo, cum cæteris ferè hominibus commune, vt dum superbientes, à Dæmone eleuari cupiunt, & gaudent sic eleuati: necessariâ consequentiâ, se præcipitent. Hinc Chrysologus ibi, serm. 13. *Sic suis suadet, sic suis prouidet, sic suos eleuat: vt de alto præcipitet validius in ruinam.* Quid igitur, miser homo tumes, fastigio sic ruinoso, throno sic præcipiti? Tolleris in altum, vt lapsu grauiore ruas: non est, è tam edito casus, nisi perfringens. D. Nilus Orat. 8. de superbia. *Noli esse arrogans, vt naturalem necessitudinem neges: abiectus est ille, & mediocris conditionis, vtrumque tamen Deus procreauit. Abiectiorem despicias hominem caue, tutius ille viuit, quàm tu: humi repit ille, nec facilè cadit: tu qui sublimis incedis, si cecideris; confringeris.*

Felicitas superba, à Dæmone hu promouisse, præsumitur.

Matth. 4. 5.

Et funestius ruinosa.

D. Petr. Chrysol.

D. Nilus.

604. Nimirum inconstans est vbique Fortuna fælix: cuius apex semper ad lapsum pronus, facilis ad ruinam: sed tamen apud Regem inconstãtissima. Aptissimum exemplum Polybij (apud Ioannem Chokier 5. cap. 6.) qui lib. 5. ita. *Breuia momenta plerumque extollunt homines, rursúsque deprimunt: in primis verò eos, qui in Aulis versantur. Illi enim profectò similes sunt mensarum calculis, qui pro eo, ac calculatori libet, modò assem, modò talentum valẽt. Ita Aulici ad nutum Principis modò beati, modò miseri fiunt.* Adeste huc, Principes Ægyptiæ Aulæ. *Accidit vt peccarent duo Eunuchi, Pincerna Regis Ægypti, & Pistor domino suo, iratusque Pharao (nam alter pincernis præerat, alter pistoribus,) misit eos in carcerem Principis militum, in quo erat vinctus Ioseph.*

Felicitas Aulicorum, apud Regem, inconstantissima.

Polyb.

Genes. 40. v. 1. in Hebræo clarius: *Iratus Pharao contra duos ex Principibus.* Quod noster, satis per Præfecturam explicauit. Ecquæ horum culpa? si Hebræis credis, leuissima; alter poculum, panem alter, nescio sub quâ incuriâ ministrârant. Et tamen in fœdum carcerem, & illum publicum, vbi Ioseph seruulus detinëatur, obtruduntur fœdissimè? Qui! miraris? in aula Principis erant: nec paulatim, sed subitò, & è tam edito, non nisi in profundum fuerãt ruituri: idque non ex maiori causa, quàm ad nutum & libitum Pharaonis: qui hos calculos, quasi fortunæ mensarius, nunc talenta, nunc asses valere iussit. Oleaster ibi. *Hoc communiter seruis Principum euenire solet, vt propter facilem causam in carcerem detrudantur, & vnâ horâ perdant, quod totâ vitâ suâ meruerunt. Varia, & iniusta res Principis animus: & qui pro re minimâ, hominem summè euehat, & pro nihilo deprimat.* Maius est, quod statim additur in Hebræo. *Fuerúntque per dies in custodia.* Vbi Vatabl. *id est, Annum vnum integrum.* Et tanti Principes, sic à Coaulicis suis deseruntur, vt neque verbum pro illis toto anno protulisse scribatur? Nónne, pro illo saltem Pincernarum Principe, (qui minùs videtur ingratus Principi, vtpotè ad pristinum honorem restitutus) aliquis deprecaretur? certè nullus legitur: sed solius Principis nutu, in die natalis sui restituitur, v. 20. Est hoc Aulicorum ingenium, mi *Priuate*: vt te iacentem despiciant, insultent misero. Idem Oleaster. *Aduerte hîc, quàm facilè obliuioni tradantur palatini Canes, à suis consertuis, vt tandem Rex reliquerit istos in carcere: neque fuerit, qui preces Regi pro eis funderet.*

Gen. 40. v. 1.

Et non nisi, in abiectissimam sortem, ruitura.

Oleaster.

Iacens Princeps, à nemine respicitur.

605. Ergo dum stas, non tàm diligeris, quàm timeris: emaci blandimento coleris, palparis cultu subdolo: vix nutas, nedum laberis, cùm isti mutant: appetenti Soli inhiant, respuunt oppetentem. Pende illud Matthæi. *Ioannes autem cum audisset in vinculis opera Christi: mittens duos de discipulis suis, ait illi, Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Cap. 11. v. 2. Audiuit certè à Discipulis suis, qui nusquam alibi leguntur, aliquid de Christo gloriosum retulisse Ioanni, nisi iam vincto: credo, quia iam illis dignior videbatur Christus, quando Ioannes deiectus tenebatur. Et propterea, nisi fallor, Præcursor sanctissimus, vtens humanâ discipulorum indole ad ipsorum salutem, è vinculis suis illos remittit ad Christum? quasi tunc promptiores ituri, cùm ipse iam Herodi exosus, iacens & occidendus tenebatur. Scilicet orientem Christi Solem, occumbentibus iam Magistri radiis, facilè præferrent. In Aulis longè res certior, longè periculosior. Eiectus Cain à facie Dei, clamat statim. *Ero vagus, & profugus in terra: Omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me.* Genes. 4. v. 14. Erat, stultissimi etiam viri prudentissima ratiocinatio: vt exosus Domino, omnes sibi creaturas haberet iam suspectas. Vnde benè ad Aulicos Oleaster ibi. *Docet locus ipse, quàm sit cauendum, habere Deum iratum, & quàm iucundum habere propitium. Sicut enim seruum, quem Princeps torue respicit, omnes persequuntur: & vno Principe offenso, omnes serui se offensos esse ostendunt, & suo modo puniunt: ita vt ianitor eo viso ianuam claudat: alius qui arridebat*

Stans non tam diligitur, quàm timetur.

Ioan. 11.

Vnde nutans, facile deseritur.

Gen. 4. 14.

Exosus Principi, iratus; omnibus sit exosus.

Oleaster.

Peccator Creaturis omnibus exosus.

debat, iam amplius non rideat: ita eum, qui Deum offendit, aut cui iratus est, omnes persequuntur, illique irascuntur: & si Dominus permitteret, omnes de eo vindictam sumerent. Id tibi longè funestius; quod ipsa humani Principis toruitas, (vt plurimùm, diuinum non æmulantis) iam iam non sola permissio, sed etiam licentia sit, vnde Ius in te omnibus videatur concessum. Aman apud Assuerum, in Sacris: Seianum, apud Tiberium, & cæteram Priuatorum Turbam in profanis: nemo, populari expositam ludibrio ignorat.

606. *Priuato inuidentes, inter plausus ludibria futura meditantur.* Quid? ille ipse feruor, quo tibi erga Principem gratissimo, applaudunt cæteri Proceres, si rectè discutiatur, despumantis inuidiæ venena propalabit: singulis in te vnum collatis gratiis, omnes distorquentur: nec in tantum, solus fauore; sicut cæteri, odio intumescunt: & vnâ casus tui spe se consolantes, inter acclamationes festiuas, futura iam ludibria meditantur. Torquet Interpretes, quid sibi vellet Esther, dum Regem maritum inuitans, Aman Surenam Persicum, id est Assueri *Priuatum* dilectissimum, pariter inuitauit: *Si Regi placet, obsecro, vt venias ad me hodie, & Aman tecum ad conuiuium quod paraui.* Cap. 5. v. 4. Quid enim, si huius vnice iustissimam ruinam machinabatur, sic eum præuio honore contendit cumulandum? Audiendus Lyranus, ex Hebræorum doctrinâ. *Lyranus.* *Ideo solum Aman, cum Rege inuitauit, ad hoc quòd alij Principes magis mouerentur inuidiâ & odio, contra ipsum; videntes quòd sicut habebat erga Regem, gratiam singularem, ita crederent eum Reginæ familiarem: & sic postea pro eo non starent, sed magis de eius deiectione gauderent, & licèt in hoc forsitan non benefecerit: tamen commendatur de facti intentione, quia faciebat hoc, ad deiectionem superbi, & liberationẽ innocentis Populi.* Ego excusatâ satâ etiã intentionis culpâ, solóq; electionis errore concesso adhuc explicationi inuitus assentirẽ: improbabilem tamen penitus non damno: cùm similia multa, in consimilis sanctitatis personis, apud Sacrum Textum optimæ notæ Interpretes deglutiant. Quisquis tamen assenserit, habet ad oculum expressos Procerum, quos dixi animos, erga *Priuatum*: cuius incrementum, dum his fouet inuidiam, futura iam sperati lapsûs gaudia administrat.

607. *Nullus Priuatus etiam optimus, post mortem, lachrymas & desiderium Populi promeruit.* Sed esto; de omnibus benemeritus, viuus, exosos te nullos sortiris: temperasti sic prudens magnitudinem tuam, ne inuidos patereris: putas ne sic conciliabis amorem mi *Priuate*, vt post mortem non solùm ludibria non timeas, sed insuper lachrymas fauentium speres? O quàm deciperis, raram adipiscitur, à Fortunâ victoriam, *Priuatus*, si non odiosus degit, si fælix adhuc mortem init, si cruore suo immaniter fuso respersus, non expirat: at post obitum, vota, lachrymas, desideria excitare, nulli concessum. Excessit, *Priuatorum* omnium & modestiam, & fælicitatem Ioseph apud Pharaonem, deuinxit sibi & Populi & aulæ animos: moritur tandem Pater eius Iacob: *Fleuitque eum Ægyptus, septuaginta diebus.* Genes. 50. v. 3. *Genes. 50. 3.* Prætereo ingentem illum Procerum comitatum, qui Iosepho asportanti in Chanaan reliquias paternas, legitur v. 7. adhæsisse: *v. 7.* solùm hos fletus, has lachrymas, per dies septuaginta datas, nunc attendo: quis enim non auguraretur hinc, per septingentos dies deflendam postea Iosephi mortem: in cuius gratiam, Pater tanto affectu plorabatur? & tamen, *mortuus est expletis centum decem vitæ suæ annis: & cõditus aromatibus, repositus est in loculo, in Ægypto.* v. 25. *v. 25.* Nihil fletus, nihil lachrymarum audis scribendæ certè nobis, si darentur. Nimirum præuio illo planctu, non tam defuncto seniori Patri parentabant, quam filio *Priuato* gratiosissimo Regis, blandiebantur: huic autem mortuo & de omnibus immensum benemerito, satis putant ludibria non fecisse: at lachrymas concedere, nihil iam expiscaturas, ex more ducunt insolitum, inutile, importunum: & quidquid ingenti alimentorum beneficio comparârant, obliuioni commendant, vento tradunt. *Emacia sunt blandimenta Populi, erga Primatum.* Oleaster, ad priora verba. *Oleaster.* *Fleuit Ægyptus Patrem, neque legimus fleuisse filium: vt discamus qualiter Aulici in omnibus obsequuntur, quem viderint Regi acceptum, & gratum. & quam facile, quidquid pro communi bono feceris, obliuioni tradatur.* Falleris ergo si te vltrà Iosephi sortem putes fortunatum: immobiles hîc metas constitit vberior fælicitas.

Solùm igitur id fructûs, vel siccâ morte, vel cruentâ nece tuâ, non tam tibi, quàm cæteris attuleris, quod iam quisque se Ædipodem poterit Sansonici illius problematis exhibere: *De comedente exiuit cibus; & de forti egressa est dulcedo.* Iudic. 14. v. 14. vbi Stephanus Cant. apud Godefr. 608. *Priuati interitus qui mors cæteris hi exem. lar.* *Iud. 14. 14.* *Cum aliquis Potens, qui alios per potentiam opprimebat, mortuus est: tunc dici potest, De comedente exiuit cibus: id est de Potente, qui alios comedebat, exiuit cibus, quando scilicet eius exemplo alij sibi cautelam assumunt.* Hunc cibum à te sperat, ô bone, attentus Orbis: tu saltem à *Priuatis* aliis, quos innumeræ ferunt historiæ, cibum cape: disce cautelam. Nullis priùs comparatis virtutibus fidas, huc ascendens: corrumpit immodica hæc fælicitas modestiam longissimo etiam vsu obfirmatam: illa ipsa Principis aura lenior quâ proueheris, animi floribus noxia adspirat, fructibus pestilens: & dum malaciam fortunæ tuæ pelago importat, naufragam mentem scopulis illidit. *Fælicitas peruertit animum, si nimia.* Audi Senecam lib. 5. epist. 39. *Seneca.* *Magni animi est, magna contemnere: ac mediocria malle, quàm nimia: illa enim vtilia, vitaliáque sunt, at hæc, eo quod superfluunt, nocent. Sic segetem nimia sternit vbertas: sic rami onere franguntur: sic ad maturitatem non peruenit nimia fœcunditas. Idem animis quoque euenit, quos immoderata fælicitas rumpit: quia non tantum in aliorum iniuriam, sed etiam in suam vertuntur.* Libaui pauca de *Priuati* fortunâ, cui posset quis multorum librorum tabulas depingere. Pergo ad alia.

NOTATIO XI.

Honorum, & officiorum distributio.

609. ABSOLVI pensum, de Principis erga Administros, de horum erga Principem, & Populum institutione: vnum adhuc restat in primis necessarium, quòd quia prædictis omnium classibus cõmune: seorsim visum aptius

exhiberi. Est hæc Principum aut deploranda incuria, aut arrogantia damnanda: *Ignorantes sapius, quos ad ministerium vocant, ministros pro sua voluntate deligunt: non curantes, an alij sint eis habiliores, aut prudentiores, pro solo beneplacito voluntatis suæ.* Verba sunt Oleastri ad Cap 17. Numer. Hinc inepti officiis Administri, honoribus indecentes, perperàm funguntur munere: quasi solummodò in vnicam totius Reip. ruinam videantur promoti. Ab hac peste longissimè sit Princeps meus, ardenter volo; ne *Impiorum oculus* audiat cum Baltasare: describam latè qualem se, in honorum, & officiorum distributione habiturus: quales, vnde, & quomodò debeat eligere. Obiter autem ipsismet Administris, non spernenda monita dispergam.

Principum delirium in eligendo Ministro. Oleaster.

Monita Politica.

I.

Non temerè, sed attentâ consideratione, officia, & honores distribuendi.

610. IN Administrorum congruam, pro officiis & honoribus electionem, attentissima Principis cura debet inuigilare: quasi ab hoc vno negotio totius Reipubl. fœlicitas dependeat. Educturus Deus creaturas in lucem, quas longam æternitatem, sub idearum suarum thesauro continuerat: fluitantéque iam aquâ, addit Textus: *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas* Genes. 1. v. 2. quòd Spiritus diuinus incubaret vndis, & instar auis, oua, vt multi volunt, illas, virtute suâ confoueret, quas in tot, creaturarum aliarum instrumenta, imò & in baptismalis gratiæ administras, destinabat; mihi non mirum: ibi solummodò hæreo, quòd non solùm incubet, sed etiam incubans, huc ac illuc deferatur. An non poterat diuinus Spiritus, immobiliter certo loco assistens, inde totam aquarum molem fœcundare? Quis negauerit? Quid ergo tam solicitus discurrit? Respondet ibi Hugo Cardinal. *Ostenditur sapientia vbi dicit, ferebatur: voluntas, vbi dicit Spiritus: tanquam voluntas spiritus, supra materiam ædificij; quid de quo faciat, considerans.* Simulabat Artificem prudenter inquietum, & anxiè discurrentem; euoluentem, expendentémque singula, quibus ædificiũ totum compaginandum: & quid aptum basi, quid fastigio pretiosius considerantem. Adibat ergo & euoluebat vndas singulas, vel etiam in imis latebris abstrusas vt singulis pro sua dignitate, iustum ministerium tribuatur, ne res tumultuariè crederetur assumpta: quasi ab illa vnda fortuitò niger prodiret coruus, vnde candidus posset cygnus pullulare. Quod certè tibi eueneri, mi Princeps: si neque examinatis Ministris, neque consideratis officiis, procedas temerè. Aliter prudentissimus ille Rex parabolicus: *qui vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua, & vni dedit quinque talenta, alij autem duo, alij verò vnum, vnicuique secundùm propriam virtutem,* Matth. 25. v. 14. Priùs vocat, agnoscit, deinde tradit: propriæ singulorum virtuti accommodans & dispertiens ministeria. Caietanus ibi, *Ratio disparis doni, redditur disparitas virium: vnicuique enim dedit secundùm proprias vires, id est proportionaliter ad proprias vires.* Quia si non vocaret, si non consideraret, fortasse, qui strenuus talentis quinque laborauit; vnico negotiando, (subtractis tot incrementis) addiceretur: quique acceptum vnum, vitiauit ignauus, prædicta quinque admitteret, fœdiùs corrumpenda.

Princeps, quàm præuiâ consideratione Ministros debeat eligere. Genes. 1. 2.

Hugo Card.

Minister officio commensurandus. Matt. 25. 14.

Caietan.

Post alia in lucem editur lux ipsissima, tanquam cæli lampas, oculus Mundi, vita colorum, quis non putaret ad huius conspectum sic confundendas tenebras, quæ faciei Abyssi incubuerant, vt subitò in latibulum confugerent? Non tamen sic euenit: agnoscentes enim quodammodò Principis sui ingenium, cuncta consideratione disponentis; tandiu videntur sperasse, donec ille ad examen & se ipsas & lucem aduocaret: ita factum *Et vidit Deus lucem quod esset bona, & diuisit lucem à tenebris: appellauitque lucem diem, & tenebras noctem,* Genes. 1 v. 4. quasi considerata attentè vtriusque ministerij facultate: caligo in pullatam noctis vestem: & lux in diei purpuram, aptè consuerentur. Sed quid, inquis, opus erat lucem considerare: cùm per se perspicua claresceret, vt nullo præuio examine videatur egere? Falleris mi Princeps, nulla est caligo sic fœda, quæ sub specie lucis nequeat dissimulari: nulla sic aperta lux, vbi occulta caligo nequeat delitescere. Considera, euolue, discute Ministros eligendos, ne stultus primo aspectu decipiaris. Bene venerabilis Hugo Victor. ibi, apud Godefr. *Fecit & vidit, deinde diuisit & vocauit, quare vidit? noluit prius diuidere, quam vidisset: prius vidit si esset bona, & tunc diuisit lucem à tenebris, & vocauit lucem diem, & tenebras noctem. Adducit omne opus suum in iudicium: non solum opera alia, quæ in luce fecit, vidit Deus quod essent bona: sed ipsam quoque lucem vidit Deus, quod esset bona: & diuisit lucem à tenebris: nam ipse Angelus malus transfigurat se aliquando in Angelum lucis.* Ni ergo apparentes has luces vndique discutias, errorem electionis intolerabilem passus deplorabis. 611.

Gen 1. 4.

Quanta consideratione sit opus ne Princeps in hoc negotio fallatur.

Hugo Vict.

Constituit Rex Darius super regnum suum, Satrapas centum viginti, vt essent in toto regno suo, & super eos Principes tres, ex quibus Daniel vnus erat, vt Satrapæ illis redderent rationem, & Rex non sustineret molestiam. Daniel. 6. v. 1. & 2. & additur statim. *Igitur Daniel superabat omnes Principes & Satrapas, quia spiritus Dei amplior erat in illo,* v. 3. Expende illud, *omnes*: non solùm igitur præstabat centum illis viginti Satrapis, duobúsque Principibus, quos elegerat Darius; sed etiam quotquot alij in Babylonico imperio, his minores vernabant excellebat: cùm tamen, quin id exprimeretur, satis præsumi posset, inferioribus præstare, si superiores anteisse videretur. Parum id, attentissimâ curâ tres illos Principes vel Duces, (quorum vnus erat Daniel visus elegisse Darius, vtpote quos Satrapis centum viginti cæteris sic præposuit, vt ipse iam à curarum molestiâ solueretur, & planè, longè meliores hos tres putauit, Satraparum turba, vtpote quæ illis reddere rationem cogebatur. Cur igitur non satis fuerit, si exprimeretur, superasse Danielem, sodales duos Principes: sed etiam Satrapas excedere, & quosuis alios, qui non ita attente fuerant electi, scribitur tam disertè? Respondet D. Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 356. *Quoniam fieri poterat, vt Regis iudicium minimè sanum, & integrum, deteriores persæpe ad Imperium efferret: (quod quidem* 612.

Dan 6. 3.

Et quàm sæpè hi soleat aberrari.

D. Isid. Pelus.

dem fieri consueuit, non solùm in regnis, sed etiam in Ecclesiis) essent autem in multitudine nonnulli, qui prudentiâ eos anteirent: necessariò proinde iusti viri comparationem, non cum solis illis duobus ducibus fecit, &c. sed etiam cum illis omnibus. Quò videlicet non ab Imperatoris sententiâ, quæ plerunque ab recto aberrat, sed à rerum veritate, coronam ipsi necteret. Præstabat enim non iis dumtaxat, qui Regi prudentes & cordati esse videbantur, verùm iis quoque, qui reuerà prudentes erant. Itaque post tam solicitam Darij diligentiam, quâ, vt in cæterùm, gubernandi molestias deponeret, Ministros elegit: error præsumi poterat: posséque meritò præsumi, esse inter prædictos satrapas, aliósque inferioris notæ, nonnullos qui ad Triumviratum illum Principatus, dignius longè eueherentur. Quid fiet bone Princeps, si nullâ consideratione præuiâ, hoc procedas? O quàm erit curta laus, si quis electis temerè tuis præponatur, ni iustius eligendis antecedat.

613. Hinc est, quòd exacto iam diei penso, acceptoris iam, laboris stipendium, operariis, addit textus: *Cùm serò autem factum esset, dicit Dominus vineæ Procuratori suo, voca operarios, & redde illis mercedem.* Matth. 20. v. 8. Ipse Dominus qui primo manè surgens, & per singulas postea horas excurrens, vocârat operarios, iam soluendam mercedem remittit Procuratori: quia licèt quandoque Princeps prudenter alicui thesauri sui committat diuisionem tutò: Ministrorum tamen electionem, nunquam nisi periculose delegauerit: ipse attendat, ipse negotio tanto insistat, necesse est, ne quid in hoc negotio affectus, sed Iudicij intercedat. Nati cælestis Regis signum proferebant Magi; quòd vidissent *stellam eius.* Matth. cap. 2. v. 2. Erat Regis pueri stella; non puer, stellæ: ipsa puerum, non puer ipsam sequebatur: Benè ibi D. Gregor. Papa, (quem ad rem aliam alibi iam expendi) contra illos qui Fati, & stellarum agnoscunt necessitatem: *Dum non puer ad stellam, sed stella ad Puerum cucurrit, si dici liceat, non stella fatum pueri, sed fatum stellæ is, qui apparuit puer fuit.* Quæris causam? Rex, Regibus daturus exemplum nascebatur: Discerent ergo Reges, non de naturali affectu & sympathiâ, (quibus, licèt non læso arbitrio, stellæ tamen vtcunque dicuntur influere) sed prudenti iudicio honores & officia distribuere. Sua sit Principis, in hoc ministerio, stella; ne ipse stellæ videatur addictus. Optimum accipientium fatum esto, rectum Principis iudicium: pestis est Principatûs & Reipubl. si Rex sub suâ potestate, quidquid symphaticum stellæ influunt, non cohibeat.

Matth 20. 8. Ministrorum electio, periculosè à Principe delegatur.

Matth. 2. 2.

In hanc, affectu. vel sympathiâ non feratur

614. Videns Ietro, quàm importabili labore Moyses Princeps premeretur, dum ad illum omnes causæ deferrentur: post alia, sic subiungit: *Prouide de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam: & constitue, &c. qui iudicent populum, &c.* Exod. 18 v. 21. In Hebræo est: *Considera ex omni populo viros fortes.* Non tam prouidere iubetur, quàm considerare: nec tam eligi sapientes, quàm fortes, id est, Iustos: nec solùm non auaros, sed quod plus est auaritiam odio habentes. Quid ita? Audi Oleastrum, qui optimè de priuatâ electione Iudicum, prætermissis nunc aliis Administris, Principem sic instituit. *Principum opus Principum est, ad examen hominum, ad iudicandum potius super omnem Populum habere, vt ex eo rectores deligant. Ad vnum etiam depingit prudens senex, & gentilis, quales debeant esse Iudices. Cuius gnomen vtinam nostri Principes manu tenerent, cùm Iudices in Republ. constituunt. Et mirum valde est, quòd inter Iudicis conditiones, scientiæ non meminerit: quòd scilicet essent viri scientes: vt doceret, quòd non tam exigitur in Iudice scientia, quàm fortitudo & stabilitas, & vt auaritiæ sit expers: magis enim in Iudice expetendus est rectus affectus, quàm perspicax intellectus. Notauit etiam hic quidam, à Iudice non solùm exigi, vt expers auaritiæ sit, sed quod maius est, odio eam habeat, vt discat, quàm longè ab ea esse debeat. Nulla enim passio humana ita insectari Iudices videtur, sicut auaritia: ideo eam maximè fugere docet.* Idem cum proportione, circa Ministros alios, Princeps obseruaturus, in diuidendis officiorum honoribus, si rectè officio suo functus vult haberi.

Quos eligat Princeps, in Iudices, in populo suo designate.

Exod 18

In Iudicibus, virtus magis, quam scientia necessaria.

Resipuerat iam Dauid, auditâ Nathan parabolâ: editóque confessionis gemitu, concessam sibi veniam audiuerat: cum subdit Propheta: *Veruntamen, quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter verbum hoc; filius qui natus est tibi, morte morietur.* 2. Reg. 12. v. 14. Sed cur Ethnici, licèt infensi Deo, de scelere Dauidis, eius nomen blasphemarent? Quid faciat hominis culpa, vt Numinis innocentia taxetur? Nouerant vicinæ gentes, non iure sanguinis, non hæreditario titulo, sed diuinâ electione, Dauidem in throno collocatum: hinc ergo, licèt immeritò, apud illas malè audiret, quasi inconsiderans, & qui perperàm, regendo tanto Populo elegerat Administrum: cui æquissimi Ducis Vriæ vita, ad ludibrium: vxor ad voluptatem haberetur. Vatablus in scholiis. *Blasphemare fecisti nomen Domini, id est, fecisti vt Dominus malè audiret, apud inimicos suos: dicent enim, eum constituisse Regem improbissimum Populo suo.* Et speres, te benè auditurum, qui inconsideranter, & ex mero libito, eos Populo tuo assignas Administros, quibus miserè Respubl. diuexatur? Maximè autem, (vt id obiter aduertam) eligendos & præsentandos ad ecclesiasticas dignitates, summâ diligentiâ discutere debet Princeps Catholicus. *Cathedras vendentium columbas euertit* Christus. Templum ingressus. Matth. 21. v. 12. Vbi Origenes, Homil. 15. *Arbitror conuenire verbum de venditoribus columbarum, eis: qui tradunt Ecclesias auaris, & Tyrannis, & indisciplinatis, & irreligiosis Episcopis, aut Presbyteris.* Quasi simoniacâ peste infectis adnumerandus Princeps ille, qui nullâ præuiâ consideratione, immeritis tradit Ecclesias, non tàm pactâ pecuniâ, quàm effræni libito. 615.

2. Reg. 12. Princeps de praua ministrorum electione, infamatur.

Vatabl.

Electio ad Ecclesiasticas dignitates, sit attentissima. Matth. 21. Origen.

II.

Optimæ electionis indicium, electi recusatio: si tamen syncera comprobetur.

Dignitas ergo virtutis inquirenda tibi: illos honora, qui ipsis honoribus, ornamento esse possunt non leui. Habet hoc egregia virtus, vt 616.

Virtus, acceptas dignitates, & honores, adornat.

vt honoris & officij splendores, quibus mactatur mactet illustriùs: ne tam ab his, illa: quam ab hâc illi comptum videantur mutuari. Abbas Cellensis lib. de Pan. cap. 16. post multa de virtute. *Nescit mercenarium: non reclinat caput in sinu meretricio, sed in reclinatorio aureo: luce lustrata, potiùs illam illustrat, quam ab ipsa lustretur. Virtus brauium est agonizantium, triumphantium palma, sceptrum regnantium, corona Sanctorum, Deitatis instrumentum: hac nunquam senescit, sed augmento temporis, proficiens adolescit.* Tale est illud, quod de Deiparâ stellis coronata habet Bernard. serm. 6. de verbis Apocal. vbi ita. *Dignum planè stellis coronari caput, Apocal. 12. quod & ipsis longè clarius micans, ornet ipsas potius, quàm ornetur ab eis. Quidni coronent sidera, quam Sol vestit?* Hos igitur tu mi Princeps, radiis bea, meliorem tibi lucem reportaturus: his coronas impone, amœniùs gloriæ tuæ vernaturas. Sed vnde, inquis, hi tales, sub tantâ humanæ calliditatis versutiâ, cognoscendi, ne aberrem? Longo & attento examine opus est: nulli exhibito signo subesse non potest fallacia: vnum est, quod minus huic periculo exponitur, si Minister, honori cogendus potiùs fuerit, quàm vocandus. Vltrò sequere fugientem: lubens hunc constitue throno, quem trahis inuitum.

617. Importunus, & multus excusat se Moyses apud Deum, ab ineundo Populi magistratu gloriosissimo: Sed multo intensiùs Deus, honorem illi suadet adeundum, donec tandem, dicente Moyse: *Obsecro Domine, mitte quem missurus es:* Exod. 4. v. 13. *iratus Dominus in Moysem est.* ibidem signatius adhuc Lxx. *iratus est iracundiâ Dominus in Moysem.* Nemo sic irascitur, nisi cui, optatum aliquid anxiè, iniquè interdicitur: ardentior igitur optabat iam Deus Moysem prædicto honore cumulare: quàm Moyses, eiusdem onus, è se repellere, & cur ita? quia cupiebat Deus, dignum tanto honori Ministrum adhibere: indéque Moysem dignissimum approbabat, quod se tandiu piâ contentione excusaret. D. Basilius magnus Orat. 17. *Moyses vir Dei, magnus: qui cùm omnibus in rebus, morigerum ac obedientem se se præberet Domino: tamen quando ad Populum Israëliticum mitteretur, inquit: obsecro Domine: alium, quem mittas, pares. At ex eo ipso, quòd excusatione, & confessione imbecillitatis sua, quasi cum quadam contentione Deo resisteret: Deus eum dignum iudicauit, qui Populo praeesset suo.* Sic & tu irascere eligendo Ministro, & recusanti: vince, si potes: sin minùs satis honoratum dimittis, quod rogares. Pulchrè Traiano suo Plinius Panegyrista, honorem è Senatu, fugienti: *Pietas Senatûs, cum modestia Principis, felix speciosúmque certamen, seu fuerit victa, seu vicerit.* Fælix pariter, speciosúmque tibi, cum Administro, certamen: sed & Reip. vtilissimum: si vincitur, quia optimè ministrabit: si vincit, quia iam & te de conatu, iustum, & de pietate patrem: séque de constantiâ fortem commendabit.

Solus dignus honore est, qui honorem fugit

Exod. 4. 13.

D. Basil. Mag.

Hoc Principe, cum eligendo, certamen, vtrumque gloriosũ.

618. Exceperat opiparo conuiuio, sequaces suos, Christus: clamant isti: *quia hic est verus Propheta, qui venturus est in Mundum.* Ioan. 6. v. 14. Subiungitúrque statim: *Iesus ergo cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem: fugit iterum in montem ipse solus.* v. 15. Expendit optimè Caietanus ibi, illud, quòd *venturi essent:* sic scribens: *Non dicit quòd tunc facturi essent ipsum Regem: sed quòd venturi essent: significans quòd illi disposuerant, ad tractandum cum aliis, & redituri ad hoc, vt facerent eum Regem.* Prudenter ergo, & non temerè, rem disponebant, tractandum consilio negotium meditabantur, vt honor condigno modo tractaretur; ita ne Miraculum singulare, turbas pascendi prudenter credatur persuasisse, vt Christo Domino regnum appararet? Et quid, si fortè liberalitate excellens, aliis dotibus regimini necessariis deficeret? merum hominem, ignorantes adhuc Christum putabant: Quid ergo non examinant, an cætera requisita, præter benignitatem, habeat regnaturo? Pende illud, *vt raperent eum:* non assumendus in thronum dicitur Christus, sed rapiendus quasi vi honestâ, quasi piâ coactione adhibitâ: Nouerant iam, quam ab appetitu gloriæ & sceptri alienus esset Christus, vtpote quem non vocare, sed rapere ad regnum cogitabant: Satis id, cum tanti miraculi potentiâ, vt quanuis minutiora alia non discuterent, prudenter hic procedere intelligantur: dignissimus erat honore, qui ad honorem coactus, venturus erat. Non abest idem Caietanus, dum sic. *Vt raperent eum. Monstratur magnus affectus illorum ad faciendum Iesum Regem. Simúlque monstratur quòd cognoscebant, Iesum alienum esse ab appetitu regni: vtpote quem oportebat rapere.* Ita est: Nullum signum, in tam dubio negotio capitur probabilius, quam electorum vis, & eligendi recusatio. Bene iterum citatus Plinius, ad eundem Traianum, initio pulcherrimi operis. *Recusabas imperare, recusabas, quod bene erat imperaturo: igitur cogendus fuisti: cogi porro non poteras, nisi periculo Patriæ, & nutatione Reip. obstinatum enim tibi non suscipere Imperium nisi seruandum fuisset.* & certe ideo, *bene erat imperaturo*, recusare: quia is optimus, imperandis præsumitur iam futurus.

Ioan. 6. v. 14.

v. 15. Caietan. *Electio ad officium, non temerè sed attentissime facienda.*

Dignus honore, qui non nisi coactus, honorē init. Caietan.

Ceciderat Regni sors fausta super Saulem: quæritur à Populo nec inuenitur: *Et consuluerunt post hac Dominum, vtrum nam venturus esset illuc? respondítque Dominus: ecce absconditus est domi: cucurrerunt itaque, & tulerunt eum inde.* 1. Reg. 10. v. 22. Non tam notanda electi Regis fælicitas, quàm regendi, alacritas, Populi: vnusquisque illorum, sortem sibi sperârat auidus, tacitus suspirârat: & tamen frustratis votis, fælici non tam inuident, quàm applaudunt: parum id, contra communem rerum conditionem ipsi sortis corriuales, depositâ rixâ currunt, & hilares adducunt, coronandum. Vnde tam inopinus consensus, tam noua congratulatio? Ni fallor, apertissimum optimi Principis characterem, & præter hominum, quam vnusquisque notabat, conditionem, in vno Saule, prudentes subnotârunt, cui proinde non cedere, effrontis cuiusdam animi existimârunt. Talem fuisse Saulem, vt à diuinâ sorte eligeretur: & aliunde comitiis non adfuisse: immò ex industriâ se abscondisse, ne etiam electus inueniretur, satis illum vel etiam inuitis, imperio dignissimum approbabat. Vtinam talis perseuerâret Saul, & throno perennaret. Iam verò ex humilitate, & ne coronæ ambitiosus videretur fugisse, Interpretes affirmát consori,

619.

1. Reg. 10.

Saulus honoris desertor, ei etiã proter eius animos ins̃e conciliat.

Lyranus.

soni, satis vnus Lyranus. *Abscondit enim se, ex humilitate: & vt ostenderet, se dignitatem regiam non ambire.* Imitetur, mi Princeps, lux illa honorem, quos diuidis, vmbræ naturam: insequentes se fugiat, fugientes insequatur: hæc est germanæ gloriæ conditio. Vnde benè Diuus Hieronym. in Epitaphio Paulæ. *Quantò plus se deiiciebat: tanto magis à Christo subleuabatur. Latebat & non latebat: fugiendo gloriam, gloriam merebatur: quæ virtutem, quasi vmbra sequitur: & appetitores sui deserens, appetit contemptores.*

Honoris, & vmbra analogia.

620. Diecbam initio cautè, in eligendis hoc vnum esse signum, *quod minus periculo exponitur deceptionis.* Nam certè periculo non vacat, omnino. Versutum animal est, quisquis ambitiosus: per fictum cupitæ gloriæ despectum, captat gloriam, & Parthicâ quadam fugâ insequitur deprædandam. Dixi multa alibi ad hanc rem. Nec minùs suspectum vitium, nec minus frequens, illorum, qui cum maximè prouehi gaudeant, cogi se simulant, vt sub falsâ, optimi characteris notâ, imperio aptissimi reputentur. Hinc illud Capitolini de Macrino. *Militarem motum timebat, ne eo interueniente, suum impediretur Imperium, quod raptum ierat, sed quasi inuitus acceperat: vt sunt homines, qui ad ea se cogi dicunt, quæ vel sceleribus comparant.* Technas ambitiosas Tiberij, apud Cornel. Tacit. ignorat nemo. Quò igitur, mi Princeps elector, sub tam periculosæ aleæ negotio, confugias semper, non video: erres aliquando necesse est. Non datur in humanis, etiam apud oculatissimos, iustæ electionis scopum non aberrare quandoque: apicem attingunt, quos ictus rarò decipit: solius Dei est, nec semel falli. Corriges tamen errorem, si promotos iam ad honorem, ad officium, obserues diligens. Si gemunt sub onere, si cupiunt throni pericula euadere, si inuiti assistunt: inuitos etiam, & proinde integros ascendisse, putari potest. Commendabat Eusebius Gallicanus D. Maximum Abbatem, (homil. de eius Laud.) quòd Pontificatus gloriam, diu fugiens recusârit; deinde subdit. *Quid diffugis gloriam, quæ plus additur, dum timetur? quidquid licèt agas, incassum te Patria, per fugam denegas, cui te nuper fuga ipsa seruârat. Quid honorem, quasi indignus repellis? meriti prærogatiua est, honoris repulsa.* En tibi fuga, ad meritum: audi nunc indicia, vnde non illa, dolosæ simulationis, Parthica, sed syncerae pietatis, germana, sit habenda: sic enim post alia Eusebius. *Qui iam dudum in Abbate Pontificem gesserat, postmodum Abbatem, in Pontifice custodiuit: neglector quietis, fugax voluptatis, appetitor laboris, patiens abiectionis, honoris impatiens, pauper in pecuniâ, diues in conscientiâ, humilis ad merita, superbus ad vitia.* Hos tales stabilias, accumules: alios deprehenso iam dolo deiicias, deturbes: Non quòd honorem hilares retineant, (leuis hæc culpa, & bonis etiam Ministris, non aliena) sed quòd tristitiam ambitiosi simulârunt; quâ te deciperent: quòd ibi se coactos mentirentur, quo per scelus irruebant: & inde delabi timeant, quò testabantur, trahi se inuitos.

Ambitio versuta: fingit se nolle, quod ardenter cupit.

Capitolin.

Qui, accepto honori, renũciare, cupiũt auidiùs retinendi

Euseb.Gal.

Idem.

621. Vt igitur in honore & officio retineas securè, iam promotos: honoris adhuc ipsius contemptores approbaueris. *Mihi autem*, inquit Paulus, *absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi: per quem mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo.* Ad Gal. 6. v. 14. Nihil apud homines despicabilius, quam reus affixus palo, & publico supplicio damnatus: id ergo, vt rectè notant Interpretes, voluit Paulus, nihil sibi, humanæ gloriæ ambitum: qui totum Mundum vilissimum, & despicabilem habebat: sicut & ipse, Mundo, vilissimus, & despicabilis habebatur. Primum, egregiæ virtutis est; fælicis cuiusdam securitatis, secundum. Necesse est tamen, ne hoc secundum, omnibus, etiam iustissimis, concedatur: promoueantur ad honores, à Principe necesse est, vt optimè Respubl. disponatur: vnde oculis Mundi, iam nobiles & pretiosi æstimentur. Hoc tamen summopere aduertat Princeps, vt illos eligat, etiam euectos accumulet; qui licèt iam non sunt Mundo crucifixi, & despicabiles: ipsis tamen etiam in throno, Mundus crucifixus, & despicabilis existimatur. Aliter, sed in eundem scopum, locus Apostoli potest explicari, ex mente venerabilis Hugonis de S. Vict. lib. 4. *Super Magnificat*: Vbi (ni fortè meus Codex corruptus sit) duplici Iustorum classe distincta: sic subiungit. *Illis Mundus crucifixus est, & ipsi Mundo: quia per humilitatem, Mundum contemnunt, & per humilitatem, à Mundo contemnuntur. Istis verò Mundus crucifixus non est, ipsi tamen Mundo sunt Crucifixi, quia gloriam humanam, quam foris non quæsitam accipiunt, intus per virtutem humilitatis oblatam contemnunt.* In quo sensu, Mundus aliunde despicabilis, & despectus Iustis, ideo illis dicitur, *non crucifixus*, quia adhuc viuit, gloriam allaturus. Ipsi dicuntur *Mundo crucifixi*: quia instar mortuorum, nesciunt oblata gloria titillari.

Honoris contemptus, gloriosus.

Galat. 6. 14.

Dignitatis gnus in ipso etiam throno, despicabilis.

Hug. Vict.

III.

Culpabilem electionis errorem, pertinaciter fouet iniquus Princeps: æquus, innocentem, & fælicem errorem, tuetur constantissimè.

QVòd si aliquando bonus Princeps, (homo est) affectu magis, quàm iure, aliquem promouerit, id est, indignum, throno collocarit: caueat tamen caueat, obstinatus huius erroribus conniuere; detectâque iam Ministri insufficientia & ignauia; adhuc tanquam benemeritum fouere. Dissimulat quandoque Deus culpam eligentis, quem nimius affectus obcæcauit: at culpam pertinaciter fouentis sic electum, cuius iam ineptitudo vel cæco reuelatur, impunitam non præteribit. Deferebat Arcam Dei, Dauid, in domum suam, plaustro impositam, à bobus asportato. *Postquam autem*, inquit Textus, *venerunt ad Arcam Nachor, extendit Oza manum ad Arcam Dei, & tenuit eam: quoniam calcitrabant boues, & declinauerunt eam. Iratúsque est indignatione Dominus contra Ozam: & percussit eum super temeritate: qui mortuus est ibi, iuxta Arcam Dei.* 2. Reg. 6. Ecquæ temeritas? an non erat Oza Leuita, qui proinde Arcæ tangendæ ius haberet? habebat sanè. Non ergo inde reus. Dices culpam fuisse, Arcam, ex lege, humeris Leuitarum asportandam, bobus commendas

622. *Culpabilem electionem, deprehenso incommodo, fouet iniquus Princeps.*

2. Reg. 6. 6.

mendasse. Bene est: sed planè hæc temeritas, communis aliorum etiam fuit: & si puniri debuit, initio & non post tam longum spatium videbatur punienda. Cur ergo communem culpam luit vnus Oza; idque non cùm imposuit, sed postquam nutantem Arcam tenuit? aut fallor, aut prædictam nostram doctrinam stabilit hoc exemplum. Honorificum illud sacrosanctæ Arcæ onus, condignè tantum humanis humeris Leuitarum fuerat imponendum: dissimulauit Deus, quòd bestiis asportaturis commendaretur. At quòd vacillāte iam Arcâ, honore periclitante, agnitáque, recalcitrantium boum inhabilitate, adhuc vnus obstinatus Oza, quasi iure impositum onus, fotum velit, & indignissimis bestiis asseruandum: id quidem impunè ferre non licebat: vnde dissimulatæ pridem culpæ cumulatum supplicium

Theodor. tunc pependit. Fortasse vidit rem ibi Theodor. quæst. 20. *Cum Deus iussisset, vt Sacerdotes Arcam suis ferrent humeris; præter legem eam tulit in plaustro. Hoc autem eos fefellit, quod cum sit emissa ab alienigenis, nemini nocuit. Sed oportebat considerare, quod neque legem nouerant alienigenæ, neque aderant Sacerdotes, vt conuenienter legi eam portarent, &c. Oza autem cùm esset Leuita, & legem sciret, Dei iram est expertus, quòd eam temerè plaustro imposuerit. Quamobrem euertebatur quidem plaustrum, ille autem causam non intelligens, sed se opem laturum sperans, extremas dedit pœnas.* Sed si Theodoreti verba prædictæ explicationi minùs lucis; saltem multum ansæ dederunt. Pergo.

623. *Iustus Princeps sanctum & 'alicem, si fortè electionis errorē fouet constantissimè.* Genes. 27.

Longè aliter, non tam obstinatus quàm constans, Iustus Princeps erga eum, quem etiam sub innocenti errore, meritò prouexit. Rugienti Esau, & ablatum sibi benedictionis honorem deprecanti, respondet Isaac: *Benedixi ei, & erit benedictus*, Genes. 27. v. 33. Solabatur infaustum filium, errore se deceptum testabatur: & tamen factum approbat, neque irreuocabilem fore benedictionem, saltem dissimulat: hoc-ne misero solatium fuerit? exponitur error, nec tollendus promittitur, sed fouetur? nimirum, didicerat iam a Deo, sub fœlici & innocente errore, prudentissimam electionem latuisse: maluit minùs blandus Pater pietati, quàm inconstans elector reputari,

Hamerus. Iustitiæ. Hamerus ibi, *Admonitus haud dubiè diuinitùs, hoc suo errore erat, vter duorum filiorum, alteri præferendus esset: facilè igitur minorem natu, maiori antetulit vsque adeo, vt constanti animo diceret; benedixi ei, & erit benedictus. Sic error ille quo minori filio nolens benedixerat, gratus erat, maximéque Patri salutaris. Neque enim hic error illi fraudi esse poterat.* Prætereo Dauidem, quem inter tot virtutes fœdauit næuus ille, quod malè euectum Sibam, detecto iam errore, fouit pertinaciter: & Pilatum, quem inter tot vitia subsequitur laus illa, quòd bene semel inscriptum Christo honorem defendit constantissimè:

2. Reg. 19. Dauidi illud, *Fixum est, quod locutus sum*, 2. Regum 19. v. 29. opprobrio: Pilato

Ioan. 19. 22. illud, *quod scripsi, scripsi*, Ioan. 19. v. 22. vertitur encomio.

***

R. P. Pinto Ramirez Monit. Polit.

IV.

Quando, & ad quem gradum possit promoueri indignus: si vltrà, iam ludibrio, & dedecori exponitur.

624. *Vir dotibus insignis abiecto ministerio non addicatur, dum vilis ad illustria promouetur.*

NOn reprehendam, si quandoque Princeps, humano affectu, in liberalitatis ostentationem, vilem aliquem homunculum, & meritis destitutum, in eum saltem honoris gradum promoueat; vnde nihil Reipubl. & ministrandis officiis sequatur detrimenti: quis enim hoc, pompæ regiæ denegauerit? Illud tamen indignum, & meritò reprehensibile abominor: si interim vir egregius, & multis cumulatus meritis, ad infima, & indigna ministeria, vilissimáque officia deprimatur: vt dum illum pia liberalitas euehit; hunc lædens tunc abiiciat iniustitia. Mira est comparatio illa Pauli, quâ prædestinantis, & eligentis Dei ad salutem, tenorem explicauit. *An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massâ, facere aliud vas in honorem, & aliud in contumeliam?* Rom. 9. 21.

Roman. 9. v. 21. Putes figlina vasa humanæ naturæ fragilitati denotandæ, huc vocata: sed certè si fragilitas quæreretur, commodius huc vitrea afferrentur, quæ vt lenis flatus componit, sic etiam aura leuissima dirumpit. Si ergo iam fragilitas exprimenda non captatur: cur figulus potiùs, quam Aurifex huc vocetur? cur lutea potiùs, quàm pretiosa vasa, quæ comparationi, perinde fore visa, non adducantur? Respondet politissimè Rupertus lib. 8 in Genes. cap. 37. *Non dixit, an non habet Aurifex siue Argentarius potestatem facere de eodem auro, aliud vas in honorem, aliud in contumeliam? quod indignum posset iudicari: sed à figulo luti argumentum similitudinis competenter edixit. Figulus namque luti, nihil luto adimit, faciendo de illo vas in contumeliam, cùm ipsum lutum contumeliosum sit: multum autem illi confert, dum ex eo vas in honorem facit.*

Fictilia Lusitana pretiosa. Nihil adimit Lusitanus figulus luto, dum ex illo cacabos format, fuligine & titionibus infuscandos: qui certè multum illi confert, dum ex eodem scyphulos sic comit, vt inter muliebris mundi delitias numerentur, & collo inter monilia (quod passim cernimus) appendantur. At aurifex, licet aurum sic possit promouere, vt interiectis gemmis exornetur: nunquam tamen absque iniuriâ, pretiosum sic deprimet metallum, vt illud ad bestiarum soleas, & verrendarum sordium instrumenta deduxerit. *Obstruitur*, concludit sanctus Doctor, *itaque omne os: Nihil enim Deus* Idem.

adimit eis, quos esse vasa contumeliæ permittit, quia suo sunt vitio lutum facti: facit autem gratis, quod non debuit, cùm aliqua ex eis format vasa honoris. Habes exemplar optimum, mi Princeps: Non putes in tam diuersâ massâ ex æquo ludere: luteam aliquorum ignauiam, quam sub nullâ iniuriâ, patereris suis sordibus delitescere: quandoque non debitor, sed liberalis promoue: dotes tamen egregias, auream indolem, quas quidem illustrioribus radiis potes illustrare largus, nunquam nisi iniquus, abiectis ministeriis deputabis.

625. Quid, si quod tunc ignauo isti tribuis, strenuo alij venerat necessarium: quasi huic ereptum, illi

Non vero vilibus quâdâque honorum tribui, dummodo benemeritis. Propterea non subtrahatur. Matth. 15.

concedatur? tunc quidem iniqua prodigalitate laborabis. Tunc ergo lutum illud licuerit honorare, cùm indidem hoc aurum non obscurandum. Pie importuna solicitabat filiæ salutem à Christo Chananæa: ad quam tunc Dominus, *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*, Matth. 15. v. 26. Dei benignitas, qui Solem suum, qui lucis suæ flores, super bonos & malos nouit spargere: qui pluuiæ suæ vbertatem iustis & iniustis nouit communicare: hic tam seuerus canibus panem denegat? absit. Non dixit Christus, non esse bonum mittere panem canibus: *sed sumere filiorum*, id est tollere filiis necessarium, canibus proiiciendum: vt quod illis eripitur, his tradatur. D. Petrus Chrysologus sermone 100.

D. Chrysol. *Non dixit, non est bonum mittere canibus, sed, non est bonum tollere filiis, & mittere canibus; quia dare panem canibus, & si humanitatis non est, humana tamen est rationis. Canis, dormientibus dominis nocte, custos & peruigil prodit extraneum, turbat furem, occurrit latroni, vt curam releuet & solicitudinem seruiorum.* Non itaque denego Principi, immo commendo, si honores quandoque, & nullius periculi, proletaneis familiaribus concesserit: illud durum, illud tyrannicum, si interim classi i, id est grauissimi viri ingemiscant: armorúmque & litterarum splendore decorati, negatas sibi micas doleant, dum otiosi Aulici poline saginantur. Sed hic locus, infrà denuò recudendus.

626. *Indignus ad dignitatem euectus, ludibrio exponitur.*

At verò, quando illius generis est honor, illius est officium conditionis, vt non nisi cum periculo publico geratur, tunc indignos admittere, etiam dignioribus non offensis: non quæuis iniustitia est, sed illa immanis. Res clarior, quàm egeat illustratione. Id ergo in hoc negotio singularius, Principi meo suggerere, putaui grande operæ pretium: vt corrupti huius affectus euitarit venenum, hos scilicet indignos, indignissimè promotos: non tam indebitò honore, & improportionato officio visos decorari, quàm vulgi ludibrio, & Prudentum exponi irrisioni: tunc maximè cùm digniores iacentes deprimuntur. Repono Danielis locum, quem in alio opusculo nostro iam apposui: sed multis denuo additis, non fastidiendum. Dubitabam, quidnam, tot inter scelera, boni conseruaret, illa Nabuchodonosoris Monarchia, in arbore figurata, Daniel. cap 4. vt quamvis succidi mereretur, non tamen insanabili ictu detruncetur: sed relicto radicis germine v. 12. se iterum pullulaturam consoletur: Respondi inter tot gubernantis Principis deliria, gnomen illam prudentissimam retineri, (à qua alienissimus fuit nepos eius Baltasar) qua viri insignes aliqua dote, & industrij, ad honorum culmen promouebantur: ignauis interim & desidibus, depressis: quibus solummodò repere fas erat. Hoc est, quod de hac arbore dicitur: *Subter eam habitabant Animalia, & Bestiæ: & in ramis eius conuersabantur volucres cæli.* Vers 9. Dedi venerabilem Richardum Vict. qui apud Godefr. ibi, ita. *Discant Prælati nostri, discant quid facere debeant: discant, inquam, indisciplinatos premere mores; honorare & extollere bonos. Quid quæso hoc genus monstri est, quòd nostri temporis arbores, vrsos & leones portant in ramis: volucres vero cæli, & quævis animalia pennata premunt sub ramis?* Hucusque ibi, licet comptiùs. Nunc ad rem.

Dan. 4.

Digni promouendi, & turbadi indigni.

Rich. Vict.

Quid est aliud torpentes & graues bestias, in ramos, (auium locus est) subleuare, quàm illis adornare volatum? Ecquis non rideat, si quadrupedes cernat, turpes pilos, in generosas pennas affectare, subsultare volatui? tenuiores rami ludentes auiculas sustentant, bestiis sustentatis, etiam robustiores franguntur: an non ridiculum est, sub specie honoris, sub amoris prætextu, eò has attollere, vnde certa ruina dilabantur? Sic indignis euenit, ad culmen euectis: in lubrico degunt, consistunt in fragili, vbi non nisi elati queant sustineri: at certe fauoris illius machina, qua tanquam pennati, eò extolluntur: non tam induxit alas, quàm patentem iam inertiam omnibus traduxit: vnde necessarium præcipitium adornetur. Ideo subdit idem Richardus. *Quid quæso est, quod facitis, qui eiusmodi bruta & bestialia corda, in sublime attollitis, & velut in aëre suspenditis? Si verè eos diligitis, cur eis non parcitis? nam dum eos ad alta suspenditis, eis ruinam vtique præparatis. Conuersentur volucres cæli in ramis, locúmque teneant in summis, quos penna subleuat sanctitatis: bestia in imis resideant, & qui pronos vultus habent, per appetitum carnis, districtionem sentiant præ seueritatis, & iusta humiliationis.* Non ludit liberè in aëre, non saltat tuto in aëriis ramis, nisi pennata velocitas: belluina tarditas, solummodò vt ruat, in aëre suspenditur: non minùs hinc ridicula, digitis denotanda, excipienda sibilis, quàm si oncaris philomelicæ musicæ laudem sibi arrogaret.

627. *Indignos periculosum & ridiculum est sustollere.*

Rich. Vict.

Redeant verba illa Christi, ad Chananæam, quæ huc remiseram. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*, Matth. 15. v. 26. in Græco οὐκ ἔστι καλόν, *Non est pulchrum, non est decens.* Sed quibus non est decens? non solùm filiis, quibus eripitur: & dantibus, qui malè dispertiunt. Sed magis accipientibus, qui fruuntur indebito. Accipio in hoc loco *panem* ex frequenti vsu Scripturæ, pro omni genere eduliorum, quæ filiis etiam delicatè nutritis apponuntur. Non est ergo decens belluinæ vilitati, humanis & delicatis ferculis indulgere. Quis enim tanquam monstrum non miraretur, & inde non in cachinnos solueretur, si asinum bellariis & altilibus cerneret se pascentem? Lucianus in Dialog. inducens Asinum his se infarcientem, ita subdit de spectatore μέγα ἐν γέλωτι ἀναβοήσας, *præ cachinno exclamauit*, &c. Apul. lib. 10. postquam afflictos quosdam inducit, quibus pretiosa & humana edulia occultè absumebantur, nec præsumeretur rapina, Asino imputanda: sic statim de eisdem, Asinum & furem & epulonem esse subnotantibus: *Nec vllâ morâ iam damni sui habitâ, mirati monstrosas asini delitias, risu maximo dirumpuntur.* Et paulo post de eodem Asino, ad mensam excepto. *Mensâ positâ, omne genus eduliûm solidorum, & illibata fercula iussit apponi, &c. interim conuiuium summo risu personabat.* Tale aliquid in hoc loco Christus inculcabat, dum sub filiorum canísque comparatione: non bonum esse dixit etiam ipsis indignis, si ablato dignioribus honore ipsi perfruantur, quasi inde ludibrio, & irrisioni exponendi. Et quidem euenit sæpe, vt dignus, qui priùs doluerat, præreptum sibi honorem, datum indigno: eundem postea ineptissimè se gerentem, & quasi indebitis delitiis monstrosum, nullâ proprij damni habitâ morâ, non iam doloris, sed risûs habeat materiam. Prudenter igitur

628. Matt. 15. 26.

Monstrosa dignitas, ipsique maxime indecens.

Lucian.

Apul.

Et dignus, quibus erepta, non tam dolori, quam risui exposita.

Igitur paulo post Chananæa, non tàm solida digniorum fercula, quàm elabentes micas, abiectæ instar catellæ, postulauit. Facit dictis sententia illa Saluiani, lib. 2. Ad Eccles. Cath. *Nihil est turpius, quam excellentem esse quemlibet culmine, & despicabilem vilitate, quid enim est aliud Principatus, sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus, sine homine? Aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? & ideo cunctos, qui Sacri Altaris suggestu eminent, tantum excellere oportet merito, quantum gradu.* Quos igitur aliter euehis, mi Princeps: potiùs ludibrio exponis, inque dedecus & præcipitium deducis.

Saluianus. Prælati Ecclesiastici, quales esse debeant.

629\. Inde capies verba illa Prodigi adolescentis, iam reuerti ad Patrem: id est Populi gentilis, (vt fere omnes Patres testantur) iam ad Deum conuersi. *Pater, peccaui in cælum, & coram te: iam non sum dignus, vocari filius tuus.* Luc. 15. v. 21. commutanda potius sententia videbatur, vt in Patrem, coram Cælo, peccâsse, diceretur: sed ille iam prudens probè nouit aptiùs suo modo texendam confessionem: vtpote qui videbat, culpam suam inde in Deum grauissimam: quod coram ipso Deo Cælum offenderet, & vnde inquis, læsum Cælum ab hoc Populo? quia Idololatra, cultum & honorem, quos præsenti Numini, dare debuerat: astris consecrauit. Suppuduerat nimirum Astra, suppuduerat Cælum indebiti honoris: & dum ad tantam dignitatem indigna se penitus agnoscunt, iure indignantur: quia se non tàm decorari & coli: quàm pollui præsentiunt, & profanari. Sic capiendus ibi D. Petrus Chrysol. Serm. 5. *Peccaui in Cælum: dum in Cælo, Solem, Lunam, Sidera, Deos esse blasphemat: & hæc eadem profanat adorando.* Dedi alibi ad rem aliam, hunc locum: quem insuper illustro pulchris verbis D. Athanasij, quæ nouæ huic, quam affero explicationi, tota fauent. Ergo S. Doctor, Orat. 1. de Cruce, apud Græcos. postquam Creaturarum pulchritudinem describit, sic subiungit. *Sed cùm hæc omnia pulchra inprimis fuerint, præstantissimáque, Sapientiæ horum omnium effectricis, machinamenta: Homo tamen hanc eius pulchritudinem deturpauit: immoderatâ venerationis abundantiâ, iniuriam, ijs ipsis, quæ coleret, molitus: Cùm enim in res conditas, admirationem contulisset, quæ rerum conditarum modum superaret, & excederet: ignominiam ijs, quæ coleret, offudit, ita Creatura nolens & inuita, mater erroris fuit effecta.* Vt iam insensibilibus Creaturis, insensibiliores sint Nostrates, qui indebitum proportionaliter honorem, non iniuriæ & ignominiæ sibi illatæ, sed collato beneficio solent deputare. Tu tamen caue mi Princeps, ne pro materiâ subiectâ, Prodigi huius prodigalitatem imiteris: quin potiùs, si quid distribuens deliquisti, eiusdem pœnitentiam æmulare.

Indignus, dignitate ipsa polluitur, & fœdatur.
Luc. 15. 21.
D. Chrysol.
D. Athan.
Indignus, de dignitate sibi complicem insensibilibus peior.

630\. Illum ergo eximium honorem puta: tunc Administrum existima decorari: cùm præcedentia merita egregia thronus subsequitur. Obstupuère discipuli maiestatis solium, gloriam splendoris, Transfigurati Saluatoris: iam se tubas, in præconium apparabant, obuiis quibusuis, honoris tanti culmen, festiuo quodam boatu insonituras. Ad quos tunc Christus præcipiens, ait: *Nemini dixeritis visionem hanc, donec filius hominis à mortuis resurgat.* Matth. 17. v. 9. Discutiunt Interpretes causam, quasi obscuram: sed meo iudicio, ipsismet verbis Dominus, illam inculcauit. Noluit lucis honores, gloriam maiestatis, ante resurrectionem à mortuis, (qua, mortis passurus tenebras, prædicitur) diuulgari: ne his, qui hanc illi gloriam, solo filiationis titulo, debitam ignorabant: minùs decens is honor videretur, quem Crucis merita, quem tantæ victoriæ decus non præcederet. Origenes, ibi, Homil. 3. *Vult Christus, vt nemini manifestetur gloria eius: ante gloriam Passionis, & Resurrectionis ipsius*, ita est: nescit honoris gemma, nisi meritorum aurum adornare: imò nec fulgurare potest: hebescit, eius splendor, si plumbo inseratur.

Honor, solùm post merita, speciosus.
Matth. 17. 9.
Origenes.

V.

Nobilitas ignobilitati præferenda: sed qualis.

631\. Svb pari meritorum prærogatiuâ, & aliarum virtutum consortio: semper apud te, Princeps optime, hæreditariæ nobilitatis suffragium præualuerit. Nitet fulgentior dignitas, auitis splendoribus scintillata: ipsa virtus generosior, antiquitatis stimulis animatur, ne degeneri næuo commaculet illam lucem: ne inter tot radios caligo deputetur, & inlustris familiæ aut monstrosa statua habeatur, aut inter proprias sordes, portentum nobile. Fusè iam in hanc rem profani Politicorum Scriptores; non delibo: breuior & apud Catholicos Principes, procedam religiosior. Non igitur in Christianæ humilitatis despectum, (absit) nobilitatem præfero: Sed quod cum in ipsa nobilitate, syncera & sæpe pulchrior humilitatis virtus reperitur: efficaciorem longè apud Populos (Ius sanguinis adorantes) etiam pijssimis ministeriis experimur. Repudiato Saule, virum secundùm cor suum, in Populi sui Regem elegit Deus, & è nobilissimâ Tribu Iudæ, ab ouibus, ad gubernacula, Dauidem auocat: 1. Reg. 16. v. 1. Vt prisca illa nobilitas, nouo tegij diadematis splendore, immensum apud homines nobilitaretur, quæris causam? Quærebat sibi Deus Administrum, cui, id condigni officij imponeret, vt fere Prophetarum primus, diuina eloquia Populo nuntiaret, & Christi venturam fælicitatem manifestius prædicaret. Putauit igitur congruum, vt & generis, & throni nobilitate splenderet, vt ita efficacior Populum rudem adhuc, in diuinum obsequium alliceret Rupertus lib. 4. Cantic. ex ore Christi. *Amici nostri, per quos administrata sunt eloquia Dei, oportuit vt essent, non solùm authoritate diuinâ præditi: verùm etiam potestate mundanâ præcelsi. Qui fere primus, vocibus manifestis, cantaturus erat mysteria Regni nostri & virtutes sæculi venturi: oportuit eum Regem fieri, Regem Dauid potentem, & secundùm nomen suum, bellatorem, manu fortem: vt pueros, siue pueriles Populi animos, qui nesciunt sponte curam habere de futuris, & inuisibilibus: nimis inhiando præsentibus istis visibilibus: authoritate frangeret, regia potestatis.* Priùs itaque nobilis genere, sceptro deinde redditur nobilior; vt aptior facto etiam fungendo ministerio redderetur: Prætereo Baptistam, è nobilissimo genere electum, de quo alibi, vt apud Populum, efficacior Christo præcurreret Administer.

In electione, cæteris paribus nobilitas, ignobilitati præferenda, & cur.
1. Reg. 16. 1.
Nobiles, si probi, ministerijs, longe aptiores.
Rupertus.

632.
Nobilitatem tamen probo: non, nobilitatis fastum, & arrogantiam.

Illa tamen illustris generis nobilitas attendenda, quæ quò nitet radiantior, eò comior nouit subditis attemperari: quæ sic retinet auitum splendorem, vt inde sibi aliquid non arrogârit: quæ non tam intumescat iure hæreditario, quàm se inde modestiæ, & Christianæ humilitati, nouerit obligatiotem. Parabat Deus Iacob familiam extollere apud Ægyptios, vt post longum, his spoliatis, æuum, ditior & excelsior in Patriam remearet, fundatura illam Monarchiam, quæ Reges potentissimos, vsque ad Regem Regum Christum, intacta deduceret. Quis non putaret, vt nunc de aliis Iacob filiis taceamus, in Ægypti thronum Iudam destinandum? inchoaret ipse imperium, à quo regia Tribus erat deriuanda: delibaret Ægyptios honores, qui tandem patriis erat cumulandus. Et tamen spretis cæteris, Iudâ prætermisso: vnus Ioseph, vt nôsti Ægyptiæ dominationi apparatur. Causam ni fallor, initio eiusdem historiæ tacitè videtur inculcare Scriptura. *Ioseph cum sedecim esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis, adhuc puer: & erat cum filiis Balæ, & Zelphæ vxorum Patris sui.* Genes. 37. v. 2. Pastoritium munus commune illi erat, cum fratribus omnibus: priuatum tamen tugurium, & familiarius commercium, cum iis fratribus: qui à Bala & Zelpha, fuerant procreati. Magna hæc & excellens virtus, vt eximio honore digna, sic publico imperandi officio aptissima. Ecquæ, inquis, tanta virtus? comem, non tumidam, non proteruam, sed facilem, nobilitatem generis exhibuisse. Superbientes filij Liæ à generosiori Matre, fratres, ab ancillis, ortos, tanquam vernas despiciebant: at Ioseph Rachel filius, fastum hunc conculcans: indidem se his abiectis, suauiorem, & familiariorem exhibebat. Lyranus ibi. *Filij Liæ despiciebant eos, & reputabant eos quasi seruos: & ideo Ioseph, qui erat de principali vxore, faciebat eis societatem, ad eorum consolationem.* Dignior proinde, cui vtraque fratrum familia prosterneretur: qui thronum conscenderet, qui tanto, gubernandi Populos, muneri præficeretur.

Gen. 37. 2.
Humilitas, in nobilitate, quam sit Deo pretiosa.

Lyran.

633.
Nobilitatem probo, qua gentilitios titulos, virtuti submittat.

Illa, officiis aptior, illustris generis, nobilitas attendenda, quæ commisso sibi officio rectiùs fungendo, titulos suos submittit: neque per suscepti muneris iniuriam, nomen sibi clarius contendit. Reducendæ tandem gloriosissimæ tot Patriarcharum familiæ in Patriam, Moyses eligitur: non iam solius Regiæ Tribûs, Iudæ, sed etiam Iosephi, nedum aliarum alumnis prætermissis: notârat, vt credo Deus in Leuitico Moyse, optimam supremo honori indolem: ingenium tanto officio commodissimum. Prætermitto!, quòd cum in filium Reginæ splendidissimum adoptaretur: hanc nobilitatem conculcauit, vt peregrinus, cum populo, vt Apostolus aduertit, affligeretur. Maius est, quod historiam, sic diuinus Chronologus incipiat. *In principio creauit Deus Cœlum, & Terram.* Genes. 1. v. 1. Nullum honorem hoc maiorem, nullum dignius officium accepit Moyses, isto vno: quòd Sacræ & Canonicæ Historiæ Scriptor deputetur: ad cætera magno; huc diuino etiam Spiritu, afflari opus erat. Potuit quidem scripturo obreperę humana & pellax cogitatio, sic insusurrans. O benè, quòd scribendo addiceris, fælix Moyses! datur ansa, vt nobilitatem tuam euehas super Astra: nouit Orbis scripta tua lecturus, te *Moysem* vocari, id est, *ab aquis eductum*: quod è fluuio Nilo eduxerit te Regina. Sunt multi qui aquam, rerum omnium principium, & Numen protestantur, iurabit id contentiosissimè Thales Milesius: quin & Ægyptij, hunc Nilum, id est, ipsissimam ortus tui scaturiginem, pro Deo colunt. Ergo agedum, inchoa historiam, rerum omnium causam, non Deum, sed aquam vocans: & ecce origo tua ipsi nomini impressa, iam cæteris omnibus nobilior existimabitur, dum stipitem nobilitatis refers aquam, quasi recta linea, & proxima successione, ad quam cætera omnia, è longè referuntur: O quid agis, tam aliter incipiens? At Moyses infallibili addictus veritati, calcata ambitione, mallet nobilitatem suam penitùs obscurari, nedum non augeri, quàm scribendi officium lædere vel leuissimè: & per commissi sibi honoris iniuriam, gentilitium stemma decorare: ideo ingenita ab Abraham nobilitate & regiæ adoptionis decore iam illustris: insuper ad summum diuini Chronographi honorem dignus aduocari. Prælucet dictis D. Ambros. lib. 1. Hexam. cap. 2. ad hunc locum, vbi ita. *Quis hoc dicat aduertere debemus: Moyses vtique ille, eruditus in omni sapientia Ægyptiorum, quem de flumine collectum, filia Pharaonis vt filium dilexit, & subsidiis regalibus fultum, omnibus sæcularis prudentia disciplinis, informari, atque instrui desiderauit. Qui cum de aqua nomen acceperit, non putauit tamen dicendum, quod ex aqua constarent omnia, vt Thales dixit. Et cum esset in Aulâ educatus regiâ: maluit tamen pro amore Iustitiæ subire exilium voluntarium, quàm in Tyrannidis fastigio, peccati perfunctionem, delicias acquirere.*

Gen. 1. 1.

D. Ambros.

Illa denique illustris sanguinis nobilitas attendenda, quæ se pro tempore nouit dissimulare quandoque, ne commissi sibi officij negotiis possit obstrepere: vt enim nobilitas opportunè patefacta, efficaciam gerendis rebus passim importat, sic aliquando imprudenter inculcata, non minimo impedimento esse solet. Post longum Christi, cum Samaritanâ colloquium, facta iam, sacræ aquæ, insinuatione, ait illa: *Nunquid tu maior es Patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, &c.* Ioan. 4. v. 12. Nihil ad hæc Christus: sed solummodò promissum fontem suum præsenti, Iacob, fonti comparauit. Non loquor de Christo Deo, & proinde incomparabili: Certè Christus homo, longè maior, longè nobilior progenitore Iacob: semper enim in non degeneri familia, sed quæ nouis incrementis decoratur, præstat vltimum germen, radici, quam, miris, longæ successionis, splendoribus irradiat: Cur igitur se Christus, maiorem, quàm Iacob, hîc non fatetur: vt muliercula reuerentior facta, promptior obediret? quia vidit minùs benè dispositam tunc mulierculam, vt id crederet: tantúmque aberat, vt nobilitatis ingenuæ reuelatione, illam alliceret: quin potiùs cachinnantem effugarit. Bonus & salutaris redemptionis nostræ Administer: qui maluit dissimulatæ nobilitati aliquid derogare, quàm femellæ saluti hinc obstrepere. D. Ioannes Chrysost. tom. 6. Homil. de Samarit. *Prolata fuerant in medium per vna Iacob, & Christi: sed vnius à per [illegible] luctæ: venit ad luctam aquarum, ac [illegible], quæ videntur. [illegible] maior sum [illegible]*

634.
Nobilitatem suam quandoque bonus Minister, debet dissimulare.

Ioan 4. 12.

D. Chrysost.

[illegible]

Iacob: confestim illa, in vrbem aufugiens, abacta esset, restituisset ante responsum, & antequam verba fecisset, ad ciuitatem peruenisset dicens: hic quidem insaniuit, homo est aliquis à Dæmonio vexatus, lunaticus est, & phrenesi laborat: cùm sit vnus aliquis peregrinus; & nullius pretij, maiorem se ipsum Patre nostro dicit. O quoties intempestiuè & arroganter inculcata nobilitas Administri, negotium corrumpit, exasperatis aliis, & sibilantibus! His dotibus cumulati Nobiles, auitumque stemma sic temperantes, iustissimè, & prudentissimè, Ignobilibus, sub meritorum paritate præferuntur.

VI.

Pharisaicum & dæmoniacum est, virtuti, honorique ignobilium; generis vilitate obstrepere. Id à Principe pio quàm alienum.

635. COnsultò dixi, principio & fine superioris Tituli, *sub pari meritorum prærogatiuâ*, sic moderatos Nobiles, ignobilibus, præferendos: quippe Nobiles illos, qui degenerant, & hæreditarium splendorem, in vitiorum fomitem administrant, quis nisi amens, putauerit eligendos? Bene D. Ambrosius in Psalm. 118. Serm. 2. ex ore Dei. *Non te decipiat data Patribus repromissio: non suscipio personam hominis, non suscipio prærogatiuam generis, nisi videam congruentem generi, morum nobilitatem, vt fiat iusti generis electio.* Parum sit, non fore nouis titulis, condecorandos: spoliandos insuper veteribus & hæreditariis censeo, cùm iam furiunt effrænati: quia, vt rectè Ruffinus Pius lib. 1. in Amos: *vilescit concessa nobilitas, si non auferatur indignis.* Planum hoc. Est aliud notatu dignius, quod præmissâ cautione volui significatum: scilicet, ne vnquam Princeps Catholicus, eò adulteratæ Prudentiæ, & tyrannicæ Politices deueniat, vt meritorum rationes, solummodò computandas crediderit ab origine, & eò ipso aliquos, & honoribus, & officiis indignos habeat, quòd nascantur ignobiles. Erubescat immanis, & stulta hæc dispositio, brutorum prudentiorem Politiciam. Transcribo pluscula ex D. Ambrosio, lib. 5. Hexam. Cap. 15. post alia de gruibus. *Præcedit vna, & præcurrit cæteris præstituto sibi tempore, & quasi ante signa præcurrit: deinde conuertitur, & sequenti, sortem ducendi agminis cedit. Quid hoc pulchrius, & laborem omnibus, & honorem esse communem, nec paucis arrogari potentiam, sed quadam in omnes, voluntariâ sorte transcribi? Antiqua hoc Reip. munus & instar liberæ ciuitatis est. Sic ab initio acceptam à Natura, Auium exemplo, Politicam homines exercere cœperunt, vt communis esset labor, communis dignitas: per vices singuli partiri curas discerent; obsequia, Imperiáque diuidere, nemo esset honoris exsors, immunis laboris. Hic erat pulcherrimus rerum status: nec insolescebat quisquam perpetuâ potestate, nec diuturno seruitio frangebatur, quia & sine inuidiâ erat, ordine muneris, & temporis moderatione, delata promotio: & tolerabilior videbatur, quæ, communi cadebat sorte, custodia. Nemo audebat alium seruitio premere, cuius sibi successuri in honorem, mutua forent subeunda fastidia: nemini labor grauis, quem dignitas secutura releuaret. Sed postquam dominandi libido*, &c. & cætera, quæ sequuntur pulchriora. Nolo, imò nequeo, præsentem Politiciam, in hanc, prædicti statûs, reducere fælicitatem: id tantùm opto, ne perstet Princeps pius, in Ignobilibus genere, virtutis dotes, iura meritorum deprimens, ne habeat honoris exsortes, quibus cum Naturæ consortium habeat, necesse est: præferat Nobilitati priscæ, virtutem nouam: reddat honoribus & officiis nobiles, quos meritorum candidissima suffragia commendant.

Nobilitas, absque virtute, infamia.

D. Ambros.

& degeneri subtrahenda.

Ignobiles, si digni, etiam promouendi.

D. Ambros.

636. Nihil est itaque à vero alienius, quàm à nobilitate generis solummodò, merita probare: nihil stultius, quàm in tugurio ortum, nunquam post virtutes egregias, Aulæ splendoribus, dignũ existimare. Pharisaicam hanc labem, auertat à Catholico pectore, Princeps generosus: credat sub sordido palliolo, posse virtutes latere pulcherrimas, quibus inspectis, iam illud in Purpuram commutare teneatur. Proposuerat Christus Dominus Pharisæis, æternæ vitæ fontem, è sermone suo seruato, scatere: ad quem tunc isti. *Nunquid tu maior es Patre nostro Abraham, qui mortuus est: & Prophetæ mortui sunt. Quem te ipsum facis?* Ioan. 8. v. 53. Non dicunt; quis te sic tumidum facit? sed, *Tu, quem te ipsum facis?* quasi pro plano haberent à nemine cordato; nec à virtutibus, nec ab Scripturâ Sacrâ, sed à semetipso, & proinde falsissima suffragia Christum allaturum, & vnde, inquis, tam contumax, & sibi tam plana visa persuasio? ignobilem, vtpote Galilæum, & Fabri filium, Christum reputabant: ideo Pharisaicâ obstinatione, nihil ab illo excellens sperandum recolebant. Theophylactus ibi. *Contumeliosè dicunt: Tu, qui nullius momenti es, qui fabri filius, qui ex Galilæâ, quem te ipsum facis? Neque opera, neque veritas, neque Scriptura: sed tu, quem te ipsum facis?* tu videris an vnquam perniciosius sophisma pro demonstratione venditetur.

Pharisaicũ est si ignobiles iustos, nũquam idoneos honoribus habeas.

Ioan. 8. v. 53.

637. Quid? etiam virtutes, & egregia Christi opera, demirari Iudæi, & fateri coacti: nunquam tamen, præ inuidiâ à Diuinitatis fonte manantes, credere sustinuerunt, vnde tanta durities? quia vilitatem originis terrenæ in Christo recolentes cælesti vniendam excellentiæ non credebant. *Veniens in Patriam suam*, inquit Matth. *docebat eos in Synagogis eorum: ita vt mirarentur, & dicerent: vnde huic Sapientia hæc, & virtutes? Nonne hic est Fabri filius? Nonne mater eius dicitur Maria?* &c. Cap. 13. v. 54. Vbi D. Petrus Chrysol. Serm. 48. *Non sic Nubes, Cælum; non diem, Solem, caligo: quomodò mentem cæcat & tenebrat Inuidia, liuor hoc Iudæorum probat, qui Christi sapientiam miratur, virtutes stupet, attollit opera, dicta suspicit: & tamen, ne in ipso videatur diuinitas, Deitas sentiatur: carnalium parentum nomina commonet, & diuulgat.* Neque nos caligemus: Inuidia est, quâ Nobiles laborant dum egregia nobilissimáque Ignobiliorum opera & cernere & mirari coacti, quæ negare non possunt, contendunt imminuere, quasi à minus puro fonte profluentia: abiectos natales euoluunt, mechanicos parentes, quasi satis hinc probent miserè excæcati, deteriores dotes esse, quàm videantur. Maius est, quod post multa addit Chrysologus. *Iudæi sciebant Christi opera, diuinæ virtutis*

Etiam, post egregias virtutes spectatas, nihil ignobilibus tribuendum, putãt impij.

Math. 13. 54

D. Chrysol.

Id, ex nobiliorum prouenit inuidiâ.

tutis esse, non esse possibilitatis humanæ: sed liuoris nubilum, malitiæ fumus, visum spectantium caligabant, ne lumen Christi, ne tempus Euangelij peruiderent, dicendo: hic est Fabri filius, &c. *Vt arte vili ars lateret Authoris: & Deitatis nomen fabrile nomen absconderet.* Itaque etiam dum merita tanta, quanta sunt, nôrunt: personam præ liuore videntur ignorare, dum adhuc indignam habent, & sub arte parentum vili, contra fas omne contendunt obscurandam.

638. Multa signa, iam apud Pharisæos, fecerat Dominus: & tamen: *Rogauerunt eum vt signum de cælo ostenderet eis.* Matth. 16. v. 1. Quasi dicerent, ni fallor: nobilissimum te Patrem iactas habere Deum: è cælo ergo, id est, è regno eius, educ signa, miracula operare: quid solum in terrenis, ægros sanans, exsuscitans mortuos, inopes saturans, te nobis vis probandum? Suspecta nobis sunt ista, vtpotè terrenam originem redolentia: pauperem & vilem te nouimus: ni ergo sublimioris nobilitatis ad indicium cælestia signa edis: etiam ipsa terrena licèt magna suspitioni subiaceant, necesse est. Odisti Pharisaicum argumentum? caue ne horum discipulatui te tradas: multi hodie Pharisaicæ doctrinæ huic insistunt. Hugo. Cardin. ad illud Matth. 12. v. 38. Vbi Scribæ & Pharisæi dixerant: *Volumus à te signum videre.* Sic scribit. *Adhuc Pharisæi, & Scribæ nostri, signum petunt de cælo; signum sublimitatis volunt habere in se, & in aliis venantur: sed signa humilitatis & paupertatis contemnunt. Hoc vobis signum: Inuenietis Infantem positum in præsepio, Luc. 2. v. 12. Iam signa ista non sunt multis credibilia, sed suspecta: vnde illis detrahunt.* Pharisaicum est igitur virtutibus & dotibus detrahere illius, qui in tugurio, instar Christi, in præsepio natus est: poterat iste dum iacebat in paleis, inter sidera prænitere: cur non poterit ille qui Christi membrum in sordida supellectili, ob egregias virtutes dignus aulicâ purpura radiare? inuidus qui negauerit.

Matth. 16. 1. *Nobilitas arrogans, etiā manifestas ignobilium virtutes, suspectas habet.*

Hug. Card. Matt. 12. 38.

639. Nescio an se peiorem: certè Magistrum, tyrannicæ huius Politices dæmonem Pharisæi sunt sortiti. Dixerat multa Christus, citato cap. 12. Matth. vnde se Salomone maiorem, & proinde Dei filium edocebat: & addit Euangelista: *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce Mater eius, & fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: ecce Mater tua, & fratres foris stant quærentes te*, v. 46. Erat Christus intus in Synagogâ, vnde præ turbarum multitudine præcluso aditu, intrare facilè non poterant virgo Mater, & discipuli. Vnde ergo tam facilè ingredi potuit iste nuntius, & ad cathedram vsque Christi peruenire? Latente intus ad cor, dæmone rapidus ferebatur: perrupit feruidè obstantes, & peruasit. Sed quid intendebat Dæmon, adducto pietatis, vt videbatur nuntio? Respondet D. Ioannes Chrysostomus ibi, apud citatum Hugonem! *Vidit Diabolus, quia persuadebat Christus populo, quod esset filius Dei, dicens: Ecce plus quam Salomon hic. Timens ne derelinquatur ad impediendos sermones, introduxit parentes eius carnales, vt per illorum contemplationem, diuinitatis eius obscuraret verba: ideo venit aliquis, quasi Diaboli Aduocatus, qui humano ore verba diabolica loqueretur: quasi dicat: Quid gloriaris in cælo, qui radices habes in terra?* Habet hodie innumeros, in hanc rem diabolus Tabellarios & Aduocatos, qui cuiuis de propriâ virtute, iam glorioso, & admirationem sui, apud Populos commouenti, ne euehatur ad honorem, obiectis vilioribus natalibus obstrepunt importunè.

Prædicta existimatio Dæmoniaca est. Matt. 12. 46.

D. Ioan. Chrysost.

Aliter igitur cum magno Traiano, meus Princeps: ille vt abiectam à Tyrannis nobilitatem euexit altiùs: sic etiam Plebeios benemeritos Nobilitati adscripsit decorandos, vnde grauiter ad illum Plinius. *Cur enim te Principe, qui generis tui claritatem, virtute superâsti, deterior esset conditio eorum, qui posteros habere nobiles mererentur: quàm eorum, qui parentes habuissent?* Vbi plura. Est quidem piissima hæc Principis intentio, non solùm electis, sed etiam electori sibi, gloriæ singularis: vnde enim clarior regia Maiestas, quàm quòd possit sordes generis defæcare: & casæ vilitatem, in Palatij fastigium euehere? Latroni iam pœnitenti, & pulchra martyrij confessione benè merito, ait Christus: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.* Luc. 23. v. 43. Sed ô quò tendis, diuine Princeps? exclamârit aliquis: quid non blasphement impij circumstantes, meritò ludicri, & insani Regis insignibus te fuisse illusum: qui vilissimo latroni, regni tui honores promittis facilis? quid, non ridiculo dedecori habeatur Paradisus, qui similis farinæ homines admittit promouendos? Respondet tamen grauissimè Chrysost. Orat. 3. de Cruce, apud Greths. *Atqui, nullus Rex vnquam patiatur, latronem aut alium quempiam ex famulis, secum considentem, in vrbem ingredi. Sed iste humanissimus Dominus hoc fecit; in sanctam suam Patriam ingressus latronem secum introducit: non inhonorans Paradisum, sed hoc ipso magis honorans: honor enim Paradisi est, habere talem Dominum tam potentem, tam humanum, vt & latronem possit efficere dignum Paradisi delitiis. Etenim quandò Publicanos & Meretrices in Regnum vocabat, non vsque id fecit cum Regni sui dispendio, sed potiùs maiore cum honore: ostendit enim se eiusmodi esse Regni cælorum Dominum, qui etiam meretrices, & publicanos, tam probatos facere queat: vt digni videantur eâ, qua inibi est, gloriâ, & munere.* Insanit ergo humanus Princeps, qui se Regum Regi diuino, quo ad possit, noluerit assimilare.

640. *Princeps in suo seculo benemeritis prouexit.* Plin.

Quod sibi ipsi, etiam gloriosissimū.

Et Regia maiestatis, stemma verum.

D. Chrysost.

Exceptis festiuissimè fratribus, à Iosepho subiungitur statim: *Auditumque est, & celebri sermone vulgatum in Aulâ regis: venerunt fratres Ioseph: & gauisus est Pharao, atque omnis familia eius.* Genes. 45. v. 16. Erat quidem nobilissimus Ioseph, si fidem immo & opes, præcedentium trium aspicias Patriarcharum: verum tamen splendor iste, apud Ægyptios, vilissimo habebatur, vtpotè qui pastoritium munus, (quod fuerat Patriarcharum studium) despectissimum reputabant. Vnde igitur collætatur Pharao, eiusque familia, Iosepho adgaudenti: cùm ex agnitione fratrum, iam vilis stirpis germen probaretur: qui ignotus pridem, potuit quidem nobilis præsumi? Fortassè sibi complacet de potentiâ suâ, quâ abiectum adolescentem, & genere despicabilem, aliunde egregiis virtutibus instructum, in tanto honoris culmine collocabat. Saltem, id Pharao regalis verè spiritus, id eius Aula, indolis generosæ manifestauit: quod in tantum culmen euecto Iuueni, natalium agnitâ vilitate non obstreperent: sed insuper læto illi, applauderent festiuiùs. Oleaster ibi. *Licèt ex vilibus*

641.

Gen. 45. 16 *Iusto ignobili, etiam honoribus illustri, generis vilitatem, ob stre, ei impingere.*

vilibus parentibus esset Ioseph: gaudet tamen Rex, & sui, quod cognouerit eos. Doleo Aulicorum huius temporis conditionem, qui cum aliquem sublimatum vident, ex inuidiâ, progeniem inquirunt, & obiectant, si quid in eâ vile inuenerint. Pudori sit ergo Catholicæ Reipubl. ab Ægyptiâ Republ. superari.

VII.

Ignobilis in thronum ascendens, priscam vilitatem ob oculos semper gerat.

642. *Ignobilis ad thronum euectus, gran de periculum à superbia.* SEd heus tu, qui generis vilitatem, propriis meritis, & Principis fauore expurgasti: qui Maiores sortitus obscuros, clarissimos iam posteros, tibi paras? attende tibi, in maximum periculum incidisti: nutat virtus, quæ te prouexit, in edito, & illo lubrico collocata, dum arroganti fastu, dum tumido supercilio, priscam nobilitatis denegatæ, notam cupis obliteratam. Habet repentinus hic ascensus, comitem superbiam, ni procedat cautissimus. Monuit D. Zeno Veron sermone

D. Zeno Ver. in Psalm 130. *Nulli facilius efferuntur, nisi quos inopinatus honoris culmen extollit.* Bene Claudian. lib. 1. in Eutrop.

Claudian.
Asperius nihil est humili, cum surgit in altum,
Cuncta ferit, dum cuncta timet, desæuit in omnes,
Vt se posse putet, nec bellua tetrior vlla est,
Quam seruitra ies, in libera colla furentis.

Dixi multa in hanc rem in Cant. Tropol. nec pauca lib. de Concept. inde si vacat, repete. Hic solummodò exempla illorum dabo, qui cum è pannosis, in purpuratos; è tenebris in lucem deuenerent: conseruandæ modestiæ, priscam semper vilitatem ob oculos tenuerunt: paucis præstrictis obiter, qui degenerarunt. Id enim præcipuè debet obseruare Princeps in his, quos euexit ab infimo: vt aptè, an vlteriùs promouendi, an deprimendi penitus decernat.

643. *Ignobilis ad thronum euehitur, prisca sortis memoriam non deponat.* Euectus in supremum Prophetiæ honorem Amos sic incepit: *Verba Amos, qui fuit in Pastoribus Thecue, quæ vidit super Israel*, cap. 1. v. 1. Et quidem ad Propheticum institutum nihili erat, an hoc vel illo officio fungeretur: cum Spiritus

Amos 1. 1. vbi vult soleat spirare: neque alius vnquam Prophetarum, præter familiam, & sæpe Sacerdotalem, Artis genus quâ viueret, putauit explicandum. Aliquid ergo singulare voluit Amos, pastoritio inculcato: scilicet, quam præ aliis Prophetis habuerat, humilioris conditionis notam, ob

Sed ob oculos gerat vilitatem oculos semper gerere, neque aliis satagere abscondendam. Ruffinus Pius, ibi: *Concionatores*

Ruff. Pius. *ipsius, qui reuelationum magnitudine sublimetur, animaduertenda mediocritas est: quia istam quâ inclaruit dignitatem, solorum cum esset morum, non etiam natalium sicut aliis, suffragio consecutus, quorum videlicet Maiores in titulis collocantur: tamen vilem, quâ exercitus erat, non celauit industriam, sed in Thecue, alendis pecoribus, semper se institisse signauit.* ita est: Nullus Prophetarum, hoc scribendi tenore inchoauit: plerique in titulis, aut Sacerdotale genus, aut paterna nomina prætendunt: vnus Amos, qui virtute sibi progeniem parauit: sic operum suorum filius vult haberi, vt tacito Maiorum nomine, solo Prophetiæ splendore agnoscatur: inde tutior, quòd honoris tanti culminis, propriæ vilitatis basem subijcit securissimam.

644. *Exod. 18. 7. Neque cognatos viliores gerat.* Ducebat Moyses victor, Castra Dei, illud togatæ, bellicæque gloriæ fastigium adeptus, quò nullus ferè mortalium peruenisset: at vbi repentè audit Socerum venientem, *Egressus in occursum cognati sui, adorauit, & osculatus est eum*, Exod. 18. v. 7. Non miror excepisse, & honorasse Socerum, & hunc Æthiopem: Iustissimus erat Moyses, neque eximiâ dignitate superbierat: miror tamen nimiùm, si fas est dicere, honoris genus: festinus pergit obuiam, quod supremo Principi, nisi erga consimilem, non vsuuenit: pronus adorat, quod solummodò erga longè maiorem, tunc exhiberi solebat: tunc amantis, & exultantis indicium, porrigit osculum, an non ista, immodica salutatio? imo prudentissimam existimo: quidquid minùs impenderet Moyses, virtuti derogabat, è vili & pastoritio munere in thronum euectus, semper suspectus poterat haberi, ne semper priscam familiæ cognatæ, & artis vilitatem cuperet obscurandam: Maluit ergo meritò, tot numeris excedere, quàm sub aliquo cultus deputari: maluit oblatraturis etiam fratribus, de Æthiopico coniugio se exponere: quàm prauam præsumptionem, non penitus abolere: maluit sibi, tot blanditiarum honore, vnde humiliaretur, adiungere, quàm videri cum throno commutatus. Pulchrum hîc Oleastri monitum: *Præter*

Oleaster. *gratitudinem & humilitatem, docet sanctus Moyses eos qui ex humili progenie, ad magna euehuntur officia, suos humiles non spernere, sed summè honorare, & taxat eos, qui cùm in sublimi loco sunt, humilitatis suæ & suorum, non ampliùs recordantur: imò neque parentes, fratres, aut alios consanguineos in sua sublimitate cognoscunt. Præpositus erat à Domino Sanctis viris innumerabili multitudini: & nihilominus Socerum Æthiopem honorat, audit: & quod summæ est humilitatis adorat.*

645. *Matth. 17. 3. Ab his vilia prisca illustranda: non neganda, vel abscondenda.* Transfiguratum Christum, & in Maiestatis solio radiantem, sic describit Matthæus, *Et resplenduit facies eius sicut Sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix*, cap. 17. v. 2. Præterea quod iam alibi, ex Hieronymo & Tertulliano expendi, etiam sub tanto Solis splendore, agnoscibilia Petro lineamenta relicta: quibus Iesus decorè vt par est transfiguratus, non defiguratus superbè probaretur. Id priuatim noto, quod cùm satis rem exprimi videretur, si Dominus instar Solis & niuis diceretur collucens: tam diserta faciei, & vestimentorum mentio inducatur. Nimirum nouæ istius gloriæ maiestas, Diuinitatis profluuio sacro innundarat: facies & vestimentum necessariò humanitatem fatebantur. Noluit ergo humilis Iesus, dum diuini honoris gloriâ fruebatur; humanæ vilitatis oblitus existimari: illustrem ergo iam hanc ostendit, non tamen obliteratam: hominem se agnoscit & fatetur tunc maximè, quando Deus, & filius dilectionis prædicatur à Patre. Paschasius ibi, *Transformatio*

Paschasius. *claritatem addidit, ex maiestate Diuinitatis, sed faciem non subtraxit humanitatis. Ergo vbi splendor faciei eius, & candor vestimentorum ostenditur, vt dixi: nec faciem, nec vestimentum verum habuisse negatur.* Probat ergo modestia ista, in culmine conseruata, meritissimò ad culmen, hos euectos & indices à Principe cumulandos: sicut contra

contrarium vitium Saulem & Ieroboam, alióſque innumeros iuſtiſſimè deturbauit, quos honoris faſtigium, amentes, priſcæque vilitatis reddidit oblitos.

VIII.

Honorum diſtributio, non tam ſeram ætatem attendit, quàm virtutem ſeriam. Vni Conſiliarij officio ſuffragatur ſenectus.

646. *In dignitatū diſtributione, virtus potius, quàm ætas ſpectanda.*

IN eligendorum ætate contemplandâ, etiam erroris multum ſolet intercedere. Vno verbo, mi Princeps, diſtribuendis honoribus, & officiis, non tam annorum, quàm virtutum, gradus putes ſpectandos: inepte quis, ætatis coram te fundit ambitioſam canitiem, aliunde morum puerilitate confundendus: & vane ſcrupuloſus adoleſcentiori trepides ſuffragari, quem meritorum canities condecorat. Dixi de hoc multa in tom. Cant. in Concept. & in Spicil. denuo pauca ſubdo. Hominum communem progeniem ita diuinus Scriptor inchoauit. *Adam vero cognouit vxorem ſuam Euam: quæ concepit, & peperit Cain: dicens, poſſedi hominem per Deum. Rurſúmque peperit fratrem eius Abel. Fuit autem Abel, paſtor ouium; & Cain Agricola.* Gen. 4. v. 1. Non eſt inanis, terminorum variatio: Natu maior Cain, prior vt par eſt exprimitur, nec tamen prior eius induſtria aduocatur: Abel natalis dies poſterior refertur, cuius tamen officium, priùs cenſetur: cauſam vidit D. Ambroſ. lib. 1. de Cain, cap. 3. Vbi ita. *Innocentia enim tempore poſterior eſt, quàm malitia, & quadam ſuppar ætate, ſed meritorum nobilitate antiquior: ſenectus enim venerabilis eſt, non annis incana, ſed moribus, & ætas, inquit, ſenectutis, vita immaculata. Vbi ergo generatio exprimitur, præueniat Cain: vbi diſciplinarum fit prædicatio, præueniat Abel.* Vt inde habeatur Abel ſenior, vnde ſanctior: qui quodammodò in typum dignitatis, mitiſſimo gregi gubernando præficitur: dum Cain duriſſimis euoluendis glebis, quaſi in dedecoris oſtentationem amandatur.

Gen. 4. 1.

Senior apud Deum eſt, qui ſanctior.

647. *Iuuenis de virtute ſeneſcens, admirabilis.* D. Ambroſ.

Eſt aurea illa ſententia eiuſdem D. Ambroſ. ſerm. 53. Vbi de fidelium innocentiâ. *Ætates quædam ſunt meritorum: nam & ſenectus morum inuenitur in pueris: & innocentia Infantium reperitur in ſenibus.* Mirabiles quidem ſenes, qui de innocentiâ infantiunt: mihi tamen mirabiliores iuuenes; qui ſeneſcunt de prudentiâ: illos, longus vſus ad cognitam reducit ſtationem; hos, breuis mora ad metam produxit inſolitam: ſenex innocentiâ repueraſcens, placet; prudentiâ caneſcens puer, ſuſpicitur: Solus ergo lippus obtutus, non tàm virtutis, quàm ætatis notare merita conſueſcit: Benè, ſi quod eſſe deberet, fieri cerneremus: Cum tamen tam aliter res paſſim eueniat, fruſtra honorum cum annis, gradus commenſures. Thare ſobolem, ſic enarrat Sacer Textus: *Thare genuit Abram, Nachor, & Aram.* Geneſ. 11. v. 27. Nihil hîc de officio agitur, nihil de diſciplinis, (quod ſuprà in Abel & Cain obſeruabamus) ſed mera filiorum generatio explicatur: Et tamen cùm vbique in ſacro textu, natalium ſucceſſiuus ordo non ſoleat perturbari: hîc Abram natu minimus, commutata ſerie, prior nominatur. Scilicet, quem Iuniorem, merita, ſenioribus fratribus præpoſuerant: ipſe, ſacri Catalogi, honoris ergo, caput inſtituitur. Lyranus: *Abraham fuit vltimus natu, de tribus filiis Thare: tamen nominatur primò, propter eius dignitatem, & quia ponendus erat caput & ſtipes generationis ſequentis.* Merita quippè fundârunt dignitatem cui iunior electus: dignitas, principatum erga cæteros cumulauit.

Gen 11 27. *Et ſenibus minus pijs, præponendus.*

Lyran.

Hinc explicabitur fortaſsè illa cuiuſuis Iuſti vox, apud Iob: *In nidulo meo moriar: & ſicut palma, multiplicabo dies.* Cap. 29. v. 18. Paruulum ſe nouit, & penè implumem in nidulo ſe credit moriturum: & tamen meditatur palmas, nec diffidit victoriæ, quàm certiſſimò ſcit, adoleſcentibus ætate, ſed virtute iam ſenibus non negari à Deo. Vnde diſcas, humano præmio, cùm res poſtulat, dexteram non fraudare, quam vides diuinâ palmâ decorari. Et benè cùm niduli teneritudine, cum implumis ætatis dieculâ, dura Palmæ annoſitas coniungitur: plus enim Iuſtus die vnâ viuit, quàm impius centum annis: Benè adhuc in nido, iam vt palma multiplicat dies, qui in primis ætatis carceribus, vltimas aſſequitur metas ſenectutis. Vnde etiam capies obſcuriuſculam Ambroſij ſententiam, qui de Daniële locutus, cui puerulo, *Deus dedit honorem ſenectutis*: Cap. 13. v. 50. Sic ſcribit in Pſalm. 118. *Cùm puer eſſet, accepit ſpiritum, quo dignus ſenectutis Primitiis haberetur: vt redargueret ſenes, ipſe non ſenior longæuitate, ſed gratiâ: erat enim in illo ætas ſenectutis, vita immaculata.* Sunt *Primitiæ* vt nôſti, primi illi fructus, quibus arboris ſterilitas amandatur, commendatur fœcunditas, proinde plantanti Domino gratiſſimi: hinc eſt, vt à ſenectute non tam primitiæ, quàm ſolidiores fructus exigantur. Quid ergo ſibi voluit Ambroſius, dum puero iuſtiſſimo, non tàm ſenectutis fructus tribuit, quàm primitias? quia ſic erant in Daniële maturi, cocti, & perfecti virtutum omnium fructus, vt meritò ſenectuti deputarentur: cùm aliunde propter teneritudinem ætatis, voluptatem & gratiam primitiarum, vnde Deo iucundiores, non amitterent. Et his Iuuenibus honores & officia denegaueris, qui mirabilioris cuiuſdam ſenectutis hieme incaneſcentes, aliunde vernantes matureſcunt. 648.

Cap. 29. 18.

Plus viuit Iuſtus vna die: quàm multis annis impius.

Dan. 13. 50. D. Ambroſ.

Quæ ſunt in Iuuene iuſto, primitiæ ſenectutis.

De Iuſtis, Deum excepturis, canebat iam olim Vates Regius: *Præuenerunt Principes, coniuncti pſallentibus: in medio iuuencularum tympaniſtriarum, &c. Ibi Benjamin adoleſcentulus, in mentis exceſſu; Principes Iuda, duces eorum.* Pſalm. 67. v. 26. Vatabl. ex Hebræo vertit. *Ibi Benjamin paruulus, qui poteſtate inter eos fungebatur.* Quaſi ille mentis exceſſus in adoleſcentulo, in poteſtatis functionem mutaretur: neque cùm ætatis paruitate, ſed cum mentis exceſſu, poteſtatis & honoris eſſet exceſſus conferendus: paruulus erat, dúmque ætati vix adoleſcit, iam maturus imperio inuenitur: & aſcenſiones, in corde magis, quàm in ætate diſponens, præuertendis ſeniorum ſæculis adaptatur. Sunt grauiſſima, in hanc ſententiam, verba magni Hieron. Epiſtol. ad Paulin. de Inſtit. Monach. Vbi ita *Moyſes ſeptuaginta Presbyteros iubetur eligere* 649.

Pſ. 67. 26. Vatabl. *Virtus, in iuuene, imperio aptiſſima.*

D Hieron.

gere, *Numer.11.v.16.quos ipse sciret esse presbyteros: vtique non auo, sed prudentiâ iudicandos, &c. Daniel adhuc puer, longæuos iudicat: atque impudicos senes ætas lasciua condemnat. Noli fidem pensare temporibus: nec me idcirco meliorem putes, quòd prior in Christi exercitu cœperim militare. Paulus Apostolus, in vas electionis, de persecutore mutatur: nouissimus in ordine, primus in meritis est: quia extremus licèt, plus omnibus laborauit.* Satis hæc vt intelligas, in officiorum & honorum distributione, non tam ætatis seræ, quàm seriæ virtutis habendam rationem.

Non anni, sed virtutes, computanda.

650. Vnum est tamen honoris, & officij genus, ad quod ratò Iuuenes, etiam sanctissimos, & pro ætatis conditione doctissimos, putàrim promouendos: scilicet *Consiliary munus.* Habet plurimum iuris ad hoc, bene morata Senectus, etiam quando aliunde est impar, sanctæ adolescentiæ. Nescit vt plurimum prudentis animi vigor florescere, nisi corporis vigor deflorescat: neque mentis consilium roboratur, nisi membris ætate iam inualidis. Maxima pars aptæ consultationis, longâ rerum experientiâ constat: confluant in Iuuenem cætera fæliciter, hæc solùm annosâ vetustate parari solet: assidua lectio suppleuerit ex parte, nunquam pensauerit defectum: plus vno die agens, quàm legens toto anno instruêris: rara anis, sub feruido, sanguinis iuuenilis rubore, impallescens Prudentia: quam cani, rugæ, incuruitas reddunt pulchriorem. Inuaserat Orbem fames fœdissima, vna Ægyptus prouidente Iosepho, alimentis abundabat: tunc addit Textus: *Audiens autem Iacob, quòd alimenta venderentur in Ægypto: dixit filys suis: quare negligitis?* &c. Genes. 42. v. 1. Vnus Iacob audit ad effectum, dum cæteri otiantur. Pater, inquis, erat: vnde attentior, filiorum remedio, inuigilabat: at quidem filij Iacob omnes, iam Patres erant, omnes fœcundam sobolem sustulerant, vt nôsti: nec tamen filiis suis dicuntur attendisse. An isti minus in suos, quàm in ipsosmet Iacob afficiebatur? non facilè crediderim. Quid ergo? non hoc solius amoris opus, sed etiam consilij & prudentiæ. Erant filij Iacob, licèt iam patres, tamen adolescentes: quorum Primogenitus Ruben, fere octogesimum sextum annum agenti Patri, natus est: quantùm ergo præstabat ætate Iacob, præstabat & prudentiâ: foret fortasse filiorum singulorum amor feruidior in priuatas familias: certè vnius Iacob amor in omnes longè oculatior. Vnde ab illo optimi consilij ratio promanauit. Oleaster ibi. *Non curant filij Iacob, alimenta quærere neque sibi deesse sentiunt: sed pater omnia hæc vidit, & procurauit obuiam ire, &c. Vbi etiam tu aduerte, sapientum esse, cognoscere indigentiam, & consilium præstare, qualiter subueniendum sit: Iuuenum verò, exequi, quæ senes & prudentes consuluerunt; & sicut vitio daretur, seni, non prospicere; ita iuueni datur, si otio datur, si otio torpeat. Quare isti à Patre moniti descenderunt, vt sibi prouiderent, & Patri: sicut enim senes, non solùm sibi, sed Iuuenibus vident. ita Iuuenes, non solùm sibi, sed Iuuenibus debent prouidere.* Aptissima quidem hæc partium distributio: vt labor adolescentibus, senioribus consilium relinquatur.

In Consilio rep. ætas senior requiritur.

Genes. 42. 1.

Prudentia, à Senioribus petenda.

Industria & labor à Iunioribus.

651. Afflictus iam tot plagis Pharao: ait. *Ite, sacrificate Domino Deo vestro: qui nam sunt, qui ituri sunt?* Exod. 10. v. 8. ad quem tunc Moyses: *Cùm paruulis nostris, & senioribus pergemus: cum filys, & filiabus: cum ouibus, & armentis.* v. 9. Induratur denuò Pharao, iter meritò, nullis sibi relictis pignoribus, suspectum habens. O quid vltrà contendis, Moyses? esto diuitiarum affectus, filiorum amor, Israëlitas retineat, ne hos relinquat: relinque saltem apud Pharaonem, seniores, ituro populo: oneri magis futuros, quàm adiumento. Quid vobis, tam peregrè profecturis, tot inituris pericula, tot prælia commissuris, inualida senectus? certè impeditura fugæ celeritatem, absumptura viaticum potiùs, quàm cuinis officio commoda, afferri visa: nec ad fœcunditatem proletanea; nedum ad bellum, classica, impedimento venerit, non leuamini. Quid ergo libenter hanc non ceditis Pharaoni: ne periculo, certè longæ moræ, egressum exponatis? At Israel piè iuxta ac prudenter mallet in Ægypto captiuus remanere: quàm absque senioribus viam ingredi libertatis: causam acutè vidit ibidem idem Oleaster. *Non sunt senes relinquendi, licèt laborare nequeunt, sed curandi: quoniam consilio iuuare possunt, licèt vires non habeant ad labores.* Videbat cordatus Populus, pericula, belláque infaustè sibi subeunda, nisi prudenti consilio instructis: nec vnquam istud sanum, nisi à senioribus suis putabant sperandum. Vide infra. 656.

Exod. 10. 8.

& v. 9.

Seniores diligenter fouendi, vt Consilio Remp. tueantur.

Oleaster.

IX.

Proportio Ministri ad ministerium, in electionibus, attentè aucupanda.

Erit verò optima electio, si pro rerum varietate, atque præstantiâ, Administrorum præstantia varietur. Nihil ineptiùs, quàm improportionata rebus eligere instrumenta: nihil faustius, quàm dum hæc sibi inuicem adaptantur. Id in lucis productione obseruat pulchrè Philo Iud libro de Opif. Mun. vbi ita de Deo. *Genuit lucem, esse rerum omnium præstantissimam, fecit eam instrumentum visûs, sensuum excellentissimi. Quod enim mens in animo est, id oculus in corpore: videt enim vterque: altera intelligibiles res, alter sensibiles. Visus autem mentis, in scientiâ, ad noscenda incorporea: cæterùm oculi in luce, ad contemplationem corporum.* Est multum proportionis, inter subtilissimum visionis negotium & lucem qualitatum simplicissimam: neque aptè nobilissimi sensûs functio, nisi Ministro nobilissimo commendaretur. Ineptissimè igitur, mi Princeps, arduum & multa notitiâ indigens negotiũ, illiterato viro commiseris: frustrà Nauem tot periculis obiiciendam, per Naucleri despectum, Agricolæ commendabis: nec dextra sulcandis terræ glebis, aratro assueta: arrepto clauo, sulcandis Maris vndis, apta præsumitur: eligatur Minister operi cohærens, necesse est, si fausta operi corona quæritur imponenda. 652.

Proportio Ministri, ad officium.

Philo Iud.

Iam limum delicatissimè tractarat Deus, & in humanum corpus formârat politissimè: cum additur: *Et spirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Genes. 2. v. 7. Hinc humana, imò inhumana Ethnicorum, & hæreticorum proteruia, errorem traxit: quò animam nostram, *diuina aura* 653.

Genes. 2. v. 7.

Instrumentũ, proportionandum.

particulam appellat : & Deum in hominum animas partitum, scelestissimo ore garrire solet. Nouerat omniscius Dominus fore vt impium dogma crebesceret in immensum : cur ergo, qui tam facilè poterat Animam aliter producere : ansam hanc erraturis non amouit ? quia tutius, & honestius duxit, culpabili horum conscientiæ culpam permittere : quàm minùs apta putari operibus instrumenta quæsiisse. Nihil insufflatione tenuius, nihil delicatius, vt meritò, de subtilitate spiritus appelletur. Quod ergo aliud cohærentius instrumentum assumi posset, spirituali animæ producendæ ? Non est itaque inspiraculum & insufflatio illa, hominis Anima : sed actionem quandam spiritualissimam eligi sic notatur, quà humanus spiritus, id est, immortalis anima, producatur condignè. Diodorus apud Gloss. Ordin. *Falsò quidam opinati sunt, insufflationem Dei, animam immortalem fuisse : sed quemadmodum per manum Dei, visibilium rerum actionem intelligimus : ita per insufflationem, hoc est, rem spiritualem, atque inuisibilem, naturam animæ inuisibilem, à Deo infusam homini intelligimus : quia anima spiritus est.* Sic & visibilis manus titulo,& inuisibilis spiraminis appellatione, vtriusque ordinis subdiuidens instrumenta, suis quæque generibus applicat aptiora, nec eligit dilentanea.

Diodor.

654. Renuntiârant Apostoli rebus omnibus, & quod perfectionis est fastigium, Christum secuti fuerant : ad quos tunc Dominus, præmium repromittens, ita. *Sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes duodecim Tribus Israel.* Matth.19. v.28. Vtrinque vrget dubitatio : aut quòd cæteri homines, præter Israëlitas, non veniant iudicandi : quod est falsissimum, cùm omnibus commune instet iudicium:aut quòd saltem ab Apostolis iudicandi non sint, sed aliis inferioris ordinis Iudicibus reseruentur; quod minus planum est, cùm Apostoli, vniuersales Iudices soleant appellari. Quid ergo ? Attendendum tempus quo Christus loquebatur : sub quo Israëlitæ, cæteris hominibus habebantur generosiores. Sic ergo Apostolos suos, similésque viros apostolicæ vitæ sectatores, in Iudices vniuersales visus elegisse Christus, quasi his grauiores causas commissurus, & dignius nobiliorum litiũ tribunal: at inferioribus aliis Iudicibus, ignobiliores alios delegârit : vt æquè distribuentis electio, & instrumentorum proportio obseruetur. Sic capiendus Orig. ibi, homil.9. Vbi ita. *Omnis enim vita Iustorum iudicabit Tribus Israel, quæ non crediderunt : & iudicabunt Apostoli, & qui Apostolorum imitati sunt vitam : & iudicabunt generosos quidem, propter quod sunt Israël, non autem egerunt digna genere suo. Forsitan autem, cùm dicit Apostolus, in nobis iudicabitur Mundus 1.Cor.6. vers.2. dicitur ad eos, qui venerunt ex gentibus : quod autem dicitur, sedebitis & vos, iudicantes duodecim Tribus Israel, dicitur ad Apostolos, & eos qui Apostolicam imitati sunt vitam, indicaturos Israel, qui generosiores toto Mundo habentur.* Tu, ni id obserues eligens, aberrabis.

Matt.19.28.

Grauioribus causis grauiores sunt Iudices assignandi.

Origen.

655. Post egregiam illam Petri confessionem. *Tu es Christus, Filius Dei viui.* Matth.16. vers.16. Subdit statim Christus : *Beatus es, Simon Barjona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non præualebunt aduersus eam : & tibi dabo claues Regni cælorum, &c.* A vers. 17. Vt ad nullam sublimiorem dignitatem euehi poterat Petrus : sic nullum in Euangelio testimonium, pro Romano Primatu, decertat efficaciùs : nullũ sacrilega hæreticorum ora fortius obturat. Videbantur ergo necessariò saltem Marcus & Lucas, qui huius colloquij narrationem attigerunt, Matthæo, disertis verbis contestaturi : vt manifestius Petri Primatus maneret inexpugnabilis : summi ponderis negotio suffragantes. At isti Petri confessione enarratâ, nec verbum, de Christo illum eligente protulerunt : fundamentalis petræ honorem, eximiam Clauium prærogatiuam, alto quodam silentio inuoluentes. Quod non temerè factum, vt videas, attende. Aliquid mysterij, nobis licèt occultum, obseruârunt postremi duo Euangelistæ, dum dimidiam tantùm Petri confessionem exposuerunt : Marcus enim, ita : *Tu es Christus.* Cap.8. v. 29. Lucas verò : *Simon Petrus dixit, Christum Dei.* At quidem Petrus non meruit supremæ illius electionis honorem, quod Iesum nostrum, *Christum*, vel *Christum Dei* appellaret : (sic enim, vncti Reges vtcunque appellabantur) sed quod illum singulariter, *Filium Dei viui*, fateretur. Prudentissimè igitur, dum hanc pulcherrimam confessionis particulam, ex mysterio viderunt supprimendam; totam irrogati officij sequelam suppresserunt. Quid ita ? Ne quis apud ipsos non legens aptitudinem Petri, ex confessione : subsequentem honorem legeret, minúsque apto Ministro concessum garriret : cùm tota proportio, qua Christus, sibi in Vicarium elegit Petrum, in eo sita foret, quòd ab illo, *Filius Dei viuus* coleretur. Acutè idem Origenes, ibi, homil. 1. *Beatificatus, non solùm in eo quod dicit*, Tu es Christus: *Sed magis in eo quod addit:*Filius Dei viui. *Marcus enim & Lucas scripserunt, Petrum respondentem dixisse :* Tu es Christus : *non adiicientes, quod in Matthæo positum est :* Filius Dei viui. *Propterea nec scripserunt, ad confessionem Petri relatam beatitudinem, neque confessionem.* Tanti enim fit apud Deum, Ministri ad ministerium proportionata electio, vt caueret, seiuncta legeretur.

Matt.16.16.

Officium publicum dignis tribuendum: cuius, ad istud, publica est propensio.

Marc.8.

Origen.

656. Satagebat prudentissimus Abraham, vxorem filio sanctissimo consonam, exquirens : ergo Paranymphum, & grauissimi negotij Administrum expediturus : elegit *seruum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus, quæ habebat.* Genes.24.v.2. Non erat facilis via in Mesopotamiam, neque breuis : cui proinde prudens, sed iunior seruus, & viribus integrior, eligendus videbatur : elegit tamen Abraham seniorem : quia in negotio arduo, cui non quæuis, sed maxima prudentia requirebatur, maluit fragilibus iam membris, onus addere grauius, quàm non benè experto animo, opus tantum committere disponendum. Oleaster ibi. *Docet ardua negotia, non nisi senioribus, & præcipuis domus esse committenda: maximè ea, in quibus prudentia opus est. Licèt enim ad iter faciẽdum aptiores iuuenes videantur: si tamen negotium discretione eget, eis dimissis, seniores mittendi sunt.* Vt quando plena vndique proportio nequit apparari, inde saltem quæratur, vnde maius periculum euitetur.

Gen.24.2.

Prudentiam requirentia, senioribus committida.

Oleaster.

X.

X.

Offi.ia tunc fæliciter exercentur, cùm Miniſtrorum genio accommodantur.

657.
Officia dum fieri poteſt, genio accommodanda.

HInc autem fælicior dicta proportio procedit, ſi, dum licet, Miniſtrorum genijs accommodentur officia, obſtrepente naturæ violentiâ, exercitij cuiuſuis ſuauitas corrumpitur: & hâc amotâ langueſcit applicatio: nemo tractus operi incumbit diligenter. Obſerua ergo mi Princeps, quò quiſque probus facili propendeat genio, & ex eo impende onus, fœliciter importandum. Hinc eſt, quòd Petro & Andreæ mittentibus in mare retia, ait Christus: *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum*, Matth. 4. v. 19. Longè alia futura erat expiſcatio: voluit tamen appellationis ſaltem ſimilitudine piſcatorio genio adblandiri: & quos in Populi ſui Paſtores in lucem Mundi, terræ ſalem, refugij ciuitatem, id eſt Apoſtolos deſignabat; ſolum piſcatorio titulo allicit titillandos. Chryſologus ſermone 28. *Faciam, inquit, vos fieri piſcatores hominum: vt vitalis eſca iactu, vt hamo cæleſtis verbi de mortis gurgite, animas ad lucem tollerent ſempiternam: captores piſcium fiunt hominum piſcatores.* Sic abducuntur ſuauius, dum ſibi non tam variandus genius, quàm materia proponitur varianda. Hinc eſt etiam, quòd tam facilè Matthæum egregiè functurum officio ad ſe trahit. *Vidit hominem ſedentem in telonio, Matthæum nomine: & ait illi, Sequere me: & ſurgens ſecutus eſt eum*, Matth. 9, v. item 9. Audierat nimirum iam Matthæus non pauca Chriſti miracula, immenſas diuinitatis opes, telonium quidem longè pretioſius: quid non ſequatur feruidus, quandò non acquirendi ſtudium relinquitur: ſed quæſtuoſius materia commutatur? Idem D. Chryſologus citatus: *Sæpe legitur, & in hoſte vtilis virtus, ſæpe in aduerſario comprobatur: Matthæus non ſubtrahitur operi, ſed mutatur: & telonium ſuſcipit magis, quàm relinquit, vt manſura Deo, non homini peritura conquirat.* Ars eſt optima Principis, bono ſubditorum genio obrepentia quandoque vitia, in virtutes egregias commutare. Sæpe facinoroſorum hominum dux, iam emendatus: iuſto exercitui, fauſtiſſimo præficitur euentu: vt bellicoſa indoles propugnet Patriam, quàm pridem oppugnarat.

Matth. 4. 19.
Virtutes Deus genio noſtro accommodat.
D. Chryſol.
Suauiùs ſic adimplenda.
Matth. 9. 9.
D. Chryſol.

658.
Quàm ſe attemperet Deus humano genio, vt virtuti ſtudeamus.

Mira eſt in eandem rem illa ſententia Chriſti, poſtquam terrenorum curam ſuis deſpiciendam indixit: *Facite vobis ſacculos qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cælis, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit*, Luc. 12. v. 33. Notarunt iam alij ex Chryſologo, ideo ſub ſpecie theſauri exprimi cæleſtia: vt humana auaritia, aſſueti quæſtus vocabulo, trahatur ineſcata. Maius aliquid expreſſis ſacculis denotatur. Non vtcunque opibus gaudet auarus animus, niſi opes ſub ſignaculorum cuſtodiâ ſacculis recondat; & ipſos ſub mille claues mittat ſacculos. Non igitur ſolùm opes & pecunias, ſed illas ſignatas ſacculis, & his incorruptibilibus apponit Chriſtus: vt non ſolùm quæſtûs, ſed ipſius auaritiæ ſtudium, mutetur in melius: & genius tractandis ſacculis aſſuetus terrenis, cæleſtibus feruidior allaboret. Patet id ex contextu: ſacculis enim terrenis, ideo ſignacula ponit auarus; & cuſtodiam aſſignat: quia fures cauet. Quorſum ergo, niſi ob prædictum allectamentum, cæleſtibus opibus ſacculos requirat Chriſtus; ſi eò fures nequeunt appropiare? Nunc capies Chryſologum ſermone 25. *Sacculus cur comparatur? quid ibi clauſtra, vbi ipſa cuſtos eſt innocentia? ibi quid ſignaculum, vbi fraudis ſuſpitio non habetur? Sed in cælis, ſacculis opus eſt: cura non amittitur, ſed mutatur. Domine tu vidiſti, quia in theſauris, tota fides: tota ſpes in ſacculis, ſit auaris: & ideo imputribiles, in cælo, ſacculos vis parari: vt qui te non ſequitur ad cælum, ſequatur ſaltem ſacculos ſuos.* Sic tu curam & ſtudium eligendi Miniſtri, non tolle, ſed commuta: vt qui imperio tuo lubens non obedit, ſaltem genium ſuum facilis ſequatur.

Sub vmbra vit, virtuti nobis ingerit.
D. Chryſol.

Sed magis mirum eſt geſtum illud Dei, cum Abraham, de quo ita Geneſis cap. 15. *Sume*, inquit Deus, *mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam: qui tollens vniuerſa hæc, diuiſit ea per medium & vtraſque partes contra ſe, altrinſecus poſuit, aues autem non diuiſit*, à v. 9. Fœdus, nimirum Dominus, cum ſeruo, vt ex contextu patet, & Interpretes adnotant, feriebat. Sed quorſum tam minutæ ſcrupuloſitates, in annis præſcribendis, ſeligendis victimis, diuidendis, & partibus ad inuicem collocandis, auibus interim indiuiſis: quæ omnia (ſi quid priſcorum rituum nôſti) ariolandi obſeruationes, augurandi ſuperſtitioſas ceremonias referebant? Reſpondet bene Lyranus, ſaltem pro auibus, *Per Aues, docetur Abraham piè augurari.* Sed eſto, pium fuerit augurium: ſanctum fateor; cur tamen hîc augurio opus erat? an non poterat mille aliis modis doceri Abraham, & honeſtiſſimum ſibi fœdus icere? poterat quidem, ſed ſuauiſſima œconomiæ diſpoſitione, voluit ſe Deus Abrahamico genio accommodare. Chaldæus erat, (nulla autem natio auguriis ſcrutandis deditior, Chaldaica) ſicque ſuauius in obſequij officio contineretur, ſi non ſolùm fœdus ictum atque diuiſum, ſed etiam auguratio pia, conſuetis Chaldæorum ritibus attemperaretur. Diodorus ibi in Caten. paruâ, *Hæc omnia Deus Chaldæorum more fieri permiſit, qui curioſiùs auium volatus obſeruabant: œconomicâ ratione, quà plerunque vtitur in rebus humanis: vt futurarum rerum admoneret Abraham, &c. Reſpicit illud item ad eandem rem; diuiſit ea per medium: cùm apud Chaldæos tutius haberetur, ſi per animalium ſectionem, ſanciretur ius iurandum: eadem imprecantes deſertoribus mala.* Sic nullis pactis, nullis officiis, ſuauiùs Adminiſtri à Principe addicuntur, quàm dum illorum genio accommodantur. Idem ferè omnes Patres in Chaldæis Magis ſtellá duce ad Chriſtum venientibus obſeruarunt: de quo Achatius Epiſcop Melitenſ. in Concil. Epheſ. *Quoniam Chaldæorum terra plurimos habet, ſtellarum motus inſpicientes: virtus ſuperna deducens Magos, aſſumpſit ſtellæ ſpeciem: vt ea doctrina ſua Chaldæi, quod neſciebant agnoſcerent: vt cùm aſtronomiam aſpiciunt ab aſtris, Chriſti myſteria docerentur.* Quaſi ita ſuauiùs, in itineris labore, & quærendi Chriſti officio perdurarent: quod conſueti ſtudij genio aduocarentur. 659.

Gen. 15. 9.
Sub ſpecie impietatis, commendat pietatem.
Lyranus.
Diodorus.
Achat.

Tandem, hoc eſt quod Deus cæleſtis gloriæ 660.

delitias, ſub carnalis conuiuij ſpecie declarauit.
Matth.22.4. *Ecce prandium meum paraui: tauri mei & altilia occiſa, & omnia parata, venite ad nuptias*, Matth. 22.v.4. ſic enim hilariùs accurrerent, dum aſſueto carnibus palato titillantur. Galfridus ibi apud
Galfrid. Godefr. *Nec mirum, quod carnalibus adhuc populis, promiſſiones ſuas, carnium appellatione contexit: quandoquidem & ſe ipſum pro eorum ſalute*
Atque ſub carne, carnalibus attrahendis, celat ſpiritum. *carnis veritate veſtiuit.* Vltima verba etiam rei noſtræ faciunt: quaſi ideo Verbum carnem aſſumeret, pro ſalute noſtrâ, quam mille modis aliis poterat operari; vt humana conditio carnem diligere aſſueta, incarnato Deo, ſolito ſtudio, ſuauiùs adhæreret: ita frequenter Doctores. Satis nunc vnus Bernardus ad cap. 9. Deuteronom. in eadem Syluâ: *Ego arbitror, præcipuam inuiſibili Deo fuiſſe cauſam, quòd voluit in carne videri, & homo cum hominibus conuerſari: vt carnalium, qui niſi carnaliter amare neſciebant, primò ad ſuæ carnis ſalutarem amorem affectiones reſtringeret: atque ita gradatim ad amorem perduceret ſpiritalem.* Erit ergo efficaciſſimus imperantis Politices tenor, ſi exigendas functiones, affectionibus attemperet ſubditorum.

XI.

Officia iis diſtribuenda, qui ſunt onera, cum honoribus ſubituri.

661. *Inertibus & pigris officia non committenda.* ID autem, Prudenti Principi, ſummoperè præcauendum, vt quorundam Adminiſtrorum ingenium delicatum, indolem mollem, naturam languidam; honoribus & officiis non admittat. Honorem hi procurant, abſque onere & abſque officio inhiant beneficio: qui inſtar animalium obedientium ventri, ventres pigri, negotiis indormientes, ſolummodò voluptatibus inuigilant: nec præponi vigilantibus & ſtrenuis erubeſcunt. Lege, quæſo, pulcherrimam illam hiſtoriam infantis diuidendi apud Salomonem 3. Regum 3. à v.16. quam vbi notaueris, intelliges eleganter ab VVerrico ibi, apud Godefr rei præſenti accommodari: licèt enim tantummodò ad Prælatos religioſos verba detorqueat: cæteris omnibus Reipubl. Adminiſtris, noſcuntur conuenire, Ergo
VVerricus. VVerricus ita: *Filius meus, aiunt carnales, viuit, & tuus mortuus eſt: in me viuit timor Dei, in te mortuus eſt? dum ſcilicet æmulantur ſibi Religionis authoritatem, cuius ſpirituales habent veritatem: vt ſubducta eius authoritate, conſuetudines inducant, pro ſenſus libidine. Et verè mater vult æmulæ dare infantem viuum: non inuidens ei gloriam, dummodò habeat & virtutem. Sed illa, nec mihi, nec tibi, ſed diuidatur, quia nimirum ſibi ſanctitatis cupit honorem, & aliis relinquere laborem. Sed non errat qui iudicat, & ſi aliquandiu diſſimulet: gladius Salomonis matrem inuenit, cui adiudicat indiuiſum: ſicut affectum charitatis, ita effectum poteſtatis: ſicut feruorem operan-*
Sed ſemper honor oneri coniungendus. *di, ſic fauorem imperandi.* Ne igitur tu erres, Princeps bone, Salomonem te præbeas, neceſſe eſt: imperaturos ſtatue, operaturos: miniſterij feruori, fauor muneris commenſuretur. Ipſemet
3.Reg.1. Salomon 3. Regum 1.v.38. non alibi in Regem
Steph.Cant. vngitur, quàm in *Gihon*: de quo Stephanus Cantuar. ibidem, *Gihon, interpretatur luctatio: vngitur ergo Salomon in Gihon, ad notandum quòd maxima lucta in dignitatibus ſit, & magnus labor.* Non itaque vnguento Aulicos delibutos, & cincinnatos: ſed impexos, & ceromate inunctos Athletas, dignitatum luctæ, & officiorum labori delegaueris: oneris ſcilicet & honoris participes futuros. *Dignitas lucta eſt, & labor continuus.*

Conſultabat Deus in throno gloriæ collocatus, & Seraphicis ſpiritibus ſtipatus: quem ſibi, regendo Populo Miniſtrum delegaret, dicens: 662.
Quem mittam, & quis ibit nobis? Iſai.6.v.8. Adcrat Iſaias, & reſpondet intrepidus: *Ecce ego mitte me*, v.9. Sed quàm alius in re ſimili Moyſes! iubetur à Deo, in ducem Populi electus, & reſiſtit: ſigna videt & prodigia, nec tamen cedit: Iſa.6.8.
donec tandem exclamat: *Obſecro Domine, mitte quem miſſurus es*, Exod.4.v.13. Nunquid non erat id temporis Moyſes, paris cum Iſaiâ iuſtitiæ, & obedientiæ? non affirmem. Nunquid huius miniſterium, prophetico illo non erat glorioſius? erat planè. Quid ergo indurat Moyſes ſuſcipiendo officio, cui ſe tam facilem offert Iſaias? quia iſte ſuauiſſimo cauterio purgatus v. 7. putauit, in id mitti, vt pari facilitate Populum repurgaret; (vt alibi ex Niceta ſuper Gregor. orat. 1. de Paſchate iam expendi:) vtque Curiæ Solymitanæ mores, & rebellem Populi indolem, nondum expertus fuerat, credidit facilis, honorem abſque onere ſibi imponi. At Moyſes in Aula nutritus, qui iam barbarum Pharaonis ingenium, & gentis Hebrææ duritiem prænotarat: incomportabile honoris illius onus dum recolit, pertimeſcit. Exod.4.13. *Honoris indignus eſt, qui onus ſibi imponi non agnoſcit.*
Nicetas citatus: *Verum quid fuit cauſæ, quare Moyſes tergiuerſaretur: Iſaias contra occurreret? Nimirum, quia Moyſes, negotium cuius cauſa mitteretur, exploratum habebat: ac proinde id muneris ſuſcipere grauabatur partim Pharaonis duritiem, oculis ſibi proponens: partim etiam Populi contumaciam, moreſque vix tractabiles: periculum enim fecerat Iudæorum quippe qui beneficio quoque affecti, ipſum fuga Ægyptum relinquere coegiſſent, Iſaias autem, &c.* cum cæteris quæ ſuprà dedi. Nouerat itaque prudens Adminiſter, honorem abſque onere ſibi non aduenturum: maluitque infirmitatis ſuæ conſcius tandiu excuſari, donec à Deo auxilio ſuſtinendo ponderi compararet: quàm vltrò ſubdi, fortaſſe abſque Aarone, (tunc ſibi v.14. conceſſo) ſuccubiturus. Indignus enim honore, qui ſibi imponi pariter onus non agnoſcit. Hinc verba illa hypocritæ Nicetas.
Tiberij: *Solam D. Augusti mentem, tantæ molis capacem: ſe in partem curarum ab illo vocatum, experiendo didiciſſe, quàm arduum, quàm ſubiectum fortunæ regendi cuncta onus: proinde in ciuitate tot illuſtribus viris ſubnixâ, non ad vnum omnia deferrent: plures faciliùs munia Reipubl. ſocietatis laboribus executuros*, ex Tacito Annal. Corn. Tacit.
5. qui ſubdit: *Plus in oratione tali dignitatis, quàm fidei erat.* Nam Tiberius non parti, ſed toti Reipubl. auidiſſimus, ſed callidiſſimus inhiabat: dabàtque famæ, vt vocatus electúſque potiùs videretur: quàm per vxorium ambitum, ſeniliſque adoptione irrepſiſſet: idque non vt onus & labores gubernandi ſubiret, ſed, quod euentus probauit, vt vitiis & voluptatibus indulgeret. Nihil itaque fidei, ſed multum dignitatis habebant illa verba: quibus ſub recogniti oneris, & proinde excuſati prætextu, honore dignus haberi cupiebat. Sic plenè acumen Taciti explicandum ni fallor. Pergo.

663. *Non solum onera, sed & sordes subditorum, ferre debent prælati.*

Miranda fuit, in fabricandis Templi vasis, sapientia Salomonis: ac propterea difficultate non caret, quòd ingens illud vas, cui ob insolitam magnitudinem, Maris nomen datur: super duodecim boues æneos collocaret: Mare istud, in lauacrum Ministrorum, sacrificulorum sordibus abluendis, erigebatur: at in sacris literis, vt nosti, animalium mundissimus bos habetur: non solùm quòd ab immundis aliis, ruminator & vngue bifidus, segregetur ad cibum: sed etiam, quòd inter, cibo, munda, diuino offerendus altari probaretur. Si ergo in graduum, throni, & similium machinarum bases, leones aliunde, à Salomone fabricatos passim legimus: cur mare æneum, id est, sordium receptaculum, & hoc immenso pondere grauissimum non tam immundos, sed robustos leones: quam fragiliores, sed mundissimos boues, premat solummodò? Sic enim legitur: *Duodecim boues, &c. Et Mare super eos desuper erat.* 3. Reg.7. v.25. Quid hoc
3.Reg.7. mysterij? Scilicet quia mundissimi sunt boues industrij & mansueti, in Gubernatorum symbolùm hîc apponuntur: at certè tantus honor, absque immenso onere, absque tolerantiâ, sed purissimâ illarum sordium, quibus fœdantur subditi, non datur. Pulchrè D. Nilus in lib. Ascet.
D.Nilus. explicans *Candelabrum aureum.* Exod. 25. v.31. Sic ad rem nostram. *Boues in Templo, peluim sustinent: Candelabrum verò, solidum atque tornatile est. Ac Candelabrum quidem indicat, qui cæteros illuminare profitetur, omnibus esse partibus solidum: & nihil leue, nihil inane habere, aut vacuum oportere: omniáque superuacanea, atque inutilia, (vt inculpata vita exemplum intuentibus præbeat) circuncidere, & amputare. Boues autem sub peluim, declarant eos, qui habent onus eiusmodi, nihil respuere, aut aduersari debere: sed onera, & sordes inferiorum perferre, quoad sine periculo fieri potest.*

664. In Patriam, è Mesopotamiâ Iacob rediens, & fratrem timens: postquam Deum, promissionis suæ humilis precator commonuit: sic subiungit: *In baculo meo transiui Iordanem istum: & nunc, cum duabus turmis regredior: erue me de manu*
Gen.32.10. *fratris mei Esau.* Genes.32. v. 10. Quia nouerat non aliunde aptiùs nouo accipiendo beneficio disponi, quàm dum accepti iam prioris gratias agit. Adhuc tamen in hoc loco, aliquid in tam anxiis precibus videtur desiderari: Si enim vt primum beneficium acciperet, tam solemne Deo
Gen.28.20. votum nuncupauit Iacob. cap.28. v.20. quo sibi diuinum fauorem stabiliuit, tot opibus, tam copiosæ familiæ congregandæ: cur modò, fratris furorem euitaturus faciliùs, nouo se voto non putat obligandum? fortasse, quia baculi mentione, votum quoduis satis suppleri existimauit. Non virgâ Potentis, sed Pastoris baculo, se donatum à Deo, agnoscit Iacob: quasi baculi officium recognoscat: idque putauit satis, vt diuinam in se pietatem inclinaret. Quid ita? quia gubernandæ ingenti familiæ, à Deo sibi traditæ, honorem non absque onere recolebat. Præiuit mihi in hanc mentem Guillelmus Cailloë, ibi,
Guil. de Cail. baculi Episcopalis sacramenta. apud Godefr. qui de hoc Iacob baculo, sic scribit, ad baculum Prælati, rem traducens. *Est recuruus circulariter, & in se reductus in summo: directus in medio, acutus in fine, cuius schematis sacramentum, versificè, satis eleganter quidam expressit dicens:*

Attrahe per summum: medio rege: punge per imum:
Attrahe, sustenta, stimula: vaga, morbida, lenta.

Curuetur quasi Prælatus in summo, humilis potestate suâ, & accessibilis omnibus absolutè. Sit directus in medio, causarum omnium siue temporalium, siue spiritualium æquus arbiter, Dei & hominum sequester & medius. Punge verò per imum, illos scilicet qui in imis habitant, & ab infimis desideriis non resurgunt. Sed heu! ferrum in imo non habent, id est, zelum: per quem & hominum ima fodiant, & cordium profunda scrutentur. Vide quot onera, vni Prælatorum honori, coniungantur. Satis ergo Deum obligabat Iacob, dum se baculi functurum officio, tacitus innuebat.

Hinc est illud, quod iussit Deus vt in duobus gemmis Onychinis, in Superhumerali radiaturis, nomina filiorum Israël scriberentur: addens subinde: *Portabitque Aaron nomina eorum coram Domino, super vtrumque humerum, ob recordationem.* Exod. 28. v.12. Vbi Oleaster. *Audiant hoc Pontifices, audiant Sacerdotes, quali animo ferre oues suas debeant, & super humeros suos infirmas portare. Audiant quid Pastor ille Euangelicus Luc.15. perdita ex grege, fecerit ouis: super humeros, inquit, vers.5. suos imposuit gaudens.* Sic honor, absque hoc onere non committitur. Sed pende adhuc, quæso, longum discrimen, inter priscum Sacerdotem, & Euangelicum Pastorem: ille descriptas tantùm oues hic portat ipsissimas: ille nominum, hic rerum fit gestator. Quid ita? quia honor ille priscus, quodammodò inanis, certè figuratiuus; satis erat, si symbolico & figuratiuo onere premeretur: hic autem germanus & verus, solido & grauiori ponderi, addicitur. Sic opus: vtrumque honori commensuratur. Ita capiendus Oleaster subdens. *Et aduerte Sacerdotem veteris legis, solùm nomina, super humeros, & pectus portâsse: noua verò legis Pastor, reipsâ nostram ouem, super humeros portat: vt scias, vmbram præcessisse veritatem.* Multa ibi addit acutissimus, ad rem nostram, quæ faciliùs quiuis legat apud eundem.

665. *Super humeros suos, Populum portat Prælatus.* Exod.28.12. Oleaster. *Onus, honori commensurandum.* Oleast.

Allucet dictis Parabola illa diuina. *Homo erat Paterfam. qui plantauit vineam, & sepem circundedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim: & locauit eam Agricolis. Et peregrè profectus est.* Mat.21 v.33. Benè enim non fabris, sed Agricolis locatur, vtpotè qui vineæ gerendæ industriam, & tractandæ experientiam, iam habebant. Benè non viro illustriori committitur, sed rusticis Agricolis: ille enim superbus, quasi suam haberet, & delicatus eandem laborare recusaret, honore absque onere recreandus. Benè Agricolis, non tam data dicitur, quàm locata. Salmeron noster: *Locare significat, eos non esse dominos, sed seruos, œconomos, & dispensatores.* Quasi spoliandi honore, si œconomiæ onera recusarent. Ideo tandem, benè Dominus, dicitur *peregrè profectus.*: Quasi tales illorum singulos haberi vellet, vt possent absentis domini vices supplere: omnibus honoris tanti oneribus sufficere. Concludo verbis Galfridi, ad illud Prouerb. 6. *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum, manum tuam: illaqueatus es verbis oris tui; & captus propriis sermonibus.* Vbi ita. *Est sponsio obedientiæ, sed non minor sponsio prouidentiæ: non enim maius debitum*

666. Math.21.33. *Prælati œconomi, non Domini sunt.* Salmeron. Galfrid. Prouerb.6. *Incomportabile prælati onus.*

Inexportabile Prælati Onus.

ium est sequendi, quàm præcedendi: obtemperandi quam imperandi, &c. Magna sponsio medendi animabus, & seruiendi multorum moribus: magna & metuenda promissio: nec parum debere se æstimet, qui hoc debet, grauis seruitus & dura necessitas, præsertim si quorundam ex his, quibus seruiendum, consideretur improbitas. Importabile onus, nisi id nos consoletur, quod Dominus ait: quod impossibile est apud homines: possibile est apud Deũ, Hoc igitur tibi ratum, fixum mi Princeps: nunquam officia distribuas, nisi inter eos, qui fuerint, cum honoribus, onera subituri.

XII.

Commendatitia eligendorum Elogia, vnde Principi probabilia: vndéque, ipsis Commendatoribus, tuta habeantur.

667. *Commendatores eligendorum, & Patroni: commendatos Clientes, Principis examini, submittant.*

QVoniam verò, Digniorum notitiam plenã, Princeps, tot aliis curis distentus, habere vix potest; vnde sæpe probandis, reprobandisque Ministris, Consiliariorum, & familiarium Aulicorum testimoniis stare cogitur: & aliunde hæc testimonia sæpe suspecta, & quandoque falsa soleant deprehendi: dum scilicet affectu obcæcati, Amicorum, & Cognatorum merita, aut fingunt omnino, aut augent vltrà modum: ostendam paucis, vnde hæc testimonia, prudenti Principi, solida queant reputari. In primis si prudentiam, v.g & negotiorum notitiam, aliaue similia, (quę Princeps ipse solers experiri potest) in Cliente, vel consanguineo suo sic commendant, vt Principem ipsum experiendo inuitent, nec examen recusent eligendi: satis indicant, syncera testimonia protulisse. Bene rogant pro aliquo, verè commendant: qui à collaturo officium, non solùm liberalitatis beneficentiam, sed etiam rationis iudicium sperant: qui quem beneficum collatorem sollicitant, iustum pariter exigunt Consuffragatorem. Agnito Christo, hydriam relinquens, festina voti, spiritûs anhela, in vrbem suã recurrit Samaritana: & exclamans ait: *Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci: nunquid ipse est Christus?* Ioan 4.v.29. (Ioan.4.v.29.) An non iam, illa, certa, ipsissimum esse Christum? planè certissima. An non auida, vt ab omnibus coleretur: imò auidissima. Cur ergo quasi dubia loquitur: & quem ardenter iam dilectum, summopere commendatum cupiebat: ipso, visa, dubio, minùs reddere commendabilem? fuit ars prudentissima commendantis: volebat pia suffragatrix, testimonium suum haberi non suspectum: ideo eosdem, à quibus cultum, & honorem Christo suo sollicitabat, consuffragatores etiam cupiebat: non solùm suismet verbis, sed eorum experientiæ rem committens. Ammonius ibi, in Cat. Corder. *Planè absurdum est, ea, quæ è re communi sunt, minimè euulgare. Hæc autem neque clarè affirmauit Christum esse, neque reticuit: nolebat enim propriâ ipsum authoritate inducere: Sed & eos in eandem sententiam, propriis suffragiis ire cupiebat: ideo sermonem suum faceret longè probabiliorem.* Redditur enim certè testimonium commendatitium, irrefragabile: si eosdem apud quos illud profers; commendati,

(Ammonius.)

expertos suffragatores sollicitas, & exoptas.

668. *Bene & probabiliter alios commendat: qui non sibi, ed experientiæ, vult credendum.* Ioan 4.v.29.

Nimirum, spem magnam, solidéque fundatam concipis de Amico, vel cognato; quem impensè dilectum, (cùm alioqui, *res sit solliciti, plena timoris Amor*) examinis periculo exponere non addubitas: præsumerisque necessariò natiuè veri: & commendati laus germana creditur: quã non credendam iactas, sed videndam. Ideo prudens fœmina, non tàm dixit, *venite, & credite:* quàm; *venite & videte:* quia, quod eximium conceperat de Christo ipsa, ab omnibus, qui venirent, videndum & probandum sperabat. Idem Ammonius. *Non dixit, venite, credite: sed, venite videte: quod & facilius erat, eosque magis attrahebat. Sciebat profectò eos, si duntaxat degustassent: eadem de eo, quæ & ipsa, sensuros.* Habet ergo in re simili sagax Princeps, vnde eligendorũ merita non fucata deprehendat: vt saltem quæ iam, quæ per se potest, ipse examinet cætera occultioris scientiæ & virtutis; fidissimis, & expertis aliis committat examinanda. Nam & examen ipsum, (quo quis saltem vt legitimus honoris admittitur Candidatus) honor est: neque ob lenes & affectuosas Amicorum laudatiunculas, concedendus. Vilescit Princeps, non solùm quod indignos officiis admittit: sed etiam quod eosdem Petitorum Albo scribit: non enim tantummodò turpissimorum capitum nomina fœdant catalogum: sed insuper describentis indicium infamant.

(Ammonius.)

669. *Si famæ suæ dispendio, alium commendat, probabiliter is commendat.*

Est tamen adhuc signum aliud longè manifestius, vnde prædictas commendationes synceras subnotaueris penitiùs: scilicet, si proprio commendantis dispendio quidam alius commendetur. Nemo adeo famæ suæ prodigus, vt in alienis laudibus exaggerandis, nedum mentiendis, honoris sui iacturam facere sustineat. Vrgetur veritatis pondere, & alieni meriti magnitudine quisquis per sui despectum, alium extollit. Rarò id euenit, fateor: dum tamen euenit; vt laudati virtus egregia comprobatur, sic laudantis fides agnoscitur syncerissima. Pende quæso, quid in prædictâ historiâ addat Euangelista: *Ex ciuitate autem illa, multi crediderunt in eum propter verbum mulieris, testimonium perhibentis: quia dixit mihi, omnia quæcunque feci. Cùm venissent ergo ad illum,* &c. v. 39. Itaque vt ex contexu patet, ante quàm venissent, crediderant iam multi *propter verbum mulieris:* licèt plures postea verbis ipsius Domini credidissent. Sed ita nectes summi põderis, Messias adorandus, propter mulieris verbum, prudenter creditur? Sexui natura garrulo, & nouatori, cordata fides perhibetur? Equidem in præsenti casu prudentissimè. Non quale quale fuerat Mulieris testimonium: sed tale, vt solùm obstinatos non conuinceret: licèt summatim Euangelista rem exponat, dicens: *dixit mihi omnia,* &c. At generosa pœnitens, ante præceptum, Christianam quodammodò faciens confessionem, minutim & singillatim, omnia quæ Christus de concubino protulit, apud suos protulisse putanda: vt bene Theophylactus cum aliis adnotârunt. Quod ergo robustius esse potuit testimonium aut verius præsumi, quam quòd ruboris sui dispendio, Christi laudes aucupatur? Acute Chrysostomus in eadem Cat. *Credebant enim mulierem, non ad gratiam, locutam: neque vero, vt alteri gratificaretur, vitam suam manifestaret.*

(Ioan 4 v 39.) (Theophil.) (D Chrysost.)

Iam

670. *Ambitiosus licet aliunde dignius semper suspectè commendatur.*

Iam verò ipsemet alicuius apud Principem, Commendator, vt tutus pergat, quasi certam commendati virtutem introspiciens, id maximè obseruare debet: an cliens suus, honori ineundo accedat humilis: an è contra quasi iactabundus se obtrudat: inanibúsque istum, solidísque illum meritis putet refertum; cuius proinde laudibus, securior apud Principem poterit indulgere. Furit Nabuchodonosor, & in Ariolos suos, quòd somnium non diuinarent, capitale supplicium decernit: *Tunc Daniel ingressus rogauit Regem, vt tempus daret sibi ad solutionem indicandam.* Cap. 2. v. 16. Tempus impetrat, insumit orans Deum, à quo benefico discit solutionem. Accedit igitur postea ad Arioch Principem Militiæ, & ait: *Introduc me in conspectu Regis: & solutionem Regi narrabo.* Vers. 24. Nota longum vtriusque ingressus discrimen, vt supplicaret priùs concedi sibi tempus, audax Daniel ad Principem penetrat, ingreditur intrepidus: vt autem postea exponat solutionem, fauorem Arioch ambit, vt ad Regem, sub illius vmbrâ, quasi aliunde indignus, introducatur. Ecquæ causa cùm potiùs iam expositor, deberet ipse audacior & confidentior introire? Respondet Vener. Richardus de S. Vict. lib. 1. de Erud. Inter. hom. cap. 15. *Quid quæso hoc loco, ab alio se introduci petit, qui iam superius ante Regis conspectum, per semetipsum intrauit? sed superiùs intrauit, vt Regi supplicaret; hic verò, vt Regem doceret: illud fuit humilitatis, istud magnæ sublimitatis, magna in quâ sublimitatis fuit, illud Regem docere, quod ab alio nemine, poterat didicisse. Ad humilitatis ergo obsequia libenter seipsum ingessit: ad celsitudinis officia, impudenter se ingerere declinauit.* Nunc iam ad rem nostram, vide quid addat Textus: *Tunc Arioch festinus introduxit Danielem ad Regem: & dixit ei: Inueni hominem de filiis trāsmigrationis Iuda, qui solutionem Regi annuntiet.* v. 25. Non dicit Arioch, inueni hominem, qui solutionem noscere se affirmet, quasi in Danielem probandæ veritatis curam remittat: sed quasi iam præcognitam rem haberet, indubitátet spondet, solutionem à Daniele annuntiandam. Et vnde fiducia tanta in Daniele commendando? Notárat puto, prædictam humilitatem Danielis in adeundo honore: & inde verissimum Prophetam iam existimans, credidit prudenter, securissimè posse commendari.

Dan. 2. 16. — *Vers. 24.* — *Rich. Vener.* — *Vers. 25. Tutius verò, humilis, & qui se non audet ingerere, commendatur.*

671. *Ille honore dignus, qui non ambit, sed respuit honorem: cogitúrque suscipiendo.*

Aduerte autem in hoc loco Danielem, & Dei obsequio, & tot hominum saluti necessarium præuidisse, honori huic se ingerere: quam tamen ingestionem, quâ insuper potuit modestiâ temperauit: alioquin, sub modestiæ velo, ambitiosus posset denotari. Solùm ergo sub his circunstantiis, eligendos apud Regem poteris tutò commendare: nam qui aliter petunt, quidquid fictæ modestiæ afferant, eo ipso quòd ambiant, indigni sunt, solummodóque probandi tibi, quos ad honorem coëgeris, qui inuiti, ídque syncere in thronum euehuntur. De quo iam multa, suprà, à Num. marginali, 616. adde Plinium Panegyr. qui ideo ad Traianum suum. *Credent-ne Posteri, Patritio & Consulari, & Triumphali Patre genitum: cum fortissimum, amplissimum, amantissimum sui exercitum regeret, Imperatorem non ab exercitu factum? etiam, cum Germaniæ præsideret, Germanici nomen, hinc missum? Nihil ipsum, vt Imperator fieret, agitâsse? Nihil fecisse, nisi quòd meruit, & paruit? Paruisti enim Cæsar, & ad Principatum, obsequio peruenisti: nihilque magis a te subiecti a timo factum est, quam quod imperare cœpisti.* Quæ tamen vis, vnde syncera credenda, loco suprà citato iam admonui.

Plin.

XIII.

Vacantis officij nocumentum: commissi ad tempus cautela.

672. *Princeps, vacans diu à Ministro, officium, non patiatur.*

IAm verò, vt importunas Aulicorum Familiariúmque preces, sibi, suisve, indebita officia sollicitantium, prudens Princeps modestissimè inludat; optimum hoc retineat documentum, vt nunquam diu vacantia illa esse patiatur, sed vbi primùm morte, promotione, aut deiectione alicuius Ministri, officium quodvis agnouerit vacâsse: recurrat statim ad Catalogum illorum, quos aptos tali ministerio descriptos habet, (debet enim catalogum hunc habere necessariò) & vel reipsâ, vel saltem mente, vacans officium destinet digniori: nec enim aliunde faciliùs sollicitantium ora obturauerit, quàm si iam concessum alij, asseueret. Non solùm hoc mali habet, officiū diu vacans, quod interrumpat negotia, rerum ordini intersistat, sed quod insuper ambitiosorum affectum acuat, irritet famem, moueat saliuam: vt quamdiu pendet, sibi casurum sperent: & improbis sollicitationibus doli, gratiæ, pecuniæ, illud captent, & capiant non tarò indignissimi. Inhiárant supremo honori Iacobus & Ioannes: petierant suffulti consanguinitatis gratiâ, familiaritatis fauore, primas sedes: ad quos tunc Christus: *Sedere ad dexteram meam, & sinistram, non est meum dare vobis: sed quibus paratum est à Patre meo.* Matth. 20. v. 23. Non ait Christus, non esse suum dare sedes illas absolutè: sed non esse suum illis dare; vtpotè qui daturus erat iis, quibus iam à Patre erant destinatæ & apparatæ: itaque Patri, sibíque Verbo, & Spiritui sancto vni Deo, supremo Regi destinationem iam factam remittit: quam proinde mutare, non erat incommutabilis sapientiæ. Non poterant aptiùs ambitiosæ preces obturari: nec potuit clariùs exponi, vnde discipuli ansam, importunè rogando, sollicitè ambiendo assumpsissent: putabant sedes illas vacantes esse, hinc stimulantur, vt abiecto rubore sibi petant: non ausuri, si à prouido Principe nouissent iam concessas. Caietanus ibi. *Secundum præsentem meum statum, non veni nunc ad distribuendas sedes Regni: sed scitote ab æterno Patre distributas esse primas sedes: vnde non sitis de his solliciti, tanquam vacantibus.* O quot importunas, imò contumaces Indignorum supplicationes, Princeps euitaret, si non diu officia vacantia permitteret? nulla ambitionis frons, ita exsanguis, quæ non erubeat, si Principem ab optimo iam decreto euellendum, sollicitans præsumatur.

Vacantis officij pericula. — *Matt. 20. 23. Prudentia Principis, qui aut re, aut mente, officium vacās, subito consignat.* — *Caietan.*

673. *Quid faciendum Princeps cum vacans officium, non statim possit idoneo Ministro imponere.*

Quid tamen, si non tam breui dignus inueniatur? si peregrè, profectus, speratur post longum tempus rediturus? *Hoc opus, hic labor est:* vtrumque instat periculum non leue. Vacantis officij damna iam vidi: concessi indigno maiora, cæcus videt: medio autem insistere, & substitutum aliquem

aliquem minùs ineptum, præficere ad tempus, incommodo non caret: Nemo quâ potest diligentiâ officio incumbit, quod non tam sibi in donum, quàm quodammodò in depositum, committi nouerit: & quantùm curandis ouibus, Pastorem inter & Mercenarium distare, dixit Christus: hîc est perinde. Indignatur quisquis vel mediocriter ingenuus Principi: & officii munia anxiè tractare dedignatur: cuius se in perpetuum gerendi indignum erubescit existimari. Nihilominus in his angustiis, prædictum medium, tanquam innocentius, necessariò credo retinendum: maximè si sanctâ calliditate vtatur Princeps. Committat ergo huic minus inepto interim officium: non tamen alteri destinatum iam, declaret. Nolo mendacem Principem, absit vt velit donans absolutè haberi, quod auferendum disponit: imò nolo proteruè simulatorem: piè tantùm dissimulatorem hîc requiro. Dum enim officij substitutus, atque, vt ita dixerim, Depositarius, nondum illud certò alicui intelligit consignatum: se quasi in examen præsumit aduocari: intendit neruos, strenuè laborat, vigilat sollicitè, vt tandem plenâ collatione dignus inueniatur, an saltem id elicuisse silentio, non pro maximo Reip. commodo, Principi reputandum? At quidem potest euenire, vt talem hoc ardore se gerat, occultásque eò vsque dotes sic exhibeat, (non tam turpiter ambitiosus, quàm ingenuè euitans, ineptus reputari) vt iam omnino dignior sperato illo absente habeatur: posśitque tunc, & debeat Princeps, præmissam destinationem commutare.

674. Redolet dissimulatrix hæc Prudentia Politicam diuinam. Attulerat Christus Dominus Parabolam Patris fam. *Qui plantauit vineam, & locauit eam Agricolis.* Matth. 21. v. 33. & postquam latè describit horum perfidiam, missos seruos à Domino, & huius insuper filium occidentium: postquam id Iudæis, suo se ore condemnantibus (vtpote qui affirmârunt, malè perdendos meritò hos Agricolas, vineámque dignioribus addicendam) accommodauit: sic concludit: *Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* v. 43. Quasi tantummodò illis condignè dentur lex, præcepta, & cætera ad salutem necessaria: (id nomine Regni Dei, Saluator intellexit) qui fructus suo tempore afferre nôrunt. Addubitat ergo ibi acutè Origenes. *Sed dicet aliquis; si nemini datur Regnum Dei, fructus eius non facienti, quomodò illi populo datum est, à quo & ablatum est? Considera si possumus dare idoneam rationem, in tantâ difficultate quæstionis huiusmodi.* Et certè non est leuis difficultas. Si enim minùs idonea Synagoga præuidebatur Regno Dei gerendo: cur illi datur, iterum amouendum? Si non præuidebatur: vbi erat diuina Omniscientia? Patebit tamen solutio, si attenderis terminorum varietatem. Cùm de Synagogâ sermo est, *locatio*: cùm verò de Ecclesiâ *donatio* dicitur. Id etiam obseruauit Origenes sic subiungens. *Considera, quia cum vinea illi Populo traderetur, non est dictum:* & dedit illam colonis: *hîc autem habetur*: auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur aliis colonis. *insolubilis enim erat quæstio, si quemadmodum dixit illic,* locauit, *aut* tradidit: *similiter hîc dixisset:* locauit, *aut* tradidit eam aliis colonis: *aut quem admodum dixit hîc* dabit eam aliis: *illic ita dixisset:* dedit eam colonis. *Quoniam quod datur, intelligitur quod gratis datur: quod locatur autem & traditur; non omnino gratis datur.* Traditur igitur siue locatur Synagogæ, honorificum gerendi diuini Regni officium, non tanquam proprium donum, sed tanquam depositum, idque *non omnino gratis*, id est, non omnino libenter: quia nimirum sperabatur Ecclesia ventura, cui tanquam Christi meritis ditatæ & dignissimæ, non iam ad tempus, sed in perpetuum, Officium seruabatur. Nimirum, Deus prudentissimâ quadam vsus Politicâ, vtilius vidit, id officij Synagogæ ad tempus tradere, (quia saltem minùs inepta erat, quàm cæteræ tunc Nationes Idololatricæ) ac proinde, sic gentilis Ecclesiæ aduentum dissimulauit, vt nunquam id satis intelligerent Iudæorum turbæ: Ne scilicet aut omnino vacaret tantum officium, humanæque Reip. sic necessarium: aut indignis in perpetuum traderetur: quod solum dignissimis conferendum destinabatur, vt electio iustissima radiaret. Aptè proinde concludit Origenes. *Quibus ergo tradidit aut locauit: non omnino quasi electis, & fidelibus tradidit, aut locauit: quibus autem donauit, cum iudicio electionis, meritò eorum donauit.* Nesciui inuolutam sententiam breuiori claritate explicare. Habes tamen mi Princeps, diuinum hîc exemplar, cui inhæreas.

675. Hæc sunt, quæ mihi, in tot prædictorum Administrorum electionibus, obseruatu digniora visa sunt: vtinam Principi, opere obseruanda. Pendet totius Reip. incolumitas à regiis Administris: & pendet Administrorum faustum exercitium, ab electione: tutam, paratam habent virtutem diuinâ, quos incorrupta eligit synceritas, fælicissimè dirimendis negotiis Deo auspice promoti, admouentur. Grauiter D. Leo Serm. 1. Assumpt. ad Pontif. ita. *Honorabilem mihi, Dilectissimi, hodiernum diem fecit diuina dignatio: quæ dum humilitatem meam, in summum gradum prouehit, quod neminem suorum sperneret, demonstrauit. Vnde & si necessarium est trepidare de merito: religiosum est tamen, gaudere de dono: quoniam qui mihi honoris est Author, ipse mihi fiet administrationis adiutor: & ne sub magnitudine gratiæ succumbat infirmus, dabit virtutem, qui contulit dignitatem.* Sic ergo elige mi Princeps, vt per te Deus eligere videatur: vnde & electo Ministro, diuinam virtutem, & gubernato Populo, faustam administrationem comparabis.

Math. 21. 33.

Origenes. *Officia, quādo ad tēpus & nō in perpetuum consignanda.*

Origenes.

Origenes.

Syncera electio diuinam opem. obeūdo ministerio, paratam habet.

D. Leo Mag.

NOTATIO XII.

Qualis Comitas in Principe probetur.

676. EXPLICAVI hucusque, tot Ministrorum Ordinibus euolutis, cur Impius Baltasar, *Baculus Impiorum* diceretur: vtpotè qui amicis solummodò vsus perditissimis: hos tantùm

Princeps, Amicus suis, turpiter æquatur, aut subgritur.

tantùm fulciens, in Magistratus amplissimos promouebat. Restat paucis illucidandum, eiusdem versiculi membrum aliud, quo Baltasaris Potentia, non tam *Dominantis*, quàm *Dominantium virga* appellatur: quia vt in litera adnotaui, stultus & leuissimus Princeps, Amicorum se libito tradiderat, quorum ductu sic omnia disponebat: vt non tàm solus regnare, quàm ipsis conregnare: nec Augustum sceptrum vni, quàm multis iam commune, videretur. Hoc vitium Romanis maximè Imperatoribus insolitum, iam multi, se inuicem transcribentes, prodiderunt. Dabo igitur in hâc notatione, qualis in Principe facilis comitas, comis suauitas sit probanda: ne vnquam sic dedatur suis, vt se vnicè Dominum esse obliuiscatur. Non est condigna Principi facilitas, quæ nescit vbique maiestatem retinere: sic enim debet familiaribus blandè condescendere, vt nunquam è singulari throno reputetur descendens. Suprema Maiestas, etiam quando comior, exigat reuerentiam: & dum facilis Amicos allicit, terreat immodestos: vt etiam cùm deposito fastu suauissimus, quidam ex omnibus v[e]lit haberi Princeps, vnus inter omnes sing[u]larissimè dignoscatur.

MONITA POLITICA.

I.

Princeps, sibi vnicè dominandi Ius, & Maiestatis gloriam reseruet.

677. EXceperat blandissimus Pharao, Patrem & fratres Ioseph: assignauit illis Prouinciam quam incolerent, & industriis, si fortè, munia obeunda: Genes. 47. v.6. & additur paulò post:

Gen.47.11.

Ioseph verò, Patri & fratribus suis dedit possessionem in Ægypto, in optimo terræ loco Ramesses: vt præceperat Pharao. Vers. 11. quasi nec vnguem à Principis sui præcepto deuiaret. An non is erat Ioseph, qui annulo regio sigillans, regio curru vectus, adorantem Ægyptum, sibi prostratum videbat, absque cuius imperio nihil mouebatur? planè: his enim plura habes, c.41. à vers. 40. Vnde ergo in leuiori negotio, liberalissimi in se Principis nutui sic addictus? quia prudentissimus sub familiarissimâ liberalitate Pharao, vnicum sibi regnandi Ius seruarat: ideo dixerat citato proximè versiculo. *Tu eris super domum meam: & ad tui oris Imperium, cunctus Populus obediet: vno tantùm Regni solio, te præcedam.* Ministrum ergo primarium, non sibi conregnatorem, Iosephum constituerat: ministrabat iste potiùs, quàm disponebat: & illius se nutui attemperabat: nec ausus per se aliquid, vnde vel minimum, supremo Regis Imperio derogaretur. Oleaster. *Quemadmodum præcepit Pharao. Nihil sine Pharaonis imperio facere ausus est Ioseph, quantumcunque illi fuerit acceptus. Qui autem nunc Principibus sunt grati, quæ volunt, faciunt.* Faciunt quidem, sed apud illos Principes, qui Amicos suos, vno regni solio nesciunt præcedere; qui non tam Administros habent, quàm conregnatores: qui solium iàm non vnum, sed quodammodò multiplex, Conger-

Ex 41.40.

Priuatus non debet conregnare Principi, sed obedire.

Oleaster.

ronum suorum turbæ condistribuunt. Quo vt nihil stultius Principi, ita nihil Reipublicæ infælicius.

Nusquàm priùs, si originales fontes bibamus, Dominicus titulus Deo attribuitur, quàm dum formatus homo designatur. cap. 2. v. 4. & 7. Genes. 2. Vbi dicitur: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Licèt enim in vulgatâ nostrâ versione cap. 1. v. 2. *Spiritus Domini* legatur: tamen in Originalibus Hebræis, Græcisque priscis vt nôsti, solum *Spiritus Dei* retinetur. De quo Tertullianus, lib. aduersus Hermog. cap. 3. post multa, de vtriusque nominis discrimine. *Grauiter Scriptura nobis patrocinatur, quæ vtrumque nomen ei distinxit, & suo tempore ostendit. Nam Deus quidem, quod erat semper, statim nominat: in principio fecit Deus cælum & terram. Et deinceps quæ vsque faciebat, quorum Dominus futurus erat, Deus, solummodò ponit: & dixit Deus, & fecit Deus, & vidit Deus: & nusquam adhuc Dominus.* An non Deus cæterorum omnium Dominus? certè legitimus. Cur igitur tunc demum producto homine assumitur hic titulus? edebatur homo rationis particeps tanquam præcipuus Dei Administer, visibilibus cæteris præstantior, irrationalibus brutis præficiendus: Tunc ergo Domini titulum signanter assumit Deus, vt ab homine, vtpote rationis participe, non solùm Deus, sed Dominus agnoscatur: isque se non Deo conregnatorem, sed Domini Administrum intelligeret. Fauet ipse Tertul. sic subiungens. *Vbi vniuersa perfecit, ipsúmque vel maximè hominem, qui propriè Dominum intellectu iis erat: Dominus etiam cognominatur.* Vt statim in ipso ortu homo non solùm Deum recolens, sed etiam Dominum, seruum se fateretur: nec Regi suo præsumeret componi.

678.

Gen.2.4.

Genes.1.2.

Tertul.

Princeps, etiã P[ri]uat[is] sui immo maximè Dominus habeatur.

Hinc intelliges, cur ipse homo, cæteris omnibus animantibus, dignitate primus, non sit etiam origine primæuus, quin potiùs natu postremus omnium exoriatur. Erat nimirum quodammodò Adamus bestiis, quod Adamo Deus: colebat mente Dominum Deum, homo: sicut corporeo visu, hominem bestiæ dominum recolebant. Non ergo ante omnes producitur, ne absque satellitio, vt alij notârunt, Princeps incederet. Non inter illas, ne de concorporeâ similitudine, cœuæque originis, & exortus paritate, illis quodammodò familiarior vilesceret. Postremus ergo & seorsim educitur: & quasi expectantibus repentè proponitur: vt quæ se inuicem in terram pronæ despexerant, inopino dignioris longè formæ spectaculo percussæ; reuerentiam perterritæ conciperent, longéque à Rege suo distare se, cognoscerent. Philo Iud. lib. de Opif. Mun. post alias rationes. *Necesse erat omnium rerum creatarum, postremum produci hominem: vt nouissimus repentè inter alias animantes existens, terrorem eis incuteret. Sic enim futurum erat, vt ad primum eius conspectum obstupefactæ, adorarent tanquam rectorem, à naturâ datum, & Dominum. Quapropter hoc viso, omnes ad vnum cicuratæ sunt: & vel ferocissimæ, primo statim intuitu mansuescebant; rabiem, quâ in se inuicem efferebantur, erga solum mitigantes hominem. Quamobrem Opifex eius, & Pater, animal hoc naturaliter ratione præditum, non re solùm, sed & verborum authoritate Regem constituit, omnium* 679.

Hominis dignitas.

Princeps reuerenter, à subditis recolendus.

Phil. Iud.

sub

ſub lunâ terreſtrium, aquatilium, volucrium. Quaſi omnino indignum regia Maieſtate, ſi quem ſubditorum non ſolùm conregnantem, ſed etiam irreuerentem ſortiretur. Tale eſt illud quod de Auium rege, Phœnice, quando è regione illâ occultâ prodit in hunc alium Orbem, canit Claudianus, in eiuſdem Poëmatio, his verſibus.

Phœnicis regius comitatus.

Claudian.

Innumera comitantur Aues, ſtipátque volantē
Alituum ſuſpenſa cohors, exercitus ingens
Obnubit, vario latè, conuexa meatu.
Nec quiſquam tantis è millibus, obuius audet
Ire duci: ſed Regis iter flagrantis adorat.
Non ferus accipiter, nō Armiger ipſe Tonātis,
Bella mouent: commune facit reuerentia fœdus.

Sit ergo Princeps in Imperio ſuo Phœnix, quia ſingularis: ſic cultus ſubditis, vt cui ſors nullum, ſic nullum, ſtulta facilitas, parem faciat: Iuſta Monarchia ignorat conregnantes: & vt multorum conſiliis ſtabilitur, ſic vel vno, alterius, præcepto penitus diſſoluitur: iam non eſt abſolutus Dominus, qui Amicos ſibi compares admittit.

680. Amouet, gloriæ ſuæ, throno, velum: & transfiguratus, diſcipulis exhibetur, Christus Dominus: *& reſplenduit facies eius ſicut Sol; veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. & ecce apparuerunt illis Moyſes & Elias cum eo loquentes.* Matth. 17. v. 2 & 3. Nulli mortalium apud Hebræos, glorioſiores vnquā habiti fuere: vtriuſque ſtupendi prodigiis, memoria, deuoto quodam obſequio colebatur. Quò ergo tendis, diuine Princeps? Si hos tecum in gloria oſtēdis, iam putabunt rudes adhuc diſcipuli, hos regni tui compares adfuiſſe: nec abſque conſortibus potuiſſe maieſtatem reuelare. Si colloquio opus eſt; & gloriâ, abſque Crucis ſermone, & paſſionis deſipit condimento: ſaltem abiectiores alios tibi aduoca: cur enim authoritatem tuam iudicantium diſcipulorum periculo exponas, dum digniores hos viros, & vt ait Lucas, ſplendore veſtitos, tecum illis exhibes? Fuit prudentiſſimæ Politicæ, digniſſimorum in hanc pompam, electio. Longè aliter Christi, & ſeruorum ſplendor internitebat: ipſo illorum vultu, exhibita reuerentia prodebatur: vt dum etiam maximis maior cernebatur Christus, neminem in Regno æqualem: Phœnicem ſingulariter regnantem agnoſcerent Diſcipuli. Euthymius ibi. *Propter multas cauſas ſecum ſtare fecit Moyſem, & Eliam: conſtituit coram ſe, tanquam ſeruos, eos qui in veteri Teſtamento inſigniores refulſerant: vt diſcrimen quod eſt inter ſe & illos appareat; & quàm ipſe ab illis differat.* Hæc eſt germana regnandi Idea, ſi ſemper longum diſcrimen inter Regem, eiuſque inſigniores Amicos intercedat. *In maieſtate* inquit Lucas cap. 9. verſ. 31. Serui erant, ſed longè alia.

Matt 17. 2. Verſ. 3.

Princeps, ſemper debet maieſtate præcedere Amicos.

Euthym.

Luc 9. 31.

681. In idem recidit, quod ſtatim ſubiungit Euangeliſta. *Reſpondens autem Petrus dixit ad Ieſum: Domine bonum eſt nos hîc eſſe: ſi vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum.* Verſ. 4. Addit Lucas de Petro, *neſciens quid diceret*: verſ. 33. & meritò, inſcitiæ arguitur, qui etiam notato longo ſplendentis Maieſtatis diſcrimine, adhuc Tabernaculorum apparatu, ſeruis Dominum videbatur comparare: & quaſi ex æquo tractandis, tribus tria tabernacula cogitabat. D. Hieron. ibi. *Noli tria tabernacula quærere, &c. Si autem quæris tria tabernacula, nequaquam ſeruos cum Domino conferas: ſed fac tria tabernacula, immo vnum, Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.* Non ergo diſplicuit Domino Tabernaculum, qui ſaltem iuxta Abrahæ tabernaculum Geneſ. 18. conniuio excipi dignatus eſt: ſed quod promiſcuè ſibi, Dynaſtiſque ſuis, quaſi obſequij paritate, tabernacula Petrus polliceretur. Vnde benè Timotheus Orat. de Cruce apud Grethſ. ita ex ore Christi ad Petrum. *Ingreſſus ſum in tabernaculum Abrahæ, & ingreſſus manſi: ſed animaduerte fidem, & ſcientiam, & victoriam Abrahæ: tertium me agnouit cum duobus Angelis: num tria tabernacula fabricatus eſt? num me cum ſeruis comparauit? an non vnam, ad ſuſcipiendum hoſpitio Dominum, menſam parauit? imitare Abraham, & fac tabernaculum.* Lapſus memoriæ Doctori ignoſcendus: non enim Deus ingreſſus eſt tabernaculum, ſed ſub arbore exceptus. Cætera pulchrè conſtant In toto illo capite, ſemper ad vnum, quem Dominum appellat, ſermonem dirigit Patriarcha. Quid ita? quia licèt Dominus ſub Iuuenis ſpecie diſſimulatus veniret, duobus Angelis ſtipatus, (qui cap. 19. in Sodomam dicuntur profecti) ſic tamen inter conſimilis formæ Angelos radiabat, vt ſtatim ſingulare aliquid regium exhiberet, quod aliis communicâſſe indignum eſſet. Sic capio Prædicta verba Timothei: *Tertium me agnouit cum duobus Angelis.* Ideo Petro prudentior, nunquam illum cum ſeruis comparauit: cuius nunquam gloria, id eſt, ſupremæ dignitatis excellentia, alteri datur: nunquam de communi participatione vileſcit.

Matth. 17. 4. Luc. 9. 33.

D. Hieron.

Princeps, nūquam cum ſeruis conferendus.

Timoth. Antioch.

Gen. 18.

Gen. 19.

Sic in re noſtrâ. Vileſcit humanæ Monarchiæ dignitas, etiam in Oligarchiam declinat: ſi ſtultâ comitate Princeps Amicos ſibi adiungit conregnantes. Et hoc quidem, longè deterius ſe habet, quavis Oligarchiâ, hic Monarchicus tenor corruptiſſimus: quod Oligarchæ, potentiam ſubdiuidentes, in officio, pro partibus ſuis ſubditos continent: at hi, eiuſdemmet ſceptri, monſtroſi Monarchæ, (& inde deſpicabiles) Rempubl. perturbant, confundunt ſubditos: qui dum, cui nam, illorum pareant, addubitant: nulli parêre ſatiùs exiſtimant. Irridet acutè ſalſus Tertullianus Hæreticos, qui duo ſumma rerum Principia ponebant, lib. 1. Cont. Marcion. cap. 5. ſic ſcribens. *Ecce duos Deos inuenis tam pares, quàm duo ſumma magna: quid facerem ſi ambos colerem? vererer, ne abundantia officij, ſuperſtitio potiùs, quàm religio exiſtimaretur: quia duos tam pares, & in altero ambos, poſſem in vno demereri: hoc ipſum teſtimonio præſtans, parilitati & vnitati eorum, dum alterum in altero venerarer, dum in vno mihi duo ſunt. Si alterum colerem, æquè cogitarem, ne ſuffundere viderer numeri vanitatem, ſine differentiâ ſuperuacui. Hoc eſt: vt tutius cenſerem, neutrum colendum: quàm alterum, cum ſcrupulo colendum, aut ambos vanè.* Et adhuc hæc monſtroſitas fœdior, ac turpiori ludibrio expoſita, in Aula regia, quādo Princeps, & Amicus, bicipitis iam Monarchiæ capiunt poteſtatem: illud enim biceps Principium, è naturâ Diuinitatis ortum, hæretici ſomniabant: hoc autem vitio aulico exortum, agnoſcit Reſpub. Nec cachinnos contenta Regem ſic ſtultum deſpicit: nec cohibitura furorem, dum ſuſpicit Amici faſtum tumidiſſimum. Vnde non ſolum ob prædictas ab Afro cauſas, 681.

Monarchia, in Oligarchiam ſtultè proiectam, Rempub. conturbat.

Tertul.

Monarchia, iſta multò peior, quam ſit monſtroſi periculi.

nec

nec ambos, nec alterum colet: quin potiùs in vtrumque insurgere machinabitur.

683\. Amoueat ergo, ingentis periculi obicem, prudens Princeps: vnus, & solus regnet, si diu regnare destinat, esto enim quandoque patiens & pius Populus non rebellet: ipsius Amici insidijs est expositus, qui gustato Imperio, conuiuam tanto ferculo recusabit. Scatet vtraque Pagina exemplis, cuiuis obuiis. Sed esto: demus Amicum, non insidiantem: ad minus, semper Principe ipso, dabimus potentiorem: cùm enim Principe, conclaui suo, vtplurimum, quasi vincto, Amicus exertâ potentiâ immediatus omnia administret: ad libitum singula, iam vi, iam dolis disponet, ne quidquam illo interim reclamante. Cape nondum tritum locum, Dionysius Cassius in Nerua,

Princeps, Principe nimium [...] solus regnet [...] fortiorem, aut saltē potentiorem,

Dion. Cass.

Praefectus erat Pretorio Ælianus Casperius, quam Praefecturam etiam sub Domitiano gesserat. Hic tumultuantes Pretorianos, aduersùs Neruam concitauit: hoc sanè consilio, vt per speciem vlciscendæ petitionis, quosdam eorum, ceu hostes Caesaris ad mortem posceret: sed Nerua, Casperio talia molienti adeò restitit, vt denudato collo, iugulum confodiendum porrigeret, quamquam nihil profecit: nam hi ferè omnes quos Casperius designauerat, interfecti sunt. Ecquem putes, in hoc bicipiti throno potentiorem: Principem, an Ministrum? huc recidet quisquam Principum, si in potentiâ delirat communicandâ.

II.

Regij vultus suauitas vbique grauitate temperetur.

684\. Hoc igitur contra Baltasarem fixo, non esse scilicet regiæ Comitatis, sed ignauæ stultitiæ, cedere Administris, pati, Conregnatores: cætera quæ comitatem, id est pulcherrimam, & amabilissimam Principis virtutem, vel fœdant, vel commendant percurramus. Pars huius dotis, in vultu Principis, non exigua: huc spectant, hinc pendent Populi: ab hoc eius, aut suauem, aut arrogantem indolem augurantur: & à certissimo animi indice, mores discunt. Vultum naturâ ipsâ tetrum, authore Suetonio, in sæuiorem horrorem componebat Caligula: immane inde quantum subditorum in se rabiem efferauit. Minùs noxium, sed tamen malum, extremum aliud, illorum Principum, qui gratissimam suis affectantes comitatem: non tam ridenti, quàm ridiculâ hilaritate, vultum deformant potiùs, quàm amœnant. Vultum regium, comem requiro, sed grauem: suauitatis, seueritatísque temperie commendabilem: vt incussâ reuerentiâ alliciat, & exhibito allectamento timeatur: Idque vbique, vt etiam quando comior, mixturæ huius decentiam retineat. Vno verbo, talem volo, qualem suum Domitianum mentitur Statius: quem cum Proceribus, & familiaribus, in epulo, comitate blandissimâ discumbentem sic describit lib. 5. Silu. 2.

A vultu Principis populus dependet.

Vultus iste [...] ternus, sed grauis vbique.

Statius.

Sed mihi non epulas Indisque innixa columnis,
Robora Maurorũ: famulasve ex ordine turmas:
Ipsum, ipsum, cupido tantum spectare vacauit,
Tranquillum vultu, submittentemque modestè,
Fortunæ vexilla suæ. Tamen ore nitebat.

Dissimulatus honos. Talem quoque barbarus hostis,
Posset, & ignota conspectum agnoscere gentes.

Sic iterum lib. 1. Silu. 1. de eiusdem Domitiani celebri statua.

Idem.

——Iuuat ora tueri
Mixta Notis belli, placidamque gerent. a pacem.

id est, explicatore Cruceo, delectat speciem cernere, ex militari vigore, & vrbanâ comitate temperatam. Hæc formæ comitas, Principem docet: hæc mixtura intuentes allicit suaui blandimento, quos bellico vigore pariter componit.

685\. Nunquam Moyses, Principatus sui stemmata clariùs propalauit, quàm dum Populi legislator, acceptis tabulis descendit è monte. Legem à Deo acceptam, supremâ authoritate, Populo sibi commisso irrogate: longe plenéque Principem ostentabat. Nunc pende qualis descendit. *Cùmque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonij: & ignorabat, quod cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. Videntes autem Aaron, & filij Israel, cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere*, Exod. 34. v. 29. Radiabat Principis facies, cælestis lucis profluuio: vnde ex Hebræo vertitur apud Vatabl. *Nesciebat, quòd radios iaculatur, vel splenderet cutis faciei eius.* Ecquid lucidâ facie hilarius, comius, blandius: certè nihil. Quid ergo præ timore & reuerentiâ, non audent propè accedere intuentes? quia lux erat, sed cornuta: quasi veniret iam Principis tanti facies, *mixta notis belli, placidamque gerens pacem*, quod in Domitiano suo fingebat Statius. Hæc facit Drogo Ostalib. de Dom. Pass. ad rem aliam, in Concept. & Spicil. iam adductus. *Erat facies Moysis luminosa, & terribilis, &c. quia cornuta erat, ad venti.andum inimicos: velata propter splendorem, quem carnales oculi ferre non poterant.* Sic facies Principis eximit, gratissimo hoc mixto temperata, amorem pariter & timorem à Populo recedente conciliabat. Notat autem pulchrè Cellensis lib. de Consc. cap. 7. *Virtus conscientiæ tanta, in facie Moysi apparebat, vt cornuta diceretur: vt oculos reuerberaret inspicientium exuberans sanctitas legislatoris.* Ita est. Quidquid fingat improbus Princeps nunquam satis Comitatem hanc grauem imitabitur: quæ solummodò ab internâ morum compositione, in vultu, id est animi speculo, syncera nitet.

Exod. 34. 29.
Principis vultus, belli, pacisque mixtura temperatus.

Vatabl.

Drogo Ost.

Petr. Cellens.
idque solum ab interna virtute potest prouenire.

686\. Vnde cælestem illum Principem, resurrectionis Dominicæ nuntium, sic describit Matthæus: *Erat autem aspectus eius sicut fulgur: vestimentum eius sicut nix*, cap. 28. v. 1. Non quæuis, sed lux fulminea faciem venustabat, vt simul & alliceret, & terreret: cui proinde loco citato Drogo, cornutam Moysis lucem comparauit, tu legeris. Illud hîc singularius, quòd cum vestimenti candor, lunæ & stellarum candori possit comparari, niueo potius & terreno candori comparetur: sitque singularissimum, quod cum fulgur, & fulmineæ scintillæ, obductâ niue extinguantur: fulgureus ille faciei splendor micaret adhuc, neque apposito niueo vestimenti splendore absorberetur. Scilicet fulgur erat intensius, quod niueus candor, & si temperare poterat, non tamen abolere: terrenis enim blandus allocuturus Angelus, per summam comitatem, terrenum splendorem affectauit: sed ita affectauit, vt semper in

Matth. 28. 3.
Nulla comitas regij vultus maiestatem debet imminuere, nedum abolere.

facie iam suaui, seuera quædam, & digna Principe maiestas seruaretur. Nunc plenè capies Chrysol. serm. 75. ad hunc locum, *Vultus clarus, à vestium candore separatur: & facies fulguri, niui vestis Angeli comparatur, quia fulgur de Cælo, nix de terrâ &c. In facie igitur Angeli claritas cælestis seruatur naturæ: in veste verò, gratia figuratur communionis humanæ: & temperatur species Angeli colloquentis: vt carnales oculi & vestium ferant placidam claritatem: & ex fulgure vultus, nuntium sui tremerent, & reuererentur Authoris.* Non aboletur itaque fulgur radians, sed mitescit: non languet, sed temperatur species Angeli colloquentis: ne, non tam comitatem, quàm vilitatem exhibuisse, videretur.

687\. Didicit credo Angelus, à supremo Principe Christo in cuius gloriosa transfiguratione, *Resplenduit facies eius sicut Sol: vestimenta autem eius facta sunt alba, sicut nix.* Matth. 17. v. 2. Vt in throno gloriæ, comis & suauis cerneretur: ne solo Sole, discipulorum oculis, caliginem infunderet; illius radios, mitiore niuis candore, temperauit, non extinxit. Tale est, quod de eiusdem oculis habet Ioannes Apocal. 1. *Oculi eius tanquam flamma ignis.* v. 14. Totus Christi vultus, gratiarum blandimenta, pulchritudinis spirat suauitatem: nullibi tamen, aut gratior aut pulchrior, quàm oculis: cur ergo hic non tam clari & nitidi, quàm igniti, & quasi vrentes describantur? quia in illâ suauissimâ comitate quâ oculi isti, iustos attrahunt, & vibrato amoris spiculo accendunt: multum etiam seueritatis retinent, quo impios perterrent, & consumunt. D. Andreas Cæsar. ibi, de his oculis. *Quamuis enim hi Sanctos recreant & illustrant: homines tamen profanos, & sceleratos incendunt, diréque excruciant.* Quasi nullibi, diuini Principis comitas suauissima, in suos, nisi sub hac gratâ mixturâ temperetur.

Matth. 17. 2.

Apocal. 1. 14

Oculi Principis, amorē & timorem simul incutiant.

D. Andr. Cæs.

688\. Pulchrius longè est, quod de eiusdem genis, ad rem nostram, Salomon scripsit: *Genæ illius, areolæ aromatum, consitæ à pigmentarijs.* Cant. 5. v. 13. in Hebræo מגדלות id est: *Turres aromatum:* quas quidam, explicant de Pyrgis, siue turritis vasculis, naterciis & pyxidibus, quibus aromata reconduntur: alij de Plantis aromaticis, Topiariorum arte, in turrita fastigia efformatis. Vtcunque sit, non caret difficultate, cur potiùs turritis, quàm quibusuis aliis alabastris: aut saltem cur plantis potius in turrim acuminatis, quàm in alias formas deductis, cum in tot à Topiario soleant figurari, genæ pulcherrimæ, hoc loco comparentur? Ego puto cum venustate, seueritatem pariter indicari: quo sic blandus & comis etiam inter amoris purissimi delitias intelligatur diuinus Princeps: vt pariter bellicum quendam vigorem, & strenuissimam instar turris, modestiam exhiberet: vnde quosuis minus decoros intuentium, & colloquentium motus expugnaret, comitatem grauissimam spirans. Nescio an ad prædictam versionem alludat venerabilis Beda: certè mentem meam signanter sic expressit ad hunc locum. *In genis, ipsa modesta pietas, simul & seueritas vultûs eius, exprimitur.* Nescit enim aliunde comitas tanto Principe digna, condignè temperari.

Idem, è genis Principis, expo cendum.

Cant. 5. v. 13

Beda Vener.

689\. Vt Angelus, Christum: sic Christus, in hâc re, visus cælestem Regem Patrem imitatus: pende enim, quid de Deo, visibilem se exhibente, scribat Ioannes: *Ecce sedes posita erat in Cælo, & suprà sedem sedens: & qui sedebat, similis erat aspectui lapidis Iaspidis, & Sardini.* Apocal. 4. v. 2. Quàm alius est harum gemmarum color & splédor! Iaspide viridante, nihil hilarius: aspectum recreat, reficit pupillas, spirat blandimenta. Sardinus rubeus, oculos præstringit, & quasi eructás sanguinem, bella mouet. Vnde ergo in eodem vultu tam dispar nitor, effectus tam dissimilis: quo hinc fouere, inde videatur cruentare? Nimirum non aliunde, nisi commixtâ vtriusque coloris ratione, diuini vultûs comitas temperatur: Sic virore in spem intuentes erigit; vt rubore inuitet ad laborem: inde alliceris, hinc componeris: & dum ad sanguinem vsque cogeris fatigari, promissæ immortalitatis aspectu recrearis. Abbas Cellensis, lib. de Pan. Cap. 26. *Distinguendum est vbi sit præceptio exercens, vbi promissio refouens: demulcet namque promissio, sed terret præceptio. Vnde Ioannes in vultu sedentis in throno, hoc vtrumque simul notauit: & qui sedebat, inquit, similis erat aspectui lapidis Iaspidis, & Sardini. Iaspis viridis coloris est, & aquosi, & significat promissam immortalitatem. Sardinus ruber significat præcepti laborem.* Quis sic temperatæ comitatis vultui intuendo, hinc territus, inde allectus, amorem reuerentiâ non temperaret?

Apocal. 4. 2.

Vultus Principis, alliciat terrēs, terreat alliciens.

Petr. Cellēs.

690\. Talem itaque, in Principe meo, requiro vultûs comitatem, vnde etiam ignotus, facilè ipsâ facie, Dominus discernatur. Quis inter multos, è vultu proteruè horrido, aut stultè hilari, Principem discerneret? quis gesticulationibus fœdam, cachinnis solutam, aut aliunde contractam supercilijs, corrugatis naribus asperam, & solicitudine tristem, Imperatoriam faciem dignosceret? Comitatis nimirum temperatæ lineamentis, spiritus verè regius describitur: imperatorius animus spirat. Neque hinc abest, quod in prædictum locum Apocal. sic D. Andreas Cæsar, excogitauit. *Similis erat Iaspidi quidem, quod is viridis existat, suáque viriditate, Naturæ diuinæ symbolum præ se ferat: hæc namque semper floret, & viret, vitámque & escam viuentibus omnibus præstat. Assimilatur ad hæc sardio: ob terrorem, quem hostibus incutere natus est: aiunt namque Sardium, feris, spectrísque terribilem videri. Vi præterea, quam naturâ insitam habet, ægra corpora sanare solitum.* Quasi sic allectamenti & terroris mixtura temperetur, vt in ipsa facie, indoles diuina latens radiaret; etiam absque cælesti comitatu, angelico satellitio, cognoscibilis. Fuit optimum in humanis, huius formæ, & comitatis temperatæ, exemplar, Traianus: cui verè tribuit Plinius Panegyr. quòd palpator Poëta, Domitiano suprà adfingebat: ergo ille, post alia de cæteris Principibus concludit. *Reuerentiam ille, terrore: alius amorem, humanitate captauit: ille quæsitam domi gloriam, in publico: hic in publico partam, domi perdidit: postremò, nemo adhuc extitit, cuius virtutes, nullo vitiorum confinio læderentur. At Principi nostro, quanta concordia, quantáque concentus omnium laudum, omnisque gloria contingit: vt nihil seueritati eius, hilaritate: nihil grauitati, simplicitate: nihil Maiestati, humanitate detrahatur. Iam firmitas, iam proceritas corporis, iam honor capitis, & dignitas oris &c. nonne longè latéque Principem ostentant?* Tu mi Princeps virtute, quidquid natura inuiderit sic supple, vt hac co-

Ipse vultus, ignotum aliunde Principem, satis probet.

D. Andr. Cæs.

Plinius.

comitate grauissimâ sceptróque dignâ, regiam statim exhibeas oris dignitatem.

691. In duobus autem euentibus, vehementius, corrumpendæ huius debitæ comitatis, instat periculum: vel quando gloriosius solito, insigniorem maiestatis pompam ducit Princeps; vel quando animi ergo, honestis recreationibus indulget: vtrobique enim, ni cura, seruandi iusti tenoris, adhibeatur, linea facilè excedetur: & in primo, grauitas nimia: in secundo nimia demissio, vrbanæ Principis obstrepet comitati. Habet hoc, gloriæ scena, honoris insoliti apparatus, vt vultum defigurare videatur, & tumido fastu, reddere incognoscibilem. Dedi de hoc honore defigurante, multa, in Cant. vbi, & de Iustorum honore solummodò transfigurante: addo pauca, ex eodem Tertulliano ibi adducto. Ponderabat cultus Afer, Transfigurati Christi faciem Mat. 17. totos solares radios iaculantem: aliunde sic non mutatam, sic eandem, vt lineamenta Petro agnoscibilia relinqueret. Pondero denuò, quod Lucas addit. *Erant autem Moyses, & Elias visi in maiestate.* Luc 9. v. 31. Hos nunquam antea visos, aut ex colloquio, aut ex reuelatione agnouit Petrus, vt constat vers. 33. Pende quæso illud, *visi in Maiestate*: Non dixit luce perfusos, gloriâ splendentes, in Maiestate esse; sed conspici, sed videri: quasi hæc esset iusti illius, & ingenui honoris prærogatiua, eadem lineamenta, eandem corporis habitudinem agnoscendis relinquere: quod in honore profano rarò euenit. Fauet Tertul. lib. de Resur. Carn. cap. 55. licèt, non tàm mores Politices, quàm dogma catholicum intendat apparare! Sic scribens. *Dominus in secessu montis, etiam vestimenta luce mutauerat: sed lineamenta Petro agnoscibilia seruauerat. Vbi etiam Moyses & Elias, alter in imagine carnis nondum receptæ, alter in veritate nondum defunctæ: eandem tamen habitudinem corporis, etiam in gloriâ perseuerare docuerunt.* Tu mi Princeps, gloriam tuam cælestis gloriæ adnitere æmulatricem: caue decoram vultûs comitatem defiguret, illorum instar, quos ludibrio exposui suprà Notat. 1. numer. 26. & 27.

Caueat Princeps, ne ex dignitatis pompâ vultū defiguret.

Luc. 9. 31.

Tertul.

692. Non fœdior, sed tamen periculosior est euentus alius, ne dum Princeps remittit animum, & honestis recreationibus, aut epuli, aut ludorum vacat: familiarior & iocosior, hilariórque, quàm deceat procedat cum suis, iustæque comitatis metas transiliat. Difficultatem ingerit Interpretibus, illud Ioannis de Christo: *Fatigatus ex itinere, sedebat sic, suprà fontem.* Cap. 4. v. 6. Quid est, *sic?* ni fallor, sedebat ad recreationem eodem tenore, pari modestiâ, sicut dum fatigatus incederet: vt cui fatigatio, vultus serenitatem non minuerat; sic recreatio, eiusdem grauitatem non violaret: & idem sub proportionatâ vtriusque exercitij temperie, cælestis Princeps cerneretur. Tale aliquid falsorum suorum Numinum recreationibus adfingit citatus Statius: quibus proinde, modestam illam comitatem discumbentis Domitiani, ita comparauit.

Princeps in recreationibus modestâ vultus vti debeat grauitatem.

Ioan. 4. 6.

Statius.

Non aliter, gelidâ Rhodopês in valle, recumbit,
Demissis; Gradiuus, equis. Sic lubrica ponit
Mēbra Terapnaâ, resolutus, gymnade, Pollux.
Sic iacet ad Gangem, Indis vlulantibus, Euan.
Sic grauis Alcides, post horrida iussa, reuersus,
Gaudebat strato, latus acclinare, leoni.
Parua loquor: nec dum æquo tuos Germanice vultus.
Talis, vbi Oceani finem, mensásque reuisit
Æthiopum, sacros, diffusus nectare, vultus,
Dux superùm, secreta iubet dare carmina, Musas:
Et Pallenæos, Phœbum laudare triumphos.

Quod fictis Numinibus hic adfingitur; vero Numini verè tribuit Ioannes. Ad huius vultûs speciem, recreatus, suum componat, modestus Princeps.

Post curarum anxietatem, post impendentis periculi solicitudines, iugulato iam Holopherne, Fœmináque vltrà viros præstantissimâ, Epiniciis exceptâ, festiuis ludis: addit Textus: *Erat autem Populus iucundus secundùm faciem Sanctorum: & per tres menses gaudium huius victoriæ celebratum est.* Iudith, 16. v. 24. Ecquæ est Sanctorum ista facies? Respondet Lyranus: *Hæc additur, ad ostendendum, quòd hæc iocunditas non erat dissolutionis, sed magis deuotionis.* Nolo tamen ita constringere Principem, vt semper inter recreandum, piam hanc deuotionem spiret: satis nunc sit, si modestiam non excedat: si quâ solent iusti, lætitiâ non dissolutâ, perfundatur. Ideo Guillelmus ibi, apud Godefr. *Secundùm faciem Sanctorum, id est, sicut decet Sanctos: quasi dicat, non excedebant in lætitiâ.* Sic quidem prudens lætitia, & comitatem exhibet, & retinet grauitatem. Vnde de prudentissimo Traiano, cum Amicis in epulo se recreante, ita Plinius. *Ergo non aurum, nec argentum, nec exquisita ingenia cœnarum: sed suauitatem tuam, iucunditatémque miramur, quibus nulla satietas adest: quando syncera omnia, & vera, & plena grauitate!* Hæc grauis vultus iucunditas in recreationibus, vt amorem Principi conciliat: sic suam sibi retinet authoritatem. 693.

Iudit 16. 24.

Lyran.

Iusta recreatio quo vultu sumenda.

Guillelm.

Plin.

Optimum huius temperantiæ exemplar, Iob Rex, & planè indolis regalissimæ. Circunstante exercitu suo, & amicis stipatum, Regem se describit, cap. 29. v. 25. quibus tamen dicendis, hæc alia præmittit. *Si quando ridebam ad eos, non credebant: & lux vultûs mei non cadebat in terram.* Vers. 24. Ita-ne, dicat aliquis? fictum & fallacem risum Principis æquissimi, reputabant subditi: idque ipsum, sibi in laudem Iob, vertendum putat? Ecquid aliud in pessimis Romanorum Principibus, Tiberio maximè, & Domitiano, taxant Scriptores, quàm risum sardonicum, fictam comitatem: cui proinde nullus crediderit, nisi suo damno? Respondet tamen optimè Lyranus sic paraphrazans: *Si quando ridebam ad eos, ostendendo vultûs lætitiam: non credebant, propter maturitatem meam præcedentem.* Quibus, quid significetur, disertissimè explicat noster Sanctius, cuius aureum dogma, & si longius foret, non pigeret transcribere. Postquam ergo ostendit Patrem exhibitâ filiis hilari comitate, authoritatem nihilominus retinere: & Principem, paternis imbuendum moribus, testatur ex Plinio: subiungit. *Sic etiam Princeps, beneuolum se subditis ostendit, cùm illis ridet, laxátque animum, seuerioribus curis fatigatum: ita tamen, vt amorem concilient: neque vilis aliis, aut æqualis appareat: neque de illius authoritate ideo quidquam decedat. Quod faciebat Iobus, qui vt in aliis omnibus, sic etiam in humanitate regia, Principibus aliis exemplar esse voluit. Qui nôrant* 694.

Risus Principis, grauitate temperatus.

Iob. 29. 25.

Lyran.

Sanchez.

quantum

quantum inesset verbis Iobi authoritatis & ponderis: non credebant, illum sic seueritatem suam posse laxare, vt solueretur in risum, & aliquid meditaretur iocularе: quare aut se putabant, præstigijs quibusdam esse delusos, aut illum verum non esse, sed simulatum risum: atque ideo, non minùs ridentem, atque hilarem verebantur, quàm cum de rebus ageret serijs, vt de resecandis è Rep. vitijs, aut confirmandis ad pietatem moribus. Quasi in vultu hilari, neque regias curas, neque antiquum animum deposuisset. Longè ergo diuersa ratio, non credendi: Non credebant Romani ridentibus Tyrannis, quorum vitia & sæuissimam indolem agnoscebant: Non credebant hi, ridenti Iobo, cuius virtutes, & serium ingenium recolebant: illi, turpiter fallacem damnosúmque: hi piè simulatum, & quodammodò mysticum risum reputabant: quia nimirum in illorum vultibus hilaribus, aut dissimulata sæuities, aut vilis dissolutio enitebat: in amœna Iobi faciē, occulta grauitas, & temperata seueritas radiabat: vnde illi odium & vilipendium; hic conciliabat amorem & authoritatem.

695. Job 29. Lyranus. Pulcherrimè igitur addidit statim: *& lux vultus mei non cadebat in terram.* Vbi iterum Lyranus: *Id est lætitia faciei meæ non cadebat in terram, tanquam confusa, propter lætitiæ ineptitudinem. Per hoc dat intelligere, quòd lætitiâ non erat dissolutus, nec mæstitiâ confusus: sed tenebat virtutis medium.* ita est: dissoluta enim Principis lætitia in terram cadit, serpit, & quasi luto inuoluitur, neque tam recreationem, quàm ruborem & confusionem solet importare. Altiùs adhuc in hanc lucis, seu lætitiæ deiectionem tendit Sanctius: tu legeris. Nihilominus, saltem ad rem præsentem, probabiliorem puto illorum sententiam, qui *lucem vultûs* in hoc loco, de regiâ Maiestate, & faciei decore honoréque ingenito, explicârunt, qui vt cap. 1. Cant. Dram. dixi, ingenuos spiritus solet comitari. Neque hæc explicatio, licèt priori magis propendeat, displicet meo Sanctio: quam proinde ad rem nostram sic euoluit pulchrè. *A tera explicatio in luce vultûs maiestatem agnoscit: quam præ se ferebat, quámque alij venerabantur: quam sic risu, & hilaritate temperabat, vt molestus esset nemini: neque tamen ideo, lux illa seu maiestas cadebat in terram, id est vilis fiebat & abiecta: quemadmodum illa, quæ humi reptant, neque se vnquam a terra sordibus sursum attollunt.* Quasi in cœno volutetur Maiestas, dum in recreationibus, & suorum familiari commercio, temperatâ non vtitur comitate, decoris regij metas, laxa dissolutione transiliens. Hæc nunc satis, pro vultûs Principis comitate componenda, de quâ iterum plura à num. 704.

Læta Principis facies, nō dissoluta.

Sanchez.

III.

Idem in verbis, & factis Principis obseruo: vt vbique Amori erga illum Timor, & Reuerentia misceatur.

696. QVam hucusque, regio vultui adscripsi, comitatis dignissimæ temperiem: cæteris eiusdem & verbis, & factis consulo adscribendam: vt vbique debita Throno authoritas conserue-tur: nec vllâ ex parte, in Monarchiâ dominantium ex abiectâ comitate: sed ex grauitate commixtâ, *Dominantis* sceptrum recolatur. Ergo Deum spirans, à quo tanquam delegatus accepit potestatem: illius instar, amorem ciuium suorum, quem suauissimæ comitatis blandimento captat, reputet spurium, ni pariter reuerentem quendam timorem aucupetur. Innumera in hanc Profani Politicorum Scriptores congesserunt; adnecto Sacra. Sunt prudentissima illa D. Zenonis Ver. serm. in Psalm. 127. vbi ita. *De timore Domini, scriptum est: venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos. psalm. 33. v. 12. Discendus ergo timor est, quia docetur: Non enim in terrore, sed in ratione doctrinæ est: neque ex trepidatione naturæ, sed præceptorū obseruantiâ, & operibus vitæ innocentis, & cognitione veritatis ineundus est. Nam si ideo Deus timendus est, quia plura fulminibus arserint, tonitru prostrata sint; terra nunc motu conciderint, nunc hiatu recepta sint: nullum fidei meritum in timore est, qui ex terrore accidentium commouetur. Nobis autem timor Domini, omnis in amore est, non metu: dilectionis autem nostræ in eum hoc proprium officium est, parère monitis statutis obtemperare, pollicitis confidere.* Hinc discite, ô Principes: Amor absque timore, dissolutus est: timor absque amore, contumax: ille, stolidæ comitatis, hic, sæuientis ingenij Regibus tribuitur. Tyranni Principis est, vetus illud delyrium: *Oderint, dum metuant:* stolidi erit dicere: *Ament, licèt spernant:* alterum necessariò incurrendum, ni temperata comitas obuiârit, & si non æquè exosum, æquè tamen perniciosum est Reip. per sanguinem & fulminata supplicia subditorum timorem extorquere: quàm per abiectam & vilem humanitatem, amorem aucupari: nisi quod vtrouis peius, vitium ex vtroque commixtum; quo, vt in littera dixi, infaustissimus Baltasar laborauit: qui cruentus in Populos, proteruo cuidam timori extorquendo: aliunde stolidissimus, notho cuidam amori aucupando, amicos secum congregatores patiebatur. Tu medius esto, & grauissimâ comitate prædictâ, reuerentem tuorum amorem, timorem suauissimum, Dei æmulator procuraueris.

Amorem ciuiū erga se capiet Princeps, sed reuerentem.

D. Zen. Ver. *Timor sanctus, erga Deum, qualis futurus.*

Parum periculi est si Princeps, sine timore ametur: quam si sine amore timeatur.

Vngitur Dauid in Regem, & addit Textus: *Directus est Spiritus Domini, à die illâ, in Dauid.* 1. Reg 16. v. 13. ecquæ hæc diuini Spiritûs directio? Respondet Vatab. *Spiritum fortitudinis, Prophetiæ, & prudentiæ intelligit.* Est autem Spiritus iste *Prophetiæ* quo Psalmos cecinit, quia vt ait D. Hieron. (quem in Spicil. ad rem aliam fusè ponderaui) *ex tunc Psalmos canere cœpit.* Nunc ad rem. Spiritum fortitudinis tuendo Regno, hostibus expugnandis: prudentiæ spiritum, gerendis rebus, ciuibus gubernandis, nemo Regi non viderit in primis necessarium. Quin & Prophetiæ Spiritus Principi, & si non omnino requisitus, at certe vtilissimus adiungatur: cur tamen iste, non more Prophetarum solito, sed fere singulariter Musicus, & spiraturus melodicè organis consonantibus tribuitur? Respondet pulchrè Rupertus lib. 4. in Cant. *Oportuit eum Regem fieri, regem Dauid potentem, & secundum nomen suum bellatorem manu fortem: vt pueros, seu pueriles Populi animos, qui nescirent sponte curam habere de futuris, & inuisibilibus: (nimis inhiando præsentibus istis visibilibus) authoritate frangeret regiæ potestatis: admixto terroribus blandimen-*

697. 1. Reg. 16. 13. Vatab.

D. Hieron. *Rex è aciem iuxta, ...; aliis: ... regit subditos.*

Rupertus.

dimento, scilicet suauitate musici modulaminis. Non igitur sic distringitur authoritas, vt sola frangat: nec ita apparatur musica, vt sola demulceat: sed vtrinque, comitas verè regia permiscetur: vt amor timore temperatus, subditos in officio contineret. Sed Ohe! esto cautus mi Princeps, nec sic rem capias, quasi hinc velim, regiam seueritatem, poësi aut musica in Populum effusa temperes: singulare hoc fuit in Dauide, cuius poësis cælestem Helicona; cuius musica, diuinam quandam Melpomenem referebat: tu in profanis Musicus & poëta: non tam comis, quàm comicus, risum potiùs quàm amorem commouebis. Nôrunt pueri, quid sibi Nero pararit, dum comior videri cupiebat, carmina sua, & vocem theatris fundens: lege Tacit. Sueton. Dion. & quosuis alios: do tantum illibatum locum Philostrati lib. 5. de vita Apol. vbi ita: *Quid enim de homine dicam? Augusti, Iuliq́ue habitu deposito, Cantoris vestes assumit: & Creontis, Oedypiq́ue facta, dictave, examussim scire tanti existimat: vt maximè reprehensionem timeat, si quid in porta, aut in schola, sceptrove deliquerit: à suâ vero, ac Romanorum dignitate tantùm degenerauit: vt pro conditore legum, quas ferre oportebat, cantare, & in histrionia philosophari, extra vrbem malit: in qua sedendo, debuit vt Rex, de maximis terra marisq́ue rebus, consultus respondere, &c. quid de tali viro existimares? non ne hunc elleboro, alysque potionibus diceres indigere, quibus insanorum mentes purgantur!* Comitas ergo Dauidis grauissima, sed in alio genere, tibi venit imitanda. Redeo.

Princeps imperitè musicus & poëta, non tam comis dicendus, quàm comicus.

Philost.

698. Nunquam comius cum Deo egit Abraham: quàm dum Filium illi destinat immolandum: si enim Augustino, Ruperto, aliisque credimus, Dominum obæratuit, & iure pietatis, immolandum pro nobis Christum acquisiuit. Ecquæ maior comitas, quàm dum sic ex æquo, supremus Princeps cernitur decertare, vt Deum filium, pro filio mortali reddere videatur? Cæterùm in hoc gesto, sub debitâ proportione summus vtrinque amor: non aliunde ardentiùs amare poterat Abraham: nec Deus, tenerior amator poterat exhiberi. Audi tamen, quid tunc iste, ad Patriarcham: *Nunc cognoui, quòd timeas Dominum: & non pepercisti, vnigenito filio tuo propter me*, Genes. 22. v. 12. Timens, non amans, dicitur Abraham: & in ipso, amoris mutui meditullio, peregrinus timor inseritur. Quantum ænigma! dissoluit tamen illud facilè, & acutè D. Thomas Aquinas (si is est) sic ibi scribens? *Si autem quæras, quare non potiùs dictum est, nunc cognoui, quòd ames Dominum, cùm actus immolandi pro Domino filium, potius fieret ex Dei amore, quam ex timore? Dicendum quòd per timorem designat amorem: eo modo, quo causa designatur per suum immediatum, & inseparabilem effectum. Vltrà hoc designauit proprietatem amoris sui, & specialiter respectu huius facti: Amor enim creaturæ ad Dominum suum, non debet esse per æqualitatem, sed cum summâ reuerentia: & respectu agendorum, debet esse cum summâ obedientiâ: & in homine, qui potest adhuc peccare, debet esse cum summo timore offendendi.* Temperauit ergo diuinus Princeps verba, agens cum vnicè diligente, & dilectissimo inuicem Amico: & amorem inuoluit timoris nomine, vt illum reuerentissimum indicaret. Nunquam te facilis comitas impellat, Princeps prudens, vt

Verba Principis sic temperanda, vt amorem & reuerentiam eliciant.

Gen. 22. 12.

D. Thom.

amorem à tuis, abiectâ reuerentiâ aucuperis: ni illos non tam obedientes instar Dei, quam instar Baltasaris, sollicitas conregnantes.

Stupenda est etiam illa diuina comitas, quâ domesticorum iurgiorum sequester, & compositor, ad Patriarcham amicum descendit Deus, dicens: *Non tibi videatur asperum, super puero, & super ancillâ tuâ: omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius, quia in Isaac vocabitur tibi semen*, Genes. 21. v. 12. Sic vbique Codicum, Hebraicè, Græcè, Latinè, quos videre potui, legitur locus iste: imo sic sæpe ab Apostolo citatur. Vnus, quem viderim, Ruffinus Pius lib. 1. in Oseam cap. 1. vertit: *quia in Isaac suscitabitur tibi semen.* Cui si stes, non caret difficultate locus: suscitatio enim lapsum supponit: nemo enim erigitur, nisi qui ceciderat. Suscitandus ergo quodammodo à morte, in præsenti loco Isaac enuntiatur. Et quorsum id? vt cum postea filium iuberetur immolare, spem resurrectionis retineret: (quod disertè ait Paulus Hebr. 11. v. 19.) nihilominus semper ab hac die, in filij ad tempus morituri, dolore perseueraret: atque ita in tantâ comitate, in tam familiari commercio, Deus à Patriarchâ, timore pariter & amore, tanquam mortis & vitæ Author coleretur. Aliò tendit citatus Ruffinus, qui tamen me in hanc mentem manuduxit. *Si imperatum Beato Abrahæ parricidium proferatur: ipso fine operis, quanquam ante tempora legis, editi commonebimur, non truculentiam cædis, sed pietatem ac fidem patriæ mentis electam. Vnicum enim offerebat, qui habebat repromissiones; cui dictum erat, quia in Isaac suscitabitur tibi semen, ostendens quòd possit Deus eum à mortuis excitare.* An Dominum etiam sic comem non reuereretur Abraham, qui dum spem resurrectionis inducit, obiter immolationis futuræ præceptum inculcabat?

699.

Gen. 21. 12.

Nec vnquam amorem facilem, absque religioso suorum timore admittas.

Hebr. 11. 19.

Ruff. Pius.

Iam orbi diu naufrago reconciliatus, addit Deus: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram*, Genes. 9 v. 13. Comitatem Dei eximiam, cum hominibus paciscentis, suauitatem Principis, seruo confœderati, meritò demiramur omnes. Ego id vlteriùs, cur in diploma quodammodò scriptum, Arcus potiùs, quàm cælestia quæuis alia assumantur. Cur non stellæ, quas, vt alibi dixi, aureos, saphyrinæ tabulæ, characteres, quidam appellauit? quòd si, quia minutæ sunt, difficilem è longè redderent lectionem: eligatur saltem Luna, quæ abundè maiusculas, & argenteas litteras suppeditaret. Quod si, quia mutationibus obnoxia, stabili fœderi reputatur inepta: Sol assumatur, qui indefectibili luce, indeficiens pactum significaret. Et tamen his relictis, Arcus tantùm huic titulo præfertur. Ecquid in illo præstantius, ad mysterium? Audiendus Alcuinus quæst. 134. in Genes. *Cur signum illud diuersi coloris datur hominibus? propter securitatem, & timorem, vnde & in Arcu, idem color aquæ & ignis ostenditur: quia ex parte est caruleus, & ex parte rubicundus: vtriusque iudicij testis, vnius videlicet facti, & alterius faciendi, id est, qui Mundus iudicij igne cremabitur, aqua diluuij non deletur.* Quasi etiam dum comior paciscitur, supremam authoritatem velit conseruatam: sic pacta securitate alliciens, vt terreat incusso pariter timore. Habes multa in hanc rem in Cant. Tropol. vbi de vniuersalis Iudicij memoriâ vtilissima disserui: & vbi de

700.

Gen. 9. 13.

Scripta Principis amorem & reuerentiâ solicitent.

Alcuinus.

Dd amore

amore nostro erga Deum, qui quò feruentior, eò reuerentior: Recarre, his minus hebetia inuenturus. Pergo.

701. *Quo sic speretur protector, vt simul puniturus timeatur.* Pendo adhuc in Arcu hoc cælesti plura. Ob diuersos colores, quibus mixtam timori securitatem importat, electum in fœdera, voluit cum aliis Doctoribus, quos alibi iam dedi, Alcuinus: sed neque id satis videtur præferendo. Dantur & alia Meteora vtroque hoc colore variegata. Sæpe nubes Sole repercussæ hac tincturâ inficiuntur: cur ergo ab omnibus roridis nubibus multicoloribus, Iris tantùm, id est arcuata nubes huc arripitur? Propterea, quia scilicet in arcum contorquetur. Quod quàm rei præsenti faciat, disces ex Ambrosio in Psalm. 43. vbi ita: *In Dei certè arcu sperandum est, quem posuit in nube, vt à diluuio genus humanum timere desineret. Isto enim arcu nos protegit, quo & iaculatur sagittas, quibus percutiat inimicos, & aduersarios nostros, &c. quia sagittis, quæ iaculantur è cælo, terræ nostræ interiora penetrantur, vt motus omnis terrenus intereat, & quiescat, &c. Sic igitur liberamur, dum confunduntur inimicæ & aduersariæ potestates, vel sapientia carnis istius vetula cælestibus imperatis, in suis criminibus erubescit: & flagitiorum suorum sudore confunditur.* Sic ergo in hac media, ineuntis pactum Domini, suauissima comitate, obducti arcus testudine protegitur spiritus, vt pariter sagittas carnem transfixuras patiaris: dúmque de securitate hilarescis acquisita, de præteritis vitiis erubescas: vt inde amans, hinc reuerens administres: cælestique Principi lætus simul & confusus præstes obsequium. His inhæsurus terrenus Princeps, si suos in officio cupit continere. (D. Ambros.)

702. *Exod. 13. 21. Luce, scilicet, pios, impios autem, incendio suffusurus.* Hæc nubes rorida, alterius meteori memoriam refricauit, quo Dominus, Ducem itineris Populo se præstitit: *Dominus autem præcedebat eos, ad ostendendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis*, Exod. 13. v. 21. siue eadem, siue diuersa, sub diuerso aspectu columna foret: certè nocturna, lucida aliunde potiùs, quàm ab igne, aptior & paratior videri poterat: cur enim ex Cometarum splendida materia non radiaret, sed vnam igneam lucem scintillauerit? Respondeo ex Clemente Alexand. in Protrept. qui ita: *Multiplices quidem habet Seruator voces, & modos, ad salutem hominum: minans admonet, maledicens conuertit, deflens miseretur, psallens per rubum loquitur, quoniam illi signis egebant, & prodigijs: & igne terret homines, & ex columna flammam accendens: quod est simul gratiæ, & timoris indicium: si obedieris, lucem: si non obedieris ignem.* Sic enim Populum suum ductabat supremus Imperator, vt pariter alliceret, & terreret: ab vno igne, aut obedientibus lucem, aut rebellibus incendium eiaculans. Sunt grauissima in hanc rem verba illa Tertull. lib. 1. contr. Marc. cap. 27. vbi ita: *Præ se ferunt Marcionitæ, quod Deum suum omnino non timeant: malus autem, inquiunt, timebitur: bonus autem diligetur. Stultè quem Dominum appellas, negas timendum: cùm hoc nomen, potestatis sit etiam timendæ. At quomodo diliges, nisi timeas etiam non diligere? Certè nec Pater tuus est, in quem competat & amor propter pietatem, & timor propter potestatem: nec legitimus Dominus, vt diligas propter humanitatem, & timeas propter disciplinam. Sic denique plagiarij diligun-tur, non etiam timentur: nec enim timebitur nisi iusta & ordinaria dominatio: diligi autem potest etiam adultera: sollicitatione enim constat, non authoritate, adulatione, non potestate.* Videat nunc Princeps, qui abiecta quadam comitate, debitum sibi subditorum timorem manumittit: an legitimus sub iusta potestate Dominus: an sub adultera dominatione, Plagiarius debeat appellari. (Clem. Alex.) (Tertull.) (*Amor absque timore turpis.*)

703. *Non stat imperium, nisi reuerenti timore perseuatur.* Ita est, Dissoluta Principis comitas, ignaui cuiusdam aucupandi amoris ambitiosa, dum prodigam timoris remissionem importat, Principatum dissoluit, Monarchiam labefactat. Non stat dominium, ni debitè timeatur: & aliunde, merum nominis phantasma est, Princeps absque dominio: prudenter proinde iterum idem Tertullianus lib. de præscript. aduers. Hæret. cap. 45. ita: *Negant Deum timendum: itaque libera sunt illis omnia, & soluta. Vbi autem Deus non timetur, nisi vbi non est? Vbi Deus non est, nec veritas vlla est: vbi veritas nulla est, meritò & disciplina talis est. At vbi Deus, ibi metus in Deum, qui est initium sapientiæ: vbi metus in Deum, ibi grauitas honesta, & diligentia attonita, & cura sollicita, & adlectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & subiectio religiosa, & apparitio deuota, & processio modesta, & Ecclesia vnita, & Dei omnia.* Ad hunc tenorem, Imperium suum Princeps cordatus disposuerit. Vbi Princeps est, ibi metus in Principem: vbi ignaui Principis & iusto comioris, ridiculum phantasma, ibi despectus est: vbi despectus est, ibi leuitas turpis, & negligentia dormitans, & ignauia hebes, & adlectio temeraria, & communicatio inconsulta, & promotio indigna, & subiectio phantastica, & apparitio siue administratio incomposita, & processio immodesta, & Resp. diuisa, & dæmonis omnia. (Tertull.)

IV.

Principi nihil in facie toruum, nihil in Maiestate nimium. Hominem se agnoscat comis, comior Patrem gerat.

704. *Quantum sibi gratiæ hac temperata comitate acquirat apud subditos prudens Princeps.* AMoueo adhuc regiæ comitatis vitia, labem extergo: nam sic purgatam, quasi pretiosissimum throni stemma, Principi meo, summopere commendo; hâc vnâ, etiam absque custodiâ tutus; absque donorum effusione, dilectus: plus graui risu, blandâ suauitate, quàm quibusuis muneribus, suorum sibi animos promerebitur. Ideo Plinius post multa de virtutibus, moderationéque Traiani, concludit: *Cuius latissima facies, & amabilis vultus, in omnium ciuium ore, oculis, animo sedet.* Deinde in toto Panegyrico, verborum, gestorúmque Principis huius temperatam comitatem sic describit: vt nihil in hanc rem apud profanos lectu dignius habeatur. Grauissimum illud, quod statim initio ait: *Vnum ille se ex nobis, & hoc magis excellit, atque eminet, quod vnum ex nobis putat: nec minus hominem se quàm hominibus præesse meminit.* Ex quibus tantùm sibi gratiæ apud Gentes Traianus conciliasse legitur, vt illum meritò orbis delicias, Populi Romani Amores appellaueris. Hinc ille (Plinius.) (Idem.)

secu

ſecuriſſimus: vt meritò addiderit citatus Plinius. *Diſcimus experimento fideliſſimam eſſe cu ſtodiam, Principis innocentiam. Hæc arx inacceſſa, hoc inexpugnabile munimentum, munimento non egere. Fruſtra ſe terrore ſuccinxerit, qui ſeptus charitate non fuerit, armis enim arma irritantur. Num autem ſerias tantum partes dierum, in oculis noſtris, cœtuque conſumis? num remiſſionibus tuis, eadem frequentia, eademque illa ſocialitas intereſt? num tibi ſemper in medio cibus, menſáque communis? num ex conuictu noſtro, mutua voluptas? num prouocas, reddiſque ſermones? num ipſum tempus epularum tuarum, cùm frugalitas contrahat, extendit humanitas, &c.* Sic humana comitas, nullo armorum præſidio egebat: ſatis amor innocentem Principem tutabatur: quem illa ſibi humanitas conciliauerat.

Idem.

705. Abſit igitur in primis à Principe, vultûs toruitas, à quouis illa affectu oriatur. Animum quantumvis comem & blandum, vultuoſus Princeps, reddit ſuſpectum: cur inamœna facies, humaniſſimos etiam mores facit inacceſſos: Fugat obiecta oculis, aſpera ſpecies: quos ni occulta, ſuauiſſima indoles attraheret. *Ex Setim lignis* Arcam teſtamenti parari iubet Deus, quæ deinde auro mundiſſimo operirentur. Exod.25. v.10. Pari materia comptu *Menſa* componitur, v.23. Vnum Propitiatorium, deſpectis lignis Setim, ex ſolo ſolido *auro mundiſſimo* fabricatur: v.17. Nec ſatis cauſam inuenies, cur ligna Setim, aliunde pretioſiſſima, quæ Arcæ fabricandæ ſatis, Propitiatorio inepta haberentur: niſi in hoc lignorum genere aliquid propitiandi officio minus habile ſuſpiceris. At verò quænam ſint hæc *ligna Setim*, ſolû modò diuinando exponunt Interpretes: multi ad Cedros recurrunt. Galfr. ibi, & alij, cum Bed. quos inter Petrus Abbas Cellenſis, Author non contemnendus, ſimilia eſſe ſcribunt ſpinæ albæ, vnde inepta Propitiatorio arbitratur. At neque ita difficultas propoſita ſatis viſa diſſolui. Amoueatur quidem à Propitiatorio, (quod vndique miſericordi comitate debet ſtillare) quidquid pungens, quidquid aculeatum, & ſpinoſum: ligna tamen Setim, vt ipſe fatetur Cellenſis, non reapſe aculeos & ſentes germinabant, ſolummodò ſpeciem & figuram aculeorum præferebant. Vnde ergo aliunde generoſiſſima pretio, tactu ſuauiſſima hinc excludentur? Reſpondet acutiſſimè ipſe Doctor lib. 1. de Tabern. *Sed de quâ materia hoc fit Propitiatorium? an de lignis Setim? abſit: nam habent ſimilitudinem ſpinæ albæ: & ſi non pungunt propter veritatem, timentur tamen propter ſpeciem.* Sic in re noſtrâ Afflicti ſubditi, qui tribunalium, qui Adminiſtrorum iniuriis vexari, Regium ſibi vultum, tanquam vnicum Propitiatorium appellant, nihil in illo aſperum, nihil toruum debent reformidare. Sit quantumuis mitiſſimis moribus Princeps, & ſuauiſſimis, ſi tamen ſpeciem aſperam, duram formam exhibeat, Propitiatorium non erit: quia licèt non pungat ſenticoſus reipsâ, de ſpecie tamen pungenti formidatur.

Toruitas vultus, cur Principi amouenda neceſſario.

Exod.25.10.

Galfrid. Beda.

Nec fugat ſauitias. Petr.Cellenſ.

706. Aliud eſt, hilaritatem vultus, commendatâ ſuprà grauitate temperare: aliud obducto horrore exaſperare: grauitas, malos componit; horror, etiam bonos fugat: inde filialis timor Principi elicitur: hinc dura trepidatio extorquetur tyranno. Benè de Domitiano Plinius in Paneg. *Ipſe occurſu quoque, viſúque terribilis, ſuperbia in fronte, ira in oculis, fœmineus pallor in corpore; in ore impudentia, multo rubore ſuffuſa: non adire quiſquam, non alloqui audebat, tenebras ſemper ſecretúmque captantem, nec vnquam ex ſolitudine ſuâ prodeuntem, niſi vt ſolitudinem faceret.* Cuius Tyranni formæ lætiſſimam illam faciem, & vultum Traiani amabilem opponit. Cur ergo ſuauiſſimum ingenium, exaſperatâ ſpecie obumbret Princeps pius, vnde inſtar Tyranni horreatur? Non vetuerim, quod contra improbos quandoque aſperioris vultûs quaſi laruam admittat: Sed tamen, quam ſubitò deponat, totus in comem ſuauitatem reſtituendus: quaſi peregrina illa exaſperati perſona, potiùs improborum conſcientiæ, quàm Principis ſit indoli tribuenda. Dulciſſima ſunt in hanc rem, quæ ſtatim de Chriſto Ieſu, id eſt, Propitiatorio noſtro, ſic ſubiungit Cellenſis. *Sic incarnata Sapientia, cum redargueret homo homines, & ouinâ innocentiâ nullum condemnaret: tamen mala Iudæorum conſcientia grauem, propter lippitudinem ſuam, ad videndum reputabat: timens illum, Iudicem malorum ſuorum, & non Saluatorem animarum.* Quaſi non ſolùm ouinâ indole benignus eſſet, neque reipſa pungeret ſpinoſus: ſed etiam illa aculeata ſpecies in Iudæos, plus horum ſtimulatæ conſcientiâ lippitudini, quàm ab illo orta, talis videretur. Quid ita? quia qui Chriſtus & Meſſias, tanquam Iudex videbatur exaſperari contra impios: ſtatim tanquam Ieſus & Saluator, ad ſuos mitiſſimi inſtar Propitiatorij recurrebat: & ingenitâ comitate, non ſolùm propter veritatem ſpinarum non pungebat, ſed nec etiam propter ſpeciem timebatur. Concludit pulchrè Cellenſis. *Meritus ergo adhuc quæris Propitiatorium, puſillanimis mortalium natura, id eſt, Ieſum benignum: quòd totum & in natura veritate, & in ſimilitudinis ſpecie, & in nominis appellatione, propitiationem reſonet, indulgentiam propinet, gratiam refundet; quòd excipiat lapſum; quòd conſolidet remiſſum; quòd reparet perditum; quòd vincat in bono malum.* Hanc exhibe mi Princeps comitatem, vt cùm Ieſu, ne dum cum Traiano, lætiſſima tua facies, amabilis vultus, omnium ore, oculis, & animis ſedeat.

Tyranni eſt, vultum, in horrorem efferre.

Plin.

Quandoque tamen, contra improbos, exaſperatam, ad tempus faciem, non veto.

Petr.Cellenſ.

Et ita tamē vt aſperitas, potius improborum conſcientiæ quàm indoli regiæ tribuatur.

Petr.Cellenſ.

Curta tamen adhuc eſt comitas, ſi ſolummodò reſplendeat in vultu: verba etiam & facta, hanc vndique ſpirent, neceſſe eſt: ſic, non ſolùm te hominem, ſed etiam præeſſe hominibus declarabis, ſi te vnum ex omnibus, retento tamen imperio exhibueris: inde ſublimior, quòd te vnum ex omnibus putas, quem tamen ſors conſtituit ſuper omnes. Clamabat Chananæa ad Chriſtum, *dicens ei, Miſerere mei Domine fili Dauid.* Matth 15. v 22. Nec tamen reſpondenti Domino, ſubdunt diſcipuli: *Dimitte eam, quia clamat poſt nos.* Verſ. 23. Diuini Principis hîc auguror comitatem: quæ iam pridem agnita, diſcipulis præbuit fiduciam, vt audiendi clamoris moleſtiam, ſibi, cum Domino communem exponere non timerent: vt quaſi vnus ex omnibus, non vnius ſolius, ſed omnium commune faſtidium teneretur auertere. Parum id: videntur etiam diſcipuli, hinc ignari myſterij, inde Dominicæ comitatis certè, eundem ſoliti, & debiti officij commonefacere. Attende. Eximia fuit comitas Adriani Imp. cuius illud exemplum mirum, apud Dionem Caſſium. *Tria ſenatem quondam,*

707. Princeps communis ſublitorum negotiis aſſiſtat.

Matt.15.23.

Verſ.23.

Dio Caſ.

quondam, mulier rogauit, vt se audiret: cui cùm ille respondisset, otium mihi non est: illa clamans ait: noli ergo imperare: tunc conuersus, eam audiuit. Sic quodammodò in re nostrâ: nisi quod hîc discipuli, mulierculæ verba modestius suppleuerunt: vt Dominus huic audiendæ, quasi piâ monitione conuersus videretur: & quam dissi-
v. 27. mulârat, tandem nouâ ratione eiusdem v. 27. se catellam fatentis, conuictus, proderet comitatem.

708. Longè absit à Catholico Principe, nimius il-
Princeps, immodicas adorationes non admittat. le & pene superstitiosus, cultus, quem arroganter Parthi, Persæ, & quidam Romani Monarchæ, à subditis olim suis exigebant, de quibus egi in Spicil. cap. 40. solearum oscula, adorantes prostrationes & similia captare, regiam multùm dedecet comitatem: vtque reuerentiam solitam exigere, debiti iuris est: sic fœdam duliam, & sacrilegam quodammodò latriam, à subditis postulare, vt vltrà humanæ conditionis fastigium est, sic mores barbaros & impios traducit. Debitor ille
Math. 18. 26 decem millium Talentorum Matth. 18. qui non habens vnde Regi suo solueret, iam cum familiâ vendendus, ferebatur sub hastam: sic veniam à Rege impetrâsse dicitur: *Procidens autem seruus ille, orabat eum dicens: patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus serui illius, dimisit eum: & debitum dimisit ei.* v. 26. Pende illud, *procidens*: sonat enim, prostratam
Græca vers. adorationẽ: in Græco clarè: *πεσὼν οὖν ὁ δοῦλος, προσεκύνει αὐτῷ, λέγων. Cadens autem seruus, adorabat eum, dicens.* Euenit postea, vt seruus iste dimissus, immanissimus conseruum suffocaret, quòd centũ sibi non redderet denariolos: defertur ad Principem iniuria: qui tunc ad illum: *Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogâsti me: nõne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut &*
v. 32. *ego tui misertus sum?* v. 32. Aduerte nunc ad rem nostram, quid seruus ille fecisset, & quid Princeps dicat: ille prostratus adorauerat, deinde orauit remissionem: hîc prætermissâ adoratione, preces tantummodò memorat effusas. Quid ita? quia Princeps comis & humilis, adorationem illam immodicam neque captârat, neque probârat quam trepidus & præceps seruus præstiterat non volenti: nec tam adorationi exosæ, quàm humilibus precibus, debitum indulserat: Merito ergo tantummodò memorat, quibus, blandus beneficium impertiuit: inde blandior atque comior, quòd nec verbo tenus præmissam adorationem iactat in medium: ne alios in consimili negotio, in tam fœda obsequia humanæ Maiestatis videretur allicere: qui facilis & humilis
Origenes. suos admittebat. Nunc capies Origenem ibi Homil. 7. post multa. *Vide autem & humilitatem Regis: quoniam aliud quidem fecit debitor Talentorum multorum: aliud autem nominatus Rex dixit: debitor enim ille, procidens adorauit eum dicens, &c. Dominus autem eius, & Rex, vocans eum non dixit: omne debitum dimisi tibi, quoniam adorâsti me: sed, quoniam rogâsti me.* Iam nunc capio, cur pulcherrimam hanc Parabolam sic inci-
v. 23. piat Christus, v. 23. *Assimilatum est regnum Calo-*
Princeps, hominem se agnoscat. *rum, homini Regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis.* Satis videbatur, si Regem appellaret: maluit tamen hominem Regem exprimere, quasi inde Rex sic humilis, ita comis foret: quòd, se quasi vnum ex omnibus, quòd se, dum hominibus præesset, hominem cognosceret.

709. Habet multum, in hanc rem, mysterij, illa alia Parabola Matth. *Simile factum Regnum cælorum, homini Regi, qui fecit Nuptias filio suo.* cap. 22. *Quò se mitt. & blandum exhibebit.*
v. 2. vbi, vulgaribus etiam conuiuis referto iam Triclinio, additur statim; *Intrauit autem Rex,* Matth. 22.
vt videret discumbentes, &c. v. 11. Quæres, cur, qui initio, *hominis Regis*, hîc iam tantummodò *Regis* titulo proferatur? Respondeo, Hominem se agnouisse initio, dum per eximiam comitatem, subditos suos etiam vulgares, ad regium conuiuium, ad epulas augustas inuitabat: hîc autem vbi tanquam explorator venerat, indecenti veste indutos v. 13. puniturus: hominis iam titulum, pru- v. 13.
denter dissimulat, quasi non posset quà homo, homines comiter & humanissimè non excipere: nec deberet nisi quâ Rex, iustas pœnas à reis po-
stulare. Bene ibi D. Hieron. *Quando veniebat ad* D. Hieron.
Nuptias, & agebat opera clementiæ, hominis nomen appositum est: Nunc quando ad vltionem venit, homo similiter: Rex tantùm dicitur. Non itaque exuerat hominem, sed dissimulat, dum punit: quia semper ad humanissimam clementiæ comitatem defertur Princeps, dum se hominem, hominibus præesse recognoscit.

Huc reduco, quem iam alibi aliò adduxi Cen- 710.
turionem. Facili piissimè Christo, & se comem inuitanti, indignitatem suam, vrbanè & modestè
obiicit Princeps militaris. Matth 8. v. 8. Dominici Matth. 8. v. 8
verbi agnitâ & adoratâ potestate contentum, se professus. Sed mirum quod subdit. *Nam & ego homo sũ, sub potestate cõstitutus habẽs sub me milites. & dico huic, vade, & vadit: & alij veni, & ve-*
nit, &c. v. 9. Optimum sane exemplum, diuini & v. 9.
potentioris sermonis, probandæ efficaciæ. Vereor tamen, ne aliquibus Hispanis noster Centurio, (Hispanum satis probat Viuarius in Fab. Dext.) ampullator, & iactabundulus videatur. Non vtcunque militarem suum expressit Principatum: sed minutim data iussa, exhibita à Militibus obsequia exponit, concludens: *& Seruo meo fac hoc, & facit:* quasi tam despoticè suis dominaretur, vt nec admutire iubenti iam auderent, an non ista potiùs durissima, quàm comis ratio Imperij? an non potiùs iactantia, quàm simplex enuntiatio videbatur? absit: neque enim tantopere à Christo, siquid vitij redoleret, commen-
daretur. Nimirum ipso statim initio hominem *Omnisque arrogantiæ suspicionem euitabit.*
se agnouit: *nam & ego homo sum*, inquit: vnde & satis nulla in verbis iactantia, & multa, in suos, comitas probabatur, quid ni si vnius seruuli saluti ipse tam anxius Princeps studebat? quid ni, si priùs quàm se potentem in alios, sub maioris Principis potestate se positum testatur? Sunt
pulchra verba D. Bernardi hîc, apud Godefr. (in D. Bernard.
eius verè Scriptis, diligenter quæsita, non dum inueni) quibus, quæ hucusque dixi, conectuntur amœnius. *Non iactabat Centurio potestatem, quam nec solùm protulit, nec priorem: dicturus quippe habens sub me milites, præmisit, homo, sine potestate. Priùs se agnouit hominem, quàm potestatem: agnouit, inquam se hominem, homo gentilis: homo inquit sum, & homo sub potestate: iam quidquid inferas, suspectam non habet iactantiam: præmissa siquidem est humilitas, ne altitudo præcipitet: nec inuenit arrogantia locum, vbi tam clarum*
insigne humilitatis præcesserit. Re verà, quia non *Obediens, imperio dignum est.*
confusus est de subiectione, iure in prælatione meruit honorari. Habet supremus quisque Princeps, vnde ab hoc militari Principe multa discat: Nunc saltem catholicus, à gentili discat, homi-

nem

nem se agnoscere: & saltem sub diuinâ potestate collocari: vnde necessariò comis & suauissimus, amotâ arrogantiâ regnabit.

711. Princeps, erga subditos, patrem se gerens: feliciter regnat. Auctor Apophth. Hinc fiet vt Princeps, non vtcunque subditorum Pater: sed Pater quidam tenerrimus habeatur: quò maximè suauissima eiusdem comitas commendatur. Multa de hoc, Principum encomiastes: mihi nunc satis illud Authoris Apophthegm. in Agasicle, vbi ita. *Cum quispiam ab eo, sciscitaretur, quo pacto possit aliquis tuto imperare, nullo stipatus satellitio? respondit: si sic imperet suis, quemadmodum Pater imperat filiis.* Habent multum in hanc rem mysterij, illa Dei verba ad Patriarcham. *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram: sed appellaberis Abraham: quia Patrem multarum gentium constitui te: faciámque crescere vehementissimè, & ponam te in gentibus, Regésque ex te egredientur.* Genes. 27. v. 5. & 6. Mihi non mirum, in Principem, Principúmque progenitorem, euectum Patriarcham, Paterno nomine insigniri: hinc enim & ipse, & successores Reges, quo affectu, quâ comitate essent imperaturi, satis instituebantur. Id miror, quod nessariò in id vox putetur mutanda: cùm etiam primum nomen *Abram*, Patrem sonaret: vt enim Abraham, *est Pater multitudinis*, sic Abram est, *Pater excelsus*: vt benè D. Hieron. in quæst. Hebr. Alcuinus quæst. 171. & alij obseruarunt. Quid ergo? ni fallor: voluit Deus à priori Patris vocabulo, exclusam celsitudinem, quæ aliquid sublimitatis & arrogantiæ, paterno titulo addere videbatur: vt eò comior & suauior Pater intelligeretur: quò altior ad thronum euehebatur.

Gen. 27. 5. Nec solum Pater sit, sed & tenerrimus.

D.Hieron. Alcuin.

712. D.Hieron. Et fortasse ideo Deus, de nomine illo suo ineffabili, literam Patriarchæ nomini addidit: (quod sic citato loco habet Hieron. *Dicunt Hebræi, quod ex nomine suo Deus, quod apud illos est tetragrammaton, ה literam Abrahæ addiderit: dicebatur enim primum Abram, quod est, Pater excelsus: & postea vocatus est Abraham, quod transfertur, Pater multorum.*) Vt cum diuino charactere, diuina quodammodò æterni Patris viscera illi communicaret, id est, tenerrima, atque suauissima. Neque abest à præsenti instituto, quod statim addit Deus. *Et statuam Pactum meum, super me & te, &c. vt sim Deus tuus, & seminis tui, post te.* Vers. 7. Pende illud: *tuus*: est enim amatoria vox, vt alibi obseruaui: quo possessio amato tradita significatur: quasi sic blandum & comem se promitteret, vt à Deo, in Patrem transire videatur. Vatablus ibi. *Quasi dicat: tui curam semper geram: tu verò adorabis me: & quasi à Patre pendebis à me.* Quidni ergo à Patre excelso, in Patrem tenerrimum, transiret iam Princeps, cùm Deum, à Domino, in Patrem sic transire agnoscebat? Quidni acceptâ diuini nominis literâ, diuinæ sibi comitatis participationem inditam agnosceret? Benè ergo Claud. ad Principem, in 4. Cons. Honor.

Genes. 27. 7.

Vatabl. Deus, nobis, pater est suauissimus.

Claudian.

Tu ciuem, patrémque geras, tu consule cunctis:
Nec tibi nec tua te moueant, sed publica vota.

Quo nihil comius poterat postulari.

V.

Regia Comitas erga acceptas iniurias, vt parcat: néve putetur irruere violentius.

Radiat verò pulcherrima prædicta comitas, cùm acceptas iniurias facilè remittit: maximè cum sibi priuato, si fortè illatas iam Princeps non agnoscit. Nihil regio throno dignius, quia nihil è contra turpius, quàm nouum Sceptrum, præcedentibus offensionibus vindicandis in gladium commutare. Multa de ciuili comitate Adriani narrat Spartianus, illud ad rem præsentem singularius: *Quos in priuata vita inimicos habuit, Imperator tantum neglexit, ita vt vni, quem capitalem habuerat, factus Imperator diceret, euasisti.* Ac si pollueret regiam Maiestatem, si adhuc priuata odia exerceret. Euectus in thronum Ioseph, agnoscit fratres suos prostratos se adorantes: & addit Textus, *Recordatúsque somniorum quæ aliquando viderat, ait ad eos,* Genes. 42. v. 9. Scilicet viderat puer olim in somniis manipulum suum, à fraternis manipulis adoratum: prostrata sidera, pedibus suis osculum defigentia: quorum impleto vaticinio, recolit nunc memoriam. At quidem, non tam somniator, quàm vigil, recentiores fratrum expertus iniurias, faciliùs has recoliturus videbatur, quæ solent vehementiùs imagines commouere. Demus fraterno, & piissimo animo, quòd remittat? at verò quod sic obliuiscatur, vt inter somniorum recordationem nec leuis grauissimarum iniuriarum imago dicatur obrepere: cuinam dandum? certè Principi, alienum quippe ab illa dignitate existimaui t, non potiùs de subiectis inimicis, reuelanti per somnia Domino, gratias agere: quàm illorum impietatem refricare. Oleaster ibi, *Non dicit eum memorem venditionis, aut mortis sibi intentatæ, sed somniorum: vt nos doceat non esse memores, sed obliuioni tradere iniurias fratrum nostrorum. Cùm ergo eum, qui te grauiter læsit, ante te deiectum videris, non recorderis malorum, quæ ipse tibi fecerit: sed beneficij diuini, quo eum coram te humiliauit.* Hoc est proprium regiæ Comitatis insigne, subiectis parcere, piâ obliuione.

713. Euectus ad thronum præteritas iniurias remittit.

Spartian.

Gen. 42. 9.

Vt vix karâ memoriâ retinere, videaris.

Oleaster.

Quod si quandoque necessariò iniuriarum est memoria refricanda: in id tantummodò Principi decens venit, vt inde & Deo impensiùs obsequium, & afflictis solatium afferat vberius. Hoc est, quod postea addidit Ioseph: *Ego sum Ioseph frater vester, quem vendidistis in Ægyptum; nolite pauere, neque vobis durum videatur, quod vendidistis me, in his regionibus pro salute vestra, misit me Deus ante vos in Ægyptum,* cap. 45. v. 4. Si taceret nunc Ioseph venditionem, quis illam non alto pectore infixam, dissimulari præsumeret, suo tempore sæuius erupturam? Longè comius corde simplici sic profertur: vnde illorum vitium, in virtutem quodammodò, certè in virtutis instrumentum, videatur mutari. Idem Oleaster, *Non vindicat peccatum, neque saltem exprobrat: sed ex peccato opus bonum efficere nititur, imò opus Dei, &c. Nefandissimum venditionis opus, Dei opus, & maxima clementia*

714. Gen. 45. 4. Aut si retineas, in timidorum solatium tenueris.

Oleaster.

Dei fuisse contendit: & graue facinus in eorum vtilitatem conuertere nititur. Nescias, quæ in hoc Principe, benignæ comitatis ratio mirabilior; an illa obliuio, an hæc iniuriarum commemoratio: nisi, quod vtrauis, vtraque dum expediit, pretiosior.

715. *Hinc, quodammodo diuina viscera tibi induis.* 2.Reg.9. Oleast.

Vix in Throno, internisque profligatis hostibus, sedet Dauid securus 2.Reg.8.cum addit statim: *Nunquid superest aliquid de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam Dei?* Cap.9.v.3. de quo bene Oleaster ad Cap.18. Genes. (quem fusè in Spicil. expendi) scripsit, ideo non hominis, *sed Dei misericordiam* appellari, quia erga, infensissimi inimici familiam exercenda. Non poterat Dauid se throno digniorem approbare: quàm dum stabilito iam Regno, illud vnicè prius habet, illud antiquius, vt inimicæ familiæ iniurias condonet:& Saulis nepotem, fœdè claudum, perpetuum mensæ suæ conuiuam, per summam & verè regiam adhibeat comitatem, vers.7. Et fortassè, ideo etiam vocatur, *Misericordia Dei*, id est, Authore Vatablo: *Beneficium optimum, & maximum, & quod erit Deo gratum:* quia nihil hâc comitate maius, aut Deo gratius tunc poterat exercere.

Vatabl.

716. *In pœnas infligendas, non violentus, sed blandus procedat Princeps, vt iure procedere cognoscatur.* Gen.4.22.

Iam verè in distringendâ potentia contra subditos contumaces, quando iam vlcisci iniurias est necessarium, etiam comitatem retineat Princeps: quasi cupiat, non tam libito quàm iure, videri processurus. Habent in hanc rem multum ponderis verba illa, quæ Deus suggerit Moysi, Pharaoni, per ipsum suggerenda. *Dices ad eum. Hæc dicit Dominus: Filius meus primogenitus Israël: dixi tibi, dimitte filium meum, vt seruiat mihi, & noluisti dimittere eum: ecce ego interficiam filium tuum primogenitum.* Exod. 4. vers. 22. Quid enim opus erat, monere, immo rogare Pharaonem, & quasi ex æquo, primogenitorum comparatione decertare: qui tam iustè, rebellem Tyrannum, seruum impium poterat trucidare? Quid necesse erat, dimissionem exigere, cùm extorsionem posset exercere? Parabat exemplum Principibus, ne vnquam in suos violenter irruerent, sed mixtâ humili comitate coërcerent. Oleaster ibi. *Vnum hic est, quod maximè miror: qualiter scilicet Dominus neminem cogit, cùm sit potentissimus. Nónne Domine poteras Pharaonem occidere, & populum tuum redimere, absque hoc quòd nuntium ad eum destinares, qui rogaret sæpius Regem, populum dimittere, &c. Hoc fecisse crediderim, ne Potentes sæculi ab eo discerent vim alicui inferre. Si enim videntes Deum humilem, superbiunt: quid facerent, si cernerent violentum?* Hæc sic comis humilitas, te non qualem, qualem, sed Principem Deo simillimum efformabit.

Oleast.

717. Adhuc plura ex Oleastro, qui nobis totum titulum illustrabit. Mittit nuntios Moyses ad Regem Edom, vt Populo, per eius fines, transitus liceret, comissimis, & mitissimis verbis, fraterno etiam, ab Esau, titulo commemorato: addit nihil absumendum, quod pretio statim soluto non redimatur. Et tamen induratus Edom, transitum negat. Addit statim Textus: *Quamobrem diuertit ab eo Israël.* Num.20.v.21 Quæro à te mi lector, cuius ore, rogabat hîc, Moyses? certè ore Dei, cuius ducentem columnam sequebatur, & per fines Edom absque dubio, viam monstrabat. Cur ergo cedit, & aliò diuertit? quia cessit Deus, & quasi minùs potens, maluit seruo iniurio comiter succumbere: quàm iuris, quod ille prætendebat, tuendi sua videri violator. Oleaster loco supra citato. *Sic cùm transeundum Iudæis esset per terram Edom, nuntios ad Regem præmisit, qui dicerent: liceat mihi transire per terram tuam. Quo nolente, quasi impotens aliò diuertit. Hoc fecisse crediderim, &c.* Cum aliis, quæ paulo ante dedi. Aptiùs adhuc in prædicto cap. Numer. *Quid hoc est Domine Deus, vt non audeas intrare cum Populo terram Edom, nisi à Regè permissus? Docet nos in summâ potentiâ, nunquam violentiâ vti, & suauiter omnia disponere, &c. Discant etiam ex hoc loco Reges patientiam, videntes quantâ hic vtitur Deus, vt cogatur circuire terram, ne puniat Regem Edom.* Redolet quidem suauis ista comitas, ferendi subditorum inurbanitates, quæ aliquo prætextu obumbrantur, regios planè spiritus: & dum non sua esse, omnia quæ subditorum sunt, agnoscit Princeps: sic à violentia coërcetur, vt augusto patientiæ pectore, malit ciuilis & comis, quàm Dominus & arrogans haberi. Pulchrum exemplar Antonius Pius Imperator, de quo ita Capitolinus. *Hoc præcipuum ciuilitatis eius argumentum: quòd cùm domum Omuli visens, miransque columnas porphireticas, requisisset vnde eas haberet, atque Omulus ei dixisset: Cùm in domum alienam veneris, & mutus & surdus esto, patienter tulit.*

Num.20.21. *Cedens potius potentia, quàm iuris vel leniter violator fra famatur.* Oleast. *Summa potentia, violentiam abhorret.* *Principis ingenua patientia, erga inurbanos subditos.* Capitolin.

VI.

Comitatis suauitas, non tam minuit, quàm auget Principis Maiestatem.

SOlet à commendatâ huc vsque comitate, minùs expertus Princeps deterreri, quòd inde Authoritati suæ putet derogatum: fallitur, non vilescit, debitæ comitatis indultu, Maiestas, sed crescit. Vera Maiestas, id est, propria Principis authoritas, eò anxiè procuranda, vt subditis venerabilior appareat, & amabilior: neutrum absque prædicta comitatis temperie, comparauerit. Non aliunde suauiùs & efficaciùs in obsequium castum homines trahuntur: nec aliunde aut grandior, aut fælicior Principis Maiestas, quàm dum paratissimis, nec coactis obsequiis suspicitur. Prudenter magnus Hieronymus, Epist. ad Theophylum, cont. error. Ioan. Hierosol. sic scripsit. *Amari Parens, & Episcopus debet, non timeri. Antiqua sententia est: quem metuit quis, odit: quem odit, periisse cupit. Vnde & in nostris literis, cum initia paruulorum in timore consistant, perfecta dilectio foras mittit timorem.* Non loquitur S.Doctor, de casto & reuerenti illo timore, quem supra exegimus, & perfectissimæ charitatis comes est: sed de alio per seruitiem extorto, quem suauissima comitas repellit. Pergit ergo. *Non quæris Monachos tibi esse subiectos, ideo magis subiectos habes: tu offers osculum, illi colla submittunt: exhibes militem, & inuenis imperatores: quasi vnus in pluribus es, vt sis vnus ex pluribus. Cito indignatur libertas, si opprimitur: nemo plus impetrat à libero, quàm qui seruire non cogit.*

718. *Ei cum comitas necessaria.* D. Hieron. *Comitate suam authoritatem, ti Princeps conciliat.*

Longè

Longè hoc grauiùs, quàm quot multa in hanc rem, Profani scripserunt. Porrige ergo blanda comitatis oscula mi Princeps, & tuorum obedientia colla tibi subdes: impetrabis Imperatoris Maiestatem, si facilitatem exhibeas commilitonis: erisque singularis vnus, ex pluribus electus, si te quasi vnum in pluribus vulgarem existimaueris. Libertatem subditorum si opprimis, exasperas in rebellionem: seruient dociles, ni cogantur seruire. An non igitur à comitate Authoritas tota pendet?

719. *Arrogantia Principis imperiũ perdit.* Sæpe æternum Thronum, Dauidi suo promisit Deus, quod tamen solummodò in Christo Domino ad vnguem adimpletur: vide Psalm. 88. à v. 20. Nihilominus cæteris Dauidis successoribus, satis ibi & alibi promittitur Imperij: cùm tamen promissio esset conditionata, illorũ vitio, sub tertio Rege Roboam, amissis decem Tribubus nutat Monarchia: quæ tandem post aliqua sæcula omnino corruit. Id mihi, in hac re, mirum cur cùm Salomonis in Idololatriam prolapsi scelera, sic fœda forent: nihilominus illæsum illi Imperium, intactam authoritatem, sanctissimi Dauidis meritis conseruaret 3. Reg. 11. v. 12. Deus: qui tamen ad primam nec ita grauem Roboam culpam, quâ Populo dura locutus dixit: *Minimus digitus meus grossior est dorso Patris mei: & nunc Pater meus posuit super vos iugum graue, ego autem addam super iugum vestrum: Pater meus cacidit vos flagellis, ego cadam vos scorpionibus:* cap. 12. v. 10. subitò Regni vires, & Regis Maiestatem sic comminuit. An merita Dauidis, quæ filio, non poterant etiam nepoti, fauori esse? an Roboam, licèt vno gradu, ab stirpe remotior: non tamen initio saltem, mille gradibus idololatrâ iam Patre innocentior? cur ergo exaltato filio, nepos deprimitur? Ni fallor, quia illius Monarchiæ Maiestatem, in Dauidis mansuetissimâ comitate, tanquam in basi firmissimâ Deus fundauerat: (quam propterea ille virtutem, tanquam sibi patronam allegabat dicens: *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* Psalm. 131. v. 1. in quintâ editione legitur *ταπεινώσεως humiliationis:*) Meritò ergo in arroganti Nepote labat maiestas, corruit authoritas, qui primus basim illam imprudenter violauit, & impudenter esset quamuis Salomon peior: non tamen à paternâ comi mansuetudine, ita discors: innocentior Roboam, sed incomior, rebellantibus subditis, authoritatem plorat diminutam. Ita est, durat sæpe sub maioribus vitiis Principi Authoritas, quam arrogans inciuilitas, comitatis iactura labefactat. Præiuit D. Hieron. citatus, qui ad Theophylum, ita. *Venisti ad nos, non in austeritate virgæ, sed in spiritu benignitatis, & lenitatis, & mansuetudinis, vt humilitatem Christi, primo statim sermone resonares, qui mortalium genus, non fulminans & tonans, sed in Præsepi vagiens, & tacens saluauit in Cruce: legeras enim in typo illius ante prædictum: Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius: & in ipso postea præsentatum: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* & post multa concludit. *Qui scorpionibus cadit, & lumbis patris habere se putat digitos grossiores, cito Regnum mansueti Dauid dissipat, certè Romanus Populus, ne in Rege quidem superbiam tulit.* Neque enim Regnum quod Dauidi, quâ mansueto, traditum, in Nepote superbo potuit illæsum conseruari, quin magnam amitteret partem maiestatis.

3. Reg. 11. 12.

12. v. 10.

Psalm. 131. Quinta edit.

D. Hieron.

Christi mansuetudo.

720. *Nunquam ardentiori impetu subditorũ, Princeps colitur, quam dũ iste dissimulat maiestatem.* Non itaque dissimulata Principis Maiestas, comitas temperata, authoritati ingenerat præiudicium: imò nunquam, vehementiori obsequendi impetu, subditi feruntur, quàm dum facilem & comem Principem recognoscunt. Antagonistam Angelum Iacob expertus, nec superatus: humilis tamen ab illo orat benedictionem. Genes. 32. v. 26. Parum est, quòd quasi victus oret, qui superari non poterat, & pene vicerat Angelum rogantem se dimitti: maius est quod addit Oseas: *In fortitudine suâ directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum, & confortatus est, fleuit & rogauit eum.* cap. 12. v. 3. & 4. Mirum dictu! dirigitur cælestis & robustissimi Principis colluctator, & inualet confortatus: Neque tamen solùm humilis, sed insuper flens rogat: quot lachrymis, tot suffragiis, fortiorem Antagonistam protestatus: ecquid hoc rei? Respondet ad rem nostram grauissimè Ruffinus Pius. ibi. *Angelus in specie hominis ei obuiauit, dignatúsque est cum timente luctari, ita sanè, vt non illum exertâ maiestate deprimeret: sed quasi aqualis cum æmulo, inferior ne certaret. Quod vbi beatus Iacob, vt falix robore, ita etiam prouidentiâ oculatus aspexit, nimirum Dominum suum, magnâ pietate se ideo submittere, vt quæ de serui sui sublimatione disposuerat, indicaret: spiritum illico humilitatis, non elationis assumpsit: & vt benediceretur ab eo, cui videbatur prævaluisse lachrymosis suspiriis depoposcit: nec illâ colluctatoris sui simulatione deceptus est, vt se quasi fortiorem putaret.* Quasi tantò, submissis obsequiis digniorem Angelum reputaret, quantò comiorem dissimulatâ potentiâ experiebatur. Exertâ nimirum virium potestate, inuitas fortasse obsequij supplicationes Angelus eueret: quas verè amatorias, & piis natantes lachrymis à Iacob, temperatâ iam elicit comitate. Verissimum igitur vetus Axioma, genus esse piæ cuiusdam tyrãnidis dulcissimum, dum aliquid ab illo rogas, cui posses imperare: nisi quod proterua quàuis Tyrannide, valentius: Tyrannus impius, sic passim extorquet obsequia, vt quandoque rebellem subditorum sentiat contumaciam: nulla frons, exsanguis licèt, dulcem illam comitatis regiæ Tyrannidem, non erubuit: nullus animus quantumuis peruicax, ingeniosæ huic machinæ valuit resistere.

Genes. 32. Oseas 12. 4.

Ruffin. Pius.

721. *Hâc, etiam rebelles reuocat in seruitutem.* Ipse ergo descensus Principis è throno, quo subditis videtur condescendere, sic illum extollit, vt hoc maximè Imperij sui fines, immensùm videatur prorogare: iam per comitatem allectis, quos exerta maiestas deterruerat. Hinc illud Matth. 19. de Christo: *Migrauit è Galilæa, & venit in fines Iudææ trans Iordanem: & secutæ sunt eum turbæ multæ: & curauit eos ibi.* v. 1. & 2. Erant fines isti deserti, & solitarij, & in montosâ Iudæâ, aditu difficiles, gressu asperrimi: & tamen auidæ eò penetrant, non quæuis, sed turbæ multæ: quæ dum colunt Ducem, medicum experiuntur: attrahebat nimirum illos, comis; quos deinde comior curabat: Nam homines, quos exerta Dei terruerat Maiestas, iam facilis humanitas, alliciebat. D. Gregor. Nazianz. Homil. vn. in hoc cap. *Curauit eos ibi, vbi vastior solitudo erat. Si in speculâ suâ mansisset, si ad hominum infirmitatem minimè se demisisset; si quod erat, mansisset, inaccessibilem se ipsum, incomprehensibilémque custodiens: pauci fortasse secuti fuissent: atque haud*

Matth. 19. 2.

D. Greg. Naz.

Scio,

scio, an pauci fortasse Moyses solus, idque etiam hactenus, vt Dei posteriora ægrè videret. Quòd si dilatandis imperij sui terminis augendæ, obsequentium numero maiestati & familiari hac comitate Deus indiguit: quis mortali Principi neget necessariam? quis authoritatis crediderit derogatricem?

722. Quam sæpe aut Eucharisticum mysterium, aut excelsa quædam Diuinitatis præconia, enuntiante Christo, exasperatæ turbæ discederent, & vel durè in blasphemias, vel duriùs in lapides ruerent: passim legimus apud Euangelistas, & dolemus. Vnde mirum, quòd semel dicente Domino: *à me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, hæc loquor: & qui me misit, mecum est, &c.* Ioan. 8. v. 28. & 29. addat statim Ioannes: *Hæc illo loquente, multi crediderunt in eum*, v. 30. Ita ne? tot miraculorum authoritate munitus, dum se Dei filium, & Patri æqualem, sublimiáque alia pronuntiat, surdos patitur auditores, subditos rebellantes: hîc autem, dum authoritati suæ visus derogare, minuere maiestatem: verè se hominem, & paternæ potentiæ atque doctrinæ indigum, quà talis professus; tunc verissimi Messiæ, promissi a Prophetis Regis authoritatem comparat, vt credatur? Planè, quia dum humili comitate, post tot prodigia, se quasi vnum in hominibus testatur: iam dignior & venerabilior apud illos habetur: vt vnus ex hominibus electus recolatur. D. Chrysostomus tom. 6. orat. ad eos qui ad Miss. non occur. post multa: *Vt enim, si quando magnum quid, & sublime pronuntiasset Christus, offendit illos: perturbari, resilire, conuiciari, ac refugere vidistis: ita quando quid humile, abiectum quid dixisse, occurrisse illos, doctrinámque admisisse, conabor ostendere, illi enim ipsi, qui resiliebant: cùm rursus diceret:* à me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater meus, loquor: *statim accurrerunt: & cùm indicare vellet Euangelista, propter verborum humilitatem id euenisse: indicium adiunxit dicens: Hæc illo loquente multi crediderunt in eum.* Pulchrè cogitatum. Notissima est illa Plinij Panegyristæ sententia, nulla viâ supremum Principis fastigium posse excrescere, quàm dum se comiter nôrit humiliare: humiliauit ergo quodammodò se Deus, vt alibi fusè scripsi, vt inde nobis & sublimior, & gratior videretur: humiliat se Christus, & inde excelsior, rebelles homines trahit in obsequium. Concludit bene Chrysostomus post multa, *Is quidem qui magnus est, exiguum aliquid poterit de se dicere: nec vllum crimen erit, si quidem istud est modestia; si autem qui paruus est, magnum aliquid de se dicat, criminationem non effugiet. Quapropter sublimem omnes laudamus, cùm humilia de se dixerit: abiectum autem nemo laudabit, si quid fortè magnum de se dixerit.* Hæc ergo optima augendæ authoritatis ratio Principi à Deo addiscenda.

Ioan 8. 28. & 30. — *Humilitas Principem euehit.* — *D. Chrysost.* — *Idem.*

723. Immane igitur, quantùm fallitur Princeps, si exertâ Maiestate, solo putet timore subditos in officio continendos: fugabit potiùs, terrebit, & in sui iniuriam irritabit, ni comitatis amorem admiscuerit. Insana arrogantia est, obsequiorum dispendio maiestatem putare conseruandam: arrogans stultitia, plus hinc sibi sperare à subditis, quàm à creaturis Deus voluit elicere. Decerpo pluscula ex D. Chrysolog. serm. 147. qui totus ad hanc rem, *Deum quem sciebat, agnoscebat, sentiebat, quia videre non poterat creatura, ferebatur seruitute dura, triste exhibebat obsequium, pro inuisibili Maiestate. Obsederat pauor omnia, timor soluerat vniuersa, cuncta concusserat terror: in cælo diuinus splendor prostrauerat Angelos: in terrâ tonitrua & fulmina, corda mortalium quassabant. Sic nimius pauor, amorem dominantis exclusit, Angelos fugauit ad terras, homines traxit ad Idola, Mundum vanis erroribus occupauit: fecit omnes Creatorem fugere, colere creaturas. Amare non potest, qui satis timet: hinc est quod Mundus perire maluit, quam timere.* Hoc tibi sub districtâ Maiestate collocato similiter eueniet: nisi quòd Creatoris authoritas fugatis creaturis, & inuicem se colentibus eadem perseuerat: tu, subditis, nouum Principem quærentibus, si fortè duras, ridiculus & despicabilis obsolesces. An non igitur amore comi seruatur & augetur Regis authoritas, absque quo tota regnandi potentia dilabitur? Prudenter igitur post alia Chrysologus, *Videns ergo Deus mundum labefactari timore continuo, agit vt eum amore reuocet, inuitet gratiâ, charitate teneat, & constringat affectu.* Quod deinde pulcherrimis diuinæ Comitatis exemplis abundè confirmat.

Comitas Principis subditorum allicit amorem. — *D. Chrysol.* — *Praui timoris damna.* — *D. Chrysol.*

724. Denique legimus passim rebelle Israelis ingenium, ceruicem duram; nec semel in deserto, nunc impiâ detractione, nunc sacrilega idololatria Deo renuntiasse: & tamen per quadraginta annos, vnius Moysis obedientiæ pares, exosculatur imperium: & licèt quandoque subsultans recalcitraret, nunquam tamen rescissis habenis penitus, iugum putauit deturbato sessore excutiendum. Recurres fortasse ad prodigia, quibus Moysem habebant venerabilem: at certè instrumentum illum, potentioris Authoris, Dei scilicet agnoscebant: & nihilominus ipsius Numinis, vt dixi, fidem sæpe violabant. Vnde ergo Moysis authoritas perennis, incolumis tam longo tempore Principatus? Scilicet mitissimâ comitate imperabat, nec exertæ maiestatis arrogantiâ, sed benignæ mansuetudinis temperie, durissimam gentis suæ indolem in officio putauit continendam. *Erat*, inquit Textus, *Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra*, Numer. 12. v. 3. de quo D. Hieronymus initio citatus, *Dux ille Israelitici exercitus, qui decem plagis afflixerat Ægyptum, & ad cuius imperium cælum & terra, & maria seruiebant: inter omnes homines, quos terra tunc generauit, mansuetissimus prædicatur: & ideo per quadraginta annos obtinuit Principatum, quia potestatis superbiam, lenitate & mansuetudine temperabat.* Quisquis aliter Principatum stabilire, authoritatem conatur adaugere, delusus fallitur, væcors stultescit. Claudo paginam disertissimis verbis Plinij, ad suum Traianum: *Regimur quidem à te, & subiecti tibi, sed quemadmodum legibus sumus: nam & illæ cupiditates nostras libidinésque moderantur, nobiscum tamen, & inter nos versantur. Emines, excellis, vt honor, vt potestas, quæ super homines quidem, hominum sunt tamen. Ante te Principes, fastidio nostri, & quodam æqualitatis metu, vsum pedum amiserant: illos ergo humeri, ceruicésque seruorum, super ora nostra: te fama, te gloria, te ciuium pietas, te libertas super ipsos Principes vehunt: te ad sidera tollit humus: ita communia & confusa Principis vestigia.* Quot verba fundit, tot arrogantiæ verbera infligit: tot pulcherrima

Suauitas Principis imperium [illegible]. — *Num. 12. 3.* — *D. Hieron.* — *Plinius.*

Comitatis elogia, augendæ authoritati debuccinat. Emineant igitur super cæteros homines, Principes tumiditate gloriosiùs super ipsos Principes, comis, in Populum liberum, pietas extollet. Sed iam ad alia fusius expendenda.

Notatio XIII.

Qualis, ad Pœnas, tenor, Principi obseruandus.

725. QVæ deinceps in Textu explicato subsequuntur, immane & crudele Ingenium Baltasaris traducunt: quem clara simul & fœda Tyranni notá. *Cadentem Populos in indignatione, plagâ insanabili: subiicientem in furore gentes: persequentem crudeliter*, legisti. Quæ omnia, non tàm de barbarâ, in bellis, erga Aduersarios, hostilitate: quàm de ciuilibus, & sæuissimis, erga iam subditos, pœnis, probabiliùs putaui explicanda. Restat igitur, vt qualis tenor optimo Principi, cuique iusto, tyrannici mores sunt exosi, veniat circa pœnas obseruandus, fusiùs illustremus. Est quidem in hâc Iustitiæ parte, moderandæ fæliciter Reipubl. fulcrum solidissimum: ignaua puniendi socordia, nutrix est vitiorum: syluescit in horrorem arbor fælix, cui inutiles rami non resecantur: aliunde nimia castigandâ seueritas, rebellionis redditur incentiuum: in deformitatem truncus arescit, si plus iusto auidiùs amputetur. Hinc Seneca lib. de Clem. cap. 5. *Parcendum est etiam improbandis ciuibus, non aliter quàm membris languentibus: & si quando misso sanguine opus est, sustinendum est, ne vltra quàm necesse sit, incidas.* Ni sanguinem corruptum, scisâ venâ æger emiserit, contabescet: perinde erit, si purum etiam exhauriat: tota Medici peritia consistit in medio: Neque morbi lenonem cupio, neque carnificem.

Pœna, quasi phlebotomia, exercenda.

Senec.

Monita Politica.

I.

Incorrigibilium pœna, Deo victima: nullis precibus, hæc à Principe remittenda.

716. SCeleribus, quibus nullo bono, dissimulatio, ne dum venia indulgenda, certissimæ & infallibiles pœnæ instent, necesse est: his rebelle proteruorum ingenium sic compescendum, vt nihil tunc aut Deo gratius, aut magis diuinæ Iustitiæ ad instar se facturum Princeps æstimauerit, quàm in hoc culparum genus, districto seueritatis gladio, animaduertere. Dabo ipsius Regis Regum exempla, (nam vnde aptiora?) quibus tormenta fulminans sæuiisse, torquens fulmina, meram iram asperioris vindictæ videtur scintillâsse. Notatu in primis digna verba Sophoniæ.

Incorrigibilium pœna, victima Deo gratissima.

Sophon 1.

Et erit in die hostiæ Domini: visitabo super Principes, & super filios Regis: & super omnes, qui induti sunt veste peregrinâ. Cap. 1. v. 8. Nihil Deo gratiùs, quàm in significationem animi gratissimam, hostia ipsi oblata: tunc ille blandior, tunc festiuior exhibetur. Quis ergo non miretur, diem visitantis vindictæ, diei mactandæ hostiæ, coincidere? Nunquid litatur sanguine punitorum, vt fiat illorum occisio, hostia Deo beneplacens, & suauis? omnino. Stephanus Cantuar. ibi, apud Godefr. *In die hostiæ, id est, perditionis malorum. Quæ dicitur hostia, quia Deo placebit, & omnibus electis.* Tot ergo gratissimas hostias Deo immolas, quot perditissima incorrigibilium, aut similium non dissimulandorum capita, detruncas: neque tam Regem tunc exhibes, quàm Sacerdotem. Vide infrà, num. 745.

Stephan. Cantuar.

Et benè in Principes signatior pœna sic distringitur: quia Potentes, si effrænantur, potentiùs sunt iuris districtionem cum pœnis subituri: vtque nihil Reipubl. perniciosius, quàm si Dynastæ per vitia insolescant, nobilioris dignitatis titulo, immunitatem scelerum sperantes: sic è contra, nullum Rex Deo iucundius apparabit sacrificium, quàm dum istos debitis suppliciis compescuerit. Pulchra illa verba Herculis, Tyrannum Lycum, ad mortem exposcentis, apud Senec. in Fur. 717.

Tyrannus truncandus, Deo victima est.

Senec. Trag.

Vtinam cruorem capitis inuisi Diis,
Libare possem: gratior nullus liquor
Tinxisset aras. Victima haud vlla amplior,
Potest, magisque opima, mactari Ioui,
Quàm Rex iniquus.

Benè etiam, in eos Sophonias præcipuè inuehitur, *qui induti sunt veste peregrinâ*, id est, in sensu mystico, nouas & peregrinas vitiorum rationes exquirunt, qui non contenti solitâ peccandi materiâ, innouant corrumpendam: in hos enim regia ira sæuior procedat necesse est: quos truncatos, victimam suauissimam Deo reddat. Prudenter Hyppolitus (apud eundem Senecam) fœdissimam iam Phædram iugulaturus: quæ non contenta adultero ordinario, mariti filium ad nefas prouocârat: sic ad Dianam, pudicitiæ Numen.

Magnates noua vitia indagantes, asperè puniendi.

Senec. Trag.

——— Iustior nunquam focis
Datus tuis est sanguis, Arcitenens Dea.

Quasi sanguis monstrosæ fœminæ, portentosæ libidini inhiantis, castissimæ Deæ aris, in vindictam effusus, pretiosum & iustissimum libamen, gratissimáque hostia adueniret. Sed præstat audire pleniùs Stephanum citatum. *In die hostiæ, id est, perditionis malorum: quæ dicitur hostia, quia Deo placebit, & omnibus electis. Visitabo, in malo: specialiter super Principes & super filios Regis. Attende quod Dominus non est contentus comminatione generali præmissâ, sed specialiter nobilibus huius sæculi comminatur. Et super omnes, qui induti sunt veste peregrinâ. Hoc ad literam contra illos, qui vestes variant, & incidunt: contra illos etiam, qui non sunt contenti communi modo peccare, sed faciunt adinuentiones in peccatis.* Sed redeo ad thesim.

Stephan. Cantuar.

Imprudenti zelo feruidi, arreptis thuribulis, filij Aaron, profanum ignem Deo obtulerunt: 718.
& additur statim: *Egressúsque ignis à Domino, deuorauit eos, & mortui sunt coràm Domino.* Leuit. 10. v. 2. Non ab arâ, non ab Angelo, sed ab ipso Deo ignis prodit: & sic prodit, vt non creari

Leu. 10 2.

ri denuò, sed iam creatus, expectatâ occasione, & ad ictum destinatus egredi intelligatur. Quid ita? Tam certa proteruos manebat pœna, vt priùs hæc imminere, quàm culpa perpetrari videretur: priúsque pararetur supplicium, quàm consummaretur peccatum. Saluianus lib. 1. de Prouid. de his locutus. *In quibus vtique non iudicium tantùm, sed præsens Deus ostendere voluit, impendénsque iudicium, &c. Quid enim aliud, quàm extentam super nos dexteram suam, & imminentem iugiter gladium voluit ostendere: qui errorem supradictorum statim in ipso opere puniuit, nec peractum priùs penè est facinus, quàm vlcisceretur pœna peccatum.* Quomodò certissimam pœnam non trepides ab illa manu, quæ priùs paratum ostentat fulmen, quàm tu ad culpam te compares: quasi ex insidiis, contorquendi iaculi speret occasionem? Talem, debent quique contumaces, Principem te credere & formidare, qui districta semper geras legum fulmina, in proteruiam, suo tempore, & dispectis circunstantiis, contorquenda.

Proteruis, certa pœna instet.

729\. Vnde conciliabis illud Psalm. 77. *Viam fecit semitæ iræ suæ, & non pepercit à morte, animabus eorum: & iumenta eorum in morte conclusit.* Vers. 50. cuius vltima verba sic Vatabl. vertit. *Sed vitam eorum pesti deuouit.* Nimirum contumaces Ægyptij, per culpam, iam in belluinam indolem degenerantes, meritò iumentorum nomine exprimuntur: vt perinde sit illorum, quàm Iumentorum vitam, morte peste-ne concludere. Id autem hîc obseruo, pro eodem, *Conclusit atque deuouit* vsurpari: quia tam certus, in supplicium, Deus, contra hos incorrigibiles fulminandum: vt pro eodem, aut sententia deuouens, aut inflicta iam pœna vsurpetur. Sed in Ægyptiorum supplicio habent multum ponderis ad rem præsentem, illa verba Domini: *Adhuc vnâ plagâ tanquam Pharaonem, & Ægyptum, & post hæc dimittet vos, & exire compellet.* Exod. 11. v. 1. Cur enim, dicat aliquis, nouem prioribus plagis, vt potuerat, rem non confecit, sed ad decimam istam, quasi omninò necessariam confugit: si nihil vltrà plagas affectabat? dicendum enim, aliquid quidem vltrà plagas, sub certo hoc plagarum numero, quæsiisse Deum: nimirum, ne hæc decima pœna, quasi otio torpens, querula in diuino sinu contineretur, dum respondentem sibi culpam non castigat. Maius aliquid inuoluit Macarius Chrysocephalus Orat. de Cruce, apud Grethf. *Flagellat Deus Ægyptum, diuinæ potentiæ administro Moyse, qui denas plagas effecit, vt perfecti supplicij numerum subirent, qui ad summum vsque scelerum processerant. Et in memoriam miraculi decem præcepta describit: vt Ægyptus dignè per decem plagas puniretur: & Israel per decem præcepta, beneficiis à Deo cumularetur. Duplex enim emolumentum inde extitit: alterum ad eos, qui castigabantur; alterum ad eos, qui erudiebantur redundauit.* Puduerat hanc vltimam pœnam, ni compleret supplicium illorum, quos vltimi præcepti violatio reos fecerat. Ideóque tunc decem præcepta, quæ occultiùs naturæ ipsi infixa fuerant, Hebræis scribuntur clarius, vt suo iure, ob hostes, in horum gratiam decies punitos, decem obseruationes postularent: pares pœnas, si fortè violatores, luituri. Sic prona, sic certa in vindictam in proteruos Iustitia diuina exhibetur.

Ps.77.50. Vatabl. *Peccator, bestia.* *Pœna destinatus.* Exod.11.1. *Singulis culpis pœna correspondens.* Mac. Chrys. *Lex Populo imposita, beneficium est.*

Orat Christus pro inimicis suis, dicens: *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt.* Luc.23. v.34. Verba, quæ absque dubio, vtpotè immensæ misericordiæ monumenta, à Discipulis suauissimâ mentis teneritudine, sæpè repetebantur, quasi in consimilis necis conflictu vsurpanda: Hinc enim Stephanus, inter crepitantes lapidum imbres, orandi didicit tenorem, clamans: *Domine, ne statuas illis hoc peccatum.* Act. 7. v. 60. Attende tamen. Orat quidem pro inimicis, vt Christus: sed quàm diuerso tenore? Magister absolutam orat dimissionem: Discipulus, peccati perpetuitatem tantùm vouet expulsam. Nunquid ergo oblitus est Stephanus precandi formulæ, aut temerè corrigendam existimauit? absit: sed hic rogabat seruus, ille filius; hic dominum, Patrem ille: non ergo audet Stephanus absolutam remissionem, id est, culpæ ac pœnæ veniam postulare: satis putat, si ab illo Domino, qui sæpè condonatâ culpâ, pœnam non remittit solius culpæ impetret indulgētiam. Nec est inuita verbi, *ne statuas* significatio: in Græco, μὴ σήσης, id est, *ne firmes, ne stabilias.* Audiendus D. Asterius apud Phot. cod. 271. *Non orauit, vt peccata inimicorum impunita essent, hoc enim Dei ordinationi aduersatur, quæ instam homicidis pœnam irrogat. Sed quid obsecro orat? Domine, ne statuas illis hoc peccatum: hoc est, da vt resipiscendo compungantur: inuita eorum mentes ad pœnitentiam eorum, quæ committunt.* Sic enim aliquam saltem culpæ pœnam intelligebat reposcendam, vt solius filij authoritati, plenæ remissionis orationem concessam insinuet. Vbi sunt, qui passim, ne puniatur reus, interpellant? 730.

Luc.23.34. Act.7.60. *Non passim ob Amicos, pœna Regi condonanda.* D.Aster.

Vnde patebit diuina illa responsio ad Moysem, pro sorore deprecantem, & lepræ inficientis remedium petentem: *Si Pater eius spuisset in faciem illius, nónne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? separetur septem diebus extrà castra, & postea reuocabitur.* Numer. 12. v.14. Vbi Lyranus ita. *Spuere in faciem alicuius, signum est contemptûs, & indignationis: & ideo hic est sensus: si Pater carnalis ostendisset ei indignationem, & reprehendisset eam, sicut & ego feci, debuisset esse confusa septem diebus: multò magis debet esse confusa de indignatione meâ.* Quasi nec authoritas Moysis, pro totius pœnæ remissione valeret intercedere: & aliunde, hæc sic parata foret, sic in promptu apud Deum, vt saliua in ore Patris, qua filia despicabilis olim puniebatur. Maius est, quod sequitur. Pertæsus Deus Populi incredulitatem, supplicia iam miserum afflictura fulminabat: ibid. c.14.v.11. detinetur tamen precibus eiusdem Moysis sic orātis: *Dimitte obsecro peccatum Populi huius, secundùm magnitudinem misericordiæ tuæ: sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto, vsque ad locum istum.* Vers. 19. tunc additur statim: *Dixitque Dominus, dimisi iuxta verbum tuum: viuo, & implebitur gloriâ Domini vniuersa terra. Attamen omnes homines, qui viderunt Maiestatem meam, & signa quæ feci in Ægypto, & in solitudine: & tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram, pro quâ iuraui Patribus eorum.* Vers. 20. Dum Moyses diuinæ misericordiæ magnitudinem allegat, culpæ pariter & pœnæ remissionem videtur postulâsse: quomodò ergo iuxta verbum Moysis, dicuntur dimitti, cum aliunde sic asperè puniantur, 731.

Num.12.14. Lyran. *Non leuiter intercessori tollenda, pœna, audiendi.* Num.14.19. *Prudens intercessor, incorrigibilibus pœnam amouere non præsumit.*

niantur, vt ardentissimo fruendæ terræ desiderio defraudentur? Ni fallor, quia immensum illud misericordiæ pondus, remittendæ culpæ videbat necessarium: pœnæ verò, coercitâ vindictâ, plenam remissionem, nec mente imaginari, nedum verbo exprimere, ausus est.

Aut ʃi rem, totam pœnã non deprecatur.

732. Solam ergo culpam remittendam Pœnitentibus, Moyses satagebat: aut si quid de pœnâ cogitauit: non totam, sed aliquam eius partem, volebat imminutam: quod adhuc ita difficile, propter Populi proteruiam, agnoscebat: vt in id totam diuinæ clementiæ magnitudinem putaret inuocandam. Lyranus. *Hic ponitur, pœna relaxatio, quantùm ad vnam partem, cùm subditur, dimisi iuxta verbum tuum. Et bene dixit, iuxta, quia non totaliter dimisit, sed quantùm ad hoc, quod non deleret Populum simul.* Quasi in illis verbis, quæ subdiderat Moyses, ne hostes audirent, *quod occiderit tantam multitudinem, quasi vnum hominem.* v. 15. non pœnam, sed pœnæ modum, cohibere contenderet: id est, ne tanta simul periret multitudo, & vno ictu, licèt paulatim succedentibus filiis, effrontes magis Patres extinguerentur. Tam certa culpæ pœna imminet apud Deum. Sed tu mihi attentiùs pende, intercessisse ibi formulam iuratoriam, *viuo, & implebitur gloriâ Domini vniuersa Terra:* quasi sic esset diuinæ Iustitiæ infixa vindicta; sic futuram plenissimam pœnam, Moyses, etiam dum rogat, prætimeret: vt Deus iuramento quodammodò egere videatur: quo ille relaxationem crederet, & si leuem: concludit ergo Lyranus. *Ideo subditur, viuo ego: modus est assertionis diuinæ, & est sensus: sicut verum est, quod ego sum viuens, quia sum vita per essentiam: sic est verum verbum meum, de non delendo totum populum simul.* Vix enim aliter conceptum diuinæ vindictæ timorem, expertus sæpe Moyses, deponere valeret.

Lyranus.

Quam certa, incorrigibilibus, pœna insit.

Lyranus.

733. Quis non miratur in simili contentione, quã Exod. 32. cum Deo habuerat idem Moyses, vbi dicitur: *Placatúsque est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat, aduersus Populum suum:* v. 14. addi paulo post: *Hæc dicit Dominus Deus Israel: ponat vir gladium super fœmur suum, ite & redite de portâ vsque ad portam, per medium Castrorum: & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.* v. 27. Hæccine est placatio, Numen optimum? sic diuina mitescunt viscera? imò sic veritas æterna stat promissis? stetit certè, nam Deus qui contumacem fœdissime Populum delere iam parabat: satis placari creditur, si parte illius tantummodò puniendâ sit contentus; iterum adhuc Lyranus: *Placatus est Dominus, non quòd pœnam omnino dimitteret, vt patet ex sequentibus: sed ne omnino deleret, sicut dixerat.* Neque aliud familiarissimus Moyses, à Domino auderet petere, consequi ve speraret. Illa est igitur, non solius Iustitiæ corruptio, sed totius Reip. euersio: dum Princeps, Procerum precibus, plectendos necessariò Reos, pœnis absoluit: imò dum familiarissimus quisque, sic mollem imaginatur Principem, à quo indebitam proteruis remissionem, iniquam incorrigibilibus veniam, rogare audet, præsumit impetrare. Princeps imprudens, impudens Amicus, aliò si tendant, non clementiam æquam, sed iniquam socordiam adornant. Temperetur ergo pœna his talibus quandoque, nunquam remittatur.

Exod. 32. 14. & v. 27.

Lyranus. Nõ ergo Procerum precibus, tollendo incorrigibilium supplitio, mitescat Princeps.

734. Hinc grauissima, vt solet, addubitatio illa D. Gregorij Magni, lib. 9. cap. 17. Moral. ad illud Iob, Deo colloquentis: *Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.* cap. 9. v. 28. vbi ita. *Si delinquenti non parcitur, quis ab æternâ morte eripietur, cùm à delicto mundus nemo reperitur? an pœnitenti parcit, & delinquenti non parcit, quia cum delicta plangimus, nequaquã iam delinquentes sumus? Sed quid est, quòd Petrus cum negat, respicitur: & redemptoris negatis respectu, ad lacrymas vocatur? quid, quod Paulus, cùm redemptoris nomen in terrâ conaretur extinguere, eius verba de cœlo meruit audire?* quasi dicat! si negator, & persecutor, in ipso delinquendi æstu feruidiori, vocantur ad veniam: iam illis absque supplicio videtur parci: vnde ergo iam teneat, quod Iob dixit, nullum vnquam delictum impunè ferri? Respondet doctissimè idem S. Doctor; *Sed tamen culpa in vtroque punita est: quia de Petro, teste Euangelio scriptum est: & egressus foras fleuit amarè: & de Paulo, hac eadem, quæ hunc vocauit veritas, dicit: ego ostendam ei, quantùm eum oporteat pro nomine meo pati. Delinquenti ergo Dominus, nequaquam parcit, quia delictum sine vltione non deserit, aut enim ipse hoc homo, in se pœnitens punit: aut hoc Deus, cum homine vindicans percutit.* Nemo ergo putet, sic vocari pœnitentes ad veniam culpæ, vt ad totam pœnarum vocentur remissionem: instat semper pœna, quæ etiam Apostolorum apices, tam seriò pœnitentes supplantauit: nam ad minus, illa ipsa conuersi animi pœnitudo, multum doloris affligentis affert, quia quãuis aliâ pœnâ grauius lancinat. Quod si tam certus Pœnæ ictus collineat, vt etiam Apostolica diademata non aberret: qualis putes incorrigibiles attinget?

Iob. 9. v. 28. D. Gregor.

Nulla culpa, absque aliquo genere pœna, pœnitẽtibus relaxatur. D. Gregor.

II.

Apud Principem, pœna erga hos tales, sit vmbra culpæ: rete inexplicabile.

735. Sic ergo te Iustum sentiat horum proteruia, sic illorum sceleribus instantem: vt pœna, vmbræ instar, peccati corpus videatur comitari. Hinc illud Beati Iob, de Impiis locuti, postquam eorum longa scelera enarrat: *Si subitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis.* 24. vers. 17. Sto nunc D. Gregorio ibi lib. 16. cap. 25. qui hanc Auroram de Iusto, in potestatis honorem enecto explicauit. Sed mihi nihil esset miri, si clari viri aspectus, si iusti dominatoris præsentia, peccatores territaret, qui sanctæ potestatis lucem, instar scintillantis fulminis exhorrerent: illud hîc rarum, imò singulare, quòd in ipso splendore, tenebras formident, vmbras paueant: vnde enim vmbræ istæ in tantâ claritate? Crediderim sic certas ab hoc Principe, à Ministro iusto, pœnas prouenientes indicari: vt cùm ad illius conspectum, clariùs culpas suas impij recognoscunt, statim quasi harum vmbras, districtas in se pœnas intueantur. Fauet sanctus Doctor citatus post alia, *Quò igitur Iustus quisque, Iustitiæ luce irradians, in præsenti vita honoribus sublimatur: eò ante peruersorum oculos tenebræ mortis fiunt, qui peruersa se egisse meminerunt, corrigi pertimescunt.* Quasi inde Iustorum legitima dominatio

Erga incorrigibiles pœna, sit vmbra culpæ. Iob 24. v. 17

Hoc legitimi Principatus stemma est.

D. Gregor.

comprobetur : quòd ad illius lucem correctricem, vmbræ culparum, pœnæ efformentur.

736. Recurramus ad cornutam illam Moysis faciem, quam præcedenti notatione iam inspeximus : aliquid enim denuò habet inspiciendum. Tulerat è diuino sermonis consortio, augustus Princeps, lucem suam in cornua efformatam :
Exod 34.30. *Pœna hæc, sic certa culpam sub equitur, vt illam effigiare & adumbrare videatur.* *Videntes autem Aaron, & fily Israel cornutam Moysis faciem, timuerunt prope accedere.* Exod. 34.v.30. Esto enim, quod alibi sæpe dixi, nesciat diuinæ lucis pulchritudo, nisi in arma formari, vt indidem pariter Iustus pulchrescat, & roboretur : Esto, quod suprà dicebam, vultùs sui maiestatem, amore pariter & timore Princeps attemperaret : illud adhuc dubium, cur lux in arma se fingens, non in gladios, sagittas, iacula, & quod propinquius erat in fulmina, sed solummodò in *cornua* construatur? Pende Israelis culpam, qui paulò ante cornutum fusilis vituli caput adora-
Exod.32.4. rat : cap.32. v.4. Bene ergo in mera cornua, lux Principis puniturі efformatur : meritò timidos reos, lux aliunde suauissima præstringit : quasi sic ad vindictam parata, vt pœnam in formam sceleris adumbraret : & vt nihil cuiuis similius, quàm eius vmbra fit facies punituri iam Principis cornuta, vt cornutæ idololatriæ scelus, velut subsequens vmbra vindicaret : sic qui diuina præcepta, culti vituli cornibus ventilarant, paratis lucis cornibus ventilentur. Non iam simpliciter, vt olim, sed sub hac emphasi, putarem explicandum Drogonem Ostiens. lib. de Sacram.
Drogo Ost. Domin. Pass. vbi ita : *Talis erat facies Moysis, ex consortio sermonis tui, hoc est luminosa & terribilis, quia cornuta erat ad ventilandum inimicos.* Sed quidquid sit de Drogone : certè cornutam culpam, cornuta Principis facies ventilabat : & pœna tanquam simillima vmbra reos subsequebatur.

737. *Adhuc hæc pœna culpæ vmbra dicitur, quia proxima.* Redeo ad Iobi verba. Fortasse mallet aliquis, nec immeritò, ideo prædictos reos, mortis vmbram, iudicis illius vmbram arbitratos, séque in vmbrâ mortis, ob instantem iam pœnam constitutos : quia eo ipso, quod peccant, proximos, & penè immissos supplicio se formidant. Quemadmodum enim, nihil rei alicui coniunctius, quàm eius vmbra : sic, qui vmbræ mortis appropinquant, ipsi iam pœnali morti videntur appropinquare. Hinc Euangelium illud Isaiæ, quod
Math.4.16. suo inseruit Matthæus cap. 4. v.16. *Populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam : & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* Miserrimus culpæ nostræ status, per carcerem, & captiuorum vincula, per innumeras miserias, Prophetæ alij, imò & ipse Isaias explicarunt : at in hoc loco, vbi ex opposito beneficæ Incarnationis, summa eius miseria erat denotanda, solum-
Isai.9.2. modò per *mortis vmbram* inculcatur, Isai.9. v.2.
Luc.1.79. sic Præcursoris Pater festiuus exclamat : *Visitauit nos oriens ex alto : illuminare his qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent,* Luc.1.v.79. quasi hoc extremum foret reatus nocumentum. Et cur
D. Bernard ita? Respondet acutè D. Bernard. sermone 48. in Cant. *Sedimus & nos aliquando in tenebresis, & vmbra mortis, carnaliter conuersantes, & non ex fide viuentes; mortui iam quidem iustitia, à morte verò secunda paulo minus absorbendi : quantùm etenim vmbra propè est corpori, cuius est vmbra : tantum pro certo, vita illa nostra inferno appropinquauit.* Quasi sic certa à Deo pœna, vt vix pecces; cùm, si minùs torquentem iam infernum; at saltem coniunctissimam ipsiusmet vmbram ingrediaris, quæ culpam tuam etiam, veluti propria vmbra comitetur.

Neque mireris, ipsissimam inferni vmbram pœnalem, commissæ culpæ vmbram à me dici: 738.
nam (vt id obiter dixerim) quid ni reo ad pœnam, inseparabilem vmbram, mutuam det infernus, quam ipsa culpa pridem vsurparat? Est hoc illud Iob de Deo, occulta hominis peccata, reuelante : *Qui reuelat profunda de tenebris, & pro-* Iob 12.22.
ducit in lucem vmbram mortis, cap.12.v 22. Bene *Peccatum est vmbra dæmonis.* enim peccator, seu culpa ipsa, *vmbra mortis*, id est, mortiferi hostis dæmonis appellatur : quem sic repræsentat, cuius induit imaginem, & vno verbo, adumbrat. Pulchrè Magnus Gregorius ibi lib. 11. cap.10. *Vmbra mortis est praua operatio, quæ de imitatione antiqui hostis, quasi de corporis lineamentis exprimitur.* Sicut enim corpus vmbram sibi similem effigiat : sic Dæmon (qui quoniam dux mortis, mors appellatur) totus in culpâ exprimitur, & adumbratur. Quid ni ergo inferni vmbra, ad pœnam, tanquam proxima, reum *Et culpa mortis vmbra.* sequatur : quem in culpâ, ad viuum expressisti? Acutus ad rem nostram, ad hunc locum, Hugo Cardinalis, *Peccatum, vmbra mortis dicitur, quia* Hugo Card.
morti æternæ vicinum. Nihil corpus & vmbram intermediat : nihil inter vmbram & pœnam : inuicem repræsentant, inuicem inseparabiles comitantur. Talem ergo se gerat Princeps iustus erga proteruos, vt cuiuis culpæ debitam pœnæ vmbram non inuideat.

Quid? turpissimæ socordiæ est, incorrigibiles reos, impunitos dimittere, quos culpa perui- 739.
cax aliunde, sic paratos exponit ad pœnam, quasi *Ipsa culpa laqueus est ad pœnam.* inexplicabilibus retibus circumclusos. Hos tu (nisi ad iustitiam claudus) fugere patieris, laqueis & propriis pedicis impeditos? Postquam fœdus cum circunuicinis ethnicis ineundum, ve- Exod 23.33.
tat Deus : ita addit Israëlitis : *Non habitabunt in terra tua, ne fortè peccare te faciant in me, si seruieris Dijs eorum : quod tibi certè erit in scandalum*, Exod.23. v. 33. Non caret difficultate locus, *si scandalum* vulgari significatione vsurpetur; cur enim sacrilega idololatriæ seruitus, tam asseueranter (id sonat illud *certè*) scandalum, id est lapsus occasio appelletur : quæ potiùs miserrima iam ruina comprobatur? aliud ergo per scandalum in hoc loco videtur significari. In Hebræo est, מוקש à radice יקש quæ proinde vox scandalum, offendiculum & ruinam sic importat, vt simul laqueum atque rete significet: vnde Hebraizantes vertunt, *quod tibi certè erit in laqueum.* Sed cur, inquis, tanti sceleris impietas, solùm per laqueum & rete exprimitur : quæ aliunde acerbiùs notanda videbatur? Equidem non aliunde poterat aut grauiùs, aut funestiùs explicari. Oleaster ibi, *Erunt tibi in laqueum.* Oleaster.
Solent esse peccata, retia punitionum, & pœnarum: ita vt qui cupit pœnam fugere & mortem, peccata fugiat necesse est. Commissa culpa, implicatur in rete : sic reum pœnæ destinans, vt nisi fugatâ illâ, nequeat hanc effugere. Vnde explicabis illud Salomonis monentis, vt vnusquisque munere suo fungatur, ne pereat. *Eruere quasi damula de* Prou.6.5.
manu, & quasi auis de manu aucupis, Prouerb.6. v.5. in Sixtianis vertitur : *vt salueris tanquam* *Et rete inexplicabile.*
damula à laqueis, & tanquam auis à reti. Quasi idem sit laqueis retibúsque culparum detineri, quàm

quàm in manu Tartarei venatoris, aucupis Inferni, lacerandam iam prædam ingemiscere.

740. Iam nunc capies impiam illam, & mutuam exhortationem fratrum Ioseph, contra innocentem puerum, insurgentium: *Ecce somniator venit, venite occidamus eum, & mittamus eum in cisternam veterem.* Genes. 37. v. 20. Inermi, & delicato puero occidendo, satis foret illorum quisquam: excedebant singulorum vires, mansuetæ victimæ imbecillitatem: Quid ergo anxij, vnitum omnium robur inuicem exquirunt? Respondet post alia Oleaster. *Vides etiam hic viros robustissimos sese hortari ad pueri occisionem. Nónne duo, aut tres ex vobis, ad hoc facinus sufficiunt? quid omnes ad hoc conuenitis? timet etiam malus, solus plecti, ideo socios quærit.* Pulchrè dictum. Quasi viuido, monentis conscientiæ, stimulo, non priùs de patrando, quàm de plectendo scelere cogitarent: vtque solatium est miseris, pœnarum socios habere: vix deuoratâ culpâ, sic subsecuturam pœnam iam degluriunt: vt quasi inexplicabilibus retibus, ne fungerent, detenti; solummodò plectendos socios, in quale quale leuamen, curant allicere. Tam ineuitabilis nimirum, in culpam, solet pœna fulminari.

Gen. 37. 20. *Peccator nimirum stultè cogitat, prius de perdendo, quàm de patrandi scelere cogitat.* Oleaster.

741. His certè designandis, ni fallor, de Angelo illo Apocal. cap. 10. cui nubes in purpuram texebatur, Iris cudebatur in coronam, & in vultûs pulchritudinem Sol amœnabatur: subditur statim: *Et pedes eius tanquam columnæ ignis: & habebat in manu sua libellum apertum: & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram.* Vers. 1. Quid enim post tantam comptûs pulchritudinem, & oris elegantiam, igniti pedes huc venerint, nisi attactam terram exusturi: & quod mirabilius est, ipsummet mare, flammeum reddituri? Er quare, inquis, in pedibus tanta sæuitia, qui in reliquo tot blandimenta propinabat? Respice manus, & attende libellum: de quo benè D. Andreas Cæsar. ibi. *Libellus hic veluti paruus, magnáque cum diminutione expressus, hominum insigniter nequam, & sceleratorum, nomina & acta continere videtur: cuiusmodi inter cæteros sunt, qui latrocinia in terrâ, aut pyraticam in mari exercent, aut quouis alio modo impietati student. Quorum supplicium, per hoc insinuat Angelus, quod inflammatos pedes, simul super terram & mare extendit.* Vt iam veriùs, quàm ille poëticus, si non possit exclamare reorum quisque:

Apoc. 10. 1.

Nullibi tutus Peccator, diuino furori euadendo. D. Andr. Cæsar.

Heu! quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora possunt
Accipere?

Cum terrâ marique, diuinum supremæ vindictæ exactorem, cogatur pertimescere: cuius & nomen, in paruo, id est, abiecto & incompto Albo, omnibus luendis defectibus circunfertur. An posset etiam solutus, nedum tot retibus implicatus, aliquò confugere: quem tellus, quem æquora ab exactore immunia, non poterant accipere? Non pudeat Principem meum, insigniter sceleratorum libellum euoluere, ad pœnas: sedulísque ministris, per maria, per terras indagari: cùm huic studio, cælestem Principem videat incumbentem.

III.

Maximè, cum simplicioribus sunt scandalo.

Nullibi tamen Princeps, Iustitiæ gladium distringat animosiùs, quàm in eos, qui sunt simplicioribus scandalo, & offendiculo. Monstrosa hæc capita, totius Reipubl. pestis, malorum origo, sollicitè detruncanda. Tartari satellites, Apparitores Dæmonis, Ministri iniquitatis, ad supplicium diligentissimè quærendi: nec sæculi contagia, impunita, vllo modo, permittenda: Hos prior & grauior pœna absumat necesse est. Formidabilis, & seuerissima est illa supremi Iudicis sententia, contrà impios olim fulminanda: *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum: qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Matth. 25. v. 41. quasi tam sæuas pœnas, infaustis ipse hominibus non parasset, vt omnes obseruant: sed Dæmonibus apparatas, homines suis sceleribus ambirent. Sed cur, qui ex se, sic in homines mitis, in diabolum sociósque eius, sic asper exhibetur? Respondet D. Irenæus, lib. 3. cap. 35. *Significans, quòd non homini principaliter præparatus est æternus ignis: sed ei qui seduxit, & offendere fecit hominem.* Cæteris namque reis reductitiè: scandalosis, ex compacto sunt supplicia disponenda.

742. *Pœnâ, in scandalosos, diligentissimè vibrâdâ.*

Matt. 25. 41.

D. Iren.

Sceleratam Babylonem sic describit Ieremias: *Calix aureus Babylon, in manu Domini, inebrians omnem terram: de vino eius biberunt gentes, & ideo commota sunt.* Cap. 51. v. 7. Miranda similitudo! Quis enim dum Babylonem, de auro radiantem, & excelsam de manus diuinæ basi, audit prædicari, non de gloriâ securissimam iudicaret? & tamen basis ista, non in fulcrum dabatur, sed in ruinam: vt cùm nihil sit faciliùs, quàm quod in manu habetur, ab alto demitti: sic nihil Deo paratius, quàm illustriores reos, quos sub potestate, quasi in manu tenet: in miserum supplicium deturbare. Quid ergo miserrima Babylon tumescis: in manu teneris, non stabilienda; sed quasi in promptu faciliùs deijcienda Ideo additur: *Subitò cecidit Babylon, & contrita est.* Vers. 8. Nimirum scandalosa, venenum cæteris gentibus propinabat: non poterat diuinæ indignationi non subiacere. D. Ambros. lib. de Elia, cap. 15. *Calix ergo aureus contritus est, quia Babylon contrita est, quæ est calix aureus: sed Quamuis auro se iactet, & pretio: in Domini & ipsa est potestate: denique diuinâ indignatione conteritur. Quâ ratione calix aureus? quoniam, quia veritate defecit, quærit illecebram, vt specie saltem gratiosâ, ad bibendum aliquos possit illicere.* Nouerit Princeps, eò asperioribus pœnis hos tales puniendos: quò blandioribus illecebris, aliorum synceritatem satagunt interpolare.

743. Ierem. 51. 7.

Scandalosus, ad pœnam certius labilis ad ruinâ.

D. Ambros.

744. Detrahentes Aaron & Maria, linguis innocentissimum fratrem Moysem lancinârunt? Numer. 12. v. 1. Properat in Amici vindictam Deus: & reprehenso vtroque, discedit: *Et ecce Maria apparuit candens leprâ, quasi nix.* Vers. 10. Aarone interim intacto prætermisso. Si vterque ex æquo peccat: quid alter tantùm punitur? Si al-

Num. 12. 10.

ter tantùm percutiendus, cur non potiùs vir, qui quò naturâ prudentior, Sacerdotio obæratior, cò etiam culpabilior videbatur? fortassè Maria, detractioni dederat initium, & scandalosa Aaronem fratrem inlexerat ad calumniam: nec, temerè suspicatus, deprehendar: fæmina animal garrulum, de communi, cum viris, linguæ vitio, haud temerè, vel peior, vel princeps præsumitur vbique: in corpore nano, gigantem linguam nutrit; crebrius garrit, quàm respirat: tantillum os, ingens garrulitatis officina: labia multo rubore suffusa, quasi se contra pudorem munietia, quidquid effutiant, nesciunt erubescere: ipso ingenito detractionis liuore, intensiùs dentes candicant; & qui corrodendo innocentiam, franguntur gemini, integriores inde perseuerant. Si ergo solitæ indoli indulsit Maria prior scandalosa fratri Aaroni, meritò, hoc immuni, fœdatus illa. Diodorus in Cat. par. *Quam ob rem sola Maria plectitur? an quia princeps eius calumniæ Maria, traxerat ad se Aaron? atque idcirco dedit has pœnas, quæ satis fuerunt Pontificem in ordinem redigere.* Et id voluit fortè Textus exprimere, dum priùs Mariam nominat, quàm Aaronem: *Locuta est Maria, & Aaron contra Moysem* v. 1. quasi illa Aaroni foret incitamentum: quod proinde impunè ferre non debuerat, cùm non esset parcendum scandalosæ.

Fæmina detractionibus studens.

Diodorus.

745. Israelis Idololatriam fusè inculcans Oseas, sic subiungit. *Si fornicaris tu Israel, non delinquat saltem Iuda.* cap. 4. v. 5. Vbi pulcherrimam Ruffini pij Paraphrasim, dicendis necessariam, non piguit transcribere. *Fit sensus eiusmodi. O tu Israel, qui Principem erroris secutus, id est Ierobuam, à germani tui, videlicet Iudæ, consortio recessisti: non ob aliud, quam ne tibi, per honorem Templi, & sacrorum dierum celebritatem, respirandi, atque ad meliora redeundi esset occasio: si non generis, vel criminis tui pactionem tuere: & qui noluisti laudabilem seruare concordiam, susceptam semel discessionem teneto: neque in professionem repudiatæ germanitatis, actu corruptoris, irrepas: sed propriâ saltem hac contentus, patere innocentiam: & inuitare cesses, ad eum statum, in quem tu venisse deflebis. Non enim maiorem in modum impudentia grassatur si quorum elegisti, remedij timore, dissidium: cum eisdem vicas sacrilegij amore, collegium* Quibus præmissis, iam ad rem nostram capio quod statim subiungitur: *Quoniam sicut vacca lasciuiens declinauit Israel: nunc pascet eos Dominus, quasi Agnum in latitudine* v. 16. duplici enim sensu potest explicari: Primò, vt sit quasi pollicitatio fauoris: quo vaccæ aliunde lasciuienti, inde curati Agni delitias promittat, si Iudæ offendicula & scandala non posuerit. Secundò, vt sit quædam minarum intentatio, si proprio suo scelere non contentus, in alienam ruinam coniurârit: túncque pastûs suauitas, sagina mactandæ victimæ apparabitur. Huc inclinat Vatablus, qui in scholio ita. *Agricolæ agnum in loco pleno pascuis pascere solent, vt eum pinguem factum mactent confestim.* Vtrinuis ergo capias, nobis militat locus iste, quippe vel indulgentiâ prohibetur scandalum, ne detur: vel datum districtissimo, immolatæ victimæ supplicio deputatur: quasi nulla Deo hostia venerit gratior: vt huius notationis initio dicebam.

Oseas 4. v. 5.
Ruffin. Pius.

Immanis culpa est, in peccati consortium solicitare quem virtutis tædio abiecisti.

Vers. 16

Vatab.
Scandalosus dum non punitur, tanquã victima impinguatur ad pœnam.

746. Est pulcher, in hanc rem, Tertulliani locus, adhuc apud Interpretes caligans. Defertur falsò crimine Susanna in Iudicium. & addit [illegible] *verò Susanna erat delicata nimis, & pu[illegible]: at iniqui illi iusserunt vt discooperiretur [illegible]* *cooperta.* Daniel. 13. v. 31. At quorsum velârat faciem, quæ suam reuelare cupiebat innocentiam? certè confusio, & affectatæ ex erubescentiâ tenebræ, manifesta sunt delatæ culpæ indicia: Innocentia vera, veritas simplex, videri non refugit, latebras euitat: Quid igitur odisti lucem, quæ innocens lucis filia huc venisti? Respondet Tertul. lib. de Cor. Mil. cap. 4. *Rea venerat, erubescens de infamiâ suâ, meritò abscondens decorem, vel quia timens iam placere.* Quasi dicat: in secundâ causâ, quam subdo, retracto primam: non se velat erubescens infamiam, sed timens placere. Abscondit ergo decorem Susanna, quia experta iam Senibus placuisse, timet anxia ne fortè aliis placeat, & visa ingeneret scandalum; mavúltque accepto integumento, suspecta confusionis notari, quàm aperto vultu, offendiculum esse intuentibus: ac si seueriores pœnas à Deo, de non cauendo scandalo, quàm de imposito adulterio, à Senibus immanissimis pertimeret. Sic D. Cyprianus Epist. 13. de Virgine velanda: *Quid ornata, quid compta procedit, quasi maritum aut habeat, aut quærat? timeat potius placere, si virgo est, nec periculum sui ap[illegible], quæ ad meliora, & diuina se seruat.* Timeat enim necesse est, quæ aliis scandalosa placere non timet, quia seueríssimas pœnas inde incursura.

Dan. 13. v. 31
Iustitus, de euitando scandalo, quam sollicita.

Tertul.

D. Cyprian.

Longam annorum seriem solet quandoque Deus, peccatores ad pœnitentiam expectare: & tamen tres solummodò anni, sterilis illius ficulneæ, quæ medias inter vites, fructum denegabat, sic illius mouerunt stomachum, iram excitarunt, vt statim præciperet succidendam: *Ecce anni tres sunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hâc, & non inuenio: Succide ergo illam, vt quid etiam terram occupat?* Luc. 13. v. 7. Sed neque mirum, fœcundæ de proximo vites, illius sterilitatem condemnabant, vt alibi dixi: & quod peius est, scandalum prauo exemplo circumiacentibus plantis afferebat. Quid ergo pœnalem bipennem, durissimam securim posset euitare? vide Gellibertum serm. 23. qui tandem sic concludit. *Periniquum est, in sanctâ conuersatione plantatum, nihil sanctum moliri, & excusationes prætendentem, cognatis exemplis conuinci: & inde descensiones disponere in corde suo, vnde alij ascendunt. Sufficiat tibi, qui talis es, descensus tuus: quid bonorum acerrimum operum, quem alij alacritate conscendunt, detrahere moliris, & regulares obseruantias immutare, quarum numerum & rigorem causaris? Noli prohibere eos, qui bene faciunt: si potes, & ipse ascende.* Tu lege cætera. 747.

In scandalo vindictam festinat Deus.

Luc. 13. v. 7.

Gellibertus.

Scilicet, quidquid boni, per scandalum fieri prohibuisti, tibi necessariò luendum imputatur. 748.
Noli inquit Salomon, *prohibere benefacere eum, qui potest.* Prouerb. 3. vers. 27. in Sixt. vertitur: *ne abstineas benefacere egeno.* Quia idem est alij prohibere, ne egeno benefecerit, quàm huic ipsi opem tuam denegare, vnde pœnam miserrimè incurras: huc enim facit illud Eusebij Gallic. Homil. 7. ad Monach. vbi ita. *Si in congregatione positus, obedientiam tenuit, si humilem patientémque se præbuit, quantos ædificauit, tantis fœnerauit: & quantũ bonũ ex se*

Scandalosus non solum propria, sed etiam aliena culpa, pœnas dabit

Prouerb. 3. vers. 27.
Euseb. Gall.

se, proximis commodauit, tantùm in sua lucra conuertit. Si verò è contrario per inobedientiam & superbiam suam, alios (quod facilius euenire solet) ad maculam compulit, quantos destruxit, de tantis periculum damnationis incurrit: de quantis detrimentum fuit, de tantis damna contraxit: & peccatum, quod ab illo semel processit, ad eum multipliciter redundauit. Quamobrem, sicut ille valde admirandus, atque laudandus est, cuius ex sus, multorum profectus est: ita ille meritò lugendus est, cuius vita, multorum ruina est. Certè lugendus quis qui non solùm proprij, sed alieni etiam sceleris, quod sibi appropriauit, acerbissimas pœnas est daturus, certissimo supplicio puniendus.

749. Matt.25.8. Vix visus saturari Mat.c.25. misellas illas virgines inornatas fatuitatis titulo insigniendi: tam multus illas hoc nomine denotauit. Quis ergò à tam stulta fatuitate, à tã fatuâ stultitiâ, plenas furore turbas, non timeret? fatui omnia perturbant incompti, & quæ prudẽtes alij comptissimè componunt, stolidissimè satagunt fœdare: incomptum suum cæteris propinantes. Quis ergo non miretur virgines istas fatuas, notato, suarum lampadum, incomptu, non solùm Prudentum virginum lampades comptissimas frangere non curâsse: sed insuper accessisse rogantes, *date nobis de oleo vestro?* Vers. 8. Ecquis illas, à solito perturbandi aliena, fatuitatis ingenio compescuit? Ni fallor, licèt fatuæ forent, tamen sponsi Iudicis erant domesticæ, neque in tantâ stultitiâ, mille visis exemplis, poterant ignorare (discunt enim & bestiæ, quod sæpè vident) quam asper in scandala desæuiret. Præsentiunt ergo etiam stolidissimæ virgines, sæuiores à se pœnas, de dato, si fortè, Prudentibus scandalo, quàm de propriâ fœditate, & pigerrimo incomptu, postulandas, certiúsque inde periculum, quàm hinc sibi iam fore incurrendum. Cultum igitur, quod addit Eusebius citatus. *Ea in medio positi agere studeamus, ne vitia nostra, aliorum virtutibus noceant: ne feruorem tepor noster debilitet: ne aliorum humilitatem, superbia nostra deprauet: ne aliorum sanitatem, infirmitas nostra corrumpat: ne aliorum pulchritudinem, fœditas nostra contaminet: ne aliorum ardentes extinguamus lampades, si nostras illuminare non possumus. Et quidem illæ stultæ virgines, quamuis stultæ essent, non tamen alienas extinguere, sed suas illuminare cupiebant.* Vtpotè, quæ etiam sub stultitiâ tantâ agnoscebant, de tantis, certiùs damnationis periculum incurrere, quantas destruerent: de tantis, damna contrahere, quantis detrimentum darent: quod paulo ante, ex eodem Eusebio legisti: qui tandem sic fœliciter concludit. *Itaque fratres, cui mala propria non sufficiunt, ille sic agat, vt iudicium etiam alienæ perditionis incurrat.* Tam certum scandaloso Iudicium subeundum. Insurgat igitur in scandala incorrigibilia, Princeps Iustus, in quæ sic videt, piissimum alioqui Numen desæuire.

Nemo sic stultescit, vt de scandalo pœnam dare, non caueat.

Euseb. Gal.

Idem.

IV.

Impunitas aliorum aliis fit illecebra ad peccandum: vnde luet Princeps, quidquid iustè puniendum dissimulet.

SEd quid, si publica scandala, Princeps impunita relinquat? punietur ipse, vtpotè scandalosus. Cùm enim verissimum sit illud Ciceronis Orat. pro Mil. *Maximam esse illecebram peccandi, impunitatis spem:* quid ni, à Principis ignauiâ positum offendiculum credatur, dum visâ aliorum impunitate, alij, consimilis spe concepta, illecebram magnam habent ad peccandum? Quidni luat Princeps ipsissimus, pœnas aliis indultas, si, vt dicebat Gallicanus, quasi illi propria mala non sufficiant, iudicium etiam alienæ perditionis incurrit? Vtrumque ergo paucis illustrandum. Multa ex hoc 14 Isaiæ Capite, quod, ad literam, de Baltasare, per totum opus explico fusissimè: quidam ad Angelum imò, Dæmonem lapsum transtulerunt. Ergo postquam ibidem, cadens è cælo Lucifer deploratur, & in profundum laci, noctifer iam tractus: subdit Propheta: *Qui te viderint, ad te inclinabuntur, atque prospicient.* Vers. 16. Quasi solliciti Angelorum multi, ad videndas attentiùs infaustissimi huius pœnas, se inclinarent: è fenestris cælestibus profunditatem laci, penetraturi obtutu inconniuenti. Sed quorsum tam impensum cernendi studium? fortassè, quia dum illum, impunè aliquandiu viderant superbientem; titillantem illecebram, sequendo eiusdem vexillo fuerant experti: quasi esset, Luciferi, rebellionem machinantis, dissimulata impunitas, viatoribus quibusdam Angelis, pellax tentatio: quam tamen visa illius pœna perfectè superassent & stetissent: vt è via, ad beatitudinis Patriam transmigrarent. Licèt non ad hunc locum; videtur tamen præiisse Magnus Gregorius lib. 4. cap. 1. in Reg. lib. 1. Vbi ita. *Qui ante omnia conditus est, per superbiam cecidit: & in eius ruinâ sancti Angeli didicerunt, quâ virtute stare potuissent. Quod nimirum, qui apertis rectæ fidei oculis intueri poterit, pariter attendit, quia Omnipotens Deus, etiam tunc magna misericordia dona tribuit, cùm vindictam irrogat: quia dum reprobos punit, Sanctos erudit: vt vnde illi deficiunt, isti in suis profectibus adiuuentur.* Quasi adiuta bonorum Angelorum salus Gregorio putetur, inde, vnde punita reproborum culpa. Scio hæc noua Theologis videnda, non tamen video apud illos, vnde Gregorius efficaciter queat impugnari: cuius proinde dogma Tropologiæ vtile non putaui dissimulandum. Pergo.

750. M. Tullius. *Illecebra est ad peccandũ, impunitas iniquorum.* Isai.4. 16. D Greg. Mag. *Ex aliorum pœna, alij docentur.*

Porrigit præmorsum pomum, veneno culpæ infectum, malè-suada Eua marito, & gratia & scientia valentissimo: qui tamen, quasi mollissimus esset, & stultissimus, primæ statim cedit tentationi, primò illuditur fœminæ suasu; *Tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro suo, qui comedit.* Genes. 3. v.6. Et vnde tam facilis ad lapsum, tam pronus ad ruinam? Ni fallor, de illecebra præsumptæ impunitatis. Audiuerat 751.

Gen. 3. 6.

Adam

& 2.17. Adam sibi dictum, *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris*; cap.2.v.17. quod pariter Euæ dictũ intellexit. Videns ergo aliunde vxorẽ manducantem, neque tamen mortis pœnã subitò dedisse, putauit illi concessam immunitatem: vnde facilè sub eiusdem spe, in consimilem culpam allectus rapitur. Ad rem nostram Alcuinus quæst.

Alcuinus. *Iniquorum præsumpta impunitas, alios decipit.*

67. *Vnde vir consentit fœminæ? quia fortè illam, eo cibo mortuam non esse, cernebat. Et potuit fieri, vt putauerit, alicuius significationis causâ, dixisse Creatorem: Si manducaueritis ex eo, morte moriemini.* Vt præsumpta impudenter vxoris impunitas, non solùm facilitatem præcepto frangendo, sed facilem & fallacem, interpretandæ sententiæ rationem suggessisse videatur: quâ non reapse, vt sonant, sed symbolicè verba putaret capienda.

752. 1.Reg.4.18. *Princeps, scandalosis parcens seuerissimè punitur à Deo.*

An non igitur luat Princeps, si scandalosam hanc paret impunitatem? Auditâ filiorum nece, & quod potiùs erat Arcæ captiuitate, Heli *cecidit de sellâ retrorsum, iuxta ostium: & fractis ceruicibus mortuus est*, 1.Regum 4.v.18 Non solùm mortem, sed insuper fractæ ceruicis circunstantiam exprimendam curauit Sacer Scriptor: quasi id suo mysterio non careret. Quod expendens D.Petrus Damianus sic habet lib.7.epist.3.

D.Petr.Dam. *Heli Sacerdotij dignitate detruditur, dum non intentat filijs verbera, sed blanditur: vtcunque tamen corripuit illos, sed lenitate Patris, non authoritate Pontificis. Atque idcirco ceruicibus effractis occubuit, quia peccantibus inclementer indulsit.* Quasi dicat: Impunitas illa, quâ filiorum scelera dissimulans prætermittebat, non tam clementia fuit, quàm inclementia; impunitatis indultæ illecebrâ, peccatis peccata filij cumularunt, miserrimas tandem pœnas, supplicio extremo dare coacti: meritò proinde fractis ceruicibus cadit, qui duras illorum ceruices non edomuit: meritò illius culpæ impunitatem non tulit, per quam impunitate præstitâ, filios ad vitiorum barathrum detraxit. Neque mirum luat iniquæ impunitatis pœnas Princeps, qui eo ipso quòd simulat culpas puniendas, ipsarum particeps redditur necessariò. Transcribo huc pulchra Tertulliani verba, Marcionicum Deum irridentis lib.1. cap.26. sunt enim licèt plusculà, argu-

Tertul. tissima. *Quale est, vt præcepta constituat, non executurus: vt delicta prohibeat, non vindicaturus, quia non indicaturus? externus scilicet ab omnibus sensibus seueritatis, & animaduersionis. Cur*

Princeps non puniens sceleris, sceleri consentit.

enim prohibet admitti, quod non defendit admissum? cum multò rectius non prohibuisset, quod defensurus non esset, quàm vt non defenderet, quod prohibuisset: imò & permisisse directè debuit sine causa prohibiturus, non vt defensurus. Nam & nunc tacitè permissum est, quod sine vltione prohibetur. Et vtique non aliud prohibet admitti, quàm quod non amat fieri: stupidissimus ergo, qui non offenditur facto, quod non amat fieri, quando offensa comes sit frustratæ voluntatis: aut si offenditur, debet irasci: si irascitur, debet & vlcisci: nam & vltio fructus est iræ, & ira debitum offensæ, & offensa vt dixi comes frustratæ voluntatis. Sed non vlciscitur, ergo non offenditur: sed non offenditur, ergo non læditur voluntas eius, cùm fit, quod fieri noluit: & fit iam delictum secundùm voluntatem eius, quia non fit aduersùs voluntatem, quod non lædit voluntatem. Ergo aut pœnalia præcepta abroget Princeps, & rescindat leges, aut violatores puniat: ne delicti, secundùm voluntatem eius facti, particeps videatur: & pœnæ consors, apud Deum reddatur necessariò.

Pertæsus iam Deus, Israelis contumaciam, sic intonat per Prophetam: *Cessare faciam omne gaudium eius, &c. & corrumpam vineam eius, &c. & visitabo super eam dies Baalim, quibus accendebat incensum, & ornabatur inaure sua, & monili suo*, Oseæ 2.v.11.12.& 13. Quasi non tunc temporis Baalim seruiret, sed tantùm vitulos aureos suos coleret: & tamen dies, quibus Baalim seruierat, tunc maximè expressit puniendos: quasi in id sceleris præcipuè desæuiret. Et cur ita? quia apud ignaros diuinæ patientiæ, supremi Iudicis honor periclitabatur, cælestis maculabatur fama Principis: dum quod non puniebat peccatum, fouere diceretur: grauiter ibi Ruffinus Pius, locum sic paraphrazat: *Non nunc, inter peccandi versatur exordia, vt processu temporis, pudore suffundenda credatur: olim cum eius improbitate, patientia nostra contendit, nec tamen aliquid, ad emendationem promouimus, quando hac in sua profanitate consenuit. Ne ergo etiam Iudicis famam, impunitas longa commaculet, & videar fouere, quod tandiu vigere permitto: quanquam serò, tamen vel demum, ad opus vltionis accingar: vt expungam etiam illos dies, quibus Baalim, idolo videlicet turpitudinis, compta insuper monilibus seruiebat.* Princeps igitur, qui non tam patientiâ, quàm socordiâ, non tam correctionis spe, quàm officij iniuriâ, longam impunitatem concedit: non iam suspitionis infamiâ, sed contractæ culpæ fœditate laborans, quidni pœnarum consors obteratur?

753. Oseæ 2.11. *Princeps socors, puniendæ culpæ non solùm suspectus, sed conuictus præsumitur.*

Ruff.Pius.

V.

Publicatio culpæ, pœnarum maxima: sed in aliorum salutem exigenda.

PArum est, puniri incorrigibiles, nisi etiam (maximè cum illorum scandalum est publicum) publicè puniantur. Est quidem publicatio culpæ, pœnarum maxima, sed tamen ab exemplo, in aliorum salutem exigenda. Maculat fraterno sanguine manus impias Cain, primus mortis apparitor, Inferni carnifex, sceleris satelles eiicitur à diuino conspectu exul, & ingemiscens, solummodò mortem celerem precatur: sic enim explicant multi illa verba: *Omnis ergo qui inuenerit me, occidet me*, Genes.4.v.14. Potiùs ista diuinæ Iustitiæ blandimenta, quàm ad Misericordiam vota, videri poterant. Quid enim faciliùs putetur homicidæ reo concedendum, quàm vt occidatur? Nec tamen concedit Deus, imò in *septuplum* v.15. pœnas minatur illi, qui misero Cain mortem indulgeat. Et cur ita? quia nimirum impediret iste pœnarum maximam, quam Deus à Cain parabat exigendam, scilicet iniqui fratricidij publicationem. Sperabat nimirum Numen seuerissimum, vt vacuus tunc Orbis hominibus impleretur, apud quos fratricidij scelus, & exilij tremorisque pœna innotesceret. Ideo additur: *Posuitque Dominus in Cain signum, vt non interficeret eum, omnis qui inuenisset eum*, v.15. de quo Nicetas in Gregor. orat. de Pentec. enumeratis aliis sex pœnis Cain, ita concludit: *Septima*

754. *Publicatio culpæ pœnarum maxima.*

Gen.4.14.

Septima pœna hac est, nec pœnam quidem ipsam, obscuram esse, reum perspicuo signo, quasi præconis voce, omnibus declarari, hunc esse illum nefary facinoris architectum. Ac rectè indicauiti, grauissima omnium pœna, hæc infamia. Pœnis itaque ipsis, pœnarum publicatio, quibus scelus traducebatur, longè peior. Et benè *Architectus* vocatur: quia in ipsa culpa, theatrum sibi ædificâsset, vbi ignominiæ denotatæ exponerétur.

[...]cilicet ob [in]famiam.

755. Ad consimile theatrum, vocabat Deus spectatores plurimos, Isaiâ præcone: *Audite cæli, & auribus percipe Terra: quoniam Dominus locutus est.* Isai. 1. vers. 2. Leo rugit, quis non pauebit? Attentè, tonantem Deum audiamos. *Filios,* inquit, *enutriui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me.* Putares vibrandum statim, statim, fulmen, quo sic ingrati filij absumerentur: neque id legitur, solummodò illorum rebellio fusiùs exprobratur: quasi hæc esset tanti sceleris pœna condignior: quia vt rectè ad hunc locum D. Zeno Veron. serm. 2. de verb. Isa. *Humana sententi, nundinari deterius est, quàm puniri.* Vt enim in nundinis frequentioribus, solent vt plurimum exhiberi, aut voluptatis, aut supplicij spectacula, quò frequentet hominum concursus speratur: (propterea enim olim, in diem etiam festiui alicuius spectaculi, nocentissima capita seruabantur, vt maiori infamiâ traducerentur: vnde Suetonius in Tito, cap. 8. *In foro flagellis ac fustibus casos, ac nouissimè traductos per Amphitheatri arenam: partim subiici in seruos, aut vanire imperauit, partim in asperrimam insularum auchi*: Vt nimirum inter Amphitheatri spectacula, nouum publicatâ culpâ, spectaculum redderentur; sic miseros Israëlitas, cælestibus, terrenísque omnibus spectatoribus exponebat Deus, quasi frequentissimas nundinas affectaret.

[Isa]i 1. 2.

[Qu]æ etiam [...], quæ aliis [...]. pœna [...] est atro[...]

D. Zen. Ver.

[Su]eton.

756. At, inquis, iam sic traductos, iam ita denotatos, potuit Deus infaustissimos reos, nece durissimâ damnare: quid ergo visus pepercisse, dum superuiuunt? Certè non pepercit, sed potiùs longè acrius sic puniuit: & vt in Cain vidimus, diuturnior infamia, compendiosâ morte, funestior reputatur. Noluit ergo Deus, vt præsentes tantummodò homines, sed etiam subsecuturi, Israëlitarum infamiam agnoscerent. Maius est, quod addidit D. Zeno citatus, serm. 4. *Quia mors, apud incredulos futurorum, putatur pœna compendium, ac penè pro infecto habetur, quod non diffamatur, censuit eos cælo ac terrâ testibus denotare.* Quasi infecta, & nulla esset pœna, nisi infamiæ denotatio accederet. Sed tu mihi pende, quàm diu hæc denotatio durarit: quia sicut spectaculum, quo solennius, eò peti, & repeti solet frequentius: sic istius infamiæ theatrum, futuris nationibus apparabatur, quasi pro infecto haberetur, nisi spreto mortis compendio, in longiora sæcula diffamaretur. De infælici quodam, qui morti eripiebatur, vt omni priuatus solatio, diu degeret, dixit Philostratus lib. 1. de vita Apoll. *Ipse te sæpius rogabit, vt se interficias, si non nimium vita cupidus amator sit: aut sibi ipse mortem consciscet, & præsentem diem deplorans, quod non statim mori sibi contigerit.* At quidem si infamia accederet, si Eunuchus impudicus (de quo hîc est sermo) nosset erubescere: quantumuis foret vitæ cupidissimus, rogaret mortem; & diem quo hæc sibi negata, deploraret. Est enim ipsa morte, quæ pœnarum

Diuturnior infamia, morte compendiosa longè peior.

D. Zen. Ver.

Philostr. Mors, [...] optata.

maxima, solet existimari, publicatæ, longè maior, culpæ, infamia.

Cupidissima salutis sequebatur Iesum Hæmorrhoissa. *Et accedens retrò, tetigit vestimentum eius: dicebat enim, quia si vel vestimentum eius tetigero, salua ero.* Mat. 5. v. 27. Mira fides: sed tamen, quæ supplicantis precibus reddi poterat, impetrandæ saluti, efficacior: cur ergo non rogat; si vt benè Chrysol. serm. 33. quamuis nôsset & crederet posse tactu sanari, è contra nouerat, & poterat timere. *Quod tacentis, quod occultanti morbum sanitas non daretur:* Cui periculo tantò se exponit; quod fidei iunctis precibus facilè amoueret: Respondet idem Chrysologus ibidem. *Mulier stabat euinctis; quam natura pudore perfuderat: quam per hoc immundam Iudaica lex notarat, Leuit. 12. dicens: Immunda erit, & sanctum non continget: contingere metuens, ne Iudaicum furorem, ne legis posset subire sententiam. Dicere non est ausa, ne circunstantium confunderet, & oneraret auditum: ne fieret populorum fabula, quæ tot annis stadium, & scamma σκάμμα fuerat passionum.* Est scamma, cauea illa ludorum, vbi olim gladiatorum pugnæ, ferarum venationes edebantur: sicut *stadium* Cursoribus, & cæteris Agonistis, arenam exhibebat: Erat ergo miserrima fœmina sanguinis passa profluuium, quasi scamma quoddam, vbi per summum dolorem digladiantes humores decertabant; vbi ferarum instar, rabidæ passiones sæuiebant: stadium erat, vbi afflictiones innumeræ agonizabant; verumtamen, quia morbus iste, apud Hebræos, infamis erat: mallebat dissimulatum pati, quàm publicatum expellere: mallebat theatrum exhibere passionibus, ad miserrimam mortem deducentibus: quàm semetipsam, quasi in theatro, fabulam, tot spectantium subsannationibus exponere. Quia inter legales quodammodò pœnas, fœdo sanguinis profluuio indictas, eius manifestationem reputabat grauissimam: qua proinde morbi, & mortis atrocitatem habebat leuiorem. Quid-ni, si apud Iudæos erant, qui similes morbos, semper tacitæ alicuius culpæ pœnas esse (vt Interpretes notant Ioan. 9. vers. 2.) existimabant? Nouerit ergo Princeps, quàm sit seuera publica pœna, vtpotè quæ occultam culpam traducit, & theatrizat: vt quoties opus fuerit, hac vtatur.

757.

Mat. 5. 27.

D. Chrysol.

Infamia theatrum, quam horribile.

Ioan 9. 2.

Caueat autem, ne hanc furenti animo, sed medico quodam ingenio exerceat: ne tam in miserum reum iratus; quàm in Populum dilectum, salutaris videatur. Grauiter Senec. lib. 1. de ira cap. 5. postquam latè Principes Iudicésque, Medicis comparat: concludens vltima supplicia, sceleribus tantùm vltimis apponenda, ne vnquam quis pereat, nisi quem perire, etiam pereuntis intersit: sic inchoat caput sextum. *Hoc vno, medentibus erit dissimilis, quod illi, quibus vitam non potuerunt largiri, facilem exitum præstant: hic, damnatum cum dedecore, & traductione, vitâ exigit: non quia delectetur vllius pœnâ (procul est enim à sapiente tam inhumana feritas) sed vt documentum omnium sit: vt qui viui noluerunt prodesse, morte certè eorum, R. Publ. vtatur.* Nam reuera, dum ab ordinariis Medicis, hoc vno differt, medicum se toti Reipub. præbet excellentissimum, & sapientissimum. Quid? etiam ordinarij Medici, Reorum corpora, aut aliorum morientium, quæ sanare non possunt [...]

758.

Aliorum pœna, solum in aliorum salutem, publicanda.

Senec.

crudeles anatomicè dissecant: vt ex doctâ illâ carnificinâ, Discipulos instituant; & medendis aliis, oculatissima capiant experimenta. Quin & olim medici, viuos etiam Reos, sententia iam damnatos, solebant dissecare, vnde certius anatomica præcepta caperent expressiora: non tam infaustorum odio, quàm reliquorum saluti indulgentes.

Pœnam publicâ, Anatomici Medici instar Princeps arceat.

759. Ad Pharaonem, iam sæpiùs percussum, ait tandem Deus: *Iccirco posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & enarretur nomen meum in omni terra.* Exod.9.v.16. Vatab. vertit. *Equidem ob id te constitui.* & in schol. ita. *Vel; feci te manere: id est, nolui te illicò, ob tuam impietatem exterminare: vt ostenderem* &c. quasi nollet, celeris mortis compendio, reum dimittere: sed diutinis plagis, traducto scelere, spectantium ludibriis exponere. Sed hoccine, inquis, diuinæ pietatis stemma esse poterit? Non id, durissimam saltem iustitiam coarguit, ne dixerim iniustitiam? absit: Optimum se anatomistam exhibuit Medicum, clementissimus Dominus. Vnde pulchrè ibi Macarius Chrysocephalus Orat. de Cruce, apud Greths. ita. *Nullam punientis iniustitiam significat, sed correctionem eius, qui omnia operatur. More enim receptum fuit apud veteres Medicos, eos, qui mortis Rei erant, viuos dissecare, vt explorarent palpitantium membrorum vim, & actionem: curandorum eorum gratiâ, qui in eiusmodi morbos incidissent. Et qui legibus vindicandis, & ex illarum præscripto sententijs ferendis præsunt, etiam nunc sontes supplicio afficiunt, vt spectatores exemplo inde accepto, meliora sapere discant. Ergò & Pharao quoque, qui sine vllâ spe veniæ, maxima quoque scelera perpetrabat, publicè pœnas exsoluit, propriôque sui exitu, omnibus saluti fuit, patefactâ diuinâ Prouidentiâ, totique terrarum Orbi, eiúsque extremis finibus, iustissimo eius & immutabili iudicio nunciato.* Vt iam foret sic publicè traductus infaustus Pharao, funestum licet, salubre spectaculum intuentib. & dum per tot plagas, quasi anatomicè dissecatur, orbi salutis præcepta daret, instituendo.

Exod.9.v.16. Vatabl.

Quàm vtilis Reip. hæc anatomia.

Mac. Chrys.

760 Quis putaret ex leonis lanienâ, mellis esse dulcedinem erupturam? & tamen fiunt ruptæ Animalis maxillæ, suauissima aluearia: *& ecce examen apum in ore leonis erat, ac fauus mellis:* Iudic. 14. v. 9. quia fortissimus noster Sanson Deus, dum rugientis cuiusdam superbiæ pœnam publicat, dulcissimam trepidæ humilitati facit medicinam. Ricardus Victor. cap. 19. Genes. apud Godefr. *Casus malorum, cautio est bonorum. Hoc est quòd Sanson in ore leonis mortui, mel inuenit & comedit.* Vt vnde alteri infigitur spiculum, indidem alteri salus porrigatur. Nec enim aliò, publicatæ culpæ pœnam adducit Deus, nisi vt cæteris antidotus præbeatur. Vidistin aliquando in altissimis montibus, marinas conchas, iam terræ incolas, exules è mari? è pelago quidem eò commearunt, nec inde (quasi figentes terrenum domicilium) remeârunt; fortasse vt diluuium, quod olim humani generis culpas publicauit, Genes. 7. v. 18. his relictis in terrâ spoliis, medicinam incredulis adhiberet. Tertul lib. de Pal. cap. 2. *Mutauit & totus Orbis aliquando, aquis omnibus obsitus; adhuc maris concha, & buccina peregrinantur in montibus: cupientes Platoni probare, etiam ardua fluitâsse.* Ac si celebre totius Orbis inundati spectaculum, piissimè tot relictis buccinis reboaret, buccinaretur? vt venturæ genti, speculum, salutaris exempli, apponeretur.

Iud. 14. v. 9.

Ricard. Vict. Casus aliorum aliis cautio est.

Supplicij publici, memoriam conseruatam, curat Deus.

Gen. 7. v. 18.

Tertul.

Hoc facit illa terræ & cæli conuocatio apud Isai. cap. 1. v. 2. de quâ paulo ante diximus, vt in Iudæis, per tam seuerum dedecus & ignominiosam infamiam traductis, Christianus Orbis venturas disceret: & vnde illi percutiebantur, iste sanaretur. Confluunt terreni omnes, culpæ & pœnæ testes, quibus salutaris doctrina propinanda. Idem D. Zeno ibi citatus, serm. 6. *Quæ enim sonus lectionis indicat Fratres, Iudaicus quidem Populus impietatis arguitur; sed Christianus, ne talis euadat, pariter admonetur: denique vt iste plus timeat, ille terretur: ille vapulat, vt iste proficiat. Compendiosum felicitatis genus, alterius periculo discere, quod debeas deuitare.* Nunquam enim ex publicâ alterius pœnâ, & immissi supplicij theatro, aliorum à Deo salus non procuratur. Ideo ad Impium Tyrannum inclamat Deus: *In terram proieci te, ante faciem Regum dedi te, vt cernerent te.* Ezech. 28. v. 18. In Græco est: ἔδωκά σε παραδειγματισθῆναι: cuius emphasim vix vnquam assequetur latina phrasis, etiâ longi usculâ periphrasi: posses dicere: *Dedi te in exemplũ, vt esses norma & paradigma.* Est autem propriè *paradigma* παράδειγμα, exemplar illud Magistri, ad quod pueri, characteres suos solent conformare: tanquam si illa publica pœna, bene formandis moribus, corrigendis deformibus, traducto per infamiam reo, in salutare exemplar poneretur.

761. *Isai. 1. v. 2.*

D. Zeno. Compendium felicitatis, alterius periculo discere.

Aliorũ supplicio, aliis instituit Deus.

Ezech. 28. vers. 18. Lxx. Interp.

762. Id ergo solummodò intendat Iustus Princeps, vt hâc publicâ reorũ pœnâ, læsi ciues restituantur, Respublicáque à consimili perditissimorum iniuriâ præseruetur: omnésque salutari exemplo instituantur. Violârat Turillius Dux scelestissimus, lucum celebrem, & sacras Arbores Æsculapij: euenit postea, vt ibidem, debellato exercitu, caderet occisus: quod prudenter, licet vanæ superstitionis homo, expendens Valerius Max. lib. 1. cap. 1. sic subiungit. *Effecit Deus vt ibi potissimum à Militibus Cæsarianis occisus; eodem exitio, & euersis arboribus pœnas lueret: & adhuc superantibus, immunitatem consimilis iniuriæ pareret.* Credebatur nimirum Æsculapius, vt nôsti, Medicinæ Deus: vnde etiam Iudex, Medicum non deponens celebratur: sic alium punit, vt interim sanet alios; & Numinis reuerentiam indicat.

Id ergo vnicè publicâ pœnâ intendat Princeps.

Valer. Max.

VI.

Pœnæ, culpis respondeant: pro quarum varietate, variandæ.

763. EST autem in hoc vindicatiuæ Iustitiæ tenore, id maximè obseruandum: vt, quò ius suum cuique integrius reddatur, sic pœnæ culpis respondeant, ne vnquam, harum varietate, non varientur. Iniqua est in hoc negotio mensura, si vna, & sibi semper æqualis, euentibus inæqualibus, accommodetur. Diuinam beneficentiam erga Iustos aperturus Moyses, sic habet: *Aperiet Dominus thesaurum suum optimum, Cælum: vt tribuat pluuiam terræ suæ in tempore suo.* Deuter. 28. v. 12. quasi paternâ solicitudine, dilectis suis bona thesaurizet. Id singularius & obscurius, quod de pœnâ Peccatoribus irrogandâ, scribit eodem

Pœna, culpis correspondeant: & varia, varientur.

Deuter.

eodem libro, ex ore Dei. *De vinea Sodomorum, vinea eorum: & de suburbanis Gomorrhæ: vua eorum, vua fellis, & botri amarissimi, fel draconum, vinum eorum, & venenum Aspidum insanabile. Nonne hæc condita sunt apud me: & signata in thesauris?* Cap.34. vers.31. Quid enim ita? Dicat aliquis. Si Misericordia Dei, vt nemo nescit, super omnia opera eius: si diues Dominus, in omnes, qui inuocant illum: vnde diuina Iustitia, longè ditior, in hoc loco exhibetur? Cur cum Iustitia plures: Misericordia, vnicum tantum thesaurum dicatur aperire? Respondet Philo Iud. lib. 2. Allegor. *Vides thesauros esse malorum: & bonorum quidem vnicus. Quoniam enim Deus vnus, etiam thesaurus bonorum vnus: multi verò malorum, quia peccatores immenso numero.* Ac si dicat: Iusti charitate adunati, vno tanto & solo Deo, in cælis, contenti potiuntur, nulla bona æstimant, quibus vnus Deus, ipsissimus est thesaurus: at Peccatores semper discordes, atque diuersis culpis anhelantes, pro varietate scelerum innumera, pœnarum etiam diuersa mala subeunt, & genere & grauitate differentia: quæ proinde diuersis thesauris reponuntur. Iam ergo appositam, & correspondentem singulis culparum suam pœnam trutinemus.

34.31.

Phil. Iud. Iustorũ vnic.

764. Irruit paterni Regni impius affectator, in Thronum, Absalon: qui tandem deturbatus, extremas luiturus pœnas sistitur: sed qualis? *Cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam: adhæsit caput eius quercui: & illo suspenso inter cælum & terram, mulus cui insederat, pertransiuit.* 2.Reg.18. vers.9. Fit arbor, suspensi & cruciandi corporis, iustissima & rationalis statera: à comis pœnas incipit, quia per comas ille peccare inceperat: non solùm, quòd nemo nescit, quod cæsariei pulchritudinem venditans, superbus in puellarum comptum, multo pretio diuendebat: sed magis, quia longè arrogantior existimabat, solam tam bellam cæsariem, diademate dignam esse: & in illo crinium auro, aptius coronæ gemmas inserendas: sicque iam forent viris reuerentiæ, qui olim fuerant fœminis blandimento. Benè ergo laqueorum instar, frondibus innodantur infaustissimi crines, vt scelus debitâ pœnâ trutinetur. D.Chrysost. in Psalm.3. ad hunc locum. *Mulo equitans, ex pilorum comâ, à comâ tenebatur: & comâ, tenebat coma tyrannum: ibi eum contundens, vbi diadema paternum gestare contendebat.* Vt quodammodò iam prudens, frondosa arboris coma, scelus tyrannicæ comæ, cognosceret sic apposito supplicio puniendum.

2.Reg.18. Superba ambitio, pulcherrimè punita.

D. Chrysost.

765. Sed in miserum istud caput, è corde, (prauæ cuiusuis cogitationis receptaculo) iniquitas ascẽderat: ne ergo vel ex hac parte, statera Iustitiæ falli putaretur: accurrit statim Ioab, ferens tres lanceas, *& infixit eas in corde Absalon:* vers.14. de quo iterum citatus Chrysostomus: *In cor excordis tres sagittas infixit: illic eum feriens, vbi erat receptaculum iniquitatis.* Acutè verò sanctus Doctor, corde percutiendum Iuuenem, *excordem* appellauit, id est, amentem, & stupore quodam culpæ, tamdiu quodammodò exanimatum. Re enim verâ, *ideo in vanum accipere animas suas.* Psalm. 23. vers.4. dicuntur hi peccatores: quia illis anima tantummodò pro sale, (quod de Porcis aiunt) seruire solet, ne fœteant: neque tam officio suo fungitur, quàm sequendæ vanitati euacuatur. Quod cùm ita sit, iam non mirandum, quòd inter cælum, terrámque suspensus; hoc est, in vacuo isto aere: in vanissimo isto medio, perierit Absalon: meritò quippè, strictissimo Iustitiæ tenore, in vano vitam fundit, efflat animam, qui in vanum illam acceperat. Acumen est Drogonis Ostiens. lib. de sacr. Dom. Pass. vbi ita. *Achitophel, Absalon, Iesabel, & Iudas, accipientes in vano animas, in vano etiam efflauerunt eas.* Quid minutius, vt pœna vndique sceleri responderet, diuinæ Iustitiæ trutina ponderaret?

2.Reg.18. D. Chrysost. Superbia excors, in corde punitur.

Psl.23.

Anima Peccatoris ventosa, ventoso elemento efflatur.

Drogo Ostiẽs.

766. Ab hoc superbo capite, ad superborum caput veniamus, Dæmonem scilicet. Induit fallax serpentem, homines in Protoparente, è cælis detrusurus: nam quod superbus amisit, ne tribuatur aliis, superbior contendit. Sed pendit pœnas: expende autem quales: *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ.* Genes.3. v.14. Vt de habitu simulato pœnam sceleri reciperet congruentem: & qui sibi induit bestiam, vt seruiat superbiæ, bestiis ipsis, vt abiectus vilescat, postponatur. Aptè Lyranus ibi. *Præponit ei bruta animalia, non quantum ad conditionem naturæ, sed quia seruauerunt statutum suum, quod non fecit diabolus. Et hæc est magna pœna superbo, quòd inferiora, & vilia ei præponantur.* At poterat quidem miser, vel proprio, vel sociorum capite iam sapere. Affectauerat priùs Thronum eminentiorem: nostro hoc Isai. cap.14. (quod multi putant) & de altissima sede, altissimo rerum Domino assimilari: & tamen, dum effrænatus audet, audit fulmen sententiæ: *Verumtamen ad Infernum detraheris, in profundum laci.* Vers. 15. Quia, quò pœna culpæ responderet, non solùm in Tartarum, sed in imam eius profunditatem erat deturbandus: vt superbia altissimum affectans, reddita cunctis abiectior, ingemisceret. Ailredus ibi, apud Godefr. *Digna retributio, vt qui cælum voluit elatus conscendere, in Infernum trahatur irretitus: Nec ad quamlibet partem Inferni, sed quia cæli summa petebat, ad ima descendat Inferni.* Subeunt in re simili, pulchra illa verba D. Maximi, serm. in die Apostol. de pœna à Petro Simoni Mago inflictâ, qui iam per aëra volitabat: *Tunc igitur Petrus, velut vinctum illum de sublimi aëre deposuit, & quodam præcipitio in saxa illidens, eius crura confregit: vt qui paulo ante volare tentauerat, subitò ambulare non posset: & qui pennas assumpserat, plantas amitteret.* Sic trunca superbia, optimo & debito commensuratæ vindictæ genere inanescit.

Superbus, meritò abiectissimis postponitur.

Genes.3.

Lyran.

Isai.14.15.

Quò altiùs tendit, eò profundiùs deturbatur.

Ailred.

D.Maxim.

767. Iacebat Diues epulo in inferno: *Eleuans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius: & ipse clamans dixit. Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti sui in aquâ, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flammâ.* Luc.16. v.23. Neque sine mysterio, oculi illi, *sui* appellantur: vt qui semper illos, in terram declinatos, quasi malignantes in cælum, Psalm.16. vers.11. habere statuerat: nunc primùm eisdem eleuatis, & nihil impetrantibus torqueretur. D. Antonius de Pad. Dom.1. post Trinit. serm.2. ita. *Diues oculos frustrà leuauit: qui hic oculos statuerat declinare in terram.* Sic pœna culpæ adaptatur egregiè. Hinc est, vt cùm totus mediis flammis cingere-

Luc.16.23. Oculi malignantes condigne torti. Pl.16.11.

D.Anton.

tur, vehementiori incendio pungatur ad linguam: non solum, vt priscam epularum luat apparatum: sed insuper, vt eadem met roget non consecutu- tus; quâ, vt subueniretur rogantibus, non præcepit. ita D. Petrus Chrysologus serm. 122. de hac linguâ. *Hac precedit ad iudicium; hac antea degustat & patitur cruciatus; hac toto corpore prima sentit ardorem: quæ cùm prima hìc varios delitiarum cibos, & odorata degustarat pocula; mandare pietatem noluit, fieri misericordiam non præcepit.* Talis fuit illa, illius linguæ pœna: apud D. Cyprian. orat. 14. de laps. *Vnus ex his, qui sponte Capitolium, negaturus ascendit, postquam Christum negauit, obmutuit. Pœna inde cœpit, vnde cœpit & crimen: vt nec rogare iam posset, qui verba, ad precum misericordiam non haberet.* Sed redeo ad Diuitem.

Lingua immanis cruciatur acerbe. D. Chrysol.

D. Cyprian. *Impia obmutescit ad remedium.*

768. Illud in huius pœnâ singulariùs, quòd cùm in tormentis Tartareis, frigus pariter & incendium pateretur, vt algens strideret dentibus, & fleret ardens (quod Patres obseruant Matth. 22. v. 13.) solius hic ardoris, quasi cruciantis impensiùs, faciat mentionem: credo, quia magis inuitâ rerum naturâ, temporarij æstus vim, ingeniosè delicatus curauerat olim illudere. Fuerunt olim rallæ quædam vestes, quas vt mordent Auctores, *textilem ventum, nebulas consutas* meritò appellabant: has euitando æstui vsurpabant etiam viri molliores, vt in ipsâ veste nudi, insultarent caloribus. Hinc Plinius lib. 11. cap. 22. de Pamphilâ, quæ has vestes inuenit. *Non fraudanda gloria excogitatæ rationis, vt denudet fœminas vestis.* & statim cap 23. ita subdit: *Nec puduit has vestes, vsurpare etiam viros, leuitatem propter æstiuam. Intantum à lorica gerenda discessere mores, vt oneri sint etiam vestes.* Dedi alibi ex profanis & sacris multa: tu lege Clementem Alexandrinum lib. 3. Pædagog. cap 3. Meritò igitur calore nunc mordaciùs pungitur diues, bene nudus æstuat, qui improbus olim ne æstuaret, ingenioso harum vestium nuditate mollissimus se vestierat. Hoc est, quod addit Chrysologus iam citatus, *Quid est Diues? ab æstu byssus non defendit? purpura non resistit inferno? remanserunt ista, deseruerunt ista: & ipse nunc nudus sudas, æstuas: qui aliquando insultabas æstibus, artificiosa nuditate vestitus.*

Math. 22. 13.

Ingeniosa delitiarum exquisitio, punitur acerbius.

Plinius. *Vestium delitiæ.*

Clem. Alex.

D. Chrysol.

769. Adhuc tamen hìc exactiùs ponderandum, quale-nam refrigerij huius appetat instrumentum: Manum scilicet Lazari, neque enim hoc, in minimam pœnæ partem cedere existimo. Fatetur nimirum inuitus, se quidquid luxûs, quidquid fastidiorum erat, deposuisse: & ab squalidâ putrescentéque olim manu, quam vel etiam cernere exhorruerat, iam licèt talis perseueraret, (nedum mundatam aquam, non vtcunque allatam poculo, sed indidem exsugendam requirebat. Ideo Saluianus lib. 3. ad Eccles. Cathol. *Non horrebat tunc scilicet diues ille Lazari quondam pauperis manum, nec dedignabatur auxilium: inseri eius digitos ori suo, & mitigari intolerabiles faucium flammas, illius pridem fœtidæ ac squalentis manus munere postulabat.* Ecquæ pœna iustior fastidioso luxui, palato delicatissimo: quàm quòd id suspiret sugere, quod olim, nec aspicere sustinebat? id gustui inserat, quod, leui attactu, admittere formidabat? Hinc, inter pœnas maximas Iob annumerat: *Quæ prius nolebat tangere anima mea: nunc præ angustiâ cibi mei sunt,*

Pœna delitias & fastidia prisca abolet.

Saluian.

Necessitas, nihil fastidit.

Iob 6. 6.

cap. 6. v. item 6. Vnde ad illud, quod Deus ad Noë; post bestias recipi iussas: *Tales igitur tecum ex omnibus escis, quæ mandi possunt, & comportabis apud te: eruntque tam tibi, quàm illis in escam*, Genes. 6. v. 21. Sic scribit Lyranus, *Non tamen indifferenter & communiter, sed singula singulis, secundum conditionem naturæ suæ. Veruntamen tempore necessitatis, bene viuunt homines de cibis, quæ aliàs non attingerent.* Quid ergo in carcere inferno, non cuperet infaustus diues? Puto nec etiam spurcam carnificis dæmonis manum fastidiret. Lege Patres, & per singulas diuitis huius miserias discurrens, vbiuis pœnam culpæ omnino consonam incurres.

Gen. 6. 21.

Lyranus.

VII.

Adhuc in idem plura.

770. SIc necessarium puto Principi iustissimo, non tumultuariè, sed apposité pœnas distribuere: vt non contentus dictis, quædam alia, quibus abundè instituatur, non recusem. Pulchra enim Marciani Gnome l. 11. ff. de Pœn. *Ne quid aut lenius, aut durius constituatur, quàm causa deposcit: nec enim aut seueritatis, aut clementiæ gloria affectanda est: sed perpenso iudicio, prout quæque res expostulat, statuendum est.* Quam adductis è profano penu multis, dedit Ioan. Chok. lib. 2. c. 6. Ego iterum Sacrum refero. Occiditur Achab, & *linxerunt canes sanguinem eius*, 3. Reg. 22. v. 38. Nulla pœna, rapaci Principi, veniret commensuratior, nihil enim caninâ fame sæuiùs, nihil rabidiùs, ideo auaræ cupiditatis typus apertissimus: sic mortuus Achab caninæ fami obiicitur, qui viuus rabidæ auaritiæ indulserat: vt qui Naboth occiderat, rapturus vineam: occisus, fœdè à canibus raperetur. D. Ambrosius lib. de Nab. *Quia pauperis vineam concupierat, nequaquam tantis opibus expletus Imperij: infrà omnem inopiam, redditus est à Domine. Non qui vulnera eius lauaret, inuentus est; non qui corpus operiret: defecit circa eum hominum humanitas, canum successit asperitas. Dignos planè sui ministros funeris Auarus inuenit.* Sic respondet sceleri pœna: auarum, auari polinctores curant: cupidissimis vsque ad rabiem traditur ministris, qui rabidæ cupiditati ministrauerat. Facit huc horribile exemplum, quod D. Cyprian. dedit orat. 14. de quadam, quæ sacrato Idolis cibo, sacrilegè vsa fuerat: *Alia in balneis constituta (hoc enim crimini eius, & malis deerat: vt ad balneas statim pergeret, quæ lauacri vitalis gratiam perdidisset) illic ab immundo spiritu, immunda correpta, laniauit dentibus linguam, quæ vel pasta impiè, vel locuta. Postquam sceleratus cibus sumptus est, in perniciem sui, rabies oris armata est.* Certè aduentitiis canibus non indiguit; nam quæ Christo oblatrauerat, ipsa iam in se canis miserrimè deseuit.

Pœna apposité infligenda.

Marcian.

3. Reg. 22. *Auaritiæ canini mores, canibus laniantibus torquentur.*

D. Ambros.

D. Cyprian. *Lingua punita pœnas dedit culpa.*

771. Auditâ eximiâ Saræ pulchritudine, raptam sibi iubet afferri Pharao: & addit Textus: *Flagellauit autem Dominus Pharaonem plagis maximis, propter Sarai vxorem Abram*, Genes. 12. v. 17. Ecquæ maximæ istæ pœnæ? Si Hebræis credimus, conclusit Dominus vuluas, ne eius, Aulicorúmque, qui raptam Saram detulerant, vxores

Lasciui partes prole priuantur.

Gen. 12.

vxores parere possent. Ita ex illorum traditione, ibi Lyranus. *Fuit conclusio vulua vxorum Pharaonis, & seruorum: ita quod parere non possent.* Aptissimum culpæ supplicium: qui enim ex pulcherrima Sara quærit, *vt pulchrâ faciat se prole parentem*: & ideo, si minus marito, quem nesciebat, saltem fratri, quem putabat, inuito, fœminam eripit, (vnde obiter casta Sanctorum generatio impediebatur) merito generationis solitæ patitur dispendium: & ob alienam vxorem in suis propriis grauior flagellatur. Grauius adhuc peccauit Dauid, occiso viro, rapta Bethsabee. Ideo, ab ipso filio, adulter adulterium patitur fœdissimum. Lege minas 2.Reg.12. vers.11. & impletas ibidem cap.16. vers.22. Aliter quidem circa proprias vxores deliquit Lamech: sed licèt aliter, per easdem tamen, congruentissima pœna castigatur. Hinc illud. *Dixitque Lamech, vxoribus suis Adæ, & Sellæ: audite vocem meam vxores Lamech, auscultate sermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum. Septuplum vltio dabitur de Cain; de Lamech verò, septuagies septies.* Genes.4 v.23. Omnia ista Lamech queruli & timidi, figmenta fuisse, aliqui Interpretes suspicantur: formidabat nimirum occidi: & quia occisorem homicidæ Cain, septuplum puniendum noscebatur, fingebat se adolescentuli homicidam, & sub ea conditione in tormenta durare, vt qui ipsum occideret, non solùm septuplum, sed septuagies septies puniretur. Stemus nunc horum sententiæ. Non tamen difficultate caret, cur id solum vxoribus intimaret Lamech, cur illas solùm minis grauissimis, voluerit deterritas? Respondet Lyranus, ab vxoribus suis, malè tractatum Lamech, hæc suggessisse: sed vnde vir magnus deiectus in tantam miseriam, vt sibi à fæmellis timeat: & seruandus, tot cogatur figmenta machinari? Audi Lyranum. *Lamech, qui bigamiam introduxerat, in vxoribus suis punitus, quia per quæ quis peccat, per hæc & torquetur: & ideo iam senex factus, à suis vxoribus malè tractabatur, & volens eas reprimere, à malis quæ sibi faciebant, dixit eis. Occidi, &c.* Sic pœna culpæ respondet. Sic & hodie, vt id obiter notem, & vetulas & senes non de necessitate, sed de intemperantia bigamos videmus, iunioribus coniugibus, acerbissimam pœnam soluentes: vt vnde intemperantes censentur, inde etiam seri deploratores succenseantur. Redeo.

Lyran. — 2.Reg.12. *Aut ab ipsis filiis sæuius contorquentur.* — Gen.4.23. *Indulgens vxoribus incidem punitur.* — Lyranus.

772. Laborat impensissimus Iacob, alget, æstuat, pro Rachele sua: & tamen dum optato præmio frui se putat: soceri fraude, pro cupitâ Rachele, sororem Liam accipit deceptus: *Vespere Liam filiam suam introduxit ad eum.* Genes.29. v. 23. Sed cur permittit Deus, vt dolore isto, licèt non ita graui, Iacob iam dilectissimus affligatur? vt leuis culpæ contractæ circa fratrem, leuem saltem, sed satis proportionatam pœnam solueret. Non per scelus, sed tamen per aliquam fraudem, imposuerat Iacob Patri, dum se olim fratrem finxit Esau: Genes.27. vers. 18. Et imponit Iacob Lia, dum se sororem simulat Rachelem: Furatur ille, deluso Patre, fratris benedictionem: & deluso marito, furatur ista nuptias sororis. Benè ibi Oleaster. *Vides, ab initio fuisse etiam fraudes inter cognatos? & fortè hac fraude voluit Dominus punire illam, quam fecerat ipse, Esau.* Grauior longè, in fratrem innocentissimum, peccauit Cain: ideo longe grauius, & sub debitâ punitur proportione. Ideo vagus & profugus effugiens, *Habitauit profugus in terrâ, ad Orientalem plagam Eden.* In Hebræo est: *habitauit in terrâ* נוד Genes.4. v.16. id est, in terra instabilitatis, commotionis, & tremoris. Quam terram, ab ipso Cain instabili, commoto, & tremente semper, volunt aliqui appellatam. Iam verò cur hâc pœnâ puniretur infaustissimus Cain, vt semper commoueretur trepidantium membrorum tremore, vidit ibi Guillelmus Hamerus, sic scribens. *Vox hebraica, Nod, significat mobilis, tremens: fuit enim Cain hac plagâ diuinitus affectus, vt tremore concuteretur, & stabilis non esset: & sicut brachia, & omnia membra mouerat in fratre occidendo: sic rursus eadem quieta, & stabilia non essent, sed semper trementia: quo scilicet semper fraternæ cædis admoneretur. Si ergo locus ille, quem Cain, ad habitandum optauit, à deformi illo tremore, Nod appellatus est.* Ergo insultatio illa iræ, membra commouens, commotum semper ad pœnam corpus reliquit: & furor, præ iracundiâ, labiis, & membris tremens, pauore semper trementem, ostentauit.

Gen.29. *Fraudulentum alienis fraudibus, in pœnam punitur* — Gen.27. — Oleaster. — Vers.Hebr. Gen.4.16. — Guil. Ham. — *Ira commota, tremore punitur.*

Ægyptiorum plagas, & acerbissimas, infaustissimæ Prouinciæ, illatas pœnas, ad amussim iam Patres, illorum proportionatas culpis expenderunt: quorum non pauca, in aliis opusculis nostris, iam libaui. Laborant aliqui in explicandâ plagâ illâ *Ciniphum* Exod. 8. v. 17. & illa item *Muscarum* vers.21. Quid enim viliuscula animalia, importunis bombis, minutis punctionibus infestantia, inquiunt, denotarent? Et respondet ibi Dionysius. *Duæ plagæ quibus affligebantur Ægyptij, ab istis Ciniphum, & diuersarum Muscarum punctionibus, inquietudinibus, tædiosisque sonis; respondent impietatibus Ægyptiorum, quas exercebant in Hebræos, impellendo, pungendo, & cum cachinno subsannando eosdem.* Proh, in pœnarum rationibus exigendis, Numen exactissimum! cui nec etiam sibilantes irrisiones, subsannantes cachinni prætereuntur: quin sibilantium Ciniphum, muscarum bombizantium, fastidiosissimis sonis puniantur. Sic vbique res euenit. Vnde grauiter D. Gregor. Magnus homil. 9. in Ezech. expendens infælicem illius pœnam, qui sacras nuptias, absque nuptiali veste contenderat fœdare, de quo dicitur: *Ligatis manibus, & pedibus eius, mittite in tenebras exteriores*: Matth.22. vers. 13. Sic scribit. *Reprobi, in exteriores tenebras cadunt: quia nunc interioribus sua se sponte deiecerunt: vt veritatis lumen, nec credendo, nec benè operando sequerentur. Ligatis manibus, ac pedibus mitti præcipiuntur: quia nunc, dum tempus operandi, ac currendi est, habere manus ac pedes liberos, in bonâ actione noluerunt.* Sic interiores, exterioribus tenebris mulctantur: & ignaua paralysis, discruciante paralysi rependitur. Sic olim quidam, apud Gentiles Principes, quòd inania promittentes, séque gratiosissimos Principibus venditantes, reuera *fumos vendebant*, vt fert parœmia: admotis fœdissimi ignis fumis, leguntur cruciati. Videndus Lampridius in Heliog. & Alexandro Seu.

773. — Exod.8.17. & v.21. — Dionys. *Impulsores & irrisores apud per ciniphes, & muscas puniuntur.* — D.Gregor. Magn. — Mat.22.13. *Improbi & otiosi, tenebris & vinculis, confusione puniuntur.* — *Fumos vendens, fumo torquetur.* — Lamprid.

Sigillandum hoc monitum, loco quodam Oseæ non vulgati. Minas durissimas Israëli intentat Deus cap.4. etiam iam puniendum asse- 774. Oseas 4. 10.

Peccator in satiabilis ad culpas, etiam ad pœnas, videtur insatiabilis.

uerat: tunc sic addit: *& comedent, & non saturabuntur: fornicati sunt, & non cessauerunt.* v. 10. vt fornicatio in hoc loco, non ordinariam denotat turpitudinem; sed idololatricam apostasiam, & vitiorum omnium illuuiem: sic comestionem insaturabilem, non simplici, sed mystico quodam sensu, volunt aliqui explicandam: vnde cùm paulò ante, de visitatione, id est, de pœnis infligendis sermo esset; esuriem quandam pœnarum hîc volunt inculcari. Id ergo in hâc re mirum, sic non solùm puniri miseros, vt vel imprecantes, vel saltem blasphemi, pœnas quasi nimias, aut clament, aut incusent: quin potiùs quasi esurientes, & aliarum insuper auidi deglutiant: vt id quod patiuntur inuiti, cupere videantur. Ecquid hoc monstri? Scilicet non poterat, iustior & aptior culpæ pœna respondere. Audiendus hîc

Ruffin. Pius. Ruffinus Pius, sic locum paraphrazans. *Cùm cœperit se exercere vltionis censura: hæ mensura dolorum, quas ipsi in peccatis fecerant, implebuntur: vt experiantur in supplicijs, quod in desiderijs perpetrârunt. Fornicati sunt quippe vel obscænitates, vel profanitates sequendo: nec eos vsurpatæ puduit fœditatis, vt qui de primâ statione deciderant, saltem de secundis remedijs cogitarent, & quod non decuerat contigisse, saltem frequentare desinerent: sicque imitaretur abstinentiam, erroris admota cessatio: sed cùm fornicati essent, non cessauerunt. Ergo, quod exercuerunt in vitijs, experiantur in pœnis, vt comedant, & non saturentur: impleantur videlicet afflictionibus, sed ita eas haurire non cessent, vt esuriem quandam ferre videantur.* Abunde iam ex his Princeps meus, in aptandâ culpæ pœnâ instituetur.

Luxuria insatiabilis ad voluptates, ad pœnas insatiabilis faginatur.

VII.

Dum spes correctionis est, pœna sit tarda: tarditatem postea compensans grauitate.

775. SVnt quædam crimina, quæ non semper subitis & instantibus pœnis punienda; illa præcipuè, quæ aliorum perniciem non inuoluunt. Hæc quandoque, dum spes correctionis fuerit, dissimulanda; monitionibúsque & minis mollienda, priùs quàm extremum supplicium inferatur. Huc enim etiam facit illud Cassiodori, var. 12. epist. 16. *Benigni Principis est, non tam delicta velle punire, quam tollere: ne, aut acriter vindicando æstimetur nimius; aut leniter agendo, putetur improuidus.* Nam certè iam contra benignitatem, non tam tollere vult vitia, quàm punire: qui importunè vbique instat puniens. Multa in hanc Profani, maximè Seneca: parco nunc illis: ad nostra venio. Viderant serui fidelissimi, in Domini sui agro, inter optimum triticum zizania germinâsse: tunc sic ad illum: *Vis imus, & colligimus ea?* Matth. 13. v. 18. ad quos prudentior Dominus, *Ait, Non: ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis, & triticum.* v. 19. Neque mirum; licèt enim in his seruis Apostolici viri, & Ecclesiæ ministri intelligantur, qui piè Christi populum, punitis impiis satagunt repurgare: at homines sunt, & vt alibi ex Chrysologo ibi serm. 97. dixi, præpropero iudicio, longè minùs, quàm Christus vident, vnde nec semper rectè possunt prouidere. At, quid, inquis, ibi prouidentiâ opus erat, quid ibi visu obscurum, cùm tam apertè zizania cernerentur? Vnde igitur timor in tam claro negotio, ne cum zizaniis triticum, id est cum impiis iusti damnarentur?

Dum spes correctionis cernitur, pœna sit tarda.

Cassiodorus. *Princeps, in pœnas, nec nimius, nec improuidus.*

Math. 13. 18. vers. 19.

D. Chryso. Respondet idem Chrysol. *Sed dicis: hîc occultum nil erat. Nil erat ibi occultum, quando aliud videbatur in specie, aliud habebatur in flore? & quod hodie erat zizania, cras in triticum vertebatur. Sic hodie habetur hæreticus, qui crastinâ fit fidelis: & qui ad præsens, peccator cernitur, ad futurum iustus assistit. Hinc est etiam, quòd Author vtraque referebat ad messem; id est vsque ad iudicium diuinæ patientiæ suæ, & nostræ pœnitentiæ tempus: vt qui se de malo commutarit ad bonum, dominicum deputetur in triticum, cælestibus horreis aggregandus.* Æmulaturus ergo, in hâc re prouidus Princeps Christum: si aliud, à puniendi sperat flore, quàm quod cernitur in specie: si qui reus ad præsens apparet, in futurum innoxius præsumitur.

Desperatio correctionis non facile præsumenda.

Aut Angelus, aut Propheta, impendentes iam districtissimas pœnas nuntiat ignauissimo Heli: quas legeris ab illis verbis: *Venit autem vir Dei, ad Heli*: &c. 1. Reg. 2. v. 27. Et tamen vt nôsti, longo post tempore illæ exiguntur: & quod maius est, quasi nunquam prædictæ forent satis, sic illas denuò repetit per Samuelem c. 3. v. 11. misero seni indicendas. Si ergo post Samuelis prophetiam, etiam non paucos annos tardârunt pœnæ; quid opus fuerat, primo illo nuncio easdem indicâsse? Respondet Abulensis, post multa. *Dici poterit conuenientius, quòd vir Dei, cùm prædicit ista, quæ habentur hîc; dixit ea comminatoriè, ita quòd si filij Heli conuersi fuissent ab iniquitate suâ, non fuisset eis inflicta pœna, quæ habetur hîc: cùm autem permansêrint post hoc, longo tempore, in vitijs suis: tunc certissimè pronuntiauit Samuel, destructionem domus Heli.* Comminatio ergo, & commonitio fuerat illa prima: quibus zizania in triticum sperantur conuertenda: & quod nec in flore habebatur, habebat in voto Deus: ne iam inflicturus pœnam ita tardam, videatur maluisse punire crimina, quàm tollere. Sed de hoc, alibi. 776.

1. Reg. 2. 27. & 3. vers. 11.

Abulens. *Pœna prius comminanda, quàm infligenda.*

Cautè dixi, *quandoque* his criminibus pœnam tardaturam: neque enim id semper & vbique fixum volo: quando enim apud fragiles, & insciium vulgus, pia Principis tarditas, & prudens dissimulatio, rerum incuriæ, & criminum impunitati potest imputari, satius est, ab vno pœnas celeriùs postulare, quàm multos sub hâc fallaciâ, non certè absque scandalo relinquere. Grauissima sunt illa Ieremiæ ad Deum: *Iustus quidem tu es, Domine, si disputem tecum: verum tamen iusta loquar ad te. Quare via iniquorum prosperatur: bene est omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt?* cap. 12. v. 1. quia omnes, id est multos notabat impiorum, qui impunitate scelerum insultantes, in rosâ & deliciis degebant. Quis tamen non videat, videri ex diametro his opponi illa Iob: *Vidi eos qui operantur iniquitatem, & seminant dolores, & metunt eos, flante Deo perijsse: & spiritu iræ eius esse consumptos?* cap. 4. v. 9. quæ enim disertior antithesis dari poterat, quis nodus implicatior: quàm dum ibi florere prosperè, hîc consumi infæliciter dicantur? Soluit tamen facile D. Gregor. Mag. lib. 5. Moral. cap. 15. vbi post multa, in hæc loca, sic concludit. *Quia enim sicut* 777.

Id tamen cautè nec semper, ne detur scandalum.

Ier. 12. v. 1.

Iob. 4. v. 9.

D. Greg. Mag.

cut scriptum est, *Dominus patiens redditor est; sæpè diu tolerat, quos in perpetuum damnat: nonnunquam verò concitè percutit, quia pusillanimitati innocentium consolando concurrit. Aliquando ergo Omnipotens Deus, diu prauaiere iniquos patitur, vt iustorum mundius vita purgetur: aliquando verò iniustos celeriùs trucidat, eorúmque interitu innocentium corda confirmat. Si enim nunc, omnes malè agentes percuteret; extremum iudicium quibus exhiberet? Si autem nullum omnino percuteret; quis Deum res humanas curare crederet?* De illis ergo, quibus pœnam tardabat Numen, loquitur Ieremias: Iob è contra de his, quibus illam accelerabat. Vtrobique iustissimè: ibi correctionem sperans, hìc fragiles consolans: ibi, ne indulgens suppliciis, hìc ne indormiens rerum curæ, videatur.

778. *Tarditas hæc pœnarum, grauitate tandem contra incorrigibiles, compensetur.* Valer. Max. Hinc est, vt etiam eos, quos dissimulans diu passus; ad extremum iam incorrigibiles, longè seueriùs puniat, quàm si olim celeriùs fulminasset: quasi indulgentiæ spretas moras, nouo grauioris supplicij rependat incremento. Vidit id etiam ethnicus Scriptor Valerius Maxim. lib. 1. cap. 1. *Lento gradu, ad vindictam sui, diuina procedit ira, tarditatemque supplicij grauitate compensat.* Quod etiam iusto Principi venerit obseruandum: vnde erit, vt vulgus inscium, licèt seriùs, agnoscat; dissimulanti potiùs prudentiæ, quàm ignauæ incuriæ, præteritam tarditatem imputandam. Post multa de Pharaone, ad Moysem, addit Deus: *Ego scio, quòd non dimittet vos Rex Ægypti, vt eatis, nisi per manum validam,* Exod. 3 v. 19. Quidam ex Hebræo vertunt. *Ego noui quòd non dimittet vos rex Ægypti: & non in manu forti.* Quod ad litteram, sic explicat Oleaster: *Id est, non quia manus eius sit fortior, aut robustior meâ: Sed me sic permittente, ad malum eius.* Ecquod hoc malum? quia quòd diutiùs permittebatur viuere, nec extremo supplicio puniebatur: crebrioribus plagis interim afflictus, ad finem submersus vndis duriùs torqueretur. Idem Oleaster iam ad mores. *Nemo Deo resistere valet robustiore manu: sed quia ipse permittit malos, ad malum suum, sibi resistere. In quem sensum aliqui accipiunt, quod ipsi inferius dicit:* In hoc ipso stare feci te, *id est permisi te mihi resistere: vt in te ostenderem fortitudinem meam,* cap 9. v. 16. Sic ergo extremi supplicij tarditatem eiusdem grauitate compensauit: ac proinde cap. 14. v. 17. glorificatum se dicit in Pharaone: cùm omnibus innotesceret, quò prisca illa tarditas tetendisset.

Exod. 3. 19. Vers. Hebr.

Oleast.

& 14. 17. Exod. 9 16.

779. Nunc capies, quid sibi vellet Dauid, dum de superborum potentiâ, ad Deum ita. *Ab increpatione tuâ Deus Iacob, dormitauerunt, qui ascenderunt equos. Tu terribilis es, & quis resistet tibi? ex tunc ira tua.* Psalm. 75. v. 7. & 8. Est enim aliunde non facile intellectu, cuiusnam generis esset hæc increpatio, quæ equitibus, id est, Orbis Potentibus, non tam horrorem conciliat, quàm dormitationem. Sed illud insuper adhuc difficilius, quòd missâ, imò permissâ tam securâ dormitatione stertentium equitum, & Deum spernentium, tunc ipse terribilis, & cui resisti nequit, prædicetur: quasi *ex tunc ira* eius accenderetur: Declarat ergo, præsenti instituto, rem optimè Gellibertus; serm. 42. ad illud sponsæ Cant. 5. *Ego dormio & cor meum vigilat.* Vbi ita. *Ab increpatione tua, domine, dormiunt alij, ego*

Ps. 75. 7. & 8. *Dissimulatio diuina, cõtra peccatores, formidabilis, si obstinatur.*

Gellibert.

ab increpulatione. Dura hæc increpatio satis, quando dissimulando sic, hominem permittis desidiæ: sicut est magna increpatio, desertionis signum. Ab hac increpatione dormit, qui ex dissimulatione diuina somnolentiæ, securitati se tradens; dissimulantis patientiam non attendit, parturire impœnitentis repulsam. Patientia longanimitas, & interim non percutiens, in verecundis mentibus vim habet: & eadem Domini tolerantia, quæ mentes honestas facit solicitas, duras, ipsa, reddit seueras. Vt iam benè *ex tunc ira* Domini incipere dicatur, cùm permittit desidem hunc somnum, infaustissimè securum: cui tandem in seuerissimo iudicio repulsa parturitur: eò durior, quò tardior processit.

Pia verò, amabilis.

780. *Seuerissima illis impendet pœna, quiñec dissimulatione diuinâ nec alieni supplicij exemplo, corriguntur.* Iam verò cum aliis, ex aliorum supplicio, exemplum parat Princeps, si id euenerit, vt illi contumacius ruant in peius, vnde meliores fieri sperabantur: tunc in hos, durior adhuc prædicta compensatio exercenda, seuerissimæque ex ipsis pœnæ postulandæ. Vt enim, non solùm se diu sentiendo toleratos, sed insuper alieni capitis punitione commonitos aduertendo; si proteruiam nihilominus obdurent, & ruant in peius, supremam impudentiæ metam videntur attigisse: Sic in eos deplorata penitus correctione, cùm lentam patientiam, tùm prodigam exempli iacturam, supremo debet supplicio Princeps vindicare. Prædicit Deus Israëlis euersionem, cum decem Tribubus irreuocabilem captiuitatem Assyriam minatur. Est hoc illud: *Ephraim in desolatione erit, in die correptionis.* Oseæ 5. v. 9. Et subdit statim. *Facti sunt Principes Iuda, quasi assumentes terminum.* Vers. 10. de quo grauiter ibi Ruffinus Pius. *Id est, tempore captiuitatis Assyriæ, quæ Tribus decem de finibus suis pepulit, Iudæ Principes, quos fraternâ calamitate, in fletum oportuerat commoueri, ac decorem morum sedulò cogitare: ne & ipsi videlicet in similes ærumnas laberentur: non solùm nihil formidinis, compunctionisque senserunt, sed parricidalem etiam animum publicârunt: addita videlicet sibi spatia terrarum, expulso fratre gaudentes.* Pende ergo, quod statim subdit Deus, contra hos Iudæ Principes. *Super eos effundam quasi aquam, iram meam.* Eodem vers. 10. Non quæuis, sed inundans ira nuntiatur, & quæ extremo supplicio summergat. Sed tanti ne sceleris erat, expulso fratre ab Assyriis, relicta spatia dilatato termino occupare? certè in præsentiarum, tanti. Cùm enim Israëlis pœnam, tanquam beneficium, apud Iudam poneret Deus, vt in alieno capite disceret: non potuit impudentior erumpere, quàm cum priscis sceleribus insistens, non exemplo, sed rapinis inhiarent. Concludit ergo solito pondere Ruffinus. *Quod sanè tanti reatus est, vt cogeret indignationem vlciscentis augeri: sequitur enim: super eum effundam sicut aquam, iram meam. Deterior, inquit, per exultationis istius, crimen apparuit: & ideo mergetur inundatione pœnarum: quia cùm inter cætera beneficia, hoc quoque clementia nostra ei præstiterit, vt timori eius emendationique, Ephraim impenderetur exitium: ille est eo abusus, ad incrementa petulantiæ: Germanique sibi credidit, non exempla prouisa, sed prælia contributa.* Sed de his satis.

Oseæ 5 9. v. 10.

Ruffin. pius.

In aliorum pœnâ, non exemplo, sed rapinis studere, extrema proteruia est.

IX.

Pœnæ tunc inferuntur iustissimæ, cum illas reus non solùm pati, sed etiam exequi, & procurare videtur.

781. *Pœna tunc iustissima, cum illam, sibi reus, vi detur procurare, & vltro adire.*

HVcusque mollem & ignauum Principem, in pœnas ab incorrigibilibus sumendas, animauimus, ideóque visi seueriùs processisse: & ex industriâ, tot diuini Principis exempla cumulaui, ne illum tàm crudelitati quàm vindicatiuæ Iustitiæ consequendæ, arguar stimulâsse. Nunc iam frequentioris longè classis, seueros Principes, ad clementiam debitam componamus: certè enim multò sunt plures, qui in hoc Iustitiæ genere, frænis potiùs indigeant, quàm calcaribus. Id ergo in primis attendat æquus Princeps, (ni è iusto, in crudelem transire satagit) vt circunspectissimis omnibus Iuris rationibus procedat in pœnas: sic discusso negotio, sic pro rerum circunstantiis, causâ manifestâ: vt tunc supplicium imperet, cùm ipse reus, quasi propriâ conscientia, & aperto iudicio conuictus, illudmet non solùm pati, sed etiam quodammodò exequi videatur. Iustissima, nec vllo modo crudelis venit pœna illa, quæ ipsi reo sic debita cognoscitur, vt ipsius non solùm debitor, sed etiam minister, & quasi exactoris munere functus, existimetur. Tale est illud Christi: *& curauit multos, qui vexabantur varijs languoribus: & dæmonia multa eiiciebat.*
Mat. 1. v. 34. Mat. 1. v. 34. Quod tamen miraculorum stemma enarrans Lucas, sic habet: *At ille singulis manus imponens curabat eos: exibant autem dæmonia*
Luc. 4. v. 41. *à multis.* Cap. 4. v. 41. vbi, *exeuntia* simul dicuntur, & *eiecta*, expulsa pariter, & egredientia: quasi sic iusto spoliati domicilij supplicio essent puniita, sic pœnam sibi debitam agnoscerent: vt & à Domino inflicta, & ab ipsis ministrata videatur. Vnde capies illud, de Protoplasti exilio: *Emisit eum Dominus Deus, de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de quâ sumptus est: eiecitque*
Genes. 3. 23. *Adam* Genes. 3. v. 23. vbi Philo Iud lib. de Cherub. *Nunc dicit expulsum, quem modo emissum dixerat: non temerè ponens hæc vocabula.* Quid
Philo Iud. Philo coniecerit, alibi dicam: in præsens, non temerè posita vocabula, inde explico: quia cùm *emissio*, simplex iubentis imperium; *eiectio* autem dutum cogentis impulsum adsignificet: sic iustum illud exilium declaratur, quasi se meritissimò punitum, apertissimè conuictus fateatur Adam; vnde quasi propriæ pœnæ executor, *exiens* emittatur, cum *eiectus* extruditur: contracti potiùs reatûs conscientiâ, quàm Dominicâ manu fulminatus.

782. Descensurus Deus in Sinai, ne quis eò mortalium ascenderet, iubet terminos monti circunscribi: additque: *Omnis qui tetigerit montem, morte morietur. Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis. Siue iumen-*
Exod. 19. 12. *tum fuerit, siue homo, non viuet.* Exod. 19. v. 12. & 13. Signanter voluit Iudex expressam causam, cur hos reos, lapidibus aut iaculis præcipiat obruendos: scilicet, ne eos manus tangere videatur: quòd vel percussis gladio, vel suffixis patibulo, eueniret. Sed cur ita? vt pœna culpæ correspondens, iustissima procedere pateat: dum non tàm aliena manu, quàm propriâ conscientiâ torti; lapidescentes præcepto non audiendo, acuminati nequitiæ excogitandæ; lapidum pondus, iaculorum acumen, non tàm deforis pati, quàm ab intus, in semetipsos exequi præsumantur. Audiendus Petrus Abbas Cellensis lib. de Panib. cap. 5. *Petrus Cell. Impius se metipsū sibi parat in carnificem.*
Moritur qui montem tetigerit, ad exemplum illius, qui in monte Testamentis in lateribus Aquilonis preuolare vsurpauit. Manus non tangit eum, sed lapidibus opprimitur, vel iaculis confoditur: quia potiùs pondere iniquitatis suæ, vel acumine excogitatæ nequitiæ; quàm percussione diuinæ vltionis ruit: Manu Dei, magis ad parcendum, si fieri posset, promptâ, quàm ad puniendum. Sic & pœnæ iustitia, & Principis clementia in tuto collocantur. Et bene, ad punitum Luciferum alludit Cellensis, ad quem proinde Isaias: *Quomodo cecidisti de Cælo Lucifer, qui manè oriebaris? &c. qui dicebas in corde tuo: in cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in* Isai. 14. v. 11.
monte Testamenti, in lateribus Aquilonis. cap. 14. v. 12 Neque enim tam dicitur violenter præcipitatus, quam quasi sponte cadens: vt ipse suæ quodammodò pœnæ executor videatur: de quo alibi fusiùs. Non abit hinc Ieremias de Babylone locutus. *Calix aureus Babylon in manu Domini.* Ierem 51.
cap 51. v. 7. de quo dedi suprà Ambrosium lib. de D. Ambros.
Elia, cap. 15 dicentem: *Quamuis auro se iactet, & pretio, in Domini ipsa est potestate, denique diuina indignatione conteritur.* Re enim verâ, ideò in diuinâ manu ponitur, quam erat propriâ potestate Deus contriturus. Sed mirum, quod statim addit Propheta. *Cecidit Babylon, & contrita est.* *Reus, quas vindictam maturam, vltro videtur adire para.*
v. 8. Non tam diuino impulsu proiecta, & in præceps data dicitur: quàm vltrò cadens, & sponte ruens: quasi iam sic vindictæ sibi debitæ natura, vt dum detruditur, cadere potiùs præsumatur: ceu mite iam pomum, quod vix attactum sic euellis, vt non tam à te trahi sit visum, quàm labi à semetipso.

Seminârat perpurgatum satis semen, vt suprà dicebam, prudentissimus ille Agricola Euangelicus, in agro suo: venit inimicus homo, & zizania superseminat: subirantur serui, cupiunt statim eradicare: quibus tamen prudentior ait Dominus: *Sinite vtraque crescere vsque ad messem: & in tempore messis, dicam messoribus: colligite primùm zizania, & colligate in fasciculos, ad comburendum.* 783.
Matth. 13. v. 30. Non erat ordinaria, sed vberrima zizaniorum copia, quæ inimicus ex industriâ tritico suffocando, superiecerat; quæque non vtcunque, sed in fasciculos colliganda ad ignem, Dominus destinabat Quæres igitur, cur tempore messis, *Primum zizania* dicantur demerenda, quasi id faciliùs foret: cùm æquè facile, & aliunde minoris videatur impendij, priùs triticum colligere: deinde admotis subitaris flammis illa comburere, demetendi laboris facto compendio? putarem ita dictum, quia mala herba, longe tritico altior exereuerat, & sic messorum falcibus, (quasi matura vindictæ) vltrò immittenda præsumebatur. vt pene absque cura truncaretur: cùm punientium manibus, auidâ puniendorum paratura decertante. Sic ergo crescentia zizania, & altiùs euecta, vltrò se suis incendiis maturabant. Math. 13. 30. *Impius quo felicior crescit, eo paratiori distur vindictæ.*
Fauet D. Paulinus Epist. 6. de his locutus. *A frugibus bonis, messis tempore segreganda, non horreis debita, sed caminis pabulo ignis æterni arsura materies, iam interim crescit incendijs.* Quasi propriæ pœnæ, ipsis incrementis veniret administra. D. Paulinus

Pœnæ

784. Pœnas grauissimas, & ferreum iugum impositum Israeli. sic declarauit Deus per Oseam, *Ephraim vitula, docta diligere trituram: & ego transiui super pulchritudinem colli eius: ascendam super Ephraim.* Cap. 10. v. 11. Neque tamen obscurius rem dici posse videbatur. Vnde enim laboriosam trituram, attritum collum, diligeret misera vitula: & in fœdatâ pulcritudine sibi complaceret? vbi dolor supplicij: vbi, afflictionis, angustiæ lamentabiles? Respondet Ruffinus Pius ibi, *Irridendo eam & vitulam appellat, & pulchram, & earum pressurarum, quas malis studijs meruit, diligentem. Non vtique, quod ærumnas suas amare posset afflicta: sed quòd ita eis, per sententiam necteretur, sicut solent pectora amore inflammata sibi coniungi. Ceruix igitur subdi digna tormentis, astus & auras latum ire promittitur: vtque ei cum derisu comminator insultet; eorum malorum, quibus est dignissima, & cupidam eam pronunciat, & peritam.* Nulla ergo æquius pœna imponi posse visa; nulla iustior sententia, quàm quæ sic digna, sic debita putatur ipsi reo, vt illam non solùm pati, sed quodammodò diligere videatur. Nulli culpæ condignius insultatur, quàm illi, quæ dum in sua proteruiâ persistit, aliunde sic inexcusabilem se agnoscit, pœnæque obnoxiam, vt quasi indissolubili amoris vinculo coniunctis ceruici & iugo, applaudere teneatur.

Oseas 10. v. 11.

Impius obstinans, iam ipsam pœnam se capere profitetur.

Ruffin. Pius.

785. Iam decem Israëlis Tribus subiugatas disperserat Assyrius: nec his damnis contentus, surgit in Iudam, parat obsidionem: sed suo malo, tam & Israelis euersi pœnas tunc daturus. Licèt enim iustissimè per Assyrium exercitum suos puniret Deus, at instrumento ipsi, Tyrannidis admissæ, scelus non condonat: sicut pater, qui verberato filio, flammis deinde iniicit flagellum. Est hoc illud Ioel, cap. 3. *In tempore illo, cùm conuertero captiuitatem Iudæ, & Ierusalem, congregabo omnes gentes, & deducam eas in valle Iosaphat: & disceptabo cum eis, ibi super populo meo, & hæreditate mea Israel, quos diuiserunt in nationibus, & terram meam diuiserunt.* v. 1. & 2. Illud tantùm in hoc loco caligat adhuc: cur puniendi Assyrij, à Deo congregati, & quodammodò in locum supplicij dicantur adducti; qui vltrò ad bellum & obsidionem ascenderunt? imò, cur supplicium mutuis cædibus, & intestino bello exercendum, Iudicij disceptatio appelletur: quasi non ad bellum venisse, sed se sponte exhibuisse Tribunali, videantur Assyrij? sed vtique, æquissima erat hæc vindicta, pœna iustissima æquam proinde sic suo tempore circunspectissimis rationibus Deus fulminabat: vt ipsos supplicii sui faceret administros: nec se tam mutuò bellorum conuocasse insultibus, quàm Tribunalis exhibuisse pœnis, noscitentur. Idem Ruffinus hic, post multa. *Denuntio ergo, quòd tunc potissimum propugnator occurrat: & captiuitatem Populi sui, Iudæ scilicet, quæ iam videbatur inhiare depellat: ac post desperationem salutis eius; victoris gloriam, quæ toto celebretur Orbe, contribuat. Cum enim obsidionem Ierosolymitarum, Assyria multitudo conuenerit: ita eos, inquit, faciemus subiacere vindictæ, vt non tam ad bellum concitati, quàm ad Tribunal videantur exhibiti.* Hæc est ergo grauissima pariter & iustissima sententia vindictæ: dum eius, vnusquisque sibi reorum, & causa & executor deputatur.

Ioel. 3. v. 1.

Obstinati in semetipsos, pœnam visi exequi.

Ruffinus pius

786. Eiectus iam Cain, immanissimus fratricida, à Dei facie: mortem queritur, quam, sibi timebat, subito incurrendam, quærit miseræ vitæ spatia longiora: huc tendit funestissima illa querela: *Ero vagus & profugus in terra; omnis igitur qui inuenerit me occidet me*, Genes. 4. v. 14. Nihil aliud cogitabat Deus, quàm denegato mortis compendio, miserum diuturnioribus suppliciis reseruare: quid ergo miser Cain rogabat anxiè: nisi, destinato iam supplicio multari? quid ita? quia conuictus propriâ conscientiâ, ipse sceleris sui agebat exactorem, pœnarum procurabat causam, quo nihil vnquam grauius pati poterat. D. Ambros. lib. de Cain cap. 10. *Ergo isti Cain longæuitas indulta, vindicta est: eo quod viuit in metu: & prolixum spatium multo curris, & infructuoso labore. Quâ pœnâ nihil grauius, quàm vt quisque sibi maiorum pœnarum causa sit.* At quidem vt hac pœnâ nihil grauius, sic etiam nihil iustius dari potest. Quis enim præcipitem aut crudelem vnquam Principem præsumat, in pœnas, quas vltrò viderit reo, quasi sibi dignissimas exoptari?

Gen. 4. v. 14.

Pœnâ à Deo destinatam contra se diligentius procurant.

D. Ambros.

X.

Puniendus reus, quo ad poterit suis ipsiusmet verbis conuincendus.

PRobabit etiam Princeps apertissimè, nihil se crudele, sed iustum machinari, si curet, quantum res patitur, solicitus, vt reos, ex ipsorummet ore condemnauerit. Quis enim illum immaniter punitum conqueratur, cuius propriis verbis reatus deprehenditur? Non quòd semper puniendorum confessio, probatis satis aliunde causis, sit speranda: sed quod vbique, & maximè contra negantes, irrefragabile, obturandis vulgi linguis, sit argumentum: cùm ex incautis ipsorum verbis, prudenter à Iudice subnotatis, illa ipsa, quæ negant, arguuntur. Hinc est, quòd Deus, vt iustissimus in pœnis comprobetur, obnoxios, suis illorum verbis, vt plurimum putarit conuincendos: vnde & confusiores rei, & Iudex ipse æquior appareret. Visâ fructuum suorum vbertate, exclamat infaustissimus diues ille, *Quid faciam, quia non habeo, quo congregem fructus meos?* Luc. 12. v. 17. de quo D. Ambros. Lib. de Nab. cap. 6. *In vbertate fructuum, vocem egentis emittit: quid faciam? inquit. Nonne hæc pauperis vox est, non habentis subsidia viuendi? egens omnium, huc, ac illuc respicit, scrutatur hospitium, nihil inuenit ad vsum alimenti, considerat nihil miserius, quam fame confici, & cibi indigentiâ mori: quærit mortis compendia, & tolerabiliora abeundi supplicia rimatur: arripit gladium, suspendit laqueum, ignem adolet, explorat venenum; & inter hæc, quid eligat, dubius: dicit, quid faciam?* Vbi deinceps multa, de huius diuitis auaritiâ. Sed tu mihi pende, quod sæpe suprà dixi, huius vitij extremam lineam esse, in ipsis opibus indigere, & in ipsâ abundantiâ contorqueri. Quid ergo aliud faciebat miser iste, quàm se accusare, & dum de fructuum vbertate egentis voces edit, auarissimum & extremo supplicio dignum se protestari? ideo statim additur: *Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte*

Luc 12. 17.

D. Ambros.

Auarus se ipsum prodit.

nolle, an m. m tuam repetunt à te. Verſ. 20. Et bene ſtultitiæ denotatur, qui dum vitium diſſimulabat, aliunde ſic verba connectit, quibus ſe, imprudens arguat; & inuitus profiteatur crimen: vnde iuſtum ſententiæ fulmen aſſeratur.

Verſ. 20.

788. Grandem, in conſimili Tragœdia, perſonam gerit Iudas. Carpit ille ſordidiſſimus auaritiæ apex, profuſum Magdalenæ affectum, & pium in effundendo vnguento monumentum taxator operis inuidus, iniquus pretium taxat: & trecentos denarios Marc. 14. verſ. 5. perditos deplorat. Sed ecce tibi Chriſtum iam venditurus, Phariſæos & Sacerdotes adit, dicens: *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* Matth. 26. verſ. 15. id eſt, ni ego fallor: quidquid dederitis, accipiam: non diſceptabo de pretio, abiecti homines; qui quovis, licèt viliſſimo vænierit, iuſto væneat, neceſſe eſt. Sed heus tu, hominum perditiſſime, cur ita? tanti ſit ab aliquibus venalis iſta merces, vt trecentis denariis, te taxante, eidem obſequioſa vnctio apparetur? Quid ergò tam vili vendis, vt triginta argenteis denariis, eandem tradere, pluſquàm ſatis putes? Nimirum, ſic immanis iuxta, & inſanus Chriſti proditor, ſe prodidit: in taxando vnguenti pretio, de auaritiâ exceſſerat fortaſsè: & certè, de malignitate, taxandum Chriſti pretium decurtauit: alterum, ſi fortè, ſeiunctum, occultaret: nunc verò dum vtrumque connectit, conuincitur reatûs: & proprio ore dignus exequendo ſuſpendio traducitur: aut enim ibi largum, aut hic curtum conuincas neceſſe eſt. D. Paulin. Epiſt 4 *Habere non poteſt Redemptorem, quem maluit habere venalem: & iure à commercio vitæ, mortis contractor excluditur, ſuo ipſius damnandus iudicio: qui triginta aureis vendidit eum, quem mulier, vt ipſe taxauerat, vnxit trecentis.* Vnde ergo pœna poſſet in hunc aſpera reputari?

Suiſque met-ipſius verbis conuincitur.

Marc. 14. 5.

Matt. 26. 15.

D. Paulin.

789. Aſcenderat Moyſes, diuinam legem Populo allaturus: furit interim iſte, & veri Dei moras moroſe ferens, Aaronem tumultuoſus conuenit, Numen poſtulat: at quomodo? *Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant: Moyſi huic viro, qui nos eduxit de Terra Ægypti, ignoramus, quid acciderit ei.* Exod. 32. verſ. 1. Vides, quot ſtultitiæ ſuffragiis ſe condemnent? Si Dij forent, quomodò faciendi, qui à ſemetipſis ſortiri potiùs deberent diuinitatem? aut ſi tandem faciendi, cur non magis horum factor Aaron, Deus colatur, cùm Author ipſe operibus longè præſtet? Deinde ſi non vero Deo, ſed viro Moyſi, eductionem attribuunt de Ægypto: cur ſimili viro vicario non ſint contenti, ſed facienda Numina, requirunt neceſſariò? Scilicet non poterant, qui extremum ſcelus patrabant, extremo inde ſupplicio puniendi, ſuis metipſorum verbis, non accuſari. Benè D. Chryſoſt. tom. 5. hom. 5. de Pœnit. ita. *Si Dij, quare dicis, fac? quomodò enim Dij, qui fiunt? Sic malitia obcæcans, ſibi ipſi repugnat, & ſemetipſam extinguit.* Implicantur itaque verbis ſuis? ne vnquam vindicis pœnis explicentur: rogant & ſuſpirant, quod fatentur impoſſibile, vt impoſſibilem abſurdiſſimæ petitionis veniam ſic efficiant.

Exod. 32. 1. *Impius ſuis ſe verbis implicat, & coarguit.*

D. Chryſoſt.

790. Educitur ergo tandem vitulus conflatilis: & exclamat iam hymno plus quàm ſacrilego, Populus ſceleratiſſimus: *Hi ſunt Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de Terra Ægypti.* Ibidem, verſ. 4. dixerant paulò ante, vt vidiſti à Moyſe viro illo fuiſſe eductos: en modo, eductionem ſuam vitulo tribuunt, vt & in altera propoſitione ſe mentitos prodant: & deinde, aut Moyſi mortali viro, diuinam darent poteſtatem: aut deos ſuos, inferiores, vicarióque hominis faterentur. Sed benè, quod vno tantummodò viſo vitulo, plures ibi eſſe Deos acclamârunt, dicentes: *Hi ſunt Dij tui:* Vt inuiti, penetralia cordis denudarent: & qui farraginem Idolorum in animo colebant: etiam vno tantùm culto exteriùs, quaſi de pluralitate exhibitâ, (quod eſt fœdius) propriis ſuis verbis, iuſtiſſimè aſperiùs puniendi noſcerentur. Hoc certè ſonant verba citati Chryſoſtomi, ſic addentis. *Vnus factus eſt vitulus: & clamat ingratus Populus; Hi ſunt Dij tui, &c. Hi Dij, vnum reſpiciens vitulum, & vnum factum vitulum. Quare igitur; hi Dij? vt oſtendat, quòd non modò eum, quem videt, adorat, ſed & deorum pluralitatem annuntiat: ſententiam interpretatur, non quod videtur, indicat.* Et quid opus erat, occultam ſceleris circumſtantiam exhibere, celatam mentis ſententiam publicare: niſi vt dum durior in ipſos imprudenter ſe propalantes, ſententia fulminetur: & in illorum ſtragem Moyſes, verſ. 26. irruat ſeuerior: iuſtiſſima vindicta recognoſcatur?

Exod. 32. 4. *Seque mendaces, proteſtatur.*

Et impia deſideria manifeſtat.

D. Chryſoſt.

Tales etiam aliquando Philiſtæi, qui dolentes ſeueriſſimum pœnarum genus, quo de Arcæ captiuitate affligebantur, dixerunt: *Non maneat Arca Dei Iſraël apud nos: quoniam dura eſt manus eius ſuper nos, & ſuper Dagon, Deum noſtrum.* 1. Reg. 5. v. 7. Cur enim, ſi duram & potentiorem confitemini manum illam, ad huc in Idololatriâ duratis? cur ſi victorem Deum illum cognoſcitis, victum adhuc Dagonis Numen recognoſcitis? Maiori adhuc emphaſi vertit Chaldæus Paraphraſtes: *Super Dagon errorem noſtrum:* Cur enim, quem ſcitis errorem; malè perditum, qui vos perdidit, non dimittitis? certè, quis duriſſima ſupplicia, ni fallor, de ore veſtro, iuſtiſſima voluit miſericors Dominus comprobata: vt nunquam, niſi ſontes, iniquam pœnam dare, deploretis: dum ipſimet, proteruam tanti ſceleris pertinaciam proteſtamini. Hàc arte, ſceleris ſui conuictum Labam traduxit Deus. Inſtabat miſer Idololatra, tergo fugientis Iacob, conſequitur Iuſtum; & poſt pauca, ſubiungit: *Eſto, ad tuos ire cupiebas, & deſiderio erat tibi, domus patris tui: cur furatus es Deos meos?* Geneſ. 31. verſ. 30. Mirum dictu! perſequebatur Iacobum, quem Diis ſuis potentiorem; vtpotè eoſdemmet captiuantem, ſuſpicabatur: expertus fuerat diuini Numinis potentiam, verſ. 24. quâ, ne vel leui verbo, in Generum deſæuiret, monitus reprimitur: & tamen adhuc Deos ſuos, ſedulus quærit, ſuſpirat querulus. Quid hoc inſaniæ? nimirum de cultu vero Numini debito, & interim denegato, furti erat, propriis verbis, arguendus, dum Deos furto expoſitos, nec ſe cuſtodire potentes, fatetur ſtultus. Ideo Lyranus ibi: Cur furatus es, &c. *In hoc oſtenditur confeſtim, quod non erant Dij, cum furto poſſent amoueri.* Qui enim furto ſubiacet, furtiuam tantùm, id eſt, vmbratilem diuinitatem poterit comparare. An ergo iniquam, Inferni pœnam iſte deplorauerit? 791.

1. Reg. 5. 7. *Cæcum ſe, & deliramtem fatetur.*

Chald. Parapht.

Gen. 31. 30.

Qui Deum de erit, furti ſe coarguit.

Lyran.

Et quidem furtiuæ Diuinitatis argumento, ni fallor, ſtulta, Phariſaicæ malitiæ proteruia, legitimam Chriſti diuinitatem voluit infamatam: 792.

trepidans

trepidans enim, ad nuntia resurrectionis, obturatis pecuniâ oribus custodum, ait: *Dicite quia Discipuli eius noctu venerunt, & furati sunt eum vobis dormientibus.* Matth. 28. v.13. (Matth. 28. 13.) Quasi hoc semel credito ab hominibus, quod Christus furto attolli posset, necessariò diuinitatis opinio attolleretur. Sed tamen stultissimi, in se, & in custodes, hastam retorserunt: & è summâ malitiâ seminatâ, messuerunt confusionis diræ segetem: velandam hinc putabant Christi gloriam, & ignominiam suam reuelarunt: vt non adductis aliunde, sed propriomet ore iudicentur. Rem omnibus ferè Patribus notatam, nescio quo gustu sapidius condit Drogo Ostiens. lib. de sacram. Dominicæ Pas. *O mendaces: vera dixistis, sed mentita est iniquitas sibi: dormientes enim, Christum custodire non possunt: sed qui manè, inquit, vigilauerint ad me, inuenient me. Vobis quippe dormientibus, quid nisi somnia apparent? Ecce habetis copiosam in manibus pecuniam, illam si potestis, custodite, ne fures effodiant, vel furentur: Nam Discipuli Christi, suum thesaurum diligenter custodient: vnusquisque quod amat, seruare studet.* Fatetur ergo inuita Synagoga, se in diuinis somnolentam, vt iustam pœnam, erepti sibi Christi incusare non possit: fatetur vigilantem Ecclesiam, furem deuotissimam, quæ ad cordis sui thalamum dulcissimum, resurgentem Dominum transtulit è sepulchro. Bene Eusebius Gallican. Homil. 2. de symb. ad hunc locum. *Dum mentiuntur; verum nescientes proloquebantur: quando enim mens somno infidelitatis obruitur, furto Diaboli, Christus aufertur.* Exponitur itaque Christus, piis suorum furtis, vt ametur, vt custodiatur: & exponitur quodammodò impiæ Dæmonis rapinæ, vt somniculosis custodibus, & iniustè possessoribus, iustissimè ereptus cognoscatur. Hoc ergo est, quod inuiti & imprudentes garriunt Iudæi, ne vnquam pœnam, cui derelicti subiacent, valeant tanquam iniquam blasphemare. Iam verò literale argumentum, longè fortiùs, scilicet: quomodò si dormierant, poterant vidisse? quomodò si videbant, dormiisse dicuntur: vt nemini, apud Patres, ignotum præteriui.

Drogo Ostiens. Animæ, per ignauiam dormienti, Christus furto eripitur.

Euseb. Gal.

793. Nihil apud Iudæos celebrius, quàm Dauidicus ille versiculus: *Non intres in Iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Psalm. 142. vers. 2. (Ps. 142. 2.) hoc, diuinam benignitatem solebant implorare, fatentes obiter blasphemum iam fore, qui se de innocentiâ, apud Deum, venditaret. Sed ecce tibi, accusaturi Christum Pharisæi, dicunt ad Discipulos: *Quare cum Publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?* Matth. 9. vers. 11. (Matth. 9. 11.) de societate initâ cum peccatoribus, peccatum Christi satagunt cumulare: proh cæci, qui non viderunt, inde apertissimè se peccatores & blasphemos declarare, vnde se tacitè sanctos venditabant: & vnde cæteros, præ se sordidos reputabant, indidem sordidissimos haberi. D. Chrysol. ad hunc locum serm. 30. *Ecquis est peccator, nisi qui se peccatorem negat? magis ipse peccator est, & vt veriùs dicam, ipse iam peccatum est, qui se iam non intelligit peccatorem. Ecquis iniustus, nisi qui se iudicat iustum? Legistis Pharisæe, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.* Vnde ergo isti Talionis pœnam, à Deo sibi inflictam, poterunt duram effutire, qui dum falsissimè Christi peccatum tentant accusare, hoc vtuntur tenore, quo ex ore proprio, impij traducebantur.

Qui se peccatorem negat superbus, ipsissimum peccatum est.

D. Petr. Chrysol.

Tales erant illi alij, qui eundem Dominum, 794.
de violato Sabbato accusaturientes, *obseruabant eum, si Sabbatis curaret, vt accusarent illum.* Marc. 3. vers. 2. (Marc. 3. 2.) An non isti miseri, qui cùm tot alia, licèt sine fundamento, cum velo tamen malitiæ possent excogitare, vt de violato Sabbato, eiusdem sanctificatorem improbè arguerent, illud somniarunt, vnde erant euidenter, de testimonio falso redarguendi? hinc ad illos Christus: *Licet Sabbatis benefacere, an mala? animam saluam facere, an perdere? at illi tacebant.* Vers. 4. Confusi nimirum, & conuicti: quia vtrumvis eligerent, vtrinque tenebantur. Si dicerent, licere benefacere, iam piissimas curationes admittere cogebantur: id si negarent, ignaros se legis, cuius zelatores cupierant videri, declarabant: quomodò enim Sabbato hominibus medicina negaretur, in quo illis plena requies indulgebatur? Chrysol. serm. 32. *Si Sabbatis curaret, obseruant: tali legis interprete, non discolaborat nimis, sed funditus expirat ægrotus. Sabbatum, non ipsè curam denegauit infirmis, sed tota pietate aliquotiens, quietem præstituit fessis nimio labore mortalibus.* Iure igitur addit Marcus de Christo: *Et circumspiciens eum irâ, contristatus super cæcitate cordis eorum, dicit, &c.* Vers. 5. Ira, vindictam Domini, Iudicis pœnam importat: tristitia, Patris exhibet pietatem, vt benè idem Chrysologus adnotauit, scribens: *Irascitur vt Dominus, contristatur vt parens: dolet vt homo, intuetur vt Deus.* Meritò vtrumque coniungitur, vt tunc reluceat benignus parentis dolor, cùm pœna Iudicis seuera distringitur: eò ille maior, quò ista iustior in eos, qui inexcusabiliter propriâ accusatione implicabantur.

Vers. 4. Calumniator, suis se verbis, illaqueat.

D. Chrysol.

Vers. 5.

Idem Chrys. *Deus dum punit vt Iudex, dolet vt Pater.*

Neruosus in re simili Valentinianos Hæreti- 795.
cos, suismet verbis suffocat Tertullianus, lib. (Tertul.) aduersùs illos, cap. 2. Impugnabant isti dictum illud Christi: *Ecce ego mitto vos, sicut oues in medio luporum: estote ergo prudentes, sicut serpentes; & simplices, sicut columbæ:* Matth. 10. vers. 16. (Matt. 10. 16.) Irridebántque interim Catholicos, quasi necessariò sapientem Prudentiam essent relicturi, si simul mansuetam simplicitatem amplexarentur. In hos ergo acutissimus Afer, ita. *Simplices notamur apud illos, vt hoc tantum; non etiam sapientes: quasi statim deficere cogatur à simplicitate, Sapientia, Domino vtramque iungente, estote prudentes, vt serpentes, simplices, vt columbæ. Aut si nos propterea insipientes, quia simplices: num ergo & illi propterea non simplices, quia sapientes? Nocentissimi autem, qui non simplices; sicut stultissimi, qui non sapientes: & tamen malim in eam partem, meliori sumi vitio: si fortè præstat minus sapere, quam peius errare, quàm fallere.* Sapientiæ itaque Christianæ ex verbis Dominicis desumptæ, euertendæ, nihil ineptius: & sibimetipsis damnandis, nihil afferre poterant pungentius: reiectâ enim piissima hâc mixturâ, esto vitium foret absque sapientiâ, simplicitas: tamen absque simplicitate sapientia, vitium longè fœdius, culpa deformior: vnde ad minus, Catholicis pestilentiores se testabantur. Et quid iam queri possent, si cum serpente damnarentur, qui serpentinâ solum calliditate retentâ, columbinam simplicitatem faten-

Astutia, absque simplicitate, quàm damnabilis.

tur ablegâsse? Concludit ergo, bene Tertul. *Porro simices Dei expectat in simplicitate quærentes; vt docet ipsa Sophia, non quidem Valentini sed Salomonis. Deinde Infantes, testimonium Christi, sanguine litauerunt: pueros vocem, qui Crucem clamant? repuerascere nos, & Apostolus iubet, secundum Deum, vt malitiâ infantes per simplicitatem, sapientes sensibus simus; diuinæ sapientiæ ordinem, de simplicitate amando. In summa, Christum columba demonstrare solita est, serpens vero tentare: illa & à primordio diuinæ pacis præco, ille à primordio diuinæ imaginis prædo. Ita facilius simplicitas sola, Deum & cognoscere poterit, & ostendere: sapientia sola, concutere potius, & prodere.* Suis itaquemet verbis testabantur Valentiniani, cum Infantibus innocẽtibus, cum Martyrum floribus, & pullis columbinis, catholicos simplices fore computandos: se verò adnumerandos sapientibus scribis, viris Iudæis, qui clamarunt *Crucifige, Crucifige*: & inexcusabiliter cum istis damnandos, qui ore suo, Christi sanguinem, super se, & super filios proprios postulârunt.

796. Sic etiam ex ipsorummet ore confundit Deus, carnalem quorundam hominum sapientiam, qui inertiæ & ignauiæ suæ propugnandæ, Christi Domini verbis abutuntur illis: *Spiritus promptus*
Math. 26. 41. *est, caro autem infirma.* Matth. 26. v. 41. Hoc velo, robustissimas certè, de frequenti abusu, libidines suas, fragilitatem carnis, vocare solent. Frustrà tamen, vt scuto protegi curant, quo gladio transuerberantur: & ipsâmet sententiâ se iugulant. Si enim infirma tunc caro, quando promptus spiritus & robustus: cur ignaua & mollis caro, expedito & promptiori spiritui non cedat? Si spiritus infirmus diceretur, & caro prompta, tunc nihil mirum si fragilis voluntas, à fortiori libidine vastaretur: nunc quando è contra res euenit, & tota diuina auxilia, debilitandæ carni, corroborando spiritui allaborant: quid hæc verba adducis, nisi vt indidem ore propriò damnatus, infligendam pœnam, fatearis iustissimam?

Inexcusatione culpa, frustra carnis fragilitas aduocatur.

Tertullian. Pulchrè, si vnquam, idem Tertullianus, lib. ad Martyres, cap. 4. *Scimus ex Dominico præcepto, quòd caro infirma sit, spiritus promptus. Non ergo nobis blandiamur, quia Dominus consensit carnem infirmam esse: propterea enim prædixit, spiritum promptum esse: vt ostendat, quid, cui debeat esse subiectum. Scilicet vt caro seruiat spiritui, infirmior fortiori: vt ab eo, ipsa etiam fortitudinem assumat.* An bene ergo tibi hinc blandiaris, vnde sic pungeris?

797. Accessit ad Christum, quidam anxiè rogans: *Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.*
Luc. 12. v. 13. Luc. 12. v. 13. ad quem mitissimus aliàs Dominus, & importuniores aliorum preces, non spernere assuetus: respondet subiratus: *Homo, quis me constituit Iudicem, aut diuisorem super*
Vers. 14. *vos?* v. 14. Non fuit, pro circunstantiis, leuis pœna ista, vt inde repulsam ferret, vnde modestum iurgiorum finem sperabat: sed quidem iustissima: quippe modestiæ simulatione detectâ, rogator, suismet verbis impius traducebatur: stultus se fatetur fratrem; vt ipsam, quam ambibat diuisionem inculcaret. D. Chrysol. serm. 162. *Hic non est Magister quæstus, sed amoris; cum dicit:* Dic fratri meo: *præmisit quòd charitatem moueat, quod interpellet naturam, quod pulset affectum; Non potest dicere fratri, diuide: qui per Prophetã docuit: Ecce quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in vnum.* Litem itaque impugnandæ fraternæ charitati intendebat, sed tamen ore proprio, peruersa cogitatio expugnatur: decertabat pro hæreditate totus solicitus, qui nolebat sibi Christum hæredem in pa[...]us instituere: ideo tandem confusus, sua ipsa sententiâ conticescit. Grauiter in re simili Saluianus, lib. 4. ad Eccles. Cathol. contra eos, qui iactant, se non tam contemptu in Deum; quam affectione amoris, in suos: hos potiùs, quàm illum, hæredes instituere, sic scribit. *Quidquid pro te dixeris, contra te est: & ad contemptum, atque contumeliam Dei pertinet, amor & honorificentia cæterorum: cum enim aliis ideo relinquas, quia eos honoras, Deum cui non relinquis, vtique non honoras: cum aliis ideo relinquas multa, quoniam amas, Deo ideo non relinquis profectò, quia non amas.* Adhæreat igitur tot diuini Numinis exemplis, Princeps meus: & pro subiectâ materiâ, quo ad potuerit, puniendos reos, suis ipsorum verbis curet redargutos: quò nec ipsi, nec vulgus, contra iniuctas pœnas, hiscere præsumant.

Fratrũ charitas, necessaria.

D. Chrysol.

Saluianus.

Qui Deum sibi hæredem recusat, Dei inhonorat.

II.

Iniquus ad puniendum Princeps, suis se verbis traducit.

Aliud tamen est hîc obiter aduertendum, quòd iusto Principi impensiùs, quàm quod nuper dicebam, obseruandum. Iustissimus habetur Princeps, qui Reos suomet ipsorum ore conuictos punit: at iniquissimus, si non solum punit iniustè, sed etiam sic stultè, vt suis ipsiusmet verbis, iniquitatem suam, quam summè cupit celatam, protestetur. Quantò ergo turpiùs est, iniquissimi infamiam pati, quàm iustissimi gloriam non acquirere: tantò est, subsequens hoc monitum, quàm præcedens, Principi æquo, altiùs recolendum: maximè, quia arcano Numinis iudicio fieri consueuit; vt iniquus Princeps ad pœnas, dum magis dissimulare contendit, tyrannidem suam ipsissimus traducat. Acutè Tertullianus Apolog. cap. 3. de Christianis, religionis titulo solùm vituperatis, ita. *Quid, quod ita plerique clausis oculis in odium eius impingunt, vt bonum alicui testimonium ferentes, admisceant nominis exprobrationem? Bonus vir Caius Seius; tantum quod Christianus. Item alius: Ego Lucium sapientem virum, repentè factum Christianum defero. Nemo retractat, ne ideo bonus Caius, aut prudens Lucius, quia Christianus: aut ideo Christianus, quia prudens & bonus, laudant, quæ sciunt: vituperant, quæ ignorant: & id quod sciunt, eò quòd ignorant, corrumpunt: cùm sit iustius, occulta de manifestis præiudicare; quam manifesta, de occultis damnare.* Itaque nullus Principum, aut Iudicum expendebat, siue retractabat accusationes illas, contra Christianos: sed quasi iustissimas haberet, sub nudo, Christiani nominis, prætextu, in pœnas procedebat, quasi accusantium verba & rationem, iam suam faceret, diceretque: bonus ille, prudens iste, aliundéque commendandi: plectendi tamen, tantùm quòd christiani sint. Sed quam euidenter hinc miser, iniquus iam redarguitur? Nesciebat, quæ foret religio Christiana, & apertè interim nouerat bonitatem & prudentiam

798.

Iniquus interdum, suis verbis conuincitur aliquando.

Tertul.

Iniquum, de occultis, manifesta damnare.

dentiam 'accusati: illatio legitima erat duplex: vel cum religione, reo, aliunde malo & imprudenti, virtutes has accessisse: vel, iam olim *bonum* & prudentem, huic religioni vt pote sanctissimæ aduolâsse: hoc enim naturæ ipsius lumen dictat, vt ex apertis occulta inferamus: & in virtutis manifestæ gratiam, occultum, cum defertur, vitium non credamus. Non ergo apertiùs vnquam, iudicij iniquitas deprehenditur, quàm dum manifestam sanctitatem, de occulto & incerto vitio condemnat. Debui tyronibus hanc explicatiunculam. Pergo.

799. Iniqui sanè, & incauti, Iudices illi Israel, qui noui generis accusatores, Susannam apud se iudicandam Populo detulerunt. Mirum est quot verborum impendio crimen exaggerent: Iuuenem fugientem comminiscuntur, Pomarij locum designant, Daniel. 13. à v. 36. vt exequendam tyrannidem dissimulent, pœnâ proinde iustissimâ simulatâ. Sed quàm suo damno? certè qui simpliciter mentientes, minùs quidem haberent, vnde redarguerentur: ex ipso verborum artificio, in caput suum mentientes v. 55. conuincuntur. D. Zeno Veron. serm. de Pudicit. post multa, ita: *Interea instant illi, ex amatoribus accusatores effecti, crimenque suum, in simplicitatem circumuentæ transfusum, artificiosè dum exaggerant: exinde iam priores, seipsi condemnant*. Et bene *Priores* dixit: ipso enim mendacio inuiti & imprudentes, in caput suum, prius quàm Populus sententiam fulminârunt. Hinc illud examinantis alterum Danielis: *Nunc ergo si vidisti eam, dic sub quâ arbore videris eos colloquentes sibi: qui ait: Sub schino, dixit autem Daniel: rectè mentitus es in caput tuum: ecce enim Angelus Dei, acceptâ sententiâ ab eo, scindet te medium*, v. 54. licèt *schinus* apud Græcos simpliciter significet *lentiscum*: tamen à Græcâ saltem etymologiâ, scilicet à verbo *σχίζω*, id est, *scindo*, aliquid subindicat scissionis, quasi ipsa arboris appellatione, in se fulminaret sententiam, iniquissimus Susannæ quam parabat.

Daniel 13. Quo artificiosius est mendacium, eo magis e ipsius solet deprehendi.

D. Zen. Ver.

800. Simili & graui lusu vocabuli, delusum Herodem miserum carpit Chrysologus: emissurus enim iam Magos perfidus Princeps, ait: *Ite, & interrogate diligenter de Puero, & cùm inueneritis, renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum*. Matth. 2. v. 8. quid enim (præter vulgarem significationem) significat *renuntio*, nisi remitto nuntium, repello, & quod vulgarius solemus dicere, abrenuntio? Bene ergo inuento Christo, apertè sibi præcipit renuntiandum: quò se apertiùs Dæmonis fatetur typum, & Belialis instar, nihil habere cum Christo protestatur. Chrysolog. igitur serm. 158. *Conuenienter dixit*, renuntiate mihi: *quia semper diabolo renuntiat, qui peruenire festinat ad Christum: Christianus futurus à sacerdote cum audit*: renuntias diabolo? *Respondet*, renuntio. *Propriè ergo Herodes à Magis, sibi renuntiari debere dicit, qui se diaboli sciebat tenere locum, satanæ nouerat implere personam*. Fausta, se Christi, nuntia cupere, affectabat, in quem postea sæuissimus debaccharetur: sed eisdem verbis, quibus Tyrannidem operat dissimulatam, semetipsum inuitus manifestat. Neque minus se prodit sequenti clausulâ: *Vt & ego veniens, adorem eum*. de quo idem S. Doctor, *Vult mentiri, sed non potest: veniet, vt ad tormenta curratur: ad supplicia iaciatur: sternatur ad pœnam, qui adorare finxerat, vt sæuiret*. Sic sibi condemnationis vibrat gladium, cogendus inuite facere quod stultè fateri cogebatur: adoraturus in pœna seriò, quem in culpâ fictè adorandum simulabat.

Matth. 2. 8.

Princeps Tyrannum typus Dæmonis se ipsum arguit.

D. Chrysol.

[...]em. [...] mendax se[...]; [...]sum v[...] conuincit.

801. Hæsit seniori, cùm more turpi, tum iudicii tenore, Iunior Herodes: auditis enim Christi miraculis exclamat: *Quem ego decollaui Ioannem, hic à mortuis resurrexit*. Marc. 6. v. 16. multo quidem illi infaustius, si Deicida fuisset, quàm si tantummodò homicida, Ioannem decollâsset: & tamen fateri cogitur imprudens, se in Baptistâ, modo quo valuit, Deum occidisse. quid ita? Quia cùm verissimum sit, in Martyribus ob fidem & virtutem trucidatis, non tam ipsos merè, quàm Christum simul pati, contra quem si possent occidendum, barbara tyrannis præcipuè rebellat: necesse fuit, vt suis semetipsum verbis, impius condemnaret: nec se tam solius hominis in Ioanne, quàm Christi Dei proderet occisorem. Pulchrè idem Chrysol. serm. 173. *Maleuolo quidem & veraci sensu testis ipse criminis sui, assertor sceleris sui, sui facinoris accusator existit: bene dicit, nam sicut in Christo sui resurgunt, ita in suis patitur ipse Christus*. Nihil miserius, quàm sic imprudenter se prodere, fateri facinus, scelus aggrauare: vt priùs ab iniusto ore proprio, quàm à vindice Numine, vindicta deriuetur.

Marc. 6. 16.

In sanctis, apud impios patitur Christus.

D. Chrysol.

Sed vt nulla vnquam causa iniquius discussa, nulla vnquam sententia iniustiùs potuit fulminari quàm in damnato Christo Domino: sic nullibi suimetipso testimonio apertiùs fuit iniquissima Principis Tyrannis coarguenda: vnde fere singulis iniustissimum se prodidit Pilatus. Instabant Iudæi perfidi, immanem innocentissimi Agni necem postulantes, ad quos Præses: *Accipite eum vos, & secundùm legem vestram iudicate eum*. Ioan. 18. v. 31. Sed si iustè accusant reum, cur non punis? si iniustè cur sic infensis animis tradis puniendum? simulabat se, miser, ab hoc sanguine, innocentem: sed nullâ vnquam aquâ satis manus mundabit, quas his verbis, permittens saltem iniustitiam, plus quàm satis cruentat. Simon de Cassia lib. 13. cap. 87. ad hunc locum, *Non liberat Christum Pilatus, sed manibus tradere nititur æmulorum: nec sic tradendo liber fuisset à crimine, sed cognitum innocentem potuisset tradere libertati, &c. Non satis, liberum fieri à crimine, si non lædat: si non cum potest, innocentiam tueatur*. Pergit tamen ad huc Pilatus, & vt saltem iniustæ necis fugiat reatum, confugit ad flagella, sub hoc titulo: *Emendatum ergo illum dimittam*. Luc. 23. v. 16. quasi verò, si Deo placet, in innocentis flagellatione nullum crimen. At neque simulata sic clementia, iniustitiæ laruam potuit obducere; ipsa se imprudenter reuelauit. Neruosus idem Simon de Cassia cap. 85. *Si est innocens, quomodo emendabis? Si emendabis, quomodo innocentem toties proclamasti? Si emendabis innocentem, deuias à iustitiâ: si innocentem arctaueris à veritate protinus aberrâsti, cùm nullam in eo causam te inuenisse, sæpius prædixeris*.

Ioan. 18. v. 31.

Cassia. Iudex, non solum iniquus si innocentem lædat sed etiam si non defendat.

Luc. 23. v. 16.

Cassia. sibi suismet verbis & factis contradicit.

Hæc inter tacet Iesus, quia tanquam Agnus, non aperiens os suum, parabatur ad victimam: 802.
ad quem tunc frontosus Præses. *Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te; & potestatem habeo dimittere te?* Ioan. 19. v. 10. Non poterat clariùs iniquum totius causæ, volumen explicare; ecquid ita ô Pilate? in causâ

Ioan. 19. v. 10

grauissima non recurris ad officium Iudicis, ad iuris prudentiam, ad legum obseruantiam, ad fori consuetudinem, quibus omnibus stat æquitas Iudicij, & iusta litis contestatio: sed ad meram recurris potestatem, quæ tota stat libito, mouetur arrogantiâ, stimulatur superbiâ, furore adigitur: Hæccine Iudicis verba condigna? planè: sed illius Iudicis, qui dum iniustæ damnationis profert sententiam, suis se verbis coarguat & condemnet, necesse est. D. Ambros. serm. 20. in Psalm. 118 ad hunc locum. *Tuâ, Pilate, voce constringeris, tuâ damnaris sententiâ: pro potestate igitur, non pro æquitate, crucifigendum Dominum tradidisti: per potestatem absoluisti latronem, authorem vero vitæ interfecisti.* Caueat ergo, Princeps, sic iniquè punire: vnde suismet verbis, se iniustum cogatur profiteri.

Iudex, qui potestatem iactat, iniquitatem prodit

D. Ambros.

XII.

Non de Potestatis arrogantiâ, sed de Juris æquitate, pœnas cribret Princeps.

804. VOcauit nos, grauissimo dogmate proximè inculcato, Ambrosius, in hoc summi ponderis monitum: eò fusius prosequendum, quò clarius hinc traducitur Baltasar, (infælicissimus scili. et scopus noster) quem libito, non iure in pœnas deplorauimus irruentem. Dabo igitur pluscula, vnde traducto illo, in antithesim salubrem, Princeps meus contra Tyrannidem muniatur. Negabant olim Ethnica Tribunalia, fas esse Christianis lucem intueri: quæ contra, sic disertè Tertul. Apolog. cap 4. *Iam primum cum dure diffinitis, dicendo; non licet esse vos; & hoc, sine vllo retractatu humaniore præscribitis: vim profitemini, & iniquam ex arce Dominationem: si ideo negatis licere, quia vultis: non quia debuit non licere.* Pende illud *ex Arce*: est enim grauis allusio ad Tyrannos, qui vt iura impunè violent, conculcent leges, atque in purâ putâque libidine res disponant, in Arcem munitissimam se recipiunt: quod de Pisistrato, Domitiano, & aliis, nemo nescit: quibus tota lex, non de licito, sed de libito consistebat. Sic quisquis iniquos Princeps, ab arce dominationis suæ, subditos, negato Iudicio, funditus euertit, dedecus suum putans; si Iuris legibus astrictus præsumatur. Sed quàm fallitur egregiè! hunc errorem auertere cupiebat Salomon, aduertens: *Gloria Dei; celare verbum: & gloria Regum inuestigare sermonem.* Prouerb. 25. v. 2. Quasi sicut Deus inde gloriosissimus, quòd non egeat arcanum suum exponere, Iuris prudentium consiliis, legum placitis dirigendum: sic Reges, inde gloriosiores, quòd Prudentum responsa, legum obseruantiam inuestigent: ne tam de potestate, quam de iure, subditis coërcendis impendantur. In Sixtianis vertitur: *Gloria autem Regum, honorat res.* Quasi sit idem sermones sapientum inuestigare, ne præcipitent: quam sibi, rebúsque suis cumulatæ honorem gloriæ augere.

Tyrannus ab arce dominationis, non è iuris tribunali causas iudicat.

Tertul.

Prou. 25. 2.

Princeps iuri stet, non libito.

Sixtian.

805. Magnum erit in hoc negotio, si ipsummet Principum Principem Deum, Iuridici tenoris videamus obseruatorem: quis enim, nisi insanissimus mortalium, iuri non cedat, cuius regulis stare quodammodò, immortalem Monarcham intuetur? Dixerat Christus Dominus, venturam aliquando horam, in quâ omnes, qui forent in sepulchris, audirent filij Dei vocem: vt boni ad vitæ resurrectionem: & mali, ad resurrectionem iudicialis pœnæ præsentarentur: Ioan. 5. v. 29. & subdit statim: *Non possum à me ipso facere quidquam, sicut audio, iudico: & iudicium meum verum est.* Vers. 30. Dogma est obscuriusculum. Nam, quid est, quod à se non possit facere ille, per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil? quomodò negat se, (quin audiat) posse lites dirimere, quasi indigus fidei; cùm tamen æterna sit veritas: & is de quo Apostolus: *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare seipsum non potest*: 2 Timoth. 2. vers. 13. ac denique, totius veri regula infallibilis? Respondet D. Ambros. serm. 20. in Psalm. 118. *Bonus Iudex, nihil ex arbitrio suo facit, & domestica proposito voluntatis, sed iuxta leges & iura pronuntiat: scitis Iuris obtemperat, non indulget propriæ voluntati: nihil paratum & meditatum domo defert, sed sicut audit, ita iudicat: & sicut se habet negotij natura, decernit: obsequitur legibus, non aduersatur: examinat causæ merita, non mutat. Discite Iudices sæculi, quem iudicando debere teneatis affectum, quam sobrietatem, quam synceritatem: Dominus omnium dicit.* Non possum ego à me facere quidquam. *Alibi lego*: Negare semetipsum non potest. *Non potest vtique, non per infirmitatem, sed per integritatem: non per impossibilitatem faciendi, sed per obseruantiam iudicandi. Quid non potest, qui omnia potest, nisi quòd posse, nolit? non vult posse, quod damnat, non vult posse aduersus fidem, non vult posse aduersus veritatem.* Quasi non reformidet Christus, ne fortè minoris potentiæ insimuletur, dummodò Iudex, in Principatu suo æquissimus habeatur, quando etiam dum *se negare non posse*, dicit: summam, in veritate suâ, potentiam manifestat.

Deus ipse, æquissimo stat iuri.

Ioan. 5. 29.

v. 30.

2. Tim. 2.

D. Ambr.

Iudicum norma vetustissima, quæ sit.

Impotentia ad malum, vera potentia est.

806. Et confer quæso hæc verba supremi Principis, cum illis arrogantis Præsidis, Pilati scilicet, de quibus paulo ante: sic enim iste ad Christum: *Potestatem habeo crucifigere, & potestatem habeo dimittere te.* Ioan. 18 vers. 10. Qualiscunque foret causa, Potestatem suam venditat, in vtrumque extremum, paratam: quasi posset conuictum absoluere, & innocentem punire: & quid-ni posset, si relegato Iuris arbitrio; mero Potestatis libito, negotia delegabat? Non solùm ergo, suis se verbis coarguit, quod suprà dixi: sed indolem tyranni Principis, nihil æquitati, sed totum libidini indulgentem manifestat. Idem Ambrosius citatus. *Vsurpas ò homo potestatem, quam non habes: cum Dominus neget se habere, qui habet super omnia potestatem. Audi quid Iustitia dicat*: Non possum à me facere quidquam. *Audite, quid Iudex æquitatis asserat*: Sicut audio, ita & iudico: *audite quid Iudex iniquitatis loquatur*: Potestatem habeo, &c. *Mala potestas licere quod noceat: potestas ista tenebrarum est, verùm non videre, sed spernere. Audite quid verus Iudex loquatur Ioan. 5. vers. 30.* Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. *Quasi homo loquitur, quasi Iudex docet: quoniam qui iudicat, non voluntati suæ obtemperare debet, sed tenere quod legum est.* Sic tyrannus Princeps legum robora eneruat, & Iuris regulas

Ioan. 19. 10.

Tyrannus sui libidine, non iure.

D. Ambr.

Potentia ad nocendum, dæmoniaca est.

regulas, ad scopulos allidit vanitatis: quando supremus Princeps, potestatem suam liberam, ad scrupulos redigit legales. Miserum Pilatum! qui verum ignorans, quærit, *quid est veritas?* nec sustinet responsum, sed spernit vt eius, & similium potestas licentiosa, absque veritatis regimine, iam tenebrarum potestas, id est Dæmonis, qui in veritate non stetit, videatur.

807. Vnde obiter conciliabis verba Lucæ cap. 4. quibus inducit Dæmonem præostensâ omnium regnorum gloriâ, sic Christo promittentem: *Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illam.* v. 6. (Neque quidem Dæmon, licèt Pater mendacij, in hâc promissione, omnino mendax: erat iste quidem, ante Christi aduentum, Princeps huius Mundi: quia permittente Deo, impiorum regna, ex parte disponebat, bella mouens, Resp. perturbans, nunc his, nunc illis Tyrannis afferens diademata:) conciliabis inquam hæc verba cum illis Pauli: *Non est potestas, nisi à Deo: quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt: itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Roman. 13 v. 1. nam licèt primo aspectu opponi visa, nihil tamen contrarium inuoluunt: attende quæso. Alia erat permissa illa Dæmonis potestas, vt Reges & regna tractaret: alia Dei potestas, vt Reges & regna constitueret. Dæmon, non tam vt æquum erat, quàm vt libitum se gerebat; vnde non tam meritis reddebat coronas, quàm pro libidine dabat, Tyrannus Mundi: ideo dixit: *Cui volo do illa.* Longè aliter Deus, qui non tàm dicitur, vt cunque dare, quàm ordinare potestates: quia æternæ suæ æquitati conformis, nullam debiti Iuris lineam prætermittebat. Hinc est vt illa ipsa permissio, Dæmoni à Deo, ad tempus facta, vt ambitiosa regnandi negotia, pro libito disponeret: optima quædam esset ordinatio: vt scilicet in scelerum pœnam, iniqui homines, Dæmoni arbitro subderentur; vt dum iste potestates non ordinabat de Iure, sed dabat de libidine: illi Reges & Principes imperarent, qui potestate abutentes, miserrimè crudelitatibus & rapinis Remp. lacerarent. Vidit his plura D. Ambrosius, in Luc. lib. 4. *Ordinatio Mundi, à Deo: opera Mundi, à malo: ita etiam à Deo potestatum ordinatio, à malo ambitio potestatis. Denique, non est, inquit, potestas nisi à Deo. quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt: & qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Hic quoque licet dicat, dare se Diabolus potestatem, omnia tamen illa, ad tempus permissa sibi esse, non abnuit: itaque qui permisit, ordinauit: nec potestas mala, sed is qui malè vtitur potestate.* Non ergo temerè dixi potestatem illam Pilati, & consimilis Tyranni, pœnas non iure, sed libito disponentis, tenebrarum potestatem, & à Dæmone acceptam. Neque his obstat; quod statim Pilato respondet Christus: *Non haberes potestatem, aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper.* Ioan. 19. v. 11. nam desuper à Deo erat pulcherrima illa ordinatio, quâ permisit Deus, vt in Iudaici sceleris vindictam, à Dæmone Pilatus in Præsidem eueheretur. Redeo.

Luc. 4. v. 6.

Rom. 13 v. 1.

Potestas tyrannica, quomodo à Dæmone dicatur permissa.

D. Ambros.

Ioan. 19. 11.

808. Non itaque Deus, nisi ordinatissimas pœnas, hâc factâ permissione, exegit ab hominibus: neque mirum: quando neque ipsi Dæmoni, (cui quale quale hoc Ius, in homines propter Adæ culpam concesserat) spoliati regni pœnam inflixit: nisi totius Iuris tenore obseruato. Suspirabat humanum genus, à Domino salutem, dicens ex Dauidis ore: *In te Domine speraui, non confundar in æternum; in Iustitiâ tuâ libera me.* Psalm. 30. v. 2. Miser, & nullius boni, sibi conscius homo, totam Dei misericordiam videbatur pulsaturus: vnde ergo Iustitiam districtam sic implorat? Nouerat diuini Principis ingenium: cuius illa grandior in hominem, misericordia erat exercenda: vt prætermissis aliis, Christus in remedium suum mitteretur: qui proinde, non tam exserta potestate, quàm competenti iustitiâ, liberator egregius adueniret. & cur ita? Ne si quouis priuilegio, & non potiùs diuini sanguinis pretio, redemptio nostra staret: Dæmon Ius suum violari, & supremæ dominationis fastu imminui, blasphemus quereretur. Si minùs ad prædictum locum respicit, adhibitam tamen explicationem, grauissimè illustrat D. Leo Magnus serm. 2. de Natiuit. vbi ita. *Verax misericordia Dei, cùm ad reparandum humanum genus, ineffabiliter ei multa suppeterent, hanc potissimùm consulendi viam elegit, quâ ad destruendum opus Diaboli, non virtute vteretur potentiæ, sed ratione Iustitiæ. Nam superbia hostis antiqui, non immeritò sibi, in omnes homines ius tyrannicum vindicabat: nec indebito dominatu premebat, quos à mandato Dei, spontaneos in obsequium suæ voluntatis allexerat. Non itaque iustè amitteret originalem deditiij generis seruitutem: nisi de eo, quod subegerat, vinceretur.* Itaque tyrannicus olim hominis triumphator, non à Deo solùm sed à Deo homine triumphatur: vt priscum ius iustissimè sibi ereptum fateatur: dum genus dediticium, iam generosâ in Christo rebellione, in pristinam libertatem asseritur, déque ipso hoste victoriam reportat.

tamen, à ... iustissimè spoliatus.

Psalm. 30. 2.

D. Leo Mag.

Habes egregium Dominicæ æquitatis, erga Dæmonem, testimonium, apud Marcum: vbi adducto Dæmoniaco, ait Dominus: *Exi spiritus immunde ab homine & interrogabat eum: quod tibi nomen est?* cap. 5. v. 8. Ex immenso charitatis affectu in hominem, infælici Dæmoni exitum ardenter præcipit: ardorem tamen, Iustitiæ studio temperat statim. Nihil apud ordinarios Iudices priùs, nihil antiquiùs, quàm nomina ab ipsis Reis interrogare: interrogat ergo nomen quasi dubius, omniscius aliunde: ne tam putaretur Dæmonem supremæ potestatis robore, quàm æquissimo Iuris tenore eiecturus. D. Petrus Chrysol. ibi, serm. 17. *Interrogat: non ignorat, sed implet Iudicem, seruat ordinem Cognitoris.* Qui enim vniuersum genus humanum, non maiestatis potentiâ, sed iuris ratione, Dæmonibus punitis, liberaturus venerat: similiter priuatum hominem liberabat. Satis ista de damnato Dæmone: plusculа iterum, de hominibus, videamus. 809.

Marc. 5 v. 8. Recti iudicis tenorem obseruat Christus.

D. Chrysol.

Sunt grauissima, in hanc rem, verba Isaiæ: 810.
Dominus ad Iudicium veniet, cum Senibus Populi sui, & Principibus eius. Vos enim depasti estis vineam, & rapina Pauperis in domo vestra. cap. 3. v. 14. vbi mihi expende, non tàm dici, venire Deum ad iudicandum, quàm *ad iudicium:* quasi tertius aliquis esset eligendus, qui de Deo accusatore, accusatisque reis, ferret sententiam. Sed cui tandem negotium sic graue, committendum? certè æquissimæ rationi, cui se Deus quodammodò subiiciebat: ne tam Maiestatis districtæ, quàm discussi Iuris pondere, reos illos obruere videretur. D. Hieronymus ibi. *Venit ad Iudicium*

Is. 3. v. 14.

Reos non ... vigentiâ, sed iure conuincendos.

D. Hieron.

non

nō vt iudicet, sed vt pariter iudicetur: dans eis locū defensionis, si potuerint habere, quid respondeant iuxta illud, quod in Psalmo dicitur: vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, cùm fueris iudicatus. Vbi etiam aduerte, inseri prædictis verbis obiter, iustissimam causam miseros condemnandi: qui cùm essent seniores & Principes, vnde & sapientiores, & æquiores esse deberent, sic iura conculcârant, vt vndique libidine furente correpti, nihil mentis retinuisse viderentur: id enim mihi sonat illud, *Depasti*: ferarum nimirum instar, aut stolidarum pecudum more, non æquitatis rationi, sed voluptatis ductui, obedientes.

Quò quis potentior, eò etiam sit iustior.

811. Recurramus ad ipsum Mundi exordium, comparandæ dogmati authoritati. Perspecto Adami peccato, descendit Deus, præuisámque aliàs, totam ab illo causam interrogat: & quia ad vxorem recurrit, huius aggreditur etiam Dominus examen: solus serpens, in quem fœmina tandem culpam detulit, non queritur: Genes. 3. à v. 10. cuius facti rationem subdit ibi Lyranus. *Considerandum quod ante condemnationem interrogauit virum & mulierem, quia nullus est condemnandus ante inquisitionem: serpentem autem non interrogauit: quia Diabolus, qui in serpente loquebatur, iam pro peccato suo fuerat condemnatus, & de Cælo Empyreo deiectus.* Vbi obiter aduerte, quàm sint de culpâ suspecti, qui deferuntur relapsus, quando dæmon, quasi ipsâ delatione conuictus, nouum Dei examen non meretur. Cæterùm Protoparentes, tunc primùm lapsi, sedulò exquiruntur: ne non iure se obrutos quererentur. Sic post impium fratricidium, Cain interrogat Deus, *Vbi est Abel frater tuus?* Genes. 4. v. 9. Quasi etiam clamante terrâ, sanguine accusante, opus foret, vt ipsemet reus, se, quà posset, defensurus, in iudicium admitteretur. Ideò Alcuinus ibi. *Interrogauit non tanquam ignarus, sed tanquam Iudex reum, quem puniat.* Quo inde omnem obruentis potestatis suspicionem à se auertat Deus: & terrenus Princeps, iuri standum sibi, non libito condiscat.

Gen. 3. 10.
Lyran.

Reus de relapsu accusatus, quam sit suspectus.

Gen. 4. v. 9.
Reo, defensionis tempus dandum.
Alcuin.

812. Notissima sunt illa, quæ ad illud Genes. 11. (vbi de ædificandâ turri agunt homines, additúrque statim de Deo: *Descendit autem Dominus, vt videret Ciuitatem & turrim, quam ædificabant filij Adam.*) Vers. 5. scribit D. Thomas Aquinas: sic enim ille. *Nota quod in hoc modo loquendi, docet rectum, & ordinarium processum iudicij: nam culpa prius debet esse certa Iudici: & ideo oportet, vt ipse vel ad se conuocet iudicandos: aut si hoc, modo bono fieri potest, quod ipse vel per se, vel per subdelegatos Iudices, ad loca eorum accedat.* Non tamen id vulgariter hic venit ponderandum, voluisse iam tunc Deum, legi suæ postmodum scribendæ, quodammodò obedire: ne vel leuis ansa blasphemis porrigeretur, quâ dicerent; Deum, vt seuerus puniat, auribus credere: cùm tamen in lege, magis credendum oculis, delegatos suos Iudices, admoneat: quod non faceret, nisi iniurio potestatis iure vteretur. hanc ergo falsissimam calumniam vt euitet, quasi auribus non credat, oculos adhibet. Ita Philo Iud. lib. de conf. ling. ad hunc locum. *Visus certus potiùs, quàm fallax auditus, testis adhibendus est. Quapropter in optimè constitutâ Republ. lege cautum est, ne quis auditu dicat, pro testimonio: quia iudicium auditûs, naturaliter facile est corruptoribus. Apud Moysem quoque inter vetitica legitur:* Non admittes auditionem vanam. *Vbi non tantùm interdicit, ne quis falsum sermonem, aut stultum accipiat auribus: sed docet, quod ad manifestam veritatis perceptionem, longè minùs, quàm visus, idoneus habeatur auditus, cùm sit refertus vanitatibus. Hanc censemus esse causam, cur descendisse dicatur Deus, vt ciuitatem ac turrim viseret.* Adeo præcauet Dominus, ne in supremo dominio, potestate magis, quàm iure, in Impios putetur animaduertere.

Gen. 11. 5.

D. Thom.

Deus legibus suis, visus obedire.

Phil. Iud.
Oculi auribus certiores.

813. Æquè notus ad hanc Philonis mentem, locus ille Genes. 18. de Sodomis euertendis: vbi Deus: *Descendam & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita: vt sciam.* Vers. 21. Vbi aptè Alcuinus, quæst. 178. *Omnipotens Dominus, & omnia sciens, cur ante probationem, quasi dubitat? nisi vt grauitatis nobis exemplum proponat: ne mala hominum ante præsumamus credere, quàm probare.* Quasi mallet Deus ab ignaris, dubius & quodammodò rerum inscius reputari, quàm à superbis Principibus, in exemplar abutentis potestatis per impudentem blasphemiam adduci. Maius est, quod suprà in hunc locum iam libaui: quod insuper ad præsens institutum, nouo D. Thomæ testimonio non piget illustrâsse. Ergo angelicus Doctor, post alia, sic scribit. *Vltra hoc etiam intendit dicere, quod etiam in assumpto corpore vult quasi visibilis homo probare, vel potiùs, per factum, in seipsum, probari: an in ipsomet nefaria perpetrare contendant. Quasi dicat: tunc etiam coram hominibus habebo rationem aptam, & necessariam puniendi: si etiam in personâ meâ, vel nuntiorum meorum, nefaria inferre non verentur.* Ac si reformidaret Deus, ne diceretur de maiestate districta punitor magis, quàm de sententia iusta animaduersor: nec haberet (quo nihil rariùs dici potest) causam puniendo probabilem: quæ apud homines, de turpissimo iuxta & manifestissimo Sodomorum conatu, apta & necessaria apertissimè non haberetur.

Gen. 18. 21.

Alcuin.

Temeraria iudicia, vitanda.

D. Thom.

Extremus in plenam manifestationem rationis haberi debet.

814. Corrodit Maria sanctam innocentissimi fratris famam: tunc à Deo punienda vocatur, reprehenditur coram fratribus; auditque tandem cum Aarone, recitatis priùs Moysis priuilegiis. *Quare ergo non timuistis detrahere seruo meo Moysi? iratúsque contra eos abiit. Nubes quoque recessit, quæ erat super tabernaculum. Et ecce Maria apparuit candens leprâ.* Numer. 12. vers. 8. Sed quorsum, inquis, tot impendia descendentis Domini, nubis, in thronum, efformatæ, & illatiuæ illius, *quid ergo, &c.* increpationis? Ne vnquam fœmina, doloris impatiens ob infamiam, querula effutiret: supremum Iudicem potestate potiùs quàm iure, illam damnasse. Saluianus lib. 1. de Prouid. ad hunc locum. *Maria contra Moysem loquitur: nec punitur tantùm, sed more iudicii punitur: primùm ad iudicium vocatur; deinde arguitur; tertiò verberatur: in obiurgatione excipit vim sententiæ, in leprâ autem patitur piaculum criminis.* Vnde enim impotentiam iræ, in summa Principis potentia queri auderet: quæ se toto iuris tenore punitam fateri cogebatur?

Num. 12. 8.
Iure etiam ... ostensus.

Saluian.

815. Fatetur id quidem David Psalm. 50. Vbi de culpæ protestatione humili, veniam implorans, ait. *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci: vt iustifice-*

Ps. 50. 6.

iustificeris in sermonibus tuis, & vincas, cùm iudicaris. Vers. 6. Quasi, quod suprà vidisti ex Hieronymo, non tàm victor cantetur Deus, cùm indicat, quàm dum simul cum reo puniendo iudicatur: Benè igitur additur, *vt iustificeris*: quodammodò enim è Dauidis culpâ, Deo ipsi proueniebat iustificatio: quia sic illam puniuit, vt tam maiestatis authoritate, quàm iuris ratione procedere nosceretur. Audi pulcherrimam Euthymij paraphrasim, ad hunc locum. *Delictum quod feci coram te, fateor in caput meum commisisse: vt quoties tu mecum iudicaris, & quæ inter nos est, causa discutitur: quòd scilicet tu me, ex infimo Regem feceris, tantáque, ac tali gloriâ conspicuum: quódque ego contra, & leges tuas spreuerim, & te sceleribus meis ad iram concitauerim: vt in hoc inquit iudicio, tu magis iustificeris, & ego vicissim erga tantum benefactorem adeo ingratus, magis condemner.* Et quidem rectè: quem enim iudicij apparatum non legis, dum audis Nathan Prophetam 2. Reg. 12. vers. 1. in parabola, rationis cuspidem abscondere, inde aperto argumenti robore decertare, tunc conuincere, & tandem debitas pœnas irrogare? certè librabatur Deus cum homine, quasi ex parili conditione, examinis discrimen subiturus. Ideo subiungit idem Euthymius. *Dicere possumus iudicatum fuisse Deum cum Dauid; quando Nathan Propheta eum redarguit, quòd pro tantis beneficiis à Deo acceptis, ipse contra, prauis benefactorem actionibus remuneratus sit: vbi postquam Dei iustificationes percensuit, condemnationem etiam addidit.* Caueat igitur Princeps, miseros subditos punire temerè: quando ipse à Principe suo Deo, penè comparem iudicij sortem experitur.

Iustificatio iudicis, vnde procedat. — Euthym. — *Ingratus Princeps, à Deo iustè punitur.* — 2. Reg. 12. — *Deus iudicandus, cum Principe descendit.*

816 Est mihi in hanc rem fusiùs expendendus locus ex Iob, vbi sanctissimus Rex, inde seuerissimas sibi pœnas imprecatur, si non iuris æquilibrio, sed maiestatis fastu, cum subditis decertâsset: *Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancillâ meâ, cùm disceptarent aduersùm me.* Cap. 31. vers. 13. Robustiùs planè hinc, pro sanctitate, & modestiâ suâ formabat argumentum; quàm ex iis, quæ cap. 29. à vers. 7. habentur: vbi assurgentes sibi præ reuerentia Principes descripserat: certè nô poterat pulchra non videri illius vitæ series, quæ tam diuersa conformitate æqualis formabatur, vt vnde Principibus maior, inde par etiam seruis videretur. Grauissima sunt verba D. Gregorij Magni lib. 21. cap. 10. *Quis dignè considerare valeat, huius viri tam sublimia virtutum moderamina: in quo tanta est authoritas regiminis, vt ad silentium restringantur Duces: tanta humilitas cordis, vt ex æquo ad iudicium venire permittatur ancilla? Ecce apparet miro modo, in potestate Principibus potentior: in certamine seruis æqualis: in cœtu Principum, memor regiminis: in certamine famulorum, memor conditionis.* Tyrannidis stemma est igitur, iactare illud: *Licet, quod libet*: cùm verissimum illud Tragici celebretur, *non omne quod licet, decet.* Mihi tamen ad rem præsentem mirabilius adhuc, quòd statim subdidit idem Iob: *Quid enim faciam, cùm surrexerit ad iudicandum Deus, & cùm quæsierit, quid respondebo illi?* Vers. 14. Vnde enim nouit, se in iudicio exquirendum; in eo responsurum; & quasi ex æquo, argumentis cum Deo concertaturum: & non potiùs celerrimo sententiæ fulmine iudicandum? planè, quia dum prædictam cum seruis suis, seruatam sibi nouit æqualitatem, similem à Deo corresponsuram æquitatem recognoscit. Acutè Olympiodorus ibi, in Caten. Græc. *Hâc æqualitate commotus, Dei æquitate fretus, ab eo postulat, expetitque iudicium.* Et rectè dicitur, *postulat*: quasi suo iure id petat: nescit enim supremus Princeps, sine iudiciali tenore, Impiorum etiam causas discutere, ne dum illius, qui Talionis æquo contendere videbatur: sic & quod postulabat, impetrauit. Ideo paulò post, cum Iob, præsente Deo, eligeret præ timore taciturnitatem, audit ab ipso: *Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & indica mihi.* Cap. 40. vers. 2. de quo ita Origenes, in eadem Catena. *Deus Iobum ad fidenter loquendum erigit: etenim tanta est Dei benignitas; vt non Iudicet, sed eius, qui in iudicium vocatur, personam suscipiat.* Videat nunc Princeps meus an Iobo æquissimo Principi, ne dum Deo: an potiùs Tyranno Baltasari, pœnas non seruato iuris tenore, sed districto potentiæ furore infligens, velit adnumerari.

... ergo Princeps, reos temere iudicet. — Iob 31. 13. — Vers. 9. 7. — *Princeps inde cæteros Principes excedit: quod cum subditis, æqualis ad iudicium procedit.* — D. Greg. — Senec. — Vers. 14. — Olymp. — *Princeps sic æquus, subditis: sibi æquum Deũ sortitur: & quasi æqualis, æqualem.* — Iob 40. 2. — Origen.

XIII.

Diuinam, in Protoparentum Iudicio, clementiam, Principi iusto propono in exemplar.

IAm verò qualem, erga corrigibiles reos, nec proinde extremo afficiendos supplicio, tenorem, Princeps iustus debeat obseruare; (vt dum debitæ pœnæ exiguntur, aliunde suauissima clementia temperentur) non aliunde aptiùs exhibuerim, quàm si ob oculos fusissimè proposuerim, qualem diuinus Princeps in puniendis Protoparentibus modum tenuerit, quò sic amantis clementiam impleuit, vt nusquam Iudicis partes violarit. Expendo igitur historiæ tantæ verba, quibus post reorum culpam, iam Iudicis aduentus sic describitur. *Et cùm audissent vocem Domini Dei, deambulantis ad auram, post meridiem, &c.* Genes. 3. vers. 8. Non igneam quadrigam, non pennatum ventorum turbinem, non Cherubicum vehiculum, ministrorum satellitio stipatus, assumpsit Deus, quod alibi sæpissimè factum legimus, quorum strepitus meritò fugaret reos: & tamen fugiunt Protoparentes: *Abscondit se Adam, & vxor eius, à facie Domini.* Ibidem, & cur ita? quia dum cunctabundum, & lentum cernunt, si minus seuerissimas & debitas, saltem aliquas pœnas exacturum venire cognoscebant. Attende sodes. Suspirabat sponsa dilectum, animo vndique, venientem visura, in oculos effuso: quem vt videt exclamat illicò. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles; similis est dilectus Capreæ, hinnulóque Ceruorum.* Cant. 2. vers. 8. Mirum dictu! nouerat se creaturam, & sub diuino conspectu, necessariò confundendam, apud quem leuiores etiam defectus, in immensum augeri visi: nec tamen horret, sed exultat; & meritò: vt enim ex tarditate gressus, Deum in pœnas venire, suspicabatur Adam: sic ex eiusdem celeritate ad beneficia properare agnoscebat Sponsa. Pulchrè Galfrid. in

817. *Deus ad beneficia celer, tardus ad pœnas.* — Gen. 3. 8. — Cant. 2. 8. — Galfrid.

in Sylu. Allegor. de hoc Dei ad protoparentes aduentu: *Non sic postea venit ad sponsam, quæ in magno se gaudet amore præuentam in eo quod venientem, cum celeritate conspiceret. Nunc verò deambulare dicitur quærens latentem inter frutices peccatorem, &c. Sic velut cunctabundus & mutare paratus quod intendebat: nec impetu ferebatur, sed quasi moras nectens, retractando & expectando, an pœnitere peccator vellet, hinc inde pergebat.* Itaque qui tot immensa gratiarum pondera deferens ad sponsam volitabat: leuissimis supplicij scrupulis hic grauatus tardabatur, tanquam si vbi plumeus & lubens, hîc inuitus & plumbeus deferretur.

818. *Dei mores & amores dum fugit peccatorem.* Hic est optimus Principis tenor procedendi ad vindictam, quasi semper corrigibili apparet clementiam. Hinc magis ad rem istam facit, quod non dicatur Deus ambulare, sed *deambulare*, id est huc ac illuc recurrens, vt ex Galfrido vidisti. Non igitur solummodò lentus incedit ambulans, sed deambulans huc ac illuc reuertebatur: scilicet humani cordis hospitium, vnde expulsus fuerat, reuisens. Quid ita? Audi Ecclesiam, id est supradictam sponsam, dum Deum peccatorum commercium abhorrentem, animas inquinatas deserentem, in celeriorem fugam videtur prouocare:
Cant. 8. vlt. *Fuge dilecte mi, assimilare capreæ, hinnulóque ceruorum, super montes aromatum*, Cant. 8. v. vlt. An non hæres, tenerrimam sponsæ indolem, iam duram demiratus? Indignata etiam miseris alumnis, non solùm discedentem Deum non tenet, sed suadet? Non solùm non tardat fugientem, sed impellit? Scilicet nouerat sponsi sui naturam, peccato fœdatas animas deserere, vt instar capreæ, (quæ semper montes quærit) cælorum colles, vbi perpetuo sanctitatis odore recreatur, ascendere festinet. Rogat ergo vt interim non solùm capreæ, sed pariter cerui ingenium sub eadem metaphorâ obseruet, qui nunquam fugit, quin sæpiùs intersistat: at si coactus locum delitiarum deseruisse videatur. Plinius de Ceruis lib. 8. cap. 32.
Plinius. *Ceruus in fuga, cur retrospiciat.* *Semper in fugâ acquiescunt, stantésque respiciunt: cùm propè ventum est, rursus fuga præsidia repetentes. Hoc fit, intestini dolore, iam infirmi, vt ictu leui rumpatur intus.* Sic ergo fugit Deus, vt in fugâ passim subsistat, & quasi præ pastus desiderio subsistat. Nunc capies Paraphrastem
Paraphrast. Chaldaicum, qui ad hunc locum ita: *Fuge dilecte mi de terrâ hac immundâ, & habites Maiestas tua in cælis excelsis: sicut hinnulus ceruorum, tempore quo fugit, respicit post se: sic tu contemplaberis nos, & respicies tribulationem & afflictionem nostram, de cælis excelsis, vsque ad tempus quo beneplacitum erit tibi in nobis, & redimes.*

819. Tale est, quod erga Protoparentes reos nunc agit Deus: ideo bene Venerabilis Hugo Victo-
Hugo Vict. rinus in Sylu. citata: *Non ambulauit, sed deambulauit huc & illuc quasi errabundus & vagus, in directum non vadens, sed pergens quocumque, hoc est deambulare, &c. neque abijt in directum elongans, quasi irreuocabilis, nec reuersurus amplius sed propè gyrans, & iuxta deambulans: abijt, & non abijt, modò vadens & modo rediens, & magno quodam incerto æstuans: quasi nolens sedem suam deserere, nec valens pollutam mansionem sustinere.* Sic cum manus dura, aut durior Agricolæ virga nidum percutit: arborem anxia circumuolitat Auicula, nec adire hospitium, neque potens expellere desiderium: donec ex ipsius nidi fracti ruinis Architecto amore, Fabro rostro domum sibi gratissimam reædificet. Sed hæc Hugonis verba, iam alibi ad rem aliam fusius ponderaui.

Sed neque ex solo desiderio sic gyrans Deus deambulat: sed quod de ceruis ex Plinio vidisti: 810.
Hoc fit intestini dolore, iam infirmi, vt ictu leni rumpatur intus. Longe suauius in Principe nostro cernitur: quasi præcordia tenerrima, dulcissimo amori e vulnere clementer languentia, pernicitatem adimant fugienti, id est, dolorem adducant punituro. Hoc est, quod crescentibus hominum sceleribus, dixit idem: *Et tactus dolore cordis intrinsecus: delebo, inquit, hominem quem creaui*, Genes. 6. v. 6. vbi expende, quantùm emphasis habeat vox illa, *quem creaui*. Nobilem truncum dolat statuarius, & effigiat crassiori minervâ, id quod sibi proponit simulacrum: deinde sollicitior polit minutiùs, limat subtilius, & singulis formandis partibus, totus videtur in oculos transformari: post longas vigilias, diutinos labores, prodit tandem imago perfectissima. Quid ergo non doleret, si tunc cogeretur dura ascia scindere, bipenni desecare rustica, opus illud, quod tam instanti opera laborarat? Talis hic Deus describitur: ideo Lyranus ibi: *Tactus dolore cordis intrinsecus, quia ad modum dolentis se habuit, delendo hominem quem formauerat ad imaginem suam.* Quid mirum doleat dolens, quem dolauerat? si dum reliqua verbo, solum hominem adhibita manuum diligentia, conuocatione personarum, in artis ostentationem, mirifico priuilegio fabricauerat? Talem igitur circa protoparentes, deambulantem Deum considerat, citatus Galfridus, sic concludens: *Tardabatur, & lentis gradibus incedebat: vtpote qui veniebat, tristem mortalibus inferre sententiam: ad sponsam verò veniens festinat, & latis admodum saltibus aduolat æternæ reparationis afferens medicinam*: quasi ipse, tristibus reis, tristior adueniret.

Gen. 6. 6.

Deus imaginem suam in homine delendâ dolet.

Lyranus.

Galfrid.

Patet tamen adhuc pulcherrimum ad rem nostram mysterium in eo, quòd non solùm deambulet Princeps noster, sed insuper, *ad auram post meridiem*, dicatur deambulare. Et quidem de prædictis ceruis fugacibus, addit citatus Plinius: 821.
Fugiunt autem latratu canum audito, secundâ semper aurâ, vt vestigia cum ipsis abeant. At diuinus noster hinnulus cælestis Princeps, non tam secunda aura fugit, vtpote qui expressa semper cupit relinquere vestigia, quibus facilè requiratur: sed insuper cum aura venit, & hac meridiana, id est, lenissima & suauissima. Sed cur ita? Vidistin hominem, quem iustus dolor, ira iusta, in aliquos, de quibus optimè fuerat meritus, impellit: vidistin, inquam, quomodo ab inflammante pectus irâ, concitetur: & aliunde frænetur ab amore? Fac ergo, vt nudo licèt amori, armatus furor cedat tandem: nihilque illi videris priùs quàm fenestræ incumbere, ad quam flante leniter Zephyro, excandescens vultus refrigescat, depositóque supercilio, lenior accedat. Hunc si vidisti, & diuinum nostrum Principem vidisse puta: auram quæsiuit, vbi iram deponeret: hinc meliùs terrenos Principes instituens, quàm tot illis exemplis & sententiis, quibus iram à puniente Principe arcendam, monent Politici. Audiendus D. Bruno in Sylu. Allegor. *Sed quare ad auram deambulasse dicitur? qui enim auram quærit, æstuationis calorem se passum esse demonstrat. Vnde*

Plinius. *Cerui fugacium vento.*

Deus iram in homines ... dat mitigan...

D. Bruno.

Vnde datur intelligi, quòd primi hominis peccatum Deum in iram commoueret. Non quòd ista passiones in Deo sint: sed quòd eius voluntas, nisi humanis affectibus significari non potest. Ita est: Non tamen negare poterit Sanctus Doctor, nil aliud intendere illum, qui iræ calore æstuans, auram lenem captat, quàm iram frangere, & excandescentem deponere furorem.

822. *Spiritus S. officia suauissima.* Aliunde etiam ipsismet afflictis Reis hæc aura opportunissima: qui enim ab arboris cauo vmbraculo, (vbi tanquam in speluncâ delitebant:) aut sæuis ventorum turbinibus, pulueris nebulis, aut fœdo, turpioris incendij, fumo, videbantur extrahendi: ideo lenissimo auræ flatu aduocantur, vt præ timore collapsi, respirarent, & reuocato animo, quà possent in iudicio se defenderent. Fractis timore animis, post Dominicam Ascensionem latebant Discipuli; & quasi se non solùm mortuos, sed etiam sepeliendos cogitarent, quasi sub signato sepulchro, in concluso cœnaculo iacebant. Sed ecce tibi. *Factus est repente de Cælo sonus, tanquam aduenientis spiritûs vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant sedentes.* Act. Apost. 2. v. 2. Mirus venientis apparatus. Si Spiritus diuinus, hoc prænuntio, attentos volebat: voce aliquâ dearticulatâ aptiùs vsurus videbatur: si reuerentes, formâ aliquâ visibili, efficaciùs videbantur disponendi. Quid ergo spiritui diuino, flabilis spiritus, & vetus flabilis solùmodò præmittitur? Audi doctissimum Iansen. c. 134. Conc. Euangel. assignantẽ rationes, cur tertia Persona cõmune tribus vocabulũ sibi appropriarit, vt Spiritus S. appelletur. *Amor veluti spiratur: quia sicut ventus qui spiratur, impellit & mouet aerem, & alias res: ita & amor impellit & mouet voluntatem amantis in rem amatam; & quoniam per modum spirationis à Patre procedit, & Filio, æternâ suâ processione: hinc ei in Scripturis accommodantur illi diuinæ naturæ, in creaturis effectus, qui flatum quendam diuinitatis importans, vt sunt viuificare, afficere mentes hominum &c. Vnde nomen Spiritus, ei non tantùm propriè conuenit ratione æternæ processionis suæ, in modum spirationis, sed etiam ratione eiusmodi effectuum, qui ei in creaturis appropriantur: eò quod per huiusmodi effectus, velut spirat, mouet, & afficit creaturas, & velut anima in corpore obit officia. Vnde Dominus hanc nobis rationem satis significauit, cùm daturus suis post resurrectionem Spiritum S. priùs insufflauit in eis: &c. cùmque in die Pentecostes Spiritus S. rursus datus est eis in sonitu spiritûs, hoc est vehementis venti.* Iam ergo in spiritu isto flabili, in vento sibilante, Spiritus Diuinus (postea in igne apertior) delitebat: ipsomet prænuntio, & velut assumpto habitu ostendens, eò venire, vt se aspirante, Discipuli respirarent, & depulso metu, longè fortiùs, ingentibus rebus obeundis, animos generosissimos reciperent.

Act. 2. v. 2.

Iansenius.

Spiritus huius & amoris analogia.

823. *Spiritus diuini respiratio, quàm suauis, & viuifica.* Sic in re nostrâ: Suauissima illa, Spiritum diuinum inuoluebat aura: licèt enim non audeam dicere, iam satis pœnitentes sanctificâsse, vocâsse tamen tunc ad pœnitentiam, putarem: & animâsse reos, vt animos resumerent, nec quasi in æternum damnandi iam diffiderent: longéque mitiores pœnas sibi infligendas, quàm debuerant, sperarent. Fauet huic cogitationi Lyranus, dum auram hanc nostram, cum illâ quæ afflauit Apostolos, sic componit. *Aura hic accipienda est, pro vento præcedente diuinam apparitionem: sicut apparitionem Spiritûs Sancti in linguis, dicitur sonus vehemens præcessisse.* Cùm ergo ex Iansenio, qualis, & vnde ventus hic fuerit viderimus erga Apostolos: non immeritò erga Protoparentes proportionati fauoris fuisse, ex Lyrano coniectamus. Nihil ergo teneriùs dici poterat, quàm dum Spiritus sancti aura, recreandis timidorum reorum animis, in refrigerationis flabellum, dicitur apparata. Et certè רוח quod in Hebræo habetur, vt iam notauit Honcala, ex æquo respirationem significat, & refrigerium. *Lyranus.*

824. *Deus, pœnitentiam nostram sollicitat.* Habes mitissimum Iudicis venientis apparatum: Ipsius iam iudicis clementiam inspiciamus. Arguitur Adam, & respondere tamen ac se defendere, ipso interrogationis tenore animatur: ait enim Deus: *Adam vbi es?* v. 9. Nullum hic opprobrium, nulla exasperatio, qui ne minimâ voculâ reos territet, quasi dubitans exorditur: benè Theophylactus. *Non tanquam ignarus Deus interrogat, sed cùm esset misericors, præbuit occasionem pœnitendi & confitendi.* Vt dum notaret vbi miseriarum iam esset, saltem cognito damno resipisceret. Hæc ferè communis Patrum sententia. Aliquid tamen singulariùs ibi excogitauit Rupertus, cap. 14. quem vt capias, aduerte. Amiserat se Adam, amisso Deo, misellúsque quò se verteret ignorans, nec etiam vbi esset, attẽdebat, aut fortè nec attendere tunc curabat. Vnde ergo clementior Princeps adueniret, quàm dissimulans scientiam suam, & quasi ignorantiam simulans, vt lapsi hominis tolleret ignorantiam mentem reuocaret? Ergò Rupertus ita. *Sanè qui vltrò nolebat agnoscere vbi nam esset, id est quantum in malum decidisset: hâc saltem percunctatione Dei pulsatus, euigilare & videre debuerat, vbi esset: hoc enim benignitas quærentis intendebat, vt is qui quærebatur, se ipsum inueniret.* Fingit itaque se dubium, & quærentem quodammodò Deus, non vt iam comprehensum ipse inueniat, sed vt miser benigno stratagemate, se inueniat.

Theophyl.

825. *Irati Dei, omnia membra clamant vindictam.* Iam verò cur se ita mitem, in ipso verborum limine, exhibeat Deus: in causâ fuit, tenerrima illa clementiæ compassio, quâ Creaturam suam, timore vndique trepidam & algentem, incenso charitate pectore ferre non potuit. Pende Adami responsum: *Vocem tuam audiui in Paradiso, & timui, eò quòd nudus essem, & abscondi me.* v. 10. Ecquæ vox ista? Certè non loquentis Domini: iam enim absconditi erant v. 8. cùm Deus loqui cœpit, v. 9. Erat ergo deambulantis vox, quæ per Catachresim, pro strepitu ambulantium pedum, ponitur in hoc loco: ideo hoc v. 10. addunt LXX. περιπατοῦντος & noster v. 8. *Cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis.* Esto hoc ratum. Sed ecce non leuis surgit dubitatio. Suauissima fuerat illa Domini deambulatio, vt initio vidimus: vnde ergo sic timetur, vt reorum fugam sollicitet, & latibulum? Nimirum conscius sceleris animus, in immensum timoris causas adaugebat: vnde sic pauor, non tàm à Deo immissus, quàm culpæ admissus, miseros inuaserat, vt blandus deambulantis Principis sonus, reboans fulminantis strepitus, & pes leuiter incedens, durissimam intonare vindictam, putaretur. Audiendus D. Leontius, in Biblioth. Phot. Cod. 272. sic verba Adam paraphrazans. *Vocem tuam audiui ambulantis, & abscondi me. & cur timerem, satis erat, vel pedum suorum strepitus,* tanti

Lxx Interpr.

Peccatoris timor omnia adauget.

D. Leontius.

Peccator, sua ipsa conscientia conuictus.

tanti enim Iudicis, omnia clamant membra. Et cum rem cum tali reo habeas, non habeo causa dicendæ libertatem: suscipe timorem, qui peccatum meum purget, & qui sit Patronus tuæ iustitiæ: vincere te ostendi, fugiens sententiam tuam: crimina fugâ detexi, ostendens errorem defendi non posse. Quàm ergo pia interrogatio, quæ hunc timorem composuit & mitigauit! quæ amentem paulo ante reum sic reddidit prudentem: vt dum inexcusabile scelus fatetur humilis: & summum suum timorem, diuinæ iustitiæ exhibet in patronum, conuictus, diuinam sibi clementiam sortitur in patronam. Vide D.Irenæum lib. 3. cap. 35.

D.Iren.

826. Ergo animatus iam reus ad excusationem, animosus hanc allegat. *Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi.* Vers. 12. & quasi hæc esset iustissima excusatio, subitò transit Iudex ad mulierem: quæ proinde de serpentis fallaciâ excusatur: quod quasi iure faceret, totus contra serpentem, vt infra videbimus, Iudex iam inuehitur. Sed quomodo, quæso, poterat rationabilis excusatio videri, quâ vir, virtutum donis robustissimus, iam omni fœmina eiratior, à gulosâ mulierculâ prostratum se agnoscit: & mulier pro statu suo prudentissima, à bruto sibi subdito delusam se fatetur? Erat quidem clementissimus Princeps noster: & auidè in reorum incumbens absolutionem, has defensionis quisquilias, excusationis nugas, pro robustissimis amplectitur argumentis: & inanes futilésque aliunde rationes, tanquam validissima iuris præsidia admittit. D. Leontius citatus. *Habuit clementem Iudicem, & inuenit causam commiserationis dignam: ad imbecillitatem Euæ confugit, audiens Iudicem inquirere rem. O Patientem Iudicem! permisit omnem causam referri ad serpentem, vt leuiùs statueret deceptis crimen.* Quia ni foret summa Iudicis clementia, nec valeret responsionis futilitas; nec Adam illam posset inuenire: quasi ipse Dominus, etiam modum reis, vtcunque se defendendi suggessisset.

Iudex pius, afflictæ causæ rationes roborat.

D. Leont.

XIV.

Prædicti Iudicij pœnæ expenduntur.

827. AD serpentem ergo, vtpotè inexcusabilem, ita Deus: *Quia hoc fecisti, maledictus es inter omnia animantia, & bestias terræ, &c.* Vers. 14. Et quidquid inde sequitur, de terreno pastu, de pectore reptante, de capite conterendo, (quæ sic ad literam bestiæ conueniunt, vt symbolicè in diabolum deferantur) merâ & solâ maledictione vides contineri. Dæmon iste, qui serpente, dolis nectendis, organo vsus fuerat, ex iis erat, & fortè Princeps, qui in aëre, aut in terra relicti sunt post lapsum: quem proinde cùm posset Deus, nouo scelere fœdiorem, in tartara, dempta vagandi licentia detrudere: abstinuit tamen ab vltimo supplicij additamento, & sola maledictione contentus est. Et cur ita in illum clemens, qui nulla fragilitate, sed malitia consultissima deliquerat? res apto, ni fallor exemplo explicabitur. Cogita mihi Principem, qui è pueris suis, quendam ad cyathos, habet pretiosissimum: hic domino in delitiis, totam regij pectoris gratiam consecutus, à Dynasta quodam callido & perfidissimo, simplex decipiatur: vt Regi sanctissimo, infectum veneno calicem, ingratus porrigat. Detegatur subinde dolus, & Princeps comprehensis reis, in vindictam iustissimam, ab Aulicis, à Senatu, à Populo acuatur. Finge deinde, commota Principis clementissimi viscera in Puerum, quem dolo magis, quàm proteruia nouit delinquentem: hinc amore impellitur ad pietatem, hinc timore tardatur, ne æquo, quàm par fuerit, blandior denotetur. Quò ergo prouat? castigat priùs, multo leuiùs, quàm meruerat, dynastam seductorem, vt inde seducto puero, aut veniam, aut leuissimam pœnam sic adornet: nemo enim Principem, socordis cuiusdam teneritudinis erga puerum insimulabit meritò: quem erga Dynastam regali clementia præditum tenetur commendare. Sic in re nostra: Hoc certè fuit clementissimi Numinis stratagema. Fauet huic explicationi (mutuò fortassè indidem explicandus) Tertullianus, qui ad hunc locum post multa, ita lib. de Patient. c. 5. *Hinc prima iudicij, vnde delicti origo: hinc Deus irasci exorsus, vnde offendere homo inductus, inde in Deo prima patiētia, vnde indignatio prima: qui tunc maledictione solâ contentus, ab animaduersionis impetu, in diabolo temperauit.* Quid-ni ergo, in hominem seductum mitior veniat; addam ego, qui in diabolum seductorem mitis erupit? quid leuissimas pœnas homini arguatur imposuisse, qui contra Dæmonem, sola maledictione contentus, *ab animaduersionis impetu temperauit*, id est, à nouo inferendo supplicio se abstinuit?

Deus, in serpentem mitis, ne in homines, asperè insurgere cogeretur.

Tertul.

Et quidem, propterea non solùm leuiter, sed etiam priùs Dæmonem ferit: vt euibratus punitor gladius, directo ictui intensior, è reflexu solummodò; & quasi fatigatus, iam leuissimè hominem feriret. Mitiùs longè repercussæ sagittæ, & ferè auerso cuspide, infligunt vulnera, aut saltem hebetiori. Benè proinde D. Irenæus lib. 3. cap. 38. *Serpentem non interrogauit, sciebat enim eum Principem transgressionis factum: & maledictum primum immisit in eum: vt secundâ increpatione veniret in hominem: cùm enim Deus odiuit, qui seduxit hominem; ei verò, qui seductus est, sensim paulatimque misertus est.* Secundam increpationem dixit, quasi hebetem, quasi reflexam, & quæ sensim in veniam declinaret. Et planè ita est: nulla pœna Protoparentibus infligitur, quæ vt medicinam, sic etiam salutis, id est, veniæ pignus non importet. Percurramus singulas. 828.

Deus, iam contra homines temperat.

D.Iren.

Ergo ad Euam Deus: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in dolore paries filios: & sub viri potestate eris.* Vers. 16. En totum mulieris supplicium. Sed quantò faciliùs è culpa ipsa, sæuioris pœnæ districtio sumeretur? Cur non quæ diuinam scientiam garrula affectauit, elinguis redditur, vel stulta? Cur quæ æternitati Dominicæ anxia inhiauit; in ipso ætatis ingressu, rugis, canis, anilíque tremori non damnatur? Cur quæ pulchritudine superbiens, maritum deturbauit; ingentem speciem in turpissimam formam non commutat? Nihil fœmineo sexui detestabiliùs; at nihil videbatur æquiùs aduenturum: aptissimo quidem tormento, stolida, anus, deformis puniretur mulier simul, quæ ad singula horum expauescit. Nihil horum Deus: sed dum 829.

Deus, in ipsis pœnis, præbet beneficia.

dum dolores ingerit, filios annuntiat. Quid ita? D. Leontius citatus (versio deinceps & suprà, nostra est, & quo iure ab Scotto nostro tantus dissentiam, dixi alibi) ad hunc locum. *O Domini* D. Leontius. *Parens, filiorum successione, perennat.* *commiserationem! O indignationem, ipsiusmet victricem humanitatis legis dolores terminat, & gemitus: vt his inualescens, mortem voluptate exuat: dum multitudinem humani generis comminaturus Euam, dulci latificat mentione. Additionem successionis promittit dolens, Matrem Mundi eligit iratus, cadentem adducit in progressu.* Vincit certè suauissima hæc indignatio, omnem excogitabilem clementiam. Perennant in prolis successione parentes, & mortem rident, damnatur Eua morti, & tunc immensa successio, quà voluptuosè, ad immortalitatem reducitur, illi promittitur: dolens Deus peccati iniuriam, cùm fulmina vibraturus videretur, filios pollicetur: & Euam ab statu prisco cadentem, in progressus fælicissimos alios, cum magis irasci visus, piissimus adducit. Sic Agricola, dum grana visus proiicere, in vberrimas messes destinat cadentia.

830. *Pœna à Deo, medicina est vtilissima.* Obscura, & fortè deprauata in Græco codice sunt, quæ aliunde pulcherrima subiungit S. Doctor: nec satis apud Andream Scottum mihi clarent: verto igitur, vt potui, fidelissimè: pergit itaque D. Leontius. *In doloribus paries filios: Per ventrem illam instituit, per quem in ruinam venit, vetitum capiens fructum: puniatur ipsa partus doloribus, vt simul enormis illius cupiditatis calamitatem subeat; & sobolis multitudinem opponat Serpenti: vnde per multos prosternas illum, qui de vno tantùm gloriatur: & parias cum dolore, castè: quandoquidem læta, se ἀσυμφέρως, inutiliter peperisti.* Fuit ergo à clementissimo Principe medicinalis simul, & vtilissima pœna hic inflicta: quam ego sic putarem explicandam. Punitur Eua parturiens; ventris doloribus: vt quæ vetito arrepto fructu, ventri indulserat, vnde in ruinam (viderit Scottus, cur ἀλλῶν tam aliter vertat) venit: debitas pœnas capiat ad medicinam: sic tamen auidæ gulæ calamitatem portat, vt simul pariens, innumeros filios, seductori serpenti opponat ad vindictam. Sic fiet ô Mulier, vt per tot à te prodituros, egregiarum virtutum filios sæpe sis prostratura Dæmonem, qui nunc de vnius tantùm hominis lapsu gloriatur: sic paries legitimè & castè filios, sed cum dolore: quandoquidem paulo ante spiritualiter adultera, præuaricationis libidinem cum gaudio conceptam, inutiliter & cum omnium mortalium damno peperisti; id est, ad opus (gustato pomo) deduxisti. Sic ego: paratus à quouis alio, & vertens & explicans edo-
D. Ambros. ceri. Allucet etiam dictis D. Ambros. lib. de Instit. virg. cap. 3. post alia de Euâ, sic ad virum: *Habes igitur & culpa absolutionem, in confessione, & sententia, in executione. In tristitiâ, inquit, paries filios: condemnationis sua pondus agnoscit, munus pœnalis conditionis exequitur: pro te, mulier doloribus suis militat, & remunerationem ex pœnâ inueni t; vt per filios, per quos affligitur, liberetur. Facta est igitur gratia, ex iniuria, salus ex infirmitate: scriptum est etenim 1. Tim. 2. quia salua erit per filiorum generationem. Cum salute itaque parit, quæ cum tristitiâ parturiuit: & ad laudem*
831. *educat, quos peperit cum dolore.*
Quanto fæmina tanquã pupillus, tutore eget. Adhuc mitiùs, adhuc vtiliùs, quod subiungitur: *& sub viri potestate eris.* Nihil ignaræ & imbelli fœmellæ, patriâ potestate commodius; nihil pupillo, curatoris industriâ, pretiosiùs. Stultescenti admodum mulierculæ, quæ bruto credit, quæ bestiam in consilium aduocat, neque latentem Dæmonem agnoscit; & gustûs apparatu, diuinitatem somniat incundam: quid magis necessarium, quàm tutelaris potestas viri adueniret? Quid pullus, nisi sub his alis, ab inferno accipitre, passim non raperetur? ideo D. Leontius, *Subdituam Euam Adamo facit: libertas enim, inutilis illis, qui per se sapere nesciunt.* Additur tandem: D. Leontius. *Et ipse dominabitur tui.* Non est seruile hoc dominium: imò suauissima quædam ab immanissimo seruitio, libertas. Ancillam se Dæmonis, perpetrato scelere, reddiderat muliercula: & inde in liberum mariti ancillatum, id est amicum obsequium restituitur. Longè pulchrius, idem Leontius, quem sic verto. *Ipse dominabitur tui: habe virum Dominum, & non serpentem: inde dem itera ad meliorem vitam conuersa, vnde sumpta principium habuisti.* Idem. *Obedientiâ, Peccator restituitur.* Quasi dicat, ni fallor: reunire quodammodò, per obedientiam Marito, ô Eua: vt quæ ab illo sanctâ prodiisti, sanctitatem iterum, præuaricatione deperditam, recuperes: ad meliorem vitam conuersa obediendo, quæ miserè inobediens deliquisti.

Sed huius suauissimæ seruitutis iugum, visa fæmina promissæ sobolis benedictione, aut frangere, aut ita temperare: vt vicissim sub suâ potestate virum habere videatur. Nato primogenito Cain, exclamat Eua: *Possedi hominem, per Deum.* Genes. 4. v. 1. Formulam esse iuratoriam volunt aliqui, exultantis Euæ: vnde (ex mente Patriarchæ Gusmani S. R. E. Cardinalis, in vitâ Margaritæ Hispan. Reginæ, quæ vernacula legitur) amæniùs fortasse potiùs, quàm solidiùs, poterit explicari: viuit Deus, quia iam hinc maritum meum inuicem quodammodò possideo, quem pulchrâ facio sic prole parentem. Et quidem notum est, quàm soleat casta & fœcunda vxor, mariti sibi affectum, edito filio, deuincire. Gratior in hanc mentem versio ex Hebræo, apud Oleastrum: *Emi virum.* Quasi non vtcunque, sed iustissimo filij pretio, mariti sibi obsequia manciparet. Germana tamen littera, hunc hominem seu virum, de filio possesso potiùs capit, quàm de Marito: nec tamen ita, minor cum Euâ clementia diuina commendatur: maximè si cum multis ex Hebræo, (vbi deest propositio) *Possedi virum, & Deum:* vertendum putes, de quo acutè ibi Oleaster. *Neque improbo eos qui vertunt: Acquisiui, seu possedi virum, & dominum: quoniam iam videbatur domino reconciliata: cuius signum fuit, dare prolem masculam illi.* Sic enim post leues pœnas, reos suos sibi cælestis Princeps clementer reconciliat, vt non solùm amicus, sed etiam illorum possessio habeatur. 832. *Fæmina fæcunda, Marito imperat.* Genes. 4. v. 1. *Imo, & emit maritum.* *Quantū beneficiū à Deo accipiat fæmina, dum filios accipit.* Oleaster.

Venio ad pœnas Adami, vbi etiam diuina clementia pariter relucet: ait ergo Deus: *Quia audisti vocem vxoris tuæ: & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes: maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex eâ, omnibus diebus vitæ tuæ.* v. 17. Tota viri culpa, in gustando pomo vetito deprehenditur: & tamen inserit Dominus occasionem culpæ, quòd scilicet vxoris suæ vocem audiret: idque, puto, non vt culpam aggrauaret, sed imminueret. Mirus est ille naturæ impetus, quo coniuges indissolubili vinculo inuicem rapiuntur: ideo Plato, in legibus Matrimonialibus postulabat, vt ex viro & 833. *Coniugum vnio, quàm arcta.*

 muliere

muliere vnum quid fieret, quod apto vocabulo *Androgynum* appellabat: suffuratus ex sacro penu adiunctam literam: *Erunt duo in carne vna.*
Gen. 2. 24. Statius. Genes. 2. vers. 24. Hinc Statius lib. 5. Syl 1. ad coniuges.

Nec mirum si vos, collato pectore, mixtos
Iunxit inabruptâ, concordia longa, catenâ.

Id est, sic collato pectore, sic commixto corde, vt ex vtriusque massâ vnum fieret. Parco pluribus. Quid ergo aliud fuit, in peccato viri reprehendendo, vxorem suadentem interserere, quàm quodammodò excusatiunculam, ab Adamo, suprà datam approbare, & de coniugalis amoris impetu eius culpam apertè imminuere?
D. Leont. *Quanto impetu, indulgenda vxori, maritus rapiatur.* D. Leontius ibi. *Noua clementia, quæ priorem superat; animus paterni plenus amoris, mina plena consolationis! Oportuit, inquit, te mihi obedientem, mulieris aspernari consilium: nec legem, quam meâ manu scripsi, Eua digitis delere: cùm verò propter illam, quâ mulierem respicis habitudinem, incoercibili ad culpam impetu raptus es: accipe legem, quæ tuis consonet delictis, &c.* Scio quàm diuerso sensu vertat Scotus: quo iure, & in quem scopum, Docti viderint: Græcam fidem aduoco hîc, non Græcizantem: *ἐπεὶ δὲ χάριν γυναικὸς ἄχθον ἔχεις τοῦ κακοῦ τὴν ὁρμήν.* Pergo.

834. Et benè in prædictæ clementiæ pompam, Adamo reo, non ipse, sed sola terra maledicitur: *Maledicta terra in opere tuo.* Causam vidit idem
D. Leont. Leontius. *Adam peccauit, terra pœnam tulit; inde incepit doctrina, vnde causa fraudis germinauit: quòd plantis deceptus, mea præcepta neglexisti, tribulos & spinas habeat.*
Deus, instrumenta peccati; punit irat[us]. Innocens, fructûs vetiti arborem, germinauit terra: vnde abutenti homini, occasio delicti: & tamen maledicitur innocens, non tàm odio sui, quàm feruidissimo hominis amore. Sic in filium impiè aliquos ferientem, animaduersurus Pater, priùs detæuit in gladium, & perfringit, non quòd inculpabile ferrum non agnouerit, sed quòd amator ardens sic probat, quàm vellet filium, à scelere alienum. Igitur fracto innoxio instrumento, hebetat iram, vnde iam mitior puniendo filio accedat. Hoc egit Deus, & maledictam terram spinis fœdat, tribulis exasperat, quæ deceptricem plantam produxit innoxia.

835. *Deus, indidit nos punit, & instituit.* Hinc est etiam, quòd non tàm sterilem reddat, eiúsque plantas omnes redigat in cinerem: quàm iubeat, vt inter fæliciora alia germina, puncturos tribulos, cruentaturas spinas producat pariter: vt scilicet exinde homo curaretur: & vnde accepit venenum, antidotum & theriacam reciperet. Sed quanam, inquis, ratione? Nemo nescit trifidam & trisulcam appellari aliquorum serpentium linguam, quia ab vno stipite in tres velut stimulos senticosa diuiditur, quibus despumans ferit. Hanc exibrauit Dæmon serpentinus, qui tribus cuspidibus Protoparentes lancinans, diuinæ Trinitatis imaginem in miseris deleuit.
Sacræ Trinitatis imaginem, in nobis delere cupit Dæmon. Pungitur ergo spinis homo, terram colens: vt quoties cruentatur, toties memoriam & odium refricet spinosæ illius linguæ, vnde in culpam lapsus, & quasi rubricatis sanguine titulis, Pœnitentiæ erigat Trophæum: nec se, ampliùs, Dæmonis fallaciæ, testetur assensurum. Nunc
D Leont. capies concludentem sic Leontium. *Sapientium At doctorum est, morbi materiam; in sanitatis materiam mutare: & quæ nocere putabantur; vtilia esse laborantibus ostendere.* Multifida (πολυσχιδής) *lingua serpentum, spinas & tribulos imitata, ex vno ortu, in tres diuisa est stimulos. Hanc in instrumentum sumpsit inuidus, tanquam contra Trinitatem pugnaturus, & per vnum Adami imaginem, totam Deitatem calumnians: Adam illi obsequens, in Deum rebellat: per similes tamen res accipit doctrinam: vt hinc reprehensus, serpenti indignetur iustè, inimicitias cum illo gerens perpetuo.* Potuit-ne pœna vtilior infligi?

Sed magis maius aliquid hîc subiungo. Quæsiuit technas, inuenit diuina Principis nostri 836.
Clementia artes: quibus fulminata ista sententia, absque mendacio, staret simul & irrita maneret. *Miro clementiæ artificio, sententia in hominem lata, & vera, & irrita mansit per Christũ.* *In laboribus*, inquit, *comedes ex eâ omnibus diebus vitæ tuæ.* Quasi cogeretur miser homo, laboriosi instar bouis, iugum ferre, colendæ terræ, sulcandis agris, glebis terendis: idque quousque tandem moreretur. Allusit Ecclesiasticus: Ecclesi. 40. 1. *Occupatio magna creata est omnibus hominibus, & iugum graue super filios Adam: à die exitûs de ventre Matris eorum, vsque in diem sepulturæ, in Matrem omnium.* Cap. 40. vers. 1. En tibi Iustitiæ fulmen. Quid tunc Clementia? Agnoscens non posse frustrari diuina verba, modum excogitat, quò piissimè veniant interpretanda. Apparat igitur mortem dulcem in mortificatione vitiorum: quâ homines veterem vitam carnalem, & iugum Adami primi deponentes, iam deinde in secundo Adamo, vitam spiritualem, sine iugo ducant, absque labore transigant. Quasi sic alleget Clementia. Dixisti, ô Iustitia, & indixisti labores Adamo addens: *Omnibus diebus vitæ tuæ*: Ergo si Adam, non in se iam, sed in Christo viuat: iam non est vita sua, id est, carnalis, sed vita Christi, id est, spiritualis: & proinde laboribus non tenetur. Minaris illi iugum, vsque ad diem mortis, & sepulturæ, esto: si ergo moritur & sepelitur in Christo, iugum euitat: ideo Paulus: *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo, in Deo.* Col. 3. vers. 3. *Mortificatio, quam vtilis.*
Nihil suauiùs poterat fingi, quàm sic formari à Principe diuino sententiam, vt absque veritatis dispendio, infringatur. Acutissimè rem vidit Gellibertus, serm. 26. Gellibert. *Graue iugum, à die natiuitatis, vsque ad diem mortis eorum. Cuius putas mortis? Vtique eius, de quâ habes: Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo, in Deo. Bona hæc mors, quæ veterem sepelit natiuitatem, nouam inducit: mors bona, quæ seruitutem absorbet, generat libertatem: huius natiuitatis, liberi sunt filij. Bonus hic exitus vitæ, vt veterem exuentes Adam, simul graue iugum abiicimus.* Exemplo Tyronibus rem aperio. Portenderunt olim, (fingit Maro) Harpiæ miseris Troianis, non priùs fælicem vrbem erecturos, quàm si sic rabida fame torquerentur, vt ipsas *ambesas rodere mensas* coacti forent. Trepidant isti ad infaustam sententiam: quos tamen consolatur Vates Helenus. Æn. 3. Virgil.

Nec tu mensarum morsus horresce futuros:
Fata viam inuenient, aderitque vocatus Apollo.

Et certè inuenit viam, misericors Apollo: fecit enim, vt tortas ingentes panis, quas olim, mensarum nomine appellabant, postea absumerent. Sterit itaque Harpiarum oraculum, & tamen quo ad miseriam, irritum euanuit. Nihil ergo putauit Poëta posse grandius fingi, vt Fatorum benignitas,

nignitas, & pietas Apollinis celebraretur: quàm si artem, Oraculo illudendo & permansuro simul inuenirent. Sed hæc vt ficta sunt, sic illa, diuinæ Clementiæ, facta nobis gratulamur.

837. *Deus pœnas inflictas non duraturas cupit.* Non itaque in homine, iam per Christum, libero, quo ad tristes miserias, permansit maledictio: quandoquidem Iustus, & meliore vitâ iam respirans, labores ipsos hilaris adit, & sibi vtiles esse recognoscit. Vnde D. Irenæus citatus. cap. 35. *Propter hoc, & initio transgressionis Adæ, non ipsum maledixit Adam, sed terram in operibus eius: (quemadmodum ex veteribus quidam ait) quoniam quidem transtulit Deus maledictum in terram: vt non perseueraret in homine.* Perstat ergo in laboribus iustus, non iam laborans turpiter, sed gloriosè & quasi in stadio decertans: vnde gloriosissimas palmas, coronas immarcescibiles sibi comparet. Grauiter Iobius Monachus, in Bib. Phot. Cod. 222. *Illud quoque ad sapientiæ illius inexplicabilem prouidentiam pertinet: quòd tollens, mox ab initio, Deus, omnem de sorte nostra querimoniam: expertes ærumnarum delitias, nobis in Paradiso donat: donec deprehenso, ex factis nostris, inutilem hominibus esse, labore, ac miseriâ, carentem vitam: laborum ac miseriarum pondus, vita nostra inmiscuit pro remedio. Hoc nobis velut stadium & palæstram constituens, quæ magnum posset quæstum, ac multa præmia conciliare.* Et benè *Pondus* dixit: vt enim Apes, ne iactentur vento, apprehensi lapilli pondere se fulciunt: Sic homo, quouis tentationis flatu raperetur, nisi illum iniecta laborum pondera fulcirent. Quid? in ipsis Paradisi delitiis, non vtcunque homo constituitur, sed, *vt operaretur & custodiret illum*, Genes. 2. v. 15. de quo D. Leontius, *Creator ponens hominem in Paradiso, colere terram, & custodire iussit, ne ignauiæ se tradens, ad libertatem nimis proclinis, hostium insidijs pateret, inuidiæ accessu, Dei beneficia commutans.* Quid ni ergo iam lapso, grauiùs aliquod pondus requiratur: quod, licèt leuiùs, integro necessarium? has tu dixeris pœnas, an remedia? Sic certè procedit pœna, vt remedium perseueret: & iustitiam Dei suauissima temperet clementia. Scilicet contemneretur Deus, nisi cum remedio, seueritatis aliquid misceretur: quo nihil homini infaustius adueniret. Iterum D. Irenæus, *Condemnationem autem transgressionis, accepit homo tædia, & terrenum laborem, & manducare panem in sudore vultûs sui, & conuerti in terram, ex quâ assumptus est: similiter autem & mulier tædia, labores & gemitus & tristitias partûs, & seruitium, id est, vt seruiret viro suo: vt neque maledicti à Deo, in totum perirent: neque sine increpatione perseuerantes, Deum contemnerent.*

Laboriosa vita stadium gloriæ est.

D. Irenæus. Iob. Mon. *Otiũ homini perniciosum.* D. Leon. D. Irenæus. *Princeps absque aliqua seueritate contemnitur.*

838. *Cur non sit grauis pœna, mors humano generi inflicta.* Concludit tandem Deus, *Donec reuertaris in terram, de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris*, v. 19. Græca habent, ὅτι γῆ εἶ, καὶ εἰς γῆν ἀπελεύσῃ, *quoniam terra es, & in terram ibis.* Et quotula pœna ista tanto sceleri comparata? in terram conuertendus homo mittitur: qui verè dignus, qui sub terram, in profunda vsque Tartara demitteretur. An non diuinæ clementiæ imputandum, quòd quantum terræ conceditur, tantum Tartari adimatur: Meritò D. Bernardus in sermone S. Martini, ita ad hunc locum, *Grauis equidem sententia, sed non sine grandi misericordiæ temperamento: dura admodum, sed si merita penses, indulgentiæ plena: si quidem non minus iustè peccatori diceretur: Terra es; sed ex hoc, sub terram ibis.* Ecquis enim, non apicem clementiæ, Regem illum attigisse iudicaret: qui seruum & puluere & radio excitatum, id est ex sordibus vilissimæ conditionis, aurâ fauoris sui, ad culmen ingentis dignitatis euectum: postea perfidè rebellem, noua molientem, regnum affectantem deprehenderet: nec tamen in illum grauiùs animaduerteret, quàm ablato honore, pristino statui illum reddens; & ab augustâ aulâ in priores tugurij angustias remittens? qui hoc vltimum clementiæ beneficium, priscis omnibus donis, præponderare non viderit, cæcutit. Sic in re nostra Deus erga hominem ingratissimum: vnde post multa concludit sic Bernardus: *Quid causaris ô homo, quid sententiam quereris duriorem? terra addictus es, factus è terra: vt ipsa sit tibi Patria, quæ materia fuit.* In terram ergo it, qui sub terram inferiùs ire merebatur.

D. Bernard. Idem.

839. *Mors infelicibus dulcis & optata.* Parum id, aliunde adhuc mors ipsa, beneficium & illud maximum: pulchrè enim Horatius alicubi: *qui seruat inuitum, idem facit occidenti.* Græca est constructiò. q. d. Qui inuito vitam confert, tam malè vexat, quàm qui nolentem occidit. Scilicet inuita vita omni morte deterior. Ideo garrulo numini minatus pœnas Iupiter (apud Claud. 3. de raptu) ita,

Sentiet iratam procul ægida, sentiet ictum Claudian.
Fulminis: & genitum diuinâ sorte pigebit:
Optabitque mori.

Sic alius, nescio quis apud Poëtam, cùm immortalis conditione, pœnas pati cogeretur, ait:

Quò vitam dedit æternam? cur mortis adempta
Conditio? possem tantos finire labores.

Quis ergo non videat, quàm dura post amissionem gloriosi illius status, Adamo vita? quàm mors in votis? quid non à peccato resipiscens, & corruptam iam indolem, semper malo inhiantem sentiens: & legem illam in membris, legi mentis repugnantem expertus, finem ingemens precaretur? Pulchrè ergo D. Method. apud Phot. Cod. 234. *Propterea enim a Deo, peccatori mors infertur, ne malum esset æternum. Sed quâ ratione hoc intelligendum est? Secundùm quod idem ab alijs nostris Patribus est traditum: scilicet mortem subeuntibus, peccata nec augmentum recipere, nec diminutionem.* Inuoluit priscam sententiam, obstinatis noua peccata denegantem: quæ hodie minùs probatur. Ad rem nostram, satis est, si inde Adamo iam pœnitenti, sicut in multis Iustis experimur, inde dulcem credamus mortem: quòd absorpto fomite, & peccati occasione, tot in beneficum Numen crimina euitantur. Quid enim immortalis vita peccatori pœnitenti non desipiat, cui immortalis fomitis libido insigeretur? Fit ergo Protoparentibus, spe mortis, vita minùs fastidiosa, fomes tolerabilior. Concludit aptè Methodius: *Hinc Deus mortem, qua deleret in nobis peccatum excogitauit: ne in nobis, si immortales mansérimus, etiam concupiscentia semper repullulans esset immortalis.*

D. Method. *Mors adimit occasiones peccati.* D. Method.

XV.

XV.

De his, quæ prædictum Iudicium subsecuta.

840. VIdisti, quæ, hoc primum Iudicium præcesserunt, quale exerceretur ipsum; videamus tandem quæ illud subsecuta, neque, minoris clementiæ odore respirantia demiraberis. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & vxori eius, tunicas pelliceas, & induit eos.* v. 21. Paraphrastes Chaldæus vertit: *Fecit Dominus Deus Adæ, vestimentum honoris, & induit eos.* Ex quibus verbis, in Tomo nostro Concept. fusissimè illustraui, in his honoris pellibus, arrhas accepisse Protoparentes, immortalis illius velleris, quibus immaculatus Agnus, artifice Mariâ, nos erat induturus. Nihil inde delibo, tu ni piget, recole: alia expendo: quæ tenerrimam Principis nostri clementiam subindicant non minùs. Dubitant multi, cur cum Protoparentes nudos se senserunt, *folia ficus* sibi in perisomata consuerent v. 7. quæ semper aspera, & tunc vigenti primæ originis exortu, asperrima haberentur? Cur enim non potiùs è blandissimâ vite, è Platano lenissimâ: aut e consimili arbore, folia æquè lata, & longè molliora, non decerpunt, in vestem? & respondent notis illis verbis D. Irenæi, cap. 37. vbi ita, *Per succintorium in facto ostendit suam pœnitentiam: folijs ficulneis semetipsum contegens, existentibus & alijs folijs multis, quæ minus corpus eius vexare potuissent. Condignum tamen inobedientiæ amictum fecit, conterritus timore Dei, & retundens petulantem carnis impetum: quoniam indolem & puerilem amiserat sensum, & in cogitationem peiorem venerat frenum continentiæ, sibi & vxori circundedit.* Quid ad hæc, suauissimus Iudex? quasi Pater, qui postquam inquieto filio, quem delitias habet compedes nectit, dura vincula: quæ tandem paulo post, amoris teneritudine vrgente, iubet amoueri, & mitiùs resipiscentem iam puerum tractari permittit: Sic Deus suauiora iam pœnitenti Adamo parat indumenta: fit ipse, ferinæ pellis sutor, qui cælum sicut pellem dilatârat: & tunicas pelliceas, nuditati offert obuelandę. Subiungit igitur meritò Irenæus. *Et hoc videlicet semper habuisset indumentum, humilians semetipsum: nisi Dominus, qui est misericors, tunicas pelliceas, pro folijs ficulneis, induisset eos.*

Chal. Paraph.

Afflictio carnis apud pœnitentes antiquissimas hæret, & hinc discatur.

D. Irenæus.

Deus, erga pœnitentes, suauissimus.

841. Sed cur, inquis. Si ita clemens Iudex, miseros protoparentes, immortalitatis purpurâ exutos, corruptibili saltem panno non vestiuit? an non incomptæ animalium pelles, quasi in opprobrium illis adaptantur, qui aucupes diuinitatis, spe suâ frustrati gemebant: vt brutorum venatores, vilium voluptatum spoliis induti denotentur? Absit: nulla tunc illis vestis comptior, quia nulla vtilior esse poterat. Ingens ab speratâ morte, vt suprà vidisti, beneficium acceperunt: in mortuorum ergo animalium pellibus, quid ni quasi obsides titulos, promissæ mortis gestâsse glorientur? Adhuc plura ex D. Methodio citato, quem sic vertebam: de Adamo loquentem. *Quem Deus omnipotens, cum immortalem fecisset: sciens eum ex insidijs Diaboli prauum factum, sicut erat qui eum deceperat diabolus: propterea illi pelliceas vestes concinnauit, quasi illum induens mortalitate: vt per corporis solutionem, omne quod in eo malum erat, moreretur.* Non itaque poterant meliùs adornari, quàm spe morituri peccati commebantur.

Memoria mortis, quam vtilis.

Methodius.

842. In idem recidit, quod statim addit Textus: *Nunc ergo, ne fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum &c.* v. 22. Pende illud, *ne fortè:* Sciebat enim iam Deus, non vltrò Protoparentes ad vitæ arborem recursuros, vtpote qui sibi fæliciorem iam mortem agnoscebant: eiicit tamen illos à Paradiso, ne fortè vehementi aliquâ Dæmonis tentatione denuò delusi, eius fructum gustarent, & vlcerantis fomitis immortales miserias fouerent. Ergo qui mortem inferens, ingenti illos mactauerat beneficio: sublatis, immortaliter sub concupiscentiâ viuendi, occasionibus, nouo beneficentiæ additamento cumulauit. D. Ireneus cap. 37. *Quapropter & eiecit eum de Paradiso, & à ligno vitæ longè transtulit; non inuidens ei lignum vitæ, (quemadmodum quidam dicunt) sed miserans eum, vt non perseuararet semper transgressor: neque immortale esset, quod esset circa eum, & malum interminabile & insensibile, &c. Prohibuit autem eius transgressionem, interponens mortem, & cessare faciens peccatum: finem inferens ei, per carnis resolutionem, quæ fieret in terrâ: vti cessans aliquando homo viuere peccato, & moriens ei, inciperet viuere Deo.*

Mors ipsa, miseris, quam iucunda.

D. Irenæus.

843. Adhuc tamen dum Paradisus ipse ad illorum domicilium interdicitur: nec tam arbor eradicatur, quàm illi, à delitioso loco dimouentur: pœnam aliquam non leuem, dices intercessisse: Fateor, reis enim vt suprà dicebam, ne Numinis Ius contemnerent, necessaria: nihilominus, quanta huic pœnæ admisceatur clementia, disces ex textu, qui ita pergit. *Emisit eum Dominus Deus de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de quâ sumptus est: eiecitque Adam.* v. 23. Notandæ enim diuersæ voces, quibus nunc emitti dicitur, nunc eiici: *emissio* suauitatem: *eiectio*, violentum iræ denotat impulsum: nimirum in vno Adamo, omnes homines puniebantur: quorum licèt quidam contumaces, in æternum torquendi eiicerentur: alii tamen, citò in gratiam reuocandi emittebantur. Sic ergo temperatur in Adamo hæc pœna: vt dum turbatur de eiectione expellente, simul de beneuolâ emissione recreetur. Acutè Philon Iud. lib. de Cherub. *Nunc dicit expulsum, quem modò emissum dixerat, non temerè ponens hæc vocabula, sed sciens, quam appositè ad res, propriéque disponat ea. Qui emittitur, redire non vetatur: quem autem Deus expellit, is æterno damnatur exilio. Nam ei, qui nondum valde tenetur à malitiâ, datur reditus, tanquam in patriam, ad virtutem, vnde exciderat: eum verò, qui vehementer obnoxius, morbo insanabili premitur, necesse est ferre sua mala, in omne æuum fine fine damnatum in loca impiorum, vt sustineat merum continuúmque infortunium.* Vbi etiam aduerte, cùm emittit piè, tunc Dominum, & Deum appellari: qui dum seuerè eiicit, non solùm dominicæ Maiestatis titulos, sed ipsum Dei nomen, visus dissimulâsse: vt extremum supplicium, minùs mitissimo suo ingenio ad gustum, declararet. Quod pulchro Isaiæ loco iam declarò.

Lapsos, Pœnitentia facilè restituit.

Philo Iud.

844. De punituro igitur Deo, impios sic Propheta. *Sicut enim in monte diuisionis stabit Dominus; sicut in valle, quæ est in Gabaon irascetur: vt faciat*

Isai. 28. 21.

ciat opus suum, alienum opus eius: vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo. Et nunc nolite illudere, ne fortè constringantur vincula vestra. Cap. 28. à vers. 21. Quomodò enim vindictæ opus, quod *suum* dicitur, tunc maximè *alienum* prædicatur: nisi quia, dum suum est de iure vindicis, de clementis Principis genio, reputat alienum? Stephanus Cantuar. (in Sylu. Allegor. ad cap. 1. Naum) in hunc locum ita. *Quasi alienū est hoc opus à Deo: cui proprium est, misereri semper & parcere.* Et propterea, quasi id ab hominibus vellet intelligi, idem bis inculcat: ne si res minùs pateret, diuinæ clementiæ iniuria irrogaretur. D. Hieron. ibi. *Non est opus Domini perdere quos creauit: sed facere opus alienum, quod ad crudelitatem magis, quam ad misericordiam pertinet.* Rursúmque id ipsum aliis verbis repetit: *vt operetur opus suum: non est opus eius punire peccantes, sed peregrinum & alienum ab eo, vt puniat, qui Saluator est.* Benè igitur tunc *Dominus Deus* dicitur, cùm Adamum emittit inflictâ pœnâ curandum, & paulò post reuocandum: quia tunc opus propriè suum faciebat: benè hi tituli subticentur, cùm in illo, expellit impœnitentes, in æternum damnandos: quasi opus à Domino Deo Saluatore esset alienum: vtpote quod à proteruiâ potiùs culpæ, quàm à Domini voluntate venire præsumatur.

Pœnarum inflictio alienum opus à Deo. — Steph. Cant. — D. Hieron. — *Quia perditio nostra, à nobis est.*

845. Hinc attentissimè Apostolus, Romanos suos instituens, sic scribit. *Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multâ patientiâ, vasa iræ apta in interitum: vt ostenderet diuitias gloriæ suæ, in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Cap. 9. vers. 22. Vbi iræ vasa dicitur sustinere, quasi violentus; qui volens, misericordiæ vasa fertur præparare. Quia nimirum refugit, tanquam ab opere alieno, Author pœnæ, & interitûs appellari. Ideo in his nudam *Potentiam*, nullo addito titulo, dicitur ostendere: qui tamen *Diuitias gloriæ suæ*, quasi iactabundus, in præparandis misericordiæ vasis, voluit ostentatas. Benè ergo Caietanus ibi. *Vide differentiam; totum quod est electorum, attribuitur Deo: ipse præparator gloriæ, ipse præparator vasorum ad gloriam.* An non igitur, tunc *Dominus Deus*, signanter profertur, cùm emittit rediturum Adamum: quod tamen cùm deploratum eiicit, subticetur.

Rom. 9. 22. *Sicut nostra salus propriè Dei opus.* — Caiet.

846. Emissis Protoparentibus, concludit tandem Textus. *Et collocauit ante Paradisum, Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Vers. 24. Splendet hîc etiam consimilis clementia. Vnus tantummodò gladius assignatur: non tamen vnus Cherub, sed plures Cherubim ibi apponuntur: vt dum vnus tandummodò armatur, cæteri quasi pacifici agnoscantur: magísque cælestium togatorum Aula, quàm militare præsidium, ingressus ille videretur. Vel potiùs, vt dum vnus tantummodò expellit obstinatos, multi in amplexandis redeuntibus pœnitentibus occupentur: cupiente nimirum Deo, vt bellica custodia Iustitiæ, inter pacificas Misericordiæ blanditias delitesceret. Hoc est, quòd ipsissimus gladius, non fixus & stabilis in situ dicitur, sed *versatilis*, ne pœna fixa & stabilis putaretur: huc ac illuc versatur, quasi ipso suo motu, amouenda quandoque agnoscatur, & reuersuris, loco tandem cessura. Lyranus ibi. *Per hoc, quòd gladius flammeus ponitur ante Paradisum, designatur, quòd manente peccato mortali, non est reuersio ad Ecclesiam militantem, secundum meritum: dicitur tamen gladius versatilis, quia si vera pœnitentia sequitur, homo, secundùm meritum, ad eam reuocatur.* Versatilis igitur ponitur Pœna ista, quia tandem per clementiam amouenda. Scilicet sola obstinatio culpæ, immobilem, & quasi constrictam sibi, vinculis, pœnam retinet.

Angelorum erga nos officium. — *Pœnitentia facile restituimur.* — Lyran.

Huc reuoco vltima illa verba Isaiæ, ex c. 28. suprà citato: *Nolite illudere, ne fortè constringantur vincula vestra.* Quæ multi ibi, cum D. Hieronymo, *de peccatorum funibus* explicarunt. Ego tamen, dum peccatores hos audio; adhuc ad illudendum animatos, nescio quid in his vinculis aucupor; vt existimem, doluisse Deum, constringi has catenas, quia eisdemmet videbatur diuina Clementia, (ne prodiret in veniam) colligata. Prædicat Baptista Pœnitentiam, & culparum veniam, adhibito contritionis officio, edocet inuentam. Quid tunc Herodes, qui vt erat tot sceleribus obligatus, diligenter quæsiturus absolutorem videbatur? *Tenuit Ioannem, & alligauit eum, & posuit in carcerem.* Matth. 14. vers. 4. de quo acutè Chrysolog. serm. 127. *Qui vincula soluerat peccatorum, peccatoris vinculis alligatur: vt vincta venia, locum veniæ non relinquat.* Quasi eò aliquando proteruiæ deueniant peccatores, vt diuini Principis alligent clementiam, ne & ipsi soluantur: aliàs, sic prona ad veniam, sic ad pœnam inuita, vt nisi impediretur, subitò miseros expediret. Suâ ergo reorum culpâ, dum venia tenetur vincta, immobilis etiam pœna perseuerat: quam Clementia diuina, mobilem, & vt in Adamo *versatilem* mallet.

847. Isai. 28. — *Peccator peruicax seipsum constringit: imò & diuinam clementiam ligat: ne misero culpa condonetur.* — Matth. 14. 3. D. Chrysol.

848. Neque mirum, dum pœnam distringit Deus, necessariò, curandis Protoparentibus, infligendam, illam saltem & mobilem & *versatilem* constituat: aliunde enim, seueram legem, & iudiciariam Potestatem suam, non tàm vt duret puniens, quàm ne punitura prodeat, quodammodò sub vinculis clausam, solet continere. Claudebatur in Arcâ fœderis lex & virga: de quo D. Augustin, tom. 4. quæst. 105. in Exod. *In lege, præcepta sunt, virga Potestatem significat.* Vt nimirum virga Potestatis puniat, adiunctæ sibi legis violatores. Fecit ergo ex Arcâ suâ, quasi carcerem legi & virgæ piissimus Princeps: Sicut enim auarus homo (quod initio huius operis fusè dixi) diuitias suas, ne prodeant, incarcerat in Arcâ, sic Deus incarcerat pœnas, quia vt harum auarus, sic prodigus clementiæ reperitur. Maius est, quod *Propiciatorium*, id est, ipsissima Clementia, desuper hanc arcam ponitur in propatulo: vnde dicitur: *Quo operienda est Arca:* Exod. 25. vers. 20. Quasi ibi tanquam carceris custos excubaret: dúmque vincta lex iacet, & Iudiciaria Potestas delitescit, superexaltata Clementia triumphet. Fauet citatus Augustinus. *Quia lex à quouis proficiente, non ex omni parte completur: Propiciatorium est desuper, ad hoc enim opus est vt propitius sit Deus. Et ideo desuper ponitur, quia superexaltata Misericordia, Iudicio.* Id est, omnia apud Deum Iudicia cedunt Misericordiæ, quæ proinde super omnia opera ejus constituitur. Quid-ni dum prædicti Iudicij pœnas distrinxit, mobiles illas faceret & versatiles, quasi paulò post iterum in carcerem ...

Iram suam carceratam habet Deus. — D. Aug. — *Liberam & triumphantem clementiam.* — Exod. 25. 20. — D. Aug.

peræxaltata Clementiâ, ne vlteriùs sæuiant, reducendas?

849. *Quodammodo erubesceret Deus, si priùs punitor, quàm Saluator pareretur.*

Fusius, quàm putâram, Protoparentum causam, & diuini clementiam Principis, discussi: neque pœnitet; non enim aliunde aptiùs terreni Principes, & terrenis dominantes, ad clementiam iustam instituentur: quàm communium terrigenarum Parentium, & communis Principis Dei, inde supplicium, hinc Misericordiam recolentes: eò vel maximè cùm hoc Iudicium, tam disertè Scriptor Sacer putaret scribendum: qui priùs aliud Angelorum iudicium iussus dissimulâsse: de quo ita Alcuinus quæst. 3. in Gen. *Quare Angelicum peccatum, silentio in Genesi absconditum est: & hominis patefactum? quia Angelicum vulnus, Deus non prædestinauit curare: hominis verò sanare prædestinauit.* Quasi suppuderet quodammodò Iustitiam diuinam, quòd primam creaturæ culpam misericorditer excipere noluisset: ac proinde tunc postea in notitiam veniret Angelorum pœna, cùm exhibita hominibus clementia præcessisset: ad cuius conspectum, obuelari illius furores, minus asperi viderentur. Sic igitur fusissimè secundùm scribitur iudicium, vbi per clementiam, vulneri medicina procuratur: quasi hinc, & non inde, exemplar vellet Principibus ministrandum.

Alcuin.

XVI.

Coaceruantur aliunde plufcula, Principum Clementiam formatura.

850. *Pœna grauis non nisi post longam disceptationem inferenda.*

NEc adhuc his contentus, aliunde plura congerere, operæ grande pretium duxi: sic enim clementiam Principi puto necessariam, sic aliunde sub arroganti Maiestatis fastu, periculosam, vt nunquam de illâ dictum satis videatur. Obseruet ergo in primis Princeps meus, vt nunquàm in pœnas rapidus feratur: quæ diutino præmeditatæ consilio, & longâ detentæ patientiâ veniant, necesse est. Creuerunt, post Adamum, hominum scelera: & crescentis quodammodò diuinæ clementiæ, in ipsis pœnis, argumenta manifestantur. Hinc illa Dei verba: *Non permanebit spiritus meus in homine, in æternum, quia caro est.* Genes. 6. vers. 2. Aliqui ex Hebræo vertunt: *Non disceptabit spiritus meus, &c.* Sed quæ, inquis, erat hæc disceptatio Spiritus diuini; aut qualis, in illâ æternæ beatitudinis serenitate, potuit esse contentio? distrahebatur quodammodò diuina illa mens, inter disceptantium inuicem Iustitiæ & Clementiæ allegata: hinc Deus ad veniam, inde ad vindictam impulsus: licèt enim peccata multiplicarentur, at clementia potens, pœnas retardabat; tandem grassante libidine, & vetitis carnis congressibus erumpentibus, extorquetur sera vindicta, & Clementiæ causa, violento reorum impulsu, cadit. Lyranus ibi, post alia. *Aliter exponit Rabbi Salomon: dicens, quòd est hæc veritas literæ: non disceptabit spiritus meus, &c. Quasi diceret Deus: vsque nunc tenui sententiam de deletione generis humani, per diluuium, in suspenso, per modum cuiusdam disceptationis: sed ex nunc profero in sententiam, quia Caro est, id est, nimis implicatus peccatis carnalibus.* Vbi obiter nota, quàm grauis culpa sit luxuria, quæ superatâ, si fas dicere Clementiâ diuinâ, necessariò iustitiam diuinam dicitur incurrisse. Vtcunque sit, non potest hæc clementia, maxima non haberi, quæ tamdiu habuit disceptationem pro homine, ne rapidè lata sententia putaretur.

Gen. 6. 2.

Lyran.

Curet deinde Princeps meus, è suâ, Ministrorum suorum Clementiam instituere, delegatósque Iudices, quibus vindicatiuæ Iustitiæ partes committit, in misericordiæ viscera prouocare: vt quodammodò, è Iudicibus, in reorum Patronos, quantum res patitur, adhibeantur. Præcepit Deus Eliæ, (qui iurata & Iudicis, & Auctoris accusatione, in Isräëlem reum sæuiebat,) quando iam mitissimi Corui exemplo, ad clementiam, illum impellere nô potuit, vt abiret in Sareptam, famis tempore, à paupercula viduâ tolerandus. Dum ibi alitur, occiditur à Deo, piissimæ altricis suæ filius vnicus. Cogitur ergo Propheta in preces pro defuncto, dicens: *Domine Deus meus, etiam-ne viduam, apud quam ego vtcunque sustentor, afflixisti, vt interficeres filium eius?* 3. Reg. 17. vers. 20. Sed vnde quæso, Deúm mortis huius præternaturalem auctorem recognoscit Propheta? Vnde in se fulminatum hunc casum subodoratur? respondet ex ore Eliæ, D. Chrysostomus in Homil. *Heu mihi Domine! viduæ, apud quam ego habito, tu occidisti filium. Non est mors ista naturæ euentus, tuum opus est, tuæ technæ, quibus me in Misericordia necessitatem adigis, ad misericordiam me compellis. Sentio artes tuas: hoc agis Domine, vt si dixero tibi, salua filium viduæ mortuum; tu mihi ex aduerso respondeas: filium meum Israel, tu, fame occisum, misericordiâ dignare.* Nihil maius dici potuit. Verè regales has technas pro rerum qualitate Princeps prudens exquirat, quibus neque delegatos suos priuat potestate, & aliunde sic vrget ad clementiam, vt Iudices & accusatores, Patronorum partibus cogantur obeundis. 851.

Princeps clemens, seueriores Ministros suauiter cogit ad clementiam, iustitia non violata.

3. Reg. 17.

D. Chrysost.

Profusissima tamen, tunc Principis clementia collucet, quando in ipsorum reorum manibus, quos, licet conuictos, ob prudentem tamen aliquam rationem, destinat absoluere, suffragium collocat salutis. Cui etiam præibit Christus in exemplar, dicens. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis Pater vester cælestis delicta vestra: si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Matth. 6. vers. 14. Quod deinceps. Cap. 18. in seruorum Parabolâ latiùs explicauit: de quo grauissimè vt solet D. Leo Magnus serm. 5. Quadrag. *Non longè est ab vnoquoque, quod posuit, cum de benignitate supplicis, sententia pendeat iudicantis: qui humanarum precum misericors & iustus adiutor, æquitati suæ, de nostra lenitate præscripsit: vt non haberetur, in eos, ius seueritatis, quos non inuenisset cupidos vltionis.* Pende illud, *Præscripsit*, id est, leges posuit, terminos assignauit lenitas nostra diuinæ seueritati, vt eò vsque fluat ista, quò illa spreuerit præuenire. O lucerna, radiorum solarium hebetatrix! O columba imbellis, Aquilæ generosæ expugnatrix! ô fluuiole, intumescentis Pelagi absorbens tempestatem! Sed omnia ista deficiunt, aut desipiunt exempla, vbi humana lenitas diuinæ iræ repagula circunscribit, diuini tardat fulmina furoris, diuinæ vindictæ impetum refrænat; concesso, ad reorum libitum, suffragio salutis paratissimo 852.

Summa clementia est, reorum manibus, non violata iustitia, suffragia salutis propria collocare.

Matt. 6. 14.

D. Leo Mag.

Humana clementia, diuinæ iustitiæ terminos præscribit.

tissimo. An non adhæreat diuino, humanus Princeps, vt alleuandis suorum quandoque pœnis, iubeat parata quædam obsequia subrogari? Certè dum sic iræ suæ, de subditorum officiis præscribit Princeps, digno Maiestatis stemmate coronatur. Et fortasse ideo Deus, dum hîc ignoscens dicitur, *cælestis Pater* appellatur: non sic, sed solùm *Pater*, quando puniturus describitur: quasi vix velit gloriæ suæ titulis decorari, cùm vindicaturus procedit: quod iam suprà non semel adnotaui.

853. *Clemēs Princeps, quasi obliuiosum pœnarum se exhibeat.* Adhuc id parum: obliuiosum quodammodò, vindictæ sumendæ, cupio Principem meum quasi clemens, sic ad pœnas procedat inuitus, vt illas prætermittere voluisse, coniectetur. Fugatis Amalecitis, ait ad Moysem Deus: *Scribe hoc, ob monumentum in libro, & trade auribus Iosue: delebo enim memoriam Amalec, sub cælo.* Exod. 17. v. 14. (Exod. 17. 14. Vers. Hebr.) in Hebræo clarius, *scribe hoc in memoriam:* id est, vt bene notat Oleaster ad litteram: vt non deleatur memoria vindictæ sumendæ ab Amalecitis, quos post longa sæcula Saul, 1. Reg. 15. (1. Reg. 15.) funditus deleuit. Illud hic dubium, cur Scripturæ memoria hîc opus esset: cum postea Dei monito, vindictam ab hoc populo sumere, deberet Israel: Deus autem, memoriali neutiquam indigebat? Respondet tamen ad mores, optimè idem Oleaster. (Oleaster.) *Expende hîc, qualiter pius Pater, se, præ se ferat, in nostrâ punitione, obliuiosum, vt libro & scripturâ sit opus, ad memorandum. Vt nobis ostendat, quàm inuitus puniat, & quam lento gradu, ita tamen aliquando castigat, vt progeniem omnino deleat.* Sic pene obliuiosum puniendi cuperem Principem meum: vt solùm obseruandæ iustitiæ memoriali, ne prauum exemplum serpat, excitari in vindictam videatur.

854. *Communitas nunquam tota punienda.* Caueat tamen Princeps, ne ita diuino huic gesto, sibi vndique putet inhærendum, vt aliquando totam progeniem, id est vniuersam aliquam Prouinciam omnino putet delendam. Id quandoque, iustissimas ob causas, vt in hoc loco, fecit diuinus Princeps: non tamen humanis Principibus id voluit permissum. Præterea, quæ multa hîc profani Scriptores, de totâ communitate obnoxia non puniēdâ, sed scelestis scelestioribus extremo supplicio capitibus; in turbam aut leuiùs, aut omnino clementer procedendum: aliunde, non tam reos punire, quàm regnum sibi eripere, Princeps notaretur: Pauca tantum è sacris huc delibo. Transacto iam Diluuio, ait ad homines Deus: *Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquam vltrà interficietur omnis caro, aquis diluuij.* (Genes. 9. 11.) Genes. 9. v. 11. Non simplici promisso, sed iurato fœdere, rem putat stabiliendam: quo timidis, immutabiliùs seruanda nosceretur: Credo ne Principes puniendæ totius communitatis prætextum, temerè hinc arriperent: visâ enim primo totius Orbis diluuio, & nouâ identidem subsecutura forte, pertimentes putarent, quandoque sibi licitum in communitatem noxiam desæuire, absit, inquit Deus, id semel iustissimis de causis factum volui: nec iterum, ne exemplo abutamini repetendum. Oleaster ibi. (Oleaster.) *Docemur hîc Prælati, ne in totam communitatem saniant. Vnde & Iure prohibetur, communitas excommunicari.* Nimirum vt paulo ante dicebam, non solùm clementia debita, sed propria etiam vtilitas, Principem huc impellit.

855. Est optimum, in hanc rem, Exemplum ex libro Exodi. Peccat Populus, & fidem tot sacramentis Deo debitam, turpissimi vituli cornibus obiicit sacrilegè ventilandam. *Tunc iratus Deus ad Moysem, ait: vade descende, peccauit Populus tuus, quem eduxisti de terrâ Ægypti.* cap. 32. v. 7. (Exod. 32. 7.) Iámque districto gladio, in vniuersum Populum delinquentem, parabatur vindicta: cùm sic Moyses intercedit. *Cur Domine irascitur furor tuus, contra Populum tuum, quem eduxisti de terrâ Ægypti, in fortitudine magnâ, & in manu robustâ?* (Vers. 11.) v. 11. Mira verborum connexio! eductum Populum Moysi assignat Deus: quem tamen Deo assignandum, respondet Moyses: neque mentitur iste, nec ille mentiri potest: alter eductionis author, alter minister fuit: & alteri dominium Populi, vt supremo Domino, alteri vt œconomo assignandum. (*Ne tam exercitium iustitiæ, quàm abolitio imperij procurari videatur.*) Illud dubium, cur tantopere curet Deus Populum eiúsque libertatem, reiicere in Moysem, quasi iam à se penitus abdicandum: & cur è contra Moyses, nihil sibi omnino, sed Deo totum ius contendat reseruandum? Respondet ad rem nostram pulchrè ibi, idem Oleaster. *Attende huius sancti viri summam prudentiam: nouerat amabile, bonum vnicuique proprium: audierat Deum, Populum vt rem non suam, neque ad se pertinentem, reiicere: ideo conatur Populum Dei facere, vt prohibeat perdere. Tu vocas Populum meum, vt perdas: ego assero tuum, vt parcas. Tu liberationis opus in me fragilem transfers: ego in te, qui hoc manu forti fecisti, refero.* Sit ergo tibi amabilis Populus, licèt reus, mi Princeps, quia tuus est: qui Deo eodem titulo, & sub grauiori scelere, amabilis perseuerat: parce clementer multitudini, in paupertatem, si iugulas deuenturus: cui Deus, è se sibi sufficiens, parcere destinauit.

Est adhuc Clementiæ regiæ omnino obseruandum, vt quando necessariò supplicia inferenda, Princeps diro spectaculo non intersit. 856. *Princeps spectandis supplicijs non intersit.* Omnem Tyrannidis sæuæ lineam attigit Caligula, inde tamen immanior apud Politicos traducitur, quòd vt habet Suetonius cap. 11. (Sueton.) *Animaduersionibus, pœnisque ad supplicium datorum, cupidissimè interesset.* (*Dedecet id Principis pietatem.*) Indigna nimirum piissimis Principis oculis, tam funesta scena: zelantis Iustitiæ fuerit fudisse sanguinē: at tyrānici, furoris, fusum auidis oculis bibisse. Reorum etiam Pater est Iustus Princeps: & quas æquitate integer, iubet pœnas exerceri: clementiâ fractus, exercitas non sustinet intueri. Iussit Aulus Posthumius, dilectum filium occidi, quia licèt triumphator redierat, tamen absque Ducis præcepto (quod erat contra Militiæ disciplinam crimen non leue) decertârat. De quo post multa eleganter Valerius Maximus lib. 2. cap. 7. (Valer. Max.) *Victorem securi ferire iussisti: & ad hoc peragendum imperium, paternæ vocis ministerio sufficere voluisti: nam oculos tuos, certum scio, clarissimâ in luce, tenebris offusos, ingens animi opus intueri nequiuisse.* Non ergo iam punis vt Pater, si diro spectaculo, oculi sufficiunt: si duras cernens, quasi fruiturus pœnis, vnde potiùs doloris tenebris fueras offundendus.

857. *& Maiestatem.* Ingreditur, vindictam iustissimam spirans Deus Solymitanum Templum: & in atrio interiori commoratus, præcipit Ministro Angelo, desolatoriis prunis & ignitis carbonibus manum impleat, nouo iaculorum genere, infaustissimam vrbem obruturus: id dum Angelus peragit, additur statim. *Et nubes impleuit atrium interius, &*

eleuata est gloria Domini desuper Cherub, ad limen domûs. Ezechiel. 10.v.3. Et quorsum ab interiori hoc atrio atque domo, ad eiusdem limen, id est atrium exterius, commigrat cum cherubico throno, gloria Domini? an vt inde incensæ vrbis aspectu, pascatur lætus? Absit: solùm immanissimus Nero, flagrantis Romæ flammas, è Tarpeiâ arce, lætus aspexit. Quid ergo? inceperat incendium ab illo interiori atrio, siue domo quam *Nubes*, id est fumosa caligo iam implebat: Decedit ergo inde Dominus in atrium exterius: ideo subditur: *& repleta est domus nube, & atrium* (scilicet exterius) *repletum est splendore gloria Domini:* videlicet, ne supplicio interesse videretur: quod clementissimam Maiestatem dedeceret. D. Hieron. ibi: *Cum eleuata esset gloria Domini de Cherub, qui carbones ignis viro traditurus erat, & transisset ad limen domûs: statim nube, tenebris, & caligine, atrium impletur interius: neque enim præsente Domini Maiestate exercentur supplicia: & gloria Domini videtur in atrio, de quo v.5. scriptum est: sonitus alarum Cherubim audiebatur vsque ad atrium exterius.* Tu videris, an Deo, an Neroni, sit æquius, inhærere.

Ezech. 10.

D. Hieron.

858. Postquam cælestes tres Iuuenes, conuiuio ab Abrahamo excepti, hospitem suauissimum reliquerunt: additur statim: *veneruntque duo Angeli Sodomam vespere.* Genes. 19. v. 1. Sed vbi ille alius tertius, ad quem tanquam singularem dominum, verba sua direxerat toto cap. 18. Patriarcha? Respondet Oleaster. *Venerunt duo, nam tertius, qui Dei personam gerebat, & fortè Deus erat, disparuit: aut mansit cum Abraham, parum temporis.* Quia licèt iustissimo supplicio infames vrbes descendisset damnaturus: tamen funesto spectaculo incendij immittendi, quodammodo absens volebat reputari: commissâ enim ministris supplicij executione, indignum clementissimâ Maiestate putauit interesse. Huc attende Princeps, ne vnquam impij illius Caligulæ notâ conspurceris: verissimè enim Claudianus

Genes. 19. 1. *Idem iterum probatur.*

Oleaster.

> *Qui fruitur pœnâ, ferus est, legúmque videtur*
> *Vindictam præstare sibi.*

Claudianus.

At quidem pœnâ frui conuincitur, qui importunus spectator illi sustinet interesse.

859. Alios ergo oculos, à Principis mei exigo clementiâ, non qui pascantur pœnis, præ sæuitiâ: sed quibus pœnæ si fortè aliquando spectatæ, sic præ teneritudine crescere videantur, vt etiam leuiores, compatiendo grauissimas existimârint. Exposuerat Deus plagas, quibus conuertendum Israelem percussisset: & post alia sic subiungit: *Subuerti vos, sicut subuertit Deus Sodomam & Gomorrham. & facti estis sicut torris raptus ab incendio.* Amos. 4. v. 11. Non est facilis intellectu sententia: licèt enim grauiter punirentur Israelitæ, non tamen percussis Sodomitis comparandi. Nam vbi sulphureum illud incendium, quo fœdissimè miseri conflagrârunt? vbi, non euersarum vrbium vt solet, ruinosa cadauera, sed cineres dispersi? vbi paludes Mephiticæ, & in arboribus dolosis poma fumantia? vbi omnis remedij spes erepta? Si ergo nihil horum tunc passi Israelitæ, imo in spem veniæ prouocantur: quid est, quòd passi grauissimas illas pœnas enũtientur? certè longè leuiùs fuerat horum supplicium, sed suauissimo Domino, præ clementiæ teneritudine, præ amore suorum, sic graue visum, quasi funestissimæ Sodomorum tragœdiæ comparandum. Hæc est (vt fusè in Cant. Tropol. illustraui) illorum oculorum indoles mitissima. Audiendus Ruffinus Pius, cuius disertissima elegantia, sic ad hunc locum. *Quis sapiens, & cognoscit hæc? tunc intelliget misericordias Domini, quas sanè in omnibus suis dispositionibus commendare non desinit: vnde eas & in præsentibus locis, cùm certè magno seueritatis ambitu procedat oratio, ita tamen abundare, ac superfluere demonstrat, vt doceat, quas intulit plagas, multo sibi grauiores, quàm his qui patiantur, videri. Subuerti vos, inquit, sicut &c. quod certè non accidisse Israeliticus Populus, spes quoque promissa liberationis affirmat. Fit proinde sensus eiusmodi: quoniam tantùm calamitates quas intuli in vestrum sanguinem sæuierunt: vt videantur mihi Sodomitæ ipsi non esse grauiora perpessi.* Amet igitur meus Princeps subditos etiam reos, tunc præ clementiâ leuius etiam supplicium imperatum, longè sibi grauiùs, quàm ipsis perpetientibus reputabitur: hoc amoris necessitas, hoc communis naturæ postulat necessitudo. Concludit ergo Ruffinus. *Iuxta modum quippe necessitudinis, qua vos mihi adsciueram, ærumnarum ista congestio, illis est incendijs exæquanda, quibus obscœna turba, cum tectis conflagrauit, & terris.* In tam portentosam magnitudinem, commiserans necessitudo, supplitium hoc adduxerat: vt scilicet misericordiam deinceps prouocaret.

Amos. 4. 11. *Piissimus clementis Principis oculus semper pœna videtur grauiores quam reuera sunt.*

Ruffin. Pius

Idq; ex subditorũ amor.

Ruffinus.

XVII.

Princeps clemens, ab inflictis pœnis, se cupiat apud subditos excusatum.

860. Esto hoc postremum Principi meo monitum ad Clementiam, vt instar Dei (ad cuius typum, hucusque illum conformaui) sic puniat: vt se, dum punit, cupiat excusatum: vnde proteruus potiùs reus, quàm ipse, author sibi pœnæ esse cognoscatur. Hinc illud: *viuo ego, dicit Dominus, nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à via sua, & viuat.* Ezech. 33. v. 11. Quorsum enim non simplex asseueratio sumitur, sed iuratio interponitur: nisi quia cupiebat Deus credi clementissimus: vt iam postea, quasi coactus puniat, excusaretur: Bene Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 4. ad hunc locum. *Iurans etiam cupit sibi credi. O beatos nos, quorum causâ Deus iurat! O miserrimos, si nec iuranti Domino credimus! Quod ergo Deus tantopere commendat, quod etiã humano more, sub deieratione testatur, summa vtique grauitate, & aggredi, & custodire debemus.* Quasi non tàm in hoc loco Deus, conuersionem peccatoris, quàm fidem, promissæ remissioni, adhibendam, videatur captare, ideóque credi cupiens, iuret: Quis enim tam paruo conuersionis impendio, animam à pœnis non redimeret, si crederet? Certè si te scelerum non pœnitet, iam infidelitatis cuiusdam signum, erga promissam veniam, visus exhibere: cùm audias iurantem Deum, se quodammodò vltroneum pœnarum authorem excusare.

Quam se cupiat Deus erga pœnas inflictas, excusare.

Ezech. 33. 11

Tertul.

Impœnitens peccator, iam est infidelis.

861. Durissimas Israëli plagas, partim illatas, partim inferendas exponit Deus apud Oseam cap. 2. vers. 9. Vsque ad 13. Sed mirus est ille verborum ambitus, quo à vers. 14. *Lactabo eam, &c.* ad finem

Oseas 1. v. 4

finem vſque capitis, beneficia eidem ingerenda cumulantur. De quo pulchre ibi meus Ruffinus Pius. *Notandus eſt diligenter Propheticí ſermonis ordo, qui vbicunque fuerit neceſſitas, vt tormenta denunciet, & meritum diuinæ ſeueritatis oſtendat, ſtatim cauſas, quæ hoc meruerunt, ſubnectat: neque mortalium culpas dinumeráſſe contentus, gaudia ſecutura proſperitatis exequitur: oſtendens, quod breuem illam diſſimulationem veniæ, Deus noſter in apparatum reconciliationis quodammodò aſſumat. Quo tamen argumento, vt laudatur diuina Clementia, ita iniquitas humana deprimitur: cuius videlicet efficit magnitudo, vt tantæ bonitatis Dominus, interdum ad iracundiam concitetur.* Sed mihi non iam mirum, diſſimulâſſe veniam, exprobrâſſe crimina, pœnas euibrâſſe, vt inde afflictis miſeris reconciliationem appararet: eſt enim hæc diuinæ clementiæ techna ordinaria, ſcena frequens, ſolitum ſchema. Illud in hoc loco ſingulare, quòd cum mediis pœnis Iſraëlem vellet ad ſe trahere, tot ſtatim inuoluat beneficia: ſi enim pœnis ſperat reconciliandum, quid blandimentis, illatum efficaciam non cauet eneruandam? Reſpondet iam pulcherrimè citatus Ruffinus. *Non vno hoc colore, dulcem & familiarem ſibi clementiam commendans, etiam de proſperorum illatione plagis adhærente, idem iſtud conſignat: & tanto ea ambitu maiore deſcribit, quaſi qui vellet non ſolùm compenſare, ſed etiam excuſare, quod percuſit.* Exemplum optimum Principibus, quo ſic ſubſequenti beneficio, amorem propalent, vt præmiſſam pœnam inuitos inflixiſſe videantur; quam ſic tenere cupiunt excuſatam.

Ruffin. Pius.

Deus, pœnis nos prouocat ad pœnitentiam, idque inuitus vtpotè qui mallet beneficiis.

Ruffin. Beneficiiſque prebitis, ab illatis pœnis ſe excuſat.

862. Mille modis, Magiſter humilitatis optimus, Chriſtus Dominus, humiliationis officia adimpleuit, quos inter ſingulariſſimè à Doctoribus ille ſuſpicitur, de quo Matthæus: *Venit Ieſus à Galilæa in Iordanem, ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo.* Cap. 3. verſ. 13. Grauiſſimo quidem impendio, & ſi fas dicere, honoris ſui iacturâ, aquas in baptiſmum noſtrum ſanctificat, (vt ferè Patres notant) ipſe baptizatus: Nam apud ſpectatores, iam minùs temerè pollutus crederetur, qui Pœnitentiæ lauacro recurrebat. Quid ergo in totius Mundi ſalutem, tam neceſſarium duxit, hoc geſto ſanctificare aquas: cum inde ipſe apud inſcios, minus ſanctus videri poſſet? audiendus D. Hieronymus in Epitaphio Paulæ, vbi de hac ſanctiſſimâ Heroina, aliquando ad Iordanis ripas conſiſtente, ſic ſcribit. *Recordata eſt quomodò in medio amnis alueo, ſicca Sacerdotes poſuerint veſtigia: & ad Eliæ, & Eliſæi imperium, ſtantibus ex vtraque parte aquis, iter vnda præbuerit: pollutáſque Diluuio aquas, & totius humani generis interfectione maculatas, ſuo Dominus inundauerit baptiſmate.* Quaſi Aquæ quas, vt ſuprà dicebam, in tantam carnificinæ infamiam adduxerat inuitas, iam inde honori priſco reſtituerentur: quaſi vniuerſus Orbis aquarum diluuio ſubmerſus, iam ſanctarum lauacro reſpiraret. Quid eſt autem, tanto ſuo impendio, id feciſſe Dominum: quàm quodammodo priſcas pœnas, (& aquæ, de miniſterio, infamatæ: & hominis, de ſupplicio, deleti) excuſare, & recantatam Palinodiam, ex ardore clementiæ, non erubeſcere? Certè nolebat author pœnarum exiſtimari, qui iuſtiſſimè aliunde inflictas, ſic cutauit abolendas.

Matth. 3. 13.

Chriſti opprobria, infameus olim rebus, decus addiderunt.

D. Hieron.

863. Grauiſſimum eſt in hanc rem illud eiuſdem Domini, apud Iobum: *Nunquid ingreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti: quæ paraui in tempus hoſtis, in diem pugnæ & belli?* Cap. 38. verſ. 22. Non dixit, in Tempus vindictæ, ſed *in tempus hoſtis*: pacificus enim nimirum, & clementiſſimus Princeps, in theſauris ſuis, bellica inſtrumenta clauſa retinebat: tunc illis ſolummodò vſurus, quando inquietatur ab hoſte, quando, ingruente contra ſuos bello, infeſtatur. Quis ergo illum crudelitatis inſimulet? quis illius iam iram non excuſet, qui ſolummodo prouocatus, non tàm inuadere, quàm reſiſtere viſus: nec tàm inferre vindictam, quàm damnum repellere? Fauet Olympiodorus in Caten. Græc. ad hunc locum. *Vide quemadmodum velit harum rerum oſtendere opportunitatem: quemadmodum non temerè eas comparet: etenim niuem & grandinem, tùm aduerſus hoſtes, tùm cùm in nonnullos vult animaduertere, ſolitus eſt adhibere.* Quaſi tunc ſolummodo veniat opportunitas, quando hoſtes ingruunt, quando nonnulli neceſſaria egent animaduerſione. Et fortaſsè, ideo non tam *Armaria* dicuntur, hæc repoſitoria, quàm *Theſauri*: quaſi non difficilius ex concluſo ſuo theſauro, expendendas opes, depromat auarus animus: quàm Deus, ab armario ſuo, punitionis moueat inſtrumenta.

Deus illatis pœnis, non tam euertēdo homini vtitur, quam ſibi ſeſendēdo.

Iob 38. 22.

Olympiod.

Deus pœnarum auarus.

864. Propterea Moyſes, poſtquam miſerias mille, quæ peccatoribus pœnæ eſſe ſolent, expoſuit: ſic ſubiungit ex ore Dei. *Nónne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis?* Deut. 32. verſ. 34. Quaſi pœnæ non ſolùm condantur, ſed etiam mille annulis obſignatæ, ſub innumeris cuſtodiantur clauibus. Maius tamen eſt, quod ſtatim additur: *Mea eſt vltio, & ego retribuam in tempore vt labatur pes eorum.* Verſ. 35. Philo Iud. lib. 2. Allegor. Vtrumque verſum ſic connectit: *Nónne hæc collecta ſunt apud me & obſignata in theſauris meis, in die vltionis: quando lapſus fuerit pes eorum?* Quaſi parum videretur, ſi iræ ſuæ theſauros pridem obſignaſſet, niſi etiam, in ipſo vltionis tempore, in ipſo die vindictæ, quando prouocatus, videbatur ſponte erupturus, tunc ſe contineat, iram obſignet: quaſi non immittendam, niſi ipſemet peccator, videatur damno ſuo theſauros aperire. Sed præſtat audire Philonem. *Moyſes exaggerans Dei liberalitatem, & gratificandi ſtudium, non ſolùm reliquo tempore ait malorum theſauros obſignatos, ſed etiam cum anima lapſa fuerit in viâ rectæ rationis; quando meritò pœna digna videri poterat: ait enim in die vltionis, obſignatos malorum theſauros. Docente diuino eloquio, quòd nec in peccantes quidem animaduertit, ſed indulget tempus ad pœnitentiam.* At quomodò, quæſo, apertius authorem ſe eſſe pœnæ excuſabit: quàm vbivis expectata pœnitentia, obſignatos exhibens iræ theſauros: quaſi à te potiùs proteruo, & per ſummam peruicaciam furioſo; quàm ab ipſo, etiam iuſtè commoto, reſignandos?

Deut. 32. 34.

Phil Iud.

Dum ſpes pœnitentiæ eſt in nobis, reprimet irā Deus.

Philo.

865. Et reſignantur ſanè: vt enim inde excuſatum, de pœnarum irrogatione ſe oſtenderet, punitùrus iam Sodomam, ſic ſubiungit: *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus eſt: & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis; deſcendā, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non eſt ita,* Geneſ. 18. v. 20. Quod enim

Peccator obſtinatus, ſibi iram diuinā extorquet.

Geneſ. 18. 2.

enim sibi volebat clamor iste ad omniscium Deum: aut quid cælos conscendens, quasi necessarius nuntius ferebatur: nisi quia, quasi clauiger thesaurorum iræ, illemet sibi vindictam è cælo depromebat? Certè, quemadmodum importunæ preces, gestum pro parte reddunt inuoluntarium, vt eisdem aliquis excusatus censeatur; dum, quo se à tam crebrâ vexatione liberet, rem alias peragit nolens & inuitus: sic in hoc loco Deus, quasi defatigatis multiplicato & molestissimo clamore, auribus suis consulat, thesauros iræ, meritò excusandus, patitur aperiri. Grauiter Saluianus lib. 1. de Prouident. ad hunc locum, *Quare peccata hominum quasi clamare testatur? Scilicet, quia cædi aures suas Deus dicit clamoribus peccatorum, vt non differatur pœna peccantium. Et verè clamor, & grandis clamor est, quando pietas Dei, peccatorum clamoribus vincitur, vt peccantes punire cogatur. Ostendit ergo Dominus, quàm inuitus puniat etiam grauissimos peccatores; dicens, quod clamor Sodomorum ad se ascenderet: hoc est dicere: Misericordia mea mihi suadet, vt parcam: sed tamen peccatorum clamor cogit, vt puniam.* Detorquet igitur negotium, imò deriuat, in scelerum clamorem: vt & extortâ sibi vindictâ, quasi inuitus & coactus veniat, etiam apud proteruos excusandus.

Saluian.

Diuinæ misericordiæ & sceleris humani certamen.

866. *Peccator praua infamia iram Dei sollicitat.*

Quid? Non solùm ipsorum scelerum clamores, sed & alias accusantium voces, ad se peruenire testatur: vt in terrâ infectâ Abelis sanguine, Genes. 4. satis patet: quòd scilicet, dum Iudex cogitur accusationes ad se delatas ponderare, inuidiam quodammodò inuestigationis duræ, diræque pœnæ, euadere conatus videatur. Illustre in hanc rem testimonium illud villici, apud Lucam: *Homo quidam erat Diues, qui habebat villicum; & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona ipsius,* Luc. 6. v. 1. vbi solito acumine quærit D. Petrus Chrysologus sermone 125. *Diffamatus est, quasi non præscierit, quasi non prauiderit, cui occulta nota sunt, cuius oculis etiam illa nuda sunt, quæ teguntur. Diffamatus est apud illum: ergo ille, famâ credidit, famâ nuntiante cognouit? absit.* Quorsum igitur, si diffamatione non egebat ad notitiam, si famæ tubas præuenerat omniscius: diffamatione inductum se testatur? Respondet acutissimè idem sanctus Doctor, *Quia illa, quæ nouerat, quæ pietate velabat: quærere tunc cœpit, quando accusabat terra, vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terrâ. Clamabat terra, clamabat cælum, dolebant Angeli, quando iam tota sæculi fama loquebatur.* Non ergo rem nostram clariùs dixisset Deus, si diceret: Ignoscite, nollem ego præ amoris teneritudine, author pœnæ occurrere, sed cogor: celarat hucusque vestra, pietas nostra, crimina: nunc iam clamatur vndique ad communem Iudicem: vnde non possum absque iniustitiæ notâ, à debito iudicio abstinere.

Luc. 6. 1.

D. Chrysol.

Qui crimina nostra cupiebat celanda.

D. Chrysol.

867. *Peccatorem ad pœnas repetunt sibi dæmones.*

Neque solùm zelantes delatores, sed etiam carnifices, & omnes alij, in quorum vtilitatem, inflictæ reis pœnæ iure cedunt, has pœnas importunè exigere testatur Deus: quasi se excusans ne ipse, sed hi potiùs illatum authores habeantur. Quis non miratur illatam illam, stulto diuiti, & congestis bonis inaniter fruiturienti sententiam? Pende Dei verba ad illum, *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erunt?* Luc. 12. v. 20. Ecquis enim animam hominis potest repetere, nisi hominis creator, Deus scilicet? Ecquis exactor mortis, nisi vitæ Author? Nunquid ergo multi Dij, vt non tam *repetit*, quàm *repetunt*, dicatur? Absit Quid ergo? excusatum se etiam ab hâc iustissimâ pœnâ volebat Deus: quasi dicat, Cogor vt repetam, dum carnificum dæmonum vota, quibus te mancipasti, suo quasi iure te repetunt puniendum. Idem D. Petrus Chrysologus sermone 104. *Quare non dixit, qui dederat, repetit, sed repetunt? quia Sanctorum Deus repetit animas, & reducit: Tartarei Ministri repetunt, & pertrahunt animas impiorum.* Non inferret fortasse tunc Deus acerbæ huius mortis pœnam, nisi quodammodò Tartarorum iuri cessurus.

Luc. 12. 20.

Iustos exigit tiam Deus.

D. Chrysol.

Illustrabis ex dictis, obscuram Christi Domini comparationẽ ad suos: *Quis ex vobis, Patrem petit panem: nunquid lapidem dabit illi?* Luc. 11. v. 11. quanto enim vicinior erat ad hanc similitudinem, zizaniorum, lolij, auenæ, quàm remotissimi lapidis aduocatio? Cur igitur lapidis maluit, quàm aliorum facere mentionem? attende. Factus est, vt nôsti, Christus Dominus Iudæis, ipsorum solicitante culpâ, & scelere affectante, petra scandali, & lapis offensionis: qui ex se amator tenerrimus, cælestis panis instar aduentarat. Ideo igitur ad clementiæ suæ encomium, prædictam similitudinem sic temperauit, irrogatæ videlicet pœnæ tacitè excusabundus: quasi dicat, Si nullus Pater pro pane lapidem porrigit, cur porrexisse Iudæis filiis, in memetipso lapidem, pro pane præsumat ego? Habeat me Orbis excusatum: ipsi sibi hoc damnum, Authores funestissimi intulerunt. Quomodò autem id fieret, aperit fusè iterum Chrysologus sermone 55. cuius verba interpono: *Potuit dicere: Nunquid zizania, nunquid lolium, quod ex vicinitate & similitudine mentitur panem, sed generat angustias. Sed Christus venerat filijs id est Iudæis, quos genuisse tali clamore querebatur. Isai. 1.* filios genui, & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. *Venerat ergo filijs, venerat panis de cælo, qui dixerat, Ioan. 16.* Ego sum panis viuus qui de cælo descendi. *Sed Iudæis est conuersus in lapidem offensionis, & in petram scandali. Isai. 8. Quare petram? quia mordere petram, non panem à patre quærere gestiebant:* Circumdederunt me, *inquit Psalm. 21.* canes multi? *Denique postquam illi ex hominibus in canes probantur esse conuersi; cælestis illis in petram conuersus est panis, non dantis vitio, sed accipientis nequitiâ: qui illos non reficeret, sed necaret.*

868. Luc. 11. 11.

Christus pro nis verus in pijs ipsorum scelere fit lapis.

D. Chrysol.

Peccatum in canem conuersus.

Claudo hanc paginam verbis illis eiusdem Christi, in supremo die, sententiam hominibus illaturi: postquam enim Iustos de Patris benedictione, cælo infert: sic profert contra malos: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius*, Matth. 25. vers. 41. de quo bene Origenes tractat. 34. in Matthæum, *Considerandum est, quoniam in Sanctis dictum est*, Benedicti Patris mei: *non autem nunc dicitur*, Maledicti Patris mei. *Nam benedictionis quidem ministrator est Pater: maledictionis autem vnusquisque sibi est author.* Hæreat his Catholicus meus Princeps, neque nimiùm aliquid ab illo videat exigere, cùm à quouis etiam ethnico, id Xenophon requirat, in Hierone, cuius celebre illud apud Politicos. *Censeo viro Principi sic agendum, vt si quis eget correctione,*

869. *Perditio peccatoris à se, salus verò à Deo.* Matth. 25.

Origen.

Princeps præmia pœnas minister inferat.

Xenophon.

ne,

ne, aliis puniendum tradat: Cæterùm cùm præmia reddenda sunt, id per se ipse faciat. Absolui propositum, & longum pensum, nunc iterum ad literam: vnde alia monita depromamus.

TEXTVS.

Vers. 9. 10. & 11.

INFERNVS subter conturbatus est, in occursum aduentûs tui: suscitauit tibi Gigantes: omnes Principes terræ surrexerunt de soliis suis, omnes Principes nationum: vniuersi respondebunt, & dicent tibi: & tu vulneratus es sicut & nos: nostri similis effectus es: detracta est ad Inferos superbia tua, concidit cadauer tuum: subter te sternetur tinea; & operimentum tuum, vermes.

SENSVS LITERÆ.

870. *Dirus. in abiectos Principes, sarcasmus.*

NON solùm residuos, sub hàc lucis vsurâ, Principes, quos Abietum & Cedrorum metaphorâ designârat suprà Propheta, infaustissimo Baltasari voluit insultantes: sed etiam defunctos, (inducta grauissima Prosopopœa) miserum describit deridentes: idque amariori sarcasmo, quàm cæteri, quibus Canticum præsens exasperatur. Sensus est ergo, (vt iam optimè Interpretes adnotarunt) turbatum Infernum, ad ingressum Baltasaris obstupuisse: misisse Gigantes, id est, viros famosos & Principes, quos iam pridem Baltasar regno spoliârat & vita: vt per ludibrium, venienti iam obuiàm occurrerent: eique tanquam Regum Regi, optimum illius aulæ solium, (id est, profundum teterrimi carceris) assignarent. Quàm dirum est enim, vt per speciem applausûs & honoris, excipiatur miserrimus ad irrisionem: quódque ad infimum locum detrudatur, quasi cæterorum scelestorum scelestissimo, quò condignior ad pœnam, eò nobilior & pomposior sedes videatur? Similis est, sed non eiusdem ponderis, sarcasmus ille, quo Imperatorem Claudium, in Deos à Nerone relatum, & astris immissum: in Tartara deturbatum irrident Prisci Authores. Statius in lachr. Hetrusci.

Nondum stelligerum, senior demissus, in axem,
Claudius.

Mordaci enim dicacitate, *qui immissus in axem* debebat dici, *demissus* dicitur: vt detrusus ad Tartara significetur, digna scilicet, impio viro, astra. Sic Iuuenalis de eodem: *Cælum descendere iussus*: pro *ascendere.* Videndus Seneca, in ludo de Claudij morte, qui totus ad hanc rem. Nunc ad singula.

871. *...rans ...tarum, ...sepul... ...m signi...*

INFERNVS CONTVRBATVS.] Variant Interpretes, qualis in hoc loco Infernus intelligatur: quidam de sepulchro capiunt, quibus inclinat propensior Sanctius: & certè quæ sequuntur, de vermium operimento, his fauere visa. Alij de germano Inferno, id est, damnatorum loco capiendum volunt: Neque obstat, quòd Cadaueris ibi miseriæ subiungantur: potest enim, meo indicio facilè responderi, ex rerum natura optimè procedere sermonem: quia priùs tempore, vtpotè in ipso necis articulo, Anima Tartarorum: deinde postea Cadauer, fœdi, sepulchri ludibrio, fuit expositum: sicque congrua successione, rem exponi. Non dirimo litem: nihilominus secundæ huic sententiæ libentiùs adhæreo: quasi obiter irridendam Ethnicorum præsumptionem, mordens traducat cultissimus Propheta: quod vt explicem, aduerte. Putabant Ethnici, magnas illas illustrium defunctorum Animas, aut Animarum vmbras, in Inferno apud Elysios obuia Heroum pompa venientes excipi: indéque, in sedem beatam, condignúmque meritis, deferri domicilium. Hinc Statius in Epit. Patris: *Animas illustres, mira pompa apud inferos exceptas, somniabant Ethnici.* Statius.

Ite pij Manes, grauiúmque examina Vatum,
Illustrémque Animam lethæis spargite sertis:
Et mõstrate nemus, quò nulla erumpit Erynnis.

Pomposior adhuc comitatus ille Priscillæ Matronæ in Abscant. Piet. apud eundem Poëtam, vbi iussu Proserpinæ, ait, post alia: *Apud Inferos, Elysij erant. Elysiorum pars secreta, quæ*

Egressásque sacris, veteres Heroïdes, antris,
Lumine purpureo tristes aperire tenebras:
Sertáque, & Elysios Animæ prosternere flores.
Sic Manes Priscilla subit.

Neque vtcunque hac pompa, ad Elyseos deductas illustres animas credebant, sed ad secretius Elysiorum nemus: vbi tantum excellentissimi quique Manes morabantur. Notat id Cerda ex vno Virgil. lib. 6. Æn. Vbi ita de Animabus iam purgatis, & puris scribit: Cerda. Virgil.

——— Exinde per amplum
Mittimur Elysium, & pauci læta arua tenemus.

Licèt enim multi Elyseos campos adirent: paucis tamen *læta arua*, id est, beatior illius nemoris pars, credebatur concessa. Illustro hanc Cerdæ explicationem ex Statio in Gethnel. Lucani, vbi ad illum. Statius.

Seu pacis merito nemus reclusæ,
Felix Elysiis tenes in oris.

Quod fæliciter ex Heinsio corrigit Geuartius: Geuart.

Seu pacis meritum nemus recludi, &c.

Plana ad Virgilianam sententiam allusione. De eodem hoc secretiori nemore capio eundem Statium in Epicedio Patris. Statius.

Seu tu Lethæi, secreto in gramine Campi,
Concilia Heroum iuxta, Manesque beatos,
Mæoniũ, Ascranúmque senes, non segnior vmbra
Accolis.

Hæc insana Ethnicorum delyria, spes vanissimas, quibus miser Baltasar inhians pastus fuerat: visus sanctissimus Propheta hîc irridere: dum tam alio tenore dicitur ad ludibrium exceptus, ironica reuerentia damnatorum, & duris scommatibus

matibus loco florum respersus: & in *profundum laci*, (vt infrà scribit,) pro secretiore delatus nemore.

872. Dices; illustriores Animas, non ad Infernos Elyseos, sed ad superos cælos, Ethnicis adductas credi: (vt passim apud Authores videre est) ibique in sidera transformari: ideo Statius ad Lucanum.

Mortales ad sidera ex ethis credebat veteres.
Statius.

At tu seu rapidi Poli per axem
Fama curribus arduis leuatus
Quo surgunt Animæ potentiores
Terras despicis, & sepulchra rides.

At quidem potentissimam se animam somniâsse Baltasarem, & Astris inserendam, satis constat ex infrà dicendis, vbi propterea *Lucifer* siue stella, & *super astra Dei* exaltaturiens solium denotatur: de quo ibi fusè Non ergo speraret Elyseos, nec illam subterraneam fælicitatem pompaticè ineundam: vnde neque probabile videri, ad irridendam huius spem, tam diuersam hîc pompam, immissam à Propheta. Vt respondeam, nota, cautè propterea initio me dixisse, *illustrium Defunctorum Animas*, aut *Animarum vmbras*, in Inferno apud lætissimos Elysios credi cómorantes: Rem ergo sic habe. Hominem diuidebat Ethnica & stulta Sapientia, in Corpus, Animam, & Imaginem: & hanc vocabant, vmbram, spectrum, Idolum, simulacrum: & licèt quandoque, Anima cum Imagine apud Authores confundatur, tamen apud attentiores, sæpe distinguitur: probatur ex vetustissimo Homero Odyss. 11. vbi Imaginem Herculis apud Inferos Elyseos legis, cum tamen illum mortalitate exutâ, apud Superos faciat commorantem. Iulius Cæsar, cuius animam in sidus conuersam (quasi pridem è cælo missam) coluêre Romani, celebratque Virgilius: iâm olim imaginem suam habuisse in Elyseis, canitur ab eodem Poetâ lib. 6 Æn. idem de his vmbratilibus Animabus, & simulacris tradidit Pythagoras, Enius, & ex illo Lucretius: quod fusè expendit Cerda ad illud Æn. 6.

Homo apud Ethnicos, diuidebatur in corpus, animã & imaginem.
Homerus.

——*Tenues sine corpore vitas*
Admoneat volitare caua sub imagine formæ.

Ouidius tamen Hominem quadripartitur, notis illis versibus:

Bis duo sunt homini, Manes, Caro, spiritus, vmbra:
Quatuor ista, loci bis duo suscipiunt.
Terra tegit Carnẽ, tumulũ circumuolat vmbra,
Orcus habet Manes, spiritus astra petit.

Virgil.
Pythagoras.
Ennius.
Lucretius.
Virgil.
Ouidius.
Aliqui præter tres traditas partes, quartam addunt quam Manes vocant

Credidisset ergo Baltasar spiritum suum sidereæ conditionis, & è cælo delapsum, post mortem ad sidera reuocandũ, nihilominus speraret imaginem suam, siue Manes, in Elyseis festiuâ pompâ excipiendos: quod proinde tam aliter euenisse, irridet hîc Propheta. Et fortasse dixit propterea, *In occursum aduentûs tui, suscitaui tibi Gigantes:* quasi dicat, non in occursum aduentûs Manium tuorum, non imagini tuæ: sed, in occursum aduentûs tui; sed, tibi ipsi: qui reapse spiritus venisti puniendus. Vbi ergo nunc & sydera anima, & Elysea vmbra, ô mortalium infatuatissime? Potuisse vero hos errores tempore Baltasaris iam increbescere, satis constat: cùm longè ante illum foret Homerus, & fere Dauidi coæuus; quin & ipsos Græcos vt plurimum ab Assyriis consimilia deliria hausisse, multis possem ostendere: inter Assyrios autem, totius superstitionis arx fuit Babylon. Non piguit hæc Ethnicorum nugamenta euoluisse quia inde prophetica idolopœa clarior, & amaruientus magis sarcasmus innotescit.

CONTVRBATVS EST. Sumo, in hoc loco, conturbationem, pro sollicitâ illa diligentiâ, & discursu præpropero, quo impendendis alicui officiis turbari dicimur: sic illud Christi ad Mathâ: *Sollicita es, & turbaris circa plurima.* Luc. 10. v. 41. id est, satagis Sic apud Latinos non raro, *Trepidus* pro festino, & sollicito poni solet. Nisi quod hîc prædicta conturbatio, erat, vt vides, ironica & simulata: & sub specie irrisiui officij, verissimum Baltasari dolorem apparabat. Neque Lxx qui vertunt, *exacerbatus est:* prædictę obstant explicationi: nam ficta ista solicitudinis conturbatio, & irridens, quasi ad obsequium, festinatio pura quædam puta erat exacerbatio stomachi plena, euoménsque venenum: quam proinde simulati officij verbo, vt acriùs pungeret, Interpres nostèr voluit explicandam. Vatablus vertit ex Hebræo. *Inferi subtus commoti sunt:* quod deinde sic explicat in scholiis: *Id est, metu perculsi sunt mortui, audito rumore aduentus tui: timuerunt enim, ne illos affligeres, vt viuos aliquando afflixeras.* 873.

Conturbatio, pro solicitudine.
Lxx. Interp.
Vatab.

Sed explicatio meo iudicio, vt sonat, minùs est grauis, minùs vera, quam propheticum deceat stylum, & Scripturæ dignitatem: & fortasse cum aliis multis, quæ scimus, Magni illius viri scriptis spuria, & supposititia. Ignoraret credo, si Deo placet, doctissimus Vatablus, quàm perspicaci mentis iudicio vtantur mortui post notitias conditioni inditas incorporeæ: satísque scire, à solo supremo Iudice, & constitutis ab eodem tortoribus, vindicibúsque pœnis sibi timendum: nec arrogantem Baltasarem, nisi amoto fastu, depositâ potentiâ, eo venire, pariter cum illis cateruatim, imo & sæuiùs puniendum. Quo ergo fundamento, aut sub quo, ad veritatem, gustu, propheticæ ethopœæ has nænias obtrudas, illis nimirum simillimas, quas poetæ, & Lucianus, illinc mentientes, hinc atheus scripserunt de aliquibus, qui ad Inferos descenderunt? Dixi, *vt sonat*: quia aliunde in verum sensum reduci posse videtur, (frigidum tamen illum & insulsum) quasi timerent, ne accidentali pœnâ quæ ad singulorum ingressum, exsurgit denuò, afficerentur. Sed hoc planiùs erat, quàm quasi aliquid grande & singulare, excogitatissimæ Idolopœæ inderetur. Dices explicationem Vatabli, vt ex eiusdem adiunctis scholiis constat, non tam de damnatis in Inferno, quàm de mortuis procedere, in sepulchro. Fateor: sed tamen de mortuis, damnatis iam procedit necessariò, vtpote qui nouum malum timentes inducuntur; (quod à defunctis piis remotissimum) ad hos autem, non aliunde aptè poterat desumi prædicta Ethopœa, quàm ab ipsâ damnationis conditione de quâ suprà: nisi fortè Luciani dialogos Mortuorum, quod absit, huc traducas. At verò explicatio communis in vtrouis sensu, seu ad Infernum recurras, seu ad sepulchrum, verissimam & Prophetæ dignam aspirat grauitatem: sic enim è tragico cothurno præstrepit figuratiua locutione, vt sub hâc Idolopœa, & Ethopœa exprimat egregiè, conuitia illa & opprobria, quibus scimus se inuicem, quâ linguâ nunc possunt, excipere damnatos: 874.

Reiicitur, il sequatur, Vatablus.
Verus si'n... Vatabli sensus.

875. GIGANTES.] Quàm passim in Scripturâ Sacrâ, Gigantes, pro viris famosis vsurpentur, igno-

Gigantes, sacris, qui.

ignorat nemo. Non propterea probanda opinio Iacobi Bolduc, qui erudito opere, *de Ecclesia ante legem*, nunquam in alio sensu, ab Scriptura sumi solere, mordicus contendit: certè nonnulla sunt loca, quæ quicquid velit vir doctus, non nisi de hominibus proceræ & enormis altitudinis, præter quàm ob torto collo, queant explicari. Sed non est huius loci rem discutere, cùm omnibus sanioris iudicij, hic apud Prophetam nostrum, Gigantes, pro Dynastis & Principibus vsurpentur. Vide quæ de his scripsit Salazar ad cap. 9. Prouerb. v. 18. & quæ ego pauca in Spicil. sacro, cap. 35. num. 2. vbi propterea illis, anguium crura assignata dixi, quod superbi Principes, vt plurimum conglomeratis gressibus, & quasi in spiras conuolutis, olim incessisse notarentur. Vnde qui cum Pineda ad illa verba Iob, de Deo dicentis, *Sub quo curuantur, qui portant Orbem*, cap. 9. v. 13. ad Athlantem & Gigantes, putant fieri allusionem; hinc adhuc iuuari possunt, ni fallor: quasi qui arroganter erecti & pompaticè incedentes fuerant, non solùm iam deinde gressus suos componere, sed etiam curuare genua apud Deum cogerentur. Fusissimè denique de Gigantibus seu propriis, seu metaphoricis videndus idem Pineda ibidem, ad cap. 26. v. 5.

Salazar.

Pineda. Iob 9. 13.

Pineda.

876. Omnes Principes terræ.] Periphrasis est illorum, quos priùs dixerat Gigantes: terræ nimirum imperantes, dominantes nationibus. Est quidem vsitatissima in sacris litteris hæc figura, maximè in negotio tragico, vbi fusior detonat elocutio Vatablus vertit, *Gigantes omnes hircos terræ*: nec immeritò, in Hebræo enim est עתודים, id est hirci maiores, vt voluit Pagninus, qui præcedunt caprinos greges: & per translationem Principes, qui populorum agmina post se ducunt. Non tamen videtur carere mysterio, exquisita hæc translatio: cùm enim Principes multi Isaiæ tempore, cornua aurea gererent in stemma imperij, de quo in *Spicil. sac.* per aliquot paginas scripsi: fortassè ideo illos per pecudes cornutas voluit demonstrare, quòd & alios Prophetas fecisse ibidem augurabar. Si vacat, recole: fortasse, etiam petulantem & lasciuam indolem horum Principum dum viuerent, traducere ibi voluit Isaias: quid enim in vtraque pagina *hircus* sonet, clariùs est, quàm luce egeat.

Vatabl.

Principes olim Hirci vocabantur, vel ob cornua aurea, vel ob lasciuiam.

877. Vniversi respondebunt, &c.] Iam inde dempto irrisiuo illo officio, assurgendi de soliis, & simulatæ reuerentiæ ad excipiendum tantum hospitem, amotâ laruâ: apertissimè insultant misero, eúmque sicut vnum ex ipsis factum obiiciunt: *vulneratus es*, inquiunt, *sicut & nos*, qui omnibus nimirum præeminere præsumpseras singulariter, neque communi rerum euentui, & variantis sortis vicissitudini esse obnoxium. Est hæc vsitatissima Tyranni arrogantia, vnum se credere, nec aliis adnumerandum, nec inter homines hominem se habere. Hinc Plinius in Panegyr. de modestissimo Principe suo, *Non enim de Tyranno, sed de Ciue, non de Domino, sed de parente loquimur: vnum ille se ex nobis, & hoc magis excellit, atque eminet, quòd ex nobis putat: nec minus hominem se, quam hominibus præesse meminit.* Non itaque se vnum ex omnibus, & cum omnibus: sed vnum se extrà omnes reputat Tyrannus; sicque præest hominibus, vt hominem se esse non meminerit. Iam quanti doloris, quàm pungens insultantium conuicium,

Tyrannicum est, se nō vnū ex omnibus, existimare.

Plinius.

quod mortis vulnere, conditionis suæ admonitus, vulgaribus aliis Dynastis, imo & plebeculæ vilissimæ misceatur. Bene Claudianus, licèt sub fabuloso cortice, lib. 2. de Rapt. sic ad mortis Tartarique Reginam:

Sed morte si vult ex multis perdiscit. Claudian.

Sub tua, purpurei, venient vestigia, Reges,
Deposito luxu, turbâ cum paupere, mistis:
Omnia mors æquat.

Scilicet, quia vt dicebat Lyricus, *æquo pulsat pede pauperum tabernas, Regúmque turres.* Tu lege Salomonem Sap. 7. qui cùm se Regem & sub ingenti gloriâ agnosceret, nouit tamen se hominem, & ortûs, sepulchríque communis omnibus, participem: aliósque Principes monens, sic concludit: *Nemo enim ex Regibus aliud habuit natiuitatis initium: vnus ergo introitus & omnibus ad vitam, & similis exitus.* Vbi multa Interpretes.

Horat.

Sap. 7.

Et tamen sic factum Animal, sic periturum citò, audet hiscere, & sub caducâ regnandi potestate, hos animos concipere, vt per consortis conditionis hominum despectum, ad solam se genitum superbiam arbitretur. Non parcam transcribendis verbis Plinij in Proœmio lib. 7. nat. hist. vbi ita: *Hominem nudum & in nuda humo, natali die abiicit ad vagitum statim, & ploratum: nullúmque animalium aliud, pronius ad lachrymas, & has protinus vitæ principio, &c. Ab hoc lucis fundamento, quod ne feras quidem inter nos genitas, vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus: atque infœliciter natum iacet, manibus pedibúsque deuinctis, flens animal, cæteris imperaturum: & à suppliciis vitam auspicatur, vnam tantummodò ob culpam, quia natum est:* (ignorauit originem pollutam Scriptor ethnicus) *Heu dementiam, ab his existimantium, ad superbiam se genitos!* Et meritò ingentem & stupidissimam dixeris amentiam, inde superbiæ inhiare, vnde omnino deprimi necesse erat: quem tamen tumidissimum spiritum non incurrerent, nisi se homines esse obliuiscerentur. Idem iterum ibidem Plinius cap 7. *Miseret & pudet æstimantem, quàm sit friuola animalium superbissimi origo, cum plerunque abortiûs causa sit odor. His principiis nascuntur Tyranni, his carnifex animus. Tu qui corporis viribus fidis; tu qui fortunæ munera amplexaris, & te, ne alumnum quidem existimas, sed partum. Tu cuius semper in victoria est mens: tu qui te Deum credis, aliquo successu tumens: tanti perire potuisti*, id est, tam facilè potuisti abortiuus & mortuus edi: quam facile potuit mater, intempesto aliquo odore, abortum facere. Putares ad Baltasarem facta huius Philosophi verba, qui fortuna sua tumidus, diuinitati sacrilegus inhiarat, oblitus hominem, homines iugularat: qui tamen communi redactus funeri, non solùm se hominem nouit cum cæteris, sed infaustissimum; vt verè cum Seneca posset dicere, epist. 91. *Æquat omnis cinis, impares nascimur, pares morimur.* Sic quam temerè in vilissimâ humanæ naturæ conditione superbiam contraxit, ad inferos iam detractam, æternùm luget. Ideo additur:

878. *Quam inaniter homo superbiat.*

Plinius.

Homo, animalium miserrimus.

Plinius.

Seneca. *Mors omnes æquat.*

Detracta est ad Inferos superbia tva.] In hoc loco, siue sepulchrum intelligas, siue Tartarum, perinde est; acceleratior enim vtriusque causa fit superbia, & hæc Tyrannis innata. Verissimum ergo illud Menandri, [illegible]: hoc est, *pœ am* 879.

Superbo instat pœna certissima.

Menand.

R. P. Pinto Ramirez Monit. Polit.

superbia sua nemo fugit. Quod præcipuè Tyrannos monebat Seneca Tragicus dicens : *Sequitur superbos vltor à tergo Deus* ; vtpote qui tumidiores, & in Deum ipsum elatiores. Christiano velut spiritu, iam olim Herodotus lib. 7. *Propterea quidam, contra quam sua dignitas postulabat, in calamitatem inciderunt : quia Deus, neminem alium sinit, quàm seipsum, magnificè de se sentire.* Ruit ergo superbia Baltasaris, qui vt dixi, (infra dicturus fusiùs) tam magnificè de se senserat, vt vltrà humanum fastigium, se Deum somniaret. Sic Iulius Cæsar de quo Suetonius cap. 76. *Sed ampliora etiam humano fastigio, decerni sibi passus est, sedem auream in Curia, & pro tribunali : thensam & ferculum Circensi pompâ : Templa, & aras, simulacra, puluinar, flaminem, lupercos.* Quid-ni hæc omnia infulæ forent, quibus mactata victima, celeriùs morti dicaretur : quando minor in humanis superbiâ, infulas atrocissimæ eiusdem neci, meritissimò creditur apparâsse. Benè Iulius Florus, de eodem lib. 4. cap. 2. *Non ingratis Ciuibus, omnes honores vnum in Principem congesti : Circa Templa, imagines : in theatro, distincta radiis corona, suggestus in Curiâ : fastigium, in domo : mensis, in cælo. Ad hæc, pater ipse Patriæ, perpetuúsque Dictator. Nouissimè (dubium an ipso volente) oblata ab Antonio Consule Regni Insignia. Quæ omnia velut infulæ, in destinatam*

817. *morti victimam congerebantur.* Nesciunt enim quævis superbientis honoris infulæ, ne dum si humanum fastigium excedunt, nisi immolandam Orco victimam adornare. Grauiter iterum Herodotus lib. 1. *Quemadmodum fulmen, eminentia quæuis, & celsissima deiicit, arbustis parcit : sic Deus, superbiâ elatos prosternit vtique, humiles verò diligit.* Sic ergo peruersum Orbis fulmen Baltasar, sublimia quæque deiiciens, nec tamen humilibus parcens, tandem iusto, diuinæ vindictæ fulmine percussus perit. Nimirum ordinaria hominum superbia, in fronte sedet : nec altius, aut præruptiùs, (vt naturæ Mysta alicubi notauit) inuenit solium : at huius immanissimi Tyranni superbia, non super ipsa solùm, terrenorum Principum, capita thronum affectans singularem, sed *super astra Dei*, exaltaturiens meritò in profundum Tartarei tandem laci detutbatur.

Senec. Trag. — Herod. — Sueton. — Et superbia Insulis, quasi victima mactatur. — Iul. Flor. — Herodot. — Plin.

880. Concidit Cadaver tuum.] Si sententiam illorum sequaris, qui *Inferos* hîc de sepulchro explicant, plana est consequentia, aperit enim se vlteriùs Propheta, solito hebraismo idem inculcans clariùs. Si verò illorum opinioni mecum hæreas, qui Tartara hîc putant capienda, non est etiam verborum series difficilis : nam post superbæ Animæ ad Inferos detractæ pœnam, quæ in ipso necis instanti prior contigerat : malè postmodum curati Cadaueris miserias enuntiat subsequentes ; quòd scilicet non in ære regio, sepulchro in Palatij formam extructo obeliscis exculto, illustri pyramidibus, traderetur : sed aut vili solo persisteret insepultum, aut fossæ humili inderetur abiectum. Quod infrà, manuducente Textu latiùs expondo.

Trucidati Cadaueris Tyranni, miseria.

881. Longe aliter LXX. Interpretes in Sixt. prætermissâ Cadaueris pœna, hunc locum sic vertunt. *Descendit ad Infernum gloria tua, multa lætitia tua.* Sub quo lætitiæ vocabulo, omnes voluptates, omnes tyrannicæ delitiæ, quibus lætus in rosâ viuebat, denotantur : scilicet ludi, conuiuia, concubinæ, cæteraque eiusmodi, quæ effrænatæ Tyrannorum libidini prosternuntur, dum vigent, & mortuis in instanti subtrahuntur. Ideo moriturus Antiochus ait : *In quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus tristitiæ, in quâ nunc sum, qui iucundus eram & dilectus in potestate mea.* 1. Mach. 6. vers. 11. Pro iucundo, in Græco est χρηστός, quæ vox vt benè notauit Sàa, non solum bonum, sed etiam fælicem, & lætum hîc significat : vt quidquid delitiarum erat, morte sibi iam instante eripi, præsentiret. Porrò profligatissimas Tyrannorum delitias, enormes voluptates, solummodò lectis Assyriorum, Persarum, Græcorum, & Romanorum Principum historiis, credi possunt : esséque in notissimo negotio paucula conglobare operam ludere. Do tantùm minus notum Philostrati locum, lib. 5. de vit. Apol. apud quem ita Vespatianus, de ludis epulis, & concubinis Vitellij Imperatoris, (ad quas classes tyrannicas delitias reduxeram) describit. *Videns post Neronis mortem, ad hominem nihilo meliorem, delatum Imperium : ita vt non minus turpiter sub Vitellio, quam sub Nerone iaceret : tunc aliquid de illo capiendo, ausus sum cogitare. Primò quidem volens meipsum, plurimis dignum hominibus exhibere : deinde, quia cum homine crapuloso, delitiosóque, mihi certandum esse, intelligebam : Vitellius enim in se lauando, plus vnguentum, quàm ego aquam, consumit : vt videatur gladio percussus, vnguentum potius, quàm sanguinem emissurus : præterea vinum vino superfundens, furit : tesseris insuper ludere, nunquam cessat, semper timens, ne Talorum iactus, ipsum fallat : & inter ludum, de maximis Imperij rebus, vtcunque sors tulerit, disponit. Meretricibus etiam subditus, nuptis insidiatur : iucundiores inquiens amores esse, qui cum periculo habentur. Omitto lasciuias alias innumerabiles, nec tam turpia coram te proferam : neve Romanos, qui huius imperio subsunt, despicere videar.* Quibus autem atrocissimæ necis miseriis, & Cadaueris ludibriis, has delicias & Nero & Vitellius, consimilisque farinæ Tyranni pensârint, norunt lippi.

1. Machab. 6. Græc. Vers. — Eman. Sà. — Philostr. — Immalia Tyrannorum voluptates.

Neque à LXX. Interpretum versione, abest ex Hebræo Vatabl. qui ita legit. *Detractus est ad Inferos tactus tuus : strepitus Nablorum tuorum* : Nec immerito : quia נבל subnotatus diuersis punctis, nunc *Cadauer*, nunc *Nablum*, musicum scilicet instrumentum significat. Traducuntur ergo delitiæ Baltasaris circa Musicam, nam tyrannus conuiuiis, & concubinis deditus, vt videre est, apud Daniel. cap. 5. necessariò musicis Organis, & lasciuis cantionibus indulgeret. De musica in conuiuiis, iam multi ex vtraque pagina, ad satietatem chartas satis eruditas impleuere : nec ego in Spicilegio pauca, de immani, lasciuæ Musicæ, ad venerea, irritamento. Certè ars, & naturæ gratia præstantissima, apud insanos Populos, & Babyloniæ, (cui præerat Baltasar) similes, in mera libidinis fomenta, & turpissimum intemperantiæ pastum commutatur : addo Athenæum, qui Dipnos. lib. 14. cap. 13. de hoc grauiter sic scribit. *Ac ... vt Græci antiquitus Musicæ fuerint studiosi : cum postea ordinis confusio esset subsecuta, omnésque ferè leges antiquæ consenuissent : ipsa quoque disciplina dissoluta est, musicique mores abiecti emerserunt,* 882.

Vatabl. — Athen. Musica lasciuiæ ... pessim.

runt, quibus singuli vtentes, pro humanitate mollitiem, pro temperantiâ intemperantiam, animique dissolutionem operantur: in peius etiam multo fortasse conuerteretur, atque prorueret, nisi quispiam Musicam ipsam, ad patrium purissimumque splendorem rursus reuocauerit: Nam & Deorum immortalium hymni, & Heroum res gesta, in Odis antiquitus canebantur. Et quidem si ex mente grauissimi huius Philosophi, cum optimis quibusuis legibus, sana musica, & concentus castus petite solet: Cauendum Reip. nostræ, vbi sic obscœna Musica vbique perstrepit, ne forte iacere optimas quasque leges, solúmque vigere corruptas, dolenter coniectemus: & vt lasciuus ille nablorum strepitus, cum Baltasare ad Inferos deturbatur: sic impudicas & molles vt plurimum odas, eodem detrusas nobiscum, serò doleamus.

883. *Princeps turpiter musicus in amis Philostratus.* Mollissimâ illâ suâ musicâ, in quot vitia delaberetur Nero, nullus apud Latinos Scriptores non legit: libaui pauca suprà ex Græco Philostrato, lib. 5. subdo alia ex eodem libro. *Virum Græcis perniciosiorem putas Xerxem ferro, flāmâq; omnia vastantem: an cantantem Neronem, sumptus recogitans, quos pro suis cantibus facere coguntur? Insuper quo pacto domibus pelluntur: vtque præclaram suppellectilem, aut seruum, illis habere non liceat! Quid verò erga mulieres filiósq; patiantur, dicere non attinet: cùm sceleratas voluptates, ex quacunque domo, Nero colligat. Accusationes quot, quantásque ex theatris oriri censes, cùm Delatores redarguant: non venisti audire Neronem: aut, venisti quidem, sed negligenter, & non attentè audiebas: risisti, non plausisti: non pro ipsius voce sacrificâsti, vt clarior lucidiórque esset.* En tibi turpis musicæ studium, in quas insanias impulerit Neronem, vt illum ad Græciam vsque in Theatris publicè decertaturum duceret, vbi deinceps tot subsequentibus, aut certè adhærentibus voluptatis flagitiis, ludio Imperator indulgeret. Neque mirum: cum voce molli & lubricâ, etiam mentem visus euaporâsse: vt quod vetus Poeta Græcus apud Athen. lib. 8. cap. 5. de Tibicinibus dixit: *Athen. Musici, vt plurimum dementes.*

Non Tibicinibus tribuerunt Numina mentem,
Cum flatu quorum, mens quoque pulsa fugit.

Idem de Nerone similisque impudentiæ Cantoribus dici queat. Et tamen his hærent Principes, his delectantur hodie, (pro magno habentes fortasse, quòd ipsi, Neronis instar publicè non canunt:) nec timent sub hoc musico vitiorum incentiuo, Baltasari tandem postea copulentur. Sed ista satis de aliorum versionibus, quæ nobis fusiorem Tropologiam ministrabunt: quæ verò sequuntur, aptiùs longè vulgatæ nostræ Cadaueri cohærent.

884. *Cadaueris regij, loculus olim, quam pretiosus.* SVBTER TE STERNENTVR TINEÆ:] Parabatur Principum Cadaueribus, aromate preciosissimo ad incorruptionem conditis, loculi cedrini, arcæque ex consimili materiâ cariem respuente, fabrefactæ, illudendo quodammodò Mortis iuri: de his odoribus scripsi iam quædam alibi, & vbiuis plena aliorum volumina incurres. De loculo, vbi composita cadauera, in tumulum Proceres beatiores deferebantur, audiendus Persius Sat. 3. *Persius.*

Tunc tuba, candellæ: tandémque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,
In portam, rigidos calces extendit:

dicitur enim *altus lectus*, id est sublimitate augustior, ad differentiam aliorum qui depressiores: propterea beatulæ cuiusdam Matronæ thorum (vt cum Persio ludam) beatum vocauit Statius, in Abscant. Piet. *Statius.*

Hic te Sidonio, velatam molliter ostro,
Eximius coniux, (nec enim fumantia busta,
Ardorémque rogi, potuit perferre) beato
Composuit Priscilla thoro. Nil longior ætas
Carpere, nil leni poterunt vitiare labores.
Siccatam membris, tantas, venerabile marmor
Claudit opes.

In venerabili itaque sepulchri marmore, Beatus thorus, cum eleuato cadauere reclusus: sicut combustorum cineres, in pretiosâ vrnâ, sepulchro condebantur. Habes ergo miserrimam impij Baltasaris sortem, cui pro beato & odorato loculo, tineæ substernuntur. Additur statim.

OPERIMENTVM TVVM ERVNT VERMES.] En consimilis, & infausta rerum mutatio: Serica illa, & multo auro squalentia vestimenta, quibus Cadauera (rem tritam nosti) Principum obuelare solebant veteres: Baltasari in vermes fœtentes, miserrimè operiendo, rependuntur. Noto solummodò, Principum Dynastarumque Cadaueribus, vt plurimùm purpurea velamenta iniici solita, tum ad maiestatis, de regali purpurâ, significationem: tum fortasse ad alicuius mysterium superstitionis. De primo, audisti Statium, *Sidonio ostro*, Priscillæ cadauer obuelantem. Sic Valer. Flac. Argon. 3. 885. *Purpurea velamenta mortuis olim in vsu.* *Valer. Flac.*

——Hunc, crebris quatiens singultibus ora,
Velauit Æsonides, celsóque reponit in ostro,
Dat pictas auro, atque ardenti murice vestes.

quibus adde sexcentos alios, Græcos & Latinos, quos dedit Cerda ad Virgil. lib. 6. Æn. vbi de Mysseno ita. *Virgil.*

Fit gemitus, tum membra thoro defleta reponūt,
Purpureásque super vestes, velamina nota,
Iniiciunt.

Respexit fortasse ad hunc morem Valer. Max. lib. 5. cap. 1. de Antonio Imperij Romani fere Principe. *Marci Bruti corpus, liberto suo sepeliendum tradidit: quoque honoratius cremaretur, iniici ei suum paludamentum iussit.* Nemo autem nescit, tanti Ducis paludamentum fuisse purpureum. Ergo vt Bruti corpus, solito nobilium honore cremaretur, purpurâ operitur. In idem capio Q. Curtium lib. 5. vbi de Darij Persici Monarchæ morte. *Quibus Alexandro nuntiatis, ad corpus demortui perueniens, tam indignam illo fastigio mortem, lachrymis prosecutus est: demptáque sibi chlamyde, corpus illius contexit: atque regio ornatum cultu, ad Matrem Sysigambim, patrio, regióque more sepeliendum, atque regijs Maiorum suorum tumulis inferendum, misit.* Texit enim chlamyde corpus, ne vel breui tempore, solemni purpuræ colore fraudaretur. *Valer. Max.* *Q. Curtius.*

Suspicor autem præter maiestatem, cùm non solùm Regibus, sed etiam quibusuis nobilibus defunctis, purpurea velamenta inderentur: aliquid etiam superstitiosum hîc captari; cui fortasse respexit Virgilius, dum purpureas vestes, *velamina nota* id est, solemnia appellauit. Sit ergo coniectura, an ex eo quod crederent Orcum, Mortémque sanguine gaudere: sanguineo hoc colore, sanguinariis Tyrannis infernis blandirentur: neque id temerè, propterea enim apud omnes nationes, inter præcipuas mortuorum Inferias 886. *Itque, vt purpura, de sanguineo colore, Morti litarent.*

Inferias, sanguis multus libabatur: & in nobiliorum funere apud Romanos, Bustuariorum gladiatorum multa paria edebantur, qui inuicem multis vulneribus trucidati, cruore suo Orcum pasceret, ne in defuncti nobilioris cadauer desæuiret. Exempla vtriusque pueris obuia. Iam verò de Morte sanguinem sugente, habes Euripidem, qui de Hercule Alcestim liberaturiente, ita.

Mors, Ethnicis sanguinis sugens, credebatur. Euripid.

Ibo, & nigrantis, squalida, ferrugineis
Peplo, Mortis regina mortuorum, insidiabor:
Atque illam opinor, deprehendam ad aggerem
Tumuli, bibentem victimarum sanguinem.

Vndecunque tamen superstitiosum iuxta, & pretiosum fuerit, purpureum hoc regij Cadaueris operculum; misero hic Baltasari dicitur denegatum, & arrodentium vermium, repentium velamento: Digna plano miseria, quæ tragico insultantium spiritu, in hoc loco expenderetur. Sic funestissimè Tyranno Ruffino insultat Claudianus, lib. 2.

Claudianus. *Tyranni Cadauer deridetum.*

—— Calcandus spargitur ecce,
Qui sibi pyramides, qui non cedentia Templis,
Ornatura suos, extruxit culmina Manes:
Et qui Sidonio velari credidit ostro,
Nudus pascit aues.

Et quidem si argutari libet, posses nouum alium scommatis gustum, in operientibus vermibus reperire: vt qui serica, (dixi fusè *Spicil. sacra*) quæ bombycinorum instar, è pretiosissimis vermibus contexuntur, Cadaueri suo danda in operimentum sperabat; is vilissimorum vermium, fœtentibus scatebris tegeretur.

887. *Opes immensa in sepulchris olim, congesta.* Tandem in hoc misero & pauperrimo, & loculi, & funeralium vestium apparatu, inde etiam exprobratio desumi potuit; quod tam aliter à maioribus suis Regibus, sepeliretur: isti enim ingentes thesauros condebant in sepulchris suis: Baltasar in extremum inopiæ condebatur. Fuit iste, quod nemo nescit, priscorum Regum mos vsitatissimus, vt secum immensas opes sepelirent: de opibus in sepulchro Dauidis congestis, & Salomonis, multa Iosephus lib. 7. Antiq. cap. vlt. & lib. 16. cap. 11. Mira produnt recentiores Authores, de thesauris ad Sinarum Regum sepulchra hodie repositis. Apud Philostratum lib. 7. de vita Apol. quæritur quidam, an subitas diuitias comparâsset: *Effodiendo Regum sepulchra, vbi magni thesauri plerumque conduntur.* Ex hoc vsu occasionem sumpsit Necrotis (vel si Plutarcho credimus, Semiramis) prisca Babylonis Regina: illudendæ auaræ posterorum impietati; rem captâ à Persis Babylone sic enarrat Herodotus in Clio, vel lib. 1. *Eadem Regina hunc machinata est dolum. Suprà portas vrbis celeberrimas, in loco edito atque conspicuo, sepulchrum sibi extruxit, atque his literis inscripsit. Si cui Regum Babylonis post me futurorum, fuerit pecuniæ penuria: aperto sepulchro, sumat, quantumcunque libuerit pecuniæ, duntaxat indigens: aliter non aperiat: non enim satius fuerit. Hoc sepulchrum tamdiu fuit immotum, dum Regnum peruenit ad Darium: is indignum esse ratus; se neque vti quippiam his portis, (ideo autem non vtebatur, quia super caput ipsius transeuntis mortuus situs esset) neque sumere pecunias repositas, & eas ipsum prouocantes; reserauit monumentum: in quo non quidem pecunias inuenit, sed literas ita dicentes: Nisi pecuniâ esses inexplebilis, & turpis lucri cupidus: haud aperuisses vrnas*

Ioseph. Philostr. Herod.

defunctorum. Sed quamuis gesto falleret, tamen non insolens esse Babyloniæ Regibus, ad sepulchra opes congerere hinc conuecto: & fortaisè Thesauri illi absconditi, apud Babylones etiam, & Cyro tradendi Isai. 45. vers. 3. de sepulchralibus etiam veniunt explicandi. Quanta ergo calamitas Baltasaris, qui tam alio apparatu sepelitur! Isai. 45. 3.

Notatio XIV.

Impij Principis Pœna in Inferno: à Iudice seuerissimo.

NON abest à politicâ Principum institutione, æternæ Inferni carceris pœnæ cogitatio: nihil catholicum animum punget acriùs, valentiùs instigabit, vt amotâ Tyrannide, æquus & attentissimus gubernet: Baltasaris iniectum oculis supplicium, eosdem, ne in simile damnum ruatur, reddit vigiles. Audite ergo Principes, qui *Nec custoditis legem Iustitiæ, neque in viis Dei ambulâstis: horrendè & citò apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum, in his, qui præsunt fiet: Potentes autem, potenter tormenta patientur.* Sapient. 6. vers. 5. Quasi malè gestæ potentiæ abusus, torquenti flammæ vsum, acriùs puniendo administret. Nunc ergo, nunc resipiscendi tempus; serò postea sub ipsis pœnis indoletur: ideo Eusebius Gallican. Homil. 3. in Epiphan. *Tardè nobis displicebimus, sub conspectu ignis æterni: qui interrogabit ossa, & medullas, & cogitationes nostras. Quanto tunc emere pretio vnusquisque condemnãdus optabit, ne vnquam corporis sui vestem commaculâsset: nunquam præteriisset consilia & monita Sacerdotum? Nam si illis grande peccatum est, aliena non arguere: quantò periculosius erit, propria non solùm non emendâsse, sed etiam defendisse?* Quod quidem perinde est in Principibus, iniquis, qui non solùm Populi sui scelera non castigant, sed etiam sua propria defendunt; vtrinque seuerissimè puniendi. Porrò cùm tot in infaustissimi Baltasaris supplicio mala cumulentur: nullum meo iudicio sæuiùs cuibratur, quàm quod à mitissimo Propheta, quasi à Deo, non solùm punitus dicitur, sed compositis etiam sarcasmis, & inductis Idolopœis irridetur: sit enim damnatorum pœna, & Principum maximè, dura vndique: certè tamen non aliunde durior existimanda: quàm, quod velut gratissimum spectaculum, risu & subsannatione cælestium, suauissimique aliunde Numinis, dempta commiseratione, excipiatur. Rem ergo paucis monitis absoluamus. Nil hic argutum, nil comptum, speret lector.

888. Sap. 6. 5. *Serius dolemus, neque tam pœnitentes, quàm furentes, in Inferno.*

* * *

MONITA

Monita Politica.

I.

Iniqui Principis, in Inferno, Mors viua: desperatio sperans: & sub voracissimo igne, æterna exustio.

889. Dura igitur in primis iniquo Principi inferni pœna, quia post breue & momentaneum Imperij sui gaudium, ineuitabili, ad æternitatem, cruciatui addicitur: qui quamuis leuissimus foret, (cùm sit grauissimus) nunquam benè, omnibus caducæ vitæ voluptatibus pensaretur. Obruitur proprio scelere Israël, cuius Regis signanter gloria, quasi spuma super faciem aquæ transiens, id est, breuissimè euanescens, Oseæ 10. (Oseas 10. 7.) vers. 7. deploratur: Hoc enim sonant illa verba: *Transire fecit Samaria Regem suum, quasi spumam super faciem aquæ*: apertiùs ex Hebræo (Vatabl.) Vatabl. *Excidetur Samaria cum Rege suo, vt spuma, &c.* Et in scholio: *Rex Samariæ occidetur in ea.* (Gloria humana, spuma est.) Sic Idololatra Princeps, post breuem, & spumosam gloriolam, cum Proceribus, Ciuibúsque, æterno deinde cruciatui mancipatur. Sed mirum est, quod statim additur: *Et dicent montibus, operite nos: & collibus, cadite super nos.* (Vers 8.) Vers. 8. Quid enim iam inclusi inferno, sub nouo hoc & immenso Montium pondere, sentirent leuaminis, vt id suspirent? Scilicet, (Damnatis apud inferos, mors frustra exoptatur.) dum æternitatem præsentiunt, cupiunt experiri, an fortassè, tam immensum pondus, immane sic onus, nouum aliquod Mortis genus, miseris importaret, vnde æternitatis torquentis Ius euaderent. (Euseb Gal.) Eusebius Gallicanus, homil. 7. de Pasch. *Serò tunc dolore clamabunt collibus, operite nos: & Montibus, cadite super nos: desiderabunt mortem, sed non inuenient; qui vitam, dum inueniendi tempus fuit, desiderare noluerunt: optabunt mori, nec licebit: quia vitam, cùm liceret, optare noluerunt.* Sic æternitatem degent, mortis viuentes miseriis: & cunctis, veræ vitæ, mortui voluptatibus.

890. (Damnatos ipsos, oppressionis mors [...]cina.) Sed mira magis, stultissimi huius voti, hebetudo: nam cùm videant, quàm arcto pondere, totius Tartari mole opprimantur, & tamen viuant ad pœnam, putant se oppressione collium morituros. Quantò prudentius sanctissimi Regis votum, Dauidisque ad Deum deprecatio: *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me Profundum: neque vrgeat super me puteus, os suum.* (Psal. 68. 16.) Psalm. 68. v. 6. Non dixit: non dilatet infernus potiùs, os suum, ad me sorbendum: sed, ne vrgeat, ne angustet super me iam absorptum, os suum: nouerat enim infaustissimum illius putei ingenium, qui super deuoratos semel, os concludit: & licèt immensum premat desuper (quidquid est respiraminis, eripiens,) dilatatur deorsum: vt miseri damnati, sub viua vbique morte, litent æternitati. (Euseb Gal.) Eusebius citatus, homil. 3. in Epiph. *Ideo autem dicit, quia cum susceperit nos, claudetur sursum, & aperietur deorsum, dilatabitur in profundum. Nullum spiramen, nullus liber anhelitus, claustris desuper vrgentibus relinquetur. Detruduntur illuc valedicentes rerum naturæ: vltrà nescientur à Deo, qui Deum scire noluerunt: morituri vita, & mortis sine fine victuri.* Quò ergo, Samaritani illius Regis, sociorúmque vota, nisi supinam quandam stultitiam probatura?

Et quidem iustissima hæc pœna, vt non solùm æternitate pœnarum, sed insuper suâ stultitiâ puniantur. Agnoscunt absque dubio supplicij sui æternitatem, & desperantes omnino remedium, sæuissimè distorquentur: interim tamen sic videntur stultescere, vt aliquid sperare leuaminis præsumant, vt nunquam voti compotes, non solùm deglutitâ semel desperatione, sed frustratæ identidem spei tormento afficiantur. O miram torquentis æternitatis artem! quæ dum apertè amouet spem omnem, vmbra quadam spei cernitur illudere: vt dum desperantes sperant in, veros quosdam Tantalos efformentur. Iacebat in flammis Princeps epulo. Diues, purpuratus: & sublatis oculis ait ad Abrahamum, vt Lazarum, refrigerij ergo, ad se mittat: ad quem post alia, Patriarcha. *Inter nos & vos, chaos magnum firmatum est: vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint: neque inde huc transmeare.* Luc. 16. vers. 26. Ignorabat-ne infaustissimus Princeps, sæculi illius leges? nesciebat nec tantillo tenuis stillæ rore, quale quale leuamen sibi adhibendum? non crediderim: quid ergo rogat, quod nouerat denegandum? stultescebat infœlix vt spei vmbrâ, in ipsa desperante notitia identidem delusus, denuò torqueretur. De hac stultitia capiendum existimo Chrysologum, serm. 66. ad hunc locum: *Insipienter Diues putat, apud Inferos mutari loca: quando hic agendo homo benè, vel malè, ibi sibi terminum, aut pœna aut quietis indicit. Stultus in vitâ Diues, stultior inuenitur in pœnâ: & qui bonorum suorum nesciuit tempus, nec malorum suorum tempus miserandus agnoscit.*

At quidem, quando tam longos, imò tam nullos, Æternitas sibi designat terminos, ad torquendum, videbatur in consumendo reo lente flamma processura: neque fit ita, quin potiùs longissimo durationis tormento, dolorem celerrimæ voracitatis sæuissimum adnectit. Distrinxerat contra impios minas, Isaias: deinde subdit: *Quis poterit habitare de vobis, cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis, cum ignibus sempiternis?* Cap. 33. vers. 14. Quid autem dicat aliquis est, non solùm vorare, sed *deuorare*: quàm absumere? si ergo ignis iste, auidissima voracitate absumit pabulum, cur in ipso pabulo, dicitur perennare? Scilicet rarum hoc monstrum, realem hanc Chymeram testari Orbi voluit Propheta, ne aut in æternitate torquente putares lentitudinem; aut in absumente voracitate, finem somniares. Galfridus ibi, in Sylu. Alleg. *Humana omnis interim afflictio, aut leuis, aut breuis, aut vtrumque pariter: iuxta illud, momentaneum hoc & leue tribulationis nostræ: alioqui, aut tolerabilis est, si diuturna: aut si qua fortè intolerabilis fuerit, citò transit. Misera habitatio, vbi nulla est consolatio, vel de pœna minori, vel de fine supplicij: siquidem nec lentus erit deuorans ignis, nec in sempiternis ardoribus vllus finis.* Cassa igitur & vanissima, hic mi Princeps, illa consolatio ex Seneca Epist. 24. quam efficaciter vtilem, omnibus applicatam doloribus, credit Orbis? dicebat ille. *Pone ista, quæ nos obstupefaciunt*

Marginal notes (right column): 891. *Inferno, non solùm desperatione, sed hac inani & sperante, torquet miseros.* — Luc. 16. 26. — 891. *Voracissimus est Inferni ignis, æternus tamen.* — Isai. 33. 14. — Galfrid. — Senec. *Humanus dolor, si grandis; finitur breui.*

faciunt, iube conticescere gemitus, & exclamationes, & vocum inter lacerationem elisarum, acerbitatem: dolor est, quem podagricus ille contemnit, quem sthomaticus ille, in ipsis delirijs perfert, quem in puerperio puella perpetitur: lenis est, si ferre possum: breuis est, si ferre non possum. Pœna siquidem infernalis, licet nullam tyrannicæ torturæ instar, pompam ferret, congereret apparatū, foret tamen terribilissima, quæ æternitati coniungit voracitatem, vt indesinenter longissima, & grauissima distorqueat.

893. Psalm. 91. 8.

Nouerat id citatus Rex Dauid, ideo iterum: *Cùm exorti fuerint peccatores sicut fœnum, & apparuerint omnes, qui operantur iniquitatem, vt intereant in sæculum sæculi*, Psalm. 91. v. 8. Si enim exoriuntur, in æternum perituri, bene vt fœnum dicuntur exoriri, id est consuetum igni pabulum, amica materia. Id tamen dubium: cur, cùm incendium illud sit æternum, non duro potiùs ligno, cui diu ignis impenditur consumendo: quàm fœno exhausto citiùs comparantur? Respondet grauissimè D. Eucherius Lugdunensis homil. in Pentecost. *Quod audis sicut fœnum, non hic celeris supplicij putes esse compendium: non hic, quasi penitus arsurum, & in nihilum redigendum, hominem dixit: sed peccatorem vili materiei comparauit, cùm exurentur peccatores sicut fœnum: non hic intelligenda est in illo igne velocitas consumendi, sed violentia concremandi: non hic pœnæ terminationem, sed flamma voluit significare damnatum.* Sunt itaque fœnum damnati, vt incendij voracitas denotetur: sed fœnum æternum & in sæculum sæculi duraturum, vt sine fine torquendi agnoscantur. Nihil faciliùs, nihil auidiùs, quàm fœnum pascit ignis: vnde satis durum esset damnatis sic vorari: longè tamen durius, æternæ sic durari vorationi, quæ tamen Potentiores, vt monui, distorquebit potentius.

D. Eucher. *Damnati, faciles, sed æternum pabulū, flammis ministrant.*

II.

Infernus ignis fœcundus, Principis delitias, inextinguibilis depascitur.

894. *In inferno longè veriores Tityos, fides agnoscit.*

DVra certè inferni pœna, dum identidem videntur exoriri damnati, vt exurantur: quasi semper depasti incendio infausti generis Phœnices renascantur, & de semetipsis impendia viuacibus flammis subministrent. Nihil in Prometheo duriùs, nihil diriùs in Titio excogitarunt prisci, quàm quòd propriis visceribus semper renascentibus, vultures sui carnifices enutrirent: vt isti pastu assiduo redderentur ad lancinandum robustiores: nec illi continuis expensis exhaurirentur. Allusit eleganter Virgilius lib. 6. Æn.

Virgil.

Necnon & Tityon, terræ omniparentis alumnū
Cernere erat: per tota nouem cui iugera corpus
Porrigitur: rostróque immanis vultur adunco,
Immortale iecur tundens, fœcundáque pœnis
Viscera, rimatúrque epulis, habitátque sub alto
Pectore, nec fibris requies datur vlla, renatis.

Sed ficta ista, iam longè sæniùs facta apud damnatos, de quibus iterum D. Eucherius Lugdun. homil. 1. ad Monach. ita: *Illud quomodo trepidus, & malè conscius sermo poterit explicare: cùm ceperit inexpiabilis, & infecta peccatis medulla, sæuis gehennæ æstibus, & more feruentium ac decoquentium metallorum inextinguibili ardore, tota hominis substantia intus infundi, & depascentibus flammis, corpora atque animas ex parte consumi, ex parte nutriri: vt inter medios ignium globos det pabulum, & accipiat nutrimentum.* Itaque miserrimo effectu, ignis nutritus nutrit: & vnde pabulum præstat, ipse alitur, geniòque aliunde sterilescens elementum, reddatur torquendis miseris fœcundum.

D. Eucher.

Infernus ignis fœcundus pabulum nutrit, vnde nutritur.

Redi ad Isaiam cap. 33. suprà adductum, qui ad eosdem ita: *Nunc consurgam, dicit Dominus, nunc exaltabor, nunc subleuabor: concipietis ardorem, parietis stipulam: spiritus vester, vt ignis vorabit vos*, v. 10. Vidisti vsquam, alieniorem partum à conceptu, aut fructum iacto semini dissimiliorem? Audi Lyranum ibi, *Parietis & stipulam, id est vt efficiamini sicut stipula applicata igni.* Verus sensus, qui tamen Prophetæ emphasim non satis assequitur, applicatur quidem igni vt stipula, miser Reus: cur tamen concepti ardoris, partus potiùs quàm pabulum dicatur: nisi quia inferorum ignis præter naturam fœcundus, miserrimè corpus enutrit, animam saginat, vt stipularum instar, inuicem illi pabulum administrent. Putares ad hunc locum respexisse loco proximè citato D. Eucherium, qui sic concludit, *Escas ardoribus crimina ministrabunt: manebit præceptum & authoris & iudicis, vt viscera doloribus obnoxia, & solis cruciatibus consecrata, ignis arbiter depasta non deuoret, sed ad hoc parcat, vt semper interimat: vt opus ac figmentum corporis nostri, in antiquis sceleribus mortuum, ei ad sola tormenta rediuiuum, finem in ipso interitûs confinio, non inueniat: sed exinanita iam tolerantia virtus sic pereat, vt resurgat. Illa enim non casualis, sed rationabilis & pœnalis exustio, quia culpam iubetur inquirere, substantiam nescit absumere.* D. Eucher.

895. Isai. 33. 10.

Lyranus.

Damnatis solū parcit, sed tantum flammis pabulum.

Et meritò sanè indelebiles & immortales culpas, quas miseri contraxerunt, materiam voluit sanctus Doctor incendio exquisitiorem, (dum interim substantia punitur) quia ipsis culpis, quasi oleo & pice infœlicia illa ligna disponuntur, quibus auidius flammæ depascantur: ideóque, ni fallor, loco priùs citato, *Infectas peccato medullas* quasi pice oblitas *inextinguibili ardori* destinauit, ita est: nil aptiùs tristi materiæ disponendæ. Mille modis impiorum tristitiam superueniente iudicio poterat Christus Dominus explicare, maluit tamen ad vnam illorum recurrere ariditatem: *arescentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ superuenient vniuerso Orbi*, Luc. 21. v. 26. Neque poterat res aptiùs explicari: timebant, & quasi suo iure expectabant imminens iam è cælo incendium, & duriorem in Tartaro vstionem subsecuturam: exhibent ergo se iam arescentes, & quos passionum febris decoxerat, quasi paratissimum pabulum & acapnum, inuenit ignis ille voraturus. Oleaster ad cap. 3. Exod. post multa de impio, passionum ardoribus arescente, sic ad rem nostram. *Quamobrem cum dies Iudicij appropinquauerit, Deum impios aridos inuenturum, Lucas ipse commemorat: arescentibus inquit hominibus præ timore. Sic apud Matthæum vocantur impij Paleæ, igni inextinguibili comburendæ.* Nil ergo tot indulgens affectibus, tot diffluens voluptatibus, iniquus Princeps agit cum Baltasare, quàm oleum, picem, & resinam apparare,

896. *Affectus astuātes, quomodo aptam materiam disponant inferno.*

Luc. 21. 26.

Oleaster.

rare, quibus aliunde acapnus & arescens, delicatius inferno pabulum condiatur.

897. *Dum voluptates cumulat, pœnas sibi peccator accumulat.* Funestissimum sanè hoc est, tormenti genus: quasi quâ anxietate Auarus aliquis pecunias corradit, eâdem Princeps, dum iniquas voluptates captat, delitiis inlicitis indulget, pœnarum sibi pabulum administret. Audi Apostolum: *Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.* Rom. 2. v. 5. vbi D. Thomas. *Thesaurizas iram, id est reatum pœnæ.* Vt totum totius vitæ studium, in apparando ignibus sempiternis pabulo impensum, sæuiores postea rependat cruciatus, ideo Galfridus in Syl. Alleg. ad cap. 7. Ierem. contra illos qui putant, diuinam vindictam indormire, quia tardat, sic scribit. *& quomodo, inquies, curare credendus est, qui tandiu tolerat, & dissimulat? O si scires, quam longa est vltio, breuis tibi ista dissimulatio videretur: dissimulat ad pœnitentiam, tu vero potiùs tibi iram thesaurizas.* Et bene *in die iræ*, dixit Apostolus: id est in tempore, quo singuli ad Iudicium vocantur: cùm scilicet prodigus iam vindictæ furit Deus, & Iustorum etiam operum defectus punit seuerissimè: vt & thesauro tuo, & illius districtiore tunc seueritate, vberiùs nutriendis flammis appares nutrimentum. Sed de hoc infrà plura, & iam in aliis operibus, si bene memini, non pauca cumulaui.

Rom. 2. v. 5.

Galfridus.

III.

Tormentum damnato Principi maximum, negata commiseratio: adhibita irrisio: vt illis, quos, breue habuit, æternum sit, ludibrij, spectaculum.

898. HVcusque duras audisti, mi Princeps, inferni pœnas: durissimam, ni fallor, iam subiungo: ideò fusiùs dilatandam, quia in Textu nostro, vt vidisti, prætermissis aliis, hæc vna quasi satis miserrimo inflicta Baltasari, expenditur: scilicet quòd tot inter miserias, non solùm ad compassionem oculos alienos non commoueret: sed & damnatos alios, & Prophetam aliunde piissimum, & quod maius est, Beatos ipsos, & Deum clementissimum, ad irrisionem & ludos prouocaret. Dixi de hâc re ad litteram, in ipso statim huius operis initio, vbi scomma Propheticum inceperat detonare: huc verò, tanquam in locum proprium, plusculà reseruaui: huius ergo atrocitatem supplicij, mecum quæso attentissimus expende. Interrogati Sacerdotes Philisthinorum, de remedio tot sibi diuinitus illatis plagis adhibendo, responderunt: *Quare aggrauatis corda vestra, sicut aggrauauit Ægyptus & Pharao? nōne postquam percussus est, tunc dimisit eos, & abierunt?* 1. Reg. 6. v. 6. Lxx. in Sixt. τὸ *Nonne postquam percussus est*: scilicet Pharao, cum Populo suo: rem ad percussorem Deum transferentes, sic vertunt: *Nonne postquam illusit eis &c.* quam, versionem ibi egregiè explicat Magister meus, Franciscus de Mendoça: addo rei præsenti tertiam explicationem: quia scilicet acerbissimam Regis Pharaonis pœnam, (quâ, consulentem gentem suam, à proteruiâ reuocarent) ob oculos apponere voluerunt Sacerdotes: dum post tot,

Summum in supplicio pœnæ, aliena irrisio.

1. Reg. 6.
Lxx. Interpr.

támque seuera supplicia, ipsum punitorem Deú, non dolentem, & quasi commiserantem, sed illudentem & insultantem afflicto Regi & Populo significârunt. Quo gustu explicandus Lyricus lib. 1. Oda 2. ad Martem, quem affligentem suos lamentatur.

Heu nimis longo satiate ludo, Horat.
Quem iuuat clamor, galeæque leues,
Acer, & Mauri peditis, cruentum
Vultus in hostem.

quia inde acerbissimas Romanorum pœnas, sub tot bellorum Ciuilium strage indicabat: quòd à Marte ridente & ludente mitterentur. Quam ergo cuiuis vulgari, ne dum electissimo olim Principi funestum, si in Inferno tortus, nullos sentiat Amicos consolatores, sed insuper Beatos, & Deum ipsum, sentiat irridentes?

Hinc sanctissimus Rex Iob, postquam omnia sibi defuisse queritur, & ab omnibus se desertum lamentatur, sic concludit: *Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici, quia manus Domini tetigit me.* cap. 19. v. 21. tot sibi Regni, filiorum, erepta solatia tulit patienter: plagas, vt dixi alibi commouendo altiùs dolori, testâ exulcerauit hilariter: vermium scatebris, vt notauit Tertullianus, lusit festiuus: & tamen anxius, amicorum commiserationem solummodò implorat? & quidem meritò: quasi vix ferret animus tot exercitus doloribus, tot opimis patientiæ spoliis onustus, tot erectis fortitudinis trophæis perillustris, saltem absque alienâ commiseratione iam consistere. Multa ad hunc locum D. Ambros. 3. offic. cap. 16. qui tandem sic concludit. *Solatium quippe vitæ huius est, vt habeas cui pectus aperias tuum, cum quo arcana participes, cui committas secretum pectoris: vt colloces tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur tibi: in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur.* Intolerabilis quippe vita ærumnosa, absque hoc solatio, quo per compassionem dolor communicatur, vt tantùm eius tibi demi, quantùm Amicus compatiens, sibi videatur assumere. 899.

Iob. 19. v. 21.

D. Ambros. *Ærumna, absque consolatore, ærūnosissima. Amici officia.*

Propterea mihi semper ponderosa, Phrasis illa Araucanorum in Chilenâ Prouinciâ: qua dum amicus, amicum quâuis miseriâ vexatum inuisit, subdit illico: *Venio huc, vt mecum, tuum dolorem partiaris*: cui ille respondet: *Partior* tunc tacetur vtrinque, nec toto conuentionis tempore, licèt longiori, verbum aliud profertur: quasi per silentium ab vno, in alterum, dolor transfusus diuidatur. Habet enim proprium compatiens Miseratio, vt tantùm in amico pœnarum consumat, quantùm sibi assumit earundem. Hoc est, quod idem Rex sanctissimus Iob, de se dicebat: *Flebam super eo, qui afflictus erat: & compatiebatur anima mea pauperi.* cap. 30. v. 25. quia minus erat, bonis suis miseriam afflicti leuare, nisi & fletu, doloris se participem effecisset. Summa pœna, dolor sæuissimus alicuius, non tam communicato censu, quam sensu afflictionis concepto mitigatur, D. Gregorius Magnus ibi. *Ille perfectè tribuit, qui cum eo, quod afflicto porrigit, afflicti quoque in se animum sumit: vt priùs in se, dolentis passionem transferat, & tunc contra dolorem illius, per ministerium concurrat.* Hoc enim tantùmodò leuamen dolores inuenerunt. Quàm ini ergo hinc putet, extremâ, in Inferno, pœnâ Baltasar, cui cum denegata commiseratione, adhuc irridens piissimi alias numinis subsannatio commisce... 900.

Amicorum compassio, quæ sit germana.

Iob. 30 v. 25

D. Greg. M.

Notati

901. Notissima in hanc rem verba illa Domini
Prou.1.26. Prouerb.1. Sed in quibus aliquid denuò ponderandum: sermo est contra diuinæ Sapientiæ spretores: *Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, aduenerit: cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit*, v.26. Non vtcunque, sed vt *tempestas* ingruit calamitas, quæ repente fœda, & obuios quosque præcipitat fœdatura. Prodit aliquis è Potentioribus fortè foras, cirratus adolescens, vnguentatus, purpuratus, Adonidem exprimens, imò si mauis, Venerem: interim conglomeratis nubibus, exorta subitò procellâ, consputcatus, dum risum, dum cachinnos è securo mouet tecto spectantibus: quâ non impatientiâ, quo non furore ipse commouetur? talem sed in tam alio negotio contemplare Principem, qui in rosâ in delitiis viuebat, repentino mortis turbine præoccupatum, iam spoliatum, iam fœdum, Tartaro detrusum, satis ingruenti pœnarum tempestati ingementem: dolentem tamen acriùs, quod Deum, cælestésque omnes, non solùm compatientes non habeat, sed irrisores. Quid enim dubites, cùm diuinam hic Sapientiam audias irridentem, & subsannantem, Beatos omnes pariter irrisuros? Bene D.Bernardus serm.8. super Psalm. *Qui habitat*, ad hunc locum, *Sane quod sapientia tunc placebit, sapientibus quoque placeat, necesse est vniuersis*, vt crescat dolor miseris, dum etiam crescit numerus subsannantium. Sed tu mihi nota, cùm tot verbis prædicto in loco (tu legeris) describatur hæc tempestas, solius subsannationis dolorem ibi exprimi: certè quia nullum duriorem afferre potuit. Grauiter ibi Iansenius, *In hac totâ orationis parte, quæ prosequitur dignam impiorum vltionem, eleganter illam depingit & exaggerat: Significat enim illam in se maximam fore, vt quæ sit futura eorum interitus: deinde subito, & cum ineuitabili vi obuenturam: præterea neminem fore, qui eorum vices doleat: Ad hæc, quod omnino est intolerabile, ipsos etiam in suâ calamitate fore ridiculos alijs, & subsannationi expositos.* Numera ergo stellas, si potes: certè beatos damnatorum irrisores non numerabis. Ecquid diriùs?

Damnatum apud inferos irridet, uperà cum Deo.

D. Bernard.

Quæ est pœnarum maxima.

Iansen.

902. Sunt egregia, sed obscura, ad præsens institu-
Psal 140.6. tum, illa Prophetæ Regis, Psalm.140. vbi impiorum pœnas descripturus, sic incepit: *Absorpti sunt iuncti Petræ, iudices eorum*, v.6. Suppono cum Augustino, in hoc loco, *Petram* istam esse Christum. Quid ergo est, quòd iudices impiorum, id est, Sancti, (qui iuxta Apostolum, etiam Angelos malos iudicabunt) absorpti & iuncti Christo dicantur, id est in ipsum Christum transfusi: quando Christus, non tam tener, & suauissimus vt solet, quàm dura Petra, & saxea durities celebratur? Cur cùm hos absorbeat Christus in se transformandos, quo nil pretiosius aut suauius esse potest, tunc Petræ magis, quàm blandissimæ alicuius rei titulo insignitur? Quia, cùm Christus supremus Iudex ad puniendum impios, seuerissimâ quadam duritie videatur lapidescere, non solùm non miserescens, sed quod intolerabile est miseris, eosdem irridens & subsannans: sic Sancti, delegati scilicet Iudices, eodem affectu, omni commiserationi aditum præcludentes, diuinæ Petræ iuncti absorbentur: quasi in lapideam indolem obriguisse velint existimari. Multus in hanc rem citatus Bernardus, qui tandem sic concludit, *Absorpti planè in affectum iustitiæ, & Petræ soliditatem, cui inuicti sunt, imitantes, &c. Tunc putes, flexibile quippiam inueniendum in iudicibus iunctis Petræ? qui adhæret Deo, Apostolus ait, vnus spiritus est: & qui Petræ iungitur, lapis vnus.* Vt iam desperetur compassio, quam à rupibus, mera solum stultitia sperauerit: imo horreatur irrisio & subsannatio à Christiformibus, cùm videant Christum, æternam Sapientiam quodammodò irridentem & subsannantem. D.Bernard.

Cur nulla commiseratio beatorũ, subsequatur damnatos.

Neque qualem qualem subsannantem, hìc putes, irrisionem: sed illam amarissimam, quæ tunc euenit, cùm quis illorum fit ludibrij spectaculum, quos sibi paulo ante, irridenda posuerat spectacula: *ludum Fortunæ* appellauit Lyricus lib.2. Od.1. huiusmodi vicissitudines, qui iterum lib.1. Od.28. ait: 903.

Hæc jam tunc ... illo ... quos irridebant pridem.

Dant alios, Furiæ, torno spectacula, Marti: Horat.

quasi id durissimum latu putaret, si quos sæuæ Eumenides, Tartareæ Furiæ sæuientibus in prælijs Orco dabant: hi, quasi voluptatis spectacula, duro Marti obiecti viderentur. Sed quantò quidem veriùs, tantò duriùs miserrimo Baltasari, vt æternum sit in inferno irrisionis spectaculum, tot Israëlitarum iustis, quos irridens paulo ante, breue furoris sui fecerat spectaculum. Tale est illud D.Cypriani epist.1. contra Demetr. alludentis ad vsum, quo Martyres in amphitheatra trahebantur, vt fierent Principibus Tyrannis, barbaris idololatrarum oculis, aut flammis dati, aut obiecti feris, festiuum spectaculum. Sic ergo sanctus Doctor, *Cremabit addictos ardens semper gehenna, & viuacibus flammis vorax pœna: nec erit vnde habere tormenta, vel requiem possint aliquando, vel finem: seruantur cum corporibus suis, animæ infinitis cruciatibus ad dolorem. Spectabitur illic à nobis semper, qui nos hic spectauit ad tempus.* Vt ergo nihil Martyribus durius esse poterat, quàm sine vllâ pati commiseratione, imo dum grandis pœna in risum spectantium vertebatur: sic vice iam versâ, nihil tortoribus olim Principibus iam funestius eueniet, quàm quòd dulce & æternum præbeant Martyribus iam beatis spectaculum: & breuis voluptatis gustum impiis haustum oculis perpetuâ sui spectatione miserrimè compensent. D.Cyprian.

Et ab ... in æternum quibus ... ipsi ...

Sic capiendus Isaias: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt vsque ad satietatem visionis, omni carni*, cap.66. v.24. quasi neque vermis ille, id est verus, non ficti Tityi, vultur, renascentes identidem fibras depascens: nec flamma æterno pabulo enutrita satis vnquam pœnæ dolorem exacerbarent: nisi hæc infaustissimos, longo ludo, & grato spectaculo exponeret: vt dum in persequendis iustis, gratum sed breuem ludum, sibi proposuerunt, iam ipsi, sed in æternum spectandi, satient & exhilarent beatos. Ideo citatus Cyprianus, *In persecutionibus factis, oculorum crudelium breuis fructus, perpetuâ visione pensabitur: secundùm Scripturæ sanctæ fidem dicentis: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt ad visionem vniuersæ carni.* Sed neque videtur mysterio carere, quòd beatissimi isti spectatores, qui potiùs de Spiritu triumphante videbantur commendandi, hic solummodò *caro* appellentur: fortasse enim ita profertur, vt crescat impiis dolor, dum sibi corruptionem 904. Isa.66.24. D.Cyprian.

Ad ludibrij satietatem iam ...

Mors viua inferno de a. fcis miferos.

ptionem carnis, vt fic dixerim, immortalem, datam gemunt; fub quâ proinde æternum fpectentur: quando vt æterni exultent fpectatores, corruptibile olim corpus, immortali iam induent incorruptione, Beati refurgentes: ipfos etiam corporis oculos, fæuiffimis damnatorum tormentis recreaturi. Bene Hugo Cardin. ad hunc locũ: *Morte immortali morientur impij: vnde fup. cap. 8. v. 8. pœna impiorum dicitur, quafi torrens inundans, vfque ad mediũ colli; quia femper cruciabit & nunquã extinguet, vnde nec vltra collum dicitur tranfire ad fuffocandum, fed vfque ad medium colli, vt femper in cruciatibus viuat.* Eft explicatio pulchra, ad ea quæ de viua morte, initio dicebam: tunc fubdit ad rem præfentem: *Et erunt vfque ad fatietatem vifionis omni carni: quia de malorum vifione in tormentis, fatiabuntur omnes electi. Nam omnem carnem vocat nunc omnes electos, poft refurrectionem corporum, gloriã corruptionis veftitos*: quafi in incorrupta iam carne etiam ipfimet beatorum oculi fatiandi.

Hugo Card.

Quam alia beatorũ damnatorumque corpi futurum.

Idem.

905. Apertè in hanc rem Dauid, Iuftum allocutus:

Pfalm 90.7. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit: veruntamen oculis tuis confiderabis, & retributionem peccatorum videbis*, Pfalm. 90. v. 7. Vbi mihi nota ipfis oculis dari confiderationem, quæ potiùs mentis actio putari folet: quia quemadmodum in comœdiarum fpectacula, oculi videntur mentis vices adimplere, dum defixo obtutu aliud vident, & aliud præbent menti cogitandum: fic iufti videntes vltimam damnatorum tragœdiam, diuinæ iuftitiæ, in irrogato fupplicio pulchritudinem, hilares confiderabunt: crefcétque miferis tormentum, quod fic prudentibus, iucundius fiant lætitiæ fpectaculum: quos ipfi aliquando fabulam ftultiffimi habuerunt. Bernardus ad hunc locum, ferm. fæpe citato: *Hoc planè eis graue tormentum, & magnus quidam malorum cumulus erit: fortè enim quodcunque folatium videretur, eorum quos tam malitiosè impugnauerint; in tormentis fuis vel confcientiam latere, vel ipfos faltem declinare poffe confpectus.*

Quanta pœna damnatis, quod cœleftibus fiant fpectaculum.

D. Bernard.

906. Et certè duriffima pœna ifta, fed iuftiffima: vt enim nihil iuftis grauius fuit, quàm quòd in fpectaculum non commiferantibus, fed deriforibus darentur: fic nihil funeftius impiis induci poterat, quàm inuicem illis, æternum ad irrifionem fpectaculum exhiberi. De illo grauiffimè Apoftolus ad Hebræos, *Rememoramini priftinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen fuftinuiftis paffionum: & in altero quidem opprobrijs & tribulationibus fpectaculum facti: in altero autem focij taliter conuerfantium effecti*, cap. 10. verf. 32. Volebat Apoftolus hos viros animatos & animofos, ingruentis tribulationis ponderi fubeundo: id autem vt Orator fummus, ab illis, quæ iam paffi fuerant, concludebat: ne fortè per impatientiam, perceptos priftinæ patientiæ fructus corrumperent. Illud dubium cur cùm optimè fciret Apoftolus, plus in re fimili efficaciæ adhiberi, cum fingillatim tormenta, quàm dum fummatim referuntur: maluerit hîc fumma tantum rerum capita fequi, quàm fingula ob oculos apponere? Sed non poterat deeffe arti fummus Doctor: abundè omnia expreffit, dum illos fpectaculum appellauit: vt dum fummum dolorem ob oculos ponebat iam exanthlatum: facilè fubfecuturos fuaderet, aut æquales

Iuftis hic nihil acerbius, quam quod impiorũ fiant fpectaculum.

Hebr. 10. 32.

aut minores fimiliter exanthlandos: maiorem enim natura inferre non poteft. Prudenter ibi D. Thomas, *Quòd vnus fatuus irridetur, non eft graue, etiam fi multa ei irrifio ab alijs inferatur: Sapienti verò graue eft: fed fi tribulatur, & irrideatur à tribulante, hoc grauiffimum eft. In hoc ergo oftendit magnitudinem afflictionis ipforum, quia facti erant fpectaculum, id eft, quia nullus eis compatiebatur: imò magis irriferi congaudebant.* Vide ergo, fi iuftis & patientiffimis viris, breue fieri, Tyrannorum Principum, fpectaculum, tam graue fuit: quid ipfis Tyrannis furentibus & defperatis accidet, cum æternum fe factos fpectaculum, id eft æterno expofitos ludibrio, nouerint infrendentes.

D. Thom.

Adhuc in idem illuftrior eft locus alius, eiufdem Pauli. Inftituebat Corinthios ad humilitatem: fubiungitque: *Puto enim, quòd Deus nos Apoftolos nouiffimos oftendit, tanquam morti deftinatos: quia fpectaculum facti fumus, Mundo, Angelis, & hominibus*, 1. Corinth. 4. v. 9. Quomodò enim vnum idemque fpectaculum, hinc malignanti Mundo, inde fanctis Angelis, hominibúfque piis poterat exhiberi? Si irrifionis erat fpectaculum, quomodò gratum iftis effe poterat? Si honoris, & admirationis, quomodò illi poterat placere? Quis vnquam tam diuerfa palata vno eodémque ferculo recreauerit? Ego puto, propterea priùs, exhibitum Mundo fpectaculum celebrari, deinde Angelis, hominibúfque iuftis: vt dum in mediis Mundi irrifionibus, præbentes illudendum & exfibilandum fpectaculum, fub tam immenfo labore, patientiam Apoftoli retinebant, quafi nihil grandius poffet tolerari; iam inde nofcerent promeruiffe, vt cæli feneftras feftiuè occuparent Angeli, homines anhelantes confluerent, tanquam gloriofiffimum miraculum infpecturi. Bene ergo Diuus Thomas locis fuprà citatis, *Spectaculum Mundo ad irrifionem: & Angelis ad congratulationem: & hominibus fcilicet ratione vtentibus, ad imitationem.* Merebantur quippe iam Angelos congratulantes, imitatores homines, qui non folùm acerbas pœnas, fed quod eft acerbiùs longè, pœnarum fuarum irrifionem fortiter tolerarunt. Nam tormenta & vexationes hîc inculcari, fatis conftat ex eo, quòd fe Morti deftinatos appellarit. Audiendus iam idem D. Thomas ad hunc locum, *Cùm dicit fpectaculum, affignat caufas contemptus. Circa quod confiderandum eft, quòd quando aliqui funt condemnati ad mortem, conuocantur homines ad eorum occifionem, quafi ad fpectaculum: & hoc maximè fiebat circa eos, qui damnabantur ad beftias. Quia Apoftoli erant quafi morti deftinati, fubiungit: quia fpectaculum facti fumus Mundo: quafi totus Mundus concurrat ad noftram occifionem: fecundùm illud Pfalm. pofuifti nos opprobrium vicinis noftris.* Si ergo tanti fecit Apoftolus, irrifionis dolorem, exfibilati opprobrium fpectaculi: quid non patiatur Baltafar, & iniquus quiuis Princeps, dum non iam foli Mundo damnato, fed Deo, Angelis, Iuftífque, expofitus ad ludibrium, feftiuum femper exhibet fpectaculum.

907.

1. Cor. 4. 9.

Hoc fpectaculum diuerfimodè Mundo, Angelis, & hominibus expónitur.

D. Thom.

Idem.

* * *

multum: quandoquidem non solùm vinctus, & *Etiam iudicati.* iudicandus; sed etiam confixus clauis, & neci iam traditus, exercendi Iudicij non obliuiscitur: & dum latronum alterum damnat, alterum ab- Luc 23 v.43. soluens ait: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Luc. 23. v. 43. vt iam timerent Sacerdotum Principes, timeret Pilatus, è tribunali gloriæ Iudicem seuerissimum, quem è patibulo supplicij intrepidè videbant iudicantem. Cur enim non insinuatâ cordi reuelatione, confitenti latroni conceditur absolutio: sed clarâ voce, cum præsentium auribus, tum futurorum notitiæ edebatur: nisi vt posterior & terribilis Iudicis tanti thronus crederetur: cuius præsens Crux, in Tribunal erecta vi- Euseb. Gall. debatur? Exclamat ergo meritò Eusebius Gallican. Homil. de B. Latr. *Positus in patibulo, velut Arbiter in medio damnatorum, negantem repulit, suscipit confitentē: hunc deputat regno, illum derelinquit Inferno. Post ergo credamus in Maiestate iudicaturum, quem iam in Cruce videmus exercere iudicium.*

912. *Iudicij diuini terribilitas, etiam, quæ videantur tuta, commonet, timenda.* Mira est ergo diuini huius Iudicij terribilitas, quam nec etiam resurrectionis gloria, cunæ pax, & Crucis benignitas potuit imminuere: scilicet Dei nostri, vtcunque iudicium exerceat, etiam quæ videntur tutissima, veniunt pertimenda. Iudicij seueritatem distringens in Israelem Deus, omnia pœnarum iacula iam iam euibrabat, quæ Ioel. 2. v. 13. grandi pondere enumerat Ioel, cap. 2. Tunc ad pœnitentiam vocans, sic subiungit. *Conuertimini ad Deum vestrum, quia benignus, & misericors est, patiens, & multæ misericordiæ.* v. 13. Quis ab his verbis, omnia iam in tuto non crederet? Quis è tam profusâ misericordiâ, è tam longanimi patientiâ, citissimam hîc veniam non speraret, & certissimam? Pende tamen quid addat: *Quis scit, si conuertatur, & ignoscat, & relinquat* Vers. 14. *post se benedictionem?* v. 14. Optimè quidem, si rigidum, si seuerum Iudicem præmisisset, procederet dubitatio: sed quid est, quod dum benignum, tot titulorum ambitione exposuisset, adhuc de indulgendâ veniâ pœnitentibus, pauidus hæsitet, trepidus addubitet? Respondet egregiè vt solet, meus Ruffinus Pius, ibi. *Quis scit si con-* Ruffin. Pius. *uertatur &c. Quod vtique, pro reuerentiâ Iudicantis inseritur: cuius tantum vult esse terrorem, vt etiam tuta timeantur.* Satis est Iudicantis habitus, etiam cum vsquequaque diffluit misericordiâ, vt etiam sub tutis terror incutiatur. Et quid erit, in vltimo vniuscuiusque iudicio, vbi Misericordiâ iam amotâ, solummodo iustitia præpara- *In Principes, districtior.* tur? Quid non paueant Principes omnia terribilia, quibus longè seuerior, quàm aliis, adstabit Iudex? an tunc resistent? Audiant Ambrosium, D. Ambros. lib. de Nab. cap. 15. *Terribilis est Dominus: & cui nemo possit Potens & diues resistere, iudicium cæleste iaculatur.* Non vltrà terrenos limites potentissimus Monarcha Ius obtinuit: ideo necessariò, cælestis terribilitatis iaculo penetrabilis.

913. Insultabat concepto iam fœtu, Agar, dominæ suæ Saræ, sed sterili: quæ tunc sic ad maritum Abraham: *Iniquè agis contra me, ego dedi illam in sinum tuum, quæ videns quòd conceperit, despectui* Genes. 16. 5. *me habet: iudicet Dominus inter me, & te.* Genes. 16. v. 5. Videbatur quidem satis, si tunc sanctissimus Patriarcha superbientem Agar reprimeret, & debiti in Dominam officij commoneret: sed ille longè in petulantem seuerior, respondet vxori. *Ecce ancilla tua, in manu tua est: vtere eâ, vt libet.* v. 6. & quidem indultâ licentiâ, miseram Agar sic tractauit Sara, vt Abraham nuptiis fugam præponeret & exilium: ideo additur: *Affligente ergo eam Sara, fugam iniit.* ibidem. Non leuem locus ingerit difficultatem. Desperârat iam à Sara, prolem Patriarcha, putabat in Agar fœtu, semen sibi vocandum; & Princeps, promissi ingentis sibi Imperij, hæredem hinc habendum: Quid ergo licentioso vltrò sexui, vxori zelotypæ sic indulget, & anxiè cupitum, subsecuturum partum, periculo sic exponit? Expauit trepidus Abraham, vbi Deum sibi appellari in Iudicem audiuit: & quale quale Ius Saræ in ancillam sic magnum credidit, vt quasi nihil in vxoris bonis, ipse haberet, ablegato iure suo, totum dominium traderet vxori: malens hærede spoliari, quàm in non iniquâ etiam causâ, diuinum cum vxore iudicium subire. Acutè ibi Oleaster. *Timendum valde est, cum eo contendere, qui causam suam prosequi nolens, eam diuinæ Iustitiæ derelinquit. Quoniam horrendum est, incidere in manum Dei viuentis.* Nimirum, quò excelsior, quò potentior erat Abraham, eò in se terribilius, cæleste iaculandum iudicium sentiebat.

Vers. 6. *Quàm trepidet, pius etiã Princeps, diuini iudicij tribunal.*

Oleaster.

Quid ergo è sic terribili Iudice, pœnas asperas demiraris? Quidquid à Deo est, sublime est: & dum restrictâ misericordiâ, solam vibrat Iustitiam, nihil non seuerissimum speres, necesse est. Deturbat Deus in sterquilinium, è regio solio, Iobum: indidit illi, pro sceptro testam radendis plagis; pro Purpurâ liuentem lepram: accedit consolator amicus, & afflicto, (quem licèt falsò, reum putabat) sic subiungit? *Nunc, non infert furorem suum, nec vlciscitur valde scelus.* cap. 35. v. 15. quasi dicat: quid quereris? quid tragicè lamentaris Iob, quasi passus grauissima? nullus hîc Dei furor: nulla vindicta grandis: Cur ergo tam funestè rem exaggeras? Neque tamen mentitur iste in re, licèt circa personam falleretur: licèt enim longè maiores pœnas daret Iob, qui tamen dedit maximas, semper verum erat, *Nunc*, id est dum vita durat, furorem suum à Deo non inferri, nec vlcisci valde scelus. Quid ita? quia si quidquid in hoc mundo perferri potest, cum illis, quæ extremo in iudicio subibuntur, comparetur: libatiuncula tantummodò, & quædam veluti pœnarum propinatio reputabitur. Legendus hîc D. Gregorius Magnus, qui tandem ita subdit. *Quia dum exiguum quoddam, de iniquitate percutitur, inconuersis mentibus, æterni iam iudicij sententia propinatur.* Tantummodò itaque amari propinatio Calicis hîc porrigitur, (etiam si quis instar Iobi feriatur) qui ibi vsque ad fæces exhauriendus. Et fortasse propterea idem Rex sanctissimus Iob, dum commiserationem orat ab amicis, subdit solummodò, *Quia manus Domini tetigit me:* cap. 19. v. 21. Nouerat enim quasuis sæculi huius pœnas, non tam diuinæ dextræ impressum ictum, quàm leuem tactum, fore appellandas: illa enim, extremo tantùm iudicio reseruatur.

914. *Nihil seuerum, visus egisse Deus, donec Iudex accedat.*

Iob. 35. v. 15.

D. Greg. Mag.

Iob. 19. v. 21.

Quàm sæpe in Sacro Textu, fluxa & languida Impiorum vita, Aquis comparetur, ignorat nemo: dixi fusè in hanc rem, quæ etiam apud Profanos, *vita humida* diceretur, in *Spicil. sac.* Mirum tamen quod Isaias, expendens diuinam potentiam scribit cap. vbi de Deo menso, siue diiudicante Peccatores, ita. *Quis mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit?* cap. 40. v. 12.

915. *Tunc rigida seueritas exercenda.*

Isai. 40. v. 12.

vers. 12. Cur cæli, id est, Iusti palmo ponderentur, siue examinentur, alibi explicui: Cur aquæ, id est, diffluentes peccatores, non alio tenore quàm pugillo dicantur mensurandi, nondum perspicuum: Quid enim ad Iudicis seuerissimum ingenium hic pugillus? Vidistin aliquando subiratum virum, qui toto impetu aliquem percussurus, contractis superciliis, furentibus oculis, naribus corrugatis, præmorsis labiis, elato brachio, dextram in pugnum arctat, & vehementissimum ictum sic infligit? Talem hic puta Deum: Guillelmus ibi in Sylu. Alleg. *Scimus, quod manus in pugillo colligitur, vt aliquid feriatur: aquæ ergo pugilli mensuram expectant, quia carnalis concupiscentiæ fluxus, extremæ percussionis vindictam contra se prouocant.* Si ergo leuior diuinæ manûs tactus sic afflixit Iobum: in extremâ Iudicij percussione, qualis exerto pugno, Princeps impius affligetur? certè nihil terribilius poterat cogitari. (Guilielm.)

916. Sed hæ aquæ reuocant in memoriam, illam aliam comparationem Amos, non facilem intellectu: de Christo enim ad Iudicium venturo, sic scribit: *Reuelabitur quasi aqua, Iudicium: & Iustitia, quasi torrens fortis.* Cap. 5. vers. 24. Venturus est, vt scimus, Christus iudicare sæcula, per ignem: flammis voracibus Orbis conflagrabit: non ergo remotior assumenda videbatur comparatio, quàm si rapida flammarum auiditas, aquæ, & torrenti inundetur. Nihilominus constat litera, & mysterium inde bellissimè depromitur. Literam ex simili comparatione Poëtæ, lib. 2. Æn. illustro, qui incensam Troiam, & flammis crepitantem, sic explicuit: (Amos 5. 24.) (*Iudicium, cur Aqua comparatur.*) (Virgil.)

——— Rapidus montano flumine torrens,
Sternit agros, sternit sata læta, boúmque labores,
Præcipitésque trahit syluas. Stupet inscius, alto
Accipiens sonitum, saxi de vertice, Pastor.

Quid-ni ergo diuinus noster Pastor, (is erat, vt nôsti Amos) è mentis illustratæ vertice Orbem conflagrantem intuitus, quasi inundantem Torrentem, rapidum ignis fluuium stuperet. Longè tamen ad mysterium elegantior comparatio: quam ibi sic explicuit Stephanus Cantuar. apud Godefr. *Iudicium aquæ comparatur; quia sicut aqua sordes abluit, & decliuium sequitur, & in imo subsistit: sic Iudicium, sordes in electis purgabit: & ab eis descendens ad reprobos perueniet, morabitúrque in eis.* Tu quidem si has moras durissimas, & æternas attentè pensites, nihil vnquam terribilius pensitaueris. Quid enim tunc non patiatur Impius, propter quem, etiam insensibilis mundus, tanta patitur? Vnde benè idem Stephanus Cantuar. ad illud Aggæi. *Et ego commouebo cælum, & terram, & Mare, & aridam:* Cap. 2. vers. 8. de primo Christi aduentu dictum, etiam ad secundum deducens, sic scribit. *Quid ergo fiet de Curiosis, si propter eos videntur elementa puniri?* Et quid fiet, inquam ego, de Orbis Monarchis, quorũ ipse arrogantia adulteratus & peruersus, in eorumdem supplicium castigatur? (*Iudiciũ purgat iustos, impios premit suo sordibus.*) (Stephan.) (*Tunc elementa, ob homines, punita.*) (Aggæi 2. 8.) (Steph Cant.)

* * *

V.

Iudicis Dei, censoria perspicacitas: cæca reorum Principum confusio.

Posset aliquis in tam seuero Iudicis ingenio, aliquid sibi, si minus condonandum, saltem prætermittendum sperare: si vt agnitis puniendis terribilis, non etiam agnoscendis omnibus, foret perspicacissimus: Sed quid facies, dum qui durissimus ad sententiam formidatur; pariter ad notitiam prætimetur oculatissimus? Hinc illud Abacuch de Deo Iudice: *Stetit, & mensus est terram: aspexit, & dissoluit gentes.* Cap. 3. vers. 5. Vnico aspectu, iudicandæ vndique gentes dissoluuntur; quia nôrunt; nihil perspicacissimis illis oculis occultandum. Priora verba, *stetit & mensus est terram:* vertunt LXX. *Stetit, & commota est terra:* quasi sit idem ad mensuram vocari, & in iudicium adduci, quàm vndique trepidatione commoueri: quasi quæ videat, nihil apud illos oculos latebris occultandum, nihil dissimulandum, ne diuina Iustitia, officij præuaricatrix putaretur. Venit optima, in hanc explicatiunculam, gnome illa Tertulliani lib. de Pœnit. cap. 3. Vbi ita. *Neque enim si mediocritas humana, factu solum iudicat, quia voluntatis latebris par non est: ideo crimina eius, etiam sub Deo negligamus: Deus in omnia sufficit: nihil à conspectu eius remotum, vnde omnino delinquitur: quia non ignorat nec omittit, quominus iudicium decernat, dissimulator & præuaricator perspicaciæ suæ.* Quàm ergo putes huic perspicaciæ sedulò indulgendum, quæ si paululum conniuens aut dissimulans intelligatur: iam ipsum Iudicem, quodammodò præuaricationis reum, videretur arguere? 917. (*Perspicacissimo Iudici nil tunc occultum.*) (Abac. 3. 5.) (LXX. Interp. *Iudic. trepida commotio, creatura.*) (Tertul.)

Sermones, quos à Domino audierat, refert ad populum Moyses: respondétque populus: *Omnia Verba Domini, quæ locutus es, faciemus.* Exod. 24. vers. 3. Et additur statim: *Scripsit autem Moyses vniuersos sermones Domini.* Vers. 4. Non contentus Præconis voce Deus, voluminis scripturâ, vult legem conseruatam: non quòd non possent facilè subsecuturi Sacerdotes, traditionem acceptam, Populo nuntiare: sed quia vt habes vers. 7. Sic lex erat, vt esset *volumen fœderis*, quod inter Deum & populum inibatur: per cuius non solùm literas, sed etiam apices, erant postea transgressores in Iudicio examinandi, sic inconniuenti Iudicis perspicaciâ, vt si quis in illo sacrilegè memoriæ præsumeret fragilitatem: saltem indelebili scripturâ se nosceret arguendum. Oleaster ibi. *Quid præ se ferat huiusmodi scripturâ, nôsti ô homo, si oculos non amisisti: seruatur enim, vt per eam, in die examinis extremi interrogeris.* Diligentissima infertur Iudicis perspicacia: qui cum obliuisci non possit, videtur tamen subsidium memoriæ affectare, vnde expressiùs, nihil sibi dissimulandum agnoscatur. Et quidem videbatur satis, si faciendam scripturam curaret diligenter: parum tamen id visum Numini? nisi diligentiùs curaret asseruandam. Curiosissima vndique, & exquisiti laboris Arca Moysi præcipitur facienda, Exod. 25. vers. 10. cuius ex auro & spinis Setim materiam incorruptibilem 918. (Exod. 24. 3. Vers. 4.) (Vers. 7. *Omnia tunc ibi, quasi ab scriptis paginis, renouata.*) (Oleaster.) (*Hæc scripta diligentissimè asseruata.*)

bilem, prolixa pretiositate opus superabat: & Exod.25.21. additur statim: *Pones, ne in Arca, testificationem, quam dabo tibi.* Vers. 16. Quia licet virga & Mana, ibi etiam reconderentur: tamen, tam exquisitum scrinium, præcipuè testificationi legis asseruandæ parabatur. Et cur ita? Oleaster Oleaster. ad literam. *Vocat Dominus legem, testimonium, quia testificabatur pactum inter se, & populum. Erat enim veluti publica scriptura, vel publicum instrumentum; quam volebat Dominus sibi asseruari, ne postmodum Iudæi pactum mentirentur.* Tunc sic ad mores *Audis hic, quàm curiosè seruentur scripturæ & testimonia, quæ aduersus nos sunt: ne putes aliquo corrumpi, & vitiari posse.* Quid tunc dissimulabit perspicacia: quæ tam perspicax, & curiosa seruat, vnde coarguat?

919. Sex Angelos descripserat Ezechiel, Ierusalem, Ezech.9.1. id est, Orbem euersuros: quos inter septimum, scriptorio, inducit accinctum, instrumento: Vers.3. Cap.9. à vers.2. deinde sic de Deo: *Et vocauit virum, qui indutus erat lineis, & atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis: & dixit Dominus ad eum: transi per mediam Ciuitatem in medio Ierusalem, & signa Tau, super frontes virorum gementium, &c.* Vers. 3. Deinde Percussoribus præcipit v. 5. vt quosuis non signatos Vers.5. vitali hoc signo, perdant omnino. Sed tu mihi nota signatori Angelo non ius committi, vt quos velit, saluet: sed signanter exprimi, quos esset (de gemitu & dolore scelerum) signaturus. Ecquid ita? an ignoraret Minister sapientissimus, licèt id tam disertè non exprimeretur, quos neci, quos vitæ esset designaturus? Non aliunde fortasse ignorabat: noluit tamen Deus, vt si aperta eius designatio non legeretur, putarent homines, creaturæ alicuius quantumuis perspicacis, & non potiùs perspicacissimi Creatoris examini se committendos: vt quò perspicacior iudex, eò terribilius iudicium timeretur. Petrus Pet. Cell. Cellensis lib. de Panib. cap.10. *An non in medio Ierusalem, vir qui habebat scriptorium ad renes, calamo sui examinis, omnes sui habitatores sic notabat, & alios ad mortem, alios ad vitam designabat? firmiter autem retinendum, hunc Angelum, non quos ipse volebat, sed quos Dominus iubebat, (vt diuinum amplius timens, quàm Angelicum iudicium) morti aut vitæ præsignasse.* Vt quanta impendenda sit perspicacia, iam intelligas: vbi etiam angelica, suspecta & minus apta æstimatur.

In iudicio nihil absque Christi perspicacissimi arbitrio. Nihil Angeli donmeat.

920. Trepidabat hoc iudicium propterea sanctissi-Psalm.142.2. mus Rex Dauid, vnde ad Deum: *Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens,* Psalm.142.v.2. Vata-Vatabl. blus ex Hebræo vertit: *Non ambules in ius cum seruo tuo: nullus enim viuens coram te iustus est.* Et miræ quidem emphasis versio, quando grauioribus aliis intendit iudex: aut licèt non intendat, præsentis tamen alicuius causæ euentum paruipendit: ambulans, & quasi aliud agens, illam tractat, neque inde perspicax eius seueritas præsumitur: tunc timenda, cum pro Tribunali sedens, toto mentis obtutu, discutiendæ causæ defixus immoratur. Si ergo Rex sanctissimus Deum trepidat in iudicio ambulantem: Quid iniquus faciat Princeps, cùm iudicem in Sede Maiestatis suæ sedentem, & attentissimè causas euoluentem sustinuerit? Longè maiori epitasi Rex alius æquissimus, sanctus Iob, qui postquam

Iudicium hic horrendum, etiamsi obiter finiretur.

Idque pijs etiam Principibus.

Ipso pene inferno horribilius.

de singulorum morte disseruit, ad subsequens iudicium sic pauidus exclamat: *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus: & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei,* cap.14.v.13. Quasi mallet ad tempus, voracibus inferni flammis detineri, quàm perspicacissimos furentis tunc iudicij oculos sustinere. Quid ita? Si iustissimus & optimam causam poterat sperare? Nouerat nec etiam iustissima opera, absque seuerissimo examine prætereunda. Iob 14.13.

Hinc illud Dei: *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo,* Psalm.74. v.3. Accipere dicitur tempus, qui prætermissis aliis occupationibus, totus alicui incubiturus negotio disponitur: quasi iudicio exercendo, cæteris curis omnibus prætermissis, se Dominus expediret; vel, quod tempus iam exigat sibi accipiendum, quod antea hominibus commodarat. Planum hoc, si Dominus, ingratissimi humani generis iniquitates, tunc iudicaturus diceretur: sed tantus-ne apparatus necessarius, vt *iustitias*, id est piissima opera examinet? Tantus certè, neque enim perspicacia illa, minutissimos sanctorum operum defectulos, nisi per summum examen præteribit. Heus tu, mi Princeps, si Iob, si Dauid, si iusti Reges, vix se habent securos, impij & iniqui Reges vbi parebunt? Sed præstat hîc audire D.Antoninum de Padua serm.in Domin.10.post Trinitatem, qui ad hunc locum ita: *O Domine, si iustitias iudicabis, quid de iniustitia erit? O peccator, Dominus accommodauit tibi tempus suum, ad promerendam salutem: & fecisti suum de accommodato: sed crede mihi, veniet dies sua.* In qua scilicet recuperet tempus suum: iustos, ne dum iniustos, acerrimè scrutaturus. 921. Psalm.74.3. D.Ant.Pad.

Etiam sanctissima opera seuerissimè tunc examinanda.

O quàm laruâ depositâ, tunc Principes accedent agnoscendi, qui simulatâ dum viuerent pietate, encomia sibi & plausus excitarunt! Disseruerat fusè Christus, Matth.24. de iudicio extremo; & addit illico: *Tunc simile erit regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso, & sponsæ: quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes,* &c. cap.25. v.1. Ecclesiam præsentem, regni cælorum nomine, vt nemo nescit, hoc loco designauit: illud dubium, cur *tunc* decem his virginibus, similem futuram dixerit, quæ modò etiam eisdem simillima esse videri potest: an non & modò, cum prudentibus & iustis quibusdam, alios Ecclesia patitur fatuos, & iniquos? Certè, perpetuâ hâc tam diuersorum hominum mixturâ laboramus. Cur igitur *tunc*, id est sub iudicij tempus, solummodò implendam comparationem putauit Magister optimus? Audiendus Eusebius Gallicanus homil de Nat. Virgin. vbi ita: *Sed quare, tunc? Nunquid & modò, simile non est? Simile quidem est, & modò: sed hac similitudo nondum manifesta apparet: tunc igitur simile est, quando hæc similitudo manifesta est: nondum enim apparet, quæ virgines fatuæ sunt, & quæ prudentes: multa enim exterius videntur esse prudentes, quæ interius fatua sunt.* Neque enim apud perspicacissimos illos censorij luminis oculos, latebræ vllæ poterunt durare. 922. Matth.25.1. Euseb.Gall.

Et laruâ depositâ omnia, tunc apertissimè apparebunt.

Quid ni ergo sub tantâ diuini Iudicis perspicaciâ, cæca reorum confusio obstupescat? Aut quid poterit pro se misera respondere? Arguebat Iobũ Deus, nec tamen tunc in iudicio seuerus: ad 923.

Tunc confusa reorum obcæcatio, & muta lingua.

vers. 12. Cur cæli, id est, Iusti palmo ponderentur, siue examinentur, alibi explicui; Cur aquæ, id est, diffluentes peccatores, non alio tenore quàm pugillo dicantur mensurandi, nondum perspicuum: Quid enim ad Iudicis seuerissimum ingenium hic pugillus? Vidistin aliquando subiratum virum, qui toto impetu aliquem percussurus, contractis superciliis, furentibus oculis, naribus corrugatis, præmorsis labiis, elato brachio, dextram in pugnum arctat & vehementissimum ictum sic infligit? Talem hic puta Deum: Guillelmus ibi in Sylu. Alleg. *Scimus, quod manus in pugillo colligitur, vt aliquid feriatur: aquæ ergo pugilli mensuram expectant, quia carnalis concupiscentiæ fluxus, extremæ percussionis vindictam contra se prouocant.* Si ergo leuior diuinæ manûs tactus sic afflixit Iobum: in extremâ Iudicij percussione, qualis exerto pugno, Princeps impius affligetur? certè nihil terribilius poterat cogitari.

Guillelm.

916. Sed hæ aquæ reuocant in memoriam, illam aliam comparationem Amos, non facilem intellectu: de Christo enim ad Iudicium venturo, sic scribit: *Reuelabitur quasi aqua, Iudicium: & Iustitia, quasi torrens fortis.* Cap. 5. vers. 24. Venturus est, vt scimus, Christus iudicare sæcula, per ignem: flammis voracibus Orbis conflagrabit: non ergo remotior assumenda videbatur comparatio, quàm si rapida flammarum auiditas, aquæ, & torrenti inundetur. Nihilominus constat litera, & mysterium inde bellissimè depromitur. Literam ex simili comparatione Poëtæ, lib. 2. Æn. illustro, qui incensam Troiam, & flammis crepitantem, sic explicuit:

Amos 5. 24.

Iudicium, cur Aquæ comparatur.

Virgil.

—— *Rapidus montano flumine torrens,*
Sternit agros, sternit sata læta, boúmque labores,
Præcipitésque trahit syluas. Stupet inscius, alto
Accipiens sonitum, saxi de vertice, Pastor.

Quid-ni ergo diuinos noster Pastor, (is erat, vt nôsti Amos) è mentis illustratæ vertice Orbem conflagrantem intuitus, quasi inundantem Torrentem, rapidum ignis fluuium stuperet. Longè tamen ad mysterium elegantior comparatio: quam ibi sic explicuit Stephanus Cantuar. apud Godefr. *Iudicium aquæ comparatur; quia sicut aqua sordes abluit, & decliuium sequitur, & in imo subsistit: sic Iudicium, sordes in electis purgabit: & ab eis descendens ad reprobos perueniet, morabitúrque in eis.* Tu quidem si has moras durissimas, & æternas attentè pensites, nihil vnquam terribilius pensitaueris. Quid enim tunc non patiatur Impius, propter quem, etiam insensibilis mundus, tanta patitur? Vndè benè idem Stephanus Cantuar. ad illud Aggæi. *Et ego commouebo cælum, & terram, & Mare, & aridam:* Cap. 2. vers. 8. de primo Christi aduentu dictum, etiam ad secundum deducens, sic scribit. *Quid ergo fiet de Curiosis, si propter eos videntur elementa puniri?* Et quid fiet, inquam ego, de Orbis Monarchis, quorũ ipse arrogantia adulteratus & peruersus, in eorumdem supplicium castigatur?

Iudiciũ purgat iustos, imos premit sub sordibus. Stephan.

Tunc elementa, ob homines, punita.

Aggæi 2. 8. Steph Cant.

* * *

V.

Iudicis Dei, censoria perspicacitas: cæca reorum Principum confusio.

917. Posset aliquis in tam seuero Iudicis ingenio, aliquid sibi, si minus condonandum, saltem prætermittendum sperare: si vt agnitis puniendis terribilis; non etiam agnoscendis omnibus, foret perspicacissimus: Sed quid facies, dum qui durissimus ad sententiam formidatur; pariter ad notitiam prætimetur oculatissimus? Hinc illud Abacuch de Deo Iudice: *Stetit, & mensus est terram: aspexit, & dissoluit gentes.* Cap. 3. vers. 5. Vnico aspectu, iudicandæ vndique gentes dissoluuntur; quia nôrunt, nihil perspicacissimis illis oculis occultandum. Priora verba, *stetit & mensus est terram:* vertunt L x x. *Stetit, & commota est terra:* quasi sit idem ad mensuram vocari, & in iudicium adduci, quàm vndique trepidatione commoueri: quasi quæ videat, nihil apud illos oculos latebris occultandum, nihil dissimulandum, ne diuina Iustitia, officij præuaricatrix putaretur. Venit optima, in hanc explicatiunculam, gnome illa Tertulliani lib. de Pœnit. cap. 3. Vbi ita. *Neque enim si mediocritas humana, factis solum iudicat, quia voluntatis latebris par non est: ideo crimina eius, etiam sub Deo negligamus: Deus in omnia sufficit: nihil à conspectu eius remotum, vnde omnino delinquitur: quia non ignorat nec omittit, quominus iudicium decernat, dissimulator & præuaricator perspicaciæ suæ.* Quàm ergo putes huic perspicaciæ sedulò indulgendum, quæ si paululum conniuens aut dissimulans intelligatur: iam ipsum Iudicem, quodammodò præuaricationis reum, videretur arguere?

Perspicacissimo Iudici nil tunc occultum.

Abac. 3. 5.

Lxx. Interp. *Inde trepida commotio, creaturæ.*

Tertul.

918. Sermones, quos à Domino audierat, refert ad populum Moyses: respondétque populus: *Omnia Verba Domini, quæ locutus es, faciemus.* Exod. 24. vers. 3. Et additur statim: *Scripsit autem Moyses vniuersos sermones Domini.* Vers. 4. Non contentus Præconis voce Deus, voluminis scripturâ, vult legem conseruatam: non quòd non possent facilè subsecuturi Sacerdotes, traditionem acceptam, Populo nuntiare: sed quia vt habes vers. 7. Sic lex erat, vt esset *volumen fœderis*, quod inter Deum & populum inibatur: per cuius non solùm literas, sed etiam apices, erant postea transgressores in Iudicio examinandi, sic inconniuenti Iudicis perspicaciâ, vt si quis in illo sacrilegè memoriæ præsumeret fragilitatem: saltem indelebili scripturâ se nosceret arguendum. Oleaster tibi. *Quid præsis ferat huiusmodi scripturâ, nôsti ô homo, si oculos non amisisti: seruatur enim, vt per eam, in die examinis extremi interrogeris.* Diligentissima infertur Iudicis perspicacia: qui cum obliuisci non possit, videtur tamen subsidium memoriæ affectare, vnde expressiùs, nihil sibi dissimulandum agnoscatur. Et quidem videbatur satis, si faciendam scripturam curaret diligenter: parum tamen id visum Numini? nisi diligentiùs curaret asseruandam. Curiosissima vndique, & exquisiti laboris Arca Moysi præcipitur facienda, Exod. 25. vers. 10. cuius ex auro & spinis Setim materiam incorruptibilem

Exod 24 3. Vers. 4.

Vers. 7. *Omnia tunc ibi, quasi ab scriptis paginis, renciata.*

Oleaster.

Hæc scripta diligentissimè asseruata.

bilem, prolixa pretiositate opus superabat: & additur statim: *Pone, ut in Arca, testificationem, quam dabo tibi.* Vers. 16. Quia licet virga & Mana, ibi etiam reconderentur: tamen, tam exquisitum scrinium, præcipuè testificationi legis asseruandæ parabatur. Et cur ita? Oleaster ad literam. *Vocat Dominus legem, testimonium, quia testificabatur pactum inter se, & populum. Erat enim veluti publica scriptura, vel publicum instrumentum; quam volebat Dominus sibi asseruari, ne postmodum Iudæi pactum mentirentur.*. Tunc sic ad mores *Audi hic, quam curiosè seruentur scripturæ & testimonia, quæ aduersus nos sunt: ne putes aliquo corrumpi, & vitiari posse.* Quid tunc dissimulabit perspicacia: quæ tam perspicax, & curiosa seruat, vnde coarguat?

Exod.25.21. Oleaster.

919. Sex Angelos descripserat Ezechiel, Ierusalem, id est, Orbem euersuros: quos inter septimum, scriptorio, inducit accinctum, instrumento: Cap. 9. à vers. 2. deinde sic de Deo: *Et vocauit virum, qui indutus erat lineis, & atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis: & dixit Dominus ad eum: transi per mediam Ciuitatem in medio Ierusalem, & signa Tau, super frontes virorum gementium, &c.* Vers. 3. Deinde Percussoribus præcipit v. 5. vt quosuis non signatos vitali hoc signo, perdant omnino. Sed tu mihi nota signatori Angelo non ius committi, vt quos velit, saluet: sed signanter exprimi, quos esset (de gemitu & dolore scelerum) signaturus. Ecquid ita? an ignoraret Minister sapientissimus, licèt id tam disertè non exprimeretur, quos neci, quos vitæ esset designaturus? Non aliunde fortasse ignorabat: noluit tamen Deus, vt si aperta eius designatio non legeretur, putarent homines, creaturæ alicuius quantumuis perspicacis, & non potiùs perspicacissimi Creatoris examini se committendos: vt quò perspicacior iudex, eò terribilius iudicium timeretur. Petrus Cellensis lib. de Panib. cap. 10. *An non in medio Ierusalem, vir qui habebat scriptorium ad renes, calamo sui examinis, omnes sui habitatores sic notabat, & alios ad mortem, alios ad vitam designabat? firmiter autem retinendum, hunc Angelum, non quos ipse volebat, sed quos Dominus iubebat, (vt diuinum amplius timens, quàm Angelicum iudicium) morti aut vitæ præsignasse.* Vt quanta impendenda sit perspicacia, iam intelligas: vbi etiam angelica, suspecta & minus apta æstimatur.

Ezech.9.1. Vers.3. Vers.9. *In iudicio nihil absque Christi perspicacissimi arbitrio, nihil ex Angeli arbitrio.* Petr. Cell.

920. Trepidabat hoc iudicium propterea sanctissimus Rex Dauid, vnde ad Deum: *Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens,* Psalm. 142. v. 2. Vatablus ex Hebræo vertit: *Non ambules in ius cum seruo tuo: nullus enim viuens coram te iustus est.* Et miræ quidem emphasis versio, quando grauioribus aliis intendit iudex: aut licèt non intendat, præsentis tamen alicuius causæ euentum paruipendit: ambulans, & quasi aliud agens, illam tractat, neque inde perspicax eius seueritas præsumitur: tunc timenda, cum pro Tribunali sedens, toto mentis obtutu, discutiendæ causæ defixus immoratur. Si ergo Rex sanctissimus Deum trepidat in iudicio ambulantem: Quid iniquus faciat Princeps, cùm iudicem in Sede Maiestatis suæ sedentem, & attentissimè causas euoluentem sustinuerit? Longè maiori epitasi Rex alius æquissimus, sanctus Iob, qui postquam

Psalm.142.2. Vatabl. *Iudicium hoc horrendum, etiam si obiter habeatur.* *Idque pijs etiam Principibus.* *Vel pene inferno horribilius.*

de singulorum morte disseruit, ad subsequens iudicium sic pauidus exclamat: *Quis mihi hoc tribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus: & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei,* cap. 14. v. 13. Quasi mallet ad tempus, voracibus inferni flammis detineri, quam perspicacissimos furentis tunc iudicij oculos sustinere. Quid ita. Si iustissimus & optimam causam poterat sperare? Nouerat nec etiam iustissima opera, absque seuerissimo examine prætereunda. Iob 14.13.

921. Hinc illud Dei: *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo,* Psalm. 74. v. 3. Accipere dicitur tempus, qui prætermissis aliis occupationibus, totus alicui incubiturus negotio disponitur: quasi iudicio exercendo, cæteris curis omnibus prætermissis, se Dominus expediret; vel, quod tempus iam exigat sibi accipiendum, quod antea hominibus commodarat. Planum hoc, si Dominus, ingratissimi humani generis iniquitates, tunc iudicaturus diceretur: sed tantus-ne apparatus necessarius, vt *iustitias*, id est piissima opera examinet? Tantus certè, neque enim perspicacia illa, minutissimos sanctorum operum defectulos, nisi per summum examen præteribit. Heus tu, mi Princeps, si Iob, si Dauid, si iusti Reges, vix se habent securos, impij & iniqui Reges vbi parebunt? Sed præstat hic audire D. Antoninum de Padua serm. in Domin. 10. post Trinitatem, qui ad hunc locum ita: *O Domine, si iustitias iudicabis, quid de iniustitia erit? O peccator, Dominus accommodauit tibi tempus suum, ad promerendam salutem: & fecisti tuum de accommodato: sed crede mihi, veniet dies sua.* In qua scilicet recuperet tempus suum: iustos, ne dum iniustos, acerrimè scrutaturus.

Psalm.74.3. *Etiam sanctissima opera seuerissimè tunc examinanda.* D. Ant. Pad.

922. O quàm laruâ depositâ, tunc Principes accedent agnoscendi, qui simulatâ dum viuerent pietate, encomia sibi & plausus excitarunt! Disseruerat fusè Christus, Matth. 24. de iudicio extremo; & addit illico: *Tunc simile erit regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso, & sponsæ: quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes,* &c. cap. 25. v. 1. Ecclesiam præsentem, regni cælorum nomine, vt nemo nescit, hoc loco designauit: illud dubium, cur *tunc* decem his virginibus, similem futuram dixerit, quæ modò etiam eisdem simillima esse videri potest: an non & modò, cum prudentibus & iustis quibusdam, alios Ecclesia patitur fatuos, & iniquos? Certè, perpetuâ hâc tam diuersorum hominum, mixturâ laboramus. Cur igitur *tunc*, id est sub iudicij tempus, solummodò implendam comparationem putauit Magister optimus? Audiendus Eusebius Gallicanus homil. de Nat. Virgin. vbi ita: *Sed quare, tunc? Nunquid & modo, simile non est? Simile quidem est, & modò: sed hæc similitudo nondum manifesta apparet: tunc igitur simile est, quando hæc similitudo manifesta est: nondum enim apparet, quæ virgines fatuæ sunt, & quæ prudentes: multæ enim exterius videntur esse prudentes, quæ interius fatuæ sunt.* Neque enim apud perspicacissimos illos censorij luminis oculos, latebræ vllæ poterunt durare.

Et laruâ depositâ omnia, tunc apertissimè apparebunt. Matth.25.1. Euseb. Gall.

923. Quid ni ergo sub tantâ diuini Iudicis perspicaciâ, cæca reorum confusio obstupescat? Aut quid poterit pro se misera respondere? Arguebat Iobū Deus, nec tamen tunc in iudicio seuerus: ad

Tunc confusa reorum obcæcatio, & muta lingua.

quem tunc iste: *Qui leuiter locutus sum, respondere quid possum? manum meam pono super os meum.* Cap. 39. v. 37. Quid ais sanctissime Rex? Benè est, taceas, causam tamen silentij, futilem videris assignare: leuitati, vt fateris, sermonum assuetus, saltem leue aliquod excusatiuum culæ verbum proferre potes: Quid ergo, ad vtcunque respondendum, prouocatus, inde te mutum testaris, vnde potiùs loquax deprehenderis? nimirum confusum se, & conuictum diuinis sermonibus disertissimè protestatur: parum enim foret, si parcissimus sermonis, apud homines, etiam apud Deum conticere: illud mirum, quod qui se tot verbis, (& his quidem prudentissimis) apud Amicos excusârat: apud Deum confusus, hiscere non audeat, nisi priora, leuitatis damnaturus. Grauis ad hûc locum Paraphrasis Olympiodori in Caten. Græc. *Quid ego, ad ea quæ dicta sunt, adferam? satius duco tuam, (quæ nobis percepta esse non potest) sapientiam silentio demirari. Non mihi verba deerant, quando cum hominibus sermo habebatur: quando, quasi peccatorum meorum pœnas luerem, condemnabar. Verum hæc prima fuerunt: ad hæc autem, quæ secunda sunt, hoc est, ad ea, quæ tuam Potestatem & scientiam attingunt: quiddam vel addere, vel loqui, vel contradicere, nefas est.* O qualis confundetur Rex iniquus, sub extremo: cùm sub leuiori iudicio, Rex sanctissimus confusus, conticescit!

Iob. 39. 37.

Olympiod.

924. At saltem vertatur in preces, & excusando ineptus, sufficiat supplicando. Sed ecce noua confusio: nam quem perspicacissimum dolet Iudicem, surdum deplorabit. Tenerrimus est affectus ille Dei, ad hominem dicentis: *Miserere animæ tuæ, placens Deo: & congrega cor tuum in sanctitate eius.* Ecclesiast. 30. vers. 24. Non vtcunque monitum Consiliarij est, sed supplicantis votum, orantis desiderium: orat nunc te, pro temetipso, Deus: apud te, animæ tuæ, Patronus constituitur. Et vnde, inquis, hæc penè pietatis prodiga supplicatio? Iustificat causam suam: vt quem pro te Patronum, surdus Iudex nunc audire contemnis, postea Iudicem surdum, pro temetipso rogans, patiaris. Saluianus lib. 3. de Eccles. Cathol. *Miserere tu, anima saltem tua: cum misereri me cernas aliena. Et quid post hæc, Omiserrime homo, cùm Deus sic tecum agat, non acquiescis? Rogat te, vt tui miserearis, & non vis: causam tuam apud te agit, & à te non admittitur: dignatur te, pro te, petere, & à te non potest impetrare: & quomodo, quisquis es, ô miserrime homo, quomodò te postea supplicantem, ille in iudicio suo audiet: cùm tu hîc eum pro te rogantem, audire ipse nolueris?* Vnde enim supplicationibus humanis commendabilem habeat illam animam: quam nec etiam diuinis precibus commendatam, tu hîc misericordiâ indignam, ipsissimus iudicâsti?

Perspicacissimus tunc Iudex, videndis culpis; audiendis precibus surdus perdurabit.
Eccl. 30. 24.

Saluian.
Deus nos, pro nobis metipsis, rogat.

925. Tuo ergo, inique Princeps, iudicio confunderis redargutus: & qui in cæterarum causarum actione sic Deum despicabilem habuisti, vt etiam animæ tuæ negotium apud te agentem, putares contemnendum, quasi nihil Deo vilius præsumpseris; meritò apud illum, omnium iam vilissimus habeberis. Instituebat suos Christus Dominus, dicens: *Nolite iudicare, vt non iudicemini: in quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini.* Matth. 7. vers. 1. Non tollit Dominus Iudicia, & maximè à Principibus, quibus Iudicium & Iustitiam, inculcat frequens, sed iudicandi prohibet iniquitatem: Notandum est tamen, quam absoluta & vniuersalis veniat propositio: non prohibet, iniquitatem Iudicij erga subditos tantum, vel erga æquales; non in hâc aut illâ materiâ, sed indeterminatè erga omnes, & omnia proferatur: vt etiam in hoc loco ipse Deus, ab humanis sibi iudiciis cauere videatur. Quod cur faceret, vidit citato opere Saluianus, lib. 4. ad hunc locum sic subiungens. *In quo iudicio indicat, in eo iudicabitur de eo: hoc est, quo iudicio indicat de Deo, in eo iudicabitur à Deo. Neque iniquum putare poterit, si eum cunctis in futuro Dominus postposuit: nec queri, si eum omnibus Deus æstimet damnabiliorem, cùm ipse omnibus Deum æstimet viliorem.* Ecque maior confusio, quàm quæ non solùm preces non suppeditat, sed nec etiam in querelas permittitur erumpere?

Nunc Dei contemptor, in iudicio inuicem contemneris.

Matth. 7. 1.

Saluian.

926. Nimirum effrons aliunde animus, sic iam conscientiæ fœditatem erubescit, vt hinc sæuiùs pene, quàm adeundo inferno tortus, precibus nullo modo sufficiat indulgere. Præsenserat iam infaustissimus ille villicus Luc. 16. seuerum exercitæ iniquitatis instare iudicium; tunc ait: *Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco,* v. 3. vbi bene D. Petrus Chrysologus serm. 125. *Non vires isti, sed tempora defecerant ad laborem:* quia scilicet, vt suprà dicebam, commodatum illi tempus, iam Deus recipiebat. Cur tamen sic ad incitas redactus, erubeat mendicare? Cur tempus, quod iure redimere iam non potest, saltem precibus, non curat impetrare? Quis vnquam valido ita succubuit pudori, qui potiùs perire mallet, quàm mendicare? Respondet acutè Chrysologus citatus: *Confusionem futuri iudicij pertimescit, in quo iam non pœnitendi tempus est, sed pœnarum: & vbi reus plus de conscientiâ, quàm de gehennæ erubescit incendio. Et quis non erubescit in cælestibus mendicare? Miser! quem temporalitas habuit diuitem, mendicum sempiternitas possidebit: & habebit hunc nudum Tartarus, quem locupletem suscipere cælum potuit & tenere.* Mauult itaque torqueri, quàm patefactam aliunde conscientiam, nouâ precum multiplicatione prodere vlteriùs, & qui confundi precibus existimat, mutus, se confusissimum fatetur: quem durissimo Inferni incendio, durior ipse pudor contorquebat. O quid faciat nudus iam & mendicus reuerà in Tartaro Princeps ditissimus, cui mendicitatem ipsam in Iudicio fateri, ipso Tartaro sæuius præsumitur: vt simul æterno & igne & pudore torqueatur!

Luc. 16. 3.

D. Chrysol.

In iudicio, sæuius torquet conscientia confusio, quàm infernum.

D. Chrysol.

927. Fac tamen fateatur miser, & obcæcante confusione deuictâ, animosus erumpat in preces: quid tunc? non solum surdus Iudex, vt vidisti, sed etiam ipsa supplicantis, *O ratio, fiet in peccatum:* Psalm. 108. vers. 7. Id est, quasi si noua culpa foret, ampliùs Iudicem Deum irritabit: vt qui surdus ad veniam, nouo puniendò sceleri, iam reddatur auritus. Conuictus iam perfidiæ infaustissimus Aman, Princeps à Rege primus, *Surrexit vt rogaret Esther Reginam pro animâ suâ, intellexit enim à Rege, paratum sibi malum,* Esther 7. vers. 7. Redit tunc Assuerus Imperator, reperit super Reginæ lectulum, anxiâ votorum solicitudine corruisse Aman: & exclamat iratus: *Etiam Reginam vult opprimere, me præsente in*

Si non tunc damnatus preces suderis, pœnas augebit.
Ps. 108. 7.

Esth. 7. 7.

domo

domo meâ. v. 8. Quid ais Assuere? summissam infausti supplicationem, violentam appellas oppressionem? Deputas læsæ Maiestatis crimini quasi necem inferre contendat Reginæ, illius votum, qui pro animâ sua Reginam precabatur? hæc est suprema reo conuicto infælicitas, vt etiã oratio eius, quasi à summa impudentiâ Iustitiæ insidiante, venerit in peccatum interpretanda. Hoc tibi longè funestius, in Iudicio continget, inique Princeps: Sperauerís tunc fortasse aliquid è reginâ Misericordiæ Maria, sed fiet apud supremum Imperatorem, ipsissima oratio tua, in peccatum: quasi qui æquissimam Dominam offendas, tanquam adhuc, obstinatæ iam malitiæ patrocinaturam. Guillelmus ad hunc in Syl. Aleg. *Ecce oratio Aman, dicitur oppressio: quia in die Iudicij, iniquorum oratio, erit irritatio: vnde, & oratio eius, fiat in peccatum.* Confusus ergo, si summissus rogas: confusior, si præ pudore, non audeas: tandem si præ impudentiâ contenderis, confusissimus: quò rues miser?

B. Virgo, in extremo iudicio, etiam deerit.

Guillelmus.

928. Præsumas fortè, te muto, te non audente, te turbato, vltrò Patronum aliquem commouendum: Nugæ: in hoc Iudicio, vnus reus, & Deus disceptabunt, & noua quadam formâ, quidquid alieni est patrocinij denegabitur. Trepidabat propterea hoc Tribunal sanctissimus Rex Dauid dicens: *Erue a framea Deus animam meam, & de manu canis, vnicam meam: salua me ex ore leonis, & à cornibus vnicornium, humilitatem meam.* Psalm. 21. v. item 21. Notius est fidelibus, quidquid delirent Ethnici, vnicam esse hominis animam, quàm id, sub tam afflicto gemitu, necessariò Dauid putaret inculcandum: vnde fere omnes Interpretes, *vnicam* in hoc loco, tanquam vnicè dilectam interpretantur. Adhuc tamen, ni fallor, altius visus penetrâsse Propheta coronatus: qui enim misericordiam sic anxiè solicitabat, aliquid allegare credendus, vnde impensiùs Iudex moueretur: quod proinde, non tàm quòd sibi dilecta foret anima, quàm quòd extremè in se egens, captandum videbatur. Et meritò, hinc enim piissimus nunc Dominus in misericordiam obæratæ animæ flectitur, quod in extremo die, *vnicam*, id est, amotis Patronis solitariam nouerit deserendam. D. Cæsareus Arelat. (tom. 2. Bib. Patr.) hom. 1. post alia de Pœnit. ita ad rem nostram. *Quare vnicam dixit? siue quia tanquam vnica diligenda est: siue quia ipsa sola, de singulis, ante tribunal cæleste, rationem, remotis omnibus solatijs, redditura est.* Frustra igitur tunc speres Patronum, vbi vnus & solitarius examinaberis.

In hoc Iudicio nullus Patronus.

Psalm. 21. 21

D. Cæs. Arel.

929. Ergo tandem apud perspicacissimum Iudicem, cùm precibus, tùm Patronis, in cæcâ confusione destitutus: putabis delusus fortè, paratâ fraude, aliquid apud eius Ministros valiturum: vtque olim ab Aulicis tuis, iam te deceptum agnoscis cum Baltasare; sic etiam cælestes à te Aulicos, diuino decipiendo Regi, corrumpendos. Sed nimiùm quantùm, ô Mortalium stultissime deciperis. Eiecto è Paradisiacis delitiis, totius Orbis Principe Adamo, additur statim. *Et collocauit ante Paradisũ voluptatis Cherubim, & flãmeũ gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Genes. 3. v. 24. E tot spiritibus, solus Cherub, id est scientiæ plenitudo, præficitur ad custodiam: Accede igitur palatinis mendaciis instructus, aulicis adulationibus blanditurus: nunquid hoc fuco scientiæ plenitudinem decipies? Pulchrè Petrus Abbas Cellensis, lib. de Panib. cap. 3. de hâc appositâ custodiâ: *Cherubim quidem, quod est plenitudo scientiæ: ne per mendacium, & blandas adulationes seduceretur.* Demus tamen, foret ianitor deceptibilis: formidabilem gladij aciem, quî vitaueris? Adest excubans gladius, addit Cellensis: *Ne, sine incisione cordis, confidentis in obstinatione suâ, Patria introitus, & proscripto in exilium, reditus illuderetur.* Laxa præsumptionis habenas, Princeps miserrimè: fingo te Tartareum Achillem, id est acutissimi gladij impenetrabilem ictibus: quid tunc si flammeus est? an pellibus Protoparentis indutus, & insuper vanissimis pomposæ maiestatis pristinæ obsessus plumis, voracissimo illi igni pabulum non præbebis? Lepidè ictum frustres, à flammâ ibidem in cineres redigendus. Flammeus est gladius, pergit Cellensis: *Ne tunicis indutus pelliceis, & plumis obsessus vanitatis mundanæ, flammam contingeret inustus.* At dices tandem, (de amentiâ irridendus:) non iners, non mollis Princeps. illuc accedam: Sed bellis assuetus, & gladiatoriâ arte bellissimè instructus, irruentem iam gladium, & punctim comminantem, eludam celer, & velociter per latera Portæ patentia introibo. Sed heus infaustissime, versatilis est gladius, & irrequieto motu, & medium & latera sic tuetur, vt nullâ celeritate queat euitari. *Versatilis igitur est,* concludit Cellensis: *Ne cuiuspiam fraudis velocitate ingressus subriperetur.* Sic tibi iam nihil restat in illo iudicio, præterquam confusio toties deplorata, quam æternam in Tartarum deportabis. O nunc cogita, ne cum Baltasare, *minus habens* inueniaris, cum eodem in profundum laci, mi Princeps detrudendus.

In hoc iudicio, nihil fraude, aut subornatione, nihil vile artificio præualebit.

Genes. 3. 24.

Abbas Cell.

Obstinatis, cor lancinatur.

Pomposa vanitatis plumas, ignis consumit.

Notatio XV.

Mortalis vitæ conditio, Principi proponitur.

HVCVSQVE ad illorum mentem processimus, qui Textũ nostrũ, de Baltasare in Tartara descendente, explicârũt, quibus ibidem hæsimus. Sed quoniam satis probabilis est illorum sententia, qui volunt Baltasari, communi morte oppresso, hîc insultari: necesse est Principi meo, vitæ mortisque conditionem ob oculos proponere, moribus, in optimam Politicem, componendis, remedium præsentissimum: licèt enim Iudicij, Infernique profunda meditatio, longè, quàm Mortis, terribilior animam percellat: Nescio tamen, quomodò efficacior hæc hominem corripiat: fortasse, quia vna, non solius mentis obtutu, sed insuper sensuum experiẽtiâ innotescit. Et quidem defectu mortalis conditionis considerandæ, in tot miserias Baltasarem incidisse, satis ex eo colligitur: quòd cùm primâ funestissimæ illius scripturæ parte, Daniel sic explicaret: *Mane: numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud.* cap. 5. v. 26. quo manifestissimè, instare iam iam vitæ, cum Regno, finem 930.

Dan. 5. v. 26. *Mors Principibus, semper remota creditur.*

immeritò: Si enim pulchrè locutus creditur Philosophus ille, qui insaniam nauigantium furentem inde arguebat, *quod vltro interiectâ tabulæ crassitudine, duobus tantum digitis distarent à morte:* quid non digitis mensuratam vitam dicat Dauid: quæ cùm perpetua sit nauigatio, solùm carneâ corruptibilis corpusculi parietinâ, distat à morte? Illud autem in re nostrâ funestius: quòd marina nauigatio, licèt sub tanto periculo, in portum tendit: at nauigatio nostra, dum sic periculosè festinat, sistit periculosiùs, & mortem, cui remigans inludit, vnicum necessariò subit portum.

Vita nostra, Nauigatio est.

D. Basilius Magnus, orat. 24. de Morte. *Vt enim qui nauigijs dormiunt, casu ac fortuito à vento ad littora feruntur: etiam si ipsi ne minimum quidem sentiant, cursus tamen ipsos ad finem ducit: ita etiam nos, tempore vitæ nostræ præterlabente, veluti continuo, ac perpetuo quodam motu, ad proprium terminum vitæ nostræ, cursu quodam, qui vix percipitur, delabimur.* Neque tamen etiam sic factam, longam æstimes nauigationem: Etenim bene Rex alius scientissimus sanctus Iob fælices olim dies suos, *cursore velociores* cap. 9. v. 25. etiam à nauigationis comparatione, breuiores longè nouit interpretandos, ideo addit: *Pertransierunt, quasi naues poma portantes.* v. 26. quæ scilicet, vt alibi fusè dixi, ne delicati fructus corrumpantur, breuem & velocissimè, viam ineunt. Habet tamen multum emphasis Hebræa versio, in scholiis Vatabli: *Præterierunt cum nauibus voluntatis.* Quæ sunt enim velocissimæ istæ naues voluntatis? Ego putarem ita dici, quia solent vt plurimum naues, ventorum flatibus, quasi alieno arbitrio committi, vt cessante curâ, immobiles consistant: erunt ergo è contra, *voluntatis Naues*, vel (vt ibidem legit etiam Vatablus) *voluntariæ Naues*, quæ non solùm alieno ductu, sed propriæ etiam libito industriæ, id est, indefatigabili remigantium operâ, vndas sollicitant, nunquam intermisso cursu, inceptum iter celerantes. Velo igitur, remóque, vt aiunt, in mortem se nauigâsse fatetur Iob Rex: ne quis alius Principum, segniùs in hunc portum se putet peruenturum, quidquid fælicius viuat.

D. Basil. Et hæc celerrima.

Iob 9 v. 26.

Naues scilicet remigantes felicitate.

934 Non est tamen minoris ponderis Ezechiæ Regis ægrotantis exclamatio. *Generatio mea* (hebr. *vita mea*) *ablata est, & conuoluta est à me, quasi tabernaculum Pastorum.* Isai. 38. v. 12. Nihil mobiliùs, nihil irrequietiùs transfertur, quàm pastoritium Tentorium, ad errabundi gregis vestigia, pro temporis, pro pastûs diuersitate, huc ac illuc commigraturum: Bene igitur inconstans, & euanescens in dies vita fælicis diu Principis translato Pastoris tabernaculo comparatur: res plana: vbi tamen id adhuc inuolutum, cur non solùm *translata* dicatur, sed etiam *conuoluta*: quasi parum sit semper transferri vitam, ni etiam conuoluatur. Quid ita? quia etiam magna illa Principis vita, cui tot excubiæ inuigilant, puerilis est Trochus, nec celerius iste, lusoriâ scuticâ vertitur conuolutus, quàm vita duro mortalis conditionis flagello rotata conuoluitur. Eleganter id exprimit carminibus D. Gregor. Nazianzenus, in sent. spirit.

Isa. 38. v. 12.

Vita nostra pastoritium tentorium.

& Trochus puerius.

D Greg. Naz

Trochus est parum certus, parúmque stabilis,
Fallacis huius, cursus, & vita breuis:
Sursum deorsum voluitur, conuoluitur,
Et cùm videtur stare, consistit minùs:
Fugiens tenetur, & manens subducitur:
Et subsilit multùm, tamen non effugit.

Solet quandoque Trochus in medio cursu stans videri, quod nostrates pueri, somnum Trochi vocant: cùm tamen nunquam celeriùs circunuoluatur, quippe concepto vehementius impulsu, eâ velocitate rotatur, vt quasi oculorum præstigiator videatur quiescere: Sic vita nostra, cùm firmior *videtur stare, consistit minùs:* solummodò *fugiens tenetur:* quia tota quota est, fuga est: vnde *manens subducitur*, quia tota illius mansio, non nisi continuâ subductione consistit. Conuolutam igitur vitam suam dixit Princeps tantus, quasi illam apertiùs Trochum appellaret. Quid autem hoc ludo breuiùs & inconstantiùs dici potuit?

Hinc Ecclesiasticus, postquam diuinæ gratiæ 935.
mentionem ingerit, addit statim: *Et hora surgendi, non te trices.* cap. 32. v. 15. id est, pigritiam excute, nec vllas moras necte: quasi tota sit diligentia necessaria, quam etiam moræ breuissimæ frustrârint. Sed, an non totius vitæ tempore, vocanti Gratiæ poterit responderi? An non qui primas somni tricas non extricauit, poterit postea vocanti cooperari? ita est: sed quî tu hoc totum vitæ tempus, in tot spatia putaueris prudenter diuidendum: cùm diuinis hîc verbis quotum illud fuerit, vnius horæ vocabulo proferatur? audi Galfridum ibi, in Syl. Allegor. *Hora surgendi est, dum bona gratia accedit: & bene omnis præsens vita, non tempus dicitur, sed horá.* Sed de hoc plura infrà. Ex dictis enim huc vsque, id solummodò discas, vellem, hinc maximè sanctissimos Principes prædictos, ab Impio Baltasare differre: quòd cùm iste truncandam iam iam vitam, in longa sæcula, putaret dilatandam: illi adhuc in longius superstites, breuissimam fatebantur, ne vnquam, quasi diuturnioris somniatæ, præstigiis illuderentur.

Ecclesiast. 32

Tota vita, ...

Galfridus.

II.

Seque sub his angustissimis vitæ terminis, miserijs & vicissitudinibus obnoxium.

SEd parum est, breuem sibi vitam recogitet pius Princeps, si tamen fælicem esse cogitauerit: vt enim, quâ par est virtute, Populos sibi commissos regat, cum breuissimæ, tum miserrimæ sortis, in hoc viuendi negotio, cum cæteris Mortalibus, participem se agnoscat, necesse est: homo est enim, vnde nihil humanæ miseriæ à se alienum, nisi per summam stultitiam reputârit. Cum sanctissimo igitur Rege Iob, aurea illa & notissima verba, secum recolat: *Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs.* cap. 14 v. 1. Sic fiet, vt cum Baltasare in lamentabilem ruinæ suæ causam, superbiam scilicet, non incidat. Minus est itaque, si conditionem suam reputet quod nuper dicebam, nauigantem ad mortis littus, nisi interim fallacibus breuibus, duris scopulis, æstuantibus procellis, passim naufragam arbitretur. Prudenti lepôre Saluianus, ad illud Pauli, *Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci.* 1. Cor. 11. sic scribit lib. 3. de Prouid. *Certè, si de cæteris, quas dicit, virtuti-* 936.

Iob. 14. v. 1. Vita non tàm nauigatio est quàm perpetuum naufragium.

Saluianus.

1. Cor. 11.

tutibus Apostolicis, nihil facimus: in hoc tamen vno, vbi Apostolus, ter naufragasse se, dicit, etiam vincere possumus: non enim ter tantummodò naufragamus, quorum penè omnis vita, naufragium est. Et vnde tumoris fastus, qui te passim tumidâ tot fluctuum mole, submergi sentis? vnde illius vitæ amor, quæ tota naufragium est? Pulchrè Seneca Epistol. 4. *Hoc quotidie meditare, vt possis æquo animo vitam relinquere: quam multi sic complectuntur, & tenent, quomodò, qui à torrente rapiuntur, spinas & aspera.* Durissimum planè hoc naufragij genus, quod cum ab inundante torrente incumbat iuge, cogit nihilominus, & asperas prærupti laboris cautes, & pungentes ærumnarum spinas complecti & tenere, non quibus ineuitabile illud euadamus, sed quibus funestius dum mergimur, lancinemur. Ecquæ maior miseria, quàm quòd, vt diutiùs duret naufragium ipsum, carissimò sit emendum? quod tamen ab ipso vtero, *Natus è muliere* Princeps inchoauit.

Senec. Idque ad rupes illidens, & spinas.

937. Notum, quod de semetipso, Potentissimus, & sapientissimus Regum, dixerit Salomon: *Ego natus accepi communem aërem, & in similiter factam decidi terram, & primam vocem similem omnibus emisi plorans: in inuolumentis nutritus sum, & curis magnis: Nemo enim ex Regibus aliud habuit natiuitatis initium.* Sapient. 7. à v. 7. Illud tamen attentiùs perpendendum, quòd infantilem illum vagitum, & inarticulatum gemitum, quem recèns natus emisit, *vocem* appellârit: cùm vox propriè, dearticulationem importet syllabarum, quo aliquid enuntiatur. Nunquid flebili illo vagitu, aliquid infantes nuntiant, imò prænuntiant, quod etiam, regali sibi infanti commune fateatur Salomon? ita puto: Neque vagitus ille, vtcunque vox est eloquij sonori, sed etiam prudentissimi augurij: nondum intelligens ratiocinatur, iam tamen quasi præscius, in quas vitæ noscatur miserias proclamat. Huc facit Tertullianus lib. de Anima, cap. 19. *Mentior, si non statim infans, vt vitam vagitu salutauit, hoc ipsum se testatur sensisse, atque intellexisse, quòd natus est, omnes simul ibidem dedicans sensus, & luce visum, & sono auditum, & humore gustum, & aëre odoratum, & terrâ tactum. Ita prima illa vox, de primis sensuum vocibus, & de primis intellectuum pulsibus, cogitur. Plus est, quod de prospectu lachrymabilis vitæ, quidam augurem incommodorum vocem illam flebilem interpretantur: quòd etiam præsciens habenda sit ab ingressu natiuitatis, ne dum intelligens.* Ac si consopito ad cætera rationis vsu: ad miserias vitæ discernendas, non solùm intelligentes, sed quod maius est, præscij videamur. Benè ergo non vagitus, sed *vox* dicitur à Salomone, quæ tot mysteriis grauida, necessariam, Regibus maximè, (qui non aliud habent natiuitatis initium) doctrinam reuelat sonore, efficax inculcat.

Sap. 7. 7.

Primus vitæ vagitus, oraculum miseriæ vocalissimum.

Tertul.

938. Ergo *inuolumentis*, id est, fasciis colligatus Infans, sedulò enutritur: & quasi non solum *magnis curis*, sed etiam ad magnas curas educetur, iam præsentiat: aliorum nescius, solius imminentis sibi miserrimæ vitæ conscius, identidem lachrymabiles illas frequentat voces; tot mysteria enucleans, quot iterat vagitus. Videtur immiti pelagi nauseâ iam respersus, periculosæ damna nauigationis præsentire: in via æstuantes Scyllas, Charybdes fluctuantes Tartareos pyratas à tergo insequentes: à fronte funestissimum sepulturæ portum incurrendum. Grauissimè (ad Cap. 1. Iob. in Caten. Græc.) de his *inuolumentis* Clemens multa disserens, quasi illis puer, tanquam fasciis sepulchralibus iam ligetur, sic ad rem nostram concludit. *Nuper est Infans ad vitam ingressus, nec interposita morâ mortuorum pannis amicitur: natura enim, memoriam finis reuocat, iis, qui nascuntur.* Vt meritò Rex prudentissimus Salomon, citato loco, relictis aliis nutricationis ministeriis, expresse inuolumentorum meminerit, quia iam inde sibi parari sepulchralia meditabatur. Sed pergat Clemens, & flebilis illius prædictæ vocis arcana exponat clariùs: sic ergo addit. *Huc ille pertinet ediri Infantis eiulatus, luctuosis magnisque vocibus, apud Matrem lamentantis. Cur mihi vitam, Mater tradidisti, cuius additamentum futurum erat ad internum progressio? Cur me in tantarum turbarum auum congessisti, in quo mihi nato, fasciæ sunt exordia? Cur huiusmodi me vitæ addixisti; in qua & iuuentus miseranda, ante senium miserè vexata, atque confecta: & senectus vt exitiosa fugienda? Nimirum, asperum, ô mater, est huius vitæ stadium, cuius meta est, currentium occasus: calamitosam vitæ viam ambulamus, quæ sepulturam habet pro diuersorio: difficile atque infestum vitæ pelagus nauigamus, cui Infernus tanquam pyrata imminet.* Hæc sunt quæ sibi, Regibúsque cæteris communia, cum reliquo Mortalium genere recolebat Salomon: vt toto cælo è Baltasaris viâ deuiarent, qui vitæ cæcos scopulos non vidit; publicos, viuendi auidus, dissimulauit.

Clem.

Primi natiuitatis nostræ, panni, sepulchrales.

Clem. Vita in stadio decertantis mors, meta est.

Vita incommoda, & pericula.

Nimirum, *Homo natus de muliere*, & à prima illa Muliere, humani generis Regina, oriundus, simul vitam, & miserias ducat, necesse est: neque priùs respiret, quàm doleat. Eiectus penè è Paradiso, generis nostri Princeps Adam, certè iam damnatus, subitò *vocauit nomen vxoris suæ, Heua: eò quòd mater esset cunctorum viuentium.* Genes. 3. vers. 20. id est, vocauit illam *vita*, (hoc enim significat Heua) vnde omnes postea vitam participarent. Et quidem mirum, cum Morti se obnoxios præsentirent, tunc vitales hos titulos vsurpâsse: non tamen res poterat aptiùs explicari: dum enim tot miseriis exponendos filios præuideret Adam, à vitâ oriundos asseuerat, quasi vita ipsa fons esset ærumnarum perennis: nec aliunde signantiùs infelices possent exprimi, quàm si ab Heuâ iam afflictâ, quasi ab ærumnosâ vitâ, ad vitam immissi dicerentur. Ideo Lyranus ad hunc locum. *Eua; in Hebræo, Haua: quod nomen sonat vitam, pœnalitatibus tamen subiectam.* Vel quia non poterat enuntiari hæc vita, quin pariter calamitatibus subiecta intelligeretur: vel quia nunquam calamitates nostræ significantiùs, quàm ipso vitæ nomine proferuntur. Apta huc sententia illa Cellensis Abbatis lib. de Pan. cap. 13. Vbi ita. *Nunquam verâ exultatione repletur Anima, nisi liberata ab peregrinatione, in quâ affligitur tribulatione magnâ: quæ enim potest esse exultatio, vbi est continua tribulatio? patitur siquidem à corpore, patitur à Mundo, patitur à Diabolo, patitur à seipsa. Vbi ergo tot & tales sustinet passiones, vnde poterit edere lætitiæ panes?* Est ergo vita, ipsissima miseria. 939.

Genes. 3. 20.

Vita ipsa, vitæ ærumna est.

Lyran.

Abbas Cell. Et ærumnis referta.

Et

940. *Monstrosè Carcer simul & fuga vita est.*

Et benè, *liberata ab hâc peregrinatione*, dixit: quasi peregrinatio, Carcer sit: & tamdiu quis in vinculis ærumnosè degat, quamdiu vitam ducere cogitur. In quâ tamen re illud monstrosum: quòd cum in tetro quantumvis carcere, saltem fugæ solicitam trepidationē enitemus: & in fugâ trepidâ, saltem constringentis Carceris ærumnas euadamus; vita tamen & carceris & fugæ incommoda sic connectat, vt vtrinque læsi, cùm in carcere fœdo, tum sub dimidiâ fuga cruciemur. Prius illud de Carcere, satis profani Authores expenderunt, edocti credo, à sanctissimo Rege Dauide, qui sic ad Deum: *Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo:* Psalm. 141. v. 8. Hebræa & Græca clariùs: *educ de Carcere.* de quo D. Basilius Magnus Homil. in Martyrem Iulitam. *Quemadmodum eorum, qui in carceres coniiciuntur, hi quidem in afflictione Carcelarium vinculorum, detinentur introclusi, diuturniori temporis morâ: illi verò ab ea calamitate subtrahuntur celerius: sic etiam animæ; etenim hæ distinentur in præsenti vitâ diutiùs, aliæ minùs pro cuiusque merito, dignitateve, iuxta diuinæ Prouidentiæ profunditatem: sic, vt mens nulla hominum ea possit attingere, quæ de vno quoque nostrûm, ipse Creator præuidit. Non ne audis dicentem Dauid: educ de Carcere animam meam, multifarium angorem, molestiámque indicat.* Quasi, nec etiam tot inter pompæ regiæ delitias, in superbo palatio, vitam posset, nisi pro Carcere sustinere, è quo anxius liberationem postulabat. Et quid foret, si simul quasi trepidæ fugæ miserias sustineret? Si vitæ quantumuis regiæ, ærumnas, non solùm Carceris vinculis, sed etiam fugæ timoribus, anxias pateretur? at patiebatur quidem: patiuntur etiam Reges, immanem, tristissimæ huius mixturæ calamitatem.

Psalm. 141. 8. Carcer iste, quàm laboriosus. *D. Basilius.*

941. *Iob. 7. v. 1.*

Hinc disertissimus & piissimus Rex Iob: *Militia est vita hominis super terram &c. Sicut ceruus desiderat vmbram, &c. Sic & ego habui menses vacuos, & noctes laboriosas numeraui mihi.* cap. 7. à v. 1. Ad præteritum recurrit, quasi non solùm tunc in sterquilinio, sed etiam olim in throno, dies imò & menses, noctésque laboriosissimas numerâsset. In Græco est: *Sicut seruus timens Dominum suum, & insecutus vmbram.* Et quid est, quod seruus timens Dominum, non tam solidum aliquod asylum, quàm meras vmbras dicatur insecutus? Nimirum, qui timore anxio correptus fugit, sic æstuat, sic sensuum vertigine laborat: vt quidquid solidè præsens offendit, non tàm solatij, quàm noui cuiusdam pauoris causam habeat: omnia sibi infensa, ad pœnam se ab omnibus inquiri putat, & teneri miserrimè, qui solummodò obscuris latebrarum vmbris tutandum se præsumit. Seruo ergo fugitiuo se comparat Rex prudentissimus: quasi parum esset, si vitam teterrimi instar Carceris sortiretur: nisi simul, variorum euentuum sic torqueretur timoribus, vt etiam dum vinctus, trepidæ cuiusdam fugæ angores toleraret. D. Chrysost. ibi in Cat. gr. *Nititur his verbis ostendere; tùm laboriosam, tùm breuem esse Hominum vitam: dicit: num laboribus tantùm, non etiam periculis est vita hominum circumuallata? nempe videtur is mihi de seruo fugitiuo, præ formidine ob fugam semper æstuante, induxisse sermonem: id enim declarat illud, vmbram assecutus: id est, qui non præsentia, tanquam præsentia, propter metum opinatur: quærit quæ tenebras, ad obliuiscendum.* Nulla aderat timoris causa, & tamen quasi præsentem totus horrebat: qui vitam non solùm duri Carceris, sed etiā, trepidæ fugæ, malis, constantè experiebatur.

Lxx. Interpr. *Fuga, quàm anxia & solicita.* *D. Chrysost.*

Quid ni, si nihil aliud est vita, quàm timor ipsissimus? quasi non contenta, si de præsentiâ laborum, sit perpetua quædam ærumna, vt suprà dixi: etiam de periculorum imminentium horrore, perpetuus quidam timor appelletur. Proptereà iterum Dauid Rex in pulcherrimo illo Psalmo 118. quem Alphabeticis subdiuidit Octostichis quartum sic incepit: *Adhæsit pauimento Anima mea.* v. 25. vbi scholium Vatabli: *Adhæsit pulueri, id est, terræ: hoc est, sepulchro: quasi dicat, cùm parum absit, quin ad sepulchrum deferar.* Nihil duriùs pati posse videbatur Rex maximus, quam si tot malis inundaretur, vt iam pene cum mortuis veniret computandus. Sed tu, pende quæso, alphabeticam notam ingenti mysterio, his verbis immediatè præfixam, esse. ד. Daleth. de quo grauiter ibi D. Ambrosius. *Quarta littera secundum Hebræos Daleth, significat latinè timorem: vel, vt alibi inuenimus, Natiuitatem: sed vtrumque potest congruere, & conuenire sensui &c. Quid est enim terrena natiuitas, nisi timor?* Vt cùm maximè præsenti labore se pressum, tantus Princeps fateretur: adhuc maius aliquid prætimuisse indicaret, qui ab ipsis nascentis vitæ cunabulis, indidem luci immittitur & timori: quia vt dicebat Chrysostomus, non solùm laboris præsentis dolore, sed etiam imminentis periculi metu, vita, licet regalissima, circunuallatur. 942.

Vita, ipsissimus est timor *Ps. 118. v. 25.* *Vatab. & sepulchro pene inserta* *D. Ambros.*

Bene proinde iterum, regiâ planè prudentiâ prædictus Iob: *Nonne dissimulaui? nonne silui? nonne quieui? & venit super me indignatio,* Longè aliter Lxx, in Sixt. ita. *Neque in pace fui, neque in silentio, neque in requie: venit autem mihi ira.* cap. 3. v. 26. Ad superius etiam tempus regalium delitiarum, hîc recurrit: in quibus, neque pacem, neque quietem se habuisse, neque otij silentio fruitum se testatur, & cur ita? An non eximia illa Regni opulentia, & conciliata sibi, tot Principum, vt infrà refert, veneratio, iucundam pacem, dulcem quietem potuit importare? Certè prudenti non potuit: quia editus simul luci, & timori, venturam iram semper exhorrescens, anxius & afflictus degeret, necesse erat. D. Ioannes Chrysost. in eadem Cat. ad hunc locum. *Non dixit: Non pacem habeo, non quiesco: verùm superiori tempore, neque pacem habui, neque quieui: quamuis enim illa, quæ iam abierunt, iucundè mihi blandirentur: tamen acerbitatum expectatio, quiescere animum, præsentibúsque frui non sinebant.* Nescit ergo augusta vita Principis, sub has angustias, capite non censeri: Nulla excellentia humana, miserum hoc tributum non rependit. Vbique grauis; grauissimus tamen in hanc D. Leo Magnus, Homil. 11. in Quadrag. *Quis in huius vita constitutus incertò, aut immunis à tentatione, aut liber inueniatur à culpâ? Quis est, qui nil virtutis sibi adiici; aut qui nil vitij, sibi optet auferri? cùm & aduersa noceant, & secunda corrumpant, nec minoris sit periculi, carere desideratis, quàm abundare concessis. Insidiæ sunt in diuitiarum amplitudine: insidiæ, in paupertatis angustijs: illæ eleuant ad superbiam, hæ incitant ad querelam. Tentat sanitas, tentat infirmitas; dum & illa, materia est negligentiæ; & hæc, causa tristitiæ. Laqueus est in securitate, la-*

943. *Iob. 3. v. 26.* *Lxx. Interpr.* *Felici vita, timor hæret.* *D. Io. Chrys.* *D. Leo. Vitam, quot insidiæ circunstent.*

quens in timore : nec interest verum animus, qui terreno teneatur affectu, gaudiis occupetur an curis: cùm par morbus sit, vel sub vanâ delectatione languere, vel sub anxiâ solicitudine laborare.

944. Denique licet intestina hæc timoris cura, hebetiores Principes, qualis erat Baltasar, non semper mordeat, (quæ prudentes vt vides corrodit improba) & quandoque iam penè insensibiles non pungat: Nullum est tamen humanum diadema ita securum, cui inter medias fælicitates subita aliqua calamitas non obrepat: & ipsius naturæ mortalis iure munita, ingruat præsumptuosa: quam proinde, sola stultissima læsi Principis indoles reprehendat. Insultabat, sæpè commendato Principi nostro, Regina vxor, furens, & desperata, idque fusissimis verbis, vt habes in textu Græco, licèt in nostro, breuissimè exponantur: ad quam tunc Iob, hoc vnum: *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es: si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* Cap. 2. vers. 10. Sed cur tam succinctè, mi Princeps? Si stultam fateris, imò, quod satis est, si fœminam nôsti, multis erat rationibus conuincenda: nescit stulta, vno verbo resipere: ignorat fœmina, ne dum regina, ad primum rationis nutum componi: Quid ergo non inculcas plura? quia vnam illam & breuem rationem, sic apertam, vtpotè humanæ vicissitudinis iure fundatam, existimauit, vt necessariò stultam fœminam (aliàs stultissima deploranda) compositura speraretur. Fortasse in tota Catenâ citata nusquam suauius aureo flumine decurrit Chrysostomus, quàm dum prædictæ rationis pondus sic exponit. *Nullius hominis vita, vsquequaque beata: bellè vsque habere, prosperéque semper agere, id vnius Dei est. Ipsa propterea, quæ præsentibus indoles, præteritis rebus te solare: nunc quidem lachrymaris, verum antea risisti: nunc mendicitate vrgeris, sed antea locuples fuisti: è nitido vitæ riuulo bibisti, è turbido nunc cum hauries, ferendum tibi est placidè: nec enim semper fluuiorum aquæ syncera. Fluuius, quod tu maximè ignoras, est vita nostra, quæ quidem continenter fluit, in quam vicissim sibi succedentes fluctus incurrunt: & illius quidem pars iam fluxit, pars vero labitur: itémque pars iam erupit è fonte, pars verò alia manabit: at cuncti ad communem Mortis Oceanum properamus. Si bona suscepimus de manu Domini, mala non sustinebimus?*

Vita, necessario vicissitudinibus obnoxia.

Iob 2. 10.

D. Chrysost.

Vita, cur flumen dicatur.

945. Huius defectu notitiæ, stultissimus Baltasar, in irremediabile incidit præcipicium: vnde hebes, nec per se, nec per consimilis farinæ Proceres, & Ariolos, literas illas in pariete scriptas, & satis aduerso candelabro illustratas, potuit legere, Dan. 5. vers. 6. cùm tamen si Interpretibus credimus cum Pereira, aut Hebraicæ essent, aut Syriacæ: quia nimirum mortis instantia, rerum vicissitudo, deturbatio Throni, nullo modo ab his talibus aut capitur, aut perpenditur: semper fausta sperantibus, nec etiam prophetico monito, vt suprà expendebam, perturbatis Tu mi Princeps, sanctissimorum, quos dixi, Regum vestigiis insiste & quasi pronuntiatum, vbique recole illud Magni Basilij, Orat. 24. de Morte: Vbi ità. *Viator, ô homo, veluti quidam es, in hac vita: omnia præteris, omnia à tergo relinquis. Conspexisti in viâ plantam, aut herbam, aut aquam, aut aliud quodvis eiusmodi, paululum iis oblectaris: præteriisti, rursus incidisti in lapides, in valles, in rupes præcisas, in scopulos, in paludes: aut etiam in feras, in reptilia, in spinas, aut in aliquas alias res molestas: paululum his perturbatus, rursus ea reliquisti. Talis etiam est vita hæc humana: nam neque res iucundas stabiles; neque tristes satis firmas continet.* Planè stolidissimè viuit, imò nec viuere putandus, quem sic factæ vitæ, calamitates & vicissitudines effugiunt: ne inde, venturæ tandem mortis memoriâ componatur.

Dan 5. 6.

Princeps, mortalitatem non intelligit.

D. Basil.

Vita, via & ita varia.

III.

Mortalis vita Principis, Mors continua: & sæpè Morte ipsâ longè sæuior.

Mihi tamen non ita mirum, si prædictis huiusque miseriis recolendis sic indormiret 946.
Baltasar, vt nunquam contemplando mortis periculo inuigilaret, & iam ob oculos positam, & à Daniele digito monstratam, adhuc quasi somnium, post longa tempora, idque fortassè, crederet adimplendum. Scilicet tot calamitates, vicissitudines vitæ sic frequentes, vitale tamen aliquid videntur importare: miserè quidē, & mutabiliter viuitur; sed tamē viuitur; non ergo tanti sit, si dū, sub hoc extremo vitæ sistitur, tam dissitum aliud Mortis extremum, Principibus obueletur. Sed quantæ socordiæ fit, si cum vita non solùm misera & vicissitudinaria, sed mors ipsa, & morte peior agnoscatur, adhuc hebescas: & in ipsa diuturna morte moratus diu, dum viuere videris, adhuc mortem nescias? inexcusabilis redderis, mi Princeps, si adhuc cum Baltasare obsurdescas. Non sunt vita & mors extrema dissita, (ecquod enim medium poteris assignare?) sed vnius eiusdémque continui partes successiuæ, id est, Mors longior: nisi quòd vltima, sic viuendi mortaliter, particula, *Mors* vulgò dicitur: sicut præcedentes, quæ, moriendo vitaliter, impenduntur, *vita* nominantur. Audi Senecam Epist. 24. ad Lucillum. *Memini te illum locum aliquando tractâsse, non repentè nos in mortem incidere, sed minutatim procedere. Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cùm crescimus vita decrescit: infantiam amisimus, deinde pueritiam, deinde adolescentiam: vsque ad hesternum, quidquid transiit temporis, periit: hunc ipsum, quem agimus diem, cum morte diuidimus. Quemadmodum Clepsydra non extremum stillicidium exhaurit, sed quiquid ante defluxit: sic vltima hora, quâ esse desinimus, non sola mortem facit, sed sola consummat: tunc ad illam peruenimus, sed diu venimus. Hæc cum descripsisses, quo soles ore, semper quidem magnus, nunquam tamen acrior, quàm vbi veritati commoda verba dixisti: Mors non vltima venit, sed quæ rapit, vltima mors est. Malo te legas, quàm epistolam meam: apparebit enim tibi, hanc, quam timemus, mortem extremam esse, non solam.* Non tam Philosophica hæc dixeris, quam Catholica.

Vita ipsa, longa, & continua, mors est.

Senec.

Instituebat iuniorem suum Tobiam senex sanctissimus, concludens post multa, *Noli timere* 947.
fili mi, pauperem quidam vitam gerimus; sed habebimus multa bona, si timuerimus Deum. cap 4. v. 23. quia etiam sub ipsâ vitæ paupertate, multa spiritualia bona, comitante timore Dei, possidentur:

Tob. 4 23.

tur: virtutem ergo cupit senex prudentissimus, cum quâ meliores longè thesauri acquiruntur. In verbis tamen aliunde apertis, illud ad rem præsentem examinandum: cur qui multa bona dixit sub virtute haberi; interim tamen non tam haberi vitam, licèt pauperem, quàm geri, siue duci asseuerauit: an vitam quam ducimus, quam gerimus, non habemus? Planè non habemus, neque enim habemus, quod teneri non potest: neque teneri potest vita, quæ perpetuò fluxu labitur: quam semper quasi euntem ducimus, & continuæ morti immixtam degustamus. Galfridus ad hunc locum, *Sola hodie abundat in hac paupere vitâ, iniquitas; nam charitas refrigescit: verùm iniquitatis abundantia, summa inopia est. Igitur hac pauper vita, parum habet de vitâ; vita quippe mortalis, mixtura quadam est vitæ, & mortis, sed minus habens vitæ, quàm mortis: quia etiam hanc eandem pauperculam vitam, non tenemus vt manentem, sed ducimus vt euntem.* Ac si propterea *vitam ducere*, pro *viuere* dicamus, quia euntem termino adducimus, qui quidem non sit mors sola, sed extrema: cùm illa ipsa successio pereundi mors quædam sit prolixa, quæ non tam vltimo halitu fiat, quàm compleatur.

Vita mixtura mortis est. — Galfrid.

948. Vnde iam capies, quid sit illud Dei ad Orbis Principes, naturæ Protoparentes: *Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris*, Genes. 2. v. 16. comedunt tamen vt nôsti, nec tamen statim cernuntur expirasse: neque tamen propterea diuinas minas aut vanas, aut fallaces fuisse, audes dubitare. Quid ita, si statim dicuntur morituri, & diu postea respirant post reatum? Optimè quidem, quia statim ablato immortalitatis acceptæ olim iure, vitam mortalem sub morbidâ iam qualitate viuere inceperunt: morte moriuntur, qui prolixæ cuiusdam mortis viam sunt ingressi: quotidie moriebantur, qui semper quem agebant diem, cum morte diuidebant: qui, cum semper morte aliquâ comite venirent, ad vltimam peruenire properabant. D. Prosperus Aquitan. lib. 2. de vita Contempl cap. 19. *Delectatione carnis, & oculorum curiositate, ac sæculi ambitione corrupti, à ligno vitæ, (ex quo eis arcendæ mortis, ac vitæ continuandæ gratia præstabatur) abiecti sunt: & morbidam qualitatem eorum corpora contraxerunt: vt iuxta sententiam Dei, eo die credantur mortui, quo in eis pœnaliter facta est necessitas moriendi.* Et verè mortui, & hi contagiosi, qui quosuis deinde ad vitam generarunt, consimili longæ morti tradiderunt. Hinc Petrus Abbas Cellensis lib. de Pan cap. 17. post multa de Concupiscentiæ igne, sic ad rem nostram: *Lingua viperea, in anima Eua hunc ignem, suggerendo vetitum accendit; pomum ostendendo afflauit; immortalitatem promittendo conflagrauit; ac demum in peccatum inducendo combussit; & promulgatâ sententiâ mortalitatis, in cinerem redegit. Hoc cinere non solùm tegitur, sed sepelitur omnis præuaricatorum progenies: hoc inquam cinere, omnis peccans conspergitur, cibatur, sepelitur: conspergitur originaliter reus, cibatur actualiter malus, sepelitur interminabiliter damnatus.* Quasi tantummodò quòd natus sit præuaricatorum filius, iam mortis; deinde impœnitens, pœnæ insuper cinere sepeliatur. Ecquæ mors germanior, quàm quæ non solùm necare nouit, sed etiam viuos adhuc sepelire?

Genes. 2. 16. — *Vita mortalis iam mors est.* — D. Prosp. Aq. — Abbas Cell. — *& mors incinerans.*

949. Iam verò si præ ter communem ipsius mortalitatis conditionem, adhuc regali vitæ, (quod passim euenit) ærumnarum pondus aliquod accrescat, quis non putet tunc infaustum Principem, mortuis potiùs, quàm viuis adnumerandum? attende. In quas è regio solio miserias Iob inciderit, ignorat nemo: sed benigno tandem numine restituitur: & addit textus: *Vixit autem Iob post hæc centum quadraginta annis*, cap. 42. v. 16. fere omnes Codices Græci, & numerum sic mutant, & sententiam cumulant. *Vixit autem Iob post plagam centum septuaginta annos: omnes autem anni quos vixit Iob, ducenti quadraginta octo.* Vide Scholia Sixtiana. Stemus modò Græcæ computationi: cuius difficultas si superetur, non leue inde mysterium eruemus. Addidit Dominus vt nôsti, *omnia quæcunque fuerant Iob, duplicia*, v. 10. vnde & annos etiam in duplum cumulasse Græci Doctores hîc, non immeritò asseuerant. Cum igitur, post plagam, 170. annos vixisse disertè proferatur, satis patet horum dimidium ante superuixisse, scilicet, 85. annos. Reduc ergo ad calculos, rem mi Lector, inuenies necessariò, & priorem vitam, & secundam dupliciter cumulatam, numeratis suprà annis centum quadraginta octo non conuenire: nam 85 anni ter ducti, 255. annos complent: à quibus ad 248. omnino septem notantur desiderari. Cur igitur hos septem annos, è Iobi vitæ supputatione, delendos existimauit Græcus textus, cui Arithmeticæ inscitiam obtrudere nefas esset? Respondet Author Caten. Græc. siue Olympiodorus ibi, *Videtur magnus Iob ipsos septem annos plagæ acerbitatem tulisse: quorũ iccirco est numerus prætermissus, quia ex eâ annorum summâ, quos vixit Iustus, meritò excipiendi videbantur, cùm eorum acta vita, mors sit potiùs quàm vita existimanda. Etenim si post detractam calamitatem, Iobo duplicata omnia fuerunt, quia anni quoque duplicati sint, dubitari non debet. Vixit igitur post depulsam ærumnam, centum septuaginta annos: summa autem annorum vniuersa, ducenti quinquaginta quinque: à qua quidem summâ detracti sunt septem: vt arcanam temporis rationem, quo est mala perpessus, intelligeremus.* Pulchrè pro Græca supputatione cogitatum. Et non putes omnino hebetem illum Principem, qui cùm fælicem, nedum si infælicem, vitam ducat, mortem quandam longam trahere conuincitur: nec ita tamen vltimi halitus, id est extremæ mortis memoria cõponitur: adhuc mortalis, imò mortuæ vitæ illecebris adhæresçit?

Vita ærumnosa, vita dici nequit. — Iob 42. 16. — LXX. Interp. — Vers. 10. — Olympiod.

950. Sed esto tamen, vsque dum hebescat: quid iam vitæ sic anxius inhiarit, cùm hæc longa & misera mortalitas, multò morte ipsâ vltimâ, grauior & terribilior haberi debeat? O quò tendis voluptatibus vitæ inescatus, infauste Princeps, miser vitiorum seruus? quid vitæ adblandiris, omni morte sæuiori? Audi Petrum Cellensem lib. cit. cap. 15. *Est seruitus peccati, seruitutum seruitus: seruus enim peccati, seruus est tot dominorum, quot vitiorum, quot dominorum: imperant ei vitia, non Domini, sed Tyranni, non beneuoli, sed inimici: præsunt, sed sine vtilitate: imperant, sed sine miseratione: mandant, sed sine discretione: conregnant super vno, sed cum dissensione: quisque, si obtemperatum sibi non fuerit, latus miserum sanguinat; si obtemperatum necat. Sub his dominis, vita nequior, mors melior, si tamen non amarior.* Et tamen cùm melior sit, non esset amarior

Vita cũ morte sanior & funestior, si diffluit voluptatibus. — Pett. Cell.

rior, si Princeps assidua memoria, illius amaritudinem emolliret, nec se sineret, sub acerbiùs mortua illa vita, vitiorum dulcedine titillari: sic cum Baltasare obcæcatur, vt vltimam mortem præsentem non conspiciens, malit tot mortibus durioribus subiacere. O quàm verum illud Ouid. in Epist. Ariadnæ.

Ouidius.

Occurrunt animo, pereundi mille figuræ,
Mórsque minus pœnæ, quàm mora mortis habet.

Quid-ni, si continuâ morte, interim cruciabatur?

951. Neque mirum: tu enim quisquis es Princeps, qui memoriam mortis sic expellis, non potes te mortalem non fateri: & licet insanus & perfidus cum Baltasare venturam tibi Diuinitatem sperares, non tamen hanc, nisi post mortem, præsumeres ineundam: Quid ergo memoriæ mortis non assuescis, quæ somniatam largitura diuinitatem? Sed absit, inquis, impietas: neque me Deum somnio, & scio me mortalem: neque tamen audeo sic horridæ rei commercio ingerere, quâ tot me delitiis video spoliandum. O lepidum effugium! scis te mortalem: ergo mortem quandoque timeas necesse est: an igitur nescis hunc in emortuâ vitâ timorem, morte ipsâ longè esse duriorem? an non satiùs semel cadere, quàm pendere semper? Semel renuntiare delitiis, quam semper renuntiandas trepidare? Multa in hoc alibi cumulaui; subdo denuo pauca. Potuit quidem Deus, dum immolandum filium præcipit Abrahamo, mortem reapse pueri imperare, deinde è mortuis faustè resuscitare. Et quidem qui in hoc sacrificio, viuum quoddam Typum sacrificandi Christi, vt omnes Patres agnoscunt, apparabat: apertiùs necis factæ exercitio, symbolum exhibiturus videbatur. Cur igitur destinatâ Isaac morte contentus; priùs redimit, quàm occidat? quia satis apud paternum animum occisus plorabatur, qui certè occidendus timebatur: magísque timore isto eripiendi sibi delitij sui per triduum distortus est Abraham, quam breui ictu filij torqueretur. Benè Oleaster ad illud: *Die autem tertio eleuatis oculis vidit locum procul.* Genes. 22. vers. 4. *Omnia hæc pertinent ad tentationem: toties enim quis mori videtur, quoties mortis amaræ recordatur.* Si ergo toto triduo, & maximè, ad remotioris adhuc loci conspectum, delitias suas emortuas luget Abraham, nónne sub continuâ hac morte, siue extremæ mortis timore, sæuius lancinaretur Patriarcha, quam ictu brèui si puerum iugularet? Neque typici triduum, ad veri sacrificij mysterium, parum facit: Audienda quæ grauiter Acatius, ibi in Caten. par. *Pater cælestis, pro totius Orbis salute, Vnigenitum oblaturus, typum diuinitatis in seruato Isaac: humanitatis, in ariete mactato, prænuntiare voluit: Interstitium quoque temporis, idem: tres enim dies, totidémque noctes vtrobique intercessere.* Ac si triduum Dominicæ sepulturæ, satis repræsentaret Isaac, tandiu sub timore paterni affectûs, apud dolentem Patrem consepultus: quod illi, breuissimâ Isaac nece, longè venisse funestius, necesse est. An ergo non tibi satius, semel extremâ morte delitias perdere, quàm timore illius, & sub continuâ morte, perdendas exhorrere?

Timor mortis morte est longè peior.

Oleaster.

Genes. 22. 4.

Acatius.

952. Fac tamen, vt præter continuum hunc timorem, humanæ insuper miseriæ te inuadant: putas-ne satis esse, quod suprà dixi, iam vitam ipsam pro morte computandam? Certè longè est morte terribilior: si gloriæ tuæ, quod passim Principibus euenit, superstes viuis, longè sæuius moreris, quàm si extremum halitum afflares. Ruit Populorum facilè Princeps, Populus Israël: de quo proinde Oseas: *Deuoratus est Israel: nunc factus est in nationibus, quasi vas immundum.* Cap. 8. vers. 8. Obscura verba: si enim deuoratus est, id est, ad internecionem vsque deletus: vnde tanquam peripsema, & vas immundum postea haberi potuit? Si vero occisi, & ore gladij quidam deuorati ab Assyriis: alij verò in vilissima obsequia sub captiuitate reseruati: cur priùs, quòd funestius videbatur, mors scilicet exponitur, deinde minus captiuitatis malum exhibetur: cum intentandis minis, aut pœnis exponendis, contrarius ordo aptior sit omnino? Planè optimus idem ordo hîc seruatur: durioris enim pœnæ est his, superstites gloriæ suæ perdurasse ad ludibrium: quàm illis occubuisse, sub ipsâ Patriæ ruinâ sepeliendis. Ruffinus Pius ad hunc locum. *Superficies quidem sententiarum resultat, sed quantum ad sensum respicit, explanantur præmissa, subiectis: quid enim deuoratum appellasset, ostendit, id est, cuius omne robur fuerit exhaustum, & qui facilè possit internecione consumi, si hoc quoque posceret ira dominantium. Porrò illi, addendis contumeliis, quod minus sæuiere, compensant, & ideo non interimunt vniuersos, vt habeant quos semper exhorreant: atque inuidisse magis solatia mortis, quàm vitæ beneficia contulisse videantur: haud enim miseros fruenda luci, sed ferendo seruare despectui. Ideo ait, factus est Israel in nationibus quasi vas immundum.* Consimile pathos in vtráque pagina passim excitatur: dedi pauca suprà Not. 13. Hæc satis vt Princeps prudens, mortis memoriam habeat familiarem, (vnde vitæ negotiis, & officio suo incumbat diligentior) stolidissimus enim fuerit, quisquis cum Baltasare vitam mortuam, & sæpè morte peiorem ducens; vt fruatur delitiis, remotam semper mortem imaginatur.

Omni morte durius est, si tibi gloriæque tuæ superstes viuas.

Oseas 8. 8.

Ruffin. Pius.

Et aliorum ludibrio expositi.

IV.

Pœnitentiam Princeps non differat.

Nihil funestius, mortalis vitæ conditio ignorata, attulit, Baltasari, quàm quod sub vana longioris temporis, spe, dimisit impœnitentem: nihil tibi exposita, mi Princeps afferet vtilius, quàm si minimè dilatandam agnoueris Pœnitentiam. Miserrima est vitæ huius breuissimæ, incertissimæque conditio; quæ tamen interim id optimum inuoluit, vt semper non stultos moneat, sibi præcauere: neque salutem æternam, id est, summi ponderis negotium, ad momenta sic fallacia reducere. Monet, ne fortè ad stateram vocatus, tunc cum Baltasare, inuentus sis *minus habens*, quando, plus aliquid habendo, tempus subtrahatur. Est ergo præsentis Instituti nostri, hoc fragilis conditionis humanæ periculum aut monitum, paucis saltem illustrare: nam, quod ab eadem, prudentibus pium est monitum; durum, stultis periculum adornat. Præcedat gnome illa prudentissima Regis Salomonis: *Ne dicas amico tuo, vade & reuertere, cras dabo tibi, cum statim possis dare.* Prouerb. 3. vers. 28. ferè idem habetur 953.

Pœnitentia non differenda.

Prou. 3. 28.

betur in Sixtianis, nisi quod præterea sententiæ hoc additur: *Non enim scis, quid pariat sequens dies.* Equidem nescis, an qui vocatus hodie, ab amico Numine, obsurduisti, cras spernaris, & inuicem tibi vocanti obsurdescat. O quid non passus hinc, impius Rex Antiochus, cuius preces legisti cum stupore 2. Machab. cap. 9. & tamen addit Textus: *Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus.* v. 13. Hæc enim solet esse humanæ conditionis maxima miseria, vt cùm velit, sæpe non possit, quæ quando potuit, noluit resipiscere. Grauiter Eusebius Gallicanus, Homil. de B Latrone. *Stultissimum est, vt causa, quâ de necessitatibus agitur æternis, mutabilitatibus vitæ deficientis committatur extremis. Odibile est apud Deum, quando homo sub fiducia pœnitentiæ, liberiùs peccat. Credite charissimi, difficile est, vt callida simulatio ordinandæ consummationis, obtinere digna sit facultatem: apud illum Cordis interpretem, ars non admittitur ad salutem.* Quia certè fallacissima discitur & docetur.

Sixtiana.
2. Mach. 9. 13
Euseb. Gall.
Sub prætextu diuinæ misericordiæ peccare, Deo odibile.

954. At quidem, inquis, sic pius solet esse Christus vt etiam his talibus, arcana salutis auxilia non subtrahat: Bene est: vnde tamen efficacia hæc futura speraueris? Paratus sit docendo Christus, sed quâ arte, te discendo dispositum præsumes? prudenter Seneca Epist. 19. contra eos, qui se se fortunæ rebus immiscent, & ibidem statûs mutationem & animi suspirant quietem, sic scribit: *Quid enim ad rem pertinet, an tu quiescere velis? tua fortuna non finit:* aptiùs ad negotium hoc nostrum, verba deducas: quid tunc si nouus Antiochus, fatuarum virginum instar, quasi conuerti velles, tunc rogaueris? fortuna tua, & inolita regalium delitiarum consuetudo, delusâ sufficientiâ auxilij, non te sinet perfectæ Pœnitentiæ respondere; ecquam artem reddendis efficacibus auxiliis, præterquam diuinam Misericordiam, tunc fortè duram, poteris inuenire? Iam in Inferno erat auarus ille Princeps, quando rogabat, vt saltem ad fratres suos prædicaturus Lazarus mitteretur: Luc. 16. v. 27 Sed quàm ridiculus! bene D. Antonius de Padua, Dom. 1. Post Trinit. serm. 2. *Seruus iste Diues, Magister incipit esse: cum iam nec discendi tempus habet, nec docendi.* Tu ergo, quem inueteratæ culpæ, si non dum in Inferno, saltem ad Inferni portas collocârunt: quid iam serus fallacissima hac arte vti paras, quâ tunc nihil vtile disces, nihil docebis sanum?

Quàm difficilis his talibus vera pœnitentia: & cur.
Seneca.
Luc. 16 v. 27
D. Ant. de Pad

955. Quid ergo non trepidas, inscius an Deus, cum quo semper, de temporis mensurâ dissentiens contendisti, (dum ipse vitam totam, breuem horam, tu singulas vitæ horas, sæcula non finienda iudicabas) vltimam horam, tibi destinet saluti congruentem? quauis sonorâ tubâ clariùs, parietis scripturâ, Danielis interpretatione, vocatus est Baltasar: & tamen perit impœnitens, quia auxilij donatus sufficientiâ, dum rem differt, indignus efficaciâ reputatur. Iubet vt suprà dicebam honoribus & præmiis Prophetam decorari, Dan. 5. cap. v. 29. Nec vlteriùs sub tam districtis minis conturbatur. & vnde stolidissima hebetudo? Respondet ibi iterum Hieron. *Dum Dei Prophetam honorat, sperat se veniam consecuturum.* Sic eludit infaustus vocationis vim: & delusor olim temporis, extremæ etiam horæ, cæcus impingit. O quoties ægrotantes Principes, mandatis Missarum Sacris, honorato muneribus templo, sparsis eleemosynis, indictis publicationibus, iam vitæ veniam putant redimendam, vt interim syncere pœnitentiæ dissimulent! Optima ista sunt, & necessaria: non tamen satis: imò qui præsumptiue illis tantummodò absque cordis pœnitentia, putant innitendum, & mortis timore, vrgentéque morbo vocati, obsurdescunt, iustâ pœnâ Baltasari adnumerantur: & qui totum tempus luserant, vltima tandem horâ illuduntur.

Sæpe, eò vsque dilata pœnitentia, moribundus eluditur.
Dan. 5. v. 29.
D Hieron.
Quæ nõ aliorum precibus, sed tua conuersione stat

Sed hæc est extrema dementia, quòd ad extremam horam redigas qualem qualem Pœnitentiam, quasi totum tempus, vt monito primo dicebam ex Galfrido, non vnius horæ spatio concludatur. Clarè Apostolus: *Hoc scientes tempus, quia hora est, nos iam de somno surgere.* Rom. 13. v. 11. quasi dicat, nóstis tempus, quia totum, hora est, & hora surgendi. Fallitur ergo qui tempus in pluras horas diuidit, qui tempus humanum agnoscunt, horam esse fatentur: vt quemadmodum is, cui summi negotio ponderis agendo, hora vna conceditur, totus anxius illi incumbit, frustrandus aliter: sic quibus horula conceditur ad pœnitentiam, perituri dilationibus implicantur. Galfridus iterum ad hunc locum. *Horam dicens, innuit breuem moram: & sic omnem dilationis amputat occasionem.* Esto tamen: diuide tempus in plures horas: prudenter ne, negotiotiorum maximo, vltimam solùm horam destinaueris? pudeat audire Ethnicum Senecam, Epist. 1. de tempore redimendo. *Sera parcimonia in fundo est: non enim tantum minimum in imo, sed etiam pessimum est.* Nolebat Philosophus, vt temporis ineptiis impensi, pars vltima, studio virtutis reseruaretur: vtpote quæ tanquam ab imo exhausti prodigè aliunde vasis, non solùm minima, sed etiam pessima solet fluere, & mixtis fęcibus stillare. Quàm ergo stultus speres Numen, à quo tibi, & maxima & optima concessa, minimo & pessimo tuo, contentum fore? 956.

Rom 13. 11.
Extrema dementia est, ad extremã horam redigere pœnitentiam.
Galfridus.
Seneca.

Tetrici fortè, atque duri ingenij me habeas monitorem: abi hinc, inquis, tristium nuntiator: malo stare Ezechieli diuinitus intonanti: *Iniquitas impij non nocebit ei, in quacunque die conuersus fuerit ab impietate suâ.* cap. 33. v. 12. malo adhærere ei, venerabilis Hugonis Victorini explicationi, qui vertens in Syl. Allegor. *Quacunque horâ peccator ingemuerit saluus erit:* deinde sic subiungit. *Non dixit biduò aut biennio ante mortem si ingemuerit, sed quacunque horâ ingemuerit Noli ergo ponere tempus misericordiæ Dei, ne fortè iudicium tuum tibi aduersetur: noli ponere legem, quæ tibi non expedit: peccator es, ama misericordiam, quia si non amas, non mereris.* At ego, mi Princeps, peccator sum, & amo misericordiam: Ezechielis verba, æternæ scilicet veritatis, adoro: sanctissimi Hugonis commentarium, tanti, quanti tu facio. Sed quid hæc, contra me, infaustum quem vocas nuntiatorem? in quacunque hora ingemueris, saluus eris: ratum fixum id esto: sed vnde colligis, in quacunque horâ, & maximè in illâ extremâ, fælices tibi hos gemitus concedendos? lachrymas diu terrenis vanitatibus effudisti, è fundo iam paruas & pene fæculentas Deo propinas: vnde nôsti, has tanquam veri cordis gemitus, gratas Iudici? non vtcunque lachrymæ & gemitus, Principem reum saluant, (recole Antiochum) sed lachrymæ & gemitus Pœnitentis: donum Dei maximum hoc est, non 957.

Ezechiel. 33. Vers. 12.
Hugo Vict.
Vera pœnitentia, semper accipitur à Deo.

ars

ars peccatoris : vnde præsumis, tunc tibi infallibiliter tribuendum ? Sed tuus tibi monitor accedat citatus Hugo, qui si rectè meministi, sic progreditur.

Hugo cit. *An vero extrema vora pœnitentia sit vera, hoc opus, hic labor.*

Non tamen sub hâc spe, tibi securè peccandum est : nam quamuis in fine si pœnitueris, tibi venia promittitur : tamen quod tu sive verè pœnitebis, non promittitur, valde siquidem difficile, vt vera sit pœnitentia, quæ tàm sera venit. Quando enim cruciatus membra ligat, & dolor sensum opprimit, vix homo aliquid cogitare potest. Ergo si vis esse securus, age pœnitentiam, dum sanus es : dum mens tibi vacare potest, exerce illam opere suo. Valde suspecta debet esse pœnitentia, quæ coacta esse videtur : facile est, vt homo se, quod posse non datur, velle putet. Facile quidem, qui iam peccare non potest, velle se non peccare, sibi mentitur, vt vmbratili pœnitentiâ, quasi syncerus doluerit, decedat.

958. *Pœnitentia difficultas, in illa vora, aliena pondo ratur.*

Iustè igitur gemitus iste sanctus tibi negabitur: qui spiritus diuini, qui cælestis columbæ pro te gementis vocem, tamdiu spreuisti. Raucus erit gemitus tuus, nec audiendus: qui diuinos Christi clamores, vsque ad raucedinem te vocantis, non audisti. Hinc prudentissimus ille Rex, quem sceleris commissi, tam opportuno tempore pœnituit, sic Christum inducit alloquentem : *Laboraui clamans : raucæ factæ sunt fauces meæ.* Ps. 68. vers. 4. quo nihil, diuini vocatoris pietati commendandæ, teneriùs dici potuit. Illud tamen in hoc loco adhuc formidolosius: quòd post diutinos clamores dicatur Christus raucescere ad extremum : qui enim sub longâ vitâ sonore tibi inclamantem non audîsti, quomodò iam raucum audire poteris ? Sanus clarissimis inspirationibus obsurduisti, ægritudinis vi iam penè surdastro corde, quomodò raucescentibus non obsurdescas ? Toto tibi antecedente tempore inclamauit Christus, & tu elongâsti fugiens : iam in morte ab illo longissimus, etiam vehementissimos clamores vix perciperes : quid, raucescentis iam, murmura intelligas ? Benè Hugo Cardinalis ibi, de Iudæis locutus. *Raucus factus fuisse dicitur, eò quod ipsum non intellexerunt Iudæi : qui longè erant ab eo, non loco, sed voto : non corpore, sed corde.* Meritò proinde, qui per totam vitam, corde à Christo elongatur, iam illum, in morte, raucum non intelligit : idque iusto affectus supplicio, vt qui potens noluisti ; iam vtcunque volens, non possis audire. Grauissima sunt in hanc rem verba D. Cæsarei Arelat. Homil. 13. *Cùm multos nouerimus, dum sani essent, frequenter dixisse, pœnitentiam se toto corde desiderare: sed tamen, quia illam statim agere noluerunt, sine ipsius remedio, de hoc sæculo recesserunt. Percutitur enim etiam hâc animaduersione Peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui viuus oblitus est Dei : nam qui remedium animæ suæ, quando potuit, noluit quærere : postea etiam si velit, dubium est, an mereatur accipere.* Periculosè enim contendis, mortem Iustorum mori, qui eorundem vitam viuere contempsisti.

Ps. 68. 4. — Hug. Card — D. Cæs. Arel.

* * *

V.

Iniqui, aut Iusti Principis vita, eiusdem mortem indicat, vt plurimùm.

959. *Vita, mortis est index.*

ET quidem nihil mirum : est enim hoc, humanæ conditioni, ferè insitum, vt quorumvis vita, eorumdem mortis, Index habeatur : nec temerè huius sors, ab illius sit moribus, auguranda : Portendebat immanissima Baltasaris vita, mortem immanissimam : nec fefellit portentum: durè surdus vixerat, & durissimè perit obsurdescens. Hinc illud, quod de Tyranno Antiocho post multa 2. Machab. 9. habet Sacer Textus : *Igitur homicida & blasphemus, pessimè percussus, vt ipse alios tractauerat, peregrè in montibus, miserabili obitu, vitâ functus est.* Vers. 29. Quis finis, si aperta in id exempla conquiramus? Subdo ergo aliqua, quæ occultioris doctrinæ aliquid important. Fugit tandem post prælium infaustum, infaustior Princeps Absalon : *Cùmque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum, & magnam, adhæsit caput eius quercui : & illo suspenso inter cælum, & terram, mulus cui insederat, pertransiuit.* 2. Reg. 18. vers. 9. Nouum planè mortis genus, nullum tamen aptiùs Principi scelerato : hanc mortem, tota eius vita portendebat. Quid ita ? Vixerat superbissimus : & penè acrius eleuato corde, in mirabilibus super seipsum ambulârat : perit igitur cæli terræque medius in aëre : vtrinque scilicet eiectus, qui viuens vtrique fuerat exosus. Maius aliquid inculcat D. Chrysost. tom. 1. serm. de Absal. Vbi ita. *Quamuis contra te dimicet cælum, moueatur terra, exercitus pugnet : tamen aliud te, ignotum & inopinatum sperat bellum, quod fugientem excipiat, properantem interimat, festinantem occidat, &c. Adest arbor, quæ nec Patrem, vt tibi parcatur, audiuit : & iussa Dei, instanter implere contendit, &c. Paratus properè festinat ad arborem, cui est traditus ; & ictu violentio immissus, animali subducto, & super campos elapso, inseritur ramis, obligatur lignis, transfixo gutture colligatus : pendens iam mortuus ab hominibus inuenitur : quem iam nec cælum potuit conspicere viuum : nec terra vlteriùs sustinere.* Aliquid ingerit S. Doctor, quod minùs latinæ versioni potest conuenire, pulchrè tamen, & textui nostro commodè, illud de arbore inseruit. Aurita ergo diuino præcepto arbor redditur, quæ surda paternis Dauidis precibus consistebat : vt mortis pœnam, vitæ culpa notetur prænuntiâsse : quâ nimirum impius adolescens, hinc monitis paternis obsurduerat, inde sceleratis Achitophel, & adulatorum consiliis audiendis, veras Midæ aures, visus assumpsisse.

2. Mach. 9. — 2. Reg. 18. 9. — D. Chrysost. — *Peccator superbus, cælo terræque exosus.*

Sed ad huc signatius est, quod additur paulò 960.
post: *Tulerunt Absalon, & proiecerunt eum in saltu, in foueam grandem ; & comportauerunt super eum, aceruum lapidum magnum nimis.* v. 17. In summo militum furore, in districtissimâ Ducis Ioab irâ, spectares miserum cadauer, in mille partes breuiter, subitariis ictibus, discerpendum: aut saltem proiiciendum temerè, vt sub brutorum visceribus sepeliretur : vtrumvis sanè æstuanti vindi

2. Reg. 18. 17.

Vita dura, durior morti destinatur.

vindicantium stomacho, paratius videbatur. Vnde ergo tam morosa lapidatio, & aceruì prolixa congeries, quæ feruentibus aliunde animis minùs opportuna? Nimirum id maximè perditissima olim vita Principis præsagiebat: ideo quasi arcano motu impulsi milites, non tam parcunt furori rapido, quàm deseruiunt mysterio. In id miseriarum redactus fuerat Dauid, vt etiam inimici alienissimi, saxea corda, emollire potuisset: interim tamen coniunctissimus filius vndique lapidescens sic obriguerat, vt noua & noua damna sanctissimo Parenti cumularet: bene ergo in foueam proiicitur, quasi fundamentalis petra, cæterisque in aceruum congerendis durior & petrosior: ne vita saxea, quasi frustrati augurij, in consimilem mortem, posset argui. D.Rabbanus Maurus, post alia de Iudaico Populo ibi allegorizato, sic concludit: *Super quem aceruus lapidum congeruur, dum duritia mentis exprobratur.* Tegendo igitur mortuo immensa coaceruatorum lapidum durities aggeritur, quem viuum nimia mentis durities aggrauarat: rigidus vixerat, moritur rigidior: & obstinato animo, tanquam certissimo indici, immanis lapidum stupor correspondet.

D.Rab.Maur.

961. Iam desperatus Iudas, infaustissimus ab Apostolico throno Princeps ruiturus: *Proiectis argenteis in Templo recessit: & abiens, laqueo se suspendit.* Matth.27.v.5. Potuit ne perfida illa vita manifestiùs, augurij dati, exhibiti indicis significationem, in morte adimplere? Quid ita, inquis? Nimirum Idololatra pecuniarum vixerat Iudas: verè Idololatra, qui è cordis sui loco familiarissimum sibi Numen amonebat, vt ibidem auaritiæ suæ loculos collocaret: verè Idololatra, qui sub intimâ ipsiusmet Dei societate, huius spretâ gratiâ, auaritiæ studia percolebat: destinatâ ergo iam sibi morte, priùs abit, pecunias in Templo proiecturus: scilicet vt in aperto talis moreretur, qualis vixerat: & qui viuens, secretas sub corde, aras numis erexerat; moriens, manifesta eisdem templa dedicaret. Hoc etiam voluit tritum illud Drogonis Ostiens. acumen, denuò semper grauidum, lib. de Sacr.Dom. Pas. *Retulit triginta argenteos, & proiecit in Templo. Vide quàm magni faciebat illos: non proiecit eos in sterquilinio, sed in Templo: nimirum talibus semper Dijs, Templum suum deuouerat.* Qui enim semper id fecerat, dum vixit, etiam quando moritur, vt vitæ mors respondeat, idem facit. Inde est, vt qui furens, & ipsâ pœnitentiâ suâ impatiens, celerrimum aliquod mortis genus electurus videbatur, morosius quæsitâ trabe, parato fune, arripit suspendium: scilicet suspensus vixerat, infaustissimus. Quid enim in suspenso reo cernis, nisi corpus in aere mobile, saltantes oculos, linguam fœdè emissam? volitat certè per aera auarus lucrum quæsiturus: emissitiis oculis attendit rapinæ: & defatigatus labore corradendi, adhuc sitiens plura, linguam proiicit: iam ergo pridem auarus Iudas, misero suspendio vixerat strangulatus: quid ni ergo suspendij mortem, vita hæc afferret? citatus Drogo: *Iam diu, quod à Christo recesserat, & auaritiæ laqueo se suspenderat: sed quod fecerat in occulto; palam omnibus innotuit.* Sic fungitur moriens, quo viuens functus fuerat: neque mendax indicium reperitur.

Matth.27.5.

Qualis quis in occulto vixit, talis in aperto moritur.

Drogo Ost.

Auari vita, mors est.

Drogo.

962. Emphaticè proinde Rex Dauid Iustus; impiis Principibus, & opulentis iniquè intendit has minas: *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Psalm. 75.v.6. bene *suus* dicitur somnus, sine sua mors: quia scilicet illorum vigiliis, illorum vitæ debitus: bene *suus*, quia quodammodò necessariò illos sequitur: bene *suus*, quia talis est, vt Iustis semper alienus, nunquam proprius intelligatur. D.Ambros. lib. de Naboth, cap.15. post multa de auaro Rege Achab, & huic similibus, sic concludit. *In huiusmodi affectu dicimus, quod vir diuitiarum sit, non diuitia viri: intellectus enim bonus, vtentibus eo: qui autem non intelligit, is vtique, intellectus sibi gratiam non potest vindicare: & ideo somno temulentiæ consopitus obdormit. Huiusmodi igitur viri somnum suum obdormiunt; & qui somnum Christi non dormiunt, non habent Christi quietem, non surgunt Christi resurrectione: quia ipse ait: ego dormiui, & quieui, & resurrexi quia Dominus suscepit me.* Seruit itaque auarus Princeps, cum Achab, opibus suis, non seruitur ab illis: & qui ebriæ cuiusdam amentiæ sopitur somno, dum viuit, similem quando moritur, somnum init: resurrectionis immortalis immemor, frænatâ mente degit; & gloriosæ resurrectionis expers decedit: meritò similem somnum moriens recipit, quem sibi viuens, diu conciliârat: et, licèt homo, iumentorum tamen instar moriatur, qui velut iumentum, cui non est intellectus, vixit stolidissimè.

Psal.75. v.

D. Ambros.

Quasi temulentus, dormit auarus; ideo consimilis mortis somno excipitur.

Quàm aliter expirant Iusti Principes. Scilicet longè aliam vitam spirârant. Hinc Rex Propheta, quasi sibi ipsi canorus & faustus cygnus parentaret: *Adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua.* Psalm.62.v.9. Quid enim? dicat aliquis, priùs se adhærentem Deo prædicat, quàm susceptum? cùm potiùs ideo quis videatur Deo adhærens, quia piè suscipitur. At in re de quâ agimus, prudentissimè verba composuit Princeps optimus. Vnde Saluianus lib.2. ad Eccles.Cathol. *Non est dubium, quòd quemadmodum quis in hoc sæculo, Christo adhæserit, ita in Christi corpore permanebit, secundùm illud Psalmi: adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua. Quo declaratur, quòd eam tantùm animam, quæ Deo adhæserit in hoc sæculo, dextera Dei suscipit & in futuro.* Poterit quidem euenire, sed certè euenit rarissimò, vt qui viuens diu dæmoni adhæsisti, eidem cruciandus, moriens non tradaris. Vt enim, quod voluit Saluianus, non est dubium impœnitentem finaliter damnari: sic è contra satis dubium est, an diuturnâ vitâ impœnitens, in Morte pœnitentiam consequaris: illiúsque indicium illudatur. Grauiter Tertullianus lib de Spect.cap.28. contra Christianos deditos voluptatibus. *Dicas velim, non possumus viuere sine voluptate, qui mori cum voluptate debebimus? Nam quod est aliud votum nostrum, quàm quòd Apostoli exire de sæculo, & recipi apud Dominum? hic voluptas, vbi & votū.* Pulchra gnome, quasi dicat: Mors Christiano voluptatem importet necesse est: ideo enim Paulus dissolui cupiebat, & esse cum Christo: quod enim ardenter expetitur, hilariter excipitur. Quomodo ergo vitæ voluptatibus, & sine illis, viuere te posse negas? qui dum illis indulges, voluptatem solidam & sanctam in morte non poteris inuenire: non itaque voluptatē optas Mortis, qui vitæ voluptatibus teneris: amarā proinde & infaustam tibi mortē auguraris, quæ infaustæ sub turpibus delitiis vitę correspondeat. 963.

Psal.62.9. Mortuus adhæret Deo, qui adhæserat viuus.

Saluianus.

Tertul. Voluptates vitæ tristem mortem afferunt.

964. Sed immoremur paululum in Apostolorum Principe, citato Paulo. Inhiabat ille martyrio, eòque votiua desideria intendebat, vnde Christo suo suauissimè frui sperabat: Sed ecce cùm ad portas, imò ad manum fœlicissima occasio moriendi; instantibus scilicet insidiis Iudæorum: Cæsarem appellat, Act. 25. vers. 10. & Romam trahendus mortem, in tempus longius, dilatat. Tepuit-ne desiderio? temerauit votum? moriendi voluptatem fastidiuit? absit. Quid ergo mortem detinet, qui morti aduolat? illa Pauli vita solummodò mortem quandam Romæ ineundam præsagiebat. Erat vrbs illa Orbis Caput, Prouinciarum Regina, mater Triumphorum laureata: vbi proinde celeberrimus Paulo de Idololatria debebatur triumphus: eò ergo vsque, cælesti monito dilatat Martyrium Apostolus, quia victrici tot palmarum vitæ, necessariò mors quædam triumphatrix erat responsura. D. Maximus, serm. in die Apost. *Factum est, vt gloriosissimum Paulum, qui in diuersis gentibus, pro fide Christi, multa certamina dimicando, innumera bella peregerat: veluti victorem Mundi, Roma susciperet ad Triumphum.* Assuesce tu saltem mi Princeps, victoriis vitiorum, studeat his certaminibus vita victrix, sic faustissimum triumphatricis cuiusdam mortis indicium datura: facilè enim assuetam laureis vitam, mors similiter excipit laureata.

Act. 25. 9.

Triumphanti vitæ, triumphalis mors respondet.

D. Max.

965. Saltat apud Herodem turpissima puella, regia Mima, fœdissimi lucaris loco, pretiosissimum Baptistæ caput exactura: vide tamen quî petat: *Da mihi in disco caput Ioannis Baptistæ.* Mat. 14. vers. 8. Et quidem exosum caput, in cuspidata lancea gestare mallet: & tamen in gemmatâ, è regali abaco, lance, interiori vi cogitur asportare. Quid ita? fuerat Baptista, dum vixit, lucerna lucens, & ardens: nec poterat in morte, inextinguibiles radios non iaculari: Viliter occiditur, sed geritur pretiosè: illuminando vixerat; & quasi ab aureo candelabro, illuminat moriendo: damnârat viuus incestuosum Principem, & mortuus iam condemnat homicidam: semper sibi similis, nisi quòd moriens, è gloriosiori Tribunali iudicâsse visus. D. Petrus Chrysol. serm. 174. *Ferculum crudelitatis suæ, toto ore, totis faucibus contendit & conatur absorbere: sed Ioannes venit in sublimi positus, vt lucerna super candelabrum tenebras fugaret, dicente Domino, ille erat lucerna ardens & lucens. Venit Ioannes vt Iudex, in Tribunali resplendens; vt qui arguit adulterum, exponeret & damnaret homicidam: & qui piè, viuens incestum vocarat ad pœnitentiam, reseruârat ad veniam, homicidium etiam damnaret occisus.* Fuit igitur magna illa vita, tantæ mortis Index, præsagium certissimum: sicut è contra Herodis vita, satis infaustissimam eiusdem mortem, quam alibi exposui portendebat. Exclamat ergo meritò Galfrid. ad Cap. 16. Luc. de obitu mendici Lazari, & Principis Epulonis, ad rem nostram: *Omnes in sinu Abrahæ foueri cum Lazaro magis optamus, quam in illis gehennalibus flammis, cum Diuite sepeliri: & væ miseris! volumus ire, quò volumus peruenire: sed vix aliquis, quem non libeat ire; quò peruenire, nemo quem libeat.* Sunt pulchra verba. Nemo vsquam peruenit aliquò, ni eò iturus se accingat: nos cupimus in morte, ad cæli requiem peruenire, quò ire, per vitæ sanctimoniam, negligimus: & qui viuentes sub carnis voluptatibus, ire in Tartara satagimus; eò peruenire morientes, formidamus. Sed quàm delusi! eò, in morte, peruenitur, quò itur in vita: eò peruenit Lazarus, quò ibat per virtutes spirans: eò per vitia ibat Princeps delicatus, quò peruenit expirans. Suæ singulorum vitæ, mors sua respondebit.

Mat. 14. 8.

Gloriosa vitæ gesta, mortem illustrem perinde comitantur.

D. Chrysol.

Luc. 16.

Galfrid.

Non eò adibu in ituus: quò iiuus non isti.

966. Delusis tamen istis vnicum est effugium, Beatus ille latro, cui tarda pœnitentia, secura fuit: nec certa optimæ mortis augur, vita pessima. Sed pulcherrimum hoc diuinæ Misericordiæ monstrum, & de sanguinis Dominici tunc feruescentis, augustissima dimanans pietate, malè & sacrilegè in obstinandæ iniquitatis fomentum adhibetur. Quin, nec etiam ad illorum rem est, qui sæpè à Christo vocati, in mortem vsque durati obsurdescunt. Nescio an quis Doctorum suauius aut elegantius, latronis huius salutem, Agni medici pietatem, expenderit, quàm Eusebius Gallicanus, doctissimâ illa eiusdem Homiliâ: qui tamen post illa, quæ suprà dedi Numer. 954. sic concludit. *Ille, de quo locuti sumus, B. Latro, nec remedia status sui, in momenta vltima, infelici fraude posuit: nec redemptionis suæ spem, in desperationis nouissimum reseruauit. Nec Religionem ante, nec Christum sciuit: quod si sciisset, fuisset forsitan inter Apostolos non postremus numero, qui prior est factus in Regno. Ergo etiam ex hoc, in extremo placuit Deo; quia ad consequendam fidem, non fuit extrema hora illa, sed prima.* Quasi ni ita foret, etiam in isto, malæ vitæ, mors peior responderet. Quò ergo iam veniet miser Princeps, distentor, cum Baltasare, Pœnitentiæ: quem neque latronis huius exemplum tueri potest?

Etiam in B. Latrone, mors vitæ correspondit. quia, non fuit illa, pœnitenti, postrema, sed prima iura.

VI.

Sub tam augustæ opulentiæ Fortunâ, solum sepulchrum, & illud angustissimè, Princeps possidet.

CVm inter anxias mortalis vitæ, & humanæ conditionis, curas, illa non exigua numeretur, quâ nobis, post obitum sepulchra procuramus: (vnde Plinius in Prologo libri septimi, Hominis miserias enumerans, *sepulturæ curam aggregauit*) licèt fusius Textus noster, miserrimum Baltasaris sepulchrum in sequentibus proponat: operæ nihilominus duxi pretium, reseruatis eò, quæ literæ faciant, pauca quæ mores formant, huc congerere: cùm, quia descriptis, vitæ mortisque humanæ calamitatibus, aptiùs sepulturæ conditio connectitur: tùm etiam, quia præcedens Textus, suo nos hinc iure abire non permittit, qui stratas Baltasari sepulto tineas, & operientes vermes iam præmisit. Nihil mortali Principi sub tanto Potentiæ fastu, in tanta Prouinciarum opulentia, proprium habetur, quasi arctissimo iure possessum, nisi sepulchrum: cætera omnia quasi commodata habet, hoc vnum hæreditariæ mortis titulo comparat retinendum. Iam in regiam potentiam, Reges proinde edituros deuenerat Abraham: cùm defuncta Sara sua, sic ad Hethæos Ciues: *Aduena sum & Peregrinus apud vos: date mihi Ius sepulchri apud vos,* 967.

Mortalibus nihil iure proprium habetur, nisi sepulchrum.

Gen.23.4. *vos, vt sepeliam mortuum meum.* Genes. 23. v.4. Nec vtcunque sepulchrum petit, sed illud duplici speluncâ parandum vers. 9. quo ipse, cum Sara sua postea conderetur: vbi benè D. Thomas

D.Thom. Aquinas, iam alibi à me adductus: *Nota, quòd non petit sepulchrum, sed ius sepulchri: quia volebat ibi dominium habere: ne amodò, de communi iure posset sibi auferri.* Id mirandum, quod cùm sanctissimus Princeps, iam totam illam Prouinciam, à Deo sibi suisque Promissionis iure comparâsset: & adhuc tamen aduenam se & peregrinum ibidem recognoscat: nihilominus ius fixum in sepulchro habere sic contendat. Si quidquid terrarum est, locum peregrinationis reputas, prudentissimè Patriarcha, dum in cælestem Patriam suspiras, dum futuram inquiris, & è longè salutas mansionem, cur tantopere sepulchralis terræ, stabili iuri inhias? Quia nouerat æquo Principi, cætera omnia quasi hospiti, & peregrino commodata esse: solùm verò sepulchrum, (animâ in Patriam redeunte) arctissimo mortis titulo, corpori corruptibili deberi. Allu-

Honcala. cet aliquid ibi Honcala, dum verba sic paraphrazat: *Date mihi Ius sepulchri, id est possessionem, & legitimam hæreditatem: vt non modò tanquam peregrinus, sed etiam velut incola vobiscum habitans, atque sedens, inter sepulchra vestra, in loco nobili, velut ciuili quodam iure mihi proprio, sepeliam mortuum meum.* Quasi licèt in cæteris peregrinus vellet haberi: ciuico tamen & ciuili iure, fixum sepulchri domicilium, mortis debitor, debitum sibi nouerit.

968. Hinc est, quòd cum Hethæi Principes liberalissimè duplicem illam speluncam offerrent gratis, amico Patriarchæ: iste piè contumax, non

Gen.23.13. *Hac vna possessione arctissimo vinculo, nobis comparanda.*

nisi soluto pretio (*dabo pecuniam pro agro* v.13.) vellet accipere: nec inde se minùs blandum, & oblatis officiis durum reprehenderet: quia nimirum licet illam Prouinciam, diuini verbi titulo, iam suam esse, probè intelligeret, sed tamen quia id nondum cæteris erat manifestum, volebat firmiori omnium iure, quod scilicet emptione iustâ comparatur, vnitam sepulchri possessionem sibi reddere propriissimam: ne vnquam auferri posset, id quod sibi mortali Principi vnicè

D.Ambr. retinendum destinabat. D. Ambrosius ibi. *Festinauit Abraham pro loco sepulchri pretium soluere, cùm gratis daretur: vt non in alienis locis, sed nostris potiùs, ædificemus tumulos Parentum, vel Proximorum: sæpè enim cum alienationibus possessionum, venales sunt, quæ in eisdem locis sepulturæ habentur.* Cui alia ex Chrysostomo addit

Honcala. D.Thom. citatus Honcala. Maius tamen est, quod habet D.Thomas citatus, quem iam alibi fusiùs expendi. *Valde notabile est, quòd prima terra, quam sibi de iure acquisiuit: imò & prima, quæ in Scriptura empta legitur, fuit sepulchrum, hoc enim de iure, homini lapso competit: nec aliud nobis, hîc est habendum, aut quærendum.* Quàm misera mortalium omnium, ne dum Principum, conditio! quibus quantumuis Lydia opulentia, Persica gaza subsit, aliena semper reputatur: solùmque iure competens, & mortalitatis debitoribus, quasi debitum, sepulchrum retinetur.

969. Et verò *debitum*, vt ex eadem hac historia, subinde constat. Agebat Patriarcha apud He-

Gen.23.15. thæos, quibus Ephron Princeps imperabat, qui semper in Hebræo vers. 8. & deinceps sic vocatur, dum liberaliter de donando gratis sepulchro contendebat: donec tandem vers. 15. *Respondítque Ephron: Domine mi, audi me: terra, quam postulas, quadringentos siclos argenti valet, &c.* Licèt apud nos eodem modo pronuntietur: at in Originali, iam ab eius nomine litera vau ו adimitur: & cur sic decurtato nomine nunc scribitur? Respondet pulchrè D. Hieronymus apud D.Hieron.

Interpr. citat. *In Hebræo, sicut hîc posuimus, primum nomen eius dicitur Ephron; secundum Ephran: postquam enim pretio victus est, vt sepulchrum venderet argento, licet cogente Abraham ו Vau litera, quæ apud illos pro O. legitur, ablata de eius nomine est, & pro Ephron, appellatus est Ephram: significante Scripturâ, non eum fuisse consummatæ perfectæque virtutis, qui potuerit memorias vendere mortuorum. Sciant igitur, qui sepulchra venditant, & non coguntur vt accipiant pretium, sed à nolentibus quoque extorquent, immutari nomen suum, & perire quid, de merito eorum: cùm etiam ille reprehendatur occultè, qui inuitus acceperit.* Neque hæsitet in vocibus nouitius lector, nam *O* in Ephron, vera litera est, *A* vero in Ephran, non litera, sed

Sepulchrum homini, quàm debitum.

punctum sub scriptum est Diminutio ergo nominis, diminutionem famæ & virtutis importat: qui id ausus est vendere, quod iure mortalitatis proprium erat ementis: & quidquid hic contenderet pro dando pretio, vt ius suum, quibusuis denuò posset titulis stabiliret: ille acriùs pro non accipiendo debuerat decertare, ne rem aliunde sic debitam, iniquus vendidisse notaretur. O quàm se mortalem, iustissimus Abraham Princeps agnoscebat, qui solùm sepulchrum, ex omnibus, quæ habere videbatur, suum esse existimans, adhuc tamen nouo emptionis titulo, reddere magis suum satagebat!

Ita est: id solùm verè habet fælicior quisque 970.

Nihil reuera habet, præter sepulchrum.

Princeps, quod vel sepulchri est, vel in sepulchro: ideo fortassè de Lazaro, inter Iudæos Principes non postremo, dixit Ioannes inuentum esse à Christo: *Quatuor dies iam in monumento habentem.* Cap.11. vers.17. Non dixit iacentem, non Ioan.11.17.

locatum, non sepultum in monumento, sed *habentem.* Quasi illos dies propriè videretur habere, quos in sepulchro numerabat. Sicut enim dum quis in hospitio manet, vix videtur vitæ dies computare, quia his tantummodo in domo propria frui sibi videtur: ita etiam, sic fixum domicilium & proprium Palatium, mortali Principi est sepulchrum, vt cæteros dies pertransire, hos in sepulchro verissimè & legitimè habere videatur. Nimirum, *stipendium peccati, mors:* inquit Apostolus: cùm ergo nihil magis cuius debitum, quàm stipendium: nullos dierum magis suos habuit, quàm quos in sepulchro, mortuus Lazarus numerauit. Nihil magis peccatori debitum, nihil magis suum quàm mors: mortis autem iura, sepulchro, & sepulchri fœtore

Nullos dies propriè nostros numeramus quàm quos iacemus in sepulchro

stabiliuntur: vnde pulchrè D. Petrus Chrysol. D.Chrysol.

serm.63. Miraculum Christi suscitantis Lazarum, cum illo alio componens, quo filium viduæ Luc.7. suscitauit: sic scribit. *Suscitauit & vnicum Matris, sed sic vt retineret pheretrum, vt anticiparet sepulchrum, vt corruptionem suspenderet, & præueniret fœtorem: vt ante mortuus vitam redderet, quàm tota mortuus iura mortis intraret. Circa Lazarum verò quod geritur, totum singulare est, &c.*) Quid ergo, annexa morti iura, quæuis scilicet sepulchralia, non tanquam

Luc.7. *Sepulchrum iura mortis stabilit.*

Nn 2 proprio

propria ſua habeat Lazarus, qui Mortem ſibi legitimam, iam amplexabatur?

971. Valida quidem, ſed indidem triſtiſſima, hæc mortalis conditionis Iura apud Principes: & vnde ſatis in mores ſanctiſſimos, & rectiſſimæ Politices exercitium deberent componi: adhuc tamen inde triſtiora, & proinde fugandæ Tyrannidi robuſtiora: quod in tam paruum ſpatium concludantur. O qui latè, per immenſas Prouincias dominaris: qui Orbem adimplere tibi viſus: tota hęc auguſta Maieſtas, non ſolùm in ſepulchrum, ſed etiam anguſtiſſimum illud, redigetur: ædifices quamuis in ſepulchro Pyramides, Obeliſcos erigas, breuiſſimam nihilominus eiuſdem vrnam, iacens occupabis. Sunt plane Cothurni tragici, Carmina illa Senecæ in Oetæo, apud quem Alcumena, magni Herculis collectos cineres, in parua vrnâ geſtans, ſic fatur.

Sepulchrum Auguſti Principis, anguſtum.

Senec. Trag.

Timete ſuperi fata; tam paruus cinis,
Herculeus eſt: huc ille decreuit Gigas.
O quanta, Titan, in nihil, moles abit!
Anilis, heu me! cepit Alcidem, ſinus,
Hic tumulus illi eſt. Ecce vix totam Hercules
Compleuit vrnam. Quàm leue eſt pondus mihi,
Cui totus æther pondus incubuit leue!

Vt qui totius Cæli machinam, humeris ſuſtinuerat, vix grauatus: iam redactus in vrnam, aniles etiam vlnas vix grauaret.

972. Nobiliſſimum, & quendam è Principibus vrbis fuiſſe, Iuuenem illum viduæ filium, quem Saluator ad Naim portas ſuſcitauit, ſatis inde colligitur, quòd pompam eius funebrem, *Turba Ciuitatis multa*, Luc 7. v. 12. honoris ergo componeret. Mouetur pietate Chriſtus, *& acceſſit, & tetigit loculum*: v. 14. Græcè σορῷ non eſt feretrum vnde tollitur cadauer, vt ſepulchro immittatur: ſed Arca ſeu vrna, in qua compoſitum Cadauer ſepelitur nos dicimus, *Ataud*. Sed tu mihi pende, Iuuenem ſplendidiſſimum (talem fuiſſe Interpretes hic obſeruant) cui nuper Ciues adblandirentur, qui non ſolum opulentam Matris domum, ſed ciuitatem totam videbatur implere: non tàm in locum, quàm in *loculum*; non in arcam, ſed in arculam, deductum dici: haberet enim licèt ingens, Iudæorum nobiliorum inſtar, monumentum: at ex toto, breuiſſimum ſolummodò loculum occuparet. Ludolphus Chartus. ibi. *Loculus diminutiuè, eſt mortui locus, in quo iacet: cui enim viuenti, magna Palatia, & ampla domus non ſufficiebant pro loco: iam morienti, vnum ſpatium ſufficit pro loculo. Vnde mortuo Alexandro, dixit quidam Philoſophus: quem totus Mundus non capiebat hodie parua continet arca.* Loculum, adoleſcens noſter, ex ampliſſimo Patrimonio: Arcam, ex totius Orbis dominio defunctus poſſidet Alexander: *Mors ſola fatetur quantula ſint hominum Corpuſcula*: dixit Iuuenal. ſat. 10. vnde de prædicto Alexandro, Babylone expirante ſubditur.

Luc 7. v. 12.

Verſ. 14.

& in toto ſepulchro loculus exiguus.

Ludolphus Chart.

Iuuenal.

Vnus Pelæo Iuueni, non ſufficit Orbis:
Æſtuat infelix anguſto limite Mundi.
Cum tamen a figulis munitam intrauerit vrbē,
Sarcophago contentus erit.

Habet ergo commune hoc, cum quibuſuis è turba, Princeps ſingulariſſimus, vt licet ſub tam diuerſæ pompæ, & operis ſepulchris, ſub pari tamen, id eſt exiguo ſpatio, corpuſculum concludat, & anguſtiſſimo Sarcophago contentus degat. Exclamat proinde, meritò D. Zeno Veron. ſerm. 1. de Auaritia. *O cæca mens hominum, quam varie, vnam tamen contendit in mortem! Pauper cum opes infeliciter quærit, quas feliciter non habet: Diues, cum diuitias putat ſe non habere, quas habet: in vno nititur auaritia, bacchatur in alio: in vtraque creſcit, in vtroque non deſinit: verum tamen eos vno momento, exigua humus peræquat, & ſatiat: quod cum tota ambitione ſuâ non poteſt aurum.* Exigua humus eſt, quæ Principem opulentiâ gigantem, quæ plebeium mendicitate nanum poteſt contegere.

Diuitem, Pauperem que tegit parua tellus.

D. Zeno, Ver.

VII.

Sepulchri honor, iniquo Principi aut negatus, aut inutiliter permiſſus.

VTcunque autem horribilis, humanæ Conditioni, hæc ſepulchri miſeria incumbat: 973.
aliquid tamen honoris, defunctis, & viuis ſolatij aliquid importat. Pretioſum eſt, ſub ipſa grandinantis Mortis calamitate, quale quale hóc decoris, & leuaminis germen non periiſſe. Abrahæ ſui fidem probaturus Deus, mandatorum duriſſimum ſic diſtringit: *Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Iſaac: & vade in terrā viſionis, atque ibi offeres eum, in holocauſtum.* Geneſ 22. v. 2. Tota Patris animoſitas ſtare videbatur, ſi filio, cui vitam dederat, & cuius inuicem ſpiritu reſpirabat, vitam eriperet: totum Dei obſequium, in eo ſitum, quòd tenerrimo amori non parceret Patriarcha, vt Numini deſeruiret. Cur igitur non ſatis habet Deus, ſi filium ſibi in ſacrificium iugulet Abraham, Sed inſuper, (quaſi recreandus foret Holocauſti fumo) poſt necem, victimam ignibus mandandam, præcipit? Scilicet, vt in immenſum creſceret tentatio. Si ſimplici ſacrificio mactandus diceretur Iſaac: deſtinaret iam mente obediens Pater, Iuueni in ſpem tantæ familiæ orto, in ſtirpem tot Regum nutrito delicatiſſimè, regale ſepulchrum: quod in Dei gloriam occiſo, honoris multum: & parenti ſuperſtiti, conſeruatis reliquiis, multum etiam leuaminis exhiberet. Nimiùm ergo quantùm, audito, Holocauſti nomine, creſcebat dolor: vbi non ſolùm non erat caro vnguentis condienda, ſed nec etiam arida ſaltem oſſa conſeruanda. toto ſcilicet combuſto cadauere, in fumum abituro: cui proinde ſepulchrum ſuperuacuum. Oleaſter ibi. *Quid hoc eſt Domine? Si enim me lanium filij facere vis: cur ſepelire non permittis, & ſaltem ſepulchri præſentiâ conſolari? Nihil horum, ſed in fumum carnes abibunt, & oſſa: vt nihil veſtigij, quo conſoleris, relictum tibi ſit.* Quaſi tantum, ex honore præmeditati ſepulchri, ſolatium poſſet capere ſanctiſſimus Senex, vt longè mitiùs, iugulati filij necem eſſet toleraturus.

Solatio & honori, mortuis eſt ſepulchrum.

Geneſ. 22. 2.

Reliquiæ ergo Sanctorum nobis ſolatio ſunt.

Oleaſter.

Creſcit autem, & defuncto honor, & ſolatium 974.
ſuperſtitibus, quo illuſtrius, ſub debitâ modeſtiâ, erigitur monumentum. Ægrotantem Iacobum viſurus, ſuauiſſimè accurrit Ioſeph filius: apud quem, cùm de grauiſſimis rebus diſſereret Senex prudentiſſimus: ſubitò, quaſi aliò diuertens, hæc interſerit. *Mihi enim, quando veniebam de Meſopotamiâ, mortua eſt Rachel, in terra Chanaan, in ipſo itinere, eratque vernum tempus, & ingrediebar*

Sepulchrum quo ſumptuoſius, eo ſolatio & honori maiori eſt.

diebar Ephratam, & sepelini eam iuxta viam, Genes. 48. vers. 8. Nihil in toto capite obscurius, nihil magis vexat Interpretes curiosiores: quàm explicare, vnde, aut è tam alio negotio, in Rachelis mortem, & sepulchrum commemorandum, diuerteret Patriarcha. Ego, prætermissis multis aliis sic putarem. Erat Iosepho filio, tanquam potentiori, & apud Ægyptios Principi, totius familiæ negotia, & sepulchri sui, curam commendaturus: subiit igitur in extremo vitæ, apud filium, quem tunc summopere cupiebat sibi deuinctum & beneuolum, id excusare: vnde Ioseph poterat erga patrem subiratus existimari: quasi dicat: Dum tecum in extremis ago mi Ioseph, vtque te diligo, filios tuos mihi adoptans, Rachelis scilicet meæ nepotes: subiit, ne fortè de matris tuæ minus nobili sepulchro, subiratus degas: habe quæso, me excusatum: crede mihi, fratribus te præponenti, quod matri id honoris, nec tibi, id solatij inuiderem, vt in splendidum patrum nostrorum sepulchrum inferretur: nisi dura necessitas vrgeret, in viâ eramus, tot impedimentis impliciti, neque polincturâ necessaria parati. Instabat ver, & illâ regione tepens, corrumpendo cadaueri satis noxium, restabat non parum itineris: sepeliui ergo quâ potui, non quâ volui. Præiuit in hanc mentem Oleaster, qui ad

Oleaster.

litteram ibi, ita: *Excusat se apud Ioseph, quare matrem eius non sepelierit, in sepulchro patrum suorum, neque in ciuitate, sed in viâ, &c. Vult dicere Iacob se ideo non sepelisse Rachel in Bethleem, neque in sepulchro patrum, sed in viâ, qua distaret adhuc multum ab vrbe Ephratâ: & dispendiosum illi esset, illuc cadauer adducere.* Aliqua his verbis, quæ mihi non probantur, admiscentur: illud certè ad rem nostram certissimum, tanti fecisse Iacob, sepulchri nobilioris honorem & solatium, vt necessarium putaret, apud filium iam Principem excusare, quod Herbina mater, minùs decenter sepulta videretur.

Princeps iniquus sæpe in pœnam prædito sepulcri honore defraudatur.

975. Hinc ergo est, vt iniquis Principibus, id honoris & solatij denegatum, inter maximas pœnas numeretur, quod ex sequentibus minis in Baltasarem fulminatis, fusè patebit. Et quidem meritò, vt qui impiâ Tyrannide aliena quæque rapuerant, sepulchri etiam iacturam patiantur: & qui iam inde miseri, quòd Mortis debitores, in tantâ opulentiâ, solum sepulchrum iure legitimo possiderent: inde notarentur miserrimi, quòd etiam hoc iure spoliati, mortis horrorem subeant, & sepulturæ honore destituantur. Quò possit horum infælicius arrogantia deturbari? Bene ad hos D. Zeno Veronensis serm. de Iuda Patriarcha, *Decernentes sibimetipsos, pro domibus Templa, erigentes aras nomini suo; qui, qua essent habituri sepulchra nescirent; cælum promittentes sibi, quorum actibus, si posset, ipsa quoque erubesceret terra.* Nesciebant certè Imperatores Romani Nero, Domitianus, Heliogabalus, dum sibi Templa & aras apparabant, & postea haberi Numina in cælis satagebant, quibus tandem sepulchris essent inferendi. Scimus tamen nos, in quas cloacas mortui mitterentur: gestis pœnâque, superbissimo Baltasari, diuinitatis impio affectatori adhærentes. Manet itaque etiam Principes maledictio illa, quam contra impios quosque Deus fulminauit: *Sit cadauer tuum in escam, cunctis volatilibus cæli, & bestijs terræ: & non sit, qui abigat*, Deuteronom. 28. v. 26. vbi Oleaster, *Quemadmodum homini morienti solatium est sepultura: ita dispendium esse videtur, quod non sepeliatur; quare Dominus, malis sæpe comminatur, quod eorum cadauera non sepelientur: nonnunquam quòd in sterquilinio iacebunt inhumati, quemadmodum de Sedecia dicit per Ieremiam cap. 22. Sepultura asini, sepultura eius.* Nisi quod Sedeciæ Regi, Iesabeli, alijsque Principibus, qui sibi tam alia sepulchra solent apparare, id longè, quàm vulgatibus hominibus funestius.

Qui tamen sibi templa destinarat.

D. Zen. Ver.

Pœna ista quàm dura.

Deut. 28. 26.

Oleaster.

Abiecto iam in foueam Absalone, aggeritur suprà aceruus lapidum grandis nimis à militibus, quo, vt alibi iam expendo in *Spicileg. sacr.* aut durè infaustissimus Princeps lapidari, aut miserrimè collatitia, id est vilissima sepultura donari videbatur, 2. Regum 18. v. 17. & additur statim: *Porro Absalon erexerat sibi titulum, cùm adhuc viueret, in valle Regis: dixerat enim, non habeo filium: & hoc erit monimentum Nominis mei: vocauitque titulum nomine suo*, v. 18. Aliqui ex Hebræo vertunt, *Erexerat sibi arcum Triumphalem*: alij, *Pyramidem*. Vbi prima explicatio Vatabli sic habet: *Hoc citat obiter Author huius libri, vt ostendat manifesto argumento Absalon fuisse superbum, & laudis nimis quàm auidum.* Sic ferè cæteri Interpretes, qui etiam statuam marmoream, quàm huc adducit Iosephus, in eiusdem arrogantiæ deferunt argumentum. Verumtamen non temerè dictum putarem, si quis diceret, *Monimentum* hoc, verè fuisse sepulchrum, quod sibi superbissimum erexerat Absalon, vt ibi eius memoria perennaret: & sepulchrali ossium pompâ, pomposam progeniem posterorum, quâ quodammodo viuunt homines suppleret. Certè contextus in hanc mentem mihi longè aptior: iam enim multa nimis arrogantiæ argumenta ostentarat Absalon, neque hoc aliud leuius, videbatur necessariò adducendum, nisi de sepulchro sermo esset: at sepulchri extructi superbia, aptissima consequentiâ subinfertur, ad tam infaustæ sepulturæ narrationem: quasi tragicè subsannet Scriptor sacer, dicens: En tibi quâ vili fouea, quo obruentium lapidum aceruo sepelitur Absalon, qui sibi tam aliunde sepulchrum viuens apparatat. Affectus planè similibus euentibus passim excitatus. Excitauit illum Claudianus lib. 2. in Ruffin. de Tyranno occiso, sed iis verbis, quæ totam ambitionem, & tragœdiam Absalonis, potiùs quàm Ruffini videantur describere: tu expenderis.

976.

2. Reg. 18.

Vatabl.

Vt indecenter iaceat, qui superbus sibi pyramides erexerat.

Definat elatis, quisquam confidere rebus,
Instabilesque Deos, ac lubrica Numina discat,
Illa manus, quæ sceptra sibi paranda gerebat,
Cuius se toties summisit ad oscula supplex
Nobilitas: inhumata diu, miseróque reuulsa
Corpore, feralem quæstum post fata poposcit,
Aspiciat, ne quis nimium sublata secundis
Colla gerat: triuijs calcandus spargitur ecce,
Qui sibi Pyramidas, qui non cedentia Templis,
Ornatura suos, extruxit culmina, Manes,
Et qui Sidonio velari credidit ostro,
Nudus pascit aues: iacet, qui possidet Orbem
Exiguæ telluris inops: & puluere raro
Per partes tegitur, nunquam, totiésque sepultus.

Claudian.

Et fortasse hoc voluit secunda explicatio Vatabli, quam ita subdidit, *Aut ironice hæc dicuntur, quòd congestis lapidibus, illi Pyramis fuerit excitata à Militibus Dauidis, multo alia ab eâ, quam sibi dum viueret, excitauerat.* Et quidem Pyramides,

Vatabl.

des, vt ex Claud. vides, vt plurimum sepulchris seruiebant.

977. *Tyranno honorifice sepulco, nil sepulcrum prodest.* At permittitur, iniquis sæpe Principibus, sepulchrum gloriosum: iacent in Mausolæis superbis, ad templorum despectum extructis, illi, quorum vitam, natura hominum erubescit; quorum morte visus Orbis ab incomportabili onere respirasse: quid tunc? Semper, & longè peiore sensu verum est, quod de impio Hebræo Rege dixerat Ieremias: *Sepulturâ asini sepelietur, putrefactus, & proiectus extra portas Ierusalem,* cap. 22 v. 19 habet multum emphasis, quòd proiectus & derelictus, non tam insepultus dicatur, quàm *sepultura Asini* donatus: de quo D. Antonius de Padua serm. 2. in Domin. 1. post Trinit. *Sepultura asini talis est: Dominus eius pellem retinet, & carnes canes deuorant: ossa nuda in sterquilinio remanent. Per ossa, quæ diu durant, anima significatur: pellem, id est bona exteriora, filij retinent: carnes, vermes deuorant: animam dæmones rapiunt.* Scilicet, vt in inferno sepeliatur. Quid ergo proderit misero, marmoreus ni fortè æneus obeliscus? De Principe illo epulone, qui purpurâ pridem & bysso radiarat, ita Christus: *Mortuus est autem & Diues, & sepultus est in inferno,* Luc. 16. v. 22. Caietanus ad hunc locum ita: *Mortuus est autem Diues, & sepultus est, hîc fiat punctum. Ad cumulum bonorum præsentis vitæ, diues describitur sepultus: quod de Lazaro non est dictum, non quia inhumatus relictus fuit, sed quia non fuit cum honore sepultus. In inferno deest coniunctio præcedens: ita quod legendum sit: & in inferno eleuans oculos suos.* Nihil ergo infaustissimo, cumulus iste fælicitatis profuit, vt pompa celebri, & honore sepulchri post mortem frueretur: nisi vt indidem sæuius in inferno torquendus intelligatur. Hæsit Caietanus, suo more Græcæ versioni: nec scias, cur vbique Hebraizare, & Græcizare cupiat, qui ad hæc idiomata, alieno studio vtebatur: Mihi vulgata nostra longè venerabilior, in qua vel apicem mutare, grande nefas vbiuis: ne dum in hoc loco, qui sub nostra interpunctione, longè grauior. Videamus.

Ier. 22. 19.

D. Anton. *Sem er enim sepulturam asini sortitur.*

Luc. 16. 22.

978. *Et post asini sepulturam, infernum insuper.* Quòd iste Princeps & purpuratus degeret & byssinatus, quotidieque splendide epularetur apertè coniectandum vidit Christus, sepulchrum eius illustre extitisse: ideo id apertiùs exprimere, duxit superuacuum. Illud dubium, cur non potius ad Inferos detrusum dixit, quàm ibidem sepultum? Crediderim ita dictum vt apertè ostenderet, misero isti purpurato, similibúsque Proceribus, non plus vtilitatis ex sepulchro superbissimo accedere, quàm si nulli sepulchro inderentur: cum vtcunque sepeliantur, prædictam asini sepulturam semper comparent: & Infernum, pro sepulchro legitimo sortiantur. Rem, addito pio Parochianorum exemplo, explicat ad hunc locum Ludolphus Carthus. Part. 1. cap. 6. *Diues iste, tanquam Diaboli Parochianus, ad cœmiterium infernale à dæmonibus est deductus. Vnde de quolibet reprobo dicitur, sepultura asini sepelietur. Sepultura asini est talis, quia excoriatur, & pellis à Domino possidetur: carnes, à canibus lacerantur: ossa, pluuiis & grandinibus derelinquuntur. Sic quando aliquis moritur iniquus, parentes possident substantiam terrenam: vermes lacerant carnem suam: supplicia infernalia lacerant eius animam, quæ naturam ossis habebit, quia consumi nunquam poterit.* O quorsum sepulchrum tibi erigis, inique Princeps? habes, si nescis, Parochum oculatissimum: non illum iure suo defraudabis, apud illum necessariò sepelieris: ibi pars tua melior æternùm iacebit: parte alia ad ludibrium, tot marmorum splendore commendata, vt clarius denoteris.

Ludolph. Carthus.

Vocabant veteres *Honorarium sepulchrum,* quod absenti cadaueri, honoris ergo decernebant, vno verbo *Cenotaphium*, id est, vacua sepultura Honorifica ergo Impiorum sepulchra, ex prædictis Christi verbis, *honoraria* potiùs videntur appellanda. Cenotaphium miser extruxit diues, qui non tàm ibi, quàm in Inferno dicitur sepultus. Impia erat illorum cogitatio, qui ideo sibi sepulchra erigebant sumptuosissima, quia cum cadauere, animam ibidem includi existimabant: quos contrà fusè D. Ambrosius, lib. de bono Mor. cap. 10. Sic concludit. *Si Cor hominis in manu Domini, multò magis Anima: si Anima in manu Dei est, non vtique anima nostra, sepulchro simul cum corpore includitur: nec busto tenetur, sed quiete piâ fungitur: & ideo homines frustrà pretiosa struunt sepulchra, quasi ea animæ, & non solùm corporis receptacula sint.* Sed quamuis impia cogitatio, non tamen insanæ consequentiæ arguenda: Prudenter in stultitia sua parat sepulchrum, qui hoc in æternam Animæ mansionem putat destinari. Tu verò, qui tàm diuersa animabus assignanda iam credis receptacula: & aliunde sic viuis, vt possis non temerè coniectare, sepeliendam tibi animam in Inferno: quâ non insaniâ pretiosissimum corpori ædificas sepulchrum: nisi vt quasi de stulto Cenotaphio irridearis? Quid abstulit Lazaro viliter, aut quid Purpurato contulit, pretiosè sepeliri? audiendus idem Ambrosius lib. de Nab. cap. 1. *Cespes angustus aquè & pauperi abundat, & diuiti; & terra quæ viuentis non cepit affectum, totum iam diuitem capit. Nescit ergo natura discernere, quando nascimur: nescit quando deficimus: omnes similes creat: omnes simili gremio claudit sepulchri. Quis discernat species mortuorum? redaperi terram, & si potes, diuitem deprehende: exuderato paulò post tumulum, & si cognoscis egentem argue: nisi fortè hoc solùm, quòd cum diuite, plura pereunt. Serica vestes, & auro intexta velamina, quibus Diuitis corpus ambitur, damna viuentium, non subsidia defunctorum sunt. Vnguentum accipis diues, postquam mortuus es; & fœtidus es. Perdis alienam gratiam, nec acquiris tuam.* Nil igitur tot impendiis, inutiliùs comparatur, cùm sub tantâ opulentiâ, semper infæliciter præsumatur iniquus sepeliri, cuius animæ, Infernus venit ad sepulchrum. 979. *Illustria impiorum sepulchra, quodammodo Cenotaphia sunt.*

D. Ambr. *Pretiosa sepultura, frustra conduntur.*

D. Ambr. *Orzu, obituque Princeps, & plebeius, æquales.*

Multa iam dilectissimo Patriarchæ Abrahæ, Deus reuelârat, concludénsque subdit: *Tu autem ibis ad Patres tuos in pace, sepultus in senectute bona.* Genes. 15. vers. item 15. Vbi meritò sic addubitat Hamerus: *Quem non attentum reddat id quod Scriptura inquit? tu autem ibis ad Patres tuos. Si sacram Scripturam rectè legimus, inueniemus Patres Abrahæ, fuisse Thare, Nachor Idololatras, & ob id scelus haud dubiè damnatos. Quid ergo Scriptura ait, ibis ad Patres tuos, damnatos scilicet?* Respondebis fortassè, quod est verissimum, omnes Animas, ante Redemptoris aduentum, in Infernum descendisse, licèt diuersis mansionibus collocandas: benéque proinde ad Patres suos iturum dici Abrahamum: quia 980.

Gen. 15. 15. Guilelm. Ham.

quamuis

quamuis illi in tormentis damnati, iste immu-
nis in limbo esset: tamen vnius, communísque
carceris claustro, sub tàm diuersâ sorte, teneban-
Princeps damnandus Inferno, nunquam in pace dicitur sepultus. tur. Benè est: sed cur piissimo seni id non ex-
primitur? Cur qui Patres suos nouerat damna-
tos, audiat se ad eos mittendum, quin statio di-
uersa insinuetur? An non trepidaret ad nuntium
Abraham, non exhorreret? certè non exhorruit,
quia satis fælicitatis certior redditur, dum audit:
ibis ad Patres tuos in pace sepultus, &c. Neque
in pace sepultus faustè diceretur, si Parentum
Impiorum instar, quamuis corpus conderetur
sepulchro celebri, Anima in tormenta mittere-
tur. Vtrumque ergo facilè, ex prædictis verbis
didicit Patriarcha, cùm sibi à sepulturâ fælici,
promitti requiem: tum damnatos Parentes, quid-
quid pretiosis tumulis condetentur, nunquam in
Hamet. pace sepultos, existimandos. Idem Hametus,
post multa, de diuersis prædicti Inferni stationi-
bus, sic pulchrè ad rem nostram. *Sed & hæc*
Scriptura discernit, inter pios & impios: Tuan-
tem ibis ad Patres tuos, in pace sepultus: quòd
impy in pace non essent sepulti. Quæ enim pax
sepulto, cuius animæ, æternum cum Dæmonibus
torquentibus, cum Deo Iudice, cum sociis in-
sultantibus, bellum manet?

981. Solùm ergo Iustus, mi Princeps, vtiliter se-
Sepulchrum iustorum, sæpe de spe resurrectionis gloriosæ. peliris, cui sepulchrum, non tàm in cadaueris
depositorium, quàm in gloriæ penu, visum ap-
parari. Canticum illud, quod suauissimè repe-
tendum ab Ecclesiâ, præcinit Isaias toto Cap 26.
Isa.26.19. resurrectionem nostram festiuissimè sic intonat:
Viuent mortui, interfecti mei resurgent: exper-
giscimini, & laudate, qui habitatis in puluere: quia
Vers.20. *ros lucis ros tuus.* Vers. 19. Nihil gratius poterat
nuntiari. Obscurum tamen, quod subsequens
exclamat: *Vade Populus, intra in cubicula tua,*
claude ostia tua super te, abscondere modicum ad
momentum, donec pertranseat indignatio. Vers.20.
Quorsum enim post resurrectionem hæc abs-
consio. Non illa quidem suo tempore, post re-
surrectionem, futura, sed solatium latibuli ap-
ponitur, donec tardat, quasi dicat, inquiunt
Interpretes ferè omnes: Ergo dum gloriosa dif-
fertur resurrectio, ingredere sepulchrum, sicut
is qui cubiculum suum dormiturus ingreditur.
Tertul. Mira est tamen hîc Tertulliani versio, lib. de Re-
sur. Car. cap. 27. *Intra in Cellas promas:* Quid
enim sepulchro cum penu, vel cella promâ? An
quia ibi, vermibus penu conditur, & esca deinde
promitur? Absit: nec enim festiuo Cantico, id
quasi lætissimum nuntium exprimeretur. Sed
quia Iustorum sepulchra, penu sunt gloriæ, cellæ
promæ, vnde Sanctorum corpora, quantumuis
corrosa vermibus, quasi intacta, ad resurrectio-
Idem. nem depromentur. Idem Tertullianus, rem ad
Antichristi tempora deducens. *Sepulchra erunt*
Cellæ promæ, in quibus paulisper requiescere ha-
bebunt, qui in finibus sæculi, sub vltima ira per
Antichristi vim excesserint. Aut cur cellarum
promarum vocabulo potiùs vsus est, & non ali-
cuius loci receptorij: nisi quia in Cellis promis, ca-
ro salita & vsui reposita seruatur, depromenda
illinc suo tempore. Depromentur quidem hinc
Iusti, quasi gratum epulum Christo exhibituri:
depromentur, cum Baltasare, Tyranni, æternum
flammis pabulum, ministraturi.

NOTATIO XVI.

Princeps, voluptatibus fœdis non deseruiat.

VBI vulgata nostra habet: *Detra-* 982.
cta est ad Inferos superbia tua:
concidit cadauer tuum: LXX. Vt
iam expendi ad literam, verte-
bant: *Descendit ad Inferos gloria*
tua, multa lætitia tua. Idem ferè attuli ex Va- *Voluptates, Principi, fugienda.*
tablo, qui hanc lætitiam, ad lasciuam blandien-
tis musicæ hilaritatem deduxit: ex quibus Ty-
ranni Baltasaris voluptates & delitias punitas ex-
plicabam: maximè, quas ex Epulorum luxu, ex
veneris turpitudine, (vt ex Daniele dixi) decer-
pebat. Vocat ergo, imò cogit nos locus iste, vt
Principi cuique probo Monita hîc subdamus,
quibus à fœdæ voluptatis vsu abstineat: ne tot
gentibus dominans, vitiis aliunde deseruiens,
Baltasaris miser assecla detrudatur. At quoniam
Politicorum scriptores, innumera priscorum Ty-
rannorum exempla, qui hâc tabe se, Imperiáque
sua perdidisse leguntur, congesserunt: Nos eò
remittentes lectorem, solùm ea, quæ denuò in-
uenire potuimus, licèt non æquè pretiosa, sug-
geremus: neque pigebit, si fusior excurrat hic
tractus: quando in confesso sit apud omnes op-
timam Principis Politicem, ex ipsiusmet Ethicis,
præcipuè dependere: vixque vllus Authorum
Monarchiæ Politicem scribat, qui impensè ef-
fingendo Monarchæ non laboret, pro merè Po-
liticis habens eiusdem Ethica.

MONITA POLITICA.

I.

Princeps voluptatibus deditus, perit ante mortem: quam ludum reputans funestiùs incurrit.

SI detractionem siue descensum istũ *ad Inferos,*
explices cũ citatis Authoribus, de sepulchro: 983.
suo iure, voluptatum lætitiam eò detrusam ce- *Voluptatibus indulgens, moritur ante mortem.*
cinit Propheta: sicut enim nullus locus morti
certior, quàm sepulchrum, sic nulla mors hor-
ribilior, quàm voluptas: quò ergo voluptas pro-
peret, nisi in sepulchrum? Ita est: differt hinc
maximè à Tyranno, Princeps, quòd iste Iustus,
etiam post mortem viuit: iniquus ille, & fortu-
næ delitiis indulgens, etiam dum videtur viue-
re, agnoscitur perijsse. Seneca Epist.93. *Vis sci-* Senec.
re, quid inter hunc intersit vegetum, contempto- *Iustus, post mortē viuit.*
rémque fortunæ, functum omnibus vitæ humanæ
stipendiis, atque in summum bonum euectum: &
illum, cui multi anni transmissi sunt? alter, post
mortem quoque est: alter, ante mortem perijt. Vi-
ta enim transmissa per otium, & voluptatum
ignauiam, (lege ibi fusiùs Senecam) [illegible]
est mors: sicut mors illius, qui glorio[illegible]

tiis, ad virtutis peruenerat, vita longè fælicior reputatur. Parum est ergo, quòd delitiis eneruatus Princeps, brutorum instar, quæ natura in terram prona, vtpotè ventri obedientia finxit, vitam dicatur degere: ni illam vitam ducere denotetur, quæ à mortis languore nihil differat. Ideo Salustitius in Prologo Catilinæ Hist. *Multi mortales dediti ventri, atque somno, indocti incultique vitam, sicut peregrinantes transiere: profectò contra naturam, corpus voluptati, anima oneri fuit. Eorum ego vitam, & mortem iuxta æstimo: quoniam de vtráque siletur.*

Salust. *Diffluentis voluptatibus mors & vita perinde est.*

984 Redeat Princeps ille, de quo suprà num. 977. Et Theophylacto Authori Græco, lubentiùs quàm Romano Caietano interpunctionem Græcam concedamus. *Mortuus est & Diues, & sepultus.* Luc. 16. vers. 22. Non memoratur Mendici, sed sola Purpurati sepultura. Dices cum Caietano ibi citato, Lazari, vtpotè vile, sepulchrum prætermissum, diuitis verò vtpotè nobile memoratum. Non tamen id difficultate caret: si enim superbia sepulchri Diuitis ingeritur, vt etiam hunc fælicitatis cumulum post mortem habuisse intelligamus (vt ibidem vult Caietanus) & inde in æternum noscatur infælicior: cur non & vilitas sepulchri Lazari, etiam post mortem abiecti exprimatur, vt indidem in æternum faustior beatus spiritus celebretur? Puto igitur sob hâc interpūctione sepulturæ commemorationem probrosam esse: ac proinde non tàm pannoso lusto, quàm purpurato iniquo assignari. Quid ita? Respondet ibi Theophylactus: *Sepultus est: nam profectò etiam cùm viueret, sepulta erat eius anima, carnem quasi sepulchrum circunferens.* Dixit Statius ad Animam, quam putabat beatam lib. 2. Sylu. vlt. *Terras despicis, & sepulchra rides.* Hic longè veriùs, fœlix illa Mendici Anima, quæ vitam non amiserat, sed mutarat in melius, despectis iam terris, totam sepulchri machinam irridebat: ideo ille sepultus subticetur: at verò Diues, qui voluptatibus obrutus, etiam pridem delitiosa carne sepultus vixerat, meritò nunc describitur, vt eius vitam & mortem perinde ducas, re enim vera iam ante mortem obierat is, cui corpus voluptati, anima oneri fuit. vnde & cadaueri requiem in sepulchro, animæ damnum non curans procurarat, cuius perinde ad dedecus sepultura memoratur. Bene Plinius maior in Prolog. lib. 14. *Reges innumeri, honore artium colebantur, & in ostentatione has praferebant, opem & immortalitatem sibi, per illas prorogare arbitrantes: quare abundabant & præmia opera vita. Posteris, laxitas Mundi, & rerum amplitudo damno fuit. Postquam Senator censu legi cœptus, Iudex fieri censu, Magistratum Ducemque nil magis exornare quàm censu postquam capere Orbitas auctoritate summa & potentia esse, captatio in quæstu fertilissimo, ac sola gaudia in possidendo: pessum iere vita pretia, &c. Ergo Hercule vbi voluptas viuere capit, vita ipsa desiit.* Neque enim inertes Reges, ignaui Proceres, voluptati potiùs, quàm officio studentes viuere præsumendi, sed in delitiis, imò delictis suis miserrimè sepeliri.

Luc. 16. 22. *Huius anima in carne delitiosa sepelitur.* Theophyl. Statius. Plinius. *Recentiores Reges à vitiis, quàm degeneres.*

985 Hinc capies ad mores, (nam litteram infrà suo loco fusiùs discutiemus) quid contra infaustissimum Baltasarem intonet Propheta noster hoc eodem cap. 14. *Tu autem proiectus es de sepulchro tuo, quasi stirps inutilis.* v. 19. Certum est Baltasarem, aut insepultum, aut catenatim in vilissimam foueam iniectum putruisse: Certum nunquam aut de congesto hoc puluere, aut fœdissimo specu eductum fuisse, vt proiiceretur. Quàm ergo è sepulchro proiectionem memorat hic Isaias? aut cur insultet infælici, quasi de sepulchro iam possesso detruderetur: cui ipsa tam infamis sepulchri possessio, potiùs ludibrio & dedecori tribuenda? Respondet optimè Ailredus in Syl. Alleg. (licèt Antichristum potiùs, quàm Baltasarem hîc probet capiendum) ad hunc locum. *Omnium reproborum sepulchra, ipsorum sunt Corpora: in quibus, anima illorum, putredine vitiorum corrumpuntur, & omnium immunditiarum sanie fœdatur. De quibus sepulchris tunc eiiciuntur, quando animæ extractæ à corporibus, proiiciuntur in tenebras exteriores: proiiciuntur autem quasi stirps inutilis; cui nil aliud debetur, quàm ignis.* Ad reprobum ergo Baltasarem deducta explicatio, apertè ostendit illum voluptatibus suis insepultum: & è sordidissimâ sepulturâ in minus sordidam terræ foueam incidisse: vnde non tàm plantatur ad resurrectionem, quàm, inutilis instar trunci, ignibus deputatur.

Isai. 14. 19. *Anima voluptatibus insepulta infernum commigrat.* Ailredus.

Centenario iam Seni, & ex nonagenariâ vxore, promittit Deus Filium Abrahæ, ex quo *Reges populorum* orirentur: Genes. 17. v. 16. iste non tam fide dubius, quàm lætitiâ trepidus subridet: & addit pro Ismahele suo: *Vtinam Ismahel viuat coram te.* v. 18. quasi dicat: vtcunque implenda sit promissio tua Domine, sit tamen mihi securus concessus iam Ismahel: timebat enim fortasse, ne propterea Isaac promitteretur, quia acerbè eripiendus Ismahel præuidebatur. Attende tamen, non rogâsse solummodo, *vtinam viuat*, sed cautè addidisse, *coram te*: nouerat quippe prudentissimus, longè à diuino conspectu abesse impios, iustos verò, coram Deo ambulare: Non itaque putabat viuere Ismahelē, si vitiis viueret quasi sordidis delitiis consepultus: sed si Iuuenis splendidissimæ familiæ tunc spes tota, conculcatis voluptatibus, virtutis halitu respiraret. Fauet Lyranus: *Viuat coram te: id est faciens voluntatem tuam, & beneplacitum tuum:* Aliàs antè mortem periisse existimandus. Bene Sophocles in Antig. de eo, qui voluptatibus indulget: *Non statuo eum viuere, sed in vitâ mortuum esse.* Multa Patres ad Luc. 15. de Prodigo, qui meretriciis voluptatibus dicitur periisse, & fructibus virtutis reuixisse. Impleui ego de his Carneis sepulchris paginas, iam alibi, in *Cant. Tropol.* 986

Gen. 17. 16. *Vita sub virtutibus solùmodo vera vita.* Lyranus. Sophocles.

Sed hæc est horum Principum misera stoliditas, vt cum naturæ mortem sic exhorreant, eam nihilominus deglutiant, vt voluptatis acerbiori morte delectentur. De Euâ humani generis, & Orbis Principe, sic sacer Scriptor: *Vidit igitur Mulier, quòd bonum esset lignum, ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectúque delectabile: & tulit de fructu illius, & comedit.* Genes. 3. v. 6. Quod oculi de colore amœnissimo pomi iudicarent, nihil mirum: vnde tamen videns, discernere gustum potuit muliercula? ergo τὸ *vidit*, vt bene notat Vatabl. est. *vidit animo suo*: siue cognouit, quod bonum esset ad vescendum: quia fortè, omnibus quibus poterat experientiis rem probare studuit, attrectans scilicet leue & mite; odorans suaue & recreans; è quo proinde, nihil veneni timendum videbatur: imò multum voluptatis percipiendum. Sed quid agis mulier? esto 987

Gen. 3. 6. Vatabl. *Inhians voluptati demorandâ mortē non timuit, quam dum pro ludo habet, perit miserè.*

præsumas

præsumas temerè, naturæ morti non statim te succubituram: at probè nôsti, Numen hinc lædi, & animam saltem, meliori tibi vita, carituram: Quid ergo manibus & naribus & labiis ludens adblandiris, vnde tam facilè dentibus capiaris? Respondet pulchris versibus Alcimus, Patrum Cygnus, ad hunc locum:

Alcim.

Nec spernit miserũ Mulier male credula munus,
Sed manibus pomum ignauis letale retractans,
Naribus interdum, labiisque patentibus vltro
Iungit, & ignorans ludit de morte futura.

Celebratur Poëta ethnicus, apud quem Regina Dido voluens instrumenta necis, iam pallescens *morte futura* describitur: longè elegantior noster, apud quem Eua, *ludens de morte futurâ* deploratur. Mortem futuram naturæ, sic misera exhorruerat, vt multis coniecturis, illam incertam, sibi persuadere contenderet, imò nullam: tunc voluptatis illecebris sic auidè indulget, vt duriorem animæ mortẽ paruipendens, etiam futuræ morti corporis inludat: & venenatum pomum, illius statim, istius paulo post, futurum instrumentum, pro ludo habeat: quasi sub voluptatum dulci morte, mors alia naturæ dissimulata iam dulcescat. Idem Alcimus.

Virgil.

Alcim.

Annuit insidys, & pomum, morsa momordit:
Dulce sibi virus, capitur mors horrida pastu.

Meritò igitur infaustissimus Rex Baltasar, in Mortem cum voluptatibus suis, descendisse dicitur: qui & istis iam præmortuus spiritu, mortem corporis alias sibi horribilem ibidem dissimulatam, pro ludo habuisse videbatur: quam deinde funestius incurrit.

II.

Eisdem in victimam Inferni, atque Dæmonis Epulum apparat semetipsum.

988. Longè tamen in litterâ dixi, probabilior aliquibus habetur illa opinio, qui in hoc loco Baltasaris *ad inferos* descensum, non tam de sepulchro, quàm de Tartaro explicarunt: quam, quia ibi r penfior tenui, ad mores etiam nunc fusius illustrabo. Descendit ergo ad Tartara Baltasar, eò totus delitiarum suarum detruditur apparatus: & summo iure, quidni enim mactetur infernis aris, qui se tandiu illis voluptatum sagina victimam apparatat? quidni æterno tortorum Dæmonum supplicio amandetur iam mortuus; quibus viuens, & delitiis diffluens, epulum se exhibuerat delicatum? Ita est: fit Dæmonis victima & pastus, quisquis vitiorum voluptatibus indulget. Ideo Eusebius Gallicanus homil. de SS. Martyribus, *Vicerunt illi tormenta flammarum, nos vincamus ignea tela vitiorum: illi calcato Diabolo retulerunt spolia de morte, nos caueamus ne Christum spoliemus in paupere: illi per virtutem fidei, expensi sunt in hostiam, nos obseruemus, ne quis nostrum per vulnus peccati, victima efficiatur inimici.* Neque vtcunque victimæ fiunt miseri, sed victimæ saginatæ: vnde Clemens Alexandrinus in Protrept. post multa, de Christi in nos collatis beneficiis, sic concludit: *Quemadmodum si Sol non esset, quoad alia quidem astra attinet, non essent omnia: ita nisi verbum cognouissemus, nihil differremus ab auibus, quæ saginantur: vt qui pingui fieremus in tenebris, & morti nutriremur.* Sagina te igitur delitiis, pinguesce infauste & obtenebrate Princeps, voluptatibus: altilem te, Tartareo Palato victimam administras. Eleganter D. Chrysologus serm. 12. *Ieiunantibus nobis, Diabolus esurit, qui nostris semper saturatur ex culpis: ille cibum nostrum deducit in crapulam: potum nostrum in ebrietatem diffundit: vt mentem faciat amentem, carnem luteam reddat, corpus enim domicilium, murum spiritus, virtutum scholam, Dei templum; in Scenam criminum, in vitiorum pompam, voluptatum redigat in theatrum. Capit ille satietatem, & voluptatem percipit, expletur epulis: quando nos luxus soluit, libido stimulat, pompa rapit, impellit ambitio.* En tibi quibus aris, quibus conuiuis, tam anxia voluptatum desudat officina apud Mortales, quæ tamen apud Principes, longè in id ministerij extruitur curiosior. Sed iam hanc molem minutius euoluamus.

Per vitia & voluptates, æterno victima destinatur.

Euseb. Gall.

& victima saginata.

Clem. Alex.

Epulum quo Dæmonum.

D. Chrysol.

Ieiunio nostro Dæmon torquetur.

Perditissimos peccatores deplorans Rex Propheta, sic subiungit: *Immolauerunt filios suos, & filias suas dæmonys*, Psalm. 105. v. 37. id est, Authore D. Hieronymo ad hunc locum, *Immolauerunt sensus, & animas suas*, illos nimirum voluptatibus, has pessimis affectibus deprauantes. Id signanter inquirendum, cur non tam obtulisse aut sacrificasse, quam immolasse dicantur. Ego ita dictum crederem, vt piaculares hæ Mundi victimæ, quæ sæculo purgando infernis destinantur, spontaneæ aliunde, & vltroneæ cognoscantur: immolare enim victimam, vt nemo nescit, inde dicitur, quod molâ salsâ contusâ, victimæ sacrificandæ spargerentur. Cuius ritus causa occultior illa est, vt sacrâ molâ libenter exceptâ, victimas spontaneas, & se placidè offerentes indicarent. Ideo Seneca in OEdip. 989.

Ps. 105. 37.

D. Hieron.

Peccator piacularis victima inferni, sed aliunde vltronea.

Seneca.

——*Hac propere admone,*
Et sparge salsâ, colla taurorum molâ,
Placidone vultu sacra, & admotas manus
Patiuntur?

Vbi bene Delrius, *Hoc necesse, ne sacra sint piacularia*: quæ nimirum ab inuitis & repugnantibus victimis displicebant. Hinc elegantissimus Patrum Minutius Fœlix, de Dæmoni datis hostiis: *Meritò ei in nonnullis Africæ partibus, à Parentibus immolabantur infantes: blanditys & osculo comprimente vagitu, ne flebilis hostia immolaretur.* Sic ergo in sensu mystico Hieronymi, immolant miseri animas suas, & sensus voluptatibus delinitos: qui vltronei, quia spontanei nec impiam aram fugiunt, neque ictui ingemunt: quæ signa piacularis victimæ erant, Authore Festo.

Delrius.

Minutius.

Diuina Spiritûs Charismata enarraturus Apostolus, sic incepit: *Scitis, quoniam cum Gentes essetis, ad simulacra muta, prout ducebamini euntes*, 1. Corinth. 12. v. 2. Gentium vitia, & turpissimas voluptates, expositurus videbatur Apostolus, quibus deinde Spiritus sancti delitias, & charismata opponeret: & tamen vna Idololatria adducta contentus est: neque mirum, quia vt ibi notat optimè D. Thomas *A peccato Idololatria omnia alia peccata oriebantur, secundum illud Sapient. 14. Nefandorum Idolorum cultura omnis mali causa est*, & meritò, nam turpissima Numina adorantes, ex imitatione, erant illis [illegible] licita religiosa, ebrietásque & fornicatio. [illegible] Veneri quæ sacrificia vocabantur. Sed tu [illegible] 990.

1. Cor. 12. 2.

D. Thom.

nostram pende illa verba satis emphatica, *Prout ducebamini, euntes.* Est quidem *duci* certum & solenne verbum, quo allatæ ad simulachrorum aras victimæ denotantur: quod plusquam sexcentis locis probat Brissonius, lib. 1. Formul. fol. mihi 17. Quibus ex sacro penu, posses addere non pauca, illud in primis apud Isai. cap. 53. v. 7. vbi Christus, tanquam *ouis ad occisionem ductus* prædicatur. Cuius rei, ni ego fallor, illa est causa, quia cùm ominosum esset & piaculare sacrificiis, si victimæ recalcitrantes & inuitæ venirent, (de quo alibi multa) non tam *trahi*, quasi violenter, quàm *duci*, quasi spontaneè, & se ipsas ictibus apparantes, dicebantur. Non ergo dixit Paulus: ad simulacra muta, victimas ducebatis, sed, *ducebamini:* quia ipsimet, impiæ superstitionis vitiis & voluptatibus dediti, iam Idolo siue Dæmoni, semet ipsos, victimas spontaneas, nec vllo modo recalcitrantes & resistentes offerebant. Nunc capies, quid sibi velit idem Doctor Angelicus, sic scribens. *Ibant ad Idola colenda, pro vt ducebantur: id est, sine aliquâ resistentiâ: sicut de Iuuene etiam vecordi dicitur, Prou. 7. statim eam sequitur, quasi bos ductus ad victimam. Per hoc ergo apparet, quòd homo ante susceptam gratiam promptè currit ad peccatum, sine resistentiâ.* Neque enim in turpissimorum sacrificiorum delitiis, aptiores, quàm semetipsos, Inferno victimas immolarent.

Brissonius. Isai. 53. v. 7. *Peccator spontanea hostia Diaboli* D. Thomas.

991. Sed examinemus fusiùs locum illum Prouerb. quem obiter citauit D. Thomas, habet enim rei præsenti pluscula non spernenda. De impudica ergo fæminâ meretriciis fucis, ad voluptates Iuuenem alliciente, post multa sic concludit Salomon. *Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditijs labiorum protraxit illum: statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam.* cap. 7. v. 21. Pene enim, qui indulturus fœdissimis voluptatibus, dæmoni se tradebat lubentissimè, non vtcunque bos occidendus, sed *ad victimam ductus*, appellatur: quasi non ita oblatis hostiis placere se Idolo putarent ethnici, vt seipsis, per voluptatem, immolatis reuerà Dæmoni, placebant. Quid ni, si non infaustiùs cultri, & Ministrorum ludibrio hostia exponitur: quam Dæmonis ludibrio fornicaria membra exponantur. Hinc meritò Tertul. lib. de Spect. c. 17. *Ipsa etiam prostibula, publicæ libidinis hostia, in scenam proferuntur: plus miseræ in præsentia fæminarum, quibus solis latebant: perque omnis ætatis ora traducuntur. Locus, stipes elogium, etiam quibus opus non est, prædicatur.* Neque perditissimæ illæ fæminæ inter meretricias delitias, aptiori quàm hostiarum titulo, poterant insigniri, quas Dæmoni libido publica mactabat. Quod fusè alibi, de Bethsabee, quæ inter regales adulteri Regis delitias, ouis mactata dicitur, explicaui. Id obiter aduerte, *Elogium* in hoc loco, de Titulo meretriciæ cellæ, à quibusdam explicari: quibus si assentias, posses addere, ideo ibi adduci à cultissimo Afro, vt clariùs infames hostias denotaret: re enim verâ sub titulo quandoque ductas hostias, cùm ex aliis, tùm ex Suetonio disco, qui in Augusto cap. 59. ita. *Nonnulli Patres Fam. testamento cauerunt, vt ab hæredibus suis prælato titulo victima in Capitolium ducerentur &c.* Redeo.

Prou. 7. v. 21. *Luxuria victima est Dæmonis.* Tertul. *& victima titularis.* Sueton.

992. Neque caret mysterio illorum versio, quæ in Sixtian. circumfertur, qui pro eo, quod in vulgata legimus: *irretiuit eum multis sermonibus:* vertunt: ἐν πλήθει δωμάτων, *in multitudine donorum.* Quasi auro, gemmis, & aliis id generis Iuuenem alliceret, vt placidior victima, mactanda Dæmoni, immolanda libidini veniret. Sic nimirum solebant victimæ, auro, infulis, floribus adornari, vt offerentis animus pronior, & bestia pomposior ad aras sisteretur. Scatent hoc ritu veterum scripta: satis nunc ex nostris Prudentius, Ecclesiæ Orpheus, in hymno de Romano Martyre:

Sixtiana. *In fulisque compta, auroque corona.* Prudentius.

Huc taurus ingens, fronte torua & hispida,
Sertis reuinctus, aut per armos floreis,
Aut impeditus cornibus deducitur:
Nec non & auro, frons coruscat hostia,
Setásque fulgor bractealis inficit,

Sic miserrimus adolescens, quasi bos ad victimam procedens, Amicæ donis comptus, lubens properabat ad mortem, Inferno immolandus. Sic prædicta Bethsabee, 2. Reg. 12. dum in purpurâ & auro esset, apud Dauidē, ouis mactata dicitur: cui nimirum tanquam libidinis victimæ, gemmæ, totiúsque regalis fastûs delitiæ, solùm comptæ mactationis, addebant rationem. Fortasse ideo Tertul. lib. de cultu fæm. cap. 17. sic ad virgines. *Quantò autem blasphemabile est, si quæ Sacerdotes pudicitiæ dicimini, impudicarum ritu procedatis cultæ atque expictæ? aut quid minus habent infelicissimæ illæ publicarum libidinum victimæ?* quasi totus meretricius comptus, apparatus ad victimam computetur.

2. Reg. 12. Tertul.

Fusè ab initio operis, meretricium Mortalium ingenium, & indolem voluptatibus diffluentem deplorârat Oseas: deinde cap. 13. v. 2. *Et nunc addiderunt ad peccandum, fecerúntque sibi conflatile de argento suo, quasi similitudinem Idolorum: factura Artificum, totum est: his, ipsi dicunt: immolate homines, vitulum adorantes.* At certè nunquā legimus vitulo Ieroboā, aureo victimas humanas immolatas: licèt aliis Idolis dari solerent. Sic ergo fortasse locus explicabitur, quasi dicant impiissimi hi Dæmonis Ministri, (quos Hæresiarchas reputat D. Hieronymus) O vos, qui adorâstis olim vitulos, & idolis seruiistis: iam nunc potiùs vosmetipsos, incruento sacrificio saltem, Dæmoni immolate: laxate carnalibus fræna voluptatibus, & litâstis inferno. Fauet huic explicationi Græca versio: θύσατε ἀνθρώπους μόσχοι γὰρ ἐκλελοίπασι, *sacrificate viros, vituli enim defecerunt.* Hoc est, quàdo iam bestiarū sacrificia defecerūt, nec sunt in vsu, quibus olim Dæmones placâstis: vosmetipsos nunc suauiùs immolate: indulgete voluptatibus, ait Lutherus, Caluinus, & cæteri recentiores Pseudoprophetæ, & Dæmonem placabitis. Hinc est quòd tot Principes Hæreticos hodie videas ab his delusos: effrænatè post delitias currentes, & ad Inferni aras, cum Baltasare properantes: Hinc proh dolor! Catholicos nonnullos Dynastas, intimo Dæmonis illapsu genio indulgentes. Scilicet Dæmon, qui ante Saluatoris aduentum, tot victimis, tot hostiis Taurorum colebatur, furit nunc rabidus, vt homines illicitarum omnium voluptatum generibus dentur: quò sint succedaneæ sibi victimæ pro prioribus. Eleganter in hanc mentem (licèt non ad Oseæ locum) D. Leo Magnus, serm. 6. in Epiph. de Dæmonis tentatoris artibus. *Malitia longo vsu propria imbuta nequitia, non deposuit odium, sed vertit ingenium, quo sibi mentes fidelium blandiùs subdat: inflammat enim concupiscentijs, quos non potest vexare tormentis: ser it dis-* cor-

993. Oseas. 13. 1. D. Hieron. Vers. Græc. *Heretici, per voluptates, inferno litàt* *Dæmonique suas victima succedanea.* D. Leo.

cordias, accendit iras, incitat linguas, & ne ab illicitis dolis, cautiora corda, se reuocent, consummandorum scelerum ingerit facultates. Quia illi totius fraudis hic fructus est, vt qui immolatione pecudum, & thuris accensione non colitur, quibuslibet ei criminibus seruiatur. Ac si satis his victimis effrænatæ concupiscentiæ, patrati criminis, prisca illa sacrificia suppleantur.

994. Quod igitur de infaustissimis illis, qui Christo renuntiantes, iterum Idololatria fœdabantur dixit D.Cyprianus, Orat.13.de lapsis: idem, de his, qui vitiis & delitiis nunc indulgent, quodammodò dici potest: Sic autem ibi S. Doctor. *Stare illuc potuit Dei seruus, & loqui, & renunciare Christo, qui iam Diabolo renunciarat, & sæculo? Non ara illa, quò moriturus accessit, rogus illi fuit? non altare illud, quod fœtore tetro fumare, ac redolere conspexerat, velut funus & bustum vitæ suæ horrere ac fugere debebat? Quid hostiam tecum miser, quid victimam supplicaturus imponis? Ipse, ad aras hostia, victima ipse venisti, immolasti illic salutem tuam: spem tuam, fidem tuam, funestis illis ignibus concremasti.* Sic qui susceptæ Crucis renuntiant mortificationi, carnalibus voluptatibus addicti, quorum Deus, venter est: victimas semetipsos, peccato, morti, atque Inferno iugulant. Ideo benè D. Chrysol. serm. 111. ad illud Pauli. *Per vnum hominem, Peccatum in hunc Mundum intrauit, & per peccatum, mors*: Rom.5. vers.12. Sic exclamat. *O crudelis fera, & non vno capite, in hominum genus sæuire contenta! quam videmus trino ore, tota, humanæ stirpis germina tàm pretiosa deuorantem: trino ore fratres: siquidem peccatum capit, mors deuorat, deglutit Infernus.* Huc enim gulosæ matris delitiæ, vxorij patris voluptas deuenere.

Impio holocausto imposita.
D.Cyprian.
D.Chrysol.
Rom.5.12.
Peccati trinomes.

995. Iam verò quàm splendida conuiuia, quàm opipara epula, mactatis olim victimis sternerentur, in tantâ rei notitiâ, superuacuum esset confirmare: satis fuerit si dixerim, inde *Pontificum cœnas*, in Parœmiam abiisse. Miserum est ergo Principibus voluptatum seruis, quòd se Dæmoni victimas immolarent: sed id miserius, quòd in eiusdem epulum apparantur. Ad Protoparentem, qui amoribus & vxoriis delitiis indulgens, fœdè lapsus fuerat, ait Deus: *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Genes.3.vers.19. Non est ita plana sententia, licèt primo aspectu planissima videatur: qui enim aliquò reuersus dicitur, iam inde abiisse intelligitur: è puluere quidem, in corpus formatur Adam, vnde soluto per mortem corpore in puluerem meritò dicitur reuersurus: Sed cur interim, dum corpus est, dum in carnem & ossa abiisse cognoscitur, non tàm dicitur, *puluis fuisti*, quàm *puluis es*? aliquid credo occultius, hîc voluit homini Deus, significatum, quo illum non solum mortalis conditionis, sed insuper agendæ Pœnitentiæ admoneret. Dixerat paulo ante Dominus ad serpentem: *Terram comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Vers. 14. Vbi Alcuinus, quæst. 74. *Terram deuorat, dum luxuriâ & libidine peccantium pascitur, & dilatatur: nam sicut per serpentem Diabolus loquebatur, ita in serpente maledicitur.* Meminisset ergo Adam se etiam ante mortem, puluerem esse, & è terrâ, factum in carnem, terram permanere, quia terrenis libidinibus indulserat, vnde in escam Dæmonis, cui talis terra in cibum data, se condiuisse infaustum, ni penitus stultescens, de-

Gen.3.19.
Peccator, D.mo..is pabu..
Vers.14.
Alcuin.
Quia è vili terra compositum.

ploraret. Nescit enim terrena voluptatum libido, in turpiorem, quàm fuerat natiuitatis, terram, homines non deformare: vt epulum Draconi Tartareo administrent.

996. Multa habet Psalmus sexagesimus octauus, quæ solùm Christo Domino possunt conuenire: pauca, quæ etiam de Dauide propriè, & de Christo solùm, quatenus fideiussor suaui ssimus est, queant explicari: tale est illud ad Deum: *Et delicta mea à te non sunt abscondita.* Vers.6. Inter quæ emphaticum est quod subditur: *Eripe me de luto, vt non infigar: libera me ab iis, qui oderunt me.* Vers. 15. Quasi tota miseria esset, vnde persecutoribus suis exponebatur, quòd lutulento pulueri inhæreret. An ne adhuc turpibus Bethsabee amoribus, & lasciuiæ priscæ delitiis, tanquam luto, adhærebat? absit: neque enim id temporis, quo spurcis flammis correptus, prophetico igne incensus, existimandus: iam ergo pœnitens, & ab Absalone infestatus vt puto, hunc pulcherrimum Psalmum decantauit: ita tamen, vt humiliter timidum, & incertum de veniâ se exhibeat, ampliúsque lauari, & mundari desideret: quò penitus è fœdo limo, & tenaci præteritarum voluptatum luto eripiatur. Sed cur delitias illas peccati, non potius rapido incendio, quàm pulueri lutulento comparauit: cùm libido æstuantibus vbique scintillis comparetur? Nimirum nouerat, è luto se olim factum in hominem; non solùm post mortem, in lutum conuertendum, sed etiam dum vacaret delitiis, turpius lutum esse, terram vilissimam, quæ dæmoni in escam ministratur: quid ni ergo id impensiùs roget pœnitens Princeps, vt quò purgatior fuerit à terrenis voluptatibus, eo alienior, à parandâ esca Dæmonibus, habeatur? D. Prosperus Aquitan. De Promiss. Dei, lib.1.cap.3. post descriptum Protoparentis lapsum, ita. *Sequitur in Parentem Diabolum prolata sententia, in quâ metuendum quiddam reperitur, quod ei inter cætera dictum est:* Terram manducabis, omnibus diebus vitæ tuæ. *Terrenis enim cupiditatibus inhiantes Animæ, terræ similes comparantur: eásque impias, Propheta Dauid in primo Psalmo designat dicens, erunt tanquam puluis, &c. Se verò exui à terra, quam peccati merito, serpens comedendam accepit, in alio psalmo dicit, salua me de luto, vt non inhæream.* Quasi ipsa immortalis Anima, in cœnosam corporis conditionem, corrupta voluptatibus degeneraret, in Tartarei serpentis epulum apparanda.

Ps.68.6.
Vers.15.
Animam ipsam, quodammodo in terram conuertens.
D Prosper. Aquitan.

997. Hinc idem Rex sanctissimus, diuinæ Prouidentiæ opera latè commendans toto Psalm.103. sic subiungit: *Draco iste, quem formâsti, ad illudendum ei, omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore.* Vers. 26. Illuditur sæpè à Deo Tartareus Draco, dum quos iam deuorandos habebat, diuino auxilio ereptos sibi deplorat: & tamen expectat adhuc ab illo, confidens escam: quia qui cælestis gratiæ vocationi obsurdescẽtes, illicitis voluptatibus inhærent, suo iure sibi tradendos nouit. Neque mirum: cùm enim terram, diuino iudicio in escas sibi assignatam sortiatur: terrenis cupiditatibus animas diffluentes, epulo suo expectat tribuendas. Dantur à Deo Iudice iustissimo, in fercula Dæmonj, qui seipsos iniustissimè, per illicitas voluptates, in terram Tartareo palato sapidissimam, condiuerunt. Idem D. Prosperus Aquitan. ad hunc locum. *Vniuersis*

Ps.103.26.
Quæ proinde, iusto Dei iudicio, in dæmonum pabulum cedit.
D Prosper. Aquitan.

repentibus, cunctis Animalibus, atque ipsi Draconi, non suppetit cibus, nisi quem Dominus dederit. Quamuis enim Draco semper sit cupidus ad vorandum: vorare tamen non potest, nisi quod Deus, iustus ciborum omnium distributor, esui eius addixerit: est autem esca ipsius, terra. Non igitur edendus dabitur, qui terra non fuerit: hoc est, qui non se terrenis cupiditatibus, actibúsque dederit. Et quidem iustissima pœna: vt qui conuersi, Angelis gratum epulum poterant apparare: impœnitentes, Dæmonibus conuiuium sternant. Vnde Cellensis Abbas lib. de Pan. c. 1. *Est mensa Diaboli, in qua non nisi Animarum sanguis bibitur, cruciatus hominum in cibo sumitur: est & mensa Angeli, pœnitentiam conuersorum bibentis, salutem edentis.*

Pœnitentia nostra, Angelis cibus est.

998. In sepulchra sordidissima, miserum Hominem immaniter possessum, Dæmones impulerant: qui iam à Saluatore eiiciendi exclamant: *Mitte nos in Porcos, vt in eos introëamus.* Marc. 5. vers. 12. Vbi illud mirabile, quòd cùm infaustum energumenum opprimerent, non in amœnis hortis, sed in fœtidis sepulchris habitarent: Suggerit tamen benè D. Chrysologus, serm. 17. *Tenebatur homo vinctus alieno crimine: & habitatoris scelere, habitaculum innocens torquebatur: Diaboli culpa, hominis redundabat ad pœnam: & prædæ miseriis Prædo saginabatur inclusus.* Itaque ex mente S. Doctoris, innocens erat miser iste, & solo corpore Dæmones patiebatur, quem tamen & vinculis, & fœdissimi loci horrore distorquebant, quasi saltem ipsius miseriis saginandi: & qui animæ illius sanguinem per culpas bibere non poterant, corporis cruciatibus pascuntur. Id ergo iam nunc venit mirabilius, quòd exeuntes ab homine non vltrà distorquendo, cupiant Porcos ingredi, vnde fœtidissimis haris, spurcissimis destinentur volutabris. Essent nuper in sepulchris, vt oppressi cruciatibus cibarentur: sed cur sordidissimum gregis affectent hospitium, quo homini iam non poterant nocere? Respondet idem Chrysol. citatus: *Vide vbi Satanas sedem desiderat collocare, de sepulchris in Porcos: semel infectus putredine, habitacula fœtida, & immunda perquirit, sordibus delectatur & cœno: qui vtique semper fœtore criminum, & squalore pascitur vitiorum.* Quasi sic, turpes hominum voluptates, fœtida vitia, epulum sibi suaue reputet Dæmon: vt dum istud non conceditur: saltem ob similitudinem, sepulchrorum fœtore, porcorum spurcitiâ recreetur: & cupediarum suarum quali quali imagine, famem diram decipiat, & palato auidissimo inludat.

Marc. 5. 12.

D. Chrysol. *Dæmon, miseriis nostris saginatur.*

D. Chrysol. *Dulcius tamen voluptatum nostrarum fœditate inescatur.*

999. Benè etiam Porcos Dæmon ingreditur, quem miser homo sordidissimis inhians voluptatibus, quasi infernum Porcum, turpissimè fœdis glandibus saginat. Ideo idem D. Chrysol. serm. 5. ad illud Iuuenis purpurati olim, iam adacti; *Vt pasceret Porcos: & cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant.* Luc. 15. v. 15. Sic scribit, de similibus peccatoribus. *Epicuro se tradunt, vltimæ desperationis, & voluptatis auctori: & manducant siliquas, hoc est, voluptatibus corporis malè dulcibus inhiant: & pascunt Dæmones, qui semper corporum vitiis saginantur, & sordibus: quia sicut Domino, qui se iungit, vnus spiritus est 1. Cor. 6. ita qui se iungit Diabolo, est Dæmon vnus.* Vbi obiter, egregiè, quid sibi ab hoc ferculo Dæmon quærat, quid homo pareret, explicat Chrysologus, scilicet vt quasi in vnum, & peccator, & Dæmon redigantur, cum enim nihil penitiùs vnum cum alio fiat, quàm quod comeditur: dum pinguis & benè saginatus delitiis peccator, à Dæmone deuoratur, vnum cum illo fiat necesse est.

Quibus infernalem porcum saturamus.

Luc. 15. 15.
D. Chrysol.

Peccator, Dæmoni penè incorporatur.

Sunt autem hinc peccatores prædicti longè miserabiliores, quòd cum possint Leoni de Tribu Iuda vincenti Christo, cedere in prædam, vt cum illo incorporentur, & vnum fiant: malint Leoni Tartareo cedere in escam, vt in illum miserrimè transformentur. Hinc illud Iacob ad Christum: *Catulus Leonis Iuda, ad prædam fili mi ascendisti.* Genes. 49. vers. 9. Symmachus vertit: *à venatione ascendisti ad venationem.* Ecquæ istæ venationes? fortassè altera Dæmonis, altera Christi: vnde glossa Interlin: *Vt captiuam duceres captiuitatem, ad Crucem ascendisti.* Quasi dicat: Ascendisti venator, diuine Leo, vt eriperes prædam tibi captiuandam, quam venator Leo Tartareus captiuam, iam sub dentibus deferebat: ab illius ergo, id est, post illius infaustam venationem, ad fœlicissimam tuam venationem processisti. Sed tu mihi pende, venationis prædam, non nisi in escam parari: ac si id maximè curaret Christus, vt homines, quasi cibum secum incorporaret; qui, se concorporandos Dæmoni, eidemmet, in epulum, apparabant. Nunc capies D. Paulinum Epist. 4. de ænigmate illo Sansonis: *De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Iudic. 14. vers. item 14. (Quod scilicet è Leonis mortui faucibus, fauus erueretur) vbi ita. *De edente, esca sic exit, quia Leo de Tribu Iuda, ex ore nos aduersi Leonis eripiens, ideo venatur, vt seruet: mandit, vt integret: hoc in nobis edens, quod corrumpitur. Quamobrem optemus huius Leonis præda fieri, ne simus præda Leonis inimici. Christus etenim vita est: & mortale hoc non poterimus deponere, nisi absorbeamur, quia mortem nostram deuorat Christus. Sic ergo de potente exiuit esca, cum amaritudo malitia nostra, per ipsum, in dulcedinem commutata, dulcis, à verbo eius, esca procedimus: qui nos edendo, consumpto peccato, reparauit ad vitam.* Videat nunc Princeps meus, vtri horum, epulum, aut voluptatibus diffluens, aut virtutibus generosum, debeat apparare. 1000.

Iustus, Christo cedit in cibum.

Gen. 49. 9.

Glos. Interl.

Qui per culpam olim, Dæmonis cibus fuerat.

Iud. 14. 14.
D. Paulin.

Ideo Propheta Rex, perfidiam illorum exponens, qui in vitulo Dæmonem coluerunt: ait: *Mutauerunt gloriam suam, in similitudinem vituli comedentis fœnum.* Psalm. 105. vers. 20. Non vitulum vtcunque dixit, sed fœno pastum: vt insultaret infælicibus, qui spretâ, qua per virtutes, Domino Deo, epulum parabant, excelsa gloria, iam voluptatibus dediti, *Surrexerunt ludere* Exod. 32. vers. 6. Et in fœnum conuersi (quia *omnis Caro fœnum*) se, culto Dæmoni in conuiuium præbuerunt. D. August. in hunc locum Psalm. *Vt ab eo comederentur, à quo comeduntur, qui sapiunt Carnem: omnis enim Caro, fœnum.* Claudo hanc paginam graui sententia D. Cæsar. Arelat. Homil. 22. *Omnis homo, charissimi fratres, in conuiuio cordis sui, aut Christum, aut diabolum pascit. Si Iustitiam, si pacem, si castitatem, si misericordiam sectari voluerit: Christum sine dubio & pascit, & reficit, &c. è contrario autem, si superbiam, malitiam, inuidiam, luxuriam, & his similia amare voluerit: Diabolum se reficere, & desiderabiles illi talibus malis delitias,* 1001.

Ps. 105. 20.

Exod. 32. 6.
Peccator, à Dæmone, quem colit, deuoratur.
D. August.
D. Cæs. Arel.

Cor nostrum, semper aut Dæmoni, aut Christo cibũ parat.

delitias non dubitet apparare. Quid ergo miraris si Baltasar cum voluptatibus suis ad inferos dicatur descendisse, quibus se tandin per easdem victimam saginatam in epulum disposuerat.

III.

Voluptatum Hydrops: & Dæmonis, in id solicita diligentia.

1002. ID tamen, in miserâ hâc voluptatum strage, singulare, quòd cùm sciat Dæmon, sibi, Tartareisque flammis delicatos hos Principes saginari: nunquam tamen hanc saginam illis ad satietatem vsque administret: nimirum nouit, per illicita harum desideria, satis inferno iuri, infaustissimas has victimas mancipari: vnde easdem sub delitiarum hydropi conatur distorquere: vt immissa sitis adaugeat delinquendi auiditatem, & fastidij periculum denegata satietas amoueat. Instantem sibi mortem, imminentem delitiarum cum Imperio ruinam, audiuit Baltasar: nec tamen resipiscit, quia hydropicus, nec vnquam satiatus, diuturniorem sibi harum fruitionem, vt cupiebat, ita sperabat: semper in esurie, à Dæmone detentus: ne satiatus, nauseâ moneretur. Nihil his damnis, quotidiana Principum experientia proponit manifestius: & tamen nullibi prædicti Principes cæcutiunt pertinaciùs: ideo non importunum duxi, neruosè magis quàm subtiliter, bipartitum hoc monitum inculcare. Audiendus in primis Eusebius Gallicanus homil. 4. de Epiphan. *Anima negligens & obliuiscens Deum, cùm repleri cœperit crapulâ & ebrietate, vitiorum & criminum fæce corrumpi, captiuos post se trahit sensus, pestifera & inimica dulcedo: & sicut quando humore & scabie cutis corporis vitiatur, inde corruptio exulcerat, hinc prurigo solicitat: ita per oblectationem malorum, de negligentiâ, proficit culpa, & de luxuriâ, crescit illecebra, & pereuntem perditio plus delectat. Quia voluptas transacta non satiat; sed suo vsu magis exercetur vitiorum cupiditas, quàm finitur: ac solum sectatorem suum, nunquam consumenda consumit.* Scabiosa planè & pruriens est voluptas, & scabiosos pueros scalptio non satiat, sed irritat: ita illius vsus, non tam saturitatem inducit, quàm auiditatem euacuat.

Voluptas scabiosa est pruriginosa.

1003. Suspirabat Israel carnes, Manna fastidiens: dolet Moyses importuna vota, & apud Deum, missionem à tam duræ gentis regimine, à tam immani pondere, leuamen orat, post multa sic subiungens: *Obsecro vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis*, Numer. 11. v. 15. Vbi Dionysius, ita: *Quaritur cur Moyses in hoc casu ostendit tantum grauamen, nec more solito Deum exorauit: sed à regimine populi petijt exonerari, & mori?* Et quidem meritò addubitat: multo enim grauiora alia, sanctissimus hic Princeps passus fuerat, duriora populi gesta tolerarat: pro quo tamen supplex potiùs recurrerat ad Deum, quàm sibi afflicto, mortem precaretur. Quid ergo in hoc gentis suæ voto, tam deploratum indoluit, vt mortem regimini præponat: quod nec etiam in vituli adoratione Exod. 32. legitur euenisse? nimirum terrenæ voluptatis erat hoc votum, cuius proinde indulgentia, populum non tam satiaturus erat, quam irritaturus, vt indies nouis ac nouis voluptatibus inhiaret, quò tandem in miserrimum statum deueniret: malebat ergo perire, quàm sic scabiosâ & pruriente voluptate infecto populo imperare. Idem Dionysius, *Ideo non rogauit, vt Deus plebi daret optata cibaria, ne populi augeretur malitia. Concupiscentia enim puerile est vitium: quoniam instar pueri non attendit ordinem rationis: & quantò plus ei consentitur, ac satisfit, tantò plus crescit: quemadmodum puer tantò plus crescit, in propriâ ac pessimâ voluntate, quantò plus sibi dimittitur.* Quàm longè erat ab hac scabie Princeps, cùm illam à populo arcendam, propriâ morte redimere conaretur.

Num. 11. 15.

Dionysius.

Vsu non satiatur, sed excit.

Dionysius.

Indulgentia pueros perdit.

1004. Hinc est, quòd ibidem promittenti Deo carnes, tam anxius resistit, vt cùm fidelissimus esset, & maiora iam expertus, de diuinâ hâc potentiâ dubitare videretur, v. 21. non quòd re verâ hæsitet, sed vt concedendum votum retardaret: cuius quò profusior foret indulgentia, eò prurigo acrior excitanda. Propterea Rex Vates hoc alludens: *Dedit eis petitionem ipsorum: & misit saturitatem in animas ipsorum*, Psalm. 107. v. 10. Vatabl. *Dedit quod poposcerunt: sed simul immisit macilentiam ipsorum animæ:* quasi quænis voluptatis saturitas, sit famelica quædam macies: quâ libidines Harpiarum instar, quò largius sibi indulgent, eò sæuius famescunt. Hinc grauissimè Ieremias, desertum ab Israelitis peragratum, in Symbolum huius sæculi, *Terram sitis, & imaginem mortis*, cap. 2. v. 6. appellauit. Non dixit terram sterilem & sitientem: sed *terram sitis*: quasi sitis esset feracissima, & vbique pro fructibus, sitim germinaret: sicut terram tritici, quæ vberrimè triticum affert, appellamus. Nullam itaque voluptatem fert sæculum, quæ non sit mera sitis, quâ libido potius irritetur, quam satietur. Gillibertus serm. 15. *Quantos trahit ad se deserti huius odor, & tenet, ne possint auelli: odor iste, odor mortis, ad mortem: inanitas est, quam putatis vbertatem. Denique terra sitis est & imago mortis: cupiditates enim mundanas magis irritat, quàm satiat.* Nihil funestiùs, quàm si tollendæ siti, nouam sitim haurires, & inde ardentius gulam irritares, vnde extinguere ardorem solicitabas.

Num. 11. 21.

Psal. 107. 10.

Vatabl.

Ipsa voluptatu satietas famelica.

Ierem. 2. 6.

Voluptas sitis est ardens.

Galfrid.

1005. Pulchrè propterea Principes instituens, Principum disertissimus Salomon, postquam humanæ gloriæ vanitatem latè expendit, sic subiungit: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant*, Eccles. 1. v. 7. vbi Galfridus, *Scimus, quia flumina dulcem faciunt aquam, sicut maria amaram: quid igitur est, flumina intrare in mare, nisi omnem delectationem carnalem terminari in amaritudinem? omne ergo flumen mare intrat, quia extrema gaudij luctus occupat: omnis aqua dulcis in mare decidens, in amaram vertitur: quoniam quidem risus dolore miscebitur.* Planum hoc, de communi voluptatum conditione: illud caligat adhuc, quinam sit locus iste, vnde exeunt voluptates: & cur si iam inde fluxerunt, irrequietis cursibus eodem commeant, vt denuò refluant? Dices ad concupiscentiam recurrere voluptates, vnde manarunt: quæ vbi desinunt, iterum anxiè sollicitant inchoari: ita est: sed cur concupiscentia non sedabatur? Cur

Eccles. 1. 7.

Galfrid.

Voluptatis exitus amarus.

irrequieto motu, extinctas pene suscipit denuò redintegrandas? Non potest res aliter euenire: dulces & suaues processerant voluptates, sed dum infecto doloris, quasi maris salsugine, extremo redeunt, non tàm possunt concupiscentiæ sitim restinguere, quàm irritare: augetur gustata finis salsugine, auiditas sitientis, & dulcibus principiis anhelat æstuantior: sic fit, vt vnde fastidiosior concupiscentia deberet comprimi, proruat feruidior. Nunc capies eiusdem Galfridi verba, quę initio leuiter deprauata, sic correxi. *Ad locum, vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant. Hoc est dicere, ad concupiscentiam, ex qua oriuntur voluptates, quæ non sanant, vel satiant, sed irritant: experta siquidem carnalis voluptas, vrget animum stimulo grauiori; & ad locum, vnde iam semel prodyt, iterum proditura reuertitur, dum expleta concupiscentia non compescitur. Hæc carnalis illecebra gemina pernicies: videlicet, quòd in perpetuâ amaritudine finiatur: & iterum quoque magis irritet animum, quam delectet: ampliùs habens anxietatis in concupiscentia; quàm in experientia voluptatis.* Et quid ni anxietur concupiscentia, si vix initio dulci distillata, totâ finis salsugine exacerbatur.

Amaritudo ista, non tollit sed irritat appetitum.

Galfridus.

1006. Ita est: vix delectatur animus, sed refocillatur: vt nouis incendiis sufficiat tolerandis. Euersam vrbium reginam, captiuos Principes eius, mysticè ad rem nostram, deplorat Ieremias, deinde subdit: *Dederunt pretiosa quæque pro cibo, ad refocillandam animam. Vide Domine & considera, quoniam facta sum vilis.* Thren. 1. v. 11. In eius damni, tanquam perniciosissimi remedium, non solùm Dei oculos, sed insuper solicitat considerationem, Ecclesia Mater: quòd pretiosa quæque expendant filij eius, non tàm vt satient, quàm vt animam, terreno quasi ferculo, refocillent. Et meritò: quis enim cùm bona omnia, & illa pretiosissima viri alicuius ditissimi, ad emendum aliquid venditioni cerneret exposita: non bonorum omnium cumulum, & saturitatem emi cogitaret? hinc ergo extremus dolor, quod tam carò & virtutum omnium iacturâ, carnis delectatio ematur: quia nunquam satiari, sed ad plurimum refocillari animæ conceditur. D. Antonius de Padua, serm. 1. in Dom. 1. post Trinit. *Pretiosa quæque, sunt virtutes, quæ carnales vendunt pro cibo, id est carnis delectatione: quæ non satiat, sed aliquamulum videtur animam refocillare.* Sic refocillatur assumpto poculo durus hydrops, sed vnde æstuantior exferuescat. Tale est illud eiusdem Vatis: *Duo mala fecit Populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ viuæ: & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* cap. 2. v. 13. quia perennibus cælestis voluptatis delitiis renuntians, terrenis inhiat, quarum concupiscentia, pertusus est saccus, perforatum dolium, cisterna dissipata: cui quidquid infundas, sic effunditur, vt in perpetuâ siti perseueret. In consimilem locum alludebat D. Gregorius Nyssenus, lib. de quinque Beat. cap 4. *Nihil earum rerum, quibus voluptatis gratiâ studetur, in hoc sæculo operam dantibus, satietatem affert: sed vt aliculi per ænigma, atque inuolucra verborum, sapientia dicit: Dolium perforatum est, occupatio circa voluptates: quis semper sedulò infundentes, ac quidquid ad voluptatem facit, super iniicientes: ad satietatem verò, cupiditatem non deducentes.* Habes iam factam miserrimè, fictam illam

Thren. 1. 11.
Voluptas, non ad satietatem datur, sed ad gustũ.

D. Ant. de Pad

Ierem. 2. 13.

D. Greg. Nys.
Voluptatibus indulgens, Belidum pœnâ torquetur.

Belidum fabulam, quæ à poëtis in Inferno, perforatis hydriis flumen haurire perpetuo describuntur.

1007. Satis ergo, ingenio suo hydropico, fallaces voluptates, adhuc fallaciores, & ieiuniores reddit Dæmonis studium: qui totus contendit, vt nunquam exsatiatâ libidine, noua identidem siti torquearis: & saturitatis fastidio interdicto, auidus semper inhies, non implendus. Ab humanæ necessitatis lineâ, ad voluptatem, te inducet, transilire: nunquam tamen ad voluptatis metam te adducet, ne vel saltem prouocatus ad nauseam resilias. Bene Hugo Victorinus in Syl. Alleg. ad cap. 25. Genes. Carnales motus pilis comparans sic scribit. *Pilus in carne radicem figit, sed excrescendo, carnem excedit: ita carnis motus, de necessitate oritur, sed excrescendo, vsque in voluptatem profluit: & sicut pilus præcidi potest, sed euelli sine dolore non potest: sic superfluitas, sine detrimento carnis præciditur, sed non necessitas.* Huc ergo laborat, vt è necessitate, profluas in voluptatem: hanc tamen sic hiulcam, vt nunquam satiatus conquiescas. Tentaturus Christum ait: *Si filius Dei es, dic vt lapides isti, panes fiant.* Matth. 4. v. 5. Sed quid opus erat, multiplicare miracula: & plures panes poscere faciendos: qui faciliùs posset sperare se audiendum, si vnicum tantum fieri postulâret? Respondet ex ore Christi, Nicetas, in Orat. D. Greg. in sanct. Baptisma: his verbis. *Non ignoro cogitationes tuas, ô pernicies: quia aliud vis, aliud prætendis: prætendis necessitatẽ, vis autẽ me cibis expleri, & ingurgitari, voluptatique indulgere: ac propterea non panem, sed panes fieri poscis.* Quia vnus panis necessitati plures, iam voluptati gulosæ deseruirent. Sed tu mihi pende, totam apparati epuli ingurgitationem, panibus, edulio vulgarissimo, contineri: non pretiosa fercula, non bellaria porriguntur: vt etiam ingurgitatus panibus venter, aliquid delicatius esuriret. Fauet Chrysologus serm. 13. *Signum panis petit, vt ieiunij tremendum sibi refugiat signum: panem malus ingerit consolator, vt virtutem mutet, & propositum violet ieiunantis.* Quasi dicat: curtissimus & auarus consolator, non delitias, non cupedias proponit: vnicum est votum, virtutem infringere, non gulam satiare.

1008. Tritum in hanc rem illud infausti Prodigi, à cælestis Patris epulo, in Porcorum, id est carnales voluptates, deturbati: semper tamen aliquid restat excutiendum. *Cupiebat implere ventrem suum, de siliquis quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Luc. 15. v. 16. Ille quidem, non solùm sceleratus, sed sceleratorum magister, à Dæmone constitutus, socios suos porcorum instar, sordidis voluptatibus pascebat. Vnde bene Chrysologus serm. 2. post multa de Diabolo, sic subiungit. *Quòd autem Mercenarios suos mittat ad porcos, facit hoc insatiata crudelitas, quæ contenta non est, homines criminosos fieri, nisi eos vitiorum duces, criminum faciat, & Magistros.* Quid ergo de eo, qui aliis voluptates (ceu porcis, à quercu glandes excuteret) ministrabat, dici potest, *& nemo illi dabat?* Cur careret delitiarum siliquis, quas sociis porrigebat? expende quæso attentiùs verba: non enim cupiisse siliquas, sed siliquis implere ventrem, hoc est, satiari voluptatibus cupiisse. Hoc erat ergo, quod illi nemo dabat, hoc, quod Dominus Dæmoni, interdicebat: vt nulla satietate commotus ad fastidium, quo semper

Dæmon, sub prætextu necessitatis voluptatem propinat.

Hugo Vict.

Nunquam tamen satiat, ne generet fastidium.
Math. 4. v. 5.

Nicetas.

D. Pet. Chrys.

Luc 15. v. 16.

D. Chrysol.
Dæmon, non solum te scleratum, sed etiam sceleratorum ducem cupit.

Nunquam in voluptate, etiam vilissima satiabis.

per plures ardentiùs desideraret, plus delinqueret. D.Chrysol. Nunc capies Chrysologum, qui subiungit: *Cum eos tales fecerit, non sinit eos ex ipso porcorum cibo pastúque saturari, vt esurientes vitia, plus delinquant: luxuriosos satietas capere non potest: voluptas nescit expleri.* Vnde capio, cur de ipsis sociis Porcis, non tam dicatur, *explentur*, quam, *manducant*: quia & si mandere poterant, non tamen saturari: quorum etiam spurcior magister esuriebat. Et fortassè ideo paulo ante de Idem. illis dixerat Chrysologus: *Qui proni semper in terram, viuunt ventri; & aestus carnis in volutabro luti temperant, in cœno premunt, refrigerant in gurgite vitiorum.* Itaque temperare, refrigerare libidines dabatur, extinguere vel explere, non concessum. Vide plura in eandem rem serm. 5. apud eundem.

1009. Exod. 32. 4. Voluptas Imperio adoratur. Ingratissimè Idololatra delinquit Israël, & sibi ex auro fecit *vitulum conflatilem.* Exod. 32. vers. 4. Quasi in lasciuo bruto, lasciuiam & voluptates consecraret: hinc enim ebrietatibus & saltationibus subitò indulsit, vers. 6. Aliqui ex priscis, non tàm totum vitulum, quàm caput vituli, adoratum credunt, in hoc loco. Non est præsentis instituti discutere quæstionem: hoc tamen interim concesso, quæro, quid-nam intenderet Dæmon, dum solùm turpissimi idoli caput exhibet amplectendum? Respondet Steph. Cant. Qua tamen [...]enter sub [...]atia con[...]sit. Stephanus Cantuar. in Sylu. Allegor. *Notandum quod Populus non adorauit totum vitulum, sed caput vituli. Vitulus est luxuria: Caput delectatio: hanc Diabolus cupit ab homine adorari, vt delectetur in peccato. Vel quia caput prima pars est, vult semper ipsum esse in principio, non in fine.* Ne scilicet vnquam satiet luxuria, nunquam finem inueniat, sed quasi in principio, nouis, rabidâ siti, inhiet voluptatibus. Quid tunc Moyses? *Arripiens vitulum quem fecerant, combussit & contriuit vsque ad puluerem: quem sparsit in aquam: & dedit ex eo potum filiis Israël.* Ibidem Vers. 20. Voluptas turpes, si quandoque saturarentur, despicerent. vers. 20. Noua & inusitata pœna fuit, sed indidem aptissima medicina: quâ se Moyses dæmonis conatibus mirificè opposuit. Materiam peccati guttatim, obiecto solo principio culpabiliter gustando, Dæmon indulserat: Moyses eandem materiam, sed innocenter exhauriendam obiicit eisdem: vt cognoscerent turpissimi illius sceleris vanitatem: quo si impiè à Dæmone satiarentur, non minùs ad nauseam prouocati, fastidirent illud, quàm modò, dum piâ pœnâ, inculpabiliter indidem saturantur. Sic capiendus Oleast. (non de formali, vt vocant, peccato) Oleaster ibi, dum exemplum Chrysologi huc accommodat. *Sed quare eos potauit peccato? Docet Petrus Raueñas, tractans illud Luc. 15.* Cupiebat saturari de siliquis, quas Porci comedebant; *Sapius Diabolum non sinere peccatores peccatis suis satiari, ne post saturitatem, fastidio illis sint. Et sæpè contingere vt peccatores saturi, ad Deum redeant faciliùs. Vt ergo peccatum isti de cætero fastidirent, saturauit eos peccato ac vitulo suo.* Sed

1010. Num. 11. 20. Videtur Deus, quandoque permittere, vt satiemur voluptatibus vt illas fastidiamus. in exemplum aliud.

Recurre ad suspiria illa, quibus, vt initio huius moniti dicebam, perditissimus hic Populus carnes appetebat: audíque Deum promittentem carnes, vt ederent, vsque ad mensem, *Donec*, inquit, *exeat per nares vestras, & vertatur in nauseam.* Num. 11. vers. 20. Prætereo nunc euoluere, an præter impiam, ingratæ gentis, perfidiam, quæ his votis immiscebatur, etiam ipsa immodica voluptas comedendi, grauem culpam in hoc casu importarit: mihi satis si saltem aliquam culpam, quæ hîc negari non potest, iam admittas. At quidem cum nullius culpæ Author possit esse Deus, quis non miretur, quod in hoc loco gulosæ huius voluptatis author haberi videatur dum tot carnes obtrudit? vt fœdo vomitu, etiam per nares veniant regerendæ? Quomodò iusta, seuerissima illa pœna, quam ab eisdem vers. 33. Dominus postulauit, cùm ipsum culpæ authorem viderentur habere? absit. Nec etiam temerè id iactarent impij, qui solùm proprio, accepti beneficij, abusui, culpam suam videbant imputandam. Non ergo author, sed permissor illius voluptatis obiectâ illis liberâ occasione, Deus habendus: idque, vt puto, ingenti beneficio: si enim, (quod vult non improbanda Theologia) effectus quandoque est Prædestinationis, peccati permissio, turpissimæ saturitatis præsentis permissionem, præmeditatæ à pio Numine salutis, effectum arbitrarer. Cupiebat Dæmon, vt Israël voluptatem hanc, carnis deuorandæ, tantisper degustaret, vt semper sub eodem turpissimo desiderio, auidus persisteret: permittit verò Deus saturitatem, vt ad nauseam perductus, faciliùs conuertatur. Non aliter capiendus meus Oleaster loco suprà citato, literam sic explicans. Oleast. *Crediderim, quòd vt eis Idololatria nauseam induceret, voluit vt pulueribus idoli sui satiarentur. Sic Numer. 11. fecit, cùm enim Populus carnium desiderio flagraret: satiauit eos, vsque quò per nares eas proijcerent: vt satiati, de cætero eas ampliùs non desiderent.* Patet igitur quò tendat, oppositum, in hoc negotio Dæmonis studium.

IV.

Sæuissima voluptatum Tyrannis, in Principes exercita, fusè describitur.

Satis funesta voluptas, perpetuæ sitis durissimo tormento: sed adhuc immanissimo imperio, longè funestior. Tyranna Principum, 1011. Quam tyrannicè imperet Principibus, voluptas. Domina Tyrannorum, animis insidet, sensibus dominatur: nec ita sæuus vnquam Nero suis, quàm Neroni, voluptas sæuior imminebat. Nihil morte horribilius habet iniquus Princeps: & tamen audit ingruentem mortem Baltasar, nec sibi cauet, vt pœnitens, ictum si fortè, contendat fugere: nimirum dominâ voluptate retardatus, & floridis, sed sæuissimis compedibus impeditus, solummodò ad arrogantem imperatricis nutum moueri poterat. Verissimum vbique est illud D. Gregorij Nysseni, loco suprà D.Greg.Nyss. num. 1006. citato, cap. 3. sic scribentis. *Quiuis eorum, qui in nobis sunt affectus, cùm praualuerit, Dominus subiecti, & in seruitutem redacti existit: ac veluti Tyrannus quisquam arce animi occupatâ, subditos vexat, ac affligit obedientes: ministris ad id, quod ei placitum fuerit, nostris cogitationibus abutens.* Nullibi tamen hoc veriùs, quàm in Principibus, quibus vt paratiora fruendæ voluptati instrumenta, sic etiam arctiora indidem

didem vincula, obsequia fœdiora. Est grauis in hanc rem gnome illa ethnici Dionis Chrysostomi, Orat. 80. *Prima Domina, opinor, ad vnam quamque partem, voluptas est: sæua quidem, alioqui & hostilis, & insidiosa aspectu: iucundè tamen, atque sardonium quiddam subridens occurrit: fértque vincula, iuxta naturam suam, florida molliáque primum, quibus par est vinciri Reges aut Tyrannos, & omnes quicunque Beatorum dicuntur filij. His autem vinculis sæuius nihil, neque magis inhærens, aut constringens.* Qualis sit sardonius iste risus voluptatis, ex hoc loco, & multis aliis, *in Cant. Tropol.* fusiùs explicaui: ad rem præsentem, infaustissimam Principum seruitutem, sub voluptatis Tyrannide hinc agnosce: quam deinde, per sua membra, mecum excurrens, attentiùs considera.

Dio Chrys.
Tyrannicam voluptatis effigies,

1012. In primis quidem, *Hostilis & insidiosa aspectu* contra Principes progreditur voluptas: quia nullo vnquam hostium incursu, Principis thronus, Reip. status sic concutitur, vt voluptate grassante perturbatur. Descendebat cum Iosue suo Moyses è monte, dum populus ebrietati indulgens, voluptuosis lusibus, lasciuis saltationibus insonaret. Et ait Iosue, *vlulatus pugnæ auditur in Castris.* Exod. 32. v. 17. Non erat vox ista cordis timidi, sed amoris timentis Populo, belli pericula, se absente: cúmque res sit solicita plena timoris amor, credidit fortissimus Iosue, hostili incursu aliquo Populum vexari, quod se absente fieri dolebat. Oleaster ibi. *Bonus Dux, qui semper à bello timet suis.* Tunc Moyses, qui rem iam nouerat, ad Iosue: *Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam, sed vocem cantantium ego audio.* v. 18. Neque tamen legis exhilaratum, hoc responso Iosue, & quasi curâ depositâ, de non timendis, Populo, suo hostibus, recreatum. & cur ita, si adhuc Idololatrarum luxum ignorabat? quia è mœsto Moysis vultu, & verbis lugubriter indignatis, satis didicit, inordinatam esse Populi lætitiam: illámque voluptatem vanam, (vndecunque irrationabiliter veniret) quouis hostili incursu, Populo periculosiorem instare, intellexit. Allucet Oleaster, qui sic ad verba Moysis subiungit. *Magis timenda est in Populo, lætitia inordinata, quàm belli clamor, aut tristitia.* Hæc est enim sæua Tyrannis voluptatum, vt plus noceant subiectis, quàm si armatas hostium phalanges, falcatos currus eisdem admouerent.

Voluptas imperium hostiliter euertit.
Exod. 32. 17.
Oleaster.
Dux bonus, belli pericula suis timet.
Vers. 18.
Oleaster.

1013. Capitur à bellicis Custodibus Iudith, & ad Holophernem Principem introducitur: qui, *statim captus est in oculis suis.* cap. 10. v. 17. Ecquis horum, durius bellum passus: strictiore detentus captiuitate? tenetur in Tabernaculo Principis puella, & in puellæ oculis Princeps ligatur: illa meditatur Triumphum, iste infaustissimæ morti destinatur: corpore illa, hic animâ, seruitutem profitetur. Dixit prudenter Gellibertus serm. 15. *Imaginaria libertas est, quæ de radice non oritur charitatis. nec tam nititur confessio talis libertate suâ, quam alienâ licentiâ vtitur: precaria est, non propria, ex Principum fixure pendet, non procedit de calore fidei.* At in hoc loco Princeps Holophernes, qui deuictas bello tot gentes, imaginariâ saltem hac & precaria libertate donarat: sic tyrannæ iam subiacet voluptati, vt nec etiam libertatem precariam obtineat: quia duriora, ab huius bello vincula, quàm ab ipsius bellis Gentes patiebantur. Scilicet intrà muros Bethuliæ habitatores ab ipso obsidebantur, sed intrà corporis claustrum, obsessoris anima, non solùm obsessa, sed vincta tenebatur. Eleganter in re simili Saluianus lib. 6. de Prouid. *Quis æstimare hoc malum possit? circumsonabant armis, muros Chartaginis, Populi barbarorum: & Ecclesia Chartaginensis insaniebat in Circis, luxuriabat in theatris: alij foras iugulabantur, alij intùs fornicabantur: pars plebis erat foris captiua hominum, pars intùs captiua vitiorum: cuius peior fuerit captiuitas, incertum est: illi quidem erant extrinsecus carne, sed isti intùs mente captiui: & ex duobus lethalibus malis, vt reor, lenius est captiuitatem corporis quàm captiuitatem animæ sustinere.* Vt misera vrbs, infaustiùs voluptatis pellacis, quàm barbari exercitus bello, oppressa nosceretur: nec funestiùs aduentitij Tyrãni, quàm susceptæ iam Dominæ iugo, torquenda foret.

Iudith. 10. 17
Gellib.
In solâ charitate, vera libertas.
Hostilitas voluptatis, inducit captiuitatem.
Saluianus.
& hanc durissimam.

Neque mirum: vbique ciuile, & intestinum bellum, quouis alio externo habetur periculosius: nullum autem, quàm quod voluptas inducit, ciuile magis, dirius intestinum. Absorpto iam voluptatibus, aquis deinde diluuij homine absorbendo: ait Deus: *Non permanebit spiritus meus in homine, in æternum, quia Caro est.* Genes. 6. v. 3. id est portio illa animæ spiritualior, quam virtutibus meis orno, iam deinceps in homine non durabit. In Hebræo apud Oleastrum legitur. *Non litigabit spiritus meus cum homine.* Sed si homo ex corpore & animâ constabat, quæ lis, quæ rixa nisi ciuilis in ipsa intelligatur? bene idem Oleaster. *Audis, quàm abhorreat Deus à carnis immunditia, vt spiritus eius semper litiget cum ea, vt cupiat eam punire. Similiter docemur non esse peccandum, ne huiusmodi rixam, inter spiritum, & carnem patiamur.* Sed tamen in hoc bello vides, victas virtutes spiritûs, carnalibus delitiis cessisse, priúsque & infæliciùs voluptatum Tyrannidi, quàm pœnali diluuio hominem subiacuisse. Putares ergo fortasse, iam sic fugato, & expugnato spiritu, miseræ Carni, voluptatem pacificè, benignè imperare, falleris, tunc furit sæuior, tunc durior tyrannizat. Nescio an id, obscurius licèt, illis verbis inculcetur, quæ subduntur: *Omnis caro corruperat viam suam, super terram.* v. 12. id est singuli carnales vnius cuiusque affectus, viam & procedendi tenorem corruperunt, & quidem si dixisset, singulos contrariarum virtutum terminos, & vias deuastâsse, nihil mirum: vnde tamen vias suas, & terminos dicantur deuastare: qui quò effrænatius ruunt, eò magis propriè vias carnis sectari & tenere, dicendi videbantur? Sed hæc est summa hostilis voluptatis Tyrannis & sæuities, vt eiusdem captiui sibi cordis vitia, inuicem in certamen committat: & cogat deserto propriæ malitiæ tenore, alienæ malitiæ terminos hostiliter inuadere, si inde voluptati suauius titillandum. Singuli ergo captiui cordis affectus, in Tyrannos insurgunt se inuicem oppugnantes, vt supremæ voluptatis tyrannidi deseruiant. Do carptim quædam ex multis quæ pulcherrima huc dedit Cellensis Abbas lib. de Panib. cap. 15. Hominem olim liberum, nunc miserrimè seruum sic describens. *Meminit seruus iste, antiquos libertatis discus suæ: cibaria suspirat angelica: gratissimi aeris commutata deplorat amplissima spatia: spinas portat, in spinam defixas: sagittas sentit natantes, per viscerum medullas:*

1014.
Nullum bellum, ciuili & immanius quàm a voluptate
Genes. 6. v. 3.
Oleaster.
In hoc bello non solum Caro aduersus spiritum, sed vitia inuicem contra se decertant.
Vers. 12.
Abbas Cel.

Peccati seruitium, seruitutum seruitium.

las: dorsum suum, à pessimis super fabricatoribus recuruatum: gemit, & præcordijs palpitantibus, abyssum miseriarum se iam absorbere cernit, Omni desolatione, consolatio durior: cibus vniuersis ieiunijs austerior: vestis, nuditate asperior: indignatur magis de tali seruitute, quàm de seruitute: est enim seruitus peccati seruitutum seruitus: seruus enim peccati, seruus est tot dominorum, quot vitiorum: imperant ei vitia, non domini, sed Tyranni. Tunc paucis interiectis, intestina illorum bella, alienos terminos inuadentium sic describit, *Rixantur frequenter, quis oculum, quis manum, quis pedem, quis aliud quodlibet membrum serui, vindicans sibi abscindat. Se in oculis regnasse, luxuria allegat, voracitas in gula, mendacium in lingua, crudelitas in manibus, leuitas in pedibus, in auribus vanitas. E contrario, curiositas oculum, gulam inobedientia, susurrius linguam, manus auaritia, pedes intemperantia, aures iniustitia, vendicant: mallem non habere membra, quàm tot suppliciorum pendere vectigalia: inclementius nihil hac exactione, vbi solutum semper repetitur, innouata cum cruciatibus repetitione.* Pergo ad alia.

Voluptas non solùm hostiliter, sed insidiose ingruit.

1015. Minus mali esset, si in Principes, aperto marte voluptas decertaret: sed non solùm *hostilis*, sed etiam *insidiosa aspectu*, pergit Tyranna: ideo *fert vincula iuxta naturam suam florida & mollia*: vt scilicet per dolos capiat, & sub florum amœnitate spurcitiem turpissimam abscondat. Congessi in hanc rem multa alibi: addam vnum verbum, quo Princeps meus, turpitudinem sub his floribus occultatam vitare instituatur. Cygnus auis pulcherrima, niuium pudor, & in morte, vt ferunt, musicus suauissimus, sic olim mortalibus gratus, vt Dearum pulcherrimæ Veneri tribueretur: & tamen vt nosti, ex Leuitico c. 11. vers. 18. non solùm à diuino altari, sed etiam à mundâ mensâ, arcendum putauit Moyses: Dices fortasse indidem immundum Iudæis habitum, quòd apud ethnicos, turpissimo idolo sacraretur. Non assentio, cùm Columba eidem Veneri in deliciis habita: & diuino altari, & sanctis epulis, ab eodem Moyse purissima commendetur. Quid ergo? turpem & nigerrimam carnem sub amœnissimo plumarum celat splendore Cygni: & quod inter feras lupis contigit, id Cygnis inter Aues, scilicet cognata eiusdem met generis cadauera inuicem deuorare. Plinius lib. 10. c. 24. *mutua carne vescuntur inter se*, in voluptatum igitur symbolum, immundi à Deo fortasse habebantur: quæ hypocritæ spurcitiem suam velant, & se inuicem vt vidisti impugnant, & absorbent. Paulò aliter, sed etiam in Magnatum doctrinam, ibi Stephanus Cantuariensis in Sylu. Allegor. *Cygnus candoris eximij, qui protensione longi colli, ex altitudine, terra atque aquarum cibum trahit: eorum prætendit speciem, qui vestitus sui splendore, plus æquo gloriantes, de sola terrenarum rerum abundantia, contemptis cælestibus, consolationem accipiunt.*

Leuit. 11. 18.

Plinius.

Velium pompa vana.

Voluptate nihil mollius, nihil diffluentius.

1016. Illud singularius, quòd non solùm florida, sed etiam *mollia vincula* ingerat voluptas, quibus tamen durissimè Principes constringat. Fortasse vt mollissimos Principum affectus, & sic diffluentem innuat concupiscentiam, vt nihil istis mollius veniat cogitandum. Tenebat regiam Patriarcharum familiam, sub misera Ægyptiæ voluptatis seruitute, infernus Pharao: cœno & luto componendis lateribus miseros adigens, vt limosæ carni deditos traducat: additque insuper impiis Administris: *Nequaquam vltrà dabitis paleas populo, ad conficiendos lateres, sicut prius, sed ipsi vadant & colligant*, Exod. 5. v. 7. quia quantum in se erat, nihil quod fluidam & labilem carnem constringeret volebat apparatum. Huc allusit obscurè sed pulchrè D. Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Pasch. libertatem à Christo inductam, sic commendans. *Ægyptum, hoc est triste, acerbéque persequens peccatum, & Pharaonem inuisibilem Tyrannum, & amarulentos operum præfectos fugimus; ad supernum Mundum migrantes: atque à luto, & lateritio opere liberamur, hoc est, ab incertà & lubricà, ac periculosa carnis huiusce compactione, atque in plerisque ita imbecilli, vt ne palearibus quidem cogitationibus, rationibúsque contineatur.* Quid limosa illa materia fragilius, quam non solùm duriores aliqui, sed neque mollissimi, palearum, nexus, constrinxerunt? talis aliquorum caro, quibus vel etiam futilium rationum paleas, Dæmon inuidet, ne vnquam vel leuissimè comprimant libidines, sed in perpetuo fluxu dilabantur. Explicat autem optimè paleares has rationes ibi Nicetas, *Conueniebat nos, densis ac solidis, spiritualibúsque rationibus constrictos, à fœdis voluptatibus, propter Dei amorem restringi: at nunc improbissimi quique, ne subuentaneis quidem, & lenibus rationibus continentur: vt si non propter Deum, saltem ad laudem hominum emerendam, à flagitijs abstineant.* Hæc est voluptatis fœdæ Tyrannis deploranda, quæ caruem nullis etiam leuissimis rationis nexibus constrictam, sic innata eiusdem carnis mollitudine sub imperio suo constringit securissimè: mollia gerit vincula, quasi ab ipsa carnis mollitie conformentur: eò enim tenaciùs & strictiùs sub iugo voluptatis detinetur, quò mollior diffluit, & in vitia dilabitur expeditior. Talis infaustissima Regina Phædra, quæ priuignum Hyppolitum deperiens, nec etiam paleari prostrandi honoris, prodigendæ famæ timore, à voluptate fœda arcebatur, vt dolens exclamaret:

Exod 5. 7.

D Gregor.

Voluptas non solù solidas, sed etiam apparentes rationes enirat.

Nicetas.

Vos testor omnes Cælites, hoc quod volo, me nolle.

Seneca.

eò ibat misella, non quò ratio, sed quò domina voluptas imperabat: cuius mollissimis vinculis constricta, seruitutem fateri cogebatur; inde ad amasium:

Me vel sororem Hyppolite, vel famulam voca,
Famulámque potiùs: omne seruitium feram:
Mandata recipe sceptra, me famulam accipe.

Plura Seneca in eadem Tragœdia, vnde regalia pectora moneantur.

Principis voluptas in necessitatem versa.

1017. Concludit Dio, His mollissimis vinculis *nihil sanius, nihil magis inhærens, aut constringens.* Et quidem nil veriùs, Principi voluptatibus seruienti, dici potuit. Dixi suprà num. 1007. hunc esse non leue hominum periculum, quod è necessariis naturæ, ad voluptatis superflua, facilè dilabuntur, sed longè hæc in Principibus & Dynastis periculosior, quibus ex assiduo vsu ipsa voluptas vertitur in necessitatem. Quanto ergo dolore, naturæ necessaria subtrahuntur, tanto necessariæ, iam Principi, voluptates denegantur: arctissimo quippe vinculo, & natura & necessitas constringuntur: nec minùs arcto, iniquus Princeps voluptati copulatur. Quæ ergo sub sæuæ Tyrannidis tenacissimo nexu, durior serui-

Senec.

tus poterat existimari? Audiendus Seneca Epist. 39. de his talibus, *Voluptatibus vtique se immergunt, quibus in consuetudinem adductis, carere non possunt: & ob hoc miserrimi sunt, quòd eo perueniunt, vt illa quæ superuacua fuerant, facta sunt necessaria: seruiunt itaque voluptatibus suis, non fruuntur: & mala sua, quod malorum vltimum est, amant. Tunc autem consummata est infœlicitas, vbi turpia non solum delectant, sed etiam placent: & desinit esse remedio locus, vbi quæ fuerant vitia, mores sunt.* Digna sententia, quæ adiunctis sacris, huic Monito, pulchrior irradiet. Illustremus.

Vitia, in mores vertuntur.

1018. Ioel.1.5. Districturus Ioël, minas dirissimas, quibus extremam pœnam, & illam instantem, vniuerso iam Israëli portendebat: sic prius ad Proceres, & delicatos vrbium Dynastas. *Expergiscimini ebrij, & flete & vlulate omnes, qui bibitis vinum, in dulcedine: quoniam periit ab ore vestro.* Cap.1. vers. 5. Mirum exordium! Prouinciam, paulò post descripturus, in desertum reddendam, & ab hostibus leonum instar spoliandam: virgines accinctas sacco: pollutos Sacerdotes: ablatum sacrificium: fructuum sterilitatem summam, mortis flagellum: à Principibus incipiens, quibus terribilius quidquid videbatur minaturus, solum negatas delitias, quasi singularissimum aliquid, prudenter denuntiatur? imò prudentissimè. Proceres erant sic epulis & voluptatibus assueti, vt solùm quò luxuriosè biberent, viuere viderentur: ideo expergisci iubentur, quasi sub vno ebrietatis somno vitam transigerent: vnde his delitiis in consuetudinem adductis carere non poterant, quin morti succumberent: sic quæ fuerant superuacua, necessaria illis facta fuerant. Nec ergo illis aliquid fœdiùs obiici potuit ad culpam, nec sæuiùs ad pœnam nuntiari. Ruffinus Pius ibi. *Acerbiùs mordet penuria delitiis assuetos: & luxuriosis non solùm inopia, sed etiam frugalitas ipsa, tormentum est. Cum egestatis esset incommoda narraturus, à mediocribus cœpit, & delitiarum tantùm damna contingit, quæ non in commune cunctis, sed helluonibus tantum possunt esse metuenda: eósque tam viliter æstimat, vt propter solam voluptatem viuere voluisse, pronuntiet.* Quibus enim voluptas in necessitatem versa fuerat, iam vitam seruare, aut seruire voluptati, perinde erat.

Quanto dolore necessaria hæc voluptas, præcidatur.

Ruffin. Pius.

1019. Pulchrè igitur addit Seneca; *Seruiunt voluptatibus suis, non fruuntur:* Neque enim sub tàm sæuâ Tyrannide, fruitio, sed seruitium inuenitur: vbi enim fruitio absque libertate? Aut quæ libertas, vbi iam necessariò, alienis voluptatis imperiis deseruitur? Iurârat Impius Herodes purpuratæ saltatriculæ, etiam dimidium regni, si peteret, concedendum: tunc petito ab impiâ, impiis Matris monitis, Baptistæ capite, subditur statim: *& contristatus est Rex propter iusiurandum: & propter simul discumbentes, noluit eam contristari.* Marc. 6. vers. 26. de quo D. Andreas Cretensis Orat. de Bapt. *O amentiam, & prætextum absque ratione! si enim petiisset, quod à regno excederes, quomodo esses executurus, quod ei iuraueras? si petiisset etiam, quod Matri effoderentur oculi, aut etiam imperâsset, vt omnino ab eius recederes consuetudine, impleuisses ne, quod petiisset?* Vnde igitur non videbat infaustissimus Princeps, se reddendo Baptistæ capiti non teneri, neque temerarij iuramenti vinculis non obligari? Videbat absque dubio; sed sub durioribus tyrannæ voluptatis vinculis detentus, & totus illius nutibus obtemperans, id quod nolebat, velle cogebatur: timebat amicam meretricem contristare, & turpissimi commercij delitiis obstrepere: ideo non quòd sibi Regi, sed quòd reginæ voluptati visum exequitur seruus humilis necessariò. Idem D. Doctor, post pauca. *Sed vt videtur, omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati; nam qui voluptati suam subiecit rationem, fit quidem, sed non apertè, seruus motuum animi.* Ad primum enim, libidinosi motûs nutum sic obtemperat, sic vel leue voluptatis Imperium exosculatur: quasi abiectissimus verna, scuticam, verberandus perhorrescat. Et benè addit, *sed non apertè:* Quia hæc est Principum, sub voluptate seruitus miserrima, vt cùm regnare foris videantur, in occulto seruitium infame patiuntur. Impleui de hoc alibi longas paginas: do vnum Chrysol. qui ad illud Apostoli: *Liberati autem à peccato, serui facti estis Iustitiæ:* Rom.6. vers. 18. Sic scribit, serm.114. *Ante serui peccati, nunc serui Iustitiæ, per Apostolum. ecce succedit seruitium seruitui. Contumax, tu, nunc tempus tuæ libertatis ostende: peccatum te, ante mentiebatur liberum, quem tenebat miserande captiuum: Nunc gratia te vocat seruum, quem vt verè faceret esse liberum, Dei ipsius adoptauit in filium.* Eò ergo durior, quò minùs aperta seruitus sustinetur.

Sic voluptati non tàm fruitio, quàm durissimum seruitium, inhæret.

Marc.6.26.

D. Andr. Cretens.

Iuramenti temeritas, damnatur.

Seruitium voluptatis, in occulto.

Rom.6.18.

D. Chrysol.

Pergit Seneca. *Tunc autem consummata est infelicitas, vbi turpia non solùm delectant, sed etiam placent.* Id est, non solùm captiuis sensibus voluptas titillat, sed etiam voluntati, applaudenti seruitium, dominatur: quæ miserrimè consopitâ ratione, non solùm cum sensibus turpiter delectetur, sed etiam ibidem turpiùs sibi complaceat. De seruo, qui post legitimos seruitutis annos, oblatam à Domino libertatem respuebat, ita Deus: *Offeret eum Dominus Diis, & applicabitur ad ostium & postes: perforabitque aurem eius subula: & erit ei seruus in sæculum.* Exod. 21. vers. 6 Erat vulneratio ista Auriculæ, nota fœda, quâ quodammodo stigmatias (quasi per summam, inter seruiles, contumeliam) infaustus reddebatur. Sed cur qui Dominicæ familiæ amore, & propriæ etiam vxoris ac filiorum, quos ibidem relinqueret, (vide textum) detinebatur: non solùm in perpetuum seruiat, sed insuper notatus in familiâ perseueret? An non potiùs, de fidelitate in Dominum iste commendandus? Respondet ibi Oleaster. *Quanti facienda sit libertas, optimè docet locus iste, & quas pœnas subire debeat, qui eà non vtitur, cùm possit, &c. Docet etiam eos puniendos, qui dedecus seruitutis non sentiunt, neque curant, vt sentiant.* Nimirum non solùm seruitute infœlix delectabatur, sed etiam indidem sibi, iudicio obcæcato complacebat, qui oblatæ libertati renuntiabat: ideo merito non solùm perpetuum mancipium, sed viliter stigmaticum retinendum. Quid-ni ergo non solùm seruus, sed fœdissimè stigmatias denotetur, Princeps ille qui sub Tyranna voluptate sic libens seruit, vt non solùm delectationem, sed etiam complacentiam admittat? Benè Philo Iud. lib.2. Allegor. Prædictum hunc locum sic allegorizat. *Rectè, quòd seipse in seruitutem asserit: qui enim potest esse non seruus, dicendo: meus herus intellectus est, meus sensus sufficit ad discer-* 1020.

Sed miserrimè voluntarium.

Exod.21.6.

Cuiusuis seruitutis nota, infamis.

Oleast.

Phil. Iud.

Peccator, qui vocanti gratiæ, volens obsurdescit, etiam, si voluerit, non reddetur auditus.

nenda corpora, mea sunt, quæ ex his progignuntur, &c. Sed non satis est, ipsum suopte damnari testimonio, quin & Dei percellitur sententiâ, iussus certam æternámque seruitutem sustinere: aure perforatâ insuper, ne sermones virtutis percipiat: atque perpetuo intellectui sensibúsque seruiat, malis dominis, & inclementibus. Proprio enim iudicio, id est, fallaci, brutísque sensibus, (in supremæ dominæ voluptatis obsequium) sic deseruiens, iam quodammodò ad virtutem resipiscere non potest. Quod alibi ex hoc loco Philonis fusius ponderaui. Pergo.

1021. Deuicto iam, & funditùs euerso Amalech, addit Textus. *Dixitque Samuël: adducite ad me Agag Regem Amalech: & oblatus est Agag pinguissimus, tremens.* 1.Reg.15.vers.32. quo tremor ille protuberantis pinguedinis nuntiatur. Heb. & Chal. legitur. *Agag delicatus, delitiosus.* Quasi diutinis voluptatum delitiis indulgens, in monstrosam pinguedinem deueniret. Sed mira est versio aliquorum apud Vatabl. qui legunt. *Agag in vinculis.* Quasi sit idem delitiis diffluétem, quàm vinculis adstrictum, nominâsse: quia sub impia voluptatis Tyrannide, quot vitia, tot vincula subierat. Sed longè magis ad rem nostram emphatica, aliorum ibidem versio, quæ habet: *Agag gaudens & hilaris* Hæc erat consummata eius infælicitas, quâ sub voluptatis seruitute vinctus, gaudens aliunde & hilaris, degebat infamis Princeps: quasi turpia non solùm delectarent, sed etiam amentissimo placerent. Vidit sæculum nostrum, Agag nouum, Henricum Octauum, Angliæ Regem: præ turpissimis deliciis, enormi pinguedine laborantem: inexplicabiliter vinctum, tot Augustarum meretricum vxorum, nexibus: & aliunde hilarem, & sibi, sub his miseriis, complacentem. At quidem vt Agag iam iam trucidandus exclamauit: *Siccine separas amara mors?* Ibidem. Sic infælicissimus Anglus, sumpto poculo expiraturus (vixerat vt biberet) dixisse fertur: *Omnia perdidimus.* Hæc satis, pro Dionis & Senecæ verbis illustrandis: quæ ideo tanti feci, vt Catholicis saltem Principibus, rubori fuerint, sententiæ Ethnicorum.

1.Reg.15.32.

Vers. Hebr. & Chald.

Vatabl.

Voluptatis vincula.

Et illa spontanea.

V.

Voluptatibus summersus Princeps, infamiam, velut nouissimam voluptatem aucupatur.

1022. ADhuc tamen consummata ista, sub voluptatis Tyrannide, infælicitas, suum verticem habet, & quasi perditissimæ huius consummationis, summitatem. Mala est vitiorum delectatio, complacentia peior, pessima gloriatio. Huc veniunt corruptissimi quandoque Principes, vt ipsam luxuriosarum deliciarum infamiam, quasi stipendium & præmium, turpiter gestæ vitæ captent: & quasi nouissimam maximamque æstiment voluptatem. Pulchrè idem Seneca Epistol.123. Vbi fusè de enormibus & extraordinariis delitiis Procerum Romanorum. *Luxuriosi, vitam suam esse in sermonibus; dum viuunt, volunt: nam si taceatur, perdere se putant operam: itaque mille habent, quoties non faciunt, quod excitet famam. Multi bona comedunt, multi amicas habent: vt inter istos nomen inuenias, opus est non tantum luxuriosam rem, sed etiam notabilem facere: in tàm occupata Ciuitate, fabulas, vulgaris nequitia non inuenit.* Ecquæ autem excitata hinc fama, nisi pura & puta infamia? hanc cupiunt, hanc sollicitant, & sub sæuissimo Tyrannæ voluptatis obsequio, huic stipendio, huic præmio anhelant. Aperuit se citatus Seneca, post multa, de eisdem qui diei noctisque seriem, ad delicias commutabant. *Causa tamen præcipua mihi videtur huius morbi, vitæ communis fastidium: quomodò cultu, se à cæteris distingunt, quomodò elegantia cœnarum, munditiis vehiculorum: sic volunt separare etiam temporum dispositiones: nolunt solita peccare, quibus peccandi præmium, infamia est.* Nihil pulchriùs dici poterat, quia nihil sæuiùs voluptatis Tyrannis potest exercere, quàm dum Clientibus suis, imò mancipiis, pro salario & præmio assignat infamiam; hanc misertimis sic reddere voluptuosam, vt indidem gloriabundi traducantur.

Apud perditissimos vltima in voluptatibus, voluptas, est infamia.

Senec.

Hanc, enormibus vitiis affectant.

Idem.

Hinc regius Vates, in Doeg pessimo, sed potentissimo Aulico apud Saulem consimilis farinæ Proceres sic coarguit. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?* Psalm.51. vers.1. Non vtcunque iniquum illum denotat, sed in iniquitate suâ potentem: Quasi qui non contentus solitis iniquitatis abusibus, & vulgari nequitiâ; potentiam suam non in malis, sed in notabilibus malis exerceret. Sed tu mihi pende, non inde reprehendi, quòd in hæc vitia potentem & quasi Dynastam (Græcè enim *δυνατὸς*) se probaret: sed quòd in ipsâ malitiâ gloriaretur. Quid ita? Non quòd ipsa malitia non esset reprehensibilis: sed quòd illa gloriatio, sanctissimo Regi longè tunc, vt fas erat, videretur reprehensibilior. Quærebat iste ab ipsâ suâ malitia famam turpissimam, infamiam germanam: & hanc habebat nouissimam & maximam voluptatem, si bonæ famæ prodigus, infamis, ad nequitiam, Aulicus audiret. Quid ni ergo sanctissimus Princeps Dauid, id præcipuè, horribilis criminis monstrum detestaretur? D. Paulinus Epist.4. post multa de Principe Absalone, qui cùm superbam nequitiam in crinibus gestaret, illos tamen comebat, & quasi diadema capitis, gloriabundus venditabat: sic concludit. *Tondebat caput suum, quia grauaretur, 2.Reg.14. quo apertius exprimi potest, pro operibus numerari capillos, cum in impij capite, non aliquam virtutem, sed tantùm sarcinam capillorum, Scriptura signârit? gloria enim impio est iniquitas sua: neque solùm operatio eum nequam, sed & nequitia, vt quidam ait, fama eum delectat. Vnde illud in Psalm. Quid gloriaris in malitiâ, qui potens es in iniquitate?* Allusit fortassè ad Senecam, vel ad Ouid. in Amor. quem cum S.Doctor prætereat, meritò præterimus. 1023.

Ps.51.1.

Græc Vers.

Quam maximè se iactat.

Inducitur Regina Orbis, Roma Ethnica, sub nomine Babylonis, à Ioanne Apocal.17.cap. purpureo indumento compta, auro squalens, fulgens margaritis, omnium voluptatum abominationibus scatens, quas in poculo aureo, vniuersæ terræ Regibus, propinabat: tunc sic additur. *Et in fronte eius nomen scriptum; Mysterium, Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ.* Vers.5. Quis crederet: tam turpis erat Meretricis conditio apud priscos, vt nul- 1024.

Apoc.17.

Vers.5.

la in illam pœna statueretur, *quia satis pœnarum*, ait quidam, *in ipsa professione flagitij credebatur:* Et ecce tibi si Deo placet Principum Regina, (tanquam olim Sacerdos Tetragrammaton Dei Nomen laminâ aureâ descriptum fronti adpendebat) gemma ad frontem micante, turpissimæ professionis titulos sculptos, quasi meretriciæ cellæ elogium ostentabat. Ecquid turpius ad Infamiam? certè nihil: & tamen illa hanc infamiam, veluti voluptatum suarum coronam & coronidem affectabat. Ideo Rupertus ibi, licèt non ad solam Romam locum deducat. *Idem est ac si dicas: quia Ciues ciuitatis Diaboli, non solum non abscondunt opera suæ turpitudinis, imò lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis, denique in fronte nomen scriptum, quod est Babylon habere, quid est, nisi opera confusionis, publicâ testari professione?* At certè non gloriaretur de turpissimâ professione, sub tam superbæ pompæ apparatu, regina mœcha, nisi præuisam & subsequendam inde infamiam, nouissimam sibi voluptatem iudicaret. Talis fuit, augustum illud prostibulum, Messalina Claudij Imperatoris vxor quæ non contenta adulteris, fornice; insuper, viuo marito, mœchum filium sub oculis, vrbis & Orbis, nouis nuptiis superinduxit; causam si quæris, respondet Tacitus lib. XI. Anal. *Nomen tamen Matrimonij concupiuit, ob magnitudinem infamiæ: cuius apud prodigos, nouissima voluptas est.* & extrema, addam ego, Tyrannis voluptatis.

& quasi pretiosum stemma in Capite gerunt.

Rupertus.

Cornel. Tac.

1025. Sed non caret mysterio, in hoc loco, quòd sic turpis titulus, & in publico, ex industriâ, ad voluptatis infamiam, collocatus, *Mysterium*, id est arcanum, siue secretum appelletur. Vnde enim arcanum, quod tam pomposè notandum venditabatur? sic dubitat, & respondet appositè idem Rupertus. *Vel ironice dictum: vel idcirco, quia omnem fornicationis actum, in quo meretrix ista gloriabatur, ipsa natura vult esse mysterium, siue secretum: & licèt meretricia procacitas prædicet: naturalis tamen pudor contendit fieri occultum.* Eadem gnome sub vtraque explicatione insinuatur: vel ergo mordaci ironiâ turpissimum infamis professionis titulum, in propatulo positum, *Mysterium* vocauit Ioannes, vt ostenderet, nihil amatiori risu excipiendum esse, quàm illorum insaniam, qui à publicâ infamiâ captantes voluptatem, id turpiter reuelant, quod deberent sub profundo arcano celatum velle: vel reuerà *Mysterium*, siue arcanum dolenter posuit: vt frontem meretriciam, quæ erubescere nesciebat, aliis saltem traduceret in exemplar, qui prodigam istam pudoris voluptatem, necessariò tanquam miseriæ apicem exhorrerent: dum quod iste prudenter latibulis designat abscondendum, quasi fœdissimum id illa iactabunda, quasi gloriosissimum publicabat.

Turpium voluptatum iactatio, infamiarum vltima.

Rupertus.

1026. Visis Sodomorum incendiis, duæ filiæ Lot, vniuersum exarsisse pariter orbem somniarunt: tunc turpissimo carnis incendio æstuantes, ministrante, petulcæ Veneri, lasciuo Baccho, concipiunt ex Patre. Quis non putaret tàm, incestu immanissimo, fœdas nuptias, alto dissimulandas silentio, & plus quàm Ægyptiis tenebris inuoluendas? & tamen edito fœtu addit Textus: *Peperitque maior filium, & vocauit nomen eius Moab.* Genes. 19. v. 37. vocatur in vtràque pagina, vt in Spicilegio probaui, filius, ædificium parentum: vtque in ædificij frontispicio gentilitium stemma, ad gloriæ ostentationem affigitur, sic filiis parentum cognomina, quæ ex aliquo egregio facinore desumi solent, ingeruntur, vt facinus illud litet æternitati. Hoc est, quod in filio hoc suo conatur, audax, prostituti pudoris, fœmina: vocat illum *Moab*, id est, *à Patre*, vt semper in Moabitarum generatione, castissimus ille congressus, pudicus thalamus, quo Heroina prima, Authorem illius gentis, à Patre conceperat, tanquam celeberrimum gestum aliquod radiaret. Proh fœminæ deperditam impudentiam! Lyranus ibi. *Moab, id est, ex Patre; ex quo patet, quòd ipsa inuerecunda fuit quia turpitudinem, quam operata fuerat cum Patre, exposuit & reuelauit in nomine filij: ostendens quòd ex patre suo conceperat.* Et quid hæc, nisi infamiæ magnitudinem prodiga, quasi voluptatem nouissimam perquirebat? quid enim aliud fuit hæc impositio, quàm quædam quasi gloriosi gesti prædicatio? Oleaster. *Impudica satis apparuit primogenita, cui non sat fuit, à patre prolem suscipere, sed peccatum suum prædicauit.* Nemo autem sic fœda de se prædicat, nisi qui inde infamiam auidus aucupatur.

Genes. 19. 37

Maxime, si

In stemma gloria profertur.

Lyranus.

Oleaster.

Sæuissima proinde in hos tales, apparatur à Domino, vindicta. Vnde capies, illud eiusdem ad Abrahamum. *Clamor Sodomorum & Gomorrheorum multiplicatus, & peccatum eorum aggrauatum est nimis.* Genes. 18. v. 20. Prætereo, quòd peccato lingua tribuatur: id quæro, cur non tàm loqui dicatur, quàm clamare? vehementiam in accusando, explicant hîc Interpretes: nec immeritò ita locus capi potest: nihilominùs clamor iste, aliquid singularius, videtur importare: vnde Vatablus vertit: *Fama Sodomorum:* quasi peccatum illud sic clamaret, vt in ipso clamore, non tàm sui accusationem, quàm famam, id est germanam infamiam venaretur. Qui aliquid de se, non tàm rogans, quàm prædicans inclamat, satis iactationem contestatur: neque clamosa iactatio gesti turpissimi, nisi quia voluptati est infamia, dati potest. Hoc est igitur, quod in illos Iudicem ita exasperauit, vt vlteriùs vindictam non suspenderet. Fauet Alcuinus ibi, quæst. 178. *Quid est clamor Sodomorum? peccatum cum voce, est culpa in actione: peccatum vero cum clamore, est culpa cum libertate, & iactantiâ.* Quemadmodum enim interna mens voce exprimitur; sic mentis culpa, externo opere nuntiatur: & dum istud, arrogans & iactantiosum procedit, quasi elato clamore se venditat nil aliud quàm nouissimam voluptatis turpitudinem procurans. Hinc Valer. Max. lib. 6. cap. de mut. mor. *Perditæ luxuriæ Athenis adolescens Polemo, neque illecebris eius tantùm, sed etiam infamiâ gaudens.* Dedi hæc verba, ex correctione Lypsij; ad locum Cornel. suprà citatum. 1027.

Genes. 18. 20

Vatab.

Certa pœna huic iactationi correspondet.

Alcuinus.

Valer. Max.

Peccant Protoparentes Orbis Principes, nec statim pœnarum fulmina patiuntur: notandæ nuditati suæ, parandis foliorum telis, quærendæ fortassè in filum, flexili genistæ, aut læui iunco, qui pariter consuendis vestibus, acutus, in acum deseruiret, tempus ante aduentum Iudicis excurrit: *Cùmque cognouissent se esse nudos: consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perisomata.* Genes. 3. vers. 7. Vix iam indutis adstat ecce seuerus Iudex: *Et cum audiissent vocem Domini Dei, &c.* Vers. 8. Quasi plus vestis, quàm ante 1028.

Voluptatis infamiam honori ducere: extrema proteruia est.

Genes. 3. v. 7.

vers. 8.

reactæ culpæ intuitu læderetur. Et cur ita? Deliquerant, vetitæ arboris (quæ fortè ficus) fructu degustato: & qui inde, vel etiam leuem, cuiusuis arboris, conspectum deberent abhorrere: quasi de præclarissimo gesto exultarent; ab arbore vestium pompam mutuantur. Egregias maiorum suorum figuras Prisci vestibus intexebant: Romani clauos, palmas: nostrates varij coloris Cruces, & insignia: quæritur his, iactabundula præclari alicuius facinoris memoria, ambitur honor. Qui ergo se ab arbore induunt Protoparentes, (postquàm illa gulæ, hic vxoris voluptati indulserat) quid aliud, quàm publicare scelus satagunt: & infamiæ magnitudinem, quasi voluptatem nouissimam aucupari? sic nunc putarem explicandam tritam illam sententiam (in tot formas, ab aliis deductam) D.Basilij Seleuci, Orat.3. *Ipsi nudati, nudant arbores: circa arborem præuaricati, ab arbore indumentum mutuantur.* Quasi in his vestibus honorem sibi infamem aucuparentur. Hoc voluit D.Leontius, apud Phot. (si verterit Scotto nostro stare velis) Cod.272. Vbi ita ad hunc locum. *Purpuram esse regalem, ficus folia existimârunt.* Ego tamen *in Tomo Concept.* hæc verba longè aliter, ex contextu Græco, vertenda & capienda existimaui. Lector tamen, longè me, doctiori Interpreti, poterit nunc tutissimè adhærere. Pergo.

D.Basil.Sel.

D.Leont.

VI.

Turpissima tamen hæc Principis, de propriâ infamiâ exultatio: nec vnquam verè, in delitiis, beatus existimandus.

1019. Sed esto infamiâ hâc suâ exultet perditissimus Princeps, certè turpissima est exultatio, & vnde non solum apud iustos, & prudentes viros, verè infames abiectissimo despectui habetur: sed etiam apud alios Principes vitiosos, non dum tamen sic deplorati pudoris, meritò indigni regio titulo, deputatur. Esto exultet tantisper infamia sua, nunquam tamen vero & solido gaudio perfundetur, cùm intùs stimulata vt plurimum conscientia, omnibus delitiis immisceat amaritudinem. Vtrumque formando optimo Principi, sub hoc monito, paucis absoluam. Eximia erat reuerentia illa, quam Dauidi Regi Nathan Propheta solitus exhibere: ideo aliquando ad eum ingressus, vbi de herede instituendo Salomone agendũ erat, ait Textus: *Cúmque introiisset in conspectum Regis, & adorâsset eum pronus in Terram, dixit Nathan: Domine mi Rex, &c.* 3.Reg.1. vers.23. Maxima quidem ista reuerentia, non tamen nimia: tantum enim honoris personæ Regiæ debitum, sanctissimi & prudentissimi Prophetæ calculo, hinc firmatur. Sed pende, oro, qualis idem Propheta eundem Dauidem adierit, de fœdissimis adulterij voluptatibus reprehensurus: *Misit Dominus Nathan ad David, qui cum venisset ad eum, dixit ei. Duo viri, &c.* 2 Reg.12. vers.1. Et proposita parabola, seuerissiméque in reum, indignato Rege: subiungit intrepidus Propheta: *Tu es ille vir.* Vers. 6. Quàm longum discrimen! Ibi prona adoratio, hîc nec leuis inclinatio exprimitur: ibi Dominus & Rex salutatur; hic pungendus, nec etiam familiari aliquo titulo palpatur. An quia reus voluptatibus turpissimis indulgebat, iam iure regio non gaudebat? Non crediderim: aliàs, multi hoc titulo Reges, sceptra deponerent. Habent hæ Dauidis voluptates, fœdissimam illam notam, qua miser Princeps, visus infamiæ suæ indulsisse, dum ferè per annum, vt ex contextu patet, adulterium in matrimonium commutans, de fœditate vxoris raptæ, de mariti occisi feritate, impœnitens exultabat quodammodò. In sic alterum ergo iam mutatus Dauid, meritò à Propheta, non tàm persona regia ad honorem, quàm infamis persona ad despectum reputatur. Fortasse hæc omnia euoluebat D.Gregor. magnus, Homil.11. in Ezech. qui ad hunc locum ita. *Pensandum nobis est cui loquamur: quia sæpe increpationis verbum, quod hæc admittit persona, altera non admittit: & sæpè ipsa eadem persona, secundum factum fit altera: vnde Nathan Propheta, Dauid post adulterium, forti increpationis sententiâ percussit: qui cùm de raptore Ouis diceret, filius mortis est vir, qui fecit hoc, protinus respondit dicens: tu es ille vir: cui tamen, cùm de Salomonis regno loqueretur, quia culpa defuit, ei se humiliter in adoratione prostrauit.*

Reg.1.23.

Reg.12.1.

Princeps, de infamia sua exultans etiam ab ipsis subditis contemnitur.

1030. Sed minus est, si ita sentiret Sanctissimus Propheta, & Deo plenus: iniqui etiam Principes, dummodò in profundum hoc prodigalitatis barathrum non deuenerint, idem sentiunt. Audiuerat Christi miracula Herodes, & exclamauit. *Quem ego decollaui Ioannem, hic à mortuis resurrexit.* Marc.6. vers.16. Vt iustè & miraculosè resurgens Baptista crederetur, multum haberet ponderis, si iniustissimè occisus probaretur. Cur ergo Herodes, qui quà Princeps & tumidus, quidquid effutiret, pro oraculo ab Aulicis credendum cupiebat, vt sententiam hanc suam redderet probabiliorem, cum decollatione, decollationis etiam causam non subiungit? Nondum ita honoris sui prodigus degebat: timuit, & erubuit Herodiadis adulterium, puellæ saltationem commemorare, ne suis videretur, non solùm turpissimas voluptates, sed etiam voluptatis infamiam captare. Quid ita? quia licèt nequam, nondum tamen ita cæcus, qui non videret, potestatem regiam voluptatum iactatione sic fœdari, vt iure apud suos infamis & despicabilis haberetur. D. Petrus Chrysolog. ita serm.173. præmissâ pulcherrimâ ironiâ. *Iste Rex sapiens, egregius Iudex, censor morum, Disciplinæ custos, vindex innocentiæ, criminum pœna: quòd decollauerit Ioannem dicit, quare decollauerit, tacet: ne potestatem regiam, tanti facti confunderet turpitudo.* Maluit ergo Hypocrita, quàm iactator videri apud suos: quia inde irrisioni, hinc dedecori summo, se nouerat exponendum.

Quia regiam potestatem, pudore confundit.

Marc 6.16.

D.Chrysol.

1031. Simulauit Thamar Meretricem, & verè meretricios mores expressit, dum sic visa quæstui inhiâsse, vt non nisi in agni pacti arrhabonem acceptis, annulo, armilla, & baculo Iudæ, congressus turpitudini assentiret. Gen.38. v.18. Expedit postea, fidem & pignus liberaturus Iudas, seruum cum hœdo: neque inuentâ fœmina versutissimâ, redeunti seruo ait: *Habeat sibi, certè mendacij arguere nos non potest,* v.23. quasi dicat: sibi imputet,

Gen.38.18.

Vers.23.

putet. quod diſceſſerit : vel potiùs, retineat ſibi pignora, quæ mihi pluris ſunt, quàm hœdus. Nec tamen vlteriùs aliquid, de eadem diligen-
Hebr. verſio
tiùs inquirenda cogitauit. In Hebræo, pro annulo, eſt חותם, quæ vox à radice ſua, vt noſti, *ſignare*, & *claudere* ſignificat. Erat ergo annulus iſte ſignatorius, ſeu ſigillaricius, in quo Iudas populi ſui Princeps & Iudex, nobilitatis ſtemma præferebat, & fortaſſe, vt id obiter ſcias, ideo etiam *clauſio* appellatur : non (quod putant Interpretes cum Oleaſtro) quia annulus in ſe circulariter concluditur : ſed quia ſimul eſſet annulata clauis, ad duplicem ſcilicet vſum, & imprimendi ſigillum, & claudendi, aperiendíque arcas.

Princeps voluptatū ſua infamia, omni pretio debet redimere.

Vide priſcum annulorum horum vſum apud Lypſium: ad Cornelium Tacitum lib. 2. Annal. Iam ad rem.
Lypſius.
Nihil pretioſiùs ſigillaricio ſuo annulo, habebant olim viri, vt alibi ex vtraque paginâ fusè probaui. Cur igitur non inſtantiùs annulum ſaltem hunc redimere, ſatagit Iudas? quia malebat iacturam annuli facere, quàm pudoris : timuit prudens, ne fortè longiori apud obuios inquiſitione, præteritum turpis ſuæ voluptatis negotium patefieret, meritóque apud ſuos haberetur deſpectui, ſi quaſi criminis iactator, minùs illam cauiſſe infamiam notaretur. Huc facit Hebræa verſio, quæ ita : *Habeat ſibi, vt non ſimus deſpectui*, Vbi ita Lyranus ad hunc locum, *Hebræi exponunt ſic : Sit ſuum, quod habet de meo : & ne inquiras ampliùs eam, ne factum iſtud diuulgetur ad confuſionem meam*, quaſi ſe indignum ſolio putaret, ſi minùs, diuulgatâ infamiâ ſuâ, morderetur.

Hebr. verſio
Lyranus.

1032. Hinc erat quòd Dauid, nondum ita libidinis commercio obcæcatus, turpitudinis ſuæ initia, aduocato & tandem occiſo latenter Vriâ, ſupprimere conaretur. 2. Regum cap. 11. quia indebitam ſibi coronam, ſéque indignabundis populis, omnino deſpiciendum exiſtimabat, ſi non celatâ turpitudine, voluptatem ab infamiâ aucupari putaretur. Ita eſt : veriſſimum quippe, quod Regibus ſcribit D. Eligius Nouiom. homil. 1. *Rex, rectè viuendo, & agendo, nominis ſui dignitatem cuſtodiat.* Vnde autem dignitatem hanc cuſtodiat, qui infamiæ litare habet in delitiis : qui proinde indignus ſceptro, quibuſuis reputatur? Hæc eſt vera Principis dignitas, ſi ſe à fœdis voluptatibus alienum exhibeat omnino : imò hoc eſt ſingulariſſimum Dei munus, quo populos ſibi charos mactare ſolet : vnde Plinius in Panegyr. *Quod enim præſtabilius eſt, aut pulcherius munus Deorum, quam caſtus & ſanctus, & Dijs ſimillimus Princeps?* Erit ergo ſumma indignitas ad Imperium, erit à Deo pœna ſeueriſſima, Princeps turpis, infamis, & Dæmonibus ſimillimus: de his enim benè Chryſologus, *Paſcuntur cadaueribus, putredine ſaginantur, delitiantur fœtore, quibus tota voluptas eſt, homines interire.* Nec id ſolùm, ſed etiam infamiâ hâc nocendi hominibus Dæmones delectantur : vt iam inſtar Dæmonum ſentiant ſe exoſos illi Principes, qui ex ſimilibus voluptatum ſordibus, dulcem ſibi infamiam aucupantur.

2. Reg. 11.
alias, Regno indignus.
D. Eligius.
Plinius.
Nihil grandius populis dat Deus, quàm ſanctū Principem.
D. Chryſol.

1033. Contumax tamen perſeueret iniquus Princeps, in voluptatum nouiſſima hac infamia perquirenda : nunquam tamen verè gaudebit, & ſtimulatus quandoque conſcientia, nullo tormento acriùs, quàm ipſa turpitudinis notitia contorquebitur. Dedi non ſemel de hac re iam alibi ex ſacro textu multa : nunc ſatis ſi aliquas priſcorum ſententias delibemus. Perſius Satyr. 3.

Conſcientia voluptatum, ſe ipſam torquet ſæuiſſime.

Magne Pater Diuum, ſæuos punire Tyrannos, Perſius.
Haud alia ratione velis, cum dira cupido
Mouerit ingenium, feruenti tincta veneno:
Virtutem videant intabeſcántque relicta,
An ne magis Siculi, gemuerunt æra, iuuenci,
Et magis auratis pendens laquearibus enſis,
Purpureas ſubter ceruices terruit : (imus,
Imus præcipites) quam ſi ſibi dicat, & intus
Palleat infœlix, quod proxima neſciat vxor.

Nulla pœna condignior Tyranno, (cui etiam Tyranni Siculi æneus iuuencus, ſub quo torrendos homines includebat) quàm ſi dira voluptatum cupidine exæſtuans, virtutis pulchritudine percellatur : & illa ſe cogitaſſe exhorreat, quæ nec etiam fidiſſimæ vxori audet communicanda. Sic degit miſer ſe ipſo vinctus, & tortus corde conſcio : ille, cui inter delitias purpurato appenſus è laqueari gladius imminebat (nota hiſtoriola cui alludit Perſius) iam totus trepidus, nec manum porrigebat ad menſam, denique rogauit, inquit Tullius, vt abire liceret, *quod iam beatus nollet eſſe.* Quid ergo putes, inter voluptates Principem beatum, quem conſcientia, diuini appenſi gladij, quandoque admonet? Grauiter D. Zeno Veron. ſerm. 2. ad Neophytos : *Beatus eſſe non poteſt, quem æſtuantium delictorum fax incenſa, omnibus momentis exurit : qui pudorem ſui ſecum carceris portat : qui carnificem ſentit, antequam videat : qui nomen Iudicis perhorreſcit : qui ſi vnde ſuſurrus ingruerit ſe quæri, ſe æſtimat inueniri : cui ſecuritatis profectus eſt nullus, etiam ſi contingat ei accuſatore carere; teſte conſcio cùm ſe ipſo carere non poſſit : quia violentior omni tortore conſcientia, nunquam ſuum deſerit peccatorem.* An non iſte, Damocle illo, cui impendebat gladius, longe infauſtior?

Tullius.
D Zeno Ver.
Hæc conſcientia tortura quàm immanis.

1034. Inde capies, quid ſibi velit Chriſtus, cùm dixit : *Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur*, Matth. 5. v. 6. Non aliunde virtutis deſiderium, quàm per famem & ſitim, voluit explicandum, vt hydropicam illam ſitim, rabidam famem, de qua ſuprà, quæ inquirendis opibus & voluptatibus Principes diſcruciat, hinc damnaret. Eſto quandoque conſopito conſcientiæ morſu, non palleſcant : eſto hilares ſibi indulgere videantur, nunquam tamen beati reputandi, cùm vera beatitudo, ſolis virtutum amatoribus conſueſcat. D. Chromatius tract. de octo Beat. *Bene autem cum additamento dictum eſt in præſenti loco, quoniam ipſi ſaturabuntur : quia qui non iuſtitiam, ſed iniuſtitiam eſuriunt, ſcilicet qui aurum & argentum deſiderant, qui diuitias & honores ſæculi concupiſcunt, & qui nunquam terrenis opibus & carnis deſiderijs ſatiantur : ij tales non beati, ſed infælices ſunt, quia eis non ſpes promiſſæ gloriæ, ſed damnationis pœna debetur.* Quomodo enim in hac vita, ne dum in futura beatus, qui quò magis indulget ſibi, ſitit ardentiùs: nunquam in perpetua eſurie ſatiatus? Quomodo in hac vita beatus, qui quot ſibi diſponit hic breuiſſimas delitias, tot ſibi miſerias æternas ſedulus conuincitur theſaurizare? Eleganter Euſebius Gallicanus homil. de SS. Martyribus Epiphan. & Alex ita. *An tu hunc potentem vocas, qui in mortem ſuam fortis eſt? cui præſentium fallax vmbra prouentuum, æternorum congregat cauſas malorum? quis beatam dixerit, validam in iugulum*

Matth. 5. 6.
Peccator ſa... lis dici ne... quit.
Caduca bo... nunquam ... licitatē p... ſunt impo... tare.
D Chrom.
Quia ... beatitudin... ... ſiant ... damnation... importans.
Euſeb. Gal.

lum suum dexteram? Quis probabiliter laudat velocem, ad ardua præcipitia festinantem? Quis eius miretur, quem de summo prospicit esse casurum? Perinde est, si quem miraris, impia & iniqua, per opes & divitias, operantem: ac si quempiam videas, in aureo atque gemmato sibi poculo, venena miscentem. Singula verba aurea sunt, & gemmea.

1035. Propterea Rex ille sanctissimus, qui purpuram cum pudore, cum sterquilinio thronum commutarat, post quam passim voluptatum miserias describit, solidum spei suæ in Deo collocatæ gaudium enuntians sic concludit: *reposita est hæc spes mea, in sinu meo.* Iob. 19. v. 27. vbi Galfridus. *Cordis sinus est, non corporis, in quo reposita est spes ipsius: ac si dicat: nemo tollet à me hoc refrigerium: hoc gaudium spei meæ: sed reposita est hæc spes mea, in sinu meo, donec tandem ipsius exhibitio rei, sinum amplificet, & dilatet, & super effluat, quamlibet dilatatum.* Sed tu mihi pende, non tàm in corde, quàm in sinu cordis, id est, in profundioris cordis latibulo, syncerum hoc gaudium, castissimam voluptatem delitescere: vt quò penitiùs reconditur, eò verior & vberior agnoscatur. Scilicet nouerat latum huius ab illis, discrimen, quæ regiæ fælicitati solent adhærere: quæ corporis, & sensuum superficiem circunuolantes, tenuissima ad summum gaudia poterunt ministrare. Aptissimo rem exemplo declarat Seneca, Epist. 23. *Leuium metallorum fructus in summo est: illa opulentissima sunt, quorum in alto latet vena, assiduè plenius responsura fodienti. Hæc quibus delectatur vulgus, tenuem habent, ac perfusoriam voluptatem: & quodcunque inuectitium gaudium est, fundamento caret. Hoc, de quo loquor, ad quod te conor perducere, solidum est; & quod plus pateat introrsum.* Sed vtinam leues forent, non item noxiæ: sunt tamen detestabiliores, quòd perfusoriè titillantes, tandem necessariò erumpunt in dolorem. Ideo subiungit statim idem Philosophus. *Corpusculum quoque, etiam si nihil fieri sine illo potest, magis necessariam rem crede, quàm magnam. Vanas suggerit voluptates, breues, pœnitendas: ac nisi magnâ moderatione temperentur, in contrarium abituras. Ita dico, in præcipiti est voluptas, ad dolorem vergit, nisi modum teneat: modum autem tenere in eo, difficile est, quod bonum esse credideris. Veri boni auiditas, tuta est.* Vbique hoc verum in Principe verissimum: cuius voluptates eò difficilius temperes, quò sæuius opulentia & perpetuis occasionibus irritantur: vnde in eo moderationem speres, qui ni sanctus, sub immoderatâ delitiarum pompâ, sceptri augustiorem dignitatem constituit? qui hoc esse regiæ Maiestatis bonum credit, si vt potentiâ, sic etiam voluptatum satellitio, populis præcedat? Vbique in præcipiti est voluptas, sed insuper in editissimo, apud Principem. Quòd si vbique abit in contrariam tristitiam, & in dolorem vergit, modum teneat: in Principe, cui modus huiusmodi, diadematis creditur angustia, quò tandem ruet? Hunc tu igitur beatum meritò appellaueris?

1036. Ergo, sola *veri boni auiditas tuta est*: quâ nunquam iniquus Princeps recreabitur: cùm turpissimis voluptatibus indulgens, auiditatem augeat, nunquam satiandus. Bene Stephanus Cantuar. in Syl. Allegor. ad illud Aggæi. *Comedistis, & non estis satiati: bibistis, & non estis inebriati.*

In sola virtute, verum gaudium.

Iob 19. v. 27. Galfridus.

Gaudium à voluptatibus transfusum.

Seneca.

Et pœnitendum.

Neque vnquam satiat.

Aggæus 1. 6. Steph. Cant.

cap. 1. v. 6. sic scribit. *Mundi delitiæ non satiant, quia omnis voluptas eiusmodi, famem sui pariter, nec implet hominem, sed exhaurit.* Quantus igitur dolor, si vnde haurire cupit Princeps, exhauriatur? Scilicet *Aurea* vt ait Lyricus, Mediocritas, constituit huius sæculi fælicitatem: prosternit ipsa miseros Principes nimietas. Ideo Seneca Epist. 39. *Magni animi est magna contemnere, ac mediocria malle, quàm nimia: illa enim vtilia sunt, hæc eò quòd superfluunt, nocent, sic segetem nimia sternit vbertas, sic rami onere franguntur, sic ad maturitatem non peruenit nimia fœcunditas.* Quis igitur tot inter nimietatis nocumenta, reputet se beatum: & inde gaudeat, vnde se lædi sentit necessariò?

Mediocritas aurea.

Horat. Seneca.

VII.

Multis titulis indecens venit apud Principem Catholicum, gulæ blandimentum.

Licet huc vsque, dum immodicas delitias, & fœdas Principum voluptates carperemus, multa obiter, contra gulam & luxuriam adnotarentur: quia tamen signanter, hæc infaustissimo Baltasari, & epuloni, & concubinis cincto, vitia obiiciuntur: de illis seorsim dicere putaui necessarium. Et quidem quamuis gulæ, & ebrietatis insania, Catholicis vt plurimum Principibus noscatur (Deo sint laudes) aliena: quia tamen apud Hæreticos Monarchas & optimates, non ita infamis audit labes hæc fœda: operæ pretium duxi, illius enormes maculas hic traducere: vnde saltem id perfecero, vt in Hæresis impietatem animosiùs Catholici Orbis Principes inuehantur: cui aut Amica dilecta, aut saltem pedissequa non infamis, reputatur Ebrietas: vnde deinceps mutuo, iam immanius, sacrilegis impietatibus impendatur. Certè Baltasar, vt vidisti, ab Impietate Idololatricâ, in vina & conuiuia, effrenis erupit: & vicissim à vino iam æstuans nouâ se impietate commaculat, iubens afferri sibi vasa Sanctuarij, per summum sacrilegium, polluenda Daniel. 5. v. 2. Coluerat iam vitulum infamis Israel, & inde epulis & ebrietatibus indulget: nec his contentus, statim *surrexerunt ludere:* Exod. 32. v. 6. vt sicut Impietas ebrietatem induxerat, sic inuicem ebrietas, noua sacrilegij orgia ministraret: nec iam simplici cultu, sed thyrsis & choreis fureretur. Nesciunt enim inuicem hæ binæ pestes se non confouere. Bene ibi Oleaster. *Detestantur homines Deum astringentem & prohibentem: sequuntur liberiorem, qui gaudia & ludos permittat, hisque delitietur. Vnde detestandi sunt Dij aut homines, qui habenas vitiorum suis cultoribus laxant.* & non detesteris Lutherum, qui fræna suis laxans, perfidum dogma insusurrans, non solùm verbo, sed etiam exemplo, in omnem ebrietatis licentiam Dux præcessit, quasi in thyrsos, Principum sceptra commutaret? vide infra num. 1052. 1037.

Dura sed iusta pœna incendij deuorantur, miseri illi Principes Sacerdotij, de quibus dicitur: *Arreptisque Nadab & Abiu, filij Aaron thuribulis, imposuerunt ignem, & incensum desuper* 1038.

Hæresis, Amica ebrietas.

Dan. 5. v. 2.

Exod. 32. 6. & inuicem se fouent.

Oleaster.

esse

offerentes, coram Domino, ignem alienum, quod eis præceptum non erat. Leuit. 10. vers. 1. Vnde furor, vnde impietas sacrificij? Iuuenes, & Patrui Moysis institutis, & Aaronis Patris exemplis efformati, nunquid nefas, de profano igne admoto, non aduerterunt? Nemo crediderit? Vnde ergo, & zelo intempestiui, & sacrificio sacrilegi sic erumpunt, hæreticam superstitionem sactis obtrudentes? Si stas D. Petro Chrysologo, non tàm fide, quàm vino incaluerant: quasi tàm impius, & inopinus cultus, meræ ebrietati, id est, solito fonti veniat imputandus. Ergo Chrysol. serm. 26. ita: *Ergo Nadab & Abiu Sacerdotes, filij Aaron Sacerdotis, dum contaminare externo igne Altaria præsumunt, ipsius altaris consumuntur incendio: vt sumerent de sacrificio pœnam, qui fecerant de propitiatione peccatum: quod peccatum illis suscitârat ebrietas: nam vini odor, odorem fugârat incensi: & ebrietatis ignis, flammam prouocârat altaris: vnde quia alienati vino, alienum portauerant ignem, mox diuino igne referuntur extincti.* Quasi apud S. Doctorem tam insperata hæretici sacrificij impietas, solummodò socio vino haud temerè deputetur. Vt iam videas, quæ tandem sacrificia parent Principes illi, qui per hæresim, & Papas, & Pontifices, se somniant: & sacrilegas infulas, ebrietate sociâ, administrant.

Ebrietas, frequens origo hæretica inducitis. — D. Chrysol.

1039. Vidimus iam, quæ Gulam & ebrietatem, (vt plurimùm hæreticas) mala comitentur: vnde horribiliores modestis iam Principibus habeantur. Prudentissimum est illud monitum Ecclesiastici: *Æqua vita hominibus, vinum in sobrietate: si bibas illud moderatè, eris sobrius.* Cap. 31. vers. 32. Hoc caput in Sixtianis numeratur, 34. Vbi mira est illa versio, quæ ibidem adducitur ex D. Ambrosio. *Æqualis vita hominibus, vinum in ebrietate.* Quomodò enim vinum absque mensurâ, & in ebrietatem vsque profusum, æquale aliquid humanæ vitæ poterit mensurare? aut quid æquale, à tanta iniquitate, inter distorta verba & gressus titubantes poterit prouenire? Respondet pulcherrimè D. Ambrosius lib. de Elia, cap. 12. *Omnes sibi in vino æquales videntur, nullus inferior: non pauper diuiti cedit, vipotè qui pauperem se esse nescit: non infirmus valido, cum omnis in bibendo est fortitudo: non mendicus locupletiori, non ignobilis honorato: sed cùm biberint, illum Regem habent, qui bibendo superauerit vires: meritóque scriptum est: æqualis vita hominibus, vinum in ebrietate. Sed vtinam & quod sequitur audires: bibas illud moderatè, vt sis sobrius.* Nihil ergo viris Principibus probrosiùs venire potest, quàm dum temulenta conuiuia sternunt, iam cuiuis bibaciori de regno cedere: & egregium potatorem, (viuum infundibulum) non solùm sibi æqualem, sed quodammodò Principem admirari. An non turpissimum, vt qui paulo ante aduersarios Reges prostrârat, iam nouo prælio, compotoribus de bibacitate cedere erubescat? Describit graphicè hæc bacchanalia prælia apud militares Principes ibidem Ambros. cap. 13. Cuius tantummodò hæc paucula delibo. *At vbi consummata fuerint epulæ, putes iam esse surgendum, tunc de integro potum instaurant, iam & cùm consummauerint, tunc inchoare se dicunt: tunc deferuntur phialæ, tunc maximi crateres, quasi instrumenta bellorum. Ac ne vino deditum [illegible] iterit, mensura proponitur: certatur sub*

Eccl 31. 32. Sixtian. — *Ebrius Princeps, probro adæquatur.* — D. Ambr. — *Id quo, per summum dedecus.* — D. Ambr. *Ebriorum ludicra certamina.*

iudice, sub lege decernitur. Agonothetes illic, furor est: stipendium debilitas, victoria præmium culpa: pendet anceps diu, & dubius belli euentus: furor enim illic est præliaris, &c. Quid à Principe gloriosioribus longè bellis destinato, alienius?

Audierat Rebecca, quæ Isaac dixerat ad Esau Primogenitum, de afferendis cibis, vt benedictiones reportaret: tunc sic fœmina sancta, ad Iacob suum, exposito iam negotio: *Nunc ergo fili mi, acquiesce consiliis meis, & pergens ad gregem, &c.* Genes. 27. vers. 8. Quâ arte, vt indidem nôsti, minori benedictionem acquisiuit. Nónne hic dolus? Nónne fraus ingens? Certè dolus, sed bonus, fraus piissima. At vnde nouit Rebecca, iniquum fuisse Patris amorem in Esau: qui tamen, de Primogeniti iure æquus videbatur, vt prudenter crederet, ex voluntate diuina minori potiùs deberi benedictiones? Pende quod suprà dicitur. *Isaac amabat Esau, eò quòd de venationibus eius vesceretur.* Cap. 25. v. 28. Prudentissimè igitur iudicauit Rebecca, illam benedictionem, cui tot sceptra, tam longa Regum series connectebantur, indecenter à gula negotiandam: ne scilicet ab exemplo, apud Principes, auita gula iam minùs indecora, & vtcunque imitanda, sed omnino despicabilis haberetur. Nec obstat quòd Iacob, cibos illos piè subdolos Patri obtulit: nec enim tam gulæ turpiter, quàm diuinæ dispositioni, seruire sagacissimus contendebat. Benè Oleaster ibi, ad Cap. 27. *Admonui suprà, amorem, etiam inter parentes & filios, muneribus conseruari. Noluit tamen Dominus, gulam viam esse ad promissiones suas.* Quid enim, inquam ego, promissi Reges, gulam putarent infamem, quod maximè oportet, si gulæ, promissiones factas, à Deo recolerent addictas?

1040. — *Gen. 27. 8. Gula blandimenta, indigna Regibus.* — *Gen. 25. 28.*

Nimirum, vitiorum omnium fons & origo, gula, apud sacros Doctores, audit meritò. Post lamentabile excidium Ierusalem, addit Ieremias: *Venit Nabuzardam Princeps militiæ, qui stabat coram Rege Babylonis in Ierusalem, & incendit domum Domini, & domum Regis, & omnes domos Ierusalem.* Cap. 52. vers. 12. Funestiùs longè excidio primo, incendium secundum: & proinde suo iure, immanissimo huic Principi commissum, à quo omnes virtutes exulabant. Quid ita? quia sic erat tunc Princeps militiæ, vt pridem totus gulæ militaret: ideo Lxx. Interpretes in hoc cap. vbique pro Principe *militiæ* semper *Coquorum* Principem transtulerunt. Quid autem sperares, nisi vitiorum congeriem ab illo Principe, qui totus gulæ Tyranni Babylonici seruiebat? Proinde benè D. Nilus in Ascet. post multa de gulæ damnis, sic licèt magis mysticus, ad hunc locum. *Neque verò gula, & ventris ingluuies, istorum vitiorum tantùm est mater, & nutrix: verùm omnes virtutes aufert: eâ enim superante, & dominatum obtinente, Temperantia, Modestia, Fortitudo, Constantia, & reliquæ virtutes concidant, necesse est. Quod ænigmate Ieremias ostendit dicens: euertet muros Ierusalem, per circuitum, Princeps Coquorum Babylonis. Gula vitium appellat, Coquorum Principem; &c. Ciborum varietas euertit ac diruit virtutum propugnacula: suauitas enim condimentorum, tanquam machina bellica, prosternit munimenta iam à virtute constructa: & primum ac solidum robur ipsius, affligit*

1041. — *Ierem. 52. 12. Gula vitiorum origo.* — Lxx Interp. — *Incendium virtutum.* D. Nilus.

affligit humi. Et vnde Princeps, sub hoc vitio, virtutum omnium destitutus præsidio, prudenter poterit, commissi sibi muneris clauum moderari?

1042. Habet insuper perennis iste vitiorum fons, aliquid longè in ipsa tanta pernicie periculosius: vt inceptum fluxum fere nunquam retineat: vt vbi serpit morbus, maneat insanabilis. Grauiter D.Basilius Magnus serm. de Abdic. ver. ita scribit: *Vt fons aquæ, si in plures sit riuulos dissectus, vicina, riuulis illis, loca omnia, herbarum viriditate conuestit, & quasi pubescere facit: sic vitium gulæ, si per cordis tui venas se effuderit, & distraxerit: indéque permeans, sensus tuos omnes irrigauerit: vbi libidinum omnium in te syluam conseuerit; animum tuum, Ferarum habitaculum efficiet. Etenim multos ego animaduerti sæpe, qui cùm alterius cuiusuis generis vitiis laborarint, ad sanitatem tamen redierint postea: qui autem hoc morbo tenerentur, vt aut in occulto esitare eos delectaret, aut ventris ingluuie duci se finerent: neminem ex omnibus vidi vnquam qui conualuerit.* Vtinam id nobis, sola tanti Doctoris, authoritas, quæ abundè foret: neque insuper quotidiana experientia, ad oculum id probaret. Helluo in immanem pinguedinem deuenit Henricus VIII. pestis Angliæ: qui tandem ingentem vini craterem, gloriosè expiraturus postulauit. Nimirum ab Hæresi, in ebrietatem absorptus, insanabile contraheret venenum opus erat: horrorem infamis vitij, posteris Principibus relinquens.

Gula, insanabilis fere morbus.

D Basilius.

1043. Propterea Moyses ethnicos Principes, Israelis hostes traducens, post alia sic subiungit: *Fel draconum, vinum eorum: & venenum aspidum insanabile.* Deuteronom. 32. v. 33. Vbi bene ad litteram Oleaster: *Posset etiam verti: ita draconum, vinum eorum, id est, vinum eorum est tam forte, seu fumosum, sicut ira draconum: aut tam calidum, ad faciendum malum. Solent enim qui foris vino ebrij sunt, multa mala perpetrare.* In neminem tamen sæuiora quàm in semetipsos, mala machinantur: ideo nō solùm Draconum iræ felleæ, sed etiam aspidum veneno insanabili, illorum vinum comparatur. Quid ita? quia quæuis venenata damna, draconum instar, in alios despument, possunt illa vtcunque reparari: at venenum illud aspidum, quo laborant ipsi, iam ebrietatibus assueti, vt ex Basilio vidisti, insanabile. Audiendus ibi D. Ambrosius lib. citat. cap. 14. de hoc vino, *Meritò Deus per Moysem, non solùm veneno, sed etiam draconum veneno comparauit dicens: furor draconum, vinum eorum: & ira aspidum insanabilis: & pulchrè additur insanabilis: multi enim serpentium reliquorum veneno curantur, nemo ebrietate: certè veneno caro vulneratur, vino mens.* Egregius igitur, corrupto si fortè populo, Medicus accedet Princeps, insanabili morbo fœdius laborans, desperatóque remedio, deploratus.

Deut. 32. 33.

Oleaster.

Ebrietas venenum aspidum, insanabilem.

1044. Et bene, quod ebrij Principes, non vtcunque veneno, sed bestiarum veneno, vt ex Ambrosio vides, componuntur: quia iam necessariò, in bestias ipsi per gulam transformati: imò, vt dicebat Basilius, in horridam syluam, animum componentes, quot libidines, tot feras iam videntur enutrire: vt non solùm horum singuli feras, sed ferarum exhibeant habitacula. Ita est: nullum vitiorum apertius, Principem, in bestiam, prodit deformatum: de quo quia fusè iam alicubi me

Ebrietas in bestias homines transformat.

scripsisse memini: hic vnum aut alterum verbum solummodo delibabo. Instantem iam plagam Israelitis Dynastis Ioel intentans, ita subdit: *Expergiscimini ebrij, & flete, & vlulate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine: quoniam perijt ab ore vestro,* cap. 1. v. 5. non solùm somnos excutit, & fletus iniicit: sed insuper cum à miseris exacturus clamores videbatur, *vlulatus* potiùs putauit subrogandos: nimirum, quid ab ebriis Principibus sperares, nisi ferinos sonos? Dolore rabidi, non humanos clamores, sed bestiales vlulatus necessariò edere cogerentur. Ruffinus Pius ibi, *Quoniam rationis obliti, bestiarum vos similes reddidistis: in ipsis saltem, quibus incubatis thoris, & cubilibus, vlulate omnes.* Vt iam illa cubilia, in spelæa versa traducantur. Hinc ergo est, quòd Nabuchodonosori puniendo, ait Daniel: *Eijcient te ab hominibus, & cum bestijs, ferisque erit habitatio tua: & fœnum vt bos comedes,* cap. 4. vers. 22. Principes enim mysticè, per vitia, in bestias, ab hominibus degenerantes, vt plurimùm hinc expressiùs denotantur, non quòd sæuiant, quòd stultescant: sed quòd ventri obedientes, boum instar, gulæ vni videantur inhiare. Vnde quod Ricardus Venerabilis lib. 2. de Erudit. int. hom. cap. 41. ad hunc locum, in omnes carnis delitias traduxit: haud temerè ex contextu, in vnam gulam præcipuè deriuo. Cape ergo sancti Doctoris verba: *Bos cùm fœnum accipit, pro summis delitijs ducit, & nihil latiùs requirit. Cùm sit ergo omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos fœni: fœnum quasi bos comedit, qui omne gaudium suum in temporali gloriâ, & carnalibus oblectationibus ponit: & spirituales delitias omnino nec per studium, nec per desiderium requirit.*

Ioel 1. 5.

Ruff. Pius.

Dan 4. 22.

Carnis voluptas bestialis.

Ricardus.

Postquam Principum Israëlitarum Palatia, quæ ad delitias æstiua, & hyemalia ædificarant, euertenda canit Ioel cap. 3. vers. vltim. sic subiungit: *Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ estis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes,* cap. 41. vers. 1. Quasi iam à delitiis, in bouinam stoliditatem declinarent. Sed quonam voluptatum genere, sic turpiter apertiùs deformantur: vt pro hominibus, vaccæ (quasi non tam verba redderent, quàm mugitus) denotentur? Vide quid statim, idque tantummodò addatur, eodem versu: *Quæ dicitis Dominis vestris, afferte & bibemus,* quasi à Diis suis, tantummodò epulorum, & vini abundantiam sollicitarent: hísque contenti essent, vt ventri suo, id est priuato Deo litarent suauissimè. Quid-ni ergo hinc meritò, animalibus pronis in terram, & ventri obedientibus adnumerentur? Ruffinus Pius ibi, *Quanquam esset totius gentis profanitas arguenda: tamen quia in diuites & opulentos obiurgationem præcipuè dirigebat: qui non vnis ædibus, sed pro tempore variandis cœnaculis vterentur, eáque eboris nitore percolerent: meritò eis vaccarum quoque pinguium nomen adscribit: quia vox eorum erat mugitibus destinanda, & venter eorum Deus, & gloria in turpitudine ipsorum.* Viderint nunc Principes an prudentis consilij industriâ in gubernandis, vt par est, populis vti possint, si in bestialem stoliditatem gula imperante, dominante ebrietate declinarint. 1045.

Ioel 3. vlt.

Gulosis, Deus venter est.

Ruffin. Pius.

Sed habet non parum doctrinæ, in regiam in-
1046. stitutionem, locus ille Pauli, cui obiter allusit Ruffinus, sic enim de his Apostolus: *Quorum finis interitus: quorum Deus venter est; & gloria in con-*
Phil. 3. v. 19. *fusione ipsorum.* Philipp. 3. v. 19. Neque enim solummodò puto assignari his talibus, ventrem pro Deo: quia ventri vnicè, tanquam numini suo satagunt ministrare, & dare victimas, quod alibi
Ebrietas, inter tot mala, insuper blandus Dæmon est. illustraui: Sed insuper, quia cum Dij falsi, veri sint Dæmones: & aliunde epulo vinosúsque venter, immisso Dæmone quodam furere videatur: quid mirum si iam illorum Deus, id est Dæmon domesticus appelletur? Ideo non immeritò D.
D. Pet. Chrys. Petrus Chrysol. serm. 26. præ aliis, etiam Dæmonis blandi titulo, ebrium affecit, sic scribens. *Ebrietas cadus mater, parens litium, furoris genitrix, petulantiæ deformiter est magistra. Hanc qui habet, se non habet: hanc qui habet, homo non est: hanc qui habet, non peccatum facit; sed est ipse, peccatum. Ebrietas est Dæmon blandus, venenum dulce, rabies voluntaria, inuitatus hostis,*
Gulosus, Demō ventriloquus. *illecebra honestatis, & pudoris iniuria.* Huc facit præceptum illud Dei, ad Populum: *Neque Py-*
Deuter. 18. 11 *thones consulat, nec Diuinos.* Deuter. 18. v. 11. Cur enim, dum cæteros Diuinantes genericè exposuerit, solùm Pythones specialiter, quasi horribiliùs execrandos, putauit exprimendos? quia nimirum turpius longè & fœdius, spiritu Pythonico aliqui diuinabant. Incubabat quandoque fœdo specui, diuaricatis cruribus Pythonissa: è quo turpissimus halitus in ventrem commeabat, quo plena diuinabat: Prætermitto peruiam in hac re vtriusque paginæ eruditionem: hi erant ergo, quos passim Dæmones ventriloquos legis.
Steph. Cant. Faceta ergo, nec vana Stephani Cantuar. explicatio ad hunc locum. *Ne consulas Pythones, id est ventriloquos: quod facit, qui quærit, an ieiunandum sit, ab eo, quem gula illicit.* Veniet ergo credo optima Reip. dispositio, ab illo Principe, qui ventrem suum in oraculum, id est ventriloquum Dæmonem constituerit. Huc facit illud Athenæi
Athen. lib. 15. cap. 20. *Apud Græcos, Soli sacrificantes, mel libant, cum vinum non inferant altaribus: quia æquum esse arbitrantur, vt Deum ipsum qui omnia continet, omnibus dominatur, semperque mundum circumeat, ab ebrietate prorsus esse alienum, credant.* Meminerit se Solem, meus Princeps.

1047. Sed licèt vitiorum omnium origo, Gula ha-
Gula, luxuriæ ministra beatur: tamen tanquam luxuriæ (quæ à Principe vt infrà dicam, longissimè abesse debet) amicus fomes, & nutrix sedula, summopere apud Autho-
Valer. Max. *Ebrietas lasciuia.* res venit detestanda. Ideo Valerius Max. lib. 2. cap. 1. *Vini vsus, Romanis fæminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur: quia proximus à Libero Patre, intemperātiæ gradus, & ad inconcessam Venerem esse consueuit.* & fortasse propterea vinosum Bacchum, veteres *liberum Patrem* appellarunt: quia omnem licentiam, omnem profanam, in Venerea, libertatem indulgebat: nescit enim ebrius venter castitatem. Vnde
D. Basilius. D. Basilius Magnus lib. de verâ virgin. ita. *Per gustûs tactum, ad ingluuiem ventris, iugiter voracitate delenitâ, impinguatur corpus: ipsum verò ferventibus in imis recessibus, humoribus leuibus, concitatum libidine, ad concubitûs tactum impatientissimè fertur.* Et bene *impatientissimè*: cùm propterea Lot, vino quasi impatientissimo Domino subiectus, iam sui, mentisque impios: sibi à filiabus non discerneret abstinendum: Ge-
Genes. 19. 32 nes. 19. v. 32. Quid inebriatur, occultæ adhuc tyrannidis in eius Noe: nec solùm sopitur som-
Genes. 9. 21. no, sed per *nuda a verenda* deformatur; Genes. 9. v. 21. Non potuit verecundiùs cadere à vino: vt vbi primùm in Orbe Bacchus insultans notaretur, Venerem adduxisse secum agnoscatur: neque illius triumphum, absque huius delitiis adornari.
Alcuinus. Alcuinus ibi, q. 1 est. 138. *Cur nudatio fœmorum, post ebrietatem secuta est? quia sæpe post ebrietatem libido subsequitur.* Huc, Princeps Orbis assertor, nolens deuenit.

Fœdius volentes, Protoparentes Principes 1048.
Genes. 3. v. 7 rem probarunt: sentiunt se nudos: *& consuerunt folia ficûs, & fecerunt sibi perisomata.* Genes. 3. v. 7 è tot arboribus, quæ ad manum erant, ab vna ficu, pudendis perisomata succinxerunt: quasi non tam velare, quàm stimulare decernerent pudorē. *Egulâ, in luxuriam itur.* Nimirum iam gulâ superati, libidinem quodammodò confouebant; luxuriosa enim ficûs folia, apud Doctores habentur, & pruritum mordacitate innatâ excitantia. Dixi quædam ad hunc locum in opere *Concept.* & fusissimè toto cap. 4. *Spicil.* inde repete. Do tantum D. Antonium de
D. Ant. de Pad. Pad. serm. 1. in Dom. 3 post Pasch. vbi ita. *Exules Paradisi habuerunt vestes de folijs ficuum, quæ carnis excitant pruritum.* Quasi vix possent à Gulâ superari, tot viridantium foliorum lasciuo apparatu, libidinis candidati, non exhiberi. Vnde
D. Nilus. bene D. Nilus lib. suprà citato, in serpente illo ad quem Dominus dixit, *super pectus tuum gra-*
Genes. 3. 14 *dieris.* Genes. 3. v. 14. Voluptatem, quæ miseros Protoparentes deceperat intelligens, sic scribit. *Valde pectori, siue ventri conuenit, illud* gradieris. *Voluptas enim non est ex eorum numero, quæ stant, & quiescunt: sed ex eorum quæ mouentur, & perturbationis sunt plena. Ideóque gula & ventri, rerum Venerearum commotio est coniunctissima. Quam quidem coniunctionem voluptas cùm vellet ostendere, generationis instrumenta, sub ventre collocauit, vt propinquitate, necessitudinem declararet. Ac libidinis quidem vitium, ex ventris imbecillitate, fit infirmum ac debile: contra viget ac feruet, cùm illi robur ac vires, venter sufficit.* Quæ fere ex Philone Iud. sumpta sunt.

Quàm sedulò scrupulosus, si fas est dicere, 1049.
Gula refrenata, ad castitatem. certè quàm attentus morosè, in creaturis multis ad escam interdicendis, erga Iudæos, in lege, procedit Deus! Sed cur ita, si in ipso rerum exordio, ab eodem tanquam optimæ benedicuntur, cur negentur hominibus ad cibum, quæ apud Deum, benedictionis priuilegio commendantur? quia licèt bonæ, abusu tamen gulæ, iam poterant lasciuiæ ministrare. Tertul. lib. 2. contra Marc.
Tertul. cap. 18. *Si lex aliquid cibis detrahit, & immunda pronuntiat animalia, quæ aliquando benedicta sunt: consilium exercendæ continentiæ intellige: & frænos impositos illi gulæ agnosce, quæ cùm panem ederet Angelorum, cucumeres & pepones Ægyptiorum desiderabat. Agnosce & comitibus gulæ, libidini scilicet, atque luxuriæ, prospectum: quæ fere ventris castigatione frigescunt; manducauerat enim populus & biberat, & surrexerat ludere. Perinde & pecuniæ ardor restingueretur ex parte, quæ de victûs necessitate causatur: pretiosiorum ciborum ambitio detracta est.* Et nota mihi obiter vltimam hanc rationem, cur gulæ sit imperandum,
Gulam, immodicus pecuniarum amor subsequitur. ne scilicet pretiosiorum ciborum ambitionem, auaritię homines prętendant: & inde necessariò sibi pecunias effutiant corradendas, quæ tot

cœnarum

cœnarum impendiis satis sint. Ita est. Vt plurimùm in pecuniarum auiditatem, Populum deglubentes declinant Principes, qui immodica conuiuia, & cœnas Cleopatricis similes passim parare, inter regalis pompæ ornamenta numerant ambitiosè. Scilicet vt Veneris, sic etiam pecuniæ ardorem immittit gula Exempla ab antiquis petita, passim obuia: mihi nunc satis, pro monito hoc politico, verba D. Sixti Papæ, lib. de diuitiis, vbi ita. *Difficillimum est, gulæ voluptatibus deditum, auaritiam, vel libidinem vincere: cùm vna illi solatium præbeat, altera verò præsidium: tam desolata est enim, absque libidine, gula, quàm absque auaritia, destituta. Auaritia verò ipsa, quodammodò se odisse videbitur, nisi gulæ libidinique deseruiat: sed & libido penitus stare non poterit, nisi gula, quæ per auaritiam constat, foueatur auxilio.* Abundè iam titulos dedimus, vnde meo Principi, immoderatio gulæ veniat strangulanda: nec adhuc finis.

D. Sixt Pap. *Auaritia, gulæ comes.*

1050. Assuescat ergo totus Temperantiæ, virtutum omnium altrici fœcundissimæ: quia vt benè D. Nilus Orat. de gulâ: *Principium, flos est, fructificandi: & rectè viuendi principium Temperantia: qui ventrem cohibet, voluptatis vim frangit: qui autem cibis indulget, incitat voluptates.* Turpissimum quippè est, semper Regem appellari: nec semper officio regio, temperantiæ defectu posse attendere. Iam neque semel cum Pharaone congressus fuerat Moyses, sed euentu irrito: ad quem tunc Deus: *Vade ad eum manè, &c.* Exod. 7. vers. 15. Quasi pridie ad vesperam id præciperet: nec tamen tunc aptum tempus adeundi Pharaonem, putaretur. Sed quidquid sit de tempore, quo id Moysi insinuatum: certè disertis verbis matutinum tempus, præscribitur hic captandum, negotio ventilando. Et cur ita? Respondet ibi Dionysius. *Vade ad eum manè, quatenus dum adhuc ieiunus, & sobrius est, aptior sit ad considerandum, quæ dices ad eum.* Visus Pharao, normam præscripsisse hæreticis nonnullis Principibus, cum quibus si quid agendum est, (vt constans est fama, imò infamia) manè est obseruandum: nam vespere post prandium oppiparum, nullus etiam Stentor, ebrietate summersos excitauerit. Egregij planè, Reipubl. clauo, adhibiti Palinuri, quibus non solùm somnus, sed Bacchus, dimidium regendi tempus, sub regnandi licentia surripit importunus!

Temperantia ab eius, virtutum nutrix. D. Nilus. Exod. 7. 15. *Princeps ebrius, regimini ineptus.* Dionys.

1051. Sed benè, quòd dum sic regnant, regendi incapaces: ipsi sibi Coronæ gloriam inuident, & imminuunt indecorè: quasi & aliud dimidium potestatis, quod sobrij videntur retinere, sibi meritò auferendum augurentur. Consummatis iam operibus diei quinti; Genes. 1. vers. 23. subdit Deus: *Producat terra animam viuentem in genere suo iumenta, & reptilia, & bestias, &c.* Vers. 24. Multa Deus in cæteris elementis, imò & ipsâ terra, vilioris longè conditionis iam produxerat: Cur ergo pretiosiores bestias, in vltimam creationis lineam deputauit? Certè non illis, quod de homine rectè dicitur, Palatium parabatur: quid igitur expirante iam quodammodò diuinâ creationis fœcunditate educuntur: Scilicet præuidebantur, in hominum dulciores, & sumptuosiores epulas apparandas, & miris gulæ abusibus, plus quàm ab aliis elementis, condiendas: optimo igitur iure, cessaturâ iam creatione mittuntur: quasi præstito augurio, Gulæ abusu imminuendum esse Mundum, qui gulæ blandimentis editis, nouâ creatione augeri iam cessabat. Pulchriùs D. Ambros. lib. de Eliâ, Cap. 4. *Sexto die bestiæ sunt creatæ, & cum ipsis orta edendi potestas, & vsus escarum. Vbi cibus cœpit, ibi finis factus est Mundi, ibi cœpit sua incrementa nescire, ibi cœperunt diuina circa eum opera feriari. Quò indicio declaratum est, quòd per cibos Mundus haberet imminui: per quos desiit augeri.* Sed et D. Doctoris contextu, non tam videtur significari, paratas hinc hominibus escas, quàm ipsas terrenas bestias, præ cæteris animalibus voraciores, & cibo inhiantiores inculcari: Quod ad rem nostram perinde est; vtcunque enim explices Ambrosium, semper gula fœlicioris fœcunditatis portendit imminutionem: vt meritò imminuendum auguret Principum Imperium, qui gulæ, abiectâ temperantiâ, indulgent.

Gen. 1. 24. *Imperia, per gulam minuuntur, & deficiunt.* D. Ambr.

1052. Tota recti Principis gloria, in eo est, si quasi à Deo formatus & institutus, diuinam, quasi familiariter traditam sibi legem, & amica quasi domestici monitoris consilia amplexetur. At certè, nescio cur, sed ita est, cùm alia maiora vitia in Principe Deus dissimulet quandoque, vnâ ebrietate sic commoueatur: vt illum huic fœditati indulgentem, omninò monitis & commercio suo reputet indigniorem. Descendebat Moyses de monte legem Populo allaturus, additque Textus: *Cùmque appropinquasset ad Castra, vidit vitulum & choros: iratúsque valde, proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis.* Exod. 32. vers. 19. Et vnde iusta ira, vt Populus, tanto diuinæ legis dono, tam familiari commercio priuaretur? An quod vitulum cultum vidit? at certè iam nouerat populum idololatram, & pro illo anxiè fuerat precatus: tàm alienus à comminuendis legis tabulis, vt gaudens illas adduceret instituendo. Quid ergo? Vidit non solùm adoratum vitulum, sed choros temulentos, verè thyasos Bacchanales, biberant enim & manducarant, & surrexerant ludere, vers. 6. Et qui Idololatris legem vtcunque afferendam putauerat: ebriis decreuit omninò denegandam: non quòd non sit longè immanior prior culpa, sed quòd secunda diuinis monitis tumultuosiùs obstrepere videatur. D. Ambros. lib. citat. cap. 6. *In superioribus quidem montis, lex dabatur Moysi ieiunanti: in inferioribus, populo manducanti, præuaricatio sacrilega, luxu accendebatur epulantium. Quo spectaculo motus, fregit tabulas Moyses, indignum iudicans, vt ebrio populo lex daretur. Itaque tabulas legis, quas accepit abstinentia, conteri fecit ebrietas.* Neque mirum, Idololatriæ enim sacrilega præuaricatio, *luxu accendebatur epulantium*: vt etiam in ebrietate, quod initio dicebam, impietatis fomes argueretur.

Ebrietas, plusquam cætera vitia, leges perdit. Exod. 32. 19. *Et legislatori Deo, obstrepit importunior.* D. Ambr.

1053. Tandem, hinc etiam ad Temperantiam, non leuiter venit Princeps inuitandus: quòd in illo, apud Deum & homines, hæc virtus pretiosior appareat, quò periculosius sub tanta delitiarum opulentia, seruanda putaretur. Escatilem Manna pluuiam, abundantissimè Dominus effuderat, additque per Moysem: *Colligat vnusquisque ex eo, quantum sufficit ad vescendum.* Exod. 16. vers. item 16. Non solùm mensuræ colligendæ, missæ fuerant, sed in immensum abundantiores: nec tamen ex tanta abundantia, nisi iustæ mensuræ colli

Temperãtia, in Principibus, vnde pretiosior. Exod. 16. 16.

colligi præcipiuntur. Sed quorsum superflua, absque vsu porriguntur? Respondet ibi grauiter Oleaster. *Non est parcus Dominus, sed quia nouit, quæ mala abundantia pariat, voluit nos ad mensuram, suis vti bonis: neque tamen ad mensuram, panem descendere fecit, sed in maximâ copiâ: voluit tamen ex copiâ, nos solùm, quæ necessaria sunt, sumere, vt discamus etiam in rerum affluentia, seruare modestiam, & parcitatem.* Hoc est, quod à Principe meo, in tanta opulentia Deus exoptat: Turpissima quippè est illius opulentiæ conditio, sub qua sic degitur, quasi tantùm viuas, vt bibas: tenendáque illa Temperantiæ norma, quam magnus Basilius exprimit lib. de vera virginit. *Extrema quæque, ac per id inæqualia, vt ait Sapiens quidam, periculosa sunt. Nam sicut per ciborum abundantiam, lasciuiens equus noster, aurigam quemcunque, vel equitem præcipitem fert: ita & per nimiam abstinentiam, propositum impedit virtutis iter. Quemadmodum denique Aurigæ non expedit, equum ita affluenti saginare præsepio, vt illius lasciuis motibus, inordinatisque lædatur, &c. ita neque virtutis viam cum eo pergere instituenti, conuenit ex nimiâ necessarij victus indigentiâ, vires eius omnino deijcere.* Licet Principi sub debitis circunstantiis, longè latior & lautior modus apponendus.

Oleast. — *D. Basil. Temperãtia, quæ norma apponenda.*

VIII.

Veneris contagium efficacissimum, & perniciosissimum, Principi vitandum.

1054. VEnio ad luxuriam, id est, Veneris immoderatam libidinem, qua infaustus Baltasar diffluens tot inter concubinas, tandem periit. Est pestis ista Principibus tot inter delitias enutritis, vt plurimùm periculosa, nisi sedula diligentia se custodiant. Nimirum Curia tot voluptatum illecebris funestata, in aulam quidquid est, delicatiùs, obtrudit: & inter tot blandimentorum feruida irritamenta, Venus frigescat interim non datur, nisi singularissimo cælestis gratiæ rore extinguatur. Satagat ergo in primis Princeps meus, si castitatem, regalis throni decus, sibi exoptat, domesticos & familiares suos, hinc maximè probare: credat mihi morbum esse luxuriam, & morbum pestilentem, id est, contagiosum: sit quantumuis bonæ indolis, modesti genij, si tamen iis Aulicis assuescat, qui hinc l. b. rant, (& ferè laborant frequentiùs hi tales) improuidè, dum minùs putet, inficietur: serpit ignis hîc pellax, sæuóque, incautos quosuis, incendio inuoluit. Egerat multa de castitate & cælibatu D. Zeno Veron. serm. de Contin. deinde sic subiungit. *At ego non pertimescam sermonis publici, quæ de me fabuletur, inuidia: num enim nuptias condemno: sed nuptiis meliora propono: & quidem Apostolo hortante sic Paulo, &c. iam te Christiane agnosce: elige quod velis, remedium an sanitatem.* Quasi qui continens permanet, sanum se probet: qui coniugem ducit, remedium morbo applicet, meliùs reputans nubere quàm vri. At quidem, si is etiam qui vxorem quærit, incendio hoc febricitans reputatur: qui vagâ Venere rapitur effrænis, nónne sæuiori longè igne, & quasi pestis contagio infectus præsumetur? Ego non miror in Palatio, inter regales delitias, ex inficiente animum morbo, Amnonis corpus morbo fuisse correptum, 2. Reg. 13. vers. 2. Et vtrinque iam miserè corruptum Principem: illa, mihi, ibi mira verba, vitiatæ iam sororis, & è vestigio spretæ: *Maius est hoc malum, quod nunc agis aduersùm me, quàm quod ante fecisti, expellens me.* Vers. 16. Ita-ne? tam breui rogat, quæ ante sic violenter cogenda fuerat? Certè contagiosus morbus est, luxuria: turpis frater, non solùm sorori eripit pudicitiam, sed etiam per contagium, inserit libidinem. Nec tamen adeo id mirum, à concubitu, quando vel etiam leuissimo tactu, serpit hoc veneni.

Luxuria, morbus est. D. Zen. Ver. — *Et is, contagiosus.* — *2 Reg. 13. 2. Vers. 16.*

Erat quidem, si priscis Authoribus credimus, non cuiusuis, sed penè regalis nobilitatis Domina Ioseph, vnde inter opulentas delitias pestem contraxit. Ergo post multa tandem, attrectatus ab adulterâ Iuuenis, *Relicto in manu eius pallio, fugit, & egressus est foràs.* Genes. 39. vers. 12. Vbi notissima sunt verba D. Ambros. ibi cap. 5. *Contagium indicauit, si diutiùs moraretur, ne per manus adulteræ, libidinis incentiua transirent: itaque vestem exuit, crimen excussit: & relictis, quibus tenebatur exuuiis, spoliatus quidem, sed non nudus, aufugit, qui erat tectior indumento pudoris.* Reliquit ergo contactum pallium, pollutas iam exuuias: sicut infectas peste vestes vitare solemus, ne tactæ venas inficiant, Cor tandem vitæ fontem confecturæ. Maiore tamen Emphasi, rem expressit ibi, Hugo de Foilleto, apud Tilman. *Relicto in manu eius pallio, fugit: rumpit fimbriam, ne serperet contagium.* Astringebatur olim, apud plerasque nationes, pallium morsu fibulæ ad collum: erátque saltem breuis mora ponenda, vt dissolueretur: id ergo voluit Hugo, tanta celeritate, contagium quasi præsentissimum Iosepho cautum vt ne vel soluendæ fibulæ moraretur; pallium relinquendum, cuius fimbriam siue laciniam impudica apprehenderat, laceraret. 1055.

Gen. 39. 12. D. Ambr. — *Luxuria contagium, præsentissimum.* — *Hug. de Foil.*

Sacrilega planè & impia, mens Pharisæi, quæ in Christo Domino, probatam toties diuinitatem non agnoscebat: modus tamen loquendi apud hypocritam, accommodatus satis, luxuriæ contagioni explicandæ: *Hic si esset Propheta, sciret vtique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit illum.* Luc. 7. vers. 39. Ac si non liceret cuiquam mero homini, à contagiosa tangi meretrice, qui consimili labe affici non sustineret. Nouerat id, ipso naturæ lumine Ioseph Ethnicus, id est, Hypolitus, qui ita apud Senecam, ad Reginam turpissimè pellacem: 1056.

Procul impudicos, à corpore casto, amoue
Tactus:

Scilicet, ne contagium cordi obserperet pudico. Faciunt huc pulchra verba Tertulliani, lib. de Cult. Fœm. cap. 1. *Cùm omnes Templum Dei simus, illato in nos & consecrato Spiritu sancto, eius templi Æditua & Antistes, est Pudicitia: quæ nihil immundum & profanum inferri sinat: ne Deus ille, qui inhabitat, inquinatam sedem offensus derelinquat.* Quasi non aliunde turpiùs fœdetur anima, quia nec aliunde contagiosiùs laborat, omnibus suis affectibus deprauandis. Et benè cùm Antistes, id est, sacrorum Princeps dicitur pudicitia, etiam Æditua (quod munus longè inferioris

Contagium prædicta. vu. — *Luc. 7. 39.* — *Senec. Trag.* — *Tertul. Pudicitia, diuini templi Æditua.*

ferioris est gradûs) appellatur: habet enim hoc singulare Æditu us sacrorum, vt dum vasa sancta, vestésque sacras frequentiùs pertractat, ne omnia attactu fœdo sordidet, lotis semper incedat manibus, opus est: sicque nisi pudicis manibus, aliarum virtutum tractes opera, omnia quasi contagiosè corrumpere præsumaris.

1057. Nouus Miles, quietissimæ cuiusdam pacis iam emeritus, in prælium accingitur Abraham: & Tyro adhuc, gloriosissimos triumphos, veterano etiam Duci per difficiles reportat, prostratis quatuor Regibus fortissimis, & quinque aliis amicis Regibus liberatis: tunc addit Textus: *Dixit autem Rex Sodomorum ad Abram, da mihi animas, cætera tolle tibi: qui respondit ei: leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum, possessorem Cæli & terræ, quòd à filo subtegminis, vsque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus quæ tua sunt: ne dicas, ego ditaui Abram.* Genes. 14. v. 21. Quod solummodò à Deo suo ditari vellet, & non ab amico Rege, bene est: sed quorsum tam noua iurandi ratio, vt signanter manus leuata, & quasi ab illis spoliis refuga exprimatur? Erant spolia ista lasciuissimi Regis, & qui vrbes suas, turpissimâ libidine infames non comprimebat: meritò igitur, non solùm illorum possessionem, sed etiã leuissimum tactum, leuatâ manu refugit Abraham, quasi serpens necessariò contagium euitaret. D. Ambros. lib. 2. de Abrah. cap. 8. *Quasi contagium declinat intemperantiæ: quasi labem refugit corporalium sensuum: delectationes Mundi refugit, quærens quæ suprà Mundum sunt. Hoc est extendere manus ad Dominum.* Quasi non posset consimilis turpitudinis labe non perire, si contagiosa bona attrectaret.

Sodomitica vrorū contagia.

Genes. 14. 21

D. Ambros.

1058. Cupiebat anxiè Princeps Absalon, totius Populi animos ad se conuertere, vt sanctissimum Patrem deiiceret è throno: Consulit sagacissimum aliàs Achitophel: ad quem tunc iste, *Ingredere ad concubinas Patris tui, quas demisit ad custodiendam domum: vt cùm audierit omnis Israel, quod fœdaueris Patrem tuum, roborentur tecum manus eorum.* 2. Reg. 16. v. 21. & additur statim. *Tetenderunt ergo Absalon tabernaculum in solario, ingressúsque est ad concubinas Patris sui, coram vniuerso Israel.* v. 22. Difficile satis est apud Interpretes, quò nam astutissimi Consiliarij mens collinearet: cui sic promptè infaustissimus Princeps, per incestum immanissimum adhæsit: quid enim conciliandis Populi affectibus, Absalonis effrænatissima libido, & illa omnium oculis exposita, vnde potiùs, in turpissimum Principem exasperandus videbatur? Quid Interpretes ad litteram cogitârint, legeris apud illos: Quid ego pro Tropologiâ neque litteræ absonâ existimem, iam aperio. Similes similibus facillimè aggregantur: nullique suauiùs, nequam Principis adhærent moribus, quàm qui pari morum nequitiâ laborarent. Hoc ergo age, inquit Achitophel: Populum, tibi pessimo, redde consimilem: neque verò cætera tua vitia, nisi per longissimas moras illi affricabis: vna est luxuriæ pestilens contagio: hanc vnicè tibi sume ministram, quæ Populi totius oculis exposita, ipso aspectu in omnes facilè peruadet, & simili morbo affecti, pari morum corruptelâ funestati, tibi deinceps vnanimes adhærescent. Fallor, aut fauet his Saluianus lib. 2. de Prouid. vbi ita. *Impurior nescias, an cruentior filius, quia interficere Patrem non potest parricidio, fœdat incestu, & quidem nefas incesti, per industriam accumulandi Criminis, elato: cùm vtique facinus, quod etiam secreta abominabile facerent, persecutor parentis, publicè perpetraret: Scilicet, vt feralissimo crimine, non pater tantùm absconsus deformaretur: cùm oculi etiam totius Orbis, publico fœdarentur incestu.* Sic quâ industriâ accumulauit crimen, contagium, fœdandis, per oculos, moribus deriuauit.

2. Reg. 16. 21

Vers. 22.

Luxuria, ipso aspectu, contagiosa.

Hinc Isaias de Babylone, id est, omnium voluptatum domicilio, iam profligatissimâ. *Et respondebunt ibi vlulæ in ædibus eius: & Sirenes in delubris voluptatis.* cap. 13. v. 22. Stercorea, & auium fœtidissima *vlula*, meritò in hoc loco, denotandæ luxuriæ adhibetur; illud occultius, cur non tàm degere, aut cantare ibi vlulæ dicantur, quàm respondere? & respondet prudenter Stephanus Cantuar. in Syl. Alleg. ad cap. 20. Exod. sic scribens. *Vlula, auis stercorea, & rostro crepitat: hi sunt luxuriosi huius Mundi, qui respondent ad inuicem delitiosè viuendo, vnus ad exemplum alterius.* Ac si nullum sit contagiosiùs exemplum, nec præsentiùs, extorquendo correspondenti commercio; quàm luxuria: vnde cæteræ voluptates, sub Sirenum nomine, tumultuariè proferuntur; hæc signanter exprimitur, quasi paratioris indolis ad responsum. Hinc prudenter apud Ouid. Regia puella, sed fœdissimè Patri commixta, hæc fingitur ad Deos vota emisisse. 1059.

Isai. 13. v. 22

Steph. Cant.

Cæteris vitys longe contagiosior.

——O si qua patetis
Numina confessis, merui, nec triste recuso
Supplicium: sed ne violem viuósque superstes,
Mortuaque extinctos: ambobus pellite regnis:
Mutatæque mihi, vitámque necémque negate.

Ouidius.

Ipsa etiam luxuria pæna, spectantes videtur inficere.

Quasi sic turpis libido, etiam post pœnam, contagiosa foret: nouaque metamorphosi egeret: ne aut viuens, hunc orbem: aut defuncta, Inferos quodammodò inquinans violaret.

Mirum dictu! tam contagiosa res est, luxuria: vt etiam punita inficere videatur: siue ad corpora ipsa famosa, siue ad necis respicias instrumenta. Hinc ille affectus castissimi Hyppolithi, apud citatum Senecam, gladium, quem attigerat impudica regina, abiicientis: 1060.

Ipsa supplicij instrumenta, contagiosa manent.

Contactus ensis, deserat castum latus:

Senec. Trag.

Quasi non tàm sæuus ensis corpori occidendo, quàm de contactu lasciuientis fæminæ, moribus corrumpendis contagiosus, vt etiam percusso vitio, vitium timeatur impressurus. Quid de corpore turpi occiso Seneca cogitaret, qui hæc, de ipso gladio, putauit scribenda? Scilicet vt corpus grassante peste emortuum, contagium reseruat, & sedulò euitatur: sic corpus libidini immersum dum viueret, etiam post debitam necis pœnam, aut visum aut attactum, videtur obuios quosuis inquinare. Fortasse huc respiciebant Prisci Germani, in quorum moribus, hæc scribit Cornel. Tacitus. *Distinctio pœnarum, ex delicto: proditores & transfugas arboribus suspendunt: ignauos & imbelles, & corpore infames, cœno ac palude, iniectâ insuper crate, mergunt: diuersitas supplicij illuc respicit, tanquam scelera ostendi oporteat, dum puniuntur, flagitia abscondi.* Quasi scelera præbendis exemplis, publico supplicio & corpore suspenso, meritò punienda: flagitia vitandis contagiis, & occultato cadauere, & quasi celato supplicio abscõdeda, quasi infame cadauer conspectũ, oculos aërémque inficere præsumatur.

Corpora Sodomitarum punita, de huc contagiosa.

Cornel. Tac.

Quid? vel minimæ, supplicij ipsius reliquiæ, 1061.

Imò & ipse ignis, infames exurens, contagiosus.

de attractu corporis infamis, parem ingerere turpitudinem, & contagiosam spirare laciuiam videntur. Pluit è cælo Deus ignem & sulphur, infamibus illis vrbibus obruendis: & cùm putares ignem à diuino brachio contortum, omni fulmine potentiorem, subtus terram homines & vrbes celerrimè adacturum, audis ab immorante incendio, fauillas cinereas in aëre volitare: vnde de Abraham dicitur: *Viditque ascendentem fauillam de terra, quasi fornacis fumum.* Gen. 19. vers. 18. Ecquis, dicat aliquis, obruendas, immensa ignis illius potentiâ, reliquias, & fauillas excitauit? fortasse Dæmon: vt cineres illi per Orbem sparsi, ab ipso igne supplicij, qui turpissima corpora consumpserat, similem contagiosæ fœditatis ardorem renouarent. Fauet D. Bernardus, de Conuers. ad Cleric. cap. 29. *Væ! væ! inimicus hominum, sulphurei illius incendij reliquias infelices, circumquaque dispersit: & execrabili illo cinere, Ecclesiæ corpus aspersit: ipsorum quoque ministrorum eius nonnullos saniè fœtidissimâ spurcissimáque respersit.* Terruit, fingunt, Sphinx, horrenda illa bestia olim Thebas; quâ tandem occisâ, ecce paulò post sæua pestis exoritur: cuius dum causa exquiritur, exclamat OEdypus, apud Senecam Act. 1.

Gen. 19. 18.

D. Bernard.

Ille tuc dirus callidi monstri cinis,
In nos rebellas: illa, nunc Thebas, lues
Perempta, perdit.

Sic etiam punita & perempta olim Sodomia, suo cinere perditura hominum mores à Dæmone putabatur. Quid ergo mirum, mi Princeps, si etiam dum punis, rebellat è supplicio contagiosæ Veneris turpitudo: visa & familiariter admota inter delitias, contagione fœdissima commaculet?

1061. *Sola fugâ, superatur luxuria.* Fuge igitur hoc contagium, quo nullum vnquam funestius incurres, fuge inquam, nec enim aliter satis euitatur. Princeps ille Israël, Dauidis à sorore nepos, Asaël, qui, *cursor velocissimus fuit, & quasi vnus de Capreis, quæ morantur in siluis,* 2. Reg. 2. vers. 18. Dum contumax, præsumens sequitur Abner, periit tandem: quippè, *percussit eum Abner, auersâ hastâ in inguine, & transfodit: & mortuus est in eodem loco.* Vers. 23. Vbi si rem mysticè consideras, è loco vulneris corporei, vulneratam mentis castitatem, apertè colliges: Vnde pulchrum illud monitum Galfridi, ad cap. 23. eiusdem lib. *Vtinam semper fugere vt Caprea, Asaël iste, quam fugientem Abner, improbè persequi, aduersa hasta feriendus in inguine, maluisset. Expedit enim, præsertim affectuosissimis mentibus, fugiendo potius, declinare contagia vitæ, & elongari fugientes: quam infaliciter experiri, quid incauta præsumptio soleat afferre periculi.* Nullibi affectuosior mens, quàm in Principe: nullibi vehementiori impetu rapitur spiritus: ideo nullibi cautiori fugâ à vulnere præseruandus.

2. Reg. 2. 18.

Galfrid.

IX.

Turpis Amoris, Principibus euitandi, descriptio enucleatur.

1063. ITa est. Ingenium illud Principis, vt plurimùm suaue, blanda indoles, affectuosius rapitur in amorem, qui tot delitiis fotus mollissimè, sæuum incendium excitet, necesse est. Dabo igitur in hoc monito, turpis huius amoris, id est, germanæ luxuriæ, dedecora abiectissima, vt quàm remota ab honore regio esse debeant, agnoscatur. D. Zeno Veron. serm. de Charit. postquam diuini Amoris lineas deduxerat, turpis huius Amoris imaginem sic describit, imò à profanis passim descriptam, sic enucleat. *Est & alius Amor, sanè saluti nostræ contrarius, cui rectè hominis forma tribuitur, quia temporalis ac fragilis esse cognoscitur: ideo lineamento puerili depingitur, quia eius lasciua lubricitas, nec annis senilibus temperatur: ideo nudus, quia voluntas eius, est turpitudo: ideo pennatus, quia in quacunque conceperit, velociter ruit: ideo telis, facibúsque instructus, quia illicitis ardoribus semper iniunctus est gladius: ideo autem cæcus, quia cùm exarserit, non ætatem considerat, non formam, non sexum, non gradum, non sacrosanctum illum, saltem sanæ pietatis affectum.* Quæ omnia & singula vitia, quamuis mortalium cuiuis in damnum, at Principi etiam in propudium veniant, necesse est. Neque res aliunde, credo, aptiùs patuerit, quàm si suo ordine, disertissimum & sanctissimum Doctorem illustrauerim, & doctrinam, quæ tomum iustum meritò occuparet, in chartæ breuioris angustias redegerim. Id aggredior.

Qui olim Amor turpis, depingeretur.

D. Zen. Ver.

In primis huic Amori, *Rectè hominis forma tribuitur, quia temporalis, ac fragilis esse cognoscitur.* Nihil humanâ vitâ fragilius, nihil inconstantius, nihil temporis vicissitudini magis obnoxium, ideo flos, bulla, vmbra; somnus appellatur: ab hâc ergo, quid nisi frustrà, in amando constantiam speraueris? at illud peius, quòd in sic caduca indole, adhuc magis caducus Amor, citiùs contabescit: vt quò ardet violentiùs, eò extinguendus breuiùs præsumatur: imò & in odium frequenter commutetur. Notissimum est illud, quod de Amnon, violatâ iam Thamar, addit Scriptura: *Et exosam eam habuit odio magno nimis: ita vt maius esset odium, quo oderat eam, amore quo ante dilexerat.* 2. Reg. 13. vers. 15. Aliquid tamen denuo hîc videndum. Deglutita nunc aliquorum sententiâ, qui putant Thamar non fuisse filiam Dauidis, sed vxoris eiusdem, quam in bello captam, & aliunde grauidam, duxerat Dauid: indéque factum, vt puella vitricum Patrem, & eius filios, fratres appellitasset; non leuis exsurgit quæstio, cur Dauid agnito stupro, Amnonem in regiæ puellæ non cogeret matrimonium: (ex hâc enim sententiâ volunt isti dixisse Thamar, Amnoni: *Loquere ad Regem & me non negabit tibi.* Suprà, vers. 13.) Non erat quidem primogenito Regis connubium illius puellæ indecorum, cuius mater iam regina erat. Cur igitur regiæ familiæ næuum, subsequentibus nuptiis, quasi decoro fuco, prudentissimus Dauid non putauit bracteandum? certè quia prudentissimus, nec has nuptias, nisi maiori damno, nouerat peragendas. Putaret aliquis, exprimi in hoc loco odium Amnonis magnum, ex frequenti vsu, quo sæpè, reus recèns à crimine, & frigescente iam affectu, commissum crimen solet detestari: at non ita hîc euenit: amor enim turpis, propriâ indole inconstans, non in subitos, sed in æternum duraturos odij stimulos, fuerat cómutatus: vt meritò iam timeret Dauid ne,

1064. *Amor turpis, facillimè in odium commutatur.*

2. Reg. 13. 15.

ne, qui puellam solutam, oderat violatam: nuptam deinde immaniùs interficeret. Bene Lyranus (positâ hac explicatione) sic concludit. *Si autem quaratur, quare Dauid non coegit Amnon, ad accipiendum Thamar vxorem: patet responsio, quia propter odium contra eam conceptum, probabile erat, quòd interfecisset eam.* Quid ergo à Principe, quem maximè Constantia venustat, alieniùs; quàm turpis Amor, quem in regio adolescente, miratur sic instabilem, vt solummodò in odium conuersus, peiorem retinere constantiam arguatur?

1065. Hinc etiam est, vt pennatus hic Amor, non solùm propter rationem Zenonis de qua infra: sed quia volucris est, & facilè in odium commutandus, transuolat ab amante. Visus Amnonem cogitâsse Clemens Alexandrin. lib. 2. Pædag. cap. 10. vbi ita. *Amantium corda volatilia sunt: amorisque irritamenta extinguntur sæpe pœnitentiâ: Amorque sæpe vertitur in odium, quando reprehensionem senserit satietas.* Huc reuoco locum illum Isaiæ de quo suprà, qui humanæ Babylonis monstra describens, ita subdit. *Habitabunt ibi Struthiones, & Pilosi saltabunt ibi: respondebunt ibi Vlula in ædibus eius, & Sirenes in delubris voluptatis.* cap. 13. v. 21. Fallitur vt plurimum vulgus, ab vno Claudiano, deceptum, dum existimat, Sirenes mera marina monstra esse: re enim verâ terrena erant, licèt ad litûs nauigantibus fingantur insidiari: ideo bene à Propheta, hominum stylo se accommodante, non in Mari, sed in delubris, & syluis, cum aliis terrenis monstris, collocantur. Nihilominus Patres nonnulli vt tropologiæ deseruiant, vulgarem etiam, de Mari opinionem non recusant, ad rem. In ædibus cætera monstra degunt: at Sirenibus vnicè delubra, siue voluptatis palatia assignantur; nec immeritò, quia meretriciæ voluptates, vt plurimùm Palatia infestant, & ædes ad delitias, & voluptatem compositæ à Principibus (de quibus hìc loquebatur Propheta) raro absque sordibus Venereis habitantur; quas, in Sirenibus, vtriusque paginæ authores subintelligunt. Quæres igitur vnde tam constans Authorum sententia, vt meretricias voluptates, expressiùs per Sirenes significarent? Putarem ita dictum, non solùm quòd pulchrâ facie, & canorâ suauitate hospites delinirent occidendos, sed etiam quòd volucres & pennatæ putarentur; sic ferme illas describunt prisci Authores, imò & Claudianus, qui illas in scopulis mari cinctis, posuit: etiam alas eisdem putauit concedendas: sic 3. de Rap. *alas rapidas* illis tribuit: & in Epigr. *Volucres puellas* appellauit. Nunc capies D. Anton. de Pad. Dom. 10. post Trinit. ad hunc locum. *Sirenes vt fertur, sunt animalia mortifera in Mari, quæ à capite vsque ad vmbilicum, figuras humanas habent: extremas verò partes vsque ad pedes volatiles: dulcissimum melodia cantum, vel carmen canunt: ita vt per suauitatem vocis, auditus hominum, è longè nauigantium ad se trahunt, & graui somno sopitos dilaniant. Secundùm veritatem Meretrices sunt, quæ transeuntes ad se, ad egestatem deducunt. Alas & vngulas habuisse feruntur: quia Amor luxuria volat, & vulnerat.* Videat nunc Princeps, an condignè fiscum & ærarium suum, ad non volucrem redigat egestatem, vt sic volucri turpitudini deseruiat.

Amor inconstans, & pennatus: & in odii versus.
Clem. Alex.
Isai. 13. v. 21.
Sirenes, non erant marina monstra, sed terrena.
Luxuria palatina est.
Claud.
D. Ant. de Pad.

1066. Huc vsque turpem hunc amorem, humanâ formâ insignitum, ex Zenonis acumine explicauimus. Sed fortassè non aberrabis, si dixeris, vt à reliquis, sic etiam ab hac formâ, ordinariam suam hypocrisim efformari; nam vt in cæteris fallaciam suam tegit, sic brutos mores, humanâ effigie cupit dissimulatos, re enim verâ, licèt id cæteris vitiis sit commune, at maximè luxuriæ conuenit, homines vndique in bestias deformare. Dixi de hoc alibi fusè: singularius aliquid addo, & luxuriosos, adhuc peiores bestiis traduco. Productis iam Plantis, ad copiam innumeris, pulcherrimis ad venustatem, Mare deinde, Aeremque replet Deus, animalibus: & subditur statim: *Benedixitque eis, dicens: Crescite & multiplicate, & replete aquas maris: Auésque multiplicentur super terram.* Genes. 1. v. 22. Sunt quidem multa plantarum genera, homini longè vtiliora, quàm quædam, ex productis, animalia: plus sæpiùs illarum multiplicato incremento quàm horum multiplici generatione indigemus. Cur ergo quod Animalibus, de benedictione imponitur præceptum, non etiam necessariis plantis irrogatur? Respondet optimè Genadius, in Cat. Par. ad hunc locum. *In arboribus seminibúsque nullâ est vsus eiusmodi benedictione Deus, licet ipsa quoque, successiones sibi propagent, & augeantur? Quid igitur in causa? &c. Cùm arboribus frugibúsque Deus dederit, vt seruentur in agrorum culturâ: animantes verò, mutuo inter se concubitu propagentur: ne in eam rem sponte sua ferri viderentur, sed compelli potiùs imperio Creatoris, ad generationis conseruationem, meritò talibus verbis, generationi animantium benedixit.* Vt iam videat meus Princeps, bestiis se postponendum, si non solùm absque præcepto, sed insuper, præcepto violato, ruat in venerem: à quâ bestiæ, nisi vrgente Creatoris imperio, abstinerent.

Amor turpis hypocrita.
In bestiis peiores homines transformat.
Genes. 1. 22.
Genadius.

Addebat D. Zeno, de hoc Amore. *Ideo lineamento pueriles depingitur, quia eius lasciua lubricitas, nec annis senilibus temperatur.* Id est, sub humanâ formâ, ætatem solummodò exhibet puerilem, quia nec etiam in senibus, si quos adurit, petulcum iunioris ætatis ingenium, lubricos mores, indolem lasciuam derelinquit: Senes nimirum turpissimè reddit ad pueros, quibus periculosæ ætatis igniculos accendit. Nihil iis senibus funestiùs, qui non solùm pueritiam retinent, sed quod peius est, puerilitatem: de quo iam sæpe in aliis opusculis paginas impleui. Nihil ergo hoc turpi amore fœdius, per quem maximè hi tales, in pueros deformati irridentur. Bene Tibul. lib. 1. eleg. 2. 1067.

Amore turpi Seniores infantiunt, ridiculo.

Vidi ego qui iuuenum, miseros lusisset amores,
Post, veneris vinclis, subdere colla, senem.
Et sibi blanditias tenerâ componere voce,
Et manibus canas fingere velle comas.
Stare nec ante fores puduit, chara ue puellæ
Ancillam medio detinuisse foro.
Hunc puer, hûc Iuuenis, turba circûsteterit arcta
Despuit in molles & sibi quisque sinus.

Tibullus.

Vltima verba fusè explicaui in *Spicil. liter.* Cap. 28. num. 3. Vbi probaui, quasi à re monstrosissimâ, iniectis in sinum salipis, sibi pueros & iuuenes præcauisse, ne vnquam in ridiculum id delirium deuenirent.

Hinc est diuina indignatio, apud quam hi tales, vix vnquam misericordiâ digni reputantur, imò hinc est diuina cautio, quâ nunquam à senectute præsumendam iam luxuriam insinuauit. 1068.

Quàm debeat distare, a senectute, luxuria.

Amo

Amoto iam diluuio, reducta serenitate, & stabilito fœdere cum hominibus, addit Deus. *Nequaquam ? ltra maledicam terræ propter homines, sensus enim, & cogitatio humani cordis; in malum prona sunt ab adolescentiâ suâ.* Gen.8. v.21. Mira ratio, misericordiæ fundendæ! Imò quia sensus humani, ab ipsâ adolescentiâ, in malum proni, videbantur seueriùs coërcendi. Quid ergo est, quod cùm asperrimum diluuium humanum genus mereretur, quia omnis Caro corruperat viam suam, & lasciuis delitiis inundaret, ab ipsis adolescentiæ annis effrænata: idem prauum, ab adolescentiâ, ingenium, quasi misericordiæ stimulus assumatur? Expende quæso Diodori acumen, in citata Cat. ad hunc locum, qui ingeniosè, τὸ *ab adolescentia*, sic explicuit. *Pollicetur Dominus, vniuersale post hoc, diluuium ferre nullum. Verum si animus hominum, in suâ iuuentute declinet in vitia, sceleribus quidem implicentur: non tamen, quamdiu viuant, quomodò ante diluuium. Dat non nihil veniæ iuuentuti, propterea quòd ætas lubrica sit, facileque labatur: noui, inquit, apud posteros, Iuuentutem fore procliuem in voluptates: attamen ne timeatis, nequaquam eius rei causa delebo mortale genus.* Scitè dictum: quasi non tam Iuuenum, quàm seniorum libidines, priscum illud diluuium importarent: quasi non præsumeret Deus post tantam pœnam, senes adhuc lasciuos, *quomodò ante diluuium*, reperiendos. Vt iam senilis lasciuia quantum est ex se, diuinam præsumptionem, fabulæ deputet, & fallibilem reddere studeat: imò & nouum diluuium in Terram allaboret prouocare. Ecquod delirium, pueriles sensus, hebetiùs offuscaret! Ergo Princeps, cuius etiam iuuenilis ætas, Prudentiæ canis debet enitescere, etiam in ætate lubrica, ne dum in senili, quàm debet enormem, huius vitij, puerilitatem amouere?

Genes.8.21.

Diod.

1069. Sed adhuc, in hoc humanæ formæ puerili lineamento, quod sibi induit luxuriosus Amor, nouam eiusdem hypocrisim aperio. Ea est luxuria, vt inter moralia vitia, nunquam paruitatem materiæ admittat, nunquàm hinc staturæ pusillæ, & puerilis figuræ agnoscatur: semper grandis, quæ etiam inter grandia crimina, gigas eminet. Quid ergo fallacius magis, quàm sub puerili lineamento, giganteam hanc molem dissimulare? Non priùs in sacro Textu, Amoris turpis luxuriosa commercia denotantur, quàm cùm dicitur: *Videntes filij Dei, filias hominum, quod essent pulchræ: acceperunt sibi vxores.* Genes. 6. vers.2. Hinc indignatio Dei, vnde luxuriæ origo, qua auferendum spiritum suum, à turpissimo genere vers.3. comminatur. Sed pende quid statim additur vers.4. *Gigantes autem erant super terram in diebus illis: postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illique genuerunt, isti sunt potentes à sæculo, viri famosi.* Quid enim gigas luxuria, nisi gigantes arrogantia insanos, turpitudine famosos, infames vitio procrearet: Non potuit gigantæa libido, nisi fœtus consimiles edere, qui ipsâ suâ specie, fœdam parentis traducerent enormitatem. Nunc capies D. Bacchiarium, in diuinâ illa epist. ad Ianuarium: vbi celerem pœnitentiam, & recens à lapsu resipiscentiam exigens, à quodam, quem fœdarat fornicatio, ad calcem prædictæ Epist. Sic scribit. *Propheta, beatum dicit esse, qui tenet paruulos Babylonis, alliditque ad petram: & tu expectas, donec gigas, inimicus tuus efficiatur? sed si vis scire, iam gigas est: mox enim cupierunt filij Dei, filias hominum, nati sunt inde gigantes. Quod enorme nimium est, & vltra staturam peccaminum reliquorum, gigantis forma est.* Vt videat iam Princeps, an qui se virtutum omnium gigantem, Populo debet in exemplar admouere: possit, nisi per summum dedecus, sub hoc gigante vitio incuruari.

Alia amoris turpis hypocrisis.

Luxuria non admittit materiæ paruitatem.

Gen.6.2.

Vers.4.

Luxuria, inter vitia, gigas.

D. Bacchiar.

Pergit D. Zeno. *Ideo nudus, quia voluntas eius, est turpitudo.* Quàm sit modestæ indoli, nuditas horribilis, quàm verecundo ingenio, turpis habeatur, aperit doctis paginis Tiraquel. lib.4. Con. Gl.1. part.4. lege, si vacat: hinc ergo meritò effrontem, & inuerecundum omnino, hunc amorem traducit S. Doctor, quasi inde *nudus* dicatur, quia in omnem obscœnitatem paratus, de nullâ ignominia aut turpitudine, quasi deploratissimus, erubescit. Quando eò deuenit luxuria, vt iam ipsa turpitudinem suam non sentiat, nec infamiæ suæ notitiam perhorrescat, nil vsquam terra fœdius, agnoscit: dixi multa suprà de luxuriæ amentia, quæ extremam ab infamia voluptatem aucupatur: magis tamen ad rem præsentem, quæ subiungo. Sub abiectissimi prostibuli specie, inducitur Synagoga, ab Osea: quæ deinde ita. *Vadam post amatores meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, lanam meam & linum meum, oleum meum, & potum meum.* Cap.2. v.5. Et quidem effrænata hæc meretrix, ea voluntate & voluptate, fornicationi sordidæ studebat; qua, impia Synagoga, relicto vero Deo, ex mero Idololatrandi studio, cum alienis Diis fornicabatur: Quid ergo mentitur garriens, quasi non turpitudinis obscœnæ voto, sed leuandæ vilis paupertatis studio, amatoribus adhæreat liberalibus? quia licèt abiectissima, & turpissima, non tamen adhuc ita deplorati pudoris, frontis profligatæ, vt auderet meram libidinem ostentare: prætendit ergo inopiam, vt affectatæ turpitudinis infamiam obuelet Ruffinus Pius ibi, post alia. *Ergo & ista impudens mulier, consectatur flagitiorum, faciem vtilitatis obtendit: vt sequi se amatores suos, ob liberalitatem potiùs, quàm ob turpitudinem mentiatur: alios enim sibi lanam & linum, & oleum, & potum, id est, victum & vestitum, vsque ad delitias redundantem præbuisse commendat.* Ecquod velum, affectatæ turpitudini, prætendet Princeps? Certè non datur. Vt iam meretrice inuerecundior denotetur, dum meram turpitudinis voluntatem tenetur protestari, illius amoris seruus ignominiosissimus, cuius voluntas est turpitudo, nec infamem nuditatem erubescit. 1070.

Tiraquel.

Luxuria inter vitia, maximè impudens, & effrons.

Oseas 2.5.

Et tamen quandoque curat dissimulari

Ruffin. Pius

Maius aliquid addit D. Antonius de Padua serm. 2. de Virgin. Vbi nescio quid explicans Etymologicum, ita habet. *Confusio donatoris, hoc est, luxuria: de quâ etiam confunditur Diabolus tentare animam. Ezechiel, dabo te in animas filiarum Palæstinarum, quæ erubescunt in viâ tuâ sceleratâ,* cap.16. v.17. Hæc ille; quâ sanctâ hyperboli, quid de hoc sentiendum sit vitio, declarauit. Et quidem legitur in Spec. Exemp. ad turpitudinis huius conspectum, exclamasse aliquando Dæmonem, *Phi, phi*, quo quasi ad nauseam fœditatis commotum se exhibuit. Illud certum audeo asseuerare, si Dæmon in hoc vitio non erubescit, saltem longè fœdius ab illo 1071.

Nullum vitium, magis erubescendum.

D. Anton.

Hoc, etiam ipse Dæmon erubescit.

Spec. Exem.

lo corpus contaminari, quàm si reapse Dæmonem pateretur. Suspirabat Magdalena sibi remedium à Christo: *& vt cognouit, quòd accubuisset in domo Pharisæi, attulit,* &c. Luc. 7. v. 37. Minori contrahendi ruboris impendio, posset alibi Maria quærere medicinam: maluit tamen discumbentem ad epulum, Christum inuenire, vt longiori spatio, sibi à Christo conuiuium appararet. Quid enim sibi volebant tot illa, diuinis plantis, oscula infixa, quàm quodammodo Eucharistiam sibi accelerare, & totum cælestem panem sibi assumere? Sed quid agis Maria? expellendo à filiâ Dæmoni, micis tantummodò huius panis, contenta est Chananæa, Matth. 15. tu totum cælestem panem, tibi necessariò putas absumendum? Respondet pulchrè D. Ioannes Chrysostomus tom. 6. sermone de Magdalena, *Cùm auxilium persensisset, alacri mox animo venit ad Redemptorem: cernens in mensâ Dominum, non quæsiuit, sicut Chananæa micas: sed ipsum panem vitæ amplexa est: Chananæa enim, pro filia, à Dæmonio vexata interpellabat: & dum se ipsam canis nomine appellari audiret, micas de mensa cadentes petijt: hæc verò, non filiã à dæmonio vexatam habebat, sed totum corpus lasciuia, atque impudicitiæ dæmoniacæ deditum.* Quasi peiori Dæmone membra luxuriosa, quàm energumena illa fœdarentur. Et non erubescat Princeps turpius, lasciui amoris dæmonium: qui ad alterius conspectum exhorreret.

Luc. 7. 37. Luxuriosum corpus turpius quam dæmoniacum.

Eucharistia fugat luxuriam.

1072. *Alia amoris turpis hypocrisis.*

Ego tamen insuper in hac nuditate solitam eius aucupor hypocrisim. Veritas quippè nuda describi solet, vt simplex, aperta non fucata agnoscatur: Mendacio inuolucra necessaria, quæsita velamenta, vt fucis innatam celet turpitudinem. Nihil turpi amore fallacius, & tamen sub veri stemmate cupit delitere. Dedi iam ad hanc rem, alibi multa: Cape pulchra verba D. Zenonis serm. de Pudic. Vbi pudorem, amori turpi, siue luxuriæ contra ponens, sic illum describit: *Denique in solitudine, quæ à metuentibus vocatur occasio, se tanquam arbitrum timet, omnéque secretum, plusquam publicum veneretur, &c. in suo statu, omni loco, omni tempore manet, plus honestati consulens, quàm vtilitati. Vultis scire, quantæ felicitatis sit? si te amet, qui habet, diligit: & qui non habet, non diligit.* Quia certè nihil veri amoris est, vbi pudicitia non est: voluptas quæritur, & per dilectionis speciem, odium euibratur: in propriæ carnis solatium, etiam per alienæ despectum, imo cum alienæ iactura, (cui vita, honor, fama sæpe periclitantur) tot machinæ dolosæ adhibentur. Si nihil Principi turpius mendacio, rectè suprà probaui: iam quo loco hunc amorem sit habiturus, apertiùs infertur: qui præterquam merum sit mendacium, tot implicata velamina, nuditatis hypocrisi dissimulat.

Amor sibi [illegible], verus amor.

D. Zeno.

1073. *Genes. 4. 7.*

Et quidem inde peior, hæc amoris turpis, de affectata nuditate, hypocrisis: quod innocentis in statu integro, amoris, nuditatem simplicem iam videtur æmulari: quam tamen initio temerare non est ausus. Post Protoparentum reatum, addit textus: *Cùm cognouissent se esse nudos consuerunt sibi folia ficus*, Genes. 4. v. 7. Nimirum prurientem iam libidinem erubescentes, tegere fœda iam corpora festinarunt. Non ausa tunc luxuria nuda procedere, quæ verecundiam, quasi nuptiarum Pronubam aduocabat. Grauiter Simon de Cassia lib. 2. cap. 1. *Sexto die imago Creatoris sumpsit ex lapsu similitudinem pecoris; naufragari virginitas cœpit, nobile naturæ decus: & pro honestate, verecundia Pronuba successit.* Itaque illa ipsa verecundia, quâ se inuicem erubescentes induerunt, Pronuba coniugibus fuit, lasciuo iam commercio; quibus, casto connubio, in statu integro mera rationis honestas, Pronuba decorè nudis adueniret. Effrænatior iam longè nunc luxuria, quæ in quibusdam turpitudinis infamiam, (quasi nuda ex innocentia degat) non erubescit: in cæteris omnibus fucos & dolos suos, quasi simplex & syncera processerit, abscondit. Si corrupit ergo, *Nobile naturæ decus,* non sic effrænata luxuria: quid fecerit hæc alia longè inuerecundior? Nec caret mysterio, quod dixit, *Sexto die*: in quo pridem homo creatus, & postea Redemptor crucifixus: de quo ita Galfridus ad lib. 4. Regum cap. 5. *Infelix & inhonesta Gentilitas, quæ præterita conditionis humanæ, & futuræ redemptionis diem, Veneri deputauit. Crudelis tamen potiùs & versipellis inimicus humani generis, qui in loco Caluariæ, ad abolendam memoriam Dominicæ passionis, immundissimum eiusdem Veneris idolum statui persuasit.* Nota historia. Quasi nullum aliud vitium efficacius, quia nullum impudentiùs, (& si grauiora alia) acceptorum beneficiorum memoriæ hominibus abolendæ. Caueat ab hoc toxico Princeps.

Cassia.

Amor turpis verecundiam olim habuit Pronubam.

Galfrid.

Luxuria, crucifixo Christo maximè opponitur.

Pergat D. Zeno, *Ideo pennatus, quia in quemcumque conceperit, velociter ruit,* de præcipiti huius amoris furore, quia alibi multa, nunc subticeo. Recolat meus Princeps, quæ suprà de violenta cuiusuis affectus impotentia: quæque de matura ad gubernandum prudentia, fusè scripsi: & inde quàm diligens, à rapido huius vitij ingenio debeat fugere, abundè discet. Quod si pennas amoris, ad eius instabilitatem deducas: iam hanc initio huius moniti explicaui. Sed quid si etiam hæ pennæ ad hypocrisim exponantur? non falleris. Volatilis apparet, ne timeatur hospes, quasi celeriter post ingressum discessurus. Sed mentitur: nam licèt post adeptam voluptatem citò auolet, tamen ante turpis voti consecutionem, non plumeus, sed plumbeus inhæret, vt veriùs dicas illud Lyrici:

1074. *Alia item huius amoris hypocrisis.*

Quàmdiu amor turpis, immobilis inhæreat.

Non missura cutem, nisi plena cruoris hirudo.

Insania est immobilis, quam solummodo veneni turpis exhausti fastidium curare solet. Recole historiam Amnonis: similia exempla passim inuenies. Prætereo innumeros, qui inanimes statuas, arbores & similia insensibilia dilexerunt, qui effectus redamantis impotes, affectu insano tenacissimè hærente, tandem contabuerant. Do tantùm illud minus tritum D. Gregorij Nazianzeni lib. contra Mulier. vbi post alia: *Alius rursus, perdito quodam, atque insano, fluminis cuiusdam amore flagrabat: non pedem vnquam ab adamatâ ripâ referebat: aquam lambebat, manibus hauriebat, spumam arripiebat: nec tamen vndis vllis amoris ardor extingui potuit: tam cæca & præpostera res est amor.* An non ergo ad hypocrisim volatus iste amoris, qui sic proteruus, & insanabilis defigitur.

Amoris insania.

D. Gregor.

An non hypocrisis ipsissima, turpis amor qui cùm se tot plumis, leuis & inanis negotij venditet proxenetem; vnus omnium vitiorum onera grauissima comportat, vt oppressum animum miserrimè diuexet? Compuncta iam Samaritana excurrit in vrbem, & Christum prædicatura

1075. *Grauissimè premit animum.*

catura exclamat: *Venite & videte hominem, qui* Ioan 4. 29. *dixit mihi omnia, quæcunque feci.* Ioan 4. v. 29. Quæ sunt hæc omnia? Respondet D. Chrysost. D. Chrysost. tom. 6. Orat. de Samar. *Cuncta mea peccata denuntio, vt vos manuducam: vt Deum, qui ad homines venit, cernatis: mala mea publico, vt Christus adoretur, qui peccatores non auersatur:* Grandis fides, sed tamen obscurè prolata: non suppudet pœnitentem, in Christi gratiam, omnia sua peccata exponere, quia paulo ante, eidem, à Domino fuerant manifesta. Benè est: At Christus, vnam tantummodò lasciui amoris turpitudinem illi reuelarat: Quid ergo prudens, omnia vitia sibi testatur nuntiata? imò, quia prudentissima, vidit sub sola luxuriæ fœditate, quasi sub omnium vitiorum onere gemuisse: nescit enim amor turpis leuiter incumbere, licèt plumeus videatur, quin grauissimo omnium ferè peccatorum pondere, captiuos suos obruere cognoscatur. Hoc, ni fallor, volebat Chrysostomus citatus, sic subiungens: *Vide mulieris sapientiam, vide meretricis probitatem: vnum tantum ei dixit scortationis peccatum, Christus: & illa, relictâ hydriâ, accurrit ad vrbem dicens: venite, videte hominem, qui dixit mihi omnia.* Fuge, turpissimæ huius auiculæ pennas, mi Princeps, ne grauissimas omnium vitiorum pœnas dare cogaris: plumarum hypocrita, plumbeus procumbit amor luxuriosus.

Secumque, omnium vitiorum onera, videtur importare.

D. Chrysost.

X.

In idem pergitur.

1076. Addit adhuc D. Zeno: *Ideo telis, facibúsque constructus: quia illicitis ardoribus semper inimicus est gladius.* Noluit grauissimus Doctor, tela, sagittas, & similia arma, quæ volgariter Amori tribuuntur, (de quibus in vtroque Cantico, fusè egi) luxuriosis cordibus feriendis deseruire: (quæ tantummodò fœdis, infami ardoris facibus, putat æstuantia) sed aliò rem deducit, scilicet, ad immanem crudelitatem: quasi qui hoc fœdo igne corripitur, indidem arrepto gladio, crudelis defæuiat, cruentus debacchetur. Et quidem vt nihil grauiùs, sic nihil veriùs exposuit, acutissimus Pater. Ignaua mollities, nec viribus confidens torpor, si suppetit potentia, vt plurimùm, in crudelitatem insidiosè degenerat: adulterino hinc robore, innatæ fragilitatis infamiam dissimulans, ignauus miles, euitato tandem periculo, longè sæuius, quàm qui victoriæ desudauit strenuus, insultat victis: mollis Princeps, timoribus leuandis, longè magis cruentus, quàm qui æmulos, impauidus irridet. Cùm ergo nihil molliùs, nihil luxuria languidius: sic nihil immaniùs, nihil crudeliùs vnquam reperitur. Eleganter Quintilianus Decl. 15. vtrumque, honestum scilicet, & turpem Amorem, sic describit. *Amoris, (si sapientia sequamur Authores) antiquissimum Numen, & cui se natura debet æternitas: sed ille mitis, & serius, honestis cupiditatibus, & viribus sacræ charitatis exultans: vt qui cuncta, prisca noctis operta caligine, deduxerit primum, deinde miscuerit. Hic verò, quo perditis visceribus hæremus inquietis, lascivientis adhuc ætatis instinctu, tumultuosus ac petulans,*

Ignauia, comes crudelitas.

Quintil.

Amoris casti, turpisque est crimen.

telis funereis, facibúsque armatus. Præstat ille, mortalibus liberos, hâc vsitatâ coniugij pietate: hic incesta, libidines, adulteria, meretrices. Vt enim, inde mitis est amor castus, quia *viribus sacræ charitatis* robustus exultat: sic *tumultuosus, funereis telis* ad necem amor turpis stipatur, quia mollissimus diffluit in libidines: illicitis enim facibus semper funereæ crudelitatis arma adiunguntur.

Luxuria, crudelis est.

Occiditur iusto Dei Iudicio impius Achab, 1077.
dat pœnas ab Elia prædictas, rex auarus: additque Textus: *Et lauerunt currum eius, in piscinâ Samariæ, & linxerunt canes sanguinem eius, & habenas lauerunt* 3. Reg. 22. vers. 38. In Lxx. correctioribus, & in Sixt. sic legitur. *Et abluerunt sanguinem super fontem Samariæ, & linxerunt sues & canes sanguinem: & meretrices lauerunt se in sanguine.* Obscura versio, imò additio ista meretricum, & tamen ingentis authoritatis pondere confirmata. Credebam aliquando ad literam, fontem hunc, qui & piscina dicitur, vulgare fuisse balneum, vbi viliores meretrices, & triobolæ puellæ è fornicibus, quandoque se lauabant, túncque fortè, infectis adhuc sanguine vndis, se lauisse: Sed quidquid sit, grande mysterium quæritur ab hac pœna, quâ non solùm bestiæ, sed etiam meretrices, impuro illo sanguine fouentur. Et quidem, satis videretur si diceres, non minùs lasciuatum fœminarum, quàm bestiarum immanitatem hinc notari; non enim vtcunque crudelis, sed etiam ferina est luxuria: Maius tamen aliquid, vt pœna, infausti Principis culpæ responderet, cogitauit hic D. Ambros. lib. de Nab. cap. 11. sic scribens. *Quid sibi autem vult, quòd meretrices lauerunt se in sanguine eius: nisi fortè, vt meretriciâ quadam, in illa feritate, fuisse Regis perfidia, proderetur, vel cruenta luxuries: qui sic fuit luxuriosus, vt olus desideraret: sic cruentus, vt propter olus hominem occideret? Digna auarum, digna Auaritiam pœna consumit.* Arguit meritò à deliciatâ gulâ, miseri Principis luxuriam S. Doctor, quia vt hîc suprà, & alibi iam fusiùs probaui, è gulâ maximè luxuria deriuatur: iam verò ab eiusdem luxuria, meritissimo infert crudelitatem: nescit luxuriosus amor, si quid obstet delitiis, crudeliter non perrumpere. Lauent se ergo immaniter meretrices in Achab sanguine, qui immanis & luxuriosus, in Naboth iusti sanguinem desæuierat.

3. Reg. 22. Lxx. Interpr.

Luxuria crudelitas, ferina.

D. Ambr.

Saltarat purpuratæ meretricis filia, nouella 1078.
meretrix, augusta Mima: placet, quid-ni? turpissimo Herodi: & accepta petendi optione, ex scelestæ genitricis consilio, sic petiuit: *Da mihi hic in disco Caput Ioannis Baptistæ.* Matth. 14. vers. 8. Regio luxu sternebatur conuiuium, è cuius abaco, pretiosa lance accepta, afferendum sibi, non quale quale membrum, sed Præcursoris caput postularunt, non in lancea, sed in lance, non in gladio, sed in disco, hoc sibi donum sollicitant tradendum: quid ita? Desipuerant, immanissimis palatis, vtriusque bestiæ, ordinarij mensæ cibi; solummodò grata fercula, dulcia pocula, ab humano & capite & sanguine esuriebant. Quid miraris? lasciuæ erant, & apud lasciuum Principem res agitur: non potest ibi immanitas non bacchari. D. Chrysologus serm. 127. *De Matris pectore dans rugitum noua bellua, contemptâ corporis prædâ, caput ipsum trunca*

Et feris immanior.

Matth. 14.

D. Chrysol.

truncatura peruadit. Audistis fratres, quanta sit nata de voluptate crudelitas; de libidine, impietas. In arenam vertitur domus, mensa migrat in caueam, fiunt de pransoribus spectatores, furore mutatur conuiuium; fit cibus cædes, vinum transit in sanguinem. Attende Princeps, apud quem tam anxiè suprà clementiam commendaui: an meritò hinc maximè luxuriam debeas auersari, quam vbiuis comes furor, & Pronuba crudelitas subsequitur. Legendus Interpres Tertul. ad cap. 22. Apolog. de libidine fœda iuxta, atque Carnifice.

1079. *Mirà hic mixturâ, crudelitas cũ mollitie coniungitur.* Dan. 2. v. 33. In statuâ illâ mysticâ, quæ Babylonico Principi obiecta, miserum hominem, in peiora semper, lapsum exhibebat: non tàm descensus ab auro Capitis, vsque ad ferrum pedum, quàm mixtura ferri & luti in ipsis pedibus, mihi mirabilis: *Pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.* Dan. 2. v. 33. Repræsentantur, in his pedibus illi, qui iam per abiectissimas libidines, in omnem vilitatem, è tam glorioso principio degenerant. Sed vnde ferro, cum luto, aptè cohæreat? Si limosi, mollissimè diffluunt; vnde ferrei durissimè obrigescunt? Respondet venerabilis Ricard. vener. Ricardus, lib. 1. de Erudit. Int. Hom. cap. 24. *Hoc est, in istu, præ omnibus mirabile, imo suprà omnia miserabile: quòd sicut sunt prompti & audaces, ad mala inferenda: sic sunt pusillanimes, & suprà modum impatientes, ad toleranda illata: vt rectè mirari possis, quonam modo conuenire potest ferrum cum testâ: tanta crudelitas, cum tantâ impatientiâ.* Grauiter cogitatum quod licèt in quauis libidine verum, in luxuriâ tamen longè verius. Vidisti Herodianas femellas, nudante serico, ardentibus gemmis, vndique delicatas, leuioris æstus, frigoris mitioris impatientes, quæ ad muris conspectum, molles trepidarent: iam animosas & crudeles, sitire sanguinem, & caput truncatum naturâ ipsâ horridum, tanquam ab epulo bellaria attrectare. Prætereo effæminatos adolescentes, cynedicè calamistratos, totantes balsama, cynama fragrantes, quos ab impatienti mollitie, vel tenuis ictus pulicis enecaret: aliunde turpi amore, insanâ zelotypiâ correptos, tumultu, cæde, sanguine, qua possunt, cuncta fœdare, passim deplorari: nimirum limosi, & luxu diffluentes calcati à libidine, æmulos, dum valeant, ferrei & crudelissimi conculcant. O quò ruat Princeps, sic aliũde luxuriâ euiratus, & interim Imperij viribus instructus! omnę Impietatis nefas, totius crudelitatis apicem attinget cum Herode.

1080. Hoc erat ni fallor, quòd Nabuchodonosori, ob profligatissimos mores deturbando, explica-
Dan. 4. v. 22. tis Arboris ænigmatibus dixit Daniel: *Eiicient te ab hominibus, & cum bestijs, ferisque erit habitatio tua.* cap. 4. v. 22. quod citatus Ricardus *Vt simul carnalis bestia, & truculenta fera tradacatur.* mysticè de quouis intelligit, quem vitia, ab humanæ rationis statu, in brutam quodammodò conditionem deformârunt. Vbi tamen id venit inquirendum, cur non solùm *bestijs*, sed etiam *feris* veniat computandus? quæ enim mansio fuerit, quæ aptè & stabulum præbeat, & speleum? aut vbi gentium, domestica iumenta, cum siluestribus belluis copulentur? Sed nihil non monstrosum habet luxuria: & dum carnis voluptatibus vt bestia indulget: necessariò instar Feræ
Ricard. crudelissimo laniatui indulget. Ricardus ibi, lib 2. cap. 41. *Quantùm te suprà homines extulisti per arrogantiam, tantùm infrà homines deiicieris per culpam: & cum feris & bestijs erit habitatio tua. Ab hominibus eiectus, ad feras & bestias discedit, & degit: qui rationales mores deserens, de cætero irrationabiliter viuit: vt bestialiter degens, & feraliter agens, cum bestialiter viuentibus fit ad omnem carnalitatem resolutus; & cum feraliter agentibus, ad omnem crudelitatem effrænatus.* Quod an prudentiam, & clementiam, necessarias Principi virtutes, deceat, ipse viderit: certè generoso spiritui nihil vsquam indecentius reputatur.

Sed neque etiam hinc abest hypocrisis: mollissima est luxuria, vt vidisti: & tamen armis bel- 1081. *Noua hypocrisis.*
licis sic instruitur, quasi venditet robur, nec tàm funereis dolis, crudeliter; quàm iusta virtute, incedere martialiter videatur. An non hypocrysis, cum Mars aliunde strenuus, delitiis Venereis totus molliatur: (de quo iam plenas paginas dedi alibi) quod Venus, robusta & bellatrix haberi *Luxuria, arma effeminat.* velit? Erubeat ergo, si quæ frons, Princeps, bellis iustissimis impendendus, luxuriæ commercia; ne fortè barbarorum instar, armorum apparatum in turpitudinis lenonem, denotetur conferre. Bene Tertul. barbaros Ponti incolas describens, Tertul. lib. 1. cont. Marc. cap. 1. sic habet. *Sedes incerta, vita cruda, libido promiscua, & vt plurimùm nuda, etiam cùm absconditur; suspensis de iugo pharetris indicibus, ne qui timere intercedat: ita nec armis suis erubescunt.* Tu plura quæ passim obuia *Voluptas, animos effeminat.* ex vtraque Paginâ: profana, Herculem, Omphali: Dalilæ, Sansonem prostratum, deplorat sacra. Vnde meritò D. Ambr. serm. 55. *Sirenarum enim, quædam suauis figula est nobis concupiscentia voluptatis, quæ nouis blandimentis, constantiam captæ mentis effeminat.* Vt iam timeas, ne molliter effæmineris, domesticam hanc artificem: quæ meritò *figula* potius, id est è luto, quàm ab alia materiâ, dicitur sirenarum fabricatrix: quia limosis solummodò, & mollissimis voluptatibus te eneruat.

Concludit tandem D. Zeno. *Ideo autem cæcus,* 1082. *Amor turpis cæcus.* *quia cùm exarserit, non ætatem considerat, non formam, non sexum, non gradum, non sacrosanctum illum saltem, sanæ pietatis affectum.* Sensus planus & verus, sed inde lamentabilior. Cæca est luxuria, nihil videns, sed vndique exardescens: ignis iste, vt latè *ad cap. 8. Cant. Dram.* iam ostendi, sic vrit, vt non illuminet, vt combusto vndique affectu, mens misera perpetuis tenebris addicatur. Hinc prudenter proximè citatus Ambrosius captam præcipuè mentem deplorauit. Vnde & lasciua Regina Phædra apud Senec. in Hyppol. à turpissimo numine, alliciendum sibi amasium sollicitans, sic precatur.

Amare discat: &c. mitiga pectus ferum, Senec. Trag.
Innecte mentem. *Mentem illaqueat.*

Quasi desperaret, castum regij Iuuenis pectus in luxuriam, molliendum, nisi caliginosis vinculis mens innecteretur. Propterea Tertullianus, Tertul. homines à Dæmone in turpissimas libidines, & proinde sæuissimas adductos expositurus, priùs probrosis amentiis cæcos putauit traducendos: Apolog. cap. 22. *Mentis corruptelas agit furoribus, & amentijs, ac sæuis libidinibus*, aut enim præcedit, aut subsequitur necessariò, cæcam quandam amentiam, luxuria.

Decem plagis] seuerissimis punit Deus perditos iam moribus Ægyptios. cum Principe perditissimo Pharaone: quibus scilicet, decem præceptorum diuinorum violatores, indignatus solet vt plurimùm, castigare. Non tamen caret

mysterio, quòd immissis iam octo aliis, in nonam, si rectè numeras, plagam, tenebræ reseruentur: *Extenditque Moyses manum suam in cælum: & factæ sunt tenebræ terribiles, in vniuersa terrâ.* Exod. 10. vers. 22. Correspondet singularum plagarum iusta pœna, vt multi Patres obseruarunt, singulorum præceptorum iniquæ violationi: vnde & primæ culpæ, de non culto Deo, videbatur cæca tenebrarum caligo infligenda: quæ enim deploratior cæcitas, quàm vanissima idolorum superstitio? & tamen, vt vides violato nono præcepto, id est, Mœchis siue adulteris addicitur hæc pœna: quia licèt cæteris omnibus vitiis, ne dum Idololatriæ tenebrosa caligo coniugatur; at insanæ mœchiæ sic innata, sic propria, vt suo iure in illam, noua puniens cæcitas fulminetur. D. Prosper Aquitan. lib. de Prom. diu. Par. 1. cap. 36. *Nona plaga Ægyptiorum est, tenebræ densissima, plena imaginibus, terroribúsque feralibus: & nonum mandatum legis est: non concupisces uxorem proximi tui. Quid deterius est, concupiscentiâ malâ, quæ ita totam excæcat mentem, vt non tantùm timorem Dei, quantùm etiam ipsas pœnas legum, infamémque mortem obliuioni dans, nihil in mœcho remaneat luminis, quod non totum occupent ferales tenebræ? quos verò ex his gratia liberat, admonet & per Apostolum, dicens: Fuistis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino: sicut filij lucis ambulate.* Ecquæ cæcitas caliginosior, quàm quæ Ægyptiis tenebris correspondet?

Exod. 10. 22. *Adulteros, tenebrosa caligo circumcingit.*

D. Prosper Aquitan.

1084. Perit apud Philisthæos miser Saul, cuius deinde Arma, tanquam opimum spolium, victores idolo suo consecrarunt: *Et posuerunt arma eius in templo Astaroth.* 1. Reg. 31. v. 10. Immanius est, quod euulsum infausti Principis caput, dicant etiam: Sed vbi? *Caput affixerunt in templo Dagon.* 1. Paralip. 10. vers. 10. Sed cur diuiduntur spolia, & vbi arma, non etiam infaustissimum caput collocatur? aut quid Dagoni, cum capite obcæcato, trunco, deformato? Dicam quid tropologicè cogitarem, donec alius meliora. Statuam Dagonis monstrosam, in piscem tandem desiisse, multi notarunt, imò & Dagon, Piscem significat: vide me *in Spicil.* Cap. 41. At vt ex Pierio Valer. constat cap. 31. Marina numina, in turpis Amoris symbolum colebantur. Vide ibi Magistrum meum Franciscum de Mendoza; quid? Dagonem apud Philistæos, aliarum gentium Venerem esse insinuaui iam prædicto Spicil. cap. 43. num. 4. Quid ergo aptiùs Numini lasciuo, quàm truncum & obcæcatum caput, obscurata totius rationis curia, offeratur? Semper in donis oblatis, Numinum blandimenta perquirebant, vt cum muneribus, illorum stemmata radiarent: ideo Dianæ, venationis prædas, Baccho vuas, spicas Cereri dicabant. Datur ergo Veneri, truncum caput, obcæcatum rationis domicilium: quia totum eius Numen in obcæcandis hominibus colebatur. Facit in prædictam hucusque luxuriæ cæcitatem, scomma illud, neque sarcasmo carens, quo recutitos pungit D. Zeno Veron. serm. de Circuncis. vbi ita, post alia de Corde circuncidendo, non præputio. *Sed & Moyses ipse, cuius asserunt se sæpè discipulos, eodem spiritu, ad Israel loquitur dicens:* Nouissimis diebus, circuncidet Deus cor tuum, & Cor seminis tui, ad Dominum Deum tuum amãdum. *Hinc nunc vobis iterum dicam: Pharisæe, respondeas, vbi Cor habeas constitutum: si in regione pectoris, quid deformi vulnere, inferna metiris? Si (quod quidem rectè æstimas) in infernis; proculdubio omnes sacrilegos antecedis, per hanc iniuriosam corporis stipem, Deo placere te posse, præsumens.* Non postulant verba Doctis penetranda, vulgaribus auditoribus notitiam clariorem. Caue tantummodò, ne Cor, vnde cordatus & prudens diceris, è media pectoris regione, ad inferiores partes transtulisse videaris: & videberis planè, si his impensus voluptatibus sordidissimis agnoscaris.

1. Reg. 31. 10.

1. Paral. 10.

Pier. Valer.

Mendoza.

Obcæcatum caput, Veneri meritò sacratur.

D. Zen. Ver. *Luxuria cor aufert, aut transfert in pudenda.*

In hac etiam cæcitate, hypocrisim, vt potest, Amor sollicitat: Cur enim qui orbus oculis, & ab vtero vt sic dicam, cæcus nascitur, velamine ad oculos admoto, pingi gaudet: nisi vt credatur aliunde perspicax, nec tam morbi vitio, quàm voluptatis ioco, lumina non proferre: denique non vacuas, sed obuelatas palpebras gestare? Excusat pulchrè Quintil. decl. 1. Iuuenem cæcum, qui inde in suspicionem homicidij inciderat, quod in cubiculo gladium haberet: his verbis. *Habuerat adolescens gladium in cubiculo suo semper; siue, antequam in hanc fortunam incideret, paratum: siue, quia cæcitatis misera solatium est, habere rem videntium.* Non solùm solatium, sed hypocrisim affectat Amor turpis, *rem videntium*, id est, velamen gerit, quo admoto non magis, quia nec minus cæcus, amoto, probaretur. Eruuntur oculi Sansoni, qui totum hunc insanum amorem spirabat, Iudic. 16. vers. 21. Vix tamen nouam misero cæcitatem hostes afferunt: quia vt alibi dixi, omnino iam cassus lumine degebat, qui tot Dalilæ fallaciis cæcutierat: oculos diu gesserat hypocritas, lucem mentientes, reapse caligantes. Ab huius ergo oculis, illius etiam velamen explicaueris. Puduit prosequi, quod de ætate, forma, sexu, violatis innuit D. Zeno, ne vel etiam ipsa charta erubesceret: Satis ex se efficacia, quæ hucusque diximus, vt probus Princeps, luxuriam, vt par est, abominetur.

1085. *Vltima Amoris turpis, hypocrisis.*

Quintil. *Cæcus gaudet rebus videntium.*

Iud. 16. 21.

TEXTVS.

TEXTVS.

A verſ. 12. vſque ad 21.

QVOMODO cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: In cælum conſcendam, ſuprà aſtra Dei exaltabo ſolium meum: ſedebo in monte Teſtamenti, in lateribus Aquilonis: aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero Altiſſimo, veruntamen in infernum detraheris, in profundum laci. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, téque proſpicient: Nunquid iſte eſt vir, qui conturbauit terram, qui concuſſit regna: qui poſuit orbem deſertum, & vrbes eius deſtruxit, vinctis eius non aperuit carcerem? Omnes Reges gentium vniuerſi dormierunt in gloriâ, vir in domo ſuâ: tu autem proiectus es de ſepulchro tuo, quaſi ſtirps inutilis: pollutus & obuolutus cum his, qui interfecti ſunt gladio, & deſcenderunt ad fundamenta laci, quaſi cadauer putridum: non habebis conſortium, neque cum eis in ſepultura: tu enim terram tuam diſperdidiſti, tu populum tuum occidiſti: non vocabitur in æternum, ſemen peſſimorum. Præparate filios eius occiſioni, in iniquitate Patrum ſuorum: non conſurgent, nec hæreditabunt terram, nec implebunt faciem orbis ciuitatum.

SENSVS LITERÆ.

1086. PERGITVR in eadem, ab eiſdem contrà infæliciſſimum Baltaſarem inſultatione. Vſitatiſſimo autem iam more Scripturæ ſupplenda in hoc loco nota comparationis, hoc modo: *Quomodo qui quaſi Lucifer radiabas, de cælo cecidiſti?* Nam licet multi Patres, tropologiæ magis, quàm litteræ addicti, hîc nihil de Rege Babylonico, ſed totum de Angelo proſtrato, ſermonem eſſe, aſſumant potiùs, quàm probent: non tamen germanum hinc, contextui litterali, ſenſum aſſignari, (vt bene notauit Sanchez) faterentur. Tota ergo difficultas eſt, quiſnam ſit iſte *Lucifer*, cui Baltaſarem dicimus comparatum? Multi Interpretum, Angelum lapſum intelligunt: (quibus adnecto prædictos Patres, qui ſi de litteræ ſenſu quærerentur, viderentur ad hanc mentem reſponſuri) ita, vt ad hiſtoriam, Babyloniæ proſtratus Tyrannus: Angelus verò corruens, ad allegoriam ibidem capiatur. Tot virorum magnorum, & præcipuè Doctoris Maximi Hieronymi calculo confirmatam opinionem, pluſquam probabilem nemo denegauerit: quanuis quod addunt, allegoricè ſaltem, caſum Angeli reprobi, in hoc loco intendi explicandum, mihi non ita neceſſarium videatur: cùm ſatis ſit, ſi ad meram comparationem hîc adductum dixerimus. Alij non pauci, grauiſſimique Expoſitores, cum D. Cyrillo, & D. Thomâ Aquin. ipſiſſimam Luciferi ſtellam in huius Regis comparationem vocari huc affirmant, pari ni fallor probabilitate. Anceps ergo ſuffragium, (ſi quod eſt noſtrum) retineo: ſecundam tamen ſententiam, quia minùs compta, quàm par eſt, afferri ſoleat, fuſiùs illuſtrabo: prima enim, ex iis, quæ Patres de Lucifero Angelo ſcripſerunt, iam cultiſſima, ornatum noſtrum videtur faſtidire. Noto iam plura, vt ſenſus eruatur.

Lucifer apud Iſaiam, quis dicatur. — *Sanchez.* — *D. Hieron.* — *D. Cyrill. D. Thom.*

Igitur quidquid pulchrum & inſigne erat, ſideribus comparari apud priſcos, ex vtraque paginâ probauit iam hic Sanchez: addo pauca, quæ ad Principes, de quo textus noſter procedit, propiùs accedunt. Claudianus ad Imperatorem Honorium in Epithal. 1087.

Quidquid pulcrũ, ſideribus comparatur.

Princeps, coruſco ſidere pulchrior. (Claud.)

Et iterum ad illius vxorem,

Salue ſiderea, proles auguſta, Serena.

Statius lib. 1. Silu. 1. ad Domitianum,

———tua ſidereas imitantia flammas
Lumina. (Statius.)

Quod non abſque ingenti palpatione dictum, patebit credo, ex toto cap. 14. *Spicilegij*, vbi fuſiſſimè mortalium ambitionem, de ſiderea cõditione affectata, non abſque legentis fructu, traduxi puto: boni ergo & æqui Lector conſulat, ſi quæ ibi fusè, hîc tanquam neceſſaria omnino, ſaltem ad compendium redegerim: olim igitur illuſtres viri iam vita functi, abſque idololatriæ ſacrilegio, ſed mero pietatis obſequio, ſideribus comparati, & ſiderum nominibus vocati ibi leguntur num. 1. indéque ortum errorem, vt poſtea Mortales in Deos & ſidera conuerſi crederentur, ex Iacobo Bolduc, Beroſo, Euſebio, Georgio Monacho, ibidem probo: quibus adde Angelicum Doctorem, in præſentem Iſaiæ locum. Quibus autem formulis, hunc ad ſidera conſcenſum ſignificarent, ibidem num. 2. multis Authorum teſtimoniis aperui, qui *aſtra petere, ire polo, calcare ſidera*, dixerunt. Sub his autem formulis, duo ſignificanda intendi, probaui num. 3. alterum ab impiâ Philoſophorum opinione ortum, qui animas & ideas rerum longè ante corpora creatas voluerunt, & ſideribus infixas, tanquam in vehiculis, omnia perluſtrare, indéque in corpora mitti, & inde in eaſdem ſidereas ſedes poſt mortem remeare: (indéque ſtultam Fati ineuitabilis, & ſtellarum vim, ſtultiſſimè credi dicebam num. 4.) alterum quod illis formulis ſignificabatur, adhuc inſipidius eſſe oſtendi num. 5. nimirum illuſtres animas, non ſolùm defigi poſt mortem

Siderea conditio, ambitioſis Principibus affectata.

in sideribus, sed etiam in pura puta sidera transformari: subiungebámque num. 6. propterea apud Ethnicos Scriptores non videri contrarium efformari, dum alij circulum lacteum, coeuntes stellas, alij conglobatas animas appellant: quando in vtrouis vtrunque perinde dici videbatur. Ostendi insuper num. 7. non contentam adulantium palpationem, quòd charos quosuis in sidera transformatos prædicarent, adhuc effrænatius prorupisse, asserendo dari Principibus optionem, vt quam vellent partem Cæli eligerent, quæ sidera esse mallent, quibus astris adhærere, quam inde Mundi partem immisso lumine beare, imò totam Cæli plagam aut percurrere, aut adimplere. Contulisse verò non parum huic impiæ credulitati, dicebam num. 8. quòd in aliquorum Principum obitu, volente Deo, (aut machinatori Dæmoni, permittente) Cometa, vt solet, in signum orirtur: quem deinde delusus Populus, animam esse defuncti, in sidus iam transformatam, existimabat. Ergo ex hoc sacrilego affectu, quo Principes in id honoris anhelabant: ortum probabam num. 9. vt sæpe splendidam vestem, & ad caput nitidos radios assumerent, se, vt poterant, in speciem siderum figurantes: vnde n. 10. summi blandimenti loco, accepisse ostendi, si viuentes adhuc sidera vocarentur. Tandémque num. 11. totum ambitionis hunc apparatum, à prudentibus scriptoribus irrideri, sarcasmis excipi, vno vel altero loco confirmaui. Cætera, innumeris Authorum testimoniis firmata ibi legeris.

1088. *Baltasar, in Luciferi sidus se conuertendum crediderat.*

Ex his, ni fallor, locus præsens apertissimè declaratur: somniârat se sidus Baltasar, nec quale, quale, sed quasi optione sibi factâ, Phosphori siue Luciferi, conditionem & lucem sperans, nomen affectârat, ab aulicis palpatoribus hoc nomine passim appellitatus; & fortè sicut Persæ Monarchæ, in huius sideris speciem se conformans: vnde nunc amarulenta insultantium irrisio: quasi dicant: Quomodò, ô infaustissime mortalium, qui te sidus futurum Luciferi credideras, ab illo arrogantiæ tuæ throno sic in Tartarum corruisti: quasi si ipsa Luciferi stella matutina, è cælo suo cadens, æternùm obscuranda, in fœdissimas has tenebras, deuenisset? Quod quidem ex sequentibus longè clariùs patebit, singula iam percurro.

1089. *D. Cyrillus. Lucifer aliorum siderum triumphator.*

Lucifer. Notauit acutè D. Cyrillus, ideo signanter Phosphoro, id est matutinæ Luciferi stellæ, Babylonicum Principem comparari: quia vt Luciferi splendoribus cedunt aliæ stellæ, sic ille Regibus cæteris præcellebat. Addo aliquid gratius: neque enim absque Emphasi addit Propheta noster: *Corruisti in terram, qui vulnerabas gentes*: vbi Tyrannis Baltasaris exprimitur, & in cæteros Principes durum Imperium: sic enim de Lucifero loquebantur Prisci Authores, quasi in cæteras stellas, non solùm dominium, sed quandam quodammodò tyrannidem exerceret. Virgil. lib. 3. Æn.

Virgil. Ouidius. Seneca. Claud.

Iámque rubescebat stellis Aurora fugatis.

Idem alibi (si fortè is est) de eadem:

Roseis manibus sidera dispulerat.

Eodem verborum tenore Ouid. 7. metam. *depulerat stellas*. Seneca in Agam. *sidera fugat*. Claud. in 2. Cons. Honor. *fugat stellas*. Seneca in Her. Fur. *Cogit nitidum Phosphoros agmen*. Hinc ergo videtur desumptus gustus comparationis, quo Baltasar, per iniqua bella, dispellens, fugans, & cogens inferiores Principes in mortem, vel exilium, vnicè radiare & imperare satagebat.

Neque fortasse absque sapore poëtico additur, *Qui manè oriebaris*. Vna eadem vt nôsti stella est, quæ manè Lucifer, seu Phosphoros, vesperi verò, ad solis occasum, Hesperus appellatur. Seneca in ludo de Morte Claud. 1090.

Lucifer idem est vesper.

Seneca Phil. Seneca Trag.

Qualis discutiens, fugientia, Lucifer astra:
Aut qualis surgens, redeuntibus, Lucifer, astris.

& iterum in Hyppol. Tragicus.

Qualis est primas referens tenebras
Nuntius noctis, modò lotus vndis
Hesperus: pulsis iterum tenebris
Lucifer idem.

M. Tullius.

Tullius lib. 2. de Nat. Deor. ita. *Stella Veneris, quæ Phosphoros græcè, Lucifer latinè dicitur, cùm antegreditur solem: cùm subsequitur autē Hesperus.* &c. Fingebant insuper veteres, Luciferum equo insidentem: vnde Claud. citatus.

Lucifero, diuersos Equos assignabant.

Velox Auroræ nuntius Oethon
Qui fugat hinnitu stellas roseóque domatur
Lucifero.

Ita tamen vt manè candido, vesperi autem nocturno, siue atro Equo vteretur. Statius 6. Theb.

Claud. Statius.

Roscida iam nouies cælo dimiserat astra
Lucifer: & totidem luna prænenerat ignes
Mutato nocturnus equo.

Ouid. Trist. 3. eleg. 5.

Ouidius.

Hoc vtinam nitidi solis prænuntius ortus
Afferas admisso Lucifer albus equo.

Huc ergo (nec indecenter ex delyriis Ethnicorum, quæ Propheta, amarissimâ irrisione perstringit) visum tendere præsens scomma: vocabant palpatores Baltasarem Luciferum, non vtcunque sed matutinum, quando manè oriens, cætera astra fugat, fulgens vnicè: quasi minus foret, si etiam Hesperus esset, qui licèt clarior, alias tamen stellas non obscurat: Ecce ergo, inquiunt, non iam Lucifer matutinus irradias: sed factus Noctifer, non solùm instar Hesperi, alios iam non præstringis: sed iam cæteris omnibus tenebrosior, in profundum laci demergeris. Neque caret, puto, suâ mordacitate, verbum quod huc assumitur, *cecidisti*: quod propriè, de vilibus exhalationibus, & spuriis illis flammis, quas vulgus stellas vocat, vsurpatur: de quibus aliqui interpretantur illud Saluatoris: *& stella cadent de cælo*. Vnde Ouid. de lapsu Phaetonis. 2. Metam.

Stellæ cadentes.

Ouidius.

——Vt interdum de cælo stella sereno,
Et si non cecidit, potuit cecidisse videri

Ab Æliano lib. 13. de var. hist. cap. 1. dicitur *ἀστὴρ διάττων, stella traiciens*: quid enim turpiùs, aut infaustiùs, quàm à præsumptâ legitimi sideris statione, non solùm vilissimæ exhalationis casum pati, sed in infernum vsque detrudi? *Ælianus.*

Dicebas in corde tuo. Notauit bene Sanchez, stultissimam hanc arrogantiam inditam Baltasari & similibus, ex Adulatorum verbis, qui illustri compellatione, & quandoque diuino titúlo, vanissimos & ventosissimos Principes salutabant. Dixi multa citato cap. *Spicil.* adde non tritum locum Philostrati lib. 8. de Apollonio adducto in tribunal Domitiani (nôsti verò quàm turpissimè hic Imperator Dei titulos à palpatoribus acciperet) vbi ita. *Cùm increparet accusator superbiam eius, iuberet omnium hominum Deum respicere: oculos ad culmen domus sustulit Apollonius, Iouem scilicet se respicere demonstrans: deteriorémque existimaris tam scele-* 1091.

Sanchez. Ab Adulatoribus, Principes, Dij vocantur.

Philostratus.

stum adulatorem, quam Domitianum, qui sibi tales adulationes fieri iubebat. Hinc ergo erat vt miseri Principes, & suprà modum ambitiosi, facile sibi persuaderent, aliquid in ipsis diuinum, aut diuino simile reperiri: inde maximè ni fallor, quod iam Heroas in semideos euectos, vulgaris superstitio adoraret: neque secum aliquid inauditum fieri inferebant. Bene igitur idem Philostratus lib. 1. de Bardane Rege Philosophum consulente, sic scribit: *Interroganti Regi, quonam pacto stabiliter, tutéque regnare posset: respondit, si multos honoraueris, paucis verò credideris.* Pauci quippè sunt, qui syncerè de officio suo Regem moneant: innumeri qui blanditiis perdant infaustum, inque insaniam amentissimam deducant. Exempla passim obuia.

Philostr.

Princeps non sit credulus.

1092. Svper Astra Dei.] Ex mente Interpretum, simpliciter locus capitur, quasi dicat, impius Baltasar: Non contentus terreno Imperio, astra Dei, quæ eius sunt imperium, inuolabo, inter ipsa nouum sidus, radiaturus. Puto tamen superbius aliquid insinuari. Solet Scriptura, addito *Dei* titulo, res aliquas, tanquam in suo genere insigniores, priuato hebraismo declarare: sic illud Psalm. 35. v. 7. *Montes Dei*, id est, altissimi, & ingentis molis montes: Vatabl. ibi. *Quidquid enim eximium, magnum, ac præstans est, id Dei dicunt esse Hebræi.* Idem iterum ad illud *Cedros Dei*: Psalm. 79. v. 11. sic scribit: *Cedros Dei, vocat altissimas & excelsas Cedros.* Vnde & ad hunc locum nostrum, ita habet: *Stellas Dei, id est, splendidissimas.* Quæ mihi, tanquam mens Prophetæ germanior, probatur. Sunt itaque Astra Dei, ingentia illa, & primæ magnitudinis astra, splendoris elegantissimi vbertate astra cætera superantia. Quasi dedignaretur Baltasar, minoribus Astris computari: tumidissimúsque solium, super ingentia sidera collocandi, factam sibi optionem arrogaret. Quo mirè exprimitur, quod suprà de iure electionis Principibus arrogato, ad hanc sideream conditionem, inculcaui. Nescio an effrænatior adhuc Domitianus, qui ab impudentissimo palpatore Statio libens audiebat, lib. 4 Sylu. 1.

Dei nomen additum rebus excellentiam designat apud Hebræos.

Ps. 35. 7.

Vatabl.

Ps. 79. 11.

Vatabl.

Idem.

Statius.

Læta, bis octonis, accedit Purpura, fastis,
Cæsaris: insignémque aperit Germanicus annũ:
Atque oritur cũ sole nouo, cũ grandibus Astris,
Clarior ipse nitens, & primo maior Eôo.

Nam Baltasar, vt dixi, Eôi saltem siue Luciferi sorte contentus videbatur: Domitianus, primo etiam sidere isto maior haberi cupiebat.

1093. Sedebo In Monte Test. In Later. Aqvil.] Cùm verus Hebræorum Deus in Montis Sion augustissimo Templo coleretur, vbi Arca fœderis seu Testamenti tabulis, insignis erat: isque Mons, vel potiùs Templum in eo situm, ad Aquilonarem partem radiaret: sic, vt plurimum, verba ista explicant Interpretes, quasi ambiret superbissimus Baltasar, loco Numinis, in Templo illo adorari. Verumtamen cùm id temporis vix vrbs Solymitana, & nullo modo Templum extaret, vt ex sacrâ historiâ constat apertissimè, (neque aliunde facile conijectari liceat, de eiusdem reædificatione cogitâsse Babylonicum Tyrannum) aptiùs mihi visi disseruisse illi, qui cum Sanchez putant, supplendam hîc, vt suprà comparatiuam particulam, *sicut*: quasi dicat: eâ maiestate colar in Prouinciis mihi subiectis, quâ Deus Israëlis, in Templo vbi erat Arca Testamenti, ad Aquilonem situ, coli solebat: vtpote quem, præ omnibus Diis, audiuerat magnificentissime ibi adoratum. Solùm restat difficultas, (quam Interpretes, spreuisse potiùs videntur, quàm dissimulâsse) quare, qui astra & sidereum Thronum, paulò ante tumidissimus affectarat, quasi decrescente ambitione, nunc terreno Templo inhiet, quod quamuis augustissimum, cælo tamen cederet necessariò? Puto igitur non imminutam, sed auctam arrogantiam: iámque cogitâsse fore vt inserto sideribus, templa deinde in terris erigerentur, sacra fierent. Quasi dicat, qui modò Lucifer vocor, post mortem calcabo grandia sidera, sidus maius, cui deinde in terris, augustissima Templa dicabuntur nouo Numini. Parum id: adhuc præruptiùs euehi Tyrannus insanissimus mihi visus, ac si dixerit: immittar quidem, adiungendus sideribus, post obitum, sed longa mora fruendæ diuinitati, mortem sperare: viuus viuus colar in terris, non solùm in aureâ statuâ, quod Auus meus voluit, sed insuper idolo nostro, Templum dicabo, Solymitano illi quàm simillimum. Ingens, sed neque singularis; nec in audita hæc superbia. Iulius, Augustus, & alij, post mortem vanâ apotheosi sideribus illati, viuentes adhuc, Templa, aras, flamines, & reliquam diuinitatis pompam habuerunt, quod vel pueris, ex historiâ Romanâ satis notum. Cupiebat itaque Baltasar, durare terris serus, diuino tamen cultu, & postea post longæuam ætatem, astris inseri: quæ erant perditissima olim palpatorum adulantium vota, apud stultissimos hos Imperatores. Vnde Statius lib. 1. Sylu. 2. ad Domitianum, quem passim alibi Sidus vocat: ita.

Principes Ethnici, sibi adhuc viuentibus, Templa dicabant.

Statius.

Certus ames terras; & quæ tibi templa dicamus
Spe colas: nec te cæli iuuet aula, tuósque
Lætus huic dono, videas dare thura nepotes.

Lucanus ad Neronem.

Lucan.

——Te, cum statione peractâ
Astra petes serus.

Sic passim alij.

Ascendam Svper Altitvd. Nvb. Similis Ero Altissimo.] 1094.
In hoc *Altissimo*, Deũ Israëlis intelligi vult Sanchez: quem hoc & similibus titulis, ab Hebræo populo, audiuerat Baltasar, decoratum. Cùm verò super nitidiora astra, se collocandum, iam ante effutiret tyrannus ventosissimus, minus decorè & depressiori longè supercilio, hæc garrire videretur, si, quod vulgus putat, ascensionem vtcunque nubium hic affectaret: quid enim magnum, si conscensis iam sideribus, nubes etiam conscensurum se iactaret? Putat igitur prudenter idem Sanctius, eo rem deducendam, quasi vellet impius Baltasar, priuato iure, vehiculum sibi nubium affectare: cùm enim audiret passim à captiuis Hebræis, Deo suo altissimo, *nubem* pro ascensu, & vehiculo, siue quadrigâ assignari: (vnde illud. *Qui ponis nubem, ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum.* Psalm. 103. vers. 3. Vbi Vatabl. *Posuitque nubes vehiculum suum.*) Similem sibi honorem assignandum superbissimus somniabat. Hæc si probes, quæ ni fallor, satis sunt probabilia: iam colligo, cur ex hoc magis nubium vehiculo, quàm ex cæteris, quæ sibi hucusque arrogauerat, se altissimo Deo similem declaret. Cùm enim olim apud Monarchas,

Sanch.

Ps. 103. 3.

Vatabl.

Regij throni dignitas.

narchas, thronum, sellam, equum, atque vehiculum Principis, nemo posset conscendese, nisi eiusdem Primogenitus; aut si quis alius ad summam eiusdem dignitatem eueheretur, (de quo fuse disserui in *Spicil.* cap. 39. num. 2.) falsus, sed non inconsequens, inde se altissimo Deo similem, & dignitate comparem præsumit: non quòd priuatum solium habeat super astra, sed quòd eiusdem vehiculi sit consors. Faueret his D. Ioannes Chrysostomus homil. 2. de Ascens. qui comparans Christum nube vectum, cum Eliâ igneo curru, rapto: sic scribit: *Quando seruus vocandus erat, currus demittebatur: quando verò filius, regius thronus demittitur: neque simpliciter thronus, verùm ipse Patris thronus: audi enim fororum Isaiam de Patre dicentem: Dominus sedet super nubem leuem: ob id & filio nubem demisit.* Vt ergo hinc Christum paternæ gloriæ consortem verè probat sanctus Doctor: sic è falsissimo principio, idem sibi vanissimè Baltasar inferebat.

D. Chrysost.

Deo vero, nubes vehiculũ est.

1095. Nihilominus non puto necessarium, ad has quodammodò angustias, deducere explicationem, quasi dempta, ad veri Numinis vehiculum, allusione, propheticus dicendi tenor, crescentem semper Tyranni arrogantiam exprimens caligaret. Notum vel etiam pueris, falsa numina, nubium vehiculis vsa celebrari: imò & nubium tegmine & quasi curru, mortales illos quos impensè diligebant, huc ac illuc solita deducere. Ex Homero, Virgilio & priscis aliis scriptoribus, ad nauseam vsque combibes testimonia. Huc ergo etiam putarem, allusisse impium Baltasarem: túncque τὸ *similis ero Altissimo* ad Israelis Deum non determinabitur, sed ad quemuis alium, quisquis supremus foret: nec ex solo vehiculo, sed ex omnibus aliis, quæ hucvsque tumore ebrius, similitudinem Supremi Iouis, dicetur aucupatus: neque proinde post astra, nubes suggerens, decrescit arrogantia, in suâ enim summa insaniâ, sanum sic visus processum efformasse. Post obitum, radiatura stella, suprà maxima sidera collocabor: sed & adhuc viuenti in terris mihi templa consecrabo, Solymitano paria: quod si in cælo iam collocatus, velim aut templa nostra, aut aliquas regiones adire: more numinum, conscensis nubibus, vehiculum mihi augustum efformabo. Ex quibus omnibus, cum maximo Deorum, de gloria decertabo.

Id falsis Dijs tribuebant [illegible].

Homer. Virgil.

1096. Quid? posset aliquis non temerè putare, iactationem hanc conscensæ nubis, non solùm solidè post mortem, sed adhuc sub vita fruendam vtcunque, immanissimæ arrogantiæ Principi subiisse: quod paulò ante, de Templorum arrogantia suspicabar. Et quidem contextus, sub hoc tenore deducitur: quasi fastidiens moras ascendendi in astra, iam sibi adhuc viuo, vt templum, sic etiam vehiculum aliquod fabrefactum, nubium instar appararet, quo sibi de illo germano, sed futuro blandiretur. Neque nouum (certè non singulare) foret hoc delyrium: impius Salmoneus, vt se Iouem fingeret, æneis machinis, ignibus ascititiis, tonitrua & fulgura simulasse ferunt Poëtæ: non absque historiæ, vt puto, fundamento. Nicephorus Constant. in Breuiario historiæ Heraclij Imperatoris, ita: *In vno oppido Chosroa simulacrum inuenit, diuino habitu consecratum: nam in huius tecto, tanquam in cælo quodam sedentem se collocauerat: expressæ erant fulgurum, ac Solis & Lunæ species, circunstante Angelorum turbâ: præter hoc machina erat, quæ fulmina, aut pluuias mitteret.* Neque idolo Principis Persæ, & non etiam personæ, id arroganter assumptum: verissima enim sunt, quæ Chrysologus serm. 120. de his scripsit: *Neve simus vt Persarum Reges, qui subiectâ nunc pedibus suis sphærâ, vt Polorum se calcare vices mentiantur, nunc radiato capite, ne sint homines, Solis resident in figurâ: nunc impositis sibi cornibus, quasi viros se esse doleant, effœminantur in Lunam; nunc alias, velut siderum, sumunt formas, vt hominum perdant figuras, & nihil supernæ claritatis acquirant.* At verò Persas Monarchas, apud populos suos pro Diis cultos fuisse, notius est, quàm egeat testimoniis. Tu verò si attentè vtriusque paginæ historias legisti, eundem sacrilegum, Assyriis Principibus, fastum non negabis: imò captâ Babyloniâ, in hanc amentiam, quasi Assyriorum discipulos, Persas incidisse apertè colliges: sicut prostratâ Perside, Persarum Principum impietatem didicit Alexander. Vt igitur non temerè suprà suspicatus sum, non solùm nomine, sed etiam habitu Luciferi, & sub huius sideris formâ se exhibuisse Baltasarem: sic nunc augurari potes, sphæram sibi subiecisse, quasi quo modo posset, sidera calcasset: & fabrefactas nubes conscendisse, futurum iam vehiculum, vtcunque degustaturus.

Ethnici Principes, in terris cælum sibi vt poterãt, construebant.

Niceph.

D. Chrysol.

VERVNTAMEN AD INFERNVM DETRAHERIS, &c.] En quò tumor ille euanuit ventosissimus: sorduerat misero cælum, nisi in altiori eius cacumine locarat thronum: parum ergo erat, si ad Tartarum vtcunque, nisi in eiusdem detrudatur chaos immanius, scilicet, *in profundum laci.* Et quidem iustâ vicissitudine, summam culpæ elationem, infima pœnæ subsequitur depressio: idque tam apertâ iustitiâ, vt etiam ethnicos in re simili non lateret. Hinc tempestiuus ille in negotio serio, Senecæ ludus, qui irridens Imper. Claudij Apotheosim, quâ sideribus translatus credebatur: fingit illum è cæli portis, ad inferos deductum: *Cyllenius illum collo obtorto trahit ad inferos è cælo.* Legendus Maro lib. 6. de Salmoneo, quem dixi, superbissimo. Sic ergo potens, potenter tormenta Sap. 6. v. 7. passus Baltasar, à regia sed breuissima fælicitate, in extremam, & illam æternam recidit miseriam. Ferè nihil in sequenti textu obscuritatis, sed doloris plurimum: vnde legentis potiùs considerationi, quàm Interpretis calamo commendandus. Leuissimè ergo singula decurram, addito priùs exemplo Bardanis post longa sæcula, Babylonicis gentibus dominantis: de quo ita Philostratus lib. 1. *Porticus suprema pars, in modum clypei fabricata, cæli faciem imitabatur, saphiro lapide extrinsecùs adoperta: qui lapis maximè cæli colorem refert: vbi eorum, quos ipsi Deos habent, imagines insculptæ erant. Is autem locus est, vbi Rex, ius dicere consueuit: Ex testudine verò auiculæ quatuor pendebant, quas Moticillas vulgo nominant, fatalem significantes conditionem, ne se suprà hominem efferret. Dicunt verò, Magos iussisse has fieri, cum in Regiam venissent, vocant autem ipsas, Deorum linguas.* Auicula enim, vt passim cernimus, hæc est, perpetua quasi trepidatione inconstans, & corpusculi motu continuo, inquieta, quasi Deorum lingua, Regem labilis suæ conditionis admonebat: cui

1097.

Seneca.

Virgil.

Sap. 6. 7.

Philostrat.

Princeps ... bilem ... nam suâ ... beat ob ... los.

cui si Baltasar attēderet, miserū præcipitiū euitaret.

Qvi te viderint, ad te in-
1098. clinabvntvr, &c.] Insultarant iam Reges, quasi ex ore suo, Baltasari infaustissimo; nunc autem, sæuiori dolori commouendo; annuntiant ea, quibus turba etiam vulgaris, aut in Inferno animæ, aut in sepulchro cadaueri, esset inlusura. Sunt autem emphatica verba, *ad te inclinabuntur:* Quasi sic profundus lacus, quem ideo, *fundamenta terræ*, vocant hîc Lxx. Inter-
Lxx Interpr. pret.) vt non nisi inclinati, in profundo iacentem, possent cernere. Pater Saa. *Inclinabuntur, vt iacentem cernant.* Itaque, quem paulò ante in throno gloriæ, & illo quasi cælo residentem, erectis oculis vix præ altitudine poterant suspicere: hunc eisdem iam demissis despiciunt prostratum: vtque laci profunditas, celsitudinem Throni superabat: plus iam inclinata deorsum defatigantur lumina, ad opprobrium, quàm pridem emissa sursum, ad obsequium. Proh quàm alia, vtriusque aspectus ratio, quantum discrimen!

Orbem Desertvm.] Quia iniquis
1099. inductis bellis, euertebat vrbes, homines trucidabat, vt Orbem, quasi in desertum reducere, conatus videretur. Talis Romanus Tyrannus, immanis bellua, qui vnius foret capitis, Orbis, cupiebat, quem vnico posset ictu decollare. Sic Nicephorus lib. 18. cap. 55. Phocam Imperatorem ebrietati & crudelitati deditum describit: *Vt effuso hominum sanguine, continuò gauderet: & tollere è medio omnes in animo haberet, in quibus nobilitatis, aut gloriæ, aut prudentiæ indicium inesset.* Nisi quòd infaustior adhuc Orbis, relictis tantummodò improbis, perstiturus: quàm si in desertum vndique siluesceret, absque improbis his belluis, planè mitior.

Tyrannorum sine crudelitas.

Niceph.

Non Apervit Carcerem, &c.]
1100. Carcer immitis, quauis morte durior. Nouerat id, cùm vincti miseria, tùm Tiberij indignatio, Suetonius. *In recognoscendis custodiis, precanti cuidam pœnæ maturitatem, respondit: Nondum tecum in gratiam redij.* Quasi fauori & gratiæ imputandum, si è sæuâ custodiâ in necem raperetur. Neque mirum: *Nam peior est morte, timor ipse mortis*, quæ vnica è Tyrannorum carcere solet esse euasio: at sub hac continuâ morte quot aliæ angustiæ? benè Calpurn. Flaccus, Decl. 4. *Quoties iacentes, ferrati postis stridor excitat, exanimantur: & alienum supplicium spectando, suum discunt: sonant verbera: cibus recusantibus spurcâ carnificis manu inijcitur.* Verissima hæc, de quouis carcere, quid de Tyrannico ad immanitatem composito? Subterraneæ fossæ, obscurissimæ cisternæ, impio ministerio deputabantur, vnde non rarò lacus pro carcere sumitur: de quo iam multa alij: addo Quintil. Decl. 5. qui funestissimâ elegantiâ pyraticum quendam carcerem, sic describit. *O carcer*, &c. *Non ille carcer, quem securitas legum, quem Potestatum iustitia commenta est: non possunt humani metus, humanarum cogitationum ingenia, satis, abundéque concipere, quæ vidi. Iacet immensæ rupis abruptæ, tristis, & vltrà naturalem profundæ caliginis noctem mersus, pyraticis artibus specus: quem tota circumfusi vastitas maris, & vndique minantibus scopulis illisa tempestas, terrore ruituræ molis euerberat: horrent cuncta crucibus, squalent circumiecta naufragiis: nullus, nisi in supplicia, mortesque prospectus: & ad in-*

Sueton. Carcer immitis morte durior.

Calpurn. Flaccus.

Carcerem piraticum, dira forma. Quintil.

fœlicium captiuorum metum, præmissus, de simili exitu, dolor. Talem imaginare carcerem Babylonicum; vbi absque spe exitus, subiectarum Prouinciarum captiui detinebantur, vt quibus ab immani prælio vita foret superstes, vicario, sed immaniori, immolaretur tormento: totiésque à singulis degustaretur necis amaritudo, quoties vnusquisque, ob aliorum oculos, punitus.

Omnes Reges, &c.] Recurrunt ad infamiam insepulti, vel saltem inhonestè sepulti 1001.
cadaueris: cùm tamen alij Reges, imò & priuati viri, iure sepulchri sui soleant gaudere. Dixi suprà in re morum, de hoc pluscula: ad literam nunc pauca subiungenda. Et sanè curam sepulchri etiam inter humanas miserias computat Plinius, in Prologo lib. 7. vbi ita de Homine. *Vni animantium, luctus datus est: vni luxuria, & quidem innumerabilibus modis, ac per singula membra: vni ambitio, vni auaritia, vni immensa viuendi cupido, vni superstitio, vni sepulturæ cura: atque etiam post se de futuro.* Nam licèt, pia sacráque defunctis designare sepulchra, sanctum sit: tamen cura illa vana, ædificandi in id, funesta palatia, atque pomposas machinas extruendi, anxia est, cæterisque humanis miseriis computanda. Nihilominus, cùm verissimum sit illud Mœcenatis, *Facilis iactura sepulchri:* Magnis viris, hoc honore carere, miserrimum habetur: idque maximè olim apud Ethnicos, quibus vagi & errantes Manes, nec vnquam quietæ animæ, insepultis corporibus, putabantur. Scatent Ethnicorum scripta hoc affectu, cuius obuia. Terminus autem ille vniuersalis, *Omnes:* non ita logicè capias: locutio namque Sacris, profanisque vsitatissima, *Omnes* & *vniuersos*, pro multis accipit: & *absolutum*, pro eo, quod communiter solet euenire. Sic in hoc loco: non pauci enim Reges alij, nedū plebei, sepulchro caruerūt.

Sepulchri cura, inter humanas miserias.

Plin.

In Gloria. Id est gloriosè sepeliuntur, erectis obeliscis, additis Pyramidibus, & cæteris ad pompam funebrem decoramentis. Porro 1101.
de gloriâ Mausolæorum, quæ Principibus frequenter, & viris illustribus olim dicabantur, plena iam aliquorum volumina: parco transcribendis. Cape non vulgarem locum Ioannis Tzetzes chil. 7. hist. 144. à versu 731.

Noua sepulchri forma, apud Arabes.

οὐράνιος ἐν τρίτῳ δ' ἀραβικῶν τι λέγει, &c.

Ioan. Tzetz.

Prætereo græca, do tantùm latinam versionem.

Vranius in tertio Arabicarum rerū libro scribit,
Esse calamorum sacrum nemus, in Arabiâ,
In quibus calamis sepeliunt solos Reges,
Vxorésque, ac fratres, & filios horum:
Neque vllum aliū. Sepulchrum verò sic paratur.
Vnum internodiū excauant, illorū calamorum,
Ibique ponunt Corpus, & vnguento condiunt:
Neq; cōfringūt calamū, sed iterū sinūt crescere.
Si verò miraculum putet aliquis, hos Arabum calamos:
Tzetzes recenset ex Ctesiâ Indorum calamos,
Quibus duorum passuum latitudinem esse, scribit: quis credat?
Et ex illis, vnum internodiolum, duas facere Onerarias.

Mirarer ergo magis, horum Principum ambitionem, qui quasi certamen cum morte gerant, aliquid nouæ vitæ sibi, ex viuo & succrescente sepulchro, captare videbantur. Quod additur, *in domo suâ*: Cape de Patriâ, & prædiis hæreditariis: sic enim passim loquitur Scriptura. Si au-

tem

rem pressiùs, de ipsis ædibus, & domesticis parietibus, verba contenderis explicanda, non nimis obstabo: satis enim est, si multas olim Gentes, in propriis penatibus, sciamus defunctos suos solitas collocasse: de quibus *in Spicil.* nostro fusiùs differitur.

1103. *Hebræorum fabula, & delyria.* PROIECTVS DE SEPVLCHRO TVO, &c.] Hebræi, qui totum hoc Epicedium, quod huc usque Baltasari adscripsimus, Nabuchodonosori putant tribuendum: cum videant hunc fæliciter in regno suo obiisse, vt ex Scripturâ constat, & quod inde est, gloriosissimè fuisse sepultum: vt hunc scopulum, de proiecto cadauere, euitent, ad mendacissimas illas suas nugas recurrunt, & fabulas vulgò plausibiles contexunt? affirmantes à filio fuisse erutum à sepulchro, membratim discerptum, & similia. Irrident ista viri prudentiores: tu lege Sanchez, ego quidem delyriis vel etiam refellendis, nollem necessarium, vtilioribus, otium impendere. At neque Baltasarem sic de sepulchro suo eiectum putes, vt verba sonant, quasi iam sepultus gloriosè, indidem turpiter illudendus erueretur: sed ex communi vsu loquendi, (quem eruditè vt solet, ibi notauit idem Sanchez) quo id fieri dicimus, quod cum iam iam esset faciendum, fieri tamen prohibetur. Sic qui iam iam ingressurus domum suam, violenter ab aliquo interdicitur, eiectum se è domo sua, iustè conqueritur: sic qui iam iam Regnum adepturus ascendebat, ab ascensu repulsus, dicitur quidem à throno deturbatus: nam vbique, id quod iam iam habituri videbamur, dicimur habuisse. Sic ergo Baltasar, qui tanto sceptro fruitus, tumulum gloriosissimum foret sortiturus post obitum, nunc hostiliter occisus, & sepulchro priuatus, aut fœdæ foueæ iniectus, benè *proiectus de sepulchro suo* enuntiatur: non quod iam habuisset, sed quòd, stante fortunâ, foret habiturus. Neque hinc remotam puto locutionem illam, quâ paulò ante dicitur: *Quomodò cecidisti de cælo Lucifer?* Non quòd reapse caderet è cælo, sed quòd cælum, sibi reapse iam paratum credens, inde se quasi proiectum, tristiùs condolebat.

1104. *Sepulchri negatio, Tyrannidem, & barbaram arguit sæuitiem.* Insinuatur autem obiter hostilis Medorum, Persarúmque immanitas, (quam tamen in vindictæ iustissimæ instrumentum accepit Deus) dum Regi quantumuis insolenti iam deiecto, iam acerbâ nece punito, insuper sepulchri honor denegatur. Immanissima habetur lex illa Tiberij, de quâ Sueton. cap. 61. *Interdictum, ne capite damnatos, propinqui lugerent: Nemo punitorum, non in Gemonias abiectus, vncóque tractus.* Scilicet inde, vt nôsti, absque sepulchro, in Tybrim deiiciendus: vnde postea Imperator turpissimus Heliogabalus, consimili pœnâ affectus, per ludibrium, *Tractitius*, & *Tyberinus*, fuit appellatus. Grauiter proinde Quintilianus Decl. 6. Vbi pater queritur, quòd sibi filium sepelire interdicatur. *Tulerit sanè filius noster, meritò, pœnas: dederit spiritum supplicio: nihil de præteritis loquamur: quod postulauit Cicero, ab illo crudelissimo Tyranno, mors sit extrema malorum: quod quidem cùm permissum non esset, pernoctabant ante ostium carceris, pretio redimentes sepeliendi potestatem.* Nimium quantùm Siculis Tyrannis duriores carnifices expertus est Baltasar: inde infælicior, quòd neminem post se reliquerit, qui saltem dato pretio, sepeliendum redimeret cadauer. Pergit Quintil. *Cruces succiduntur, percussos sepeliri carnifex non vetat.* Vetatur tamen sepulturâ Princeps infaustissimus. Sed neque mirum, dicat aliquis, immanior enim omni carnifice, crudelis miles: qui dum victor in acie hostiliter grassatur, exsucto sanguine gladium inebrians; membra feris, & auibus, pascenda proiicit. Non tamen semper, inquam ego: nam & quandoque milites, humanitatis sensu tacti, cadaueribus reuerentiam habuisse leguntur: & vt addit idem scriptor citatus, iam durus hic animus est, *Vtra hostium affectum, qui casos acie, sæpè tumularunt.* Sed Iustitiâ diuinâ vindice, id meritò permittente, non quamlibet, sed extremam hostilitatis lineam, in Baltasarem, Persæ Medique attingere contenderunt.

Sueton. Quintil. Idem.

Quòd si cateruatim cum aliis, (quod ex contextu, suprà satis probabile putaui) in grandem aliquam foueam, miserum Principem iniecerunt: non id pietatis, sed purgandi campi, & defæcandi aëris ergo, fecisse præsumuntur. Quod inter alias causas, de suo illo defuncto, sic subdit idem declamator. *Etiam si qua sunt iura, quæ obstent, si tamen angustus saltem detur accessus, per quem intrare humanitas possit, vera Clementia, occasione contenta est: sine omnis in defunctis sensus perit, & ad operiendam fœditatem, subtrahendámque dolori materiam, mortui, viuentium causâ sepeliuntur: seu cùm ad infernas sedes Anima commigrauit, vnus hic luce viduis honos: & à supremâ face, (vt Vates ferunt) petitam vlterioris ripæ stationem contingunt.* Iniecerunt ergo miserum Regem in foueam victores hostes, *ad operiendam fœditatem:* Nónque tàm ipsius, quàm *viuentium causâ.* Sicque in dedecus, omni sepulchri priuatione, turpius sepelitur. Satis quidem, & plusquam satis ad opprobrium, si tantus Princeps, mediocri, & quasi priuata pompa sepeliretur: quid fuerit cateruatim, in vilissimam foueam detrudi potiùs, quàm abiici? Ideo Philostratus lib. 5. de tribus Romæ Tyrannis. *Galba iam regno potitus, in ipsâ ciuitate interfectus est: Vitellius autem occidit, dum Imperij captaret auguria: Otho quoque apud occidentales Gallos moriens, honestâ sepultura carens, tanquam priuatus quidam & ignobilis iacuit.* 1105.

Idem. *Inhonesti sepulchri dedecus.* Philostr.

QVASI STIRPS INVTILIS, &c.] È re rusticâ deducitur comparatio: aridos quippè, & infælices ramos, proiicimus, in ignem reseruandos: fæliciores tantùm, è quibus sperabatur fructus, terra tegimus, & plantamus. Sanchez ibi. *Sic rex iste, quasi truncus inutilis, terra, id est, sepulchro datus non est: sed inter alia vulgi cadauera, quasi in lignorum inutilium aceruum, coniectus.* Sed hoc, vt verissimum habeo, sic insuper profundius aliquid arbitror innuere: & sub ipso literæ cortice, aliquid magis mysticum enuntiari: scilicet, quòd infælicissimus Baltasar, indecoræ illi & vulgari foueæ sit mandatus, tanquam stirps inutilis, stolo aridus: quia nunquam inde gloriæ fructibus, sed duplicato ignis incendio erupturus. Et quidem sub hac metaphora D. Paulus, postquam pios Christo consepultos dixit per Baptismum: addidit. *Si enim complantati facti sumus, similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* Rom. 6. vers. 5. Pende τò, *si complantati:* Quæuis enim sit mors Iustorum plantatio quædam est fœlicis trunci, in flores & fructus, indidem vernaturi: vnde 1106.

Sanchez. *Iustorum mors & sepultura, plantatio est.* Rom. 6. 5.

D.Chry

D. Io. Chrys. D. Chrysost. ibi Homil. 11. *Plantæ quidem nomine, & fructum ex ea nascentem, nobis clam significans.* Ergo Baltasar, non tàm plantatur, quàm vt stirps inutilis absconditur, in ignem suo tempore eruendus Ego quidem id mysterij, à litterali sensu Prophetæ, non reputo alienum. Quod additur, *Pollutus*, explicat Saa *Abominabilis*: placet, si abominabilis sumatur, pro immundo, sordido, fœtente, qualia sunt cadauera non lota, non vncta, & prisco more pollincta. τὸ *obuolutus*: id est, vili plebi commixtus. Negatur ergo misero, *Consortium in sepultura cum Regibus* ex eo quod additur: *Tu enim terram tuam disperdidisti, tu Populum tuum occidisti*: Quod Interpretes, ad prædictas supra Baltasaris crudelitates putant referendum: non reiicio: fortasse tamen ad vltimam hanc ruinam Imperij Assyrij, hæc verba, non immeritò aliquis putauerit deducenda: quasi (quod solet esse) enormiori Principis scelere commotus Deus, in totius Populi iustam vindictam celerius inueheretur: ipsáque aliorum pœna & populi strages, quasi noua culpa Principi imputetur: ac si dicat: Is fuisti, cuius culpâ totum Assyrium Imperium corruit infaustissimè.

Emanuel Sà

1107. Non Vocabitvr In Æternvm, Semen, &c. Vocari semen, in Scripturâ, idem est, ac durare, paternum nomen referre, & Prosapiæ titulos splendorémque, in posteritatis memoriam deducere. Sic illud Genes. 21. v. 12. *In Isaac vocabitur tibi semen.* & sæpe alibi. Fecit autem locutioni nomen apud Hebræos, exquisitissima illa cura, quâ Tribus suas diuidebant, vt vnaquæque nomine Patriarcharum, filiorum Iacob, nuncuparetur, ne hæreditatum sortes confunderentur: vnde & qui fratrum vxores viduas ducebant, semen illis suscitare dicebantur, natique filij, sub defunctorum nomine vocabantur. Neque obstat, quod in hoc loco, non de Hebræis, sed de Babylonicis vertatur sermo: solent enim Prophetæ, & sacri alij Scriptores, per hebræas phrases, aliarum gentium consimiles sententias explicare: vnde quia ipsi, filiorum & hæredum orbitatem, per *non vocatum semen*, profecebant, ad Babylonicum Principem, locutionis genus idem transferunt. Sic vice versâ (quod *in Spicilegio* fusiùs probaui) Lxx Interpretes, per græcismos, hebraismorum sententias optimè explicârunt. Quo iure latini Scriptores, cùm de Græcis, imò Troianis, aliisque remotioribus gentibus loquuntur, non solùm Romanis phrasibus vtuntur, sed & ritus ceremoniásque suas illis obtrudunt: quod non rarò politiores horum scholiastes obseruârunt.

Genes. 21. 12

Scriptores propriis phrasibus aliarum gentium mores explicant.

1108. Parate Filios Eius Occisioni, &c. Habet epitasim hæc Apostrophe: animum enim & vota sua, imò & certam quasi præscientiam exhibent insultantes: dum in Inferno, quasi præsentes haberent Medos, Persásque carnifices, ad hos sermonem vertunt: & quod faciendum cupiunt, iam quasi præsens & instanter imminens præcipiunt. Vide me ad illud Cant. 2. v. 15. *Capite nobis vulpes paruulas*, &c. vbi de consimilis Apostrophes energiâ latiùs disserui Quod additur: *In iniquitate Patrum suorum*; sobolem occidendam: idem est ac si dicant, propter scelera Patrum, innocentes etiam filios auferri: quamuis enim æterna pœna, aut salus filiorum, de Parentum culpis non veniat apud Deum ponderanda: temporales tamen pœnæ, filiis sæpissimè, pro scelere paterno infliguntur: Scatet in hanc rem, exemplis & sententiis, Scriptura. Nimirum sæuiùs quàm proprio, natorum supplicio, Patres contorquentur: immaniúsque horum, quàm suo ipso dolore, se sentiunt cruciari: de quo abundè me alibi dixisse memini: Addo Quintilianum Declam. 11. apud quem accusator, sic ad reum, qui, se pro filiis occidi, rogitabat. *Non habet liberos, inimice, non habet: quisquis hoc te velle miratur.* Quia quisquis paterni affectûs consors esset, apertissimè nosceret, parum aut nihil facere Parentem, qui se pro filiis tradebat: in quibus longè funestius, quàm in seipso, se nouerat doliturum. Dederat scilicet olim, reus iste causam, quâ accusatoris filij, iniquè fuerant occisi: vnde accusator, non ipsum se vltrò offerentem, sed eius filios in vindictam, Talionis iure, volebat offerendos: hinc illud, quod ibidem paulo ante subdit, ad rem nostram. *Non me fallit, Iudices, plerosque credere, callidissimum nec mori velle; & hoc, quod nudat iugulum, pectus opponit, artes esse pro vitâ: sed ego illum non credo mentiri, qui scio, quid maluissem: nunquam hoc aduersus nos excogitâsset, nisi impatientissimus pater: & hanc pœna mea, suppliciorúmque nouitatem, de suâ pietate commentus est* q. d. qui probè nouerat, quantus ex filiorum nece dolor insurgat, & aliunde feruidissimus suorum est amator, vtpote quorum mortem, propriâ suâ redimere paratus erat: filios meos potiùs, quàm me ipsum curauit occidendos: ex suâ pietate discens, hinc mihi sæuius viscera torquenda, funestius lancinanda.

Cant. 2. v. 15.

Parentes, plus filiorum quàm morte propriâ torquentur.

Quintil.

Idem.

Non Implebvnt Faciem Orbis Civitatvm. In Scripturâ, *Facies* alicuius rei, pro ipsa re sumitur: sic *facies Dei* pro Deo: pro Terrâ, *Terræ facies* vsurpatur: Ergo Orbis facies, Orbem designat: sensus itaque est, non implendum Orbem ciuitatum, vel quod frequentiori constructione dicitur, Ciuitatibus, à progenie Baltasaris, quia nullus illi filius relinquendus. Sanchez ibi: *non habebunt sub ditione suâ, totius Orbis ciuitates.* Sensus aptus: non tamen mihi ineptus, quem excogito, quasi dicat Propheta: non implebunt Orbem ciuitatibus denuò ædificatis, aut saltem renouatis, quas nomini suo celebrando, victores Principes, in deuictis Prouinciis solent extruere. Neque hinc abesse videtur Vatablus, qui vertit: *Ne superficiem Orbis, arcibus compleant.* In vsu quippe est, tutandæ victoriæ, munitas vrbes, vel arces ædificari. Cuius rei, præter quotidianam experientiam, exempla nouitio lectori, quæuis historia prisca suppeditârit. Idem Vatablus, in schol. pro Ciuitatibus siue arcibus, vertit, *Osoribus*, vel *prauis hominibus*: fecit locum dissidio, hebræa vox æquiuoca, quæ vel hostes, vel ciuitates significat: Lxx Interp. *Non implebunt bellis.* Chald. *Non implebunt inimicis.* In Sixtianis, scholia nunc πολεμίων *hostibus*, nunc πόλεων *ciuitatibus*, retinuerunt. Quæ omnia si explicationi nostræ adhæreas, non solùm ex æquiuocatione Hebræi Textûs, sed etiam ex ipso sensu, cum vulgatâ nostrâ facilè concordabis: qui enim in subiectis Prouinciis vrbes munit, arcésque ædificat, eò bella, & hostes, hominésque osores, priùs intulisse, satis agnoscitur. 1109.

Sanchez.

Vatab.

Lxx Interpr.
Chald.
Sixtiana.

Dicitur in hoc loco *Orbis*, quo sensu suprà vers. 7. dicitur *omnis terra* siluisse: lege quæ ibi. 1110.

Potest etiam de illorum superbia coniectari, totum Orbem sibi vincendum designasse: de quo ibi plura Sanchez. Quid? non toti Orbi dominabantur Romani, & tamen quod magnam eius partem obtinebant, non solùm passim apud Poëtas, sed etiam apud grauiores Authores, totius Orbis Monarchæ describuntur. Philostratus lib. 6. *Apollonius, non apud Principem qui vni insulæ, aut paruæ regioni imperaret: sed sub quo terra omnis erat, & mare vniuersum, aduersùs hunc inquam, qui malè imperabat, se se comparauit, pro vtilitate eorum, qui imperio suberant.* Huic locutioni accommodauit se Lucas cap. 2. vers. 1. Censum Cæsaris describens: *Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus Orbis.* Mitto plura.

Philostr.

Luc 2. 1.

Quæ deinceps addit Isaias, licèt in eundem scopum tendant, non tam ex ore liberati populi Tyranno inludentis, quàm enarratione prophetica, ex ore Dei minantis proferuntur: vnde hìc mihi textùs meta, qui solummodò insultantis populi scommata desumpsi explicanda.

Notatio XVII.

Adulationis aulicæ venenum.

1111. *Nihil Principi periculosius, quàm adulatio.*

INsanissimam Baltasaris arrogantiam, quâ se Numen credidit, palpantium Aulicorum adulationibus, cum optimo Interprete deduximus: postulat igitur hic locus, vt immane hoc Aulæ venenum (quod è cæteris eiusdem pestibus, suprà fusè connumeratis, huc remisimus) aut à Principe prudente penitus exsufflare, aut saltem illi, summopere cauendas tanti mali vires ostendere, contendamus: verè enim iuxta, & grauiter Beauxamius ad cap. 14. Matth. post multa de Ioanne Herodem liberè increpante, sic subiungit: *Quid autem periculosius Principibus, quàm si Adulatoribus credant, qui nunquam recta dicant, sed placentia? qui licèt Principes apud omnes male audire cognouerint, seu ob libidines, seu grauamina, aut alia: ad instar tamen Adulatorum Dionysij Syracusani se habent, semper blandiuntur & applaudunt, donec in caput Principum, sua ipsorum temeritas, magno eorum periculo redundet? Non poterat Ioannes adulari, non aulicum Parasitum simulare, nihil mercedis ab Herode expectabat, qui contempserat omnia: ideo liberè ad illum loquebatur: & plus se de Regis salute, quàm de illius fauore, sollicitum esse ostendebat.* Et quidem huc omnes Adulatorum machinæ collineant, vt laudibus emacibus, per Principis euersionem, præmia sibi redimant: qui nouerunt, frustra sibi vt plurimum à Rege, gratiæ aliquid sperandum, si adulationis industria, imo astutia deridetur.

Beauxam.

Adulatio ...

* * *

Monita Politica.

I.

Iniquo Principi adulationibus ipsis, satis pœnarum infligitur.

ANtidotum quæsiuit Poëta 7. Bucol. contrà illius linguæ venenum, quæ *vltra placitum* laudarit: vbi Seruius correctus: *Quidquid vltrà meritum laudatur, dicitur fascinari.* Nihil igitur aliud Aulam reputo, quàm Fascini officinam: vnde infaustissimè immodicis palpantium laudibus Princeps contabescat. Multum habent ad Politicem mysterij, vt alibi notaui, plagæ illæ, quibus Regem Ægyptiámque Aulam, afflixit Deus: plus tamen emphasis latet in verbis illis Pharaonis, postquam locustis afflictum se sensit: *Rogate ad Dominum Deum vestrum, vt auferat à me mortem istam: egressúsque Moyses de conspectu Pharaonis, orauit Dominum, qui flare fecit ventum ab Occidente vehementissimum: & arreptam locustam proiecit in mare rubrum*, Exod. 10. v. 17. Multis iam plagis, percussus fuerat Pharao, quæ iniquissimam eiusdem politicem traducebant, nullam tamen horribili hoc mortis titulo affecerat: quasi hanc sic cæteris putaret duriorem, vt meritò, mortem antonomasticè appellaret, quid ita? Respondebat hæc pœna culpæ illi, quæ maximè mores Principis corruperat, per adulantium laudes, illius gesta commendantium, in impiâ obstinatione permanentis. Vt ergo nullo veneno miseriùs contabuit ad vitium, sic nullo damno seueriùs, se sentit ad supplicium, cruciatum. Nemo nescit ex D. Gregorio Magno in Moral. ideo Adulatoris linguam dici locustam: quia vt hoc animalculum, veterno tacet, verno garrit: sic adulatoris lingua, sub aduersitatis torpet hyeme, & fælicitatis Vere fallens dissoluitur: bene ergo adulationis damnum serò iam recognoscens infælix Princeps, absolutè hanc mortem appellauit: cæteris enim consiliis (pessima licèt forent) aures adhibens, hanc vel illam dotem regiam: adulationi autem attendens, vniuersam boni regiminis virtutem fatetur iugulatam. Stephanus Cantuariens. ibi: *Nota, quòd plagam locustarum, appellat mortem: adulatores enim omne bonum exterminant.* Vt nihil virens, nihil amœnum, locusta attingit, quod non exurat: sic nihil in Rege vernans, quod infæliciter non prosternat adulatio. Vnde idem Cantuariens. de sagittariis illis Holophernis, siue Dæmonis: *Qui cooperuerunt faciem terræ, sicut locustæ*, Iudith 2. vers. 11. sic scribit: *Sagittarij Holophernis, id est diaboli, sunt adulatores; lingua enim adulatoris, ad modum locustæ, totum virorem gratiæ depascit.* Ne cum Pharaone, in hac re, serò sapias mi Princeps, auerrunca hanc culpæ pestem, priùs quàm eiusdem pœnæ iam subiaceas.

1112. Virgil. Seruius. *Laudes fascinum.*

Exod. 10. 17.

D. Gregor. *Adulatoris lingua, locusta est.*

Adulatio est vera mors.

Steph. Cant.

Iudith 2. 11.

Steph. Cant.

Adulatio damnum ... sagittariis.

Sed quid opus est, vt timeas, ad futuram pœnam recurrere: satis pœnarum subis, dum à Deo, adulationibus permitteris delectari. Sunt optima, licèt obscura in hanc rem verba illa Saluatoris, ad diuites & Principes huius sæculi: *Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis: væ vobis* 1113.

Luc 6. 25.

vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis, & flebitis: væ, cùm benedixerint vobis omnes homines. Luc.6.à verſ.25. Sed quid? nónne ſicut bellnina ſaturitas, turpis lætitia, futuræ fami & fletui deſtinantur: ita etiam libenter ſuſcepta benedicentium palpatio, ſuo etiam ſupplicio punienda? planè: Cur ergo, ſicut in cæteris, non exprimitur? quia ſatis pœnarum importabat adulatio illa benedicens; quæ enim maior pœna à Deo, quàm vitiorum permittere incrementum: aut quo alio fomite vberius creſcant vitia, quàm ſi, quæ coërcenda forent ſeueriſſimè, blandiſſimè commendentur? Propterea non dixit Chriſtus Dominus, *Væ vobis, qui benedicti eſtis ab hominibus*: Sicut ſupra dixerat, *qui ſaturati eſtis, qui ridetis, &c.* Imò nec dixit: *Væ, quia benè vobis dicunt homines*: quia ex vtrouis modo loquendi, pœna in futurum ſeruata, poſſet intelligi: ſed, *Væ, cùm benedixerint vobis*: Quia tunc in ipſiſſimo puncto quo benè tibi dicitur, tunc, cum blanditiis adulatoris palpari gaudes: iam tibi væ miſerrimum infligitur. Beauxamius ibi. *Hoc in eos, qui aſſentatoribus auſcultant, & ſuas laudes prædicari geſtiunt. Hoc eſt, inquit Beda, quod Pſalmiſta deplorat: Peccator in deſideriis animæ ſuæ, & qui iniqua gerit benedicitur: cui non minima pœnæ pars eſt, ſua ſcelera non ſolùm non argui, ſed inſuper quaſi benè geſta laudari. Proinde Dominus non ait:* : Væ, quia benè vobis dicunt homines: *Quaſi diſtante aliquantulum tempore, culpam tardiùs pœna ſequatur: ſed væ, inquit, cùm benè vobis dixerint omnes homines: Quia ipſa peccati nutrix Adulatio, ſicut oleum flammis, ſic in culpa ardentibus, ſolita miniſtrare fomentum, maxima eſt vtique pœna peccantium.* Meritò proinde, & phraſis variatur, & pœna ſubticetur: tam præſens Principibus venenum habetur adulatio.

Ipſa adulatione, tanquam graviſſima pœna, punitur Princeps.

Beauxam.

Adulatio, culparum nutrix.

1114. Propterea ibidem, poſtquam Iuſtorum virtutes ad beatitudinem vſque deduxit Chriſtus, quia pauperes, eſurientes, flentes, omnibus erant odio & faſtidio, verſ. 22. quaſi grata antitheſi, has diuitum miſerias enucleauit, ſaturitatem ſcilicet & riſum, id eſt, omnium bonorum affluentiam, ſub qua tot adulantium palpationibus exponuntur: vt enim iniqua improborum irriſione, proteruo faſtidio probantur Iuſti, ſic adulatione ſuorum improbi Principes caſtigantur. Concludit igitur prudenter Beauxam. *Nam quomodò pauperes, eſurientes, & flentes, malorum decet improbitate probari: ita diuitiis, epulis, riſuique vacantes, per diſtricti Iudicis iram, malè obſequentium clientelâ, maiorem fouentur ad pœnam.* Cùm ſcilicet futuram illam, ab igne; tùm præſentem hanc peiorem, qua vitia laudata creſcunt; & deplorato remedio, totius virtutis toxicum abſorbetur. Recurre ad locum Pſalm. quem paulò ante ex Beda adducit Beauxamius. *Comprehenduntur in conſiliis quibus cogitant: quoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.* Pſalm.9.verſ.23. Nihil calamitoſiùs homini venire poteſt, quàm ſi quidquid cogitet, in ſemetipſum miſerrimè armauerit: & tamen huc miſeriæ deuenit Princeps, cui adulantium linguæ famulantur: quomodò enim ex vitiorum, quæ intendit, laqueis atque vinculis liberabitur: ſi quæ praua deſiderat quaſi optima, adulatione fallaci comprobantur? D.Auguſt.ibi. *Id eſt, malæ cogitationes illorum, vincula illis fiunt:*

Luc.6.22.

Beauxam. *Et futuræ pœnæ fomentum.*

Pſ.9.23. *Adulatio, Principem, in ſemetipſum armat.*

D Aug.

ſed quare fiunt vincula? quoniam laudatur peccator: adulantium linguæ alligant animas in peccatis: delectatur enim ea facere, in quibus non ſolùm non metuitur reprehenſor, ſed etiam laudator auditur. Expende tamen, quid ſtatim ſubdat Rex Propheta: *Exacerbauit Dominum peccator; ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret.* Eodem Pſalm. Exacerbatur itaque Dominus, & irritatur: & cùm iræ ſuæ vltimam penè lineam viſus aſcendiſſe, tunc dicitur non quærere, ſiue diſſimulare culpam, exacerbantis huius peccatoris, non quòd non puniat, ſed quia longè ſeueriùs punit, ſic diſſimulans; quorſum enim è cælo vibret fulmina, ſi ſæuioribus longè adulantium linguis miſerum interim permittit fulminari? Hoc eſt, quod ibidem ſubdit Magnus Auguſtinus ſic concludens: *Nemo gratuletur homini, qui proſperatur in via ſuâ, cuius peccatis deeſt vltor, & adeſt laudator: maior hæc ira Domini eſt: irritauit Dominum peccator, vt iſta patiatur: id eſt, vt correptionis flagella non patiatur.* Certè ipſe laudans adulator, in Dei vltorem acerrimum expeditur: ipſæ adulationes, iacula ſunt infeſtiſſima; non poteſt infauſtus Princeps torqueri ſæuiùs: nec ſolet exacerbatum iam Numen, duriori ſupplicio punire.

Ipſe adulator, ſeueriſſimus vltor eſt.

D Aug.

Nulla Dei maior ira, quàm adulationis permiſſio.

Id tamẽ adhuc immanius in adulatione, quòd ſic pœnam hanc irroget, vt etiam illam futuram non prætereat: ſic punit augendo culpas, vt tamen accelerandæ Iudicis ſententiæ, & tormentis infernis non indormiat. Miniſtros populi impios execrans Deus, addit poſt alia: *Peccata populi mei comedent: & ad iniquitatem eorum ſubleuabunt animas eorum.* Oſeæ 4. verſ.8. Non ita obſcurum, quòd ſcandaloſus Miniſter, dicatur peccata Populi comedere: nam ſcandalum vbique, ſceleris, ad quod inducit, illuuie ſaginatur: illud ergo difficilius; cur iſti qui adulationibus & blanditiis, in peccatum ſuum Populum prouocabant, non tàm inductores dicantur, quàm ſubleuatores? aut quomodò ſubleuari dicantur deluſæ animæ, quæ potiùs peccatis deprimi cognoſcuntur? Reſpondet ibi Stephanus Cantuar. *Signanter ait, ſubleuabunt: qui enim aliquem ſubleuat, efficitur vector eius: & ſicut homo qui vehitur, faciliùs & cum minore labore tranſit viã, quàm ſi incederet pedes: ſic faciliùs peccat, qui adulationis vehiculo inducitur ad peccandum.* Ingenioſa machina inferni, adulatio: qua ſic vehitur animus, ne vel leui pudoris ſcrupulo offendat: fit facilis quadriga, lingua adulans, qua ſuauius turpitudinis ſalebræ percurruntur. Sed habet inſuper qui vehiculo fertur, vt excelſior, & ſpectari vndique paratior, feratur: huc ergo etiam, non tàm ducens, quàm ſubleuans tendit adulatio. Et quorſum, inquis? Reſpondet citatus Stephanus: *Qui reum Iudicij oſtendit, nónne idem facit, ac ſi dicat, vt in eum animaduertat? ſimiliter qui adulando peccatorem ſubleuat, idem ac ſi Deo dicat, vt in eum animaduertas: cuius etiam damnationis participem ſe oſtendit.* Satis pœnarum daret infauſtus Princeps, ſi tot lingoſis vehiculis, per vitiorum ſalebroſa, quaſi per plana incederet: non tamen contenta maiori hoc damno adulatio: eum ſubleuans denotat, traducit extollens, & excelſum vindictæ repræſentat, vt ſint ſubleuantes adulantium laudes, quaſi Cataſta ſupplicij, enormiter laudatum punitura.

1115. *Quæ tamen adulatio interim, futuram pœnam accelerat.*

Oſeas 4.8. *Scandaloſi ſagina.*

Steph.Cant.

Adulatio, machina inferni ingenioſa.

Steph.Cant.

Adulatio, ſupplicij eſt cataſta.

II.

Quàm deceptus, sub adulatione, degat Princeps.

1116. SEd parum foret, si Princeps vltrà meritum enormiter laudatus, simplici huic deceptioni subiaceret: sed dum in facie laudatus absens corroditur, duplici contritione opprimitur seductissimus. Grauiter D. Chrysost. in Epist. ad Rom. homil. 17. *Non ne dementia est, cum habeas theatrum in Cælo constitutum, spectatores tamen in terrâ tibi deligere? athleta vbi certat, ibi & probari cupit: tu, cùm in superioribus certes, in inferioribus coronari quæris. Videamus tamen, si placet, coronas: illa quidem superbiâ constat, hæc autem inuidiâ: quædam ironiâ & adulatione, propter pecunias, & alia: nonnulla etiam ex seruili ministerio. Quemadmodum enim pueri ludentes, coronas ex fœno alicui imponunt, coronatum autem, suum post tergum vrident: sic sæpe fit, vt qui te in faciem prædicant, apud seipsos clanculum subsannent.* O si sentiret Princeps meus, asperos latratus, asperiores morsus, quibus clanculùm impetitur, ab illis, quibus coram laudatoribus palpatur! puerilis ludus est, totius aulæ commercium, sed tamen immani toxico imbutus: corrodunt plures Aulicorum, Principis tergum, cuius faciei blandiuntur: ibi verissimum est, quod Dauid, de sui temporis Impiis intonuit: *Qui dixerunt, linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt, quis noster Dominus est?* Psalm. 11. v. 5. Linguam suam magnificant adulatores, dum de domino suo magna prædicant: & tamen per summi despectûs fastidium, subiungunt: *Quis noster Dominus est?* ideo meritò ex Hebr. vertit Vatab. *Qui dicunt linguis nostris perrumpemus.* Quia qui coràm magnificabant, clàm perrumpere satagebant: imò ipsa magnificatio, perruptionem iam inuoluere videbatur, vt pro vno & eodem, magnificare, & corrumpere habeatur.

D. Io. Chrys.

Princeps deceptus turpiter adulationibus coronatur.

Aula fauor, puerilis ludus, sed venenatus.

Psalm. 11. 5.

Vatab.

1117. Occiditur infaustissimè Rex Achab, & inter funestos tragœdiæ apparatus, id à Propheta pridem prædictum, factum exprimitur: *linxerunt canes sanguinem eius.* 3. Reg. 22. v. 38. Si miseria illa notaretur, quâ insepultum corpus alicuius fœdissimè relinquitur, volucribus ferisque relictum diceretur: at Achab, qui pompâ regia sepelitur, quid magnum passus putetur, si canes effusum in curru sanguinem adlamberent, vt id inter minas propheticas, & inter reapse datas pœnas, tam disertè numeretur? Fortasse voluit seuerum Numen, vt in morte, pessimi, vita, Principis pateficeret, ideo solummodò canes defuncto insultant: quia vt perperàm gubernaret, viuus, peioribus longè canibus se tradiderat: nulla bestiarum, cùm aliquid sperat, cane festiuius adblanditur: nulla si indignatur, nouit dissimulantiùs retrò mordere: tot ergo Canes delusus pauerat Achab, quot habuit adulatores: Quid ergo mirum, si tanquam familiori epulo, accurrant iam defuncto canes mitiores, cui sæuiores alij dum viueret, inhærebant inescati. Hoc absque dubio euoluebat Stephanus Cantuar. qui ad hunc locum ita. *Isti sunt canes aulici, qui pascuntur de peccato mali Prælati: vel linxerunt sanguinem eius, detrahentes ei in abscondito.* Sic auari illius Principis rapinis, blandientes pascebantur Aulici, cui in abscondito morsus infigebant. Quis vnquam periculosiùs decipitur?

3. Reg. 22. 38

Adulatores aulici, cur dicantur canes.

Steph. Cant.

1118. Nisi dixeris, etiam se pauisse, etiam linxisse sanguinem, dum adulabantur, quo nihil quidem fallacius esse potest, dum ipsum blandimentum, fit exsugendo sanguini, id est perdendo exsucto, instrumentum. *Contestor vos hodiernâ die*, inquit ad suos Paulus, *quia mundus sum à sanguine omnium: non enim subterfugi, quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis.* Actor. 20. v. 26. quasi si subterfugeret, consilium Dei illis annuntiare, iam meritò reus sanguinis haberetur. Sed quid effuso sanguini, cum consilio Dei non manifestato? quia consilium Dei, non nisi in veritate verborum, & doctrinæ synceritate potest exponi, quod ni fecisset Paulus, iam necessariò Magister pruriens auribus, adulans, & palpator veniret denotandus: & in ipsâ adulatione, reus omninò sanguinis haberetur. Grauiter ad illa verba eiusdem Apostoli, *veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem:* Rom. 3. post alia sic Interpres scribit. *Siue simpliciter homicidas dicit: siue interficientes animas adulando: vnde in Act. Apost. dicit Paulus: mundus sum ab omni sanguine, non enim subterfugi, quo minùs annuntiarem vobis omne consilium Dei.* Exsugunt decepti Principis sanguinem adulatores, nunquam vera ex Numinis timore consilia, sed mera, ex vanitatis amore blandimenta suggerentes: quia nulla immanior sanguinis effusio, quàm quæ adulantis linguæ ornatur ministerio. Sed redeo ad occultam detractionis carnificinam, quæ publico adulationis encomio inhæret.

Actor. 20. 26

Adulator, sanguine alieno saginatur.

Rom. 3.

1119. Post sæuissima scelerum supplicia, à Deo, apud Amos, commemorata, sic subiungit. *Quod si reliqui fuerint decem viri, in domo vnâ: & ipsi morientur: & tollet eum propinquus suus, & comburet eum, vt efferat ossa de domo.* cap. 6. v. 9. Locus difficilis, si simpliciter vt sonat, putes capiendum: vt enim *in Spicileg.* probaui, longè certiùs probatur apud doctiores Interpretes, ex libris Reg. non esse apud Hebræos in vsu Cadauerum vstionem, & ossilegium, quæ apud plerasque gentes solemnia habebantur: occultius ergo damnum, visus hîc inculcâsse Propheta: quasi in pœnarum summam, prisca scelera, noui permissione sceleris, venirent punienda. Illud dubium, cur, qualis qualis sit vstio in hoc negotio, non carni simul & ossibus applicetur? Cur si foràs efferenda sint ossa, non foris etiam caro concrematur? aut si necessariò domi caro absumenda, non etiam ibidem ossa absumuntur? Respondet tamen optimè ibi Stephanus Cantuar. *Hæc est summa, quod quidam carnes mortuorum comburunt, & efferunt ossa: carnes fœtidas, in domo Adulatores comburunt, cum vitia eorum, quibus adulantur tegunt, & abscondunt: ossa efferunt, cùm opera, quæ fortia esse videntur, prædicant & extollunt.* Sed tu mihi pende tecta illa & abscondita ab adulatoribus vitia, non tàm occultari dici, quàm comburi: quia celantur ab illis, vt interim fulmineis dentibus corrodantur: fit itaque dura hominis laniena, execrabilis carnificina, non tam ferri nouaculâ, & ignis incendio, quàm adulatricis linguæ aculeo & vstione: quibus tandem deceptus Princeps contabescit.

Amos 6. v. 9.

Et carnem deuorat, dum vitia abscondit: virtutes extollit vane.

Steph. Cant.

1120. Animaturus Deus Ezechielem, ne gentis suæ malitiam, & crudelitatem pertimeret, ita ad illum

Ezech. 2 v. 6.

lum. *Tu ergo fili hominis, ne timeas eos: neque sermones eorum metuas: quoniam increduli, & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas.* Cap. 2. vers. 6. Sed cur si impios incredulitate, credulitate subuersores, quasi armatos ferro, feros incendio, incensos ad necem carnifices, potiùs trepidaturus Propheta videbatur: tam disertè non solùm ad ipsos non timendos, sed insuper ad ipsorum sermones non metuendos, tanquam aliquid maius animatur? Si adduntur animi Prophetæ, subuersoribus spernendis, quid opus erat aduersùs loquentes muniri? Si immanibus illorum gestis insultaturus, quid non facilè sermones irrideret? An fortè quauis nece sermo iste sæuior: & subuersores isti, plus linguâ, quàm manu forent trepidandi? Planè: lingua enim Adulantium præcauetur, quos scorpiaca indoles imbuebat. Pulchrè ibi D. Gregor. Mag. Homil. 9. *Scorpio palpando incedit, sed caudâ ferit: nec mordet à facie, sed à posterioribus nocet. Scorpiones ergo sunt, omnes blandi & malitiosi, qui bonis quidem in facie non resistunt, sed mox vt recesserunt derogant: alios quos valuerint inflammant, quæque possunt noxia immittunt, mortifera inferre occultè non desinunt. Scorpiones ergo sunt, qui blandi & innoxij in facie videntur, sed post dorsum portant, vnde venenum fundant. Qui enim in occulto feriunt, quasi mortem latenter portant.* Si ergo etiam Boni & Iusti, egregiisque operibus radiantes, blandæ & malitiosæ palpationis, scorpiacos, id est, occultos morsus non euitant: quò ruet iniquus Princeps, in facie de iniquis etiam gestis collaudatus, & ad tergum fœdissimè corrosus? Si omni morte sæuior, timetur Iusto, palpatoris lingua: an non perditè delusus iniquus Princeps, qui & publicas laudes, & occultas detractiones iuxta nociuas, non videt præcauendas?

Adulatores scorpiones sunt, omni carnifice, sæuiores.
D. Gregor.

1121. Duriores ictui lanceæ, iacula feriendo sæuiora, ex molli & flexibili ligno solent fieri, ne scilicet impacta resiliant, aut frangantur, dum penetrando nesciunt inflecti, ideo molli & flexibili iaculo vtitur adulator: ideo Rex Propheta, Aulicum quendam Saulis, vt creditur, describens, sic subiungit: *Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula.* Psalm. 54. vers. 22. Quasi inde adsit iaculorum sæuities, quod mollitudo non desit: hasta enim dirius contorquenda, flexibilis euibratur. Emphaticè tamen satis, non tam *molles* dicuntur hi sermones, quàm *molliti*, vt nouo quodam iaculorum tenore, habeant mollitudinis fucum penetrando: adacta vero iam, duritiam sæuissimam perdendo. Fauet D. Bernard. lib. sent. non longè à fine. *Pulchrè, non molles, sed molliti dicuntur sermones, vel suasoris adulatoris, vel suasoris iniqui: quod sit in eis non tam vera & solida, quam superducta, & simulata suauitas.* Et quid-ni simulata, si tota illa blandities, dolus est. Ideo iterum idem Princeps. *Vana locuti sunt vnusquisque ad Proximum suum, labia dolosa in corde & corde locuti sunt.* Psalm. 11. v. 3. Vatabl. legit: *labio blando*: quia illa meritissimo dicuntur dolosa labia, quæ norunt blandiendo titillare, quæ dum vngunt dulcedine, pungunt amaritudine. Et quid decipiendo paratius dari potest?

Adulatoris iaculum, quò mollius, fit robustius.
Ps. 54. 22.
D. Bern.
Ps. 11. 3.

1122. Gratiùs adhuc idem Dauid, gratias Deo reddens, quòd Saulis dolos, quòd aulicorum eius machinas & vngues euaderet, sic ait: *Circundederunt me sicut Apes, & exarserunt sicut ignis in spinis: & in nomine Domini, quia vltus sum in eos.* Psalm. 117. vers. 12. à Tauris, Leonibus, horribilibúsque feris aliis obsessum se alibi testatur: in hoc verò loco, vbi tam facilè se illorum irâ consumendum timuerat, quàm facilè spinas ignis corripit, minutissimis, & longè inefficacioris ictûs, apibus, eosdem comparat: nec immeritò; nunquam enim robustior ad nocendum ita, quàm dum non armata viribus, sed munita fallaciis incedit: nec tanti digladiantes Saulis milites faciebat, quanti instructos adulatione Aulicos exhorruerat Dauid. Cur verò hos, Apes diceret, aperit D. Gregor. suprà citatus. *Apes enim in ore mel habent; in aculeo caudæ vulnus: & omnes qui lingua blandiuntur, sed latenter ex malitiâ feriunt, apes sunt: quia loquendo, dulcedinem mellis proponunt: sed occultè feriendo vulnus inferunt.* Nihil ergo mellitis & aculeatis his labiis, exosiùs habeat Princeps meus, quia certè non aliunde sæuiùs læditur, quia non aliunde decipitur periculosiùs. Hinc Athenæus 4. Dipnos. cap. 20. ex Phrynico hos describit, *Aculeatos, suauiter alloquentes, magnopere laniantes, celantésque omnia, & irridentes.* O quò ruis deluse Princeps! quid non turpissimum habes, sic stultè decipi, vt fictas laudes certo pretio redimas! sibi occant, sibi arant Adulatores: & subtili artificio, dum te videntur laudare, honoribus adeundis, inuolandis muneribus se commendant. Ideo Isaias. *Et erunt qui beatificant Populum istum, seducentes: & qui beatificantur præcipitati.* Cap. 9. vers. 16. Quàm fallax enim adulatoris seductio, tàm certa collaudati præcipitatio. Alia congerit Magnus Hieron. Epist. ad Celant. grauissimè sic concludens: *In multis, isto maximè tempore, regnat hoc vitium: quódque est grauissimum, humilitatis ac beneuolentiæ loco ducitur: eò fit, vt qui adulari nescit, aut inuidus, aut superbus putetur. Est sanè grande & subtile artificium, laudare alterum, in commendationem sui: & decipiendo, animum sibi obligare decepti: quódque hoc maximè vitio agi solet, fictas laudes certo pretio vendere.* Prudenter Seneca Epist. 19. de his Curiæ fauoribus spernendis: *Quid horum relinques, quod inuitus, relictum à te possis cogitare? Clientes? quorum nemo teipsum sequitur, sed aliquid ex te: Amicos? olim amicitia probabatur, nunc præda.* Seduceris ergo dum quos putas Clientes & amicos, pateris prædatores: seduceris dum inuidos, superbos, imò & rusticos putas, quos non sentis palpatores: emaces garriunt, quos æstimas beneuolos.

Ps. 117. 12.
Adulatio, Apis instar, mellita, & aculeata.
D. Gregor.
Athen.
Isai 9.
Adulationis industria, emax.
D. Hieron.
Senec.

III.

Callidissima, sub iniuriæ velo, & cum offensionis periculo Adulatio.

1123. GRande & subtile, prædictum Adulatorum artificium: sed iam vulgare, & vel non heberi cuiuis Principi, iam deprehensum: grandiùs aliud & subtilius aperio, quod vel etiam callidissimos cuiusuis oculos dum subterfugit, vt gratius adblanditur, sic pungit sæuius. Cauet Princeps

Ambitiosus Princeps, non tamen, quod palpetur, vult videri.

ceps non ita profligatæ frontis, videri Adulatoribus indulgens; ducit dedecus, si putetur palpationum blandimentis delinitus: eò ergo præpostero ingenio tendit callidior iam palpator, vt sub offensionis specie, dum carpere videtur, commendet altiùs: & qui laudator apertus, fastidio foret, obliquus commendator, fit amori. Agebatur in Curia apud Tiberium, de honoribus, defuncto Patri Augusto deferendis: in fœdissimas adulationes prolapsi Senatores, vix litârunt: ventum ad Messalam, qui adulationis telum, quò
Cornel.tacit. occultius, eò etiam dexterius euibrauit. Cornel. Tacit. 1. Annal. *Addebat Messala Valerius, renouandum per annos sacramentum, in nomen Tiberij.* Visa hæc immodici honoris, & vltrà Romanæ dignitatis limites, palpatio: vnde & ipse Tiberius, (non quòd ambitiosissimus splendoris tanti radiis non titillaretur, sed ne apertæ laudis enormitati videretur indulgés) Authorem se, sic abruptæ sententiæ, voluit excusatum: ideo additur: *Interrogatúsque à Tiberio, num se man-*
Idem, *dante, eam sententiam prompsisset, &c.* Quid tunc Messala, callido Principe, callidior adula-
Idem. tor? audi quid subdat cultissimus Cornelius. *Sponte dixisse, respondit: neque in iis, quæ ad Remp. pertinerent, consilio nisi suo vsurum. Vel cum periculo offensionis: ea sola species adulandi super erat.* Certè periculum erat ne offenderetur Princeps, quòd consiliarius, tam liberè & arroganter, non habitâ Principis ratione, solùm suis se consiliis vsurum, pro Reipubl. salute, testaretur, at interim, id summopere Reipub. saluti conuenire inculcat, si quotannis, is ipse Princeps, cuius mandatum non curâsse videbatur, renouatis iuramentis stabiliretur. Sic periculosa adulatori offensio, periculosissima, (quia efficacissima) fit Principi palpatio: cui, etiam perspicacissimus quisque non conniuere vix poterit.

1124. Venienti Christo Domino transfretum, in Regionem Gerasenorum, accurrit ei spiritus immundus, qui hominem misertimè vexabat, imò occurrêre in homine plura dæmonia adorantia, & vno ore exclamantia: *Quid mihi, & tibi Iesu, fili Dei altissimi? Adiuro te per Deum ne*
Marc.5.7. *me torqueas.* Marc.5. vers.7. Vbi notissima sunt
D.Chrysol. verba illa D. Chrysol. serm.17. *Vt adulator, non*
Adulatio, sub specie contumeliæ, efficacissima. *vt deuotus & obsequens hic adorat: credit infelix, vt eum quem tentatione vincere, quem muneribus nequiuit inflectere, possit adulatione pulsare.* Sed vnde, inquit, tantum ponderis in hac adulatione, vt priscis illis validissimisque tentationibus, deturbando Christo, si homo purus esset, longè robustior Dæmoni putaretur? Ni fallor, quia sub specie, & cum periculo offensionis, callidissima procedebat: attende. Matthæus idem commemorans, sic verba refert: *Quid nobis, & tibi Iesu, fili Dei? venisti huc ante tem-*
Matth.8.29. *pus torquere nos.* Cap.8. vers.29. Acceleratum Iustorum Precibus Christi Domini aduentum probabiliter tenent Theologi nobiliores: Iustos verò, ipsius Christi meritis, insigne hoc beneficium impetrasse, certiùs inferunt: itaque, quod præmissum, licèt non absolutum, decretum, temporis, redemptioni nostræ, assignari, quodammodò rescinderetur; vt benigniori dispositione longè celeriùs Redemptor adueniret, ruptis moris vt sic dixerim ante tempus, ipsius Redemptoris meritis, & charitati præuisis assignandum. Si igitur ingens ille Christi Amor palpationis capax esset, hinc maximè palpandus esset, quòd sic ardés redimendis hominibus præuideretur, vt eiusdem intuitu, Pater, reapse tempus acceleraret. Ergo quod callidissimus adulator, tantam benignitatem, in adulationis argumentum sumpturus, rem sic inuoluat, vt pietatem in homines, sub velo seueritatis in Dæmones spoliandos abscondat, nil aliud fuit, quàm sub specie offensionis, subtilissimam palpationem obuelâsse: proindéque versutissimus artificio, licèt in persona Christi delusus, meritò credit, cessurum huic machinæ, quem tot aliis immobilem fuerat expertus.

Disserebant de Christi rebus, in Concilio suo perfido Pharisæi, ad quos tunc impiissimus Sacerdotum Princeps Caiphas: *Vos nescitis quidquam: nec cogitatis, quia expedit nobis, vt vnus moriatur homo pro Populo, & non tota gens pereat.* Ioan. 11. vers. 50. τὸ: *Nec cogitatis, quia expedit nobis, vt vnus moriatur, &c.* Palpatio est non exigua, quasi dicat, vos, quia aliunde mitissimi, & piissimi, à cæde & sanguine omninò abhorretis adeo, vt nec leuissimas cogitationes, concepto sanguine putetis inficiendas: etiam in hoc negotio, vbi necis pœna iustissima intercedat, necesse est, à necis, cogitatione, quasi ingenitæ pietati alienâ, abstinetis. Nota tamen mihi, quàm callidè sub opprobrij specie, & cum offensionis periculo, abscondat adulationem, cùm enim consiliariis, & qui se peritissimos legis venditabant, nihil auditu duriùs, quàm rerum ignorantia obiici posset: præmisit nihilominus: *Vos nescitis quidquam.* Vt non tàm pietatis encomio blandiri, quàm ignorantiæ scommate pungere videretur. Sic, qui ardentior Christi necem sitiebat, alios Senatores facillimè in suam traxit sententiam: qui neque adulatione sic velatâ, (quâ tamen maximè trahebantur) pellecti notarentur: & ad necem, (cui etiam inhiabant) solius iustitiæ intuitu, & quasi innatæ sibi misericordiæ, locum non inueniri dolentes, ducerentur. Ideo fortasse Glossa, etymologiam Caiphæ putauit hîc exprimendam: sic enim habet: *Caiphas, sagax interpretatur.* Quasi dicat, respondit præsens hominis callida sagacitas, eiusdem nomini: nihil enim sagacius alliciendis aliorum suffragiis, quàm cum offensionis periculo, pellacissimam adulationem euibrâsse. 1125.

Ioan.11.50.

Quàm sit, si velata adulatio, periculosa, & penetrando robusta.

Et sagacitatis plena. Glossa.

Relictam Iobo vxorem, in tantâ totius familiæ strage, non Dæmonis pietati, sed malignæ versutiæ tribuunt Interpretes: quasi valentiorem machinam hanc vltimam, euertendo marito, hostis reseruaret. Bene proinde Gregor. ibi. *Quæritur ab aduersario, in hanc arcem munitissimam, quibus gradibus ascendatur: vicina est autem viro mulier, atque subiecta: Cor igitur mulieris tenuit, & quasi scalam, quâ ad cor viri ascendere potuisset, inuenit: occupauit animum coniugis, scalam mariti.* Quasi in cæteris plagis Dæmon velitaret, nunc autem iusto certamine, & decretorio vulnere, prostrandam Iobi virtutem aggrederetur: arci quippè expugnandæ, cùm iam admouetur scala, vltimum & periculosius discrimen adornatur. Magnum igitur aliquid per fœminam, facturus Dæmon, putari poterat: & tamen solùm dicturus hæc pauca, illam assumit: *Adhuc tu permanes in simplicitate tuâ? benedic Deo, & morere.* Iob.2. vers.9. Tam ne valida hæc sagitta? certè validissima: adulatio, me iudice, erat, 1126.

D.Gregor.

Scalaque in arcem munitissimam, paratissima.

Iob.2.9.

&

& sub reprehensionis velo, cum offensionis periculo, occultissima. *Simplicitas* in hoc loco, *Integritatem* ex Hebræo, *sanctitatem*, & quasi integri status innocentiam significat. Ergo hanc Iobo egregiam virtutem, (quasi sub tot plagis iniquè à Deo respectam) sub exprobrationis tenore insusurrare, nec per compassionem, sedper iram inculcare: quasi stultus foret, qui sic fidelis, aduersarium immeritò numen non despiceret: omninò fortissimum spiritum, ni præseruatus foret, labefactaret. Sic hodie impii Adulatores solent, virum aliàs clarissimum, sed modestum, in acceptæ si fortè iniuriæ vindictam, animare: ô fœdissimum nobilitatis auitæ, tot illustratæ titulis propudium! eò ne claritate hac radias, vt tibi insultet impunè hostis vilissimus? dum sub velo languoris exprobrandi, obiter Prosapia illustrissima inculcatur, vt subtilius vngit, mordaciùs etiam pungit, & acriùs stimulat ad vindictam. Quàm ergo cautus circa consimiles adulationes debeat esse Princeps, quis non videat?

IV.

Adulationis damna: & quàm ab his sibi debeat Princeps præcauere.

1117. *Quanta malitia, sit adulationibus, effrænatior.*

HInc ergo est, vt nulla sit malitia sic effrons quæ adulationis stimulis agitata, effrænatior non erumpat. Cupiebat Balac, Balaam maleficum, & mortalium pessimum, sibi allicere: ad quem datâ legatione, hæc verba misit. *Veni, & maledic Populo huic: quia fortior me est: si quomodo possim percutere, & eycere eum de terrâ meâ: noui enim, quòd benedictus sit, cui benedixeris: & maledictus in quem maledicta congesseris.* Numer. 22. v. 6. vocabat Magum, Israëli maledicendo: & tamen interim affirmat benedictorem: testatur se nouisse benedictionem Pseudoprophetæ efficacem, & mentitur: nullos enim nouerat efficaciter ab impio, benedictos: quid ergo? adulabatur miser Princeps, & sic adulabatur; vt in singulis verbis, mille palpationes intermisceat: fatetur se, Israële fragiliorem, quasi subsequens totum robur, ab vno tantùm Mago desumendum: priùs posuit benedictionem, quasi teterrimum hominem, benedicendo promptiorem videatur exprimere: ideo simpliciter protulit, *benedictus cui benedixeris:* at verò *maledictus*, non, cui, vtcunque maledixeris, sed: *in quem maledicta congesseris:* quasi illius verba proprio genio benefica essent, & salutaria: sudatúmque requirerent ingenium, & congesta maledicta, si quandoque quasi extorta intenderent damnare. Quò ruit tam prærupta adulatio? Nimirum, promptissimum iniquitati maleficum, adulatione reddere promptiorem. D. Augustinus serm. 103. (in aliis codi cibus, variat numerus) de Temp. ad hunc locum. *Ego non credo, quia sciret quòd quibus benedixerit, benedicti sint: sed videtur mihi, adulandi gratiâ hæc dicere: vt artem eius efferens & extollens, promptiorem reddat ad facinus, adulationis vitio obligans.* Quia nulla malitia sic deperdita, quam non valeat adulatio cumulare: nulla sic peruicax, quæ additis his calcaribus, pernicior non reddatur.

Num. 22. 6

D. August.

Hinc est etiam, vt nullâ machinâ aliâ, virtutes
ad lapsum, absque Tyrannorum tormento, sæuiùs 1128.
torqueantur: id voluit sapientissimus Regum Salomon, cùm sic habet: *Quomodò probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurum: sic probatur homo, ore laudantis.* Prouerb. 27. v. 21. probatur enim hominis virtus constantissima, quæ adulatoris laudibus nescit inflecti: Sed sic probatur, quasi per fornacem & conflatorium, id est per tormenta sæuissima, aurum repurgetur: propterea enim idem Salomon, Martyrum examina & pugnas præuidens, de Deo sic scribit: *Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos.* Sap. 3. v. 6. vbi id aduertendum, tàm diuersa machinarum genera, (vt sunt apud Tyrannos Catastæ, Equulei, fidiculæ, rotæ & similia: apud adulatores verò, blandimenta, laudes, encomia) eâdem conflatorij metaphorâ declarari: quasi non essent potentiora deturbandæ iustorum constantiæ verbera carnificum, quàm adulantium verba, & illorum ignitis craticulis, præstent horum accensæ linguæ: neque minùs gloriosum Martyrium Domino, inter medias flammas, quàm inter adulationes, virtus reddat. maius aliquid addit D. Augustinus ad Psalm. 69. vbi ita. *Duo sunt genera persecutorum; vituperantium, & adulantium: plus persequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris: nam & ipsum caminum dixit Scriptura: certè dum de persecutione loquitur Scriptura, dixit Sap. 3.* Tanquam aurum &c. *de Martyribus interfectis: audi quia & lingua adulantium talis est:* Probatio *inquit*, argenti & auri, ignis: vir autem probatur per os laudantium eum. *Ignis ille, ignis iste: de vtroque saluum te oportet exire.*

Prouerb. 27 vers. 21.

Cur non minus gloriosus Martyr in adulatoris lingua, quàm in tormentis superandus.

Sap. 3. v. 6.

D. August.

Et bene caminus, fornax, & ignis, adulantium 1129.
lingua appellatur: hoc enim est, quod disertè testatur D. Iacobus: *& lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis: lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ, inflammata à gehēna.* cap. 3. v. 6. Vt iam non temerè putarem ideo Spiritum Sanctum, prætermissis aliis formis, sub linguis igneis solummodò cerni voluisse, Actor. 2. v. 3 quia qui bonorum omnium fons, sanctitatis vniuersitas aduentabat, vniuersitati iniquitatis id est, linguæ nequam opponendus: meritò, cælestis ignis linguas euibrabat: Solet enim prudens Medicus, dissimulatis interim accidentibus, præcipuo morbo intendere medicinam: sicque & diuinus Spiritus, quasi cætera naturæ nostræ vitia essent leuiora, linguas à gehenna accensas, accensis è cælo linguis auertebat. Quod ad rem nostram, de solo adulatorio igne iam ostendo. Suspirabat humanum genus salutem per Christum sibi afferendam, dicens: *Cùm tribularer, ad Dominum clamaui, & exaudiuit me.* Psalm. 119. v. 1. Ecquæ summa votorum? *Domine libera animam meam, à labijs iniquis, & à lingua dolosa.* v. 2. id est, explicatore D. Augustino, à lingua subdolè laudante: & statim, difficultatem morbi attestans, quasi eo ipso medicum inuitârit, addit: *Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?* v. 3. Sic solet periculosissimè ægrotans aliquis exposito iam morbo, non dubius, non curiosus sed festinus voti, ardens desiderio curationis tenorem sciscitari: tunc, ex mente Hieronymi, respondet Deus: *Sagittæ potentis acutæ, cum carbonibus desolatorys.* v. 4. Sed hoccine contra dolosè

Iacob. 3. v. 6.

Act. 2. v. 3.

Nequam linguas pessimus morbus.

Psalm 119. 1

vers. 2.

vers. 3.

D. Hier.

blandientis linguæ morbum, apta medicina? Sanè aptissima: quasi dicat Deus: Sagittas meas ardentibus afficiam, vt ardentia adulantis linguæ iacula expugnent. Certè Berengosius serm. de Confess. Pont. Apostolos, & iustos ab eisdem accensos, sub his carbonibus intellexit: idem putat D. Gaudentius in Præfat. ad Beneu. reliqui verò Patres, doctrinam Apostolorum ignitam hîc explicarunt: audiendus vnus Hilarius, hîc, vbi ita de his dolosis labiis: *Concursant enim vndique, ac varijs nos blandimentorum suorum aculeis compungunt*. Deinde post multa, tandem de remedio ita: *Cuius doctrina per Apostolos reuelanda, in Psalmo altero meminit dicens: Sagittæ paruulorum, &c. Has potentis sagittas, hos carbones desolationis dari sibi fidelis quisque erat*. Ac si vis illa ignearum linguarum Apostolis concessa, ignitis adulationibus tenderet extinguendis, imò requireretur;) tantum illarum robur est, tanta sæuities) aliter infaustè forent inextinguibiles, & immenso Orbis dispendio perdurarent.

Maximè si adulatorio igne inficitur. Berengos. D. Gaudent. D. Hilar.

1130. Nihil ergo Principi, inter Aulæ morbos, adulatione habeatur detestabilius: deprauatos Ministros, & quouis infectos contagio, expellat celer, Adulatores autem quàm celerrimus: ni fortè è Principe in mancipium cupiat deuenire: vnde non tàm imperare iam valeat, quàm imperata suscipere cogatur. Accesserunt ad Christum Scribæ, & Pharisæi, dicentes: *Magister volumus à te signum videre*. Matth. 12. vers. 38. Non dicunt, rogamus, petimus: sed *volumus*: quasi tumidi iam & superbientes, non tàm summissas preces quàm voluntatis imperia depromere dignarentur: benè Eusebius Gallican. Homil. in hunc locum: *Quanta est superbia Pharisæorum, & Scribarum, tanta est stultitia, & infidelitas eorum: non rogant, non postulant, sed inflato stomacho, & erectâ ceruice dicunt: volumus à te signum videre.* Et vnde inquis tàm stulta superbia, tàm arrogans stultitia? glorioso titulo, *Magistrum*, adulantes compellarunt: quo proinde humanorum Principum instar, iam omnino deliniendum crediderunt: ergo suo iure iam deinde, eidem insultare, fas putant: nam Princeps adulatione suauiter suscepta, iam adulatoris imperium suscipere cogitur necessariò. Præiuit Ludolphus Carthus. 1. part. cap. 74. ad hunc locum, licèt contextus seriem non expresserit. *Adulantes dicunt, Magister, vt blanditiis alliciant, quem conuiciis blasphemarant.* Ergo blandis adulationibus, vt putabant, allecto, iam irrogare imperia præsumunt.

Principi adulatores imperant. Mat. 12. 38. Eusеb. Gall. Ludolph.

1131. Vide tamen, quid ad hos cælestis Princeps, terrenis Principibus exemplar præstantissimum: *Generatio mala, & adultera, signum quæris, & signum non dabitur ei*, vers. 39. Præsentes erant, & in tertiâ personâ, tanquam ad absentes dirigit sermonem: quasi Adulatores, tanquam balitu venenato fascinantes, nunquam Principi tanquam præsentes admittendi: sed hinc asperitate necessariâ respondere; inde periculosa non commiscere colloquia addiscant. Crediderant miseri, conuiciis olim blasphematum, iam blanditiis alliciendum: sed nunquam Principem nostrum, seueriorem sunt experti: nam qui iniurias tulerat patienter, adulationes minanter nunc repellit. Euthymius hîc, *Cùm illi contumeliosi essent, patienter eos ferebat: dum autem adularentur, asperè respondet: vtpote qui neque animi vehementiâ vinceretur, neque adulatione mollesceret*. Et pende adhuc: *τὸ signum quærit*, in Græco non esse simplex ζητεῖ, sed compositum ἐπιζητεῖ, id est, *vltrò, & sollicitè quæris*: quasi velit Christus repellere à se omnem suspicionem, colloquij vel breuissimi habiti cum adulatoribus: vt nemo ignorarit ortam solummodò ab impensò improborum studio, adulatorij verbi audiendi occasionem: quos tamen statim increpuit constantissimè. Prudenter igitur ad Principes palpatoribus addictos, citatus suprà Ludolphus, *Non sic multi Maiores huius temporis faciunt: qui bona suadentes contemnunt, & eis tanquam conuitiantibus irascuntur: sed mala suggerentes audiunt, & eorum adulatione molliuntur.* Viderit meus Princeps, an his, an Christo, satius fuerit, adnumerari. Ludolph.

Mat. 12. 39. *Princeps adulatores protinus eijciat.* Euthym.

1132. Neque absque mysterio, ab Euthymio, is commendatur, qui non *adulatione mollesceret*: hîque damnantur Principes à Ludolpho, qui *adulatione molliuntur*: habet enim inter alia mala, hoc pessimum Adulatio, vt cuius titillarit animum, necessariò, sic molliat & eneruet, vt quasi torquenti ossifragio contusus, in meram pulpam elanguidam collabascat. In principes illos iouectus Deus, qui impiâ tyrannide, populum sicut panem deuorabant: sic minatur: *Dominum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor: quoniam Deus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent*, Psalm. 52. vers. 6. Timere formidinis est: ibi autem timere, vbi nulla ad timendum causa impellit, iam mollissimi cuiusdam spiritus indolem euiratam manifestat: eò tamen miseriæ deuenit, qui hominibus placere studet adulatoriæ laudis turpissimus affectator: quasi iustâ Dei permissione, ad eneruem & mollissimam redactus pulpam, in mores fœmineos diffluat vsquequaque. D. Augustinus epist. 64. post alia, ad hunc locum: *Quid enim languidius, quid tam sine stabilitate ac fortitudine, quod ossa significant, quàm homo, quem malè loquentium lingua debilitat, cùm sciat falsa esse, quæ dicuntur? cuius rei dolor nullo modo animæ viscera dilaniaret, si non amor laudis ossa eius confringeret:* Nihil à robusta, quæ exigitur, Principis fortitudine alieniùs, nihil probrosiùs, quàm vt timidus & ignauus hoc vitio arguatur, qui amouendis populi sui timoribus, in totius Reipubl. & columen & basim promouetur.

Animus adulatione languescit, & euiratur. Psalm. 52. 6. D. August.

1133. Quid? putasne; mi Princeps, sic ignauus & mollis, vt ad cuiusuis blandientis linguæ flatum mouearis, poteris constans, tanti officij molem, totius ponderis imperij sustinere? falleris: cedens enim grauiori, sed fœdissimo laudum ponderi, corrues in præcipitium. Nouerat id, prudentissimus Rex Dauid, ideo ad Deum: *Corripiet me Iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris, non impinguet caput meum*, Psalm. 140. v. 5. Hispani, pari parœmiâ vim totam assequimur, dicentes in re simili, *Nô me vnte el malo los Cascos*: id est, non blandiatur mihi, non adulетur. Sed audiendus hic D. Augustinus, qui pari sensu legens, *non impinguabit*; sic subiungit: *Quid est, oleum peccatoris, non impinguabit caput meum? Non crescet caput meum, de adulatione. Falsa laus, adulatio est; falsa laus adulatoris, hoc est oleum peccatoris. Propterea & homines, qui cum falsâ laude aliquem irriserunt: hoc etiam* de

Psal. 140. 5. D. August.

de illo dicunt, vnxi illi caput. Amate ergo argui à iusto, in misericordia: nolite amare, laudari à peccatore, cum irrisione. Scilicet, tanto iusti monitoris asperitas, apud prudentem Principem vtilior venit, quantò nocentiùs adulatoris blandimentum. Id iam quæres, cur impia ista vnctio, perfida adulatio, non tam aures, & inde appetitum, vanæ lætitiæ sedem, petere dicatur: quàm caput, totius scilicet cognitionis arcem, Curiam consiliorum? & in promptu est responsio: ruit totius corporis moles, si vnum caput insana vertigine laboret, si insolito humoris tumore ingrauescat. Mentem igitur, rationis domicilium inuadit adulatio, cæcum Principis iudicium impinguat, prægrauat: certa hinc, cæteris eiusdem virtutibus, parari præcipitium, & ad rationis ruinam, nihil in Principe stabile permansurum.

Adulatio, vertiginem iudicio inducit.

D. Aug. Idem Augustinus commendans & monens eum qui hoc peccatoris oleum oblatum spernit, post alia sic concludit: *Etsi attulit oleum adulationis, sed caput tuum integrum mansit, non inflatum est, non tumuit: si enim inflatum fuerit, & tumuerit, facit pondus, & præcipitabit te.*

1134 Et bene, quòd non vtcunque, sed *cum irrisione*, ab adulatoribus Principem deturbari, ait Augustinus (de quo iam suprà diximus fusiùs) quid enim non meritò irrideatur ille, quem mollissima vnctio, ac si foret durissima quædam machina, sic prosternit? quem blandus linguæ sonus, non arietat solùm, sed affligit? Illud tamen periculosiùs apud Principem, quòd quamuis à palpationibus suis nihil aliud Adulatores captarent, quàm posse in occulto Principem irridere, satis inde ad adulandum impensiùs mouerentur. Non est parua, apud iniquos Aulicos voluptas, Principem sibi, in irrisionis præfigere scopum, quem cæteri, reuerentiæ summæ, obsequiosique timoris, habent incitamentum: vulgaria sunt ordinariæ voluptatis irritamenta, vilioribus inludere: Noui saporis est, Principem per adulationem irridere. Hostes hos inter degis Princeps, ni tibi caues. Hinc prædictus Rex sanctissimus, contra hos tales: *Os tuum abundauit malitiâ, & lingua tua concinnabat dolos.* Psalm. 49. vers. 19. Græca in Sixtianis, quibus hæret Augustinus, sic habent: *ἐνεπλέκει δολιότητα, lingua tua amplexata est dolositatem.* Fallaces adulationes, blandos dolos, non solùm parant isti, sed etiam quasi suauissimis amplexibus constringunt: ac si nihil suauiùs ducant, nihil exerceant dulciùs, quàm adblandiri. Quæris cur ita: Sperant longam sibi hinc dandam irrisionibus ansam, longo naso seductum Principem suspensuris: quo nihil ad voluptatem grandiùs possent comparare D. August. (licèt non solùm reges, sed quos alios intelligat) ad hunc locum. *Maleuolentiâ & dolositatem quorundam hominum dicit, qui per adulationem, quãuis sciant mala esse, quæ audiunt, ne offendant eos à quibus audiunt, non solum non reprehendendo, sed tacendo, consentiunt, &c. Non ait, lingua tua admisit dolositatem, aut perpetrauit dolositatem: sed vt ostenderet ibi quandam delectationem in ipso malo facto,* amplexa est, *dixit: parum est, quia facis; & delectaris: laudas in promptu, irrides apud te.* Hanc irrisionis voluptatem, caro obsequiorum emptam impendio, tanti faciunt, vt vilissimo reputent comparatam, infaustissimis Principibus inludentes.

Occulta Principis irrisio, adulatoribus pro summa voluptate captatur.

Psal. 49 19. Sixtian.

D August.

V.

Plura de Adulatoribus, Principi abhorrendis.

AVthor Apophthegmatum, de prudentissimo Principe Agesilao, sic scribit lib. 1. *Quoties audiebat aliquos laudari, aut vituperari: existimabat non minùs esse discendos eorum mores, qui loquebantur, quàm eorum, de quibus loquebantur.* Quia nimirum pro moribus ipsius laudatoris, aut vituperatoris, ipsius encomia, aut vituperia, certa vel falsa fore deprehenduntur. Nihil quod bonum est, improbus laudat, qui quod fuerit malum, solummodò commendat: at vir probus, vt nihil malum extollit, sic nihil bonum sustinet deprimere. Cùm igitur ex prioribus monitis, impios adulantium Aulicorum mores Princeps meus deprehenderit, agnoscat se absque dubio peccâsse, si quæ videat ab his eximiè, & prauâ synceritate, feruoréque insolito commendari, fœdum tantummodò aliquid isti nôrunt extollere, quibus quidquid foret sanctum veniret despicabile. Benè Tertullianus Apolog. cap. 5. de Ecclesiâ à Nerone primùm vexatâ. *Consulite Annales vestros, illic reperietis primum Neronem, in hanc sectam tunc maximè Romæ orientem, Cæsariano gladio ferocisse: sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur, qui enim scit illum, intelligere potest, non nisi grande aliquod bonum à Nerone damnatum.* Pulchrè vocatur Nero, damnationis nostræ non tàm inchoator, quàm *dedicator*: est enim *dedicatio* vox propria, quâ aliquid sacratum vel sacrandum enuntiatur: damnatio verò nostra tali Authore, verè dedicatur, & tanquam purissima & diuina, Fides catholica Neroni reprobata, consecrationem adipiscitur. Sic è contrà in re nostrâ, quidquid tuum Adulator impius commendat, non solùm eo ipso suspectum, sed etiam habueris execrabile. 1135.

Auctor Apophth.

Quidquid ab impio Adulatore laudatur, ob ipso, malum reputandum.

Tertul.

At in iis rebus, à se gestis, quas etiam modestus Princeps, non potest non factas rectè intelligere, etiam ab impio ore laudes auertat, quia semper mendacio commixtæ veniunt: qui enim scit tacitam proprij pectoris conscientiam, non vt sibi, sic etiam Adulatori reuelari, prudenter adulatoris reiicit encomium, quia necessariò mẽtitur, qui gestum vndique probat, qui agentis conscientiam ignorat. Iam iam eiecturo Christo Dæmonem, respondet exclamans iste: *Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos: scio te, qui sis sanctus Dei.* Luc. 4. vers. 34. Nihil ardentiùs cupiebat suauissimus Iesus, quàm à Iudæis Messias recognosci: nec aliunde, quàm ab ipso hoste, hoc laudis testimonium, videbatur speciosius prouenire: & tamen addit Lucas de Iesu: *Et increpauit illum Iesus dicens; obmutesce, & exi ab eo.* Vers. 35. An non erat laus vera? planè verissima: Sed tamen ab adulatore prolata, & illo mendacissimo, qui cùm ignoraret Christum esse Messiam, Messiam affirmabat: quasi paratus per adulationem, sibi aliquid aucupari, etiam si laus inanis, scopum veritatis aberraret. Caietanus. *Non sinebat ea loqui hoc scilicet, quod sciebat ipsum esse Christum: tùm quo-* 1136.

Vera etiam laus, ab Adulatore, mendax venit.

Luc. 4. 34.

Vers. 35.

Caiet.

riam dicebant mendacium, quoniam dicebant se scire, quod nesciebant, tum quoniam nolebat testimonium ab illis: tum quoniam sciebat quod tentando hoc dicebant, ad explorandum an ipse esset Christus. Sic in verâ laude non potest adulator mendacium non miscere: cùm licet opus alicuius, foris laudabile agnoscat, eiusdem tamen intentionem occultam nequit penetrare. Nouerit ergo consimilium adulantium ora, meus Princeps obturare: nec hos tantùm silentes, sed etiam si possit mutos reddere: vtpote qui verâ, verè nequeunt proferre.

1137. *Princeps egregius, veras etiam laudes audire refugit.* Vt autem alienior, ab hoc captandæ, ab Adulatoribus, laudis studio habeatur: verissimas etiam laudes, & à sanctissimis viris, ex certâ scientiâ prolatas, erubescat: & interpellans, nihil sibi hoc acroamate ingratiùs protestetur. Descéderat Spiritus Domini super seniores ad Tabernaculum congregatos, & prophetabant: numer. 11. v. 25. (Num. 11. 25.) Interim nuntiatur Moysi, binos alios, qui in Castris remanserant, Eldad scilicet, & Medad, consimili spiritu diuino prophetare. v. 27. (vers. 27.) tunc addit Textus. *Statim Iosue filius Nun, minister Moysi, electus è pluribus, ait: Domine mi Moyses, prohibe eos.* v. 28. Ex inuidia commotum in hæc verba Iosue, volunt aliqui: ego non crediderim: sed potiùs ex feruore quodam zeli erga Moysem: de quo statim subditur: *At ille: quid inquit æmularis pro me? quis tribuat vt omnis Populus prophetet: & det ei Dominus spiritum suum.* v. 29. (vers. 29.) Illud dubium, quis nam zelus iste, aut quorsum: cum reuerâ, quod alij prophetarent duo, post septuaginta iam Prophetas, nihil supremæ Moysis dignitati derogaret. Quid ergo? Audi Dionysium ibi. *Quidam Hebræi affirmant, quòd Eldad, & Medad, prophetabant de obitu Moysis, substitutionéque Iosue in Principatu: quod item Iosue, Populum in terram promissionis induceret: ideo Iosue motus fuit hoc dicere, quia ex humilitate, noluit hoc audire.* & ex eadem Moyses, inquam ego cupiebat vt totus Populus idem prophetaret, & fortasse sic explicato contextui, Dionysius (Dionysius.) ipse consentiret, ad rē. Ideo ergo signanter hic, Iosue commendatur: ideo *electus è pluribus* prædicatur, quasi assumendo Imperio aptissimus is probaretur, qui verissimas laudes, etiam verissimè prolatas erubescebat.

1138. *Princeps occultet quandoque gloriosa gesta, ne adulatorias laudes videatur aucupari.* Hinc & cura Prudentioris Principis, ne egregia opera, quæ meditatur, ac sine exempli dispendio, in occulto æquè laudabiliter queūt exerceri, humanis vnquam oculis exponātur: scilicet adulatoriis iaculis timens perrumpenda. Iam in non paruæ familiæ imperium, & in regalis throni spem diuinis promissionibus euectus Abraham, filium suum iubetur immolare. Prætereo, quod non sub frequenti Populi multitudine, quam secum posset adducere in montem rem peragit: illud miror, quòd cùm binos tantùm iuuenes secum ferret, hos etiam iam sacrificio proximus relinqueret, dicens: *Expectate hic cum asino, ego autem & puer, illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Genes. 22. v. 5. (Genes. 22. 5.) Nimirum non erat opus illud eximiæ obedientię vnde vulgare exemplum peti posset: & quidquid ex prompto affectu, Iuuenes possent discere maluit tunc prudenter præterire, quàm sub resultaturæ laudis blandimentis, agere periculosè. Guilielmus Hamerus ibi. (Guilel. Ham.) *Video hic, in Abraham laudis contemptum: neque famam ex filij sui cæde captauit, vt eum in multa hominum frequentiâ tanquam pietatem suam ostensurus, propalam mactaret: sed soli Deo, sacrificium suum commendari, satis habebat. Vix credibile est, quàm furiosa illa hominum κενοδόξια, in hâc parte peccauerit. Erant olim nonnulli Philosophiæ titulo clari, qui gloriæ famæ stimulante, viuos se se exuri passi sunt, sed præsente maximâ hominum multitudine, alioqui nunquam tale ausuri facinus, &c. At non Abraham noster talis, qui humanam laudem, & vulgi rumusculos, ex filij cæde venaretur: eóque, duos duntaxat comites, eósque rerum omnium, quæ parabantur, ignaros, ad iter assumpsit: quos etiam vbi in rem præsentem ventum erat, persistere iubebat &c.* Quasi etiam ab his duobus, & in aulâ sanctissima connutritis, adulationis aliquid pertimeret, eósque dimitteret, ne laudis suæ venator probaretur.

Quid ergo faciat meus Princeps, cui vt plurimùm non ita bene morati Aulici adhærescunt? 1139. *Aulicus impuden. adulatio innata.* sanè vbique verum est illud Senecæ, in Hyppol. Senec. Trag.

——Iusta, qui Reges timet,
Deponat: omne pellat ex animo decus:
Malus est minister, regij Imperij, pudor.

Sed nullibi veriùs, quàm in re adulationis: omne decus, quidquid est frontis, pudorem totum deponunt Aulici, vt Principi blandiantur: nullum in promouendâ palpatione lapidem non mouebunt: Sic illis morbus insitus, innata pestis, vt iam pene diuinum possit æstimare Princeps, Aulicum illum, quem viderit à fœdis adulationibus abstinentem. *Vt pene diuinus habeatur, qui simili morbo, careat, in adulatio.* Adductus ad Herodem Christus, & importunis sermonibus interrogatus, *nihil respondebat.* Luc. 23. v. 9. (Luc. 23. v. 9.) An desiperet æternæ scientiæ Verbum, si quod daretur? absit: *Dominus,* inquit Christus, *dedit mihi linguam eruditam:* Isai. 50. v. 4. (Isai. 50. v. 4.) Quid ergo tacet, & doctrinam, quam Populo largus sparserat, Regi denegat? quia garrienti & curioso Herodi proteruia tunc obstabat, nec cælesti doctrinæ acquieturus præuidebatur: aliunde verò adulationem posset aliquis interpretari, si ad libitum Principis, non profuturos tunc sermones commisceret: probauit ergo linguam, quam à Patre acceperat diuinam: quæ apud Regem, vel ab adulationis vmbrâ abstinebat. Fauet Tertullianus lib. 4. contra Marc. c. 42. (Tertull.) vbi ita. *Delectatus est Herodes, viso Iesu: nec vocem vllam ab eo audiuit: tanquam Agnus enim coram tondente se, sic non aperuit os suum: quia Dominus dederat illi linguam disciplinæ: vt sciret quemodo eum oporteret proferre sermonem.* Huc igitur Principis cura collineârit, vellem: ni enim protritæ frontis Aulicos, deperditi pudoris reijciat adulatores: eò dementiæ veniet, vt Christo non adulanti (quem propterea deberet facere multo pluris) cum Herode, inludat: eò arrogantiæ, vt cum Baltasare, ipsius Christi dignitatem id est diuinitatem sacrilegus attentet. Sed hæc, sequentis Moniti scopum iam attingunt.

VI.

Extrema Adulationis Impudentia, Principes in Deos euehit: & quorsum.

Perditæ cuiusdam hucusque Adulationis lineas attigimus, sed ferendas vt cunque vtpote

pote, intra ordinariæ iniquitatis terminos, Principem retinentes: extrema Adulatorum meta illa est, quæ per immanis impietatis furorem, mortali Principi, immortalis conditionis consortium persuadet: & humanæ naturæ angustiis, augustam Diuinitatis maiestatem, mentitur attributam. Id, erga Baltasarem factum deplorauimus: id erga alios Principes Assyrios, Græcos, Romanos, insanissimè perpetratum, refertæ exemplis historiæ debuccinant, & irrident: Adnecto ex sacris, pauca. Veri numinis cultum præscribens
Deut.6.13. Populo Moyses, sic subiungit: *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies: ac per nomen illius iurabis.* Deuter.6. vers.13. vbi non leuis est difficultas, cur Deus, qui tantopere vitanda nobis præcipit iuramenta: hic, in ipsius nomine præcipere iurandum videatur: nec simplici, vt par est attestatione contentus, numinis, in nomine, requirat iusiurandum? Respondeo tamen, non tàm iuramentum præcipi, quàm si fortè, in re necessaria, iurantibus, normam præscribi, ne in alieno nomine iurarent: vt non solùm manu, sed nec etiam lingua Idolum fabricare notarentur. Huc volunt alludere Tertullianum lib. contra
Tertull. Gnosticos cap.4. vbi ita, *Præcipitur mihi, ne quem alium Deum dicam: ne, vel dicendo, non minus linguâ, quàm manu Deum fingam.* Est hoc adulatricis Aulæ, vt sæpe audio, vitium frequentissimum, quæ vt Principi, quasi numini blandiatur, nil frequentiùs iurat, quàm per ipsum: quasi linguâ Deum illum sibi fingere conetur: vnius Regis vita, salus, victoria, creberrimis iuramentis vsurpatur: sed bene, quod cum non aliunde cariùs palpare se credant, non tamen viliùs mentiuntur: & temere iuratus Princeps, in mendacij velamen aduocatur.

1141. Audit Magorum verbis Herodes, faustum præconium, quo stella linguosi luminis clamore,
Math.2.7. eosdem conuocârat: & ecce *clàm vocatis Magis, diligenter didicit ab eis, tempus stellæ, quæ apparuit:* Matth.2. vers.7. Scilicet vt Iesum, omnésque, visæ stellæ, coæuos infantes trucidaret. Quid tentas infælix homo? quò ruis peruicax? putasne Magorum narrationem vero, an potiùs mendacio deputandam? Si vanam habes, quid turbaris? Si veram, quid præsumis? an puer, qui stellam potuit in aduentûs sui nuntium expedire, non totam cæli militiam, si sit opus, in sui defensionem obarmauerit? Is, quem natum, festiuè astra debuccinant, neci quæsitus, saltem dolente cælo, non monebitur? Ergo quid non
D.Io.Chryſ. *Effrenis & dira regnandi cupido.* times? Respondet D.Chrysolog. serm.158. *Cùm timet Regno, signum cæli non timet, temporis non pertimescit auctorem.* Fateor effrænem quidem esse regnandi cupiditatem: non ita tamen, vt aperto periculo se obiiciat, vt in eum rebellet, à quo se nouit homo funditus obruendum: Quid igitur in hoc Herodis regno putetur interuenisse: cui dum timet, iam neque cælum timet, nec pen-
Adulatio Principem in Deum mendax euehit. sitat certâ se calamitate opprimendum? Scilicet cum Regno, somniatum quendam Messiatum coniungebat: quippe Adulatores Iudæi aliqui (si Deo placet) illum non solùm Regem, sed etiam Messiam adorabant. Cum enim id temporis, omnia penè Prophetarum dicta impleta notarentur: nonnulli ex illius temporis hæreticis, Messiatum infausto Regi obtulerunt. Ideo D. Hieronym. tom.2. aduersùs Lucif. ad finem, inter alias Iudæorum hæreses hanc commemorat: *quòd Herodiani, Herodem Regem suscepere pro Christo.* Et licèt S. Doctor ad cap.22. Matth. vers.16. hanc sententiam videatur impugnare: pro illâ nihilominùs stant Patres non ignobiles, vt ibi videre est apud Maldonat. Húcque aliquando putaui allusisse Persium Sat.5. de Romanis Iudaizantibus scribentem.

At cum Herodis venere dies, &c. Persius.
Labra moues tacitus, recutitáque sabbata palles.

Cæca igitur cupidine ductus retinendæ diuinitatis, Herodes Antipas, quam ab Adulatoribus acceperat, iam nihil contra cælum non machinabatur: donec tandem id euenit, de quo Lucas:
Statuto autem die: Herodes vestitus veste regiâ, Act.12.21.
sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos: Populus autem clamabat: Dei voces, & non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo, & consumptus vermibus expirauit. Huc miserum Adulatores impij deduxerunt. Actor.12.

Planus est sensus illius præcepti, in vulgata 1142.
nostra; quod habetur Leuit. 18. *De semine tuo* Leuit.18.21.
non dabis, vt consecretur Idolo Moloch, nec pollues nomen Dei tui: Ego Dominus, vers.21. Sed
non ita apud LXX. qui ita vertunt: *A semine tuo* Septuag.
non dabis seruire Principi. Cur enim hoc in prohibitis habeatur? an non Principibus saltem suis, imò & sæpe alienis, ministrabant Hebræi? nemo nescit. Quid ergo tam hic seuera prohibitio inducitur? Non interdicitur quæuis seruitus, sed sacrilega: non dulia, sed latria: prohibet Deus, ne Principis profani Aulæ Hebræi addicerentur: apud quem sacrilega etiam adulatio locum haberet: ne nimio placendi studio, adulationem in idololatriam commutarent, & Principem, Deum dicerent, & instar domestici numinis adorarent. *Adulatio erga Principem in idololatriã vertitur.*
D.Augustinus ibi, quæst.66. *Hic non video, quid* D. August.
intelligatur, nisi Principi, qui pro Deo colitur: non enim ait δουλεύειν, sed λατρεύειν, quod Latinis non solet interpretari, nisi vt dicat seruire: plurimùm autem distat: nam seruire hominibus, quò serui seruiunt, (quod non est λατρεύειν, sed δουλεύειν) Scriptura non prohibet: seruire autem secundùm id, quod est λατρεύειν, non iubet hominibus, nisi vni vero Deo, &c. non solum autem hoc verbo, quod ait λατρεύειν, satis significat, quem Principem dicat, id est, cui cultus tanquam Deo exhibeatur: verùm etiam eò quod adiungit: Et non profanabis nomen Sanctum, &c. *Opportunissimè autem hic adiungit:* Ego Dominus, *hoc vtique admonens, quod illi soli habetur λατρεία, id est seruitus, quâ seruitur Deo.* Verba Græca quæ intermiscet Augustinus, iam nouitio Lectori, Latinis characteribus suprà, per latriam, & duliam explicaui. Tam grande est Aulæ periculum, ne seruitus siue dulia Principi exhibita, succrescente palpatione, in latriam siue Numinis adorationem conuertatur. *Aulicis Princeps pro Deo est.*
Verissimum enim est, quod initio huius operis ex
Oleastro ad cap.2. Exod. dicebam, de Aulicis: *Vt* Oleaster.
voluntatibus Regum obtemperent, Dei mandata non curant, & Principes pro Dijs colunt.

Quæres, quidnam sibi velint huiuscemodi 1143.
Adulatores; & quorsum tendant, dum tam anxiè mendacissimum hoc delirium, infœlici Principi conantur persuadere? Relictis aliarum adulationum causis, commodo scilicet proprio, irrisione: aliam in hoc negotio putarem non spernendam. Mortales illi, & Aulici præcipuè, qui semetipsos in Deos promouere non possunt, id solent dili- *Cui tamen propterea seruitium imponunt.*

gentissimè procurare, vt saltem Principem suum, industriâ humanâ euehant in Deum, vt iam Numen colendum potiùs illorum libito, quàm diuinitatis naturâ consecretur: quo quasi concessæ consecrationis debitor, ad eorundem arbitrium, & quasi acceptis legibus moueatur. Irruit in domum Michæ caterua Iuuenum de Tribu Dan, armis accincta, & Idolum, eiúsque comptum, simul cum Sacerdote rapuerunt, Iud. 18. vers. 18.
Iud. 18. 23. cæteris ditissimi viri spoliis prætermissis: accurrit paulò post Michas, accepto damno impatiens, & raptores fusis lachrymis, & lugubri clamore insecutus, audit ab illis: *Quid tibi vir? cur clamas?* Vers. 23. Ad quos tunc Michas: *Deos meos, quos mihi feci, tulistis, & Sacerdotem, & omnia quæ habeo: & dicitis, quid tibi est?* Vers. 24. Visus cum querelis mendacia immiscere: nihil illi, præter iam dicta, ereptum legitur: cur ergo addidit, *& omnia quæ habeo?* Nec tamen miser sub tantâ mentis fallaciâ, putat se mentiri: omnia sibi, cum ereptis Diis, quasi erepta dolet,
Vatabl. quia præ illis, cætera pro nihilo ducebat. Vatabl. ex Hebr. legit: *Quid vltrà mihi est?* Quod sic ibidem explicat: *Quid mihi putatis esse reliquum? abstulistis quæ erant mihi charissima.* Disce obiter, quanti facienda sit veri Numinis, contracto peccato iactura: quando ablatum falsum, tanti sit obcæcato Idololatræ. Ad rem. Ita ne? Idola lignea, lapidea, & ad summum ex pretiosiori aliquo metallo confecta, iam ablata, eo dolore prosequeris: quasi cum his omnia, etiam cor, tibi eripi fatearis? Ego non miror: pende enim, quod dixit: *Deos, quos mihi feci, tulistis:* Dij nimirum erant, quos ad libitum suum ipse fecerat: vnde eos sibi obedientes, & scelerum, turpitudinumque patronos, habere videbatur. Exemplo res patebit.

Iactura Dei, quanti nobis facienda.

1144. Si scortator obscœnissimus erat Idololatra, Venerem sibi adorandam collocabat: si latrociniis incumbens, Mercurium construebat: si ebrietati indulgens, Bacchum à se formatum venerabatur: Martem, si vindictæ & crudelitati ac cædibus studebat: & sic de aliis, nullum quippè vitium, quod in aliquo priuato Numine fœdiùs non daretur. Hinc, tantùm aberat, vt Idololatra, in vitiorum exercitio, turpis sibi videretur, quin potiùs religiosus probabatur: quis enim religiosior cultus, quàm adorati Numinis imitatio?
D. Cyprian. Grauiter Cyprianus epist. 1. *Deos suos, quos venerantur, imitantur: fiunt ipsis delicta religiosa.* Sic libidines adulteria, Veneris meretricis sacrificia putabantur. Latrociniis, furacissimo Mercurio faciebant: humanum ex vindicta sanguinem sæuo Marti libabant: & tentatos pedes, vinctas linguas, captas mentes, ora vomentia, bibacissimo Baccho consecrabant. Quid-ni ergo in Diis suis, quos ad libitum fecerat, tecta sartáque sua omnia, iactaret Michas, in quibus vitiorum omnium non solùm velamen, sed etiam licentiam sibi construxerat? Tales puta Adulatores; vitiosissimum aliàs Principem solent consecrare, quem deinceps imitantes, impunè indulgeant vitiis: imò delicta ipsa iam habeant religiosa. Et quidem non sub hâc impudentiâ hodie, Orbe iam minùs barbaro, res peragitur: in simile tamen imitationis malum tendit adulatio, dum improbi Principis delicta, quasi egregia gesta, commendant Aulici.

Culto turpi Numine, fiebant ipsa delicta religiosa.

1145. Quando perfidus Populus, absente Moyse, & diuinis commerciis occupato, Deos in viæ duces postulauit: non dixit, *da* vel *ostende* nobis Deos: sed; *fac nobis Deos qui nos præcedant:* Exod. 32. vers. 1. Nec immeritò, addunt *nobis*; si enim illorum arbitrio fiebant Dij, iam necessariò diuinitatis debitores, facientium vtilitati & voluptati cessuri notabantur. Educitur tandem è conflatorio (lepida quidem Numinis officina) vitulus singularis, vers. 3. & exclamant ebriis choris cultores insanissimi: *Hi sunt Dij tui Israël: qui te eduxerunt de Terra Ægypti.* Vers. 4. Pertermitto amentiam Idololatricam: illud stupeo, quòd vnum tantummodò vitulum cernentes, multorum Deorum nomine concelebrent. Quid ita? Notissima est responsio D. Chrysost. Hom. 5. de Pœnit. *Vt ostendat, quod non modò, quem videt, adorat: sed Deorum pluralitatem annuntiat: sententiam interpretatur, non quod videtur, indicat.* Id tamen mihi difficile, cur in hoc vno, quem videbant, iam Deorum pluralitatem annuntiarent: sícque collætentur ludis & choris adhibitis, quasi in vno, iam plures Deos sibi interpretandos, fuerint contestati? Respondendumque, ni fallor, vnum esse, sed quem ipsi fecerant, cui diuinitatem concesserant: vnde miser Deus, tanquam debitor, iam instar vilissimi mancipij, quasi in plures se redacturus præsumebatur, vt tot dominis, imò tot, vnius cuiusuis Domini, & promotoris sui, variis libidinibus posset deseruire. Huc scilicet tendit quisquis, vel manu faciente, vel adulante linguâ Deum consecrat, eum sibi, cui propitius fuerat, reddere obæratum, imò & in diuersa obsequia obedientem.

Deus ab hominibus factus hominibus obediat necesse est. Exod. 32. 1.
Vers. 3.
D. Chrysost.

1146. Hinc ad Dominum Dauid: *Deus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Psalm. 15. vers. 2,
Psalm. 15. 2. Neque enim planè & simpliciter vt sonat, videtur capiendum: aliàs, quisuis diuitum, erga pauperes, quorum bonis non indiget, Deus putaretur habendus: sed id significat sanctissimus Propheta, ideo Deum nostrum, verissimum esse Numen, quia hominum bonitate, & creaturæ beneficâ propitiatione non egebat: ideo vertit Aquila: ἀγαθωσύνη μου, οὐ μὴ ἐπὶ σε, *quoniam bonitas mea, non est super te.* Quò maximè discrimen, inter verum, & falsos Deos declaratur: ille enim, quia talis est, naturâ ipsâ, necessariò bonitate creaturas antecedit: hi autem, qui vt Dij, saltem titulo tenus habeantur, hominum egent beneficio, benefactoribus suis de bonitate cedant, necesse est, iam enim meliores sunt te, per quos boni tituli gloriam, vtcunque comparas. Acutè Tertullianus Apolog. cap. 5. de hâc re, licèt non ad hunc locum locutus, sic ad Romanum Senatum: *Facit & hoc ad causam nostram, quod apud vos, de humano iudicio, diuinitas pensitatur: nisi homini Deus placuerit, Deus non erit: homo iam Deo propitius esse debebit.* Nihil insanius, quàm quòd Deus, qui propitius cæteris credi debet, propitiis egere hominibus existimetur. Fœlicitati ergo non paruæ, vt ita dicam, his Diis dandum est, quòd trunci & insensibiles colerentur: nam si quomodolibet viuerent, infælicissimi degerent, & anxij; vndique, vt iis hominibus inseruirent, vt multiplicibus horum votis satis facerent, à quibus tanquam melioribus, acceptæ diuinitatis ratione dependebant. Vnde iam patet infœlicissimos esse Principes, qui ab Adulatoribus suis diuinitatem

Hominibusque, misero illo Deo, iam essent meliores.
Aquil.
Tertul.
Cui, & propitij habebentur.

acci

accipiunt: Nam viuentes, propitiis adulatoribus serui esse debent: qui dum se Deo suo iactant meliores, eundem sibi obedientem præsumunt necessariò.

1147. Patebunt quæ hucusque dixi, ab anxiâ illâ sollicitudine, qua Iudæi, Messiatum, & diuinitatem Baptistæ attribuere satagebant. *Miserunt Iudæi ab Ierosolymis, Sacerdotes & Leuitas ad eum, vt interrogarent eum, tu quis es? & confessus est, & non negauit, & confessus est, quia non sum ego Christus.* Ioan. 1. vers. 19. de quo grauiter D. Chrysostomus ibi, in Caten. *Indignum existimabant, subijci eum Christo, propter multa, quæ Ioannis claritatem demonstrabant: quorum primum erat, genus illustre, Principis enim Sacerdotum filius erat: deinde dura educatio, humanorum despectio: in Christo autem contrarium &c. mittunt ad eum, opinantes, per blanditias eum allicere, ad confitendum se Christum esse.* Homines nimirum de Abrahamicâ stirpe superbientes nobilem sibi Deum affectabant, sub quo (si in hanc insaniam, à qua longissimè aberat, veniret Ioannes) iam tumidæ nobilitatis typhus, pro cultu haberetur: exterioribus deinde asperitatibus, non per virtutem (quod optimum est) sed per hypocrisim studebant Iudæi; exterminantes faciem suam, vt viderentur hominibus ieiunantes: & austerum Ioannem cupiebant; qui si Messiam se diceret, iam necessariò foret hypocrita: sub quo proinde iam hæ simulationes, quasi de Messiæ sui imitatione, sanctæ probarentur: & proinde iam illis forent delicta religiosa: ipsúmque Deum suum, vitiorum omnium velamen sortirentur. Quid ni ergo, per blanditias, hunc allicere procurarent? & bene, *per blanditias*, id est, non verè, sed adulatoriè: vt iam propitij Deo, quem vltrò faciebant, miserum Numen pro libito tractarent: nam ab his pendens, totum se, ad eorundem arbitrium conformare teneretur.

Ioan. 1. v. 19.
D. Io. Chrys.
In teque, sua proprie vitia consecrarent.

VII.

Arrogans Princeps, non solùm Deus, sed etiam Deorum creator, ventosâ adulatione vult haberi.

1148. CVm ea sit mendacissima, extremæ huius Adulationis, astutia, quam facilè mediocris prudentiæ Princeps posset exsufflare: eò tamen dementiæ, vt in littera dixi, venerunt multi Principes, vt callidis adulatorum blanditijs, stultissimi caperentur: tam est regio & superbienti cordi diuinitatis cupiditas infixa: de quo è sacris quædam iam subiungebam, quæ Regibus, non ita hodie stultescentibus, sed tamen innato ingenio superbis, doctrinæ pariter fuerint, & timori. Est itaque pene innatus regio cordi, morbus iste affectandæ diuinitatis: tanta enim, inter tot plausus excellentia, ignobilem se putat, & ingloriam nisi diuinis consequendis honoribus anhelet. Visus è cælo suo, partem aliquam non vilem, Deus transtulisse in terram, dum Paradisum constituit voluptatis: sphærarum saphiros, in pratorum commutauit smaragdos: & vt illas stellis, tanquam lucis floribus: sic istas floribus, tanquã odoris sideribus radiauit. Arbores frondibus excrescebant amœnæ, comptæ fructibus: fructus verò, coloris, gustúsque, suauissimâ vernabant varietate: riuis interim ab vberiori fonte perihepentibus, quorum participato humore, æternâ veris temperie, plantæ perennabant, cætera pari artificio disposita, si minùs inuidiam, æmulationem certè cælo commouebant. Sed quorsum, tanti operis impendium, quod licèt tacitè, diuinum planè Authorem publicabat? in Adami delitias: vt paratam domum, Adam iam iam creandus inueniret: vt non Palatium Rex, sed è contra Regem Palatium expectaret. Sic volunt & meritò SS. DD. Videbatur igitur in Paradiso ipso, humani generis Principem esse creandum, ibi animandum lutum, ne vnquam principem se videret Adam, quin in designato sibi palatio se conspiceret. Nec tamen ita factum: foris quippe producitur, deinde in Paradisum introducitur: ideo dicitur: *Tulit ergo Deus hominem, & posuit eum, in paradisum voluptatis.* Genes. 2. v. 15. Si iam ante paratum domicilium, Principi designatum: quorsum hæ moræ, vt alibi creetur, aliò transferendus? Respondet venerabilis Hugo Victor. ibi, apud Godefr. *In tali loco talibus referto delitijs, positus est homo, non creatus: quatenus beneficium Dei, non naturæ imputaret, sed gratiæ.* Quasi caueret Deus, ne Adam, se pene Deum existimaret: cui non gratiâ sed naturâ, sedes licet terrena, cælesti tamen similis, præsumptuosò assignata videretur.

Infram, Romana idoli, diuinitatis ambitionem auertere curat Deus.
Genes. 2. 15.
Hugo Vict.

Sed certè, neque sic etiam, protoparentes Principes cohibentur: & Eua, quæ necessariò (quamuis in Paradiso edita) marito ignobiliorem se agnoscebat: diuinitatis consortium affectat contumacior, attende. 1149. Cùm Auceps prodit, auiculas ad fontem capturus: priùs clamore, lapidibus, & plausu, illas fugat: interim tendit retia, celat cespite: túncque ficto modulamine, easdem reuocat: quippe, *frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Prouerb. 1. v. 17. Neque enim aduolarent illaqueandæ aues, si retia prænoscerent. At ecce tibi Dæmon serpentem indutus Protoparentes aggreditur tentaturus, & præmonstrati pomi ad esum, Euam sollicitat, subdens: *Eritis sicut Dij, scientes bonum, & malum.* Genes. 3. v. 5. O aucupem, dices, incautum! frustrà iacitur rete, ante oculos pennatorum: viliores etiam Philosophi, mero naturæ lumine, vnum tantum esse Deum agnouerunt: tu verò fæminæ, pro sexûs saltem conditione, illustratissimæ & prudentissimæ, Deorum pluralitatem (*sicut Dij*) inculcas: & speres credi, & capere præsumas? An non statim agnitis retibus, fallaciam tuam rideat, & exsibilet? bene est, inquit Dæmon, scio quid machiner: aues, retibus visis, ideo inludunt aucupi, quia ignorat iste escam sic pellacem, cui auidæ illæ per retia, per mortem soleant inhiare, vitam volentes pro gustu pacisci: ego autem diuinitatis qualis qualis, cibum, Euæ attemperans, voti compos euaserim necesse est: nesciet enim protoreginæ indoles morti non conniuere, si gustanda forte diuinitas præsumatur. Ita factum. Vnde D. Chrysostomus ibi, Homil. 16. *Ecce nihil, nisi escam: calicem enim, pernecialì veneno plenum, mulieri dedit: quæ letiferum hoc esse, videre noluit, poterat enim, si voluisset, ab initio hoc scire: sed vt audiuit ab illo, quod ideo esum hunc prohibuisset Deus, quia sciret oculos eorum aperiendos, eósque sicut*

Prou. 1. v. 17.
Genes. 3. v. 5.
Per ignes, per mortem, diuinitati ambitio humana anhelat.
D. Io. Chrys.

sicut Deus fore, scientes bonum & malum: æqualis diuinitatis spe inflatâ, magna quædam secum concipiebat, &c. Igitur vt diuinitatem mente sua imaginata est, ad esum properauit: & illuc postea fixit & cogitationem, & mentem: & nihil considerabat, quàm vt calicem à maligno dæmone temperatum epotaret. Et quidem Adam, Apostolo teste, non est seductus: neque tamen se potuit à cibo continere: diuinitas quippè (audi mi Princeps) aperto etiam dolo proposita, & scientibus propinata, violenter rapit, nec finitur præteriri.

1150. *Princeps varius non solum Deus, sed etiam Deorũ creator, vult haberi.* Sic ergo ab Adulatoribus, iam in Deum fictitium, promotus Princeps, iam eò tumoris venit, vt etiam Deos alios se minores, atque subditos, sibi creare præsumat: nec enim satis diuinitatis habere se putat, nisi diuinitatem priuatissimis communicet amicis, idque propriæ arrogantiæ indulgens, vt non solùm ab hominibus, sed à Diis seruiri agnoscatur. Humillimus erat Mardochæus, & tamen cùm totiùs Israëlis ruinam, ad oculum videret, quod Aman adorare recusaret, constanter perstitit, malens perire cum Populo vniuerso, quàm illi se prosternere: & subdit causam. *Libenter pro salute Israël, etiam vestigia pedum eius deosculari paratus essem: sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo.* Cap. 13. vers. 13. & 14. Vix in hoc sacro volumine aliquid obscurius. Non erant prohibitæ Iudæis vrbanæ adorationes, non solùm erga suos, sed etiam erga Ethnicos, vt ex mille locis sacris ignorat nemo: Cur ergo hìc reformidaret Mardochæus adorare, quasi inde veri Numinis religio violaretur: nisi quia Aman ab illo, non vrbanam, sed sacrilegam quasi Deus, adorationem exigebat? Sed vnde, inquis, Deus Aman? audi sodes. Monarcha Persicus, à suis pro Deo cultus, vbique pueris legitur: illud singularius addo, non pro quali quali Deo haberi, sed pro Ioue, Deorum scilicet Domino, atque patre, id est, pro summo Deo: vnde absolutè *Persarum Deus* pro Monarcha Persico sonabat, quasi is tantùm velut præcipuus, antonomastice illis Deus haberetur. Æschylus, in Pers. sic quendam inducit alloquentem:

Est.13.13.

Æschyl.

——— *Salue Dary vxor.*

Dei quidem Persarum coniux, & Dei mater. Et paulò post eundem vocat *Persarum Deum Susigenam.* Cùm ergo summus Deorum Iupiter putaretur, minores Deos, quos vocabant *Indigetes* solitus creare, Assuerus etiam ne quid minùs Numinis habere visus esset, Aman quem in Surenam euexerat, etiam Deum indigetem creâsse, existimandus, vt ab illo coleretur, quem cæteri tanquam Deum adorabant: à quo proinde Idololatrico cultu, etiam cum totius Populi strage, meritissimò Mardochæus abstinebat. Vide plura apud Serarium. Huc vsque ventosa adulatio, insanissimos Persarum Monarchas euehebat.

1151. *Princeps imprudens, amicos suos, vltra modum euehere præsumit.* Non eò dementiæ, sub cultiori iam sæculo, Principes, quos instituo, deueniunt: caueant tamen, ne ex familiarioribus aliquos sic promoueant, & eò fastigij iniquissimè adducant, vnde despectis cæteris insolescant: immane enim quãtùm Aulicis aliis & populorum turbæ, hi tales, immodicæ reuerentiæ sint, timorique: vnde etiam per diuinorum præceptorum violationem, per Numinis contemptum sibi obtemperandum, tàm impiè exigunt, quàm faciliè consequuntur: quasi à Principe iam Deo, in Populi, minutiora idola, conformentur. Erexerat Nabuchodonosor statuam auream vniuersis prouinciis adorandam: recusantibúsque sanctissimis pueris Hebræis, subdit iratus: *Verène Sidrach, Misach, & Abdenago, Deos meos non colitis, & statuam auream quam constitui, non adoratis?* Dan. 3. vers. 13. Si statuam, & à se factam fatebatur, quid illi inesse Numen contendebat? Ioannes Tzetzes Chil. 7. hist. 136. post alia de priscis Regibus, sic scribit: Ἀσσύριοι καὶ Πέρσαι γὰρ, τοὺς βασιλεῖς θεοῦσιν, *Assyry Persaque Reges suos consecrant, & deificant.* Quod ex aliis Authoribus etiam est verissimum. Iam ergo ab Assyriâ suâ adulatrice in Deum promotus fuerat, atque pro Deo cultus Nabuchodonosor: Quid ergo miraris, si eò deinceps deueniat arrogantiæ, vt etiam aliis diuinitatem contendat communicare? At longè iste insanior, prædicto Persâ: Assuerus enim hominem in Deum studuit promouere: Nabuchodonosor autem hominis statuam: stultum, spiranti Aman diuinitatem credere attributam; sed insensibili statuæ, stultissimum. Parum id, vnam statuam erexerat, & tamen non Deum, sed *Deos* appellauit: Credo quia vni, varium multorum Deorum cultum, volebat adhibendum. Sed audiendus Simeon Metaphrastes Orat. de Tribus Pueris. *Rex ille Babylonis, felici rerum successu, & infinitus diuitiis, & multitudine eorum, quas subiunxerat, gentium, in superbiam elatus, & valde inflatus; & propemodum propter leuitatem, se Deum esse apprehendens: propemodum se vel Deos, eo ipso die putabat posse fingere: & suarum manuum opera, Deos contendebat efficere.* Irridendus planè est Princeps, qui virum alias aut bellica virtute, aut prudenti literatura instructum, sic immodicè prouehit, sic cæteris, vltrà omnem modestiæ lineam præponit, vt cum Assuero, Aman quendam, falsum scilicet Deum edidisse videatur: at vbi, nisi cum Nabuchodonosore collocandus Princeps ille, qui hominem ignauissimum, merum scilicet truncum; germanam statuam, miseris populis proponit adorandum?

Dan.3.14

Ioan. Tzetz.

Tunc maximè ridiculus cum indignos sic promouet.

D. Simeon Metaphr.

Sed habet hoc, Principis arrogantia enormior, postquam iam Adulationum flatubus, Deum se somniat, vt eò se putet digniorem diuinitatis largitorem, quò is indignior fuerit, cui elargitur, vt quemadmodum verum Numen, inde & liberalius creditur, & potentius, quia de nihilo creat; sic iste, quodammodò de nihilo, suas videatur edere creaturas: quas deinceps vt maiori sint Populis reuerentiæ, ipse easdem vtcunque reuereretur. Sic stupidum metallum, *& manuum suarum opera, Deos contendebat efficere* Nabuchodonosor: nec id satis, sed, *Deos meos* ait, quasi sibi colendos, vt deinceps impensius Populo colerentur. Nihil stultiùs, aut magis irridendum: vnde benè D. Ioannes Chrysostom. Homil. de Trib. Puer. in forn. tom. 6. ita ad hunc locum. *Desine ab hâc insipientiâ, ô homo: pudeat te ignominiosæ adorationis imaginis istius: si enim tu imaginem edidisti, quomodò ea, quæ fecisti adoras? qui nam aliorum opifices esse debent, homines ne Dei, an hominum Dens? Si enim veri Dy sunt, illis opificy, ac creationis dignitas conuenit.* Huc faciunt, quæ suprà, de Ministrorum electione disserebam. 1152. *Cum tamen indidem, miser Princeps se iactet potentiorem.* D.Chrysost.

Tibi

1153. Tibi ergo, mi Princeps, qui tot adulationis damna, pestes sæuissimas cupis euitatas, infixa saltè maneat historiola illa auctoris Apophthegmatum, in Agesilao, de quo ita. *Vbi legisset honores, quos legati Thasiorum, ad illum detulerant, percontatus est: num illorum Patria potestatem haberet, ex hominibus faciendi Deos? cum illi respondissent, habere: age dum, inquit, primum vos ipsos, Deos facite: id si præstiteritis, tunc vobis credam, quod me quoque Deum, facere poteritis.* Nihil tibi honoris immodici, quo ipsi carent, conferre poterunt Adulatores: aut vnde tibi, nisi per mera verborum ludibria, id præstiterint, quòd sibi nullatenus poterunt præstare? Quàm rides Ethnicos Principes, qui olim auguria obseruantes, ab auium volatu, *plumea salutis*, (vt ait D. Zeno) statum inquirebant. tàm ludibrio habe recentiores hos Reges, qui ab Adulatoribus verba aucupantur: prudenter enim Stephanus Cantuariensis in Sylua Allegor. ad 4. Reg. cap. 21. dixit: *Obseruare auguria, est adulationibus intendere: per aues enim intelliguntur adulatores, qui leues sunt, & omni vento cedunt.* Quàm ridiculum in leuissimis auibus, diuini ponderis aliquid præsumere: & ab his cælestia arcana sperare reuelanda, quas ad solam terrenam escam, vilissima conditio deponit: tàm est stultum, sublime aliquid ab Adulatoribus sperare, quos ad abiectum lucrum inclinat spes turpis: & inde captare graue, & solidum aliquid, vbi ventosa solummodò inanitas reperitur: quâ tamen, non tàm pleni, quàm tumidi, prædicti Ethnici Principes, in tantum præcipitium deuenere.

Adulator, fua verbis reuincendus. Author Apophtheg.

Stephan. Adulatio, instar augurij, fugienda.

VIII.

Superbus Princeps, & si Deus haberi non contendat: Deo tamen insultare non erubet.

1154. NOn possum abire, quin Principes admoneam grauissimi periculi quod ab hac arrogantiæ peste ab Adulatoribus conflatâ, incurritur frequenter: licèt enim non eò impietatis sacrilegæ vt plurimùm deueniant, quâ diuinitatis participes se iactent: eò tamen dementiæ sæpissime impingunt, vt cum Deo de gloriâ decertent, & homines, multa sibi conentur arrogare, quæ solùm diuinæ naturæ iure conceduntur: quasi cum immortali Numine, mortales contendere, excellentiæ regiæ debitum præsumant. Adnecto vero hoc monitum præsenti Notationi, tùm quia superioris corollarium, tùm quia hos Principum fumos, (quamuis id ab exemplis, quæ adduxerim non exprimatur) adulatoriis flatibus exortos, nemo non videat; neque enim tàm immanes spiritus foueret Princeps, ni semper ad fastus regij palatum, temperata verba, Adulatores intemperanter insusurrarent. ad rem. Cur Palatij excultissimi, Paradisi nimirum fabrica Adamum præcederet, vidimus paulo ante: adhuc tamen dubium, cur Creaturarum omnium terrenarum Princeps, omnibus iam posterior producatur: vt non solùm musca vilis, sed etiam vilior maltua, Adamum originis antiquitate præcedere agnoscatur. Et quidem humanus pictor, postquam eximiâ curâ, & totius artis industriâ, destinatæ imaginis partem præcipuam perfecit, cætera deinde leuiter, & quasi ludente pennicillo iam describit. Cur ergo non ita Deus: sed cæteris iam absolutis, tunc ad præcipuum operis scopum recurrit, dicens: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram?* Genes. 1. vers. 26. Respondet optimè Procopius: *Ne gloriaretur, & se quasi iactaret cooperatorem Dei.* Ea enim foret Protoprincipis arrogantia, vt Deo quasi indigo, cooperationem suam præstitisse se diceret: & æternæ sapientiæ, si minùs præmonstrâsse, saltem iuuisse artem, effutiret. Et fortasè; propterea Euam, quæ postea formanda erat, ab eodem consopito eduxit Deus: ne si vigilaret, creber, summo artifici, obstreperet: nec vnquam satis contentus, nouas identidem rationes, in vxoris præscriberet formatione: nunc id addendum, nunc illud adimendum, suggerens importunè.

Princeps arrogans, Dei auxiliatorē, se præsumit.

Genes. 1. 26. Procopius.

Infestabant ranæ Populum, & penetralia Pharaonis, & importuno coaxatu aures adulatoriis pridè blandimentis delinitas vulnerabant fœdissimè. Vocantur in antidotū Moyses, & Aaron & amouendæ plagæ tempus, pro libito præscribendum, concedunt Pharaoni, dicentes: *Constitue mihi, quando deprecer pro te, & pro seruis tuis, & pro Populo tuo, vt abigantur ranæ.* Exod. 8 vers. 9. Quis non putaret statim abolendam hanc plagam, Principem rogaturum? at ille, *Respondit, Cras.* Vers. 10. Quid ais, mortalium stultissimè? Subitum tibi, ore Prophetarum suorum, remedium, spondet Deus: neque auidus arripis, sed in crastinum procuras remorandum? Amenti quadam superbia laborabat: mallebat torqueri diutius, quàm se Deo fateri debitorem: si fortè interim Maleficorum suorum industriâ, aut occultis naturæ causis, cessaret plaga: neque se à potentiori Numine curatum fateri cogeretur. Dionysius ibi. *Quare non dixit statim in hâc horâ, sed distulit tantæ afflictionis remotionem, in crastinum? Respondetur, quòd fortasse aliqualiter confidebat, quòd plaga illa interim per se cessaret.* Ac si regium typhum dedeceret, diuinæ opis se indigum apertè exhibere. 1155.

Exod. 8. 9.

Vers. 10. Sèque, diuinæ opis indigum fateri, erubescit.

Dionys.

Instat deinde Moyses indutus Deo, & repetitis plagis, propriæ ignauiæ, obduratum Principem, reddit certiorem: qui tunc excandescens ad illum: *Recede à me, & caue ne vltrà videas faciem meam: quocunque die apparueris mihi, morieris.* Ibidem cap. 10. vers. 28. An non videbat infaustissimus Pharao, posse Deum, Ministrum, per quem, maiora longè miracula, ediderat, facillimè ab eiusdem manibus liberare? Quid ergo insanissimus mortem minatur illi, à quo, tot vitas, suis, ereptas condolebat? Princeps erat, & ideo superbissimus: & præsumebat adhuc, posse se in vno Moyse occidendo, vices Deo rependere, à quo tot suorum neces miserrimus tolerârat. Dionysius ibi. *Moriere: hoc est, occidi te faciam. Hoc solitâ temeritate & præsumptione protulit Pharao: quasi Deus, qui tot, & tanta miracula per Moysem fecerat, non potuerit eum, coram Pharaone positum liberare à morte.* Sic licèt immanius, & impium magis videatur, si se Deum crederet: æquè tamen videtur stultum & ridiculum, quod fassus hominem, sese Deo opponere contendat. O regiæ insolentiæ delyrium! sed quid, inquis, est illud, quò Primogenito 1156.

Exod 10. 18

Et temerarius, se inuicto Deo potentē profitetur.

Dionys.

nitorum morte attonitus, dimissurus iam Populum, subdit Pharao: *Surgite, & egredimini a Populo meo &c. Oues vestras, & armenta assumite, vt petieratis: & abeuntes benedicite mihi.* ibidem
Exod.12.31. cap.12. à vers.31. Nunquid iam resipiscit: & humilis, quasi à valentioribus orat benedictiones? O vtinam: nescit tamen regia ceruix sic inflecti: non rogat benedictiones indigentiæ, sed laudis: non mendicat remedium, sed venditat liberalitatem. Pulchrè iterum Dionysius. *Benedicite mihi: id est, gratias agite, quod ita licentio vos.* Quasi Populi Israelis libertas, non diuinæ potentiæ, sed regiæ beneuolentiæ, tribuenda: nec tam coactus, quàm munificus illos manumitteret, à quibus proinde, gratiæ & illæ ingentes, pro licentiâ tantâ debentur. Sic tumidissimus à cælo afflictus, quò abiectior deponitur, rebellat audacior.

Sibique tumidus, de diuino beneficio, gratias exposcit.

Dionysius.

1157. Scilicet, est hoc, effrænatissimæ Principum superbiæ, monstrum vsitatissimum. Quis non miratur ænigmaticas illas Regum, siue Regnorum figuras, Danieli cap.7. obiectas? Prima bestiarum, sæua leæna, tot cultellis, quot dentibus armabatur: quos interim euibratâ creberrimè linguâ visus acuere: manus, nouaculis magis, quàm vnguibus, cerneres obarmatas: & ne vel in aere præda tuta foret, *alas habebat Aquilæ.* v.4. Quis non exhorreat volitantem leænam, aquilam rugientem? Sed esto bono animo, dicat aliquis: adest diuina punitio vindicis Numinis: &, *euulsæ sunt alæ eius.* ibidem. Quid tamen tunc, si sæuior ferocit vulnerata, & insurgit monstrosior? pende, quid eodem versiculo addatur: *& super pedes quasi homo stetit.* Quo ruis Bestia? demptis alis, vultu in terram prono agere debebas, & quadrupes vilissimo pastui incumbere: vni, bipedum, homini conceditur, cælum suspicere: vnde quidam de Deo:

Dan.7. v.4. *Princeps, quò à Deo abiectior deprimitur, eò rebellat superbior.*

Os homini sublime dedit, cælúmque videre
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Quid ergo quadrupes, in cælum respectura, bipes
Ricard. Vict. erigeris? Respondet venerabilis Ricardus, apud Tilm. (quem in alio opere libatum, cumulatiorem reddo) ad hunc locum. *Suprà pedes stetit vt homo: grande spectaculum, sed fædum miraculum, videre quadrupedem bestiam, leoninam denique formam, se suprà duos pedes, contra cælum erigere, & contra naturam, erectam stare. Quæ est ista erectio monstrosa: nisi enormis quædam & nimis detestanda superbia? contra cælum se erigit, qui diuina iudicia reprehēdit.* Igitur ad rem nostram. Non potuit Principis superbia, & iam auulsis pennis, punita, monstrosior non insurgere, & in Deum sub nouâ formâ rebellare. Vt deinceps in cæteris quæ ageret, non Deo, sed sibi gloriam attribueret.

1158. Animatus iam Saul, animosi Iuuenis verbis, vt huic prouocandi gigantem concederet facultatem: regiis suis armis Dauidem induit: at iste armatus, & tentans si posset sic incedere: respondet: *non possum sic incedere: quia non vsum habeo: & deposuit ea: & tulit baculum, quem semper habebat in manibus.*
1.Reg.17.39 1. Reg.17. vers.39. Tantum ne ponderis armatura illa habebat, cui robustissimi adolescentis vires cederent. Non crediderim: gestarat enim illam facilè Saul, qui tamen multis numeris, si robur spectes, cum Dauide, non veniat comparandus. Cur ergo non solùm tractandi arma illa, vsum sibi fatetur ignotum: sed insuper quasi gestato onere oppressus, non posse sic incedere asseuerat? imò, cur Deus, qui tot Dauidi iam concesserat, plura concessurus, tractandæ subitò armaturæ non adaptat? Putarem licèt longè grauiora forent arma, si tamen Saulis Regis non forent, facilè Dauidem armatum, quo vellet, & quomodò vellet, processurum: neque fortasse, tractandis illis, vsum, Iuueni denegandum: noluit tamen Deus, vt mirabilem de Goliath victoriam, Saulis instructus vtcunque armis, reportaret. & cur ita? Audiendus D. Ioannes Chrysostomus tom.6. Cóc. de Imper. & Potest. vbi ita. *Ipse, Rex arma sua dedit: verum ea Dauid gestare nō potuit. Quam ob rem Deus hoc non concessit? Ne fortè Saul diceret, vicerunt arma mea: abiicit arma David, & fide se armauit.* Quasi non solùm Deo, tanti triumphi gloriam non esset attributurus, sed etiam armis communicatum à se robur existimaret, quibus deinde Dauid, tam arduum posset negotium fæliciter peragere.

Sibique virtutem, communicandi aliis roboris, assumit impudenter.

D. Io. Chrys.

1159. Auaritiæ febribus exæstuat Achab, & eripiendæ vineæ, misello Naboth, immoritur desideriis. Quid hoc Rege vilius, quem paruæ hæreditatis cupiditas in immensum sic torquet? Apparantur remedia saluti Principis, sed, dictante impiâ Iesabele, innoxio pauperis sanguine, constitura: parum id foret, si simpliciter per calumniam, inuidia Innocenti conflaretur: pende tamen verborum sententiam, quibus falsum testimonium præcipit componendum: *Benedixit Deum, & Regem: educite eum & lapidate, sicque moriatur.* 3. Reg. 21. v.10. Ita ne? sic pusilli cordis Rex, qui viniolæ desiderio contabescit, eos aliunde animos spirat, tanto inflatur spiritu, vt credat, posse se Deo componere: blasphemiámque in Deum, atque in Regem, rectè coniungi, quasi perinde, Populo & Iudicibus accipiendam: vt per horrorem scelerum, eodem iuberent supplicio puniendam? Planè: qui enim abiectissimus erat sordibus auaritiæ, aliunde sic inani superbiâ intumuerat: vt Dei, suámque iniuriam, in eadem serie collocandam, pari habendam horrori, præsumeret ventosissimus. Et quidem iniuria, è personæ læsæ grauitate aggrauatur: iam ergo se in personæ dignitate Deo conferebat, qui acceptam contumeliam, sub eodem tenore copulabat. Subsannat id prudentissimâ ironiâ D. Ambrosius lib. de Nab. cap.11. sic scribens. *Benedixit, inquit Deum & Regem, æqualis videlicet persona: vt sit æqualis contumelia.* Expende adhuc, maledictionem contumeliæ, sub nomine benedictionis protulisse: *Benedixit* enim ponitur, pro *Maledixit.* Quasi tàm graue, támque immane vellet existimari crimen affictum: vt iam inter nefanda, nec verbo tenus proferenda, indiceret numerandum: eò enim superbiæ Princeps arrogantissimus deuenerat, vt nec etiam inter narrandum, intérque puniendum, *maledictionis* vocem in regiam personam exprimi pateretur: tanquam vel leui sono enarrantium, proprio nomine, contumeliam, regias aures, quibus nihil delicatiùs, lædendas, voluerit inculcatum. Idem D. Ambros. *Ne diuitem maledicti nomen offendat, & sermonis ipso lædatur sono; benedictio, pro maledictione vocatur.* Scilicet assuetus Adulatorum blanditiis, qui ne omē facere videantur, à mortis & cuiusuis calamitatis vocibus, abstinent coram Rege. Sed iam ad alia.

Ex iniuriâ diuinam non plus, quam humanam maiestatem, lædi putat.

D. Ambros.

Delicatæ superbi Principis aures, & minusa verba respuunt.

D. Ambros.

NO

Notatio XVIII.

De Principis Religione.

1160. Vidimus quàm impie, adulationum blanditiis allectus, Religionem Baltasar violauerit: vt non solùm contra Deum erigeretur arrogans, sed etiam haberi Deus, sacrilegus conaretur: Restat iam, vt apud Catholicos, id est Romanæ fidei Principes quos instituo, religiosum cultum opposito Parallelo commendauerim: quippe licèt apud omnes Fideles, Religio, siue veri Numinis cultus, necessarius & pretiosus habeatur: in Principe tamen pretiosissimus existimandus: quia reuerà suauissimo quodam tenore, reuerentiam & obsequium Numini præstandum, exigitur à Populis, quod vident à Principe suo, piissimâ seruitute coli & adorari. Ideo grauiter Plinius Panegyrista irrisis Imperatoribus illis, qui arroganter se Deos venditâtant, & in Deorum delubris, imagines suas adorandas iusserant collocari: sic ad Traianum: *Tu Delubra, non nisi adoraturus intras: tibi maximus honor, excubare pro templis, postibúsque prætexi: sic fit, vt Dy summum inter homines fastigium seruent, cùm Deorum ipse, non adeptus.* Nec enim potest Populus summa cum reuerentiâ numen illud non tractare, cui videt Principem, quem reuerentissimè habet se prosternere: inaccessibiléque fastigium Deo tribuit, quod nec Principi adipiscendum iam nouerit: cùm humilior & abiectior longè Princeps ipse, Deo excubet, quàm soleat Principi Populus excubare. In hoc tamen negotio, aliunde fusissimo, (relictis, vt soleo, illis, quæ pulcherrima, vtriusque paginæ politici Scriptores iam dederunt) breuior sic procedam, vt ea tantummodo attingam, quibus Catholicus Princeps, eò synceræ fidei redditur gratior, quò sit hæreticæ prauitati, & Nouatoribus impiis infensior: hinc enim iustæ Politices ratio dependet.

Religio in Principe, quã vtilis, & decora.

Plinius.

Monita Politica.

I.

Strenua Fides Principem adornat: neque miraculorum curiositati assuescit.

1161. In primis *Fidem* à meo Principe, iure exigo: sine quâ necessariò Religionis synceritas pereat, necesse est: Deum inuisibilem esse, Ethnicis etiam minus barbaris, natura ipsa monstrauit: si oculis credis de Numine, Numen tollis: singularius & occultius aliquid est, quàm caligantibus pupillis hominum committi possit, palpebris concludi. Sola Fides fæliciter cæca, augustum Dei penetrat sacrarium: & quem esse, & vnum, & bonum & sanctum, innato hominibus lumine, mens agnoscit: hunc occultioribus aliis mysteriis abditissimum, vna Fides, spreto rationis humanæ iudicio, lyncæâ perspicaciâ inuestigat: sic Reges sub libero iugo faustissimè captiuos ducens, reddit augustiores. Splēdidissimo radiantis stellæ ducatu, Deum natum Magi Reges inquirunt: sed vix Ierosolymitanam vrbem ingrediuntur, cùm vt apertè colligitur ex Matthæo cap. 2. v. 9. præuius splendor penitus subtrahitur: & quasi appetente Sole, oppetit stella, meliorisque lucis exortu, euanescit. Mirum dictu! Solis æmula, tot retrò diebus nitidior coruscârat, non tam à Sole hoc nostro hebes, quàm, eundem pene hebetem, redditura. Quæ ergo lux ista noua Solymitana: cui necessariò cedit stella tanta? Fides Prophetica, quæ ibi in sacris libris recondebatur: ad cuius perspicacissimam cæcitatem, necessariò sidereus ille aspectus caligabat, quasi longè tutiori Duci Principes iam commendans. D. Thomas Villan. Conc. 1. de Epiph. *Magis intrantibus Hierosolymam, stella disparuit; quoniam lucidioris Oraculi hemisphærium subintrauit. Quam ergo solaris fulgor obscurare non potuit, Prophetiæ claritas adumbrauit.* Vt iam intelligerent, ducatu fidei tutiùs, quàm externo signo, ad Deum recèns ortum fore deducendos.

Fides, feliciter cæca.

Matth. 2. v. 9

& inde illuminatior.

D. Thom.

1162. Nec minus aptè dixeris ad rem nostram, subtractum cæleste hoc Fidei subsidium, denegatámque Regibus stellam, quasi in pœnam, quòd Ierusalem ingrederentur quæsituri ab hominibus obuiis, quod clarius à cælo, per sidus, internæ fidei, suffragante docebantur. Cur enim quærant, à quouis obuio: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum:* v. 2. nisi quia adhuc in fide nouitij, (in præsepio longè firmius stabiliendi) non viderunt spernenda esse humanas rationes in eo negotio, cui & fides interna, & externum stellæ miraculum satis erant? Edocentur ergo à benignissimo Deo, subtractu sideris, ableganda humani consilij iudicia, quibus diuinum consilium radiabat. Pulchrè idem D. Thomas *Humanum flagitantes consilium, diuinum amisere ducatum: & conuersos ad terrenum documentum, caleste deseruit signum: grandi vtique, ac notando mysterio: vt qui fidei certo lumine ad Christum dirigimur, diem hominis, id est philosophicam lucem vlteriùs non quæramus: humana enim sapientia caligo, clarum fidei nostræ sidus potius obnubilat, quàm illustrat: quo fit, (vt experimento sæpe didicimus) vt qui nimiùm cupit esse Philosophus, facilè perdat esse Christianus. Propter hoc igitur, dum ab hominibus, nati Regis ortum inquirunt, eiusdem Regis fulgidum ducem amittunt.* Sic omnes, & maximè Principes, in his Regibus, Ecclesiæ primitiis, instituuntur: ad illa mysteria, quæ solâ fide attingi possunt, humanas rationes, tanquam necessarias non quærendas: licèt aliquando, quà fidei consonas, & suauiter naturam gratiæ concordantes, illas iucundè amplectamur.

Matth. 2. v. 2. Non humana rationis iudicio, sed diuino verbo stabilienda.

D. Thom. vi

1163. Nec immeritò tam heroicæ synceritatis fides exigitur ab his Principibus, ad religiosum veri Numinis cultum admittendis: quâ nimirum Infantem vagientem, strictum fasciis, bestiis stipatum, reclinatum in præsepio, tanquam verum Dei Filium adorare non erubescant: *& procidentes* inquit Euangelista v. 11. *adorauerunt eum:* quos enim humanâ & falsissimâ ratione delusos non

Suo iure, à nobis Deus, fidem exigit.

Matth. 2. 11.

non ſuppuduerat beſtias, metalla, lapides, truncos Idololatricè coluiſſe: cur, diuinâ iam fide illuminatos, ſuppudeat Chriſti vilitates colere, de amoris excellentiâ nobiliſſimas? Hinc Dominus Luc. 9. 26. dixit uos: *Qui me erubuerit & meos ſermones: hunc filius hominis erubeſcet, cùm venerit in maieſtate ſua.* Luc. 9. verſ. 26. id eſt, qui erubuit dici Chriſtianus, quod aſſumptam mihi humilitatem, Deo penitus indignam reputaret: hunc ego Maieſtatis meæ tempore ſic abiiciam, quaſi rubore perfundar, quòd illum tandiu inter homines eſſe pateret, nec ſubito fulmine pridem iam demergerem. Tam ne enormis culpæ fuerit, fidem prædicatam non ſuſcepiſſe? Sanè: & maximè ſi ad Ethnicos rem deducas: (quid fiet de Iudæis, quos fortior adhuc ratio conuincit, ab Scripturis?) cauſam vidit ibi Tertullianus lib. 4. cont. Marc. cap. 21. vbi probans, non phantaſtico Marcionis Chriſto, ſed noſtro hæc verba conuenire: ſic tan-Tertull. dem ad rem præſentem concludit, *Noſter hoc debuit pronuntiaſſe, minoratus à Patre, modico citra Angelos; vermis & non homo: ignominia hominis & nullificamen Populi: quatenus ita voluit, vt liuore eius ſanaremur, vt dedecore eius ſalus noſtra conſtaret. Et meritò, ſe pro ſuo homine depoſuit, pro imagine & ſimilitudine ſuâ, non alienâ: vt quia homo non erubuerat lapidem & lignum adorans: eadem conſtantiâ non confuſus de Chriſto, pro impudentiâ idololatriæ, ſatis Deo faceret, per impudentiam fidei.* Caue ſumas hic *impudentiam* vt ſonat, (quod ignorantibus nonnullis ridenda inde acumina eruentibus, vidi eueniſſe) ſed Tertullianicè, vt alibi ſæpe nôſti. Quaſi dicat: Non ſolùm vtcunque, cùm poſſet, venit Redemptor homines ſaluare, ſed per ſummas ignominias toleratas, quò ita homines aptiùs Deo ſatisfacerent: qui vt turpiſſimè peccarant, dum eos non ſuppuduit Idololatriæ, lapidem & lignum colentes: ſic glorioſiſſimè ſatisfaciunt, dum eos non ſuppudet fidei, Crucifixum quendam Deum prædicantis.

1164. *Fides obſeruata, Principem à periculis ſeruat.* Sub hac ergo generoſâ fide, Princeps meus, non ſolùm hoſtibus, cùm ad maiorem Dei gloriam expedierit, ſed etiam creaturis, quodammodò dominabitur. Mittuntur tres pueri Hebræi in fornacem ignis, illuſtrandi potiùs flammis, quàm exurendi: interim tamen impios carnifi-Dan. 3. 22. ces, *Interfecit flamma ignis*, Daniel. 3. verſ. 22. quò ſic fidelibus noſceretur adblandiri: vt vindictam in impios retineret. Percellitur impius Rex miraculi ſtupore, & inter pueros ambulantes, quartum ſimilem Dei filio intuetur: v. 92. Verſ. 93. nec his contentus: *Acceſſit Nabuchodonoſor ad oſtium fornacis ignis ardentis, & ait: Sidrach, Miſach, & Abdenago, ſerui Dei excelſi egredimini, & venite*, v. 93. O quò accedis Princeps? accedentes paulo ante carnifices ignis deuorat, nec times tibi, carnificum ſtimulatori, ab incendio. Vnde fiducia ne miniſtrorum inuoluaris ſupplicio, cui de mandato immani longè obæratior? audiendus D. Chryſoſtomus homil. 8. in opere D. Chryſoſt. 45. homiliarum, vbi ita: *O quibus te, incorrupta fides, triumphis extendis! adeſt tibi amica maieſtas, vt innocentia liberetur: patitur ſe Deus cum pueris in ſupplicio numerari, & poteſt Dominum videre ſacrilegus, ſed non permittitur noſſe, vt creſcat gloria puerorum: inſana enim mens in ſuis flammis parum crederet fortaſſe, ſi talem non diſceret defenſorem. Tunc exijt Rex ad oſtium fornacis ignis ardentis; nec cum propè fuerit poſitus, flammâ contingitur: neceſſariò enim ab ipſo igne cognoſcitur, qui Dominum cœperit confiteri.* Iam fidei aliquid participabat, dum liberatos pueros, ſeruos *Dei excelſi* appellauit: & qui, ni videret defenſorem, fortaſſe non miraculo, ſed flammarum ignauiæ rem tribueret: defenſore iam agnito, vt flammis non derogat, ſic multò maiorem potentiam Numini attribuit: ac proinde ſub his fidei rudimentis iam igni inſultare, haud temerè præſumit. O in quæ, ſub longè animoſiori fide, Catholicus meus Princeps non animabitur!

Credat mihi Princeps Catholicus, tantùm ſibi potentiæ detrahit, quantùm adimit fidei. Afflictus Moyſes Princeps, ſitientis populi clamoribus, opem à Deo implorat, à quo benigniſſimo audit, è percuſſo virgâ ſilice, fontem erupturum. Conuocato igitur populo: *Cùm eleuaſſet Moyſes manum, percutiens virga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aqua largiſſimæ*, Numerorum 20. v. 11. Sed quid ſibi vult Moyſes? an non viſus detrahere tantæ virgæ viribus, dum ictus multiplicat? Potuit hæc vno ictu virga, mare rubrum diuidere in parietes: ſingulari eleuatione, aërem in tenebras condenſare: & paſſim maiora edere miracula: Nec poteſt, niſi repetito ictu, aquas è ſilice extorquere potiùs, quàm elicere? Nimirum languerat in hoc opus Moyſis fides, vt habes v. 10. & 12. & languorem pariter potentiæ ſuæ affricauit inſtrumento: roborabatur in ariditatem ſilex, quia percuſſoris fides ignauior perurgebat. Bene D. Cyrillus ibi in Cat. par. ita: *At in Ægypto ſemel tantùm eadem virgâ, vel aërem, vel aquam diuerberans, miracula oſtentabat: nunc quia inſultanti populo ſuccumbens, de fide aliquatenus deturbatur, parum abfuit, quin Dominus negaret aquas de petra: tamen ad alterum vix ictum emanarunt, ne apud eam plebem improbam ſimul, & rudem, minus potens argueretur.* Vt iam putem moras illas, quas in expugnandis hæreticis, Principes Catholici non rarò patiuntur, languidæ horum fidei tribuendas: roborantur hæreticorum arma, quia Catholicorum fides ignaueſcit: ſerò vincimus ſub Crucis ſigno, ne fragilibus minùs potens videatur. Quaſi parum abſit quin Deus ob fidei noſtræ torporem ignauiſſimum, victorias denegaret.

1165. *Tantumque ſibi potentiæ adimit, quantum detrahit fidei.*

Num. 20. 11.

D. Cyrill.

Dum tamen & Magis regibus & Babylonico Principi, ſuperno miraculo totam fidem legis; & Moyſi ob hæſitantiam fidei, difficiliùs miracula communicari: caue cupias mi Princeps, aulicâ curioſitate, miracula à Deo, in fidei argumentum ſollicitare: generoſius hodie tecum agitur, quàm cum priſcis Principibus; nobilior haberis, dum abſque ſignis, fidelis commendaris: vbique enim verum eſt illud D. Chryſoſtomi tom. 6. orat. 2. Pentecoſtes, vbi poſt multa, de gratia miraculorum, ſic concludit: *Cur igitur ſubducta eſt, & ex hominibus illa gratia? non quòd ignominia nos afficiat Deus, ſed quòd honorem etiam deferat. Quo tandem pacto? ego dicam. Stolidiores erant tum temporis homines, &c. verumtamen ſenſibus obiectum ſignum prabet, quodque facilè ab infidelibus perſpici poſſit, &c. itaque ſignis quidem non indigeo: quid ita? quippe qui abſque ſigni largitione Domino credere didici: nam qui incredulus eſt, pignore indiget: ego verò credens, pignore minimè indigeo, &c. Itaque non*

1166. *A Principe fideli, miracula non optanda.*

D. Chryſoſt.

vt

vt fidelibus, sed infidelibus dabantur signa, vt fierent fideles: sicut ait Paulus Cor.14. &c. Videtis-ne Deum, signorum manifestationem subduxisse, non vt ignominia nos afficeret, sed vt honorem deferret? Laborat tamen adhuc Aula hoc vitio: nec se nobilitatis iactabunda, sentit ignobiliorem, quòd curiosa, edendis à Deo inhiet miraculis. Erubescat tamen Princeps, ne hinc maximè Herodi comparetur, qui cupidissimum videndi Iesu se iactabat, non alia ex causa, nisi. *Quod audiret multa de eo, & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.* Luc.23. vers.8. Et quidem solet Deus in curiositatem hanc Principum non leuiter animaduertere: & maximè, cùm instar Herodis, non tàm miraculis gaudent vt arctiùs teneant Iesum: quàm Iesum tenent, vt indidem miracula mutuentur. Attendat ergo meus Princeps, ad Ludouicum Galliæ lilium. Nota est historia.

Degener Princeps, miracula curiosius sollicitans.

Luc.23.8.

II.

Religio, à Principe, in subditos: Pietas construendis, & frequentandis Templis impendenda.

1167. IAm fide sic excultus meus Princeps, Religionis cultui sedulus assuescat: sciens non sibi tantùm, sed vniuerso Populo, in rebus ad Religionem pertinentibus attendere. Ducit, vt ad cætera, etiam ad Religionem, disponente sic Numine, Princeps Populum, vt ab vnius syncerâ Religione, aut vanâ superstitione, gentis suæ aut pietas, aut impietas si minùs pendere, impelli tamen non leuiter videatur. Grauissimum erat olim, veræ Religionis hominibus Circuncisionis præceptum: quod proinde meritò, importabile iugum, vocauit Petrus, Actor.15. vers. 10. & tamen Sichemitis nihil tale cogitantibus, sed liberi præputij iure gaudentibus, propositum, à Principibus Hemor & Sichem, sic auidè arripitur, vt positis proponentium verbis, addat textus: *Assensique sunt omnes, circuncisis cunctis maribus.* Genes.34. vers.24. In negotio tàm arduo, in doloris tanti vulnere, nec vlla, vt aiunt, faba nigra, contra Circuncisionem: nec singulare pro preputio suffragium reperitur, omnes quasi vnanimes consenserunt, dictum facto quodammodò præteruolantes. Et quot sunt minoris ponderis, (tributi verbi gratiâ, læuioris impositio) quibus Populus vniuersus, aut saltem pars eiusdem non minima Principi refragatur? Vnde ergo sic concors in durissimam obedientiam conspiratio? quia non aliud, sed de Religionis mutatione, negotium agebatur: etiam per characterem sæuissimum carni affigendum, putarunt Sichimitæ, vtrique Principi suo iam circuncidendo, promptissimè obedire, necessarium. Nescio enim, quid occultæ vis habeat Principis in hac re procliuitas, vt secum subditos rapere videatur. Oleaster ibi. *Quàm facilè, propter mandatum Principis, subditi religionem mutent: nouámque amplectantur, optimè docet locus iste: vt non simus, Christi aut Dei, Christiani, sed Principum. Quod Anglia, & Germania nostris temporibus ostenderunt: quæ statim Regem apostatantem secutæ sunt.* Hoc debet esse Catholici populi votum anxium, vt religiosa, Principis sui, fides, in tuto collocetur: apertissimè enim, permissa impietate, populi mores puniendos, prænuntiat Deus, si Principem in religionis errores dilabi patiatur, facilè sæuo contagio subditos infecturum.

Principis religionem, subditi imitantur.

Act.15.10.

Gen.34.24.

Vt à Principe, sic totius Populi religio, pendens videatur.

Oleast.

Est quidem singularissima Dei gratia, quòd in Principe, germanus veri Numinis cultus perseueret, sic enim pari deuotione à Populo audiuissimè retinetur. Expergefactus Noë, sciénsque quàm piè à duobus aliis fratribus, effrontis Cham impudentia fuisset retusa: sic ad Sem: *Benedictus Deus Sem, sit Chanaam seruus eius.* Genes.9. vers.26. Benedicturus filium, non tàm ipsum, quàm eiusdem Deum benedicit: quasi eximium aliquid in eo cerneret; vnde inter faustas acclamationes, Deo gratias necessariò reddendas existimaret. Ecquid illud? Lyranus ibi. *Vidit enim in spiritu, quod cultus vnius Dei, remansurus erat in filiis Sem, aliis ad Idololatriam declinantibus, quod non potest fieri sine gratiâ Dei speciali: ideo in benedictionibus Sem, benedixit Domino.* Vnus Sem tátæ prosapiæ Princeps, filiis, successuræque soboli, veram religionem indicturus, cui nimirum erat ipse addictissimus, vt per traditionem, paterna pietas, quasi hæreditaria, in posteros dimanaret, quod proinde Noë, meritò tanti fecit, vt ingentes iam gratias Deo haberet, absque cuius suauissimâ indulgentiâ, in successoribus illius familiæ Principibus gratia religionis syncerae non duraret, cui Populus proinde facilè adhæreret. 1168.

Gen 9.26.

Quantum sit Dei beneficium, quod in Principe syncera religio conseruetur.

Lyran.

Hinc fit vt sæpè Deus, in Principem religionis violatorem, & durius & celerius irruat, ne totius populi sacrilegia subsequantur. Post multa de Ozia rege, ita subditur: *Sed cum roboratus esset, eleuatum est cor eius, in interitum suum: & neglexit Dominum Deum suum: ingressúsque Templum Domini, adolere voluit incensum, super altare thymiamatis.* 2.Paralip.26.vers.16. Voluit superbus regium diadema, pontificiâ Tiarâ sacrilegè cumulare: hinc sceptrum populo, inde Deo thuribulum admouere: ideo benè non priùs, in neglectum dominum, quàm *in interitū suum,* erectus dicitur, profanatæ enim religionis piaculum, sic subitò punitur, vt quodammodò pœna culpam præuertere videatur: saltem sic rapidum hîc institit flagellum, vt pro præsumptione frontosâ, insanabili leprâ in fronte, subitò percuteretur: *Statimque orta est lepra in fronte eius.* Vers.19. Habes in Ozia, (vt suprà de Agag, dixi) Henricum Anglorum octauum, expressissimum, qui dum cum Rege, Papa etiam, sacrilegè dici tentat, tot plagis longè lepra percutitur sæuioribus, vt vxores fœdissimè mœchas decollare, adulteros vulgares pati cogeretur: in Orbis tandem peripsema, in sempiternum Angliæ opprobrium miserrimè deueniens: ab Ecclesia, ab Aula Dei Romana, cuius fuerat filius, non solùm vt immanis bestia, sed vt Dæmonis seruus, ab Antistitum Antistite eiectus: & legitimo olim regis titulo, tanquam spurius legitimè spoliatus, vt cum Ozia habitaret, *in domo separatâ plenus lepra.* Vers. 21. Donec inde ad Tartarum commigraret. Quidquid enim hæreticus Princeps à sceptro, à Palatio se iactet: tamen à sacris exul, verè leprosus & separatus denotatur. 1169.

Princeps, profanata religione, sæuius punitur, & celerius.

2.Par.26 16.

Vers.19.

Propugnat hucusque dicta, id quod statim 1170.

Pontifex Azarias, Sacerdotum suorum coronâ cinctus, protulit ad hæreticum iam Oziam: *Non est tui officij Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum.* Cit. cap vers.18. Oziam vocat, non Regem: quasi fulminato anathemate, à regio titulo degradatum hæreticum priuaret: donec tandem iam leprâ fœdum, quasi Pontificiis decretis Deo annuente, in domum separatam, *festinato expulerunt* à templo. Vers.20 Sed quid agis Pontifex? iratum & minantem Regem audis vers.19. Nec tamen times? sed esto non tibi timeas, dum Numen piè times, & religionem defendis: cur tamen, licèt impium Oziam, at Regem, reuerenter vtcunque non habes? quia iam sacrilegum religionis violatorem, non tàm Regem, quàm impudentem bestiam, & vilissimum Dæmonis mancipium reputabat. D. Chrysostom. Conc. de Imper. & Potest. tom. 6. *Ingressus quondam erat Rex Ozias Templum Domini, vt ibi incensum adoleret: & mox subsecutus est illum Pontifex Azarias, non, vt si Regem quendam extrudere voluisset, sed quasi fugitiuum & ingratum seruum, atque contumacem: tantâ cum vehementiâ impetum in illum fecit, tanquam generosus aliquis, ac sedulus Æditus, irruens in impuram bestiam, vt eam de herili domo abigeret. Non auscultauit Salomonis illud.* Prouerb.20. *Regis comminatio similis furori Leonis: Sed ad verum cælorum Regem, oculos attollens: cuius metu, tanquam vallo cum se muniuisset, ita in Tyrannum insiluit, non licèt, inquit, tibi Ozia, adolere incensum Domino. Non appellauit eum Regem: quoniam ipse semetipsum anteuertens, honore regio spoliauerat: Nam qui peccatum facit, seruus est, quamuis sexcentas capite gestet corollas.* Metuant Principes religiosè Pontificem, iure diuino hæreticos degradantem: & discant obiter Pontifices, quâ magnanimitate huic operi debeant studere.

2. Par. 26. 18. *Hæreticus cerenatus nō tam Rex, quam bestia, existimandus.*

D. Chrys. l.

1171\. Abfit ergo à meo Principe, ingressus similis Templi profanator: Templa frequentet, vt excubet venerabundus, vt in genua se prosternens maiorem fateatur Regem adoratum, cuius intuitu, præpositos sibi Sacerdotes reuereatur: támque sit longè à polluendis, vt potiùs nouis Numinini sacrandis Templis studeat, vt crebrior eidem cultus adhibeatur. Est hoc inter religionis opera, Principibus in primis commendabile. Subdiuiso rubro mari, vt siccus Israëli gressus præberetur, & confluente iterum hostibus inundandis, canens triumphator Moyses Domino Epinicium, sic subiungit. *Iste Deus meus, & glorificabo eum: Deus Patris mei, & exaltabo eum.* Exod.15. vers 2. Dignum & iustum gratias Deo reddere: Sed quantæ fiduciæ est, quòd putet Princeps iste sanctissimus, posse per homines Deum, non solùm glorificari, sed etiam exaltari? aut quod religionis opus poterit excogitari, quo excellentissima illa Maiestas, prudenter intelligatur quodammodò exaltanda? Pende quid ex Hebræo vertant aliqui: *Iste Deus meus, tabernaculum faciam ei.* Meditabatur iam Moyses, tabernaculum aliquod Deo construendum, vbi quasi in sede propriâ, impensiùs & religiosiùs, à populo coleretur: hincque exltandum, quia deuotiùs à populo adiretur. Scilicet non solùm pio cantu, sed etiam largâ manu, reddendas Deo gratias, nouerat Princeps: nec alibi gratiùs, quàm in erigendo altari, impendi religionem. Oleaster ibi. *Non sat est laudibus Deum extollere, nisi etiam Templum facias, aut ornes; volo dicere, nisi etiam externus ei seruias: ornanda sunt altaria, templum construendum, & omnia quæ ad eius cultum pertinent, multiplicanda, & decoranda.*

Templorum erectio, dignissimum, Principibus, opus.

Exod. 15. 2.

Hebr. Vers. *Id, quàm Deo gratum.*

Oleast.

Neque caret mysterio, quòd idem Oleaster ad literam sic obseruat. *Tabernaculum facere non quodcunque: sed quale est Pastorum, seu tugurium, &c. Et meo iudicio vult dicere Populus, se facturum Domino Tabernaculum, quo protegatur, ad modum tugurij pastorum, quemadmodum postea fecit: videbat enim Populus, Dominum habitare in columna illâ nubis & ignis, & indignum sibi videbatur, ei, qui illi tot beneficia fecerat, non facere aliquod habitaculum.* Itaque ex opinione Oleastri meditabatur iam Moyses cum Populo Tabernaculum illud, cuius postea excellentiorem Ideam à Domino accepit: vnde licèt non ita sub illustri artificio illud hoc temporis imaginaretur; cultissimè tamen & affabrè faciendum cogitabat, quo posset vtcunque, obæratissimos tot beneficiis animos exonerare: & nihilominus Tugurij, & quasi vilissimæ Pastorum Casæ nomine illud appellat. Scilicet est hoc religiosi Principis stemma gloriosius, vt post impensi summi, & miræ artis domum Deo extructam: semper illam, respectu diuinæ Maiestatis habitaturæ, quasi vilissimam, indigam & indignam existimet mansionem. Hoc affectu Salomon, post Templi sui miraculum terrenum, sic ad Deum, *Ergo ne putandum est, quod verè Deus habitet super terram? si enim cælum, & cæli cælorum te capere non possunt: quantò magis domus hæc, quam ædificaui?* 3.Reg 8.vers.27. Inter Romanos Proceres, qui in Iudæa tunc erant, non minimum locum habebat Centurio piissimus: & tamen inuitanti se Christo, respondet: *Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum: sed tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.* Matth.8.vers. item 8. Græcè pro *Tecto*, legitur στέγη, id est, quale quale tectum, casa, siue tugurium. Et quidem Dynasta erat, ampláque domo, & Palatio, absque dubio vteretur; qui expensis suis, Luc. 7. v. 5. Synagogam Iudæis ædificârat: verumtamen religiosissimus, vbi Christi præsentiâ, domum suam præsentit, in Templum consecrandam, non audet domum dicere vel palatium: sed præ diuini hospitis Maiestate, Casam & tuguriolum appellauit. Ludolphus 1. part. cap.42. *Non dicit Palatium, aut domum, licèt Princeps esset, sed Tectum: præ humilitate sui, & consideratione magnitudinis Christi.* Tales se gerant Hispani nostri Monarchæ, etiam post illam D. Laurentio dicatam ædem, *Escurial* vocant: licèt fuerit immensæ vrbis opus, Orbis prodigium pulcherrimum, breuium annorum moles, cui longa sæcula condignè desudâssent.

1172\. Idem.

Princeps, post sumptuosissima Templa, erecta Deo, casas fere, existimet.

3. Reg. 8.

Matth. 8.

Ludol. Chr.

1173\. Quid? non solùm Templa pulcherrima, quæ præ sui humilitate, præ Dei magnitudine, religiosi Principes, Tuguriorum nomine appellant, Deum sibi benignissimum promerentur: sed quidquid est reuerà pauperculum, quod piè tamen in ædiculam erigitur vel altare, diuinos oculos allicit, quasi inde se Deus, religiosis structoribus, fateatur obæratum: Sic nihil vel minimi cultus est, in hoc religionis genere, (fremant hæretici Principes, Templa diruentes) quò Deus non summopere delectetur. Reducturus Dominus Iacob

Quàm se obligatum, Deus, templorum cultu profitetur.

Iacob in patriam suam, vt tot Patriarcharum & Principum thronum fundaret, ait illi: *Ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem, & votum vouisti mihi*, cap. 31. v. 13. quasi hæc esset causa, cur nunc tot illi conferat beneficia. Nimirum erectus lapis in titulum, & vnctus oleo cap. 28. v. 18. Si nondum altare erat, altare tamen à Iacob ibi erigendum designabat, vt habes cap. 35. v. 1. vt mera religiosi altaris erigendi vmbra, lapis impolitus, sed piè delibutus, sic Deum tenuisse intelligatur, vt memor & beneficus, largiendis tot iam accurrat: prouocans quodammodò vt concepta vota redderet religiosè, maioribus ab illo beneficiis accipiendis, quem sic priscæ religionis, & altaris vmbratilis memorem experiebatur. Ideo ibi Oleaster, *Quemadmodum Deus memor est, vt nobis benefaciat, sic memores esse debemus, vt pollicita reddamus illi*. Scilicet, multò maiora, inuicem redditoro.

(Genes. 31. 13 — 28. vers. 18. — 35. vers. 1. — Oleaster.)

1174. Sit igitur religiosus meus Princeps, sacratum ædium instruendarum addictus pietati, has frequentet, ibi, quantùm publica negotia patiuntur, immoretur: inde vitam, fælicitatem, victorias, fausta omnia accepturus. Sepulto iam Abrahamo Patre, & iustis eidem piissimè persolutis, addit Textus, de Isaac filio: *Habitauit iuxta puteum, nomine viuentis, & videntis*. Genes. 25. v. 11. Non frustrà mansionis locus designatur, sed vt cura innotescat, quâ illum, præ omnibus, sanctissimus elegerat Patriarcha, & cur elegit? Fuerat iste puteus, apud quem afflictæ olim Agar, se Deus beneficum exhibuerat, cap. 16. v. 14. vnde præsumebat prudentissimè Isaac, locum illum peculiari Dei præsentiæ destinatum: Cupiebat igitur meritò ibi habitare, ad manum habere hanc mansionem, quia inde beari fælicius sperabat. Bene iterum hic Oleaster. *Multum vitæ confert, si eum ad viuendum locum deligas, vbi noueris Dei præsentiã peculiariter adesse*. Sed vbi præsentius Numen, quàm in Templis nostris? Quid si Eucharistia ibi reponatur? certè, nec in Cælo suo præsentiùs adoratur. Vt iam augurer ingentem Philippo quarto nostro fælicitatem, qui primus in superiori & priuatâ penitioris Palatij ædiculâ, Eucharistiam miro cultu sibi adorandam impetrauit collocandam. Sed hæc ingenita est Austriacæ inuictæ familiæ Religio, quam omnibus Catholicis Principibus necessariam iam demonstro.

(*Princeps religiosus, Templa adeat, beneficia accepturus.* — Genes. 25. 11 — Genes. 16. 14 — Oleaster.)

III.

Religiosus, erga Eucharistiam cultus, Principi procurandus.

1175. PEr Eucharistiam, Iustos quosuis, in Reges florentissimos euehi, iã fusè *in opere Concept.* illustraui: inde huc transfer mi lector, quibus Catholicos Reges, regalissimos hinc fore, demonstraueris. Sunt adhuc aptiora quæ ibidem fusiùs, de Annonâ militari, ab Eucharistico penu depromendâ, protuli: quàm enim robur militiæ Principi sit necessarium, nemo nescit. De Principum etiam notariis ab Eucharistiâ maximè instituendis, non pauca *in spicil.* scripta memini: sicut *in Cant. Tropol.* de Principum fœderibus, hinc stabiliendis maximè, quædam concinnaui. Alia tamen supersunt hic inculcãda, vnde meus Princeps, ad Eucharistiæ cultum, sibi in primis necessarium, moueatur. Quanti Principi facienda sit Fides, notationis huius initio iam dixi, ergo nihil priùs habeat, necesse est, nihil antiquius, quàm Sacramentum illud, quod antonomasticè, *Mysterium fidei* dicitur venerari: erit autem condigna veneratio, si mendacissimis oculis, de coloribus non credat, sed veracissimis Christi verbis, auditum arrigat: quod quidem non efficiet satis, nisi illicitis lenocinantis carnis illecebris, renuntiârit. Apparuit Dominus Moysi, *in flamma ignis de medio rubi*: Exod. 3. v. 2. dúmque iste, videndo, *visionem hanc magnam* propiùs accingeretur; audit à Deo: *Ne appropies huc, solue calceamentum de pedibus tuis*. vers. 5. Si potuit videre rubi ardentis sed incombusti gloriam, calceatus: cur ad verba audienda præcipitur discalceandus? Ni fallor, quia fidem non ab oculis, sed ab auditu erat percepturus: syncera verò fides, vix cum pilosis carnis affectibus, (quos in his calceis explicant DD.) potest conuenire: quæ minùs tuta degens sub his vndis, quandoque tandem miserrimè naufragatur. Fortasse volebat id Petrus Cellensis lib. de Pan. cap. 7. *Cuius vmbram Moyses expauit, lucem ipsam quis attentabit? calceatus tamen Moyses rubum videre potuit: sed, non discalceatus, diu vocem dominicam audire nequiuit. Cito igitur corrigia calceamenti dissoluenda cùm tendimus ad superna*. Sed quidquid sit de mente Cellensis, optimè hinc Moyses in Principem populi eligendus, admonetur. Cùm igitur rubus ille, mera vmbra foret, Eucharistia autem vera sit gloria: non temerè, huius scrutationem attentet Princeps meus: nec se à Deo per oculos, sed per aures præsumat instituendum: quas tamen amotis iam affectibus arrigat, opus est: Hinc hæreticis Principibus tota miseria, quòd Eucharistiæ mysterium, oculis volunt tractandum: quod non percipiendæ fidei, aures, carnalibus voluptatibus obturârunt.

(*Fides, ad Eucharistiã non oculos, sed mentem adhibet.* — Exod. 3. v. 2. — Vers. 5. — *Fides, carnales affectus reprimit, & expellit.*)

1176. Aliunde etiam, hinc se maximè Eucharistiæ cultorem Princeps catholicus debet exhibere, quia qui non absque pudoris dispendio, ingratus Deo degeret, non aliunde, quàm ab hoc cultu, vberiores reddet gratias. Communia nobiscum beneficia, Principes à Domino acceperunt, & insuper singularissimum illud, quo tot inter Mortales, sceptro decorantur, radiant coronâ: nulli ergo reddendis gratiis obæratiores: Quid ni ergo voluerint Eucharistiam, per quam, quo ad fieri potest, benefico admodum Numini satisfaciunt? vtrunque Sacræ Politicæ summopere necessarium paucis illustro. Indicto Circuncisionis præcepto, subdit Deus ad Abraham: *Dabo tibi filium cui benedicturus sum: eritque in nationes & Reges populorum orientur ex eo*. Genes. 17. v. 16. Quasi satis asperitas præcepti mitigaretur, & subeundi vulneris leuaretur dolor, sub præclarâ regiæ sobolis promissione. ibi tamen hæreo, cur si tanti sit heroicum Coronæ promissum, non ipsi Abrahæ, aut saltem Isaac suo in præsens, sed in posteros eius adeptio destinatur? Respondet optimè Oleaster. ibi v. 6. vbi idem habetur. *Non sat fuit Domino, semen Abrahæ multiplicare, sed semen excellens illi dedit: vt meminerint Reges, muneris, quod à Deo acceperunt: si quidem Progenitoribus suis, pro magno munere datur, eos progenuisse.*

(*Alio gratiarum pulcerrima, est Eucharistia.* — Genes. 17. 16 — *Principes, arctius obærantur Deo.*)

Fue

Fuerunt planè eximia Patriarcharum illorum merita, & tamen obærata adhuc, promissa regia progenie persisterunt: Quid faciant nepotes Reges, à Regibus orti, & Reges in longam seriem procreaturi? & tamen habent ad manum, vnde plenè soluant, si impensè Eucharistico mysterio studuerint. Nimirum, sacrificium nostrum ibi, Christus est: de Christo autem ita Iacobus Apostolus: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens, à Patre luminum.* Cap. 1. vers. 17. Vbi D. Antonius de Padua, Dom. 4. post Pascha: *Rectè Christus dicitur, omne donum perfectum: quia cùm Pater eum nobis donauit, omnia per eum perfecit.* Si ergo donum tantum sic accepimus, vt illud in sacrificium reddere possimus: plenissimo illo Princeps, per Sacerdotes ritè oblato satisfaciet: & magna licèt à Deo acceperit, maiora soluet.

In Christo, omnia nobis sunt bona copulata.
Iacob. 1. v. 17.
D. Anton.

1177. Hinc Dauid ad Deum: *Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Psalm. 115. vers. 12. Contemplabatur se è tugurio, in thronum; ab ouibus pascendis, ad gubernandos Populos aduocatum: cupiebat, quâ arte posset, gratam & plenam animi significationem sic exhibere, vt tam benefico Domino aliquid retribuere videretur: & quia nondum paratum & conditum reipsâ, saltem reuelatum sibi eucharisticum Calicem meditatur, ideo subdit: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Vers. 13. Quasi iam se vnum, è Regibus illis catholicis & fælicissimis, cogitaret, qui dignè acceptâ Eucharistiâ, omnia regalis dignitatis, à Deo, communicata beneficia, cumulatissimè possunt compensare Sed quid ita, inquis, si etiam hunc Eucharisticum Calicem, à Deo etiam accipiunt: non ex se habent; ea nimirum est huius sacrificij gratia infinita, vt à Deo nobis datum, verissimè Deo à nobis redonetur: non solùm pro aliis beneficiis, sed etiam pro seipso beneficiorum summo, ex parte Christi, condignè satisfaciens. Ideo oculatissimus Rex Propheta, cùm retribuere satagit, non tam redditurus aliquid dicitur, quam calicem accepturus: quia condigna huius acceptio, summa gratiarum actio: & inuocato nomine Domini, immensa quædam laudis redditio agnoscitur. Allucet dictis Rupertus, qui ad illud Cant. 8. de Ecclesia ad Christum: *Dabo tibi poculum ex vino condito:* Vers. 2. sic scribit. *Quid enim aliud vel maius dare possum? hoc vt daret, inuenit ille, qui dixit:* Quid retribuam Domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi? calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo: *Et est sensus, priùs bona pro malis, deinde bona pro bonis, Dominus mihi retribuit: hoc deliberans, ad id veni, cùm aliquid maius non possim:* Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo: *Hoc est quod nunc dico, & dabo tibi poculum, ex vino condito: Id est, sacrificium offeram, & verè sanctum, immissibili passionis tuæ, sacramento.*

Ps. 115. 12.
Eucharistiâ à Deo accipimus qua tamen accepta, omnia illi persoluimus.
Vers. 13.
Rupert. Cant. 8. 2.

1178. De Christo pro nobis passo, locutus Saluianus lib. 2. ad Eccles. Cathol. grauissimè, vt solet, sic concludit: *Pro hoc ergo solo, quid soluere homo poterit, cui se per vltimam pœnarum acerbitatem Christus impendit? aut quid pro se, dignum Domino repensabit, qui ipsum Deum, à quo redemptus est, Deo debet?* Certè nihil aliud, pro se dignum repensabit; nisi ipsum quod accepit: ipse enim Dominus, qui cruento sacrificio nos redemit, & obærauit: sacrificio iam incruento oblatus Patri, cumulatissimè pro nobis reddit: & fideiussor legalissimus, simul & pretium, obligationem nostram dissoluit fæelicissimè. Habes ergo mi Princeps, vnde tot accepta beneficia satisfacias, & vnde in grati notam possis euitare. Licèt enim etiam, ab aliis fidelibus, solutio tanta venerit legitima, à Regibus tamen nescio quomodò quasi proprior videtur prouenire, propter regiam eiusdem sacramenti conditionem. Non immeritò D. Paulin. Epist. 9. ad illud Lucæ, *Beatus qui manducabit panem in regno Dei:* Cap. 14. vers. 14. Sic scribit: *Quia Christus idem, & regnum, & panis est, quo nos saginamur, & Dæmon tabescit: cuius fames & pœna est, cibus vita nostra Christus Iesus, qui factus est nobis in escam!* Quid-ni ergo habeat cum Regibus piis, regalissimus aliunde cibus, aliquid cognationis, quo proinde quasi familiariori, queant apud beneficum Numen deobligari? De benedictione illa Aser; *Pinguis panis eius, & præbebit delitias Regibus.* Genes. 49. vers. 20. Ita habet Lyranus. *Sacramentum Eucharistiæ, in quo datur nobis Christus, in nutrimentum spiritualis vitæ. Per Reges intelliguntur cæli ciues, cum Christo regnantes qui delitiantur in aspectu Christi.* Non tamen temerè ad pios & Catholicos huius Ecclesiæ Reges, rem deduxeris, qui inde delitiari dicantur, quòd eadem Eucharistiâ, vnde spiritualiter viuunt, etiam Domino, vt dixi, satisfaciunt: quo nihil regiæ generositati, debendi impatienti, retribuendo pronæ, venerit delitiosius.

Quantū, pro morte Christi, Deo debeamus.
Saluian.
Luc. 14. 15.
D. Paulin.
Regalissima Eucharistia, Reges apud Deum, deobligat.
Gen. 49. 20.
Lyran.

Est & tertia ratio non leuis, cur summoperè, colendæ & frequentandæ Eucharistiæ, Principes pij debeant studere: scilicet, vt religiosè consequantur reapse, id cui Baltasar, cæterique Idololatræ Reges, sacrilegè & frustrà anhelabant. Erant anxia, vt in textu fusè exposui, horum vota, ad sidera volare, calcare cælum: quò ergo tendis, mi Princeps, dum totus adorandæ, & sumendæ Eucharistiæ non impenderis? Viaticum cæli est, quo tibi ardua aliàs, ad astra, via, prona redditur & procliuis: quò sic insultes cælo rapiendo, vt indidem religiosior perseueres. Multiloquium in orando à nobis auertens Christus, orationem Dominicam proposuit suauissimè repetendam, cuius secunda petitio est, *Adueniat regnum tuum.* Matth. 6. vers. 10. Et paulò post, sic formatur quarta: *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.* Vers. 11. Luc. c. 11. Vtramque petitionem sic coniungit: *Adueniat regnum tuum, panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Vers. 2. Nemo sic abiecti cordis fuerit, vt credat, post tantam regni cælestis petitionem, statim terreni panis vilitatem postulari: Eucharisticus ergo panis, & verè supersubstantialis exoptatur. Tota igitur difficultas est, quòd cum prius cæleste regnum petatur, postea Eucharistia postuletur: cælum quippè cupere, est mortem suspirare, nemo enim nisi defunctus cælo fruitur: at Eucharistiæ votum, tacitum videtur viuendi desiderium, quandoquidem, non nisi dum viuimus, hoc pane fruimur. Quî ergo fieri ordine recto potest, vt qui priùs mortem optauimus, iam deinde vitam petere videamur? cur post regnum, quo mortui fruituri, Eucharistiam petamus, quâ viuentes pascimur? Respondet D. Petrus Chrysolog serm. 68. *Post cæleste regnum, panem quis postulet temporalem? Sed quotidianum,* 1179

Eucharistia, viaticum in cælum est, quo rei g. sidera calcantur.
Matth. 6. 10.
Vers. 11.
Luc. 11. 20.
D. Chrysol.

num, & in diem, vult nos in sacramento sui Corporis, panis viaticum postulare: vt per hoc, ad perpetuum diem, & ipsam Christi perueniamus ad mensam: vt vnde hic gustum sumpsimus, inde ibi plenitudinem, totásque satietates capiamus. Pulchrè dictum: Nihil enim, post regni votum, aptiùs peti poterat, quàm Eucharistia, quæ eò ituris viaticum administrat: ac proinde non tàm præsens vita, post mortis desiderium rogatur, quàm sub vita molestè, quasi inuitis, duratura, viaticum petitur, vnde per mortem cælum adeamus: & vnde priuatim Reges, è terreno, ad cæleste regnum, nobiliori diademate coronandi transferantur.

1180. Proinde Christus Dominus ad Discipulos: *Vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis: & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum: vt edatis & bibatis super mensam meam, in regno meo.* Luc. 22. v. 28. Expende quæso, æternum Imperium promitti, cæleste regnum: & tamen, quasi regnum Dei esset esca & potus, (à quo, Auctore Apostolo, nihil alieniùs) tota ad mensam fælicitas videtur reuocari: & cur sub metaphorâ conuiuij, æterna beatitudo, & tota regnãdi potentia exprimitur: cùm tòt aliis fælicitatum generibus posset designari? Pauerat paulo ante Discipulos suos Christus, Eucharistia vers. 19. vnde iam duce certo, & suauissimo viatico instructis, nunc comparandum regnum pollicetur: Vt ergo noscerent, non nisi sub Eucharistiæ pignore, Ius regni iniisse, meritò sub conuiuij metaphorâ regni beatitudinem repræsentat, pretioso corporis & sanguinis sui conuiuio iam refectis: Quid enim torrente voluptatis diuinæ, vbertate cælestis domus, non fruerentur illi in patriâ, quibus in hoc exilio, ad viaticum Deus esibilis apparatur? aut cur cæleste regnum, epulo non configuretur: si ipse Deus ibi fruendus, hîc, sub epuli speciebus, conditur viatoribus? Ideo D. Petrus Chrysolog. post multa de his diuinis Epulis, serm. 95. sic concludit ad hunc locum. *Christiane, qui se tibi hîc manducandum dedit, quid suum tibi denegare poterit in futurum? & qui tantum tibi viaticum parauit, ad victum: quid in illâ tibi mansione perpetuâ non parabit? Manducabitis in mensâ meâ, in regno meo. Audisti Dei conuiuium, sollicitus non sis de qualitate conuiuij: qui peruenire Regis meretur ad mensam, manducabit quidquid regni dominatio possidet & potestas: sic qui ad conuiuium venerit Creatoris, habebit in delitijs suis, quidquid continetur in Creaturâ.* Et non contendat Princeps terrenus, cælestis Regis conuiuio anhelare, vnde longè regalior, astris dominetur: cùm tam parabile viaticum, tam certum viæ ducem hîc obtineat?

Luc. 22. v. 28.

Viaticũ scilicet, quo instructi ad regalem mensã peruenimus regnaturi.

D. Chrys.

1181. Neque mirum, iam sic cælestis, astris dominetur meus Princeps Eucharistiâ pastus, gloriosus Christi cœnipeta, & laudandus tanti epuli parasitus: quandoquidem iam inde id habet per gratiam, quod Christo Domino conceditur per naturam. Obscura sunt verba illa Saluatoris apud Ioannem: *Nemo ascendit in Cælum, nisi qui descendit de Cælo, filius hominis, qui est in cælo.* cap. 3. v. 13. Quid enim, inquis certus promiserim terrenos Principes hoc viatico, in cælum ascensuros: cùm tàm disertè affirmet Christus, sibi soli, qui descenderat è cælis, in cælos remeandum? imò propterea: si enim, qui manducat hunc panem in Christo manet, & Christus in eo, vt certè spiritu, & quodammodò carne idem sint: iam Christus solus ascendere videtur regnaturus, quando omnes, condignè Eucharistiâ frui-ti, eidem concorporei, & vnanimes, in vnum rediguntur. Paschasius lib. de Corp. & Sang. Dom. cap. 9. post multa, de hac Eucharisticâ cum Christo, hominum vnitate. *Hoc est igitur, quod nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit: quia cum illo, per hæc mysteria, vnum sumus.* Viderit meus Princeps, an ampla sibi regnandi potestas, imperandi astris dignitas concedatur, cui cum diuino Principe identitas promittitur, vt eò religiosè perueniat re ipsâ, quo nunquam, nec per delyria sacrilega Baltasar anhelauit: sed nescit Eucharistia, nec potest, tantæ consequendæ fælicitati, animos non vrgere.

Ioan. 3. v. 13. Quippe, qui hoc cibo, vnũ & idem, cum Christo, sumus.

Paschasius.

Inde est, vt præ aliis ceremoniis, quibus typicus Agnus, veri nostri vmbra, præcipiebatur edendus, illud inducitur: *Renes vestros accingetis, & calceamenta in pedibus, tenentes baculos in manibus.* Exod. 12. vers. 11. Mira epulandi forma, noua conditio! Discubituri, vt plurimum discinguntur; & delicatiùs, vsuales calceos domesticis crepidis solent commutare: sit licèt confectus senio conuiua, deposito tunc baculo, cultellum aut fuscinulam assumit: in epulo paschali, omnia vice versâ: vt non tàm mensæ, quàm viæ, se composuisse videantur. Nec immeritò: quid enim, accepto tanto viatico, nisi profecturi ad patriam vrgerentur? D. Chrysostomus, Homil. 23. in cap. 6. Epist. ad Ephes. *Nemo eorum, qui hoc paschate vescuntur, ad Ægyptum respiciat, sed ad cælum, ad cælestem Ierusalem: propterea præcinctus, propterea calceatus comedis, vt discas, quàm primum hoc paschate vesci ceperis, peregrinandum tibi, itérque faciendum esse.* Scilicet, quemadmodum si cannæ internodium, tormentario puluere refertum accendas, non solùm immisso igne, sed etiam longiore arundine, sursum volare cernis, quia ignis desuper missus, non solùm in sphæram ipse remeat, sed colligata secum ingenio licèt grauia, secum effert: sic panis iste viuus, & è cælo descendens, grauia aliunde corda secum euehit, in supernis deinceps, cõregnatura; & otiaris mi Princeps, & ignauescis, nec tam pia ambitione titillaris? Sed fusiùs hunc honorem discutiamus. 1182.

Exod. 12. 11

Eucharistia, nõ solùm iubet, sed etiam vrget, & rapit nos in cælum.

D. Io. Chrys.

IV.

In idem, aliunde plura subdo.

Impia illa vota, sacrilega desideria Apotheosis, quibus cum Baltasare, innumeri Principes & Reginæ æstuârunt, tenore duplici, insanis præcipuè adimpleri credebantur: quorum altero, ne dum vtroque, diuinitatis participes se iactabant. Erat primus, si Deorum conuiuio fruerentur, ita tamen, vt non satis esset diuinis epulis frui, si tamen diuinæ mensæ non accumberent: hinc etenim Solis Equos, quos passim nectare & ambrosiâ pastos Deorũ nq; ὁ ποιητὴς legimus Deos non agnoscebant, quia in præsepibus, non in in diuinâ mensâ, his epulis vtebantur: hinc passim homines, cum Diis discubuisse feruntur, nec tamen Dij habiti, quia interim, terrenis epulis fruebantur. Secundus verò erat, si aut terrenus Princeps Deæ, aut humana Regina, Dei alicuius 1183.

Ethnici Principes, inde se ad diuinitatem euectos existimabãt, si epulis, aut nuptijs diuinis fruerentur.

nuptiis potiretur, dedi de vtroque longas, fortasse non pœnitendas paginas. *In Spicilegio sacro*, totis capitibus 21. & 23. in quibus ex sacro penu profanóque multa congessi, inde si vacat, repete: Nunc satis illud Virgilij Ecl. 4. Quod minus fælicem Principem hinc describit, quòd,

Virgil.

> *Nec Deus, hunc mensâ Dea, nec dignata cubili est.*

Verumque verè, per Eucharistiam, nobis datur.

Quasi alterum saltem non consequens, diuinitatis particeps, non habendus. Hæc Principum Ethnicorum delyria amentissima, sic in verissima priuilegia nobis commutat Deus, vt quod illi, sacrilegâ impietate inaniter captârunt, longè singularius religiosâ pietate, per Eucharistiæ vsum consequamur. Hic sic conuiuæ & *ὁμοδίαιτοι* Dei sumus, vt non solùm diuinæ mensæ discumbamus, sed ipso diuinitatis ferculo, quo ipse Deus recreatur, saginemur: hic purissimæ & verissimæ nuptiæ intercedunt, copulatur Christo anima castissimum ad connubium; omnésque tenerrimi sponsi partes Christus implet. O quid non desipiant Principes Catholici, si non feruidissimè amplectuntur Eucharistiam, quibus vltrò reapse offertur, id cui incassum Ethnici Principes anxiè inhiârunt. De vtroque iam seorsim differamus.

1184.
Petr. Abb. Cellens.

Petrus Cellensis lib. de Panib. cap. 1. post alia, sic de diuinarum mensarum diuersitate. *Notandum, aliam esse mensam, quâ singulariter sola Trinitas delitiatur: aliam, quâ cum Angelis amicabiliter epulatur: aliam, quâ cum homine mortali, visibiliter Iesus vescitur: aliam, quâ sacramentaliter, & inuisibiliter fideles reficiuntur.* Tunc de illâ primâ & singulari mensa Trinitatis, (non de Eucharisticâ, & Sacramentali, vt perperàm aliqui interpretantur) post pauca, sic subiungit. *Procul absistat creatura omnis ab hâc administratione, quia bestia, quæ tetigerit montem lapidabitur: manum subtrahat Seraphim: quia munus huiuscemodi, manum aliam non admittit, quam solius dexteræ Dei; nemo enim nouit filium, nisi Pater, neque Patrem quis nouit, nisi filius, &c.* Ideo paulò post de Angelo sic scribit. *Abstinet, & superponit digitum ori suo, neque manum conferens mensæ, neque os aperiens negatæ diuinitati, vt velit eam deglutire: Vidit namque consortem naturæ suæ Luciferum, gulam desideriis ad hanc mensam extendisse, & non ex inde diuinitatem, sed mortem degustâsse: vidit manum in lateribus Aquilonis porrexisse, & statim glacie aquilonari riguisse: seu gehennalibus flammis exarsisse. Fortè omnipotentiam Patris; fortè sapientiam Filij; fortè bonitatem Spiritus sancti, fera illa bestia, voluit deuorare: hæc enim sunt fercula mensæ Dei, quæ soli Regi sæculorum immortali & inuisibili debentur, in sæcula sæculorum: hæc enim fercula mensæ Dei cui non communicat alienus naturâ.* Incommunicabilis ergo est mensa ista, nisi tribus diuinis personis, quibus natura conuenit esse vnus Deus. Quid tunc feruidissimus diuinus Amor, & communicandæ diuinitatis, vtcunque fieri potest auidissimus? Non contentus sanctificante gratia nos adoptare, mensam parat sacramentalem, diuina fercula instituit, quibus Deus cum hominibus delitietur. Huc transfer quæ multa Doctores, de Christo in nocte Cœnæ, sub specie panis & vini corpus & sanguinem suum communicante, & deinde Apostolis porrigente, scripserunt. Sic optimo, quo fieri potuit, modo, Diuinitas iam nobis communicatur. Planum istud & certissimum fidelibus.

Diuinitatē naturaliter affectare, sacrilegum.

Quæ tamen gratiosè per Eucharistiā, participatur.

Illud singulariùs, sic diuino palato hoc ferculum, hunc calicem gratum fuisse, vt quotidie illum nobiscum regustare contendat, vt semper in hac mensa non solùm discumbamus cum Deo, sed etiam eodem ferculo, quo ipse mysticè fruitur, reapse saginemur. Distributo iam Discipulis diuino Calice, addit statim: *Dico autem vobis, non bibam amodò, de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum, in regno Patris mei.* Matth. 26. vers. 29. Non hæc de regno Dei, in triumphante Ecclesia capi possunt, ibi enim Sacramentorum vsus cessat omnino: at in militante, quî, inquis, fieri potest, vt Christus sanguinem consecrati Calicis bibere dicatur? Memineris quæ paulo ante dixi Numer. 1181. de vnitate nostra, cum Christo, in hoc mysterio; vt enim ibi Christus solus dicitur in cælum remeare, quia licèt, nos secum euehat, pro vno & eodem reputamur: sic in hoc loco, vnus & idem nobiscum communicantibus, quotidie tanquam caput, in membris suis dicitur communicare: quasi propterea tam strictè nobis videatur vnitus, vt frequenter non solùm conuiuæ Dei & ad illius mensam discumbentes, sed etiam singularissimi diuinique cibi, nobis, illique communis participes agnoscamur. D. Eucherius, quæst. 145. (vt correctior habetur apud Cerd. Aduers. 115.) ad hunc locum. *In eodem Matthæo scribitur: non bibam amodò, &c. Quid hîc sequimur? regnum Dei, vt docti interpretantur, Ecclesia est, in quâ quotidie bibit sanguinem suum Christus, tanquam caput in membris suis.* An non iam penè Dij sumus, qui cum Deo discumbimus, eodem cibo saturi, id est, Deo?

1185.
Quomodo Christus, in Eucharistia seipsum quotidie sumat.

Matt. 26. 29.

D. Eucher.

1186.

Tenerius est, quod addo. Describebat Apostolus tenorem, quo olim Sacerdotes summi sancta Sanctorum ingrediebantur, *solummodò in cibis & potibus, & variis baptismatibus, & institutis carnis.* Hebr. 9. vers. 10. Tunc sic de Christo: *Neque per sanguinem hircorum & vitulorum, sed per proprium sanguinem; introiuit semel in sancta: æternâ redēptione inuentâ.* Vers. 12. Non mirum si immaculati Agni hostia, redemptionem perficit, quam vmbratiles hostiæ figurabant solummodò: alibi ergò, aqua hæret: attēde. Ideo hæc sacrificia & instituta carnis prisca, *in cibis & potibus* peragi ait Apostolus, quia, vt Ethnici, conuiuium Deorum, vocabant sacrificium: sic illius temporis fideles longè alio spiritu, ad sacrificium pietatis, tanquam ad epulum, Deum inuitabant: qui carnes illas & pocula, non tàm ex se, quàm ex fide offerentium conditas, quodammodò absumere videbatur: hinc enim erat, vt ad illos, qui insulsum absque fide sacrificium parabant, dicat Deus: *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? immola Deo sacrificium laudis, &c.* Psal. 49. vers. 13. Quia solummodò, sub spiritu, sapida reddebantur. Restabat igitur, quo veritas figuræ responderet, vt à Christo sacrificato, iucundissimum epulum Patri paratum expēderet Apostolus: nec tamen id tàm exprimit, quàm subindicat: quid ita? quia clarissimum cuiuis videbat intelligendum: quia cum dicat Christum in sancta introiisse, *per proprium sanguinem*, quem ad Corinthios, nobis, in poculum, dixerat ministra

Hebr. 9. 10.

Vers. 12.

Psal. 49. 13.

Æterno Patri, & nobis Christus, Eucharisticum poculum ministrauit.

ministratum: satis patebat potandum quodammodo Deo Patri fuisse porrectum: vt eiusdem diuini sanguinis, licèt diuersimodè compotores cum Deo haberemur. Non hinc abest Petrus

Pett. Cell. Cellensis citato cap. vbi ita: *Iesus autem penetrauit cœlum, & ascendit super firmamentum: in sanguine verò intrauit, quia per passionem potum, imo pretium nostræ redemptionis, paternis labijs, assistentibus angelicis spiritibus, ministrauit, &c. Sanguinis partem nihilominus, ad bibendum in crateris sacramentalibus, amicis & imitatoribus suis reposuit, vsque ad consummationem sæculi.* Si autem diuini nectaris, & in diuinâ mensâ Dei compotor, mi Princeps inueniris, an diuinitatem participes, dubitaueris?

1187. Scilicet, necessarium erat, vt tanti, & verò cælestis sacrificij degustatio, nil terrenum, sed totum diuinum honorem importaret. Benedicturus Isaac Iacobum suum, à quo tot Regum sobolem

Genes. 17. 28. augurabatur, sic incepit: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ*, Genes. 27. vers. 28. quo vt cælestis, sic etiam saltem in secundis, fælicitas terrena, vt ferè Patres explicant, denotatur.

Eucharistia necessario, quidquid terrenum est, à nobis aufert. Sed quæ participatio lucis ad tenebras: solidi, ad inane: æterni, ad caducum: id est cælestis boni, ad terrenum? Cur nesciat prudentissimus Isaac optare filio cælestia, quin de terrenâ vilitate aliquid non admisceat? Imò cur nesciat nasci Iacob, nisi prehensâ fratris plantâ, quasi feruidus pro caducis terræ regnis decertaret? Prætereo cæteros Patriarchas, & Reges iustos, qui temporalia ista magni fecerunt: at quidem innumeri sunt hodie post Christum, minoris nominis, viri ac mulieres, quibus nihil, quàm terrena fælicitas habetur despicabilius. Vnde discrimen tantum? planè è diuersitate epuli & sacrificij: nec illi maiora, nec nos minora facere iam debemus. Bene de illis, in serm. *Ecce nos reliquimus*, &c.

D. Bernard. D. Bernardus: *Sicut sacrificijs illis, sic & diuitijs, carnalibus adhuc populis dispensatio diuina morem gerebat.* Nobis igitur Dei conuiuis, quibus diuinū sacrificium apparatur, nil iam indulgetur terrenum, nil vile: sed pretiosa diuinitas, quantùm fert humana conditio distribuitur. Pulchrè

Galfrid. Galfridus ad cap. 15. Ioannis, *Prior ille populus patrum terrena petijt, & accepit; neque id mirum, cælestia enim nondum poterant adipisci: nec dum fuerat vox clamantis audita: Appropinquauit regnum cælorum: vel, Regnum cælorum vim patitur: vel, Video cælos apertos. Quid-ni etiam terrena peterent, dum terrenas adhuc hostias immolarent? in cælestibus autem sacrificijs iam rebus inhiare terrenis, quàm indignum, quàm sacrilegum, quàm peruersum?* Planè peruertit ordinem naturæ rectæ, quisquis post hanc gratiam, terrenis adhuc inhærens, participatæ Diuinitatis obliuiscitur: quare indignus etiam terreno regno, sic degeneris animi Princeps, qui piâ violentiâ, cælesti hinc regno, vim inferre non contendit.

1188. Hanc melioris mensæ, in tanta priuilegia, conditionem, fortasse per vmbram exhibere voluit Deus, Protoparentibus: quibus integris adhuc, totius Paradisi Arbores, fructibus iucundissimis onustas, dedit in cibum: Gen. 2. vers. 17.

Genes. 2. 17. lapsis deinde scribens: *Maledicta terra in opere tuo, &c. comedes herbas terræ: in sudore vultus*

3. vers. 17. *tui, vesceris pane tuo.* cap. 3. à vers. 17. nam quidquid sit de labore, omnibus tamen pomis, frumentum præstare visum: Quid ergo est, vt iam ciectis, detur panis in pœnam quibus adhuc amicis, poma solummodò seruabantur? non tam vtriusque cibi terreni qualitas, quàm ordo, carpendi has escas, obseruandus: Acutè D. Cyprian. (si is est) epist. de Iudaicis cibis, ad hunc locum, *Cibus primis hominibus, solus arboris fuit fœtus,* D. Cypr. *& fructus: nam à pomis, vsum postea ad fruges, contulit culpa, conditionem conscientiæ, ipso situ corporis approbante: nam & innocentia, decerpturos alimenta ex arboribus, adhuc sibi bene conscios homines, ad superna subuehit: & commissum delictum, ad conquirenda frumenta, homines terræ solòque deiecit.*

Panis è cælo renuntiaret nos terrenis, præci, te necessario.

Pendent ab alto poma, quasi è cælo munera, carpturos homines erectos, quasi in cælum ituros, prouocantia: è contra virent è solo segetes, messorum corpora in terram declinantes, quasi solummodò terrenis inhærentium: illud innocentia dederat, hoc culpa. Multò ergo iustius terrenis hostiis, prisci assueti, terrenis adhuc bonis inhiârant: nos verò cælesti epulo saginati, in cælum fruituri diuinitate, dictante conscientiâ, anhelamus.

Venio ad nuptias, & præter illa cuiuis obuia, 1189.
quæ ad caput 1. Cant. vers. 2. de sponsa osculum *In Eucharistia vera nobis cum Deo nuptia*
amoris pignus, ab Eucharistiâ suspirante PP. scripserunt, quædam minùs protrita, fusiùs congero. Vix à sopore suo Adam oculos soluit, cùm recèns eductam Euam, charius sui esse dimidium, agnoscit; ideo exclamat: *Hoc nunc os de* Genes. 2. 23.
ossibus meis, & caro de carne mea, Genes. 2. v. 23. Quæ quidem tam arcti vinculi est connexio, vt ne violetur, paterna etiam iura conculcauerit. Discutit tamen hæc verba Paulus, & subiungit intrepidè: *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*, Ephes. 5. v. 32. Eph. 5. 32.
Ita ne Paule, tam apertum sub hâc explicatione patet adamaticum dogma? At mihi, fateor ignorantiam, nunquam visum obscurius, quòd Christus, vnum & idem sit cum Ecclesia, tanquam caput cum corpore, mihi planum; quod sic arctis amoris vinculis eidem vniatur, vt propterea in terram descendens, Patrem quodammodò, & matrem reapse relinqueret ascendens in Crucem, scio: Sed quod ita desponsetur Christo Ecclesia, vt sit os de ossibus eius, & caro de carne eius, quo sint *duo in Carne vnâ*, vers. 24. quî potest esse? *Sacramentum hoc magnum est*: scilicet, quia Sacramentorum maximum importat, scilicet Eucharistiam: Grauiter D. Irenæus ad hunc locum D. Iren.
lib. 5. *Non de spiritali aliquo & inuisibili homine dicens hæc, spiritus enim, neque ossa, neque carnes habet: sed ea dispositione, quæ est secundum hominem, quæ ex carne, & neruis, & ossibus consistit: quæ de calice, qui est sanguis eius nutritur: & de pane, qui est corpus eius, augetur.* Sic enim non solùm donis Spiritûs, sed etiam carnis priuilegiis, fruimur in Eucharistiâ: vt non solùm anima per gratiam, sed etiam corpus diuinitus hinc enutriri videatur: vnde à SS. DD. concorporei, & consanguinei Christi exinde dicimur: quasi in cæteris mysteriis sponsalia, hîc verissimum matrimonium ineat Ecclesia, eò purius, eò spiritualius: quò non solùm vnanimis, sed etiam virginaliter concarnis, Christo copulatur.

De nuptiis illis Canâ Ioan. 2. vbi Christus 1190.
aquam mutauit in vinum, vers. 8. sic scribit D. Petrus Chrysologus serm. 157. *Vbi aqua mutat naturam, mox patefecit Auctorem: & elem...*

rum Creator, mutatione reuelatus est creatura. Fœlices nuptiæ, fœlices illæ, quibus Christus est præsens, non luxu, sed virtutibus consecrantur. Quid ibi non transiuit in gratiam, vbi aqua transiuit in vinum. Tu lege quæ Patres, de adumbrata hîc Eucharistia scripserunt, & videbis quantò fœliciores nuptiæ inde petantur; quid enim homo non transeat in Deum, cùm ob hominem, vinum in sanguinem Christi transit: panis, in eiusdem corpus transmutatur? De Alexandro magno vxorem ducente, ita Q. Curtius lib. 8. *Et Rex medio cupiditatis ardore, iussit afferri patrio more panem (hoc erat apud Macedones, sanctissimum coëuntium pignus) quem diuisum gladio, vterque libabat.* At Eucharisticus panis, & Christo & Ecclesiæ delibatus, tam arctum matrimonij vinculum inducit, vt iam Ecclesia totum spiret Christum, & miro amoris artificio diuinizata, tàm Deo suauis venire videatur, quàm Deum ipsum suauem fuerat experta.

Hæ nuptiæ, in Eucharistia, purissimæ.

Q. Curt. *Et legitima.*

1191. Ceperat osculum, id est, affectum purissimum, & ardentem amorem ab anima, Christus Dominus, & ait: *Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub linguâ tuâ.* Cant. 4. vers. 11. Vix poterat teneriùs suauitatem à castissimo affectu illo conceptam aperire. Sed vnde sic creatura, purissimo cordis amore potuit Creatorem demulcere? Memineris quod paulò ante, osculum seu Eucharistiam à Christo acceperat cap. 1. v. 2. hinc ergo tot gratiarum cumulo adaucta, vt iam penè diuina, cum sponso contendere videri possit: quasi apta tantùm suauitatis Deo reddere per virtutes, quantùm à Deo, per hæc mysteria acceperat. Gellibertus serm. 34. à fortiori, si rem Eucharisticam tractaret, nobis hæreret, dum ad hunc locum ita. *Purgata hæc ego omnino crediderim labia, de quibus ipse Iesus, dulcedinem melleam haurire se reputat. Isaiæ labia cap. 6. forcipe & carbone, de altari, tacta purgantur: misit, inquit, alius Ierem. 1. manum suam Dominus, & tetigit os meum: quæ sponsa est, non carbonem, non digitum optat, sed oris contactum: osculetur me, inquit, osculo oris sui, labia labiis debentur: nec enim de sponsæ labiis exprimerentur dulcedines, si non labiis imprimerentur dilecti. Quid autem, nisi osculi suauitate, quod de labiis sponsæ rapis, se delectatum gaudet, cum dicit: Fauus distillans labia tua?* Non poterat diuiniùs sponsa spirare, quàm dum sponsum Deum, suauissimè recreâsse prædicatur.

Cant. 4. 11. *In his nuptiis, Christus & Ecclesia, inuicem suauissimè spirant.* Cant. 1. 2. Gellibert.

1192. Sed parum erat, si ita Animarum sponsum, in Eucharistia, Christus gereret, nisi omnes, non solùm amantis tenerrimi, sed etiam ardentissimè æstuantis partes impleret. Nescit Amor legitimus sponsi, feruidâ zelotypiâ non morderi, non quidem insanâ illâ, quæ furorem concitat, sed prudenti, quæ honori sponsæ, vt proprio inuigilat. Probat ergo eximiam charitatem suam Christus, in Eucharistiâ, dum dilectissimæ sponsæ solicitè zelotypum se exhibet. De Manna dicitur esse, *quasi semen Coriandri album.* Exod. 16. vers. 31. Quædam exemplaria Græca, simile faciunt τῷ κορίῳ, id est, *Pupillæ oculi.* Vnde Philo Iudæus lib. 2. Allegor. in hoc Manna, verbum Dei allegorizans, sic subiungit: *Pari modo sermo quoque diuinus cernit acutissimè.* Vt iam meritò nos, qui Verbum incarnatum, & deinde Eucharisticum, in Mannâ scimus figuratum; totum ibi in pupillas formatum agnoscamus, quasi oculatissimè, cuncta quæ gerit sponsa, inspecturum. Ita est, dissimulat se sub speciebus Eucharisticis Christus, vt quò occultior Cor sponsæ intrat, eò acutior cuncta explorauerit. Descripserat fusissimè Isaias cap. 59. sub Typo Synagogæ, abominationes & scelera animarum adulterantium, deinde subdit: *Vidit Dominus, & malum apparuit in oculis eius.* Vers. 15. Tunc in vindictam exardescens. *Indutus est iustitiâ, vt loricâ: & galea salutis in capite eius, indutus est vestimentis vltionis.* Vers. 17. Sed mirum, quod additur statim: *& opertus est pallio zeli.* Ibidem: Arma nimirum, id est, vltionis assumpta vestimenta, pallio quodam zelotypiæ, id est, quo zelotypus indui solet, obumbrauit, vt tectus & dissimulatus aduentaret. Et quorsum ita? Respondet D. Antonius de Padua, serm. 3. de Virginib. *Est sponsus iste zelotypus, & omnia verba, & omnes gestus sponsæ notat, & nihil ab eo potest abscondi, &c. Mutat habitum, vt cautius exploret.* Ecquod inquis pallium istud, quo totus zelotypus Deus celari potest? Idem D. Doctor. *Sic Christus absens à nobis, inuisibiliter tamen præsens est nobis, sub formâ sacramenti, opertus est pallio zeli.* Quasi sola Eucharistia, legitimum Christi amorem, de conceptâ zelotypiâ ostendat: sub cuius speciebus, tanquam sub pallio, vt hic adulteras animas puniturus accedit: sic fideles aliàs, feruidissimis amoris stimulis zelotypus intuiturus adit, & defensurus.

Christus, ibi sponsus zelotypus. Exod. 16. 31. Græc vers. Phil. Iud. Isai. 59. 15. Vers. 17. D. Anton.

Hinc capies, quid sit illud eiusdem Christi: *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ: quoniam zelus domus tuæ comedit me.* Psalm. 68. vers. 9. & 10. Ideo quasi extraneum & peregrinum, ignotúmque fratribus hominibus se testatur, quoniam zelo diuini honoris sic vrebatur, vt etiam zelo ipso comederetur: nec tamen vtrumque caret difficultate: Vnde enim ignotus dicatur, quia zelotypus, cùm potiùs de iustissimo zelo, videretur agnoscẽdus? aut quæ conditio tã noua huius zeli, quæ Deum immortalem, non solùm vtcunque pungere, sed etiam omnino deuorare dicatur & absorbere? Nimirum vt frater noster esset Deus, lucem illam, quâ *tanquam vestimento amictus* legitur apud Dauidem, in carnis nostræ habitum commutauit, vtque tenerioris amantis, dulcioris sponsi partes ageret, carnis assumptæ habitum obuelat denuo, speciebus Eucharisticis occultatus, dum magis præsens; tunc certè inuisibilis, & quasi extraneus & peregrinus nobis factus: zelotypo amori, stratagema hoc dulcissimum imputandum: Quid ni ergo affirmet à zelo isto se comedi, qui Deum in Sacramento verissimè nobis reddidit esibilem? D. Antonius citatus. *Bis mutauit habitum Christus, pro nobis: scilicet in Incarnatione, in quâ, habitu inuentus est vt homo: & in sacramenti institutione; vnde, zelus domus tuæ comedit me, id est, per zelum hominum, me eis esibilem feci.* Hæc zelotypia generosissimum amantem Christum probat, nec enim eò vsque veniret, nisi desponsatæ sibi animæ amores, & honorem quasi proprium, tanti faceret. 1193.

Ps. 68. 9. *Hæc zelotypia, est fortissima.* D. Anton.

Quid? tenerrima hæc zelotypia, amatorias sponsæ suæ suspiciones, metus anxios auertit, & componit. Quæsierat ardẽtissimis suspitiis Christum, sponsa Anima, & inuento fœliciter, subiungit; *Inueni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam.* Cant. 3. vers. 4. Vbi benè Gelli 1194.

Iustus amatoriis suspicionibus timore semper torquetur. Cant. 3. 4.

Gelliberttus, serm. 13. *Itane adhibenda est diligentia, & studium, vt dilectus tuus apprehensus retineatur? si sponsus est, & amanti respondet ex æquo, quomodò non vitrò cohæret tibi, astringitur gratia? denique hoc habet impatiens zelus amantium, vt etiam expulsus, importunè se ingerat, & pudorem dediscat æmulatio dura: Nunc autem dicis, non dimittam illum: quasi declinare volentem, si non instantiùs retineatur: quomodò si amat, aut declinare volet, aut auelli se sinet?* Quò ergo, inquis, tendit tam sedula tenendi cura, tam anxia constringendi sollicitudo? Scilicet verissimum priscum illud: — Gellibertus.

Res est solliciti, plena timoris amor:

Si minus zelotypiam patitur sponsa, tamen amatoriis suspitionibus torquetur, prouido metu trepidat, ne constantissimæ fidei sponsus, fragilem dilectæ conditionem fastidiat: & nutantibus semper affectibus, quandoque lapsis, mortale cor, ab immortali Domino deseratur. Gellibertus citatus. *An fortè suspitionibus amatoriis moueris, &c. superuacuo quodam timore amittendi, pro multo affectu retinendi? Non est tamen superuacuus timor, vbi exitus in ancipiti pendet: non est superuacuus in periculo metus: sed domestica magis tibi metuenda est leuitas, nam Deus ille, & non mutatur: innata tibi leuitas, vicina est lapsui: & instabili quodam vagæ mentis motu facillimè abripe- ris, si non firme adhæseris.* Hos igitur timores, amatorias has suspitiones sponsæ, in Eucharistiâ, in quantum humana fert conditio, sedauit Christus; Nam *qui manducat* inquit, *meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo:* quo nullum vinculum strictius dari potest, vt augustissima sacri connubij fœdera peragantur: de quo iam fusè, *in Cant. Tropol.* disseruimus. — Idem. — Solâ sumptâ Eucharistiâ firmandus.

1195. Sed ecce noua teneritudo: sic zelotypus mutato habitu delitet, vt interim sponsus tenerrimus intermiteat, nam quidquid occultetur exploratutus, acutissimum tamen fidei obtutum, recteaturus sponsam, non subterfugit. Hinc illa sponsæ vox: *En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Cant. 2. vers. 9. vbi Hugo Cardinal. *In respectu, & prospectu Cancellorum, notatur zelotypia sponsi quæ oculos eius ab intuitu sponsæ auertere non sinit: insidians & explorans, ne fortè aliqua signa adulterij in sponsâ deprehendere queat, quæ punire valeat.* Mira zelotypiæ conditio! occultari cupit sub pariete, furtiuum obtutum, nec satis liberum mittit per cancellos: nec tamen latere penitus potest: agnoscit illum hilaris sponsa, quæ stantem post parietem, per cancellos respicientem probè deprehendit. Ecquæ vmbracula ista sic perspicua, quæ velamenta sic transparentia, vt prodant occultari satagentem? Mentiar, ni Eucharisticas species subnotauit, iterum citatus D. Antonius de Padua. *Simulat se recedere, & tamen occultè remanet: en ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos: mutat etiam habitum, vt cautiùs exploret: sic Christus absens à nobis, inuisibiliter tamen præsens est nobis sub formâ sacramenti.* Nescit enim in hoc mysterio suauissimus sponsus sic occultari, quin agnoscibilia fidelis sponsæ relinquat lineamenta. Nescit sponsæ fides non esse oculatissima. Ideo ad illud D. Marci de Christo ingresso domum: *Neminem voluit scire, & non potuit latere: mulier enim vt audiuit &c.* cap. 7. — Christus ibi licet absconditus, internitet. — Cant. 2. v. 9. Hugo Card. — D. Anton. — Marc 7 v. 24

v. 24. sic scribit D. Petrus Chrysologus, serm. 100. *Velle & non posse, non est diuinæ Maiestatis, est infirmitatis humanæ: scriptum est enim, omnia quæcunque voluit Dominus fecit, &c. quid ait Beatus Marcus?* dubitauit prudenter, prudentiùs sic responsurus. *Nunquid ex tollenda ita est mulieris fides, vt includatur Domini possibilitas, & voluntas? aut est tanta sagacitas fidei, vt nolente Deo, diuinum valeat inuestigare secretum?* Vbi deinde fusè sic rem illustrat, quasi piâ violentiâ, sic fides diuina penetret arcana, quasi vix possit diuini amoris teneritudo, illius perspicaciæ aliquid occultare. Quod tamen in re Eucharisticâ longè gratius. — D. Petr. Chrys. — Fidem, strenuam, Deus latere vix potest.

Ostendit se Christus duobus discipulis euntibus in Emaus, sed *in aliâ effigie* Marc. 16. v. 13. Non quòd Christus effigiem mutaret, sed quòd illis, quasi sub aliâ figurâ incognitus videbatur: quia, *Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.* Luc. 24. vers. 16. tandiúque durauit impedimentum, donec in Eucharistici panis fractione, *cognouerunt eum.* vers. 31. Quasi solùm huic mysterio, arcani Christi apertio reseruetur. Quæris causam? Desponsârat sibi Ecclesiam, cuius, vt nemo membrum est, nisi per fidem vniatur, sic nemo vniri potest, nisi saltem per fidem in Sacramento panis reformetur. Quid ergo miraris si sponsam tenerrimè dilectam, de suis celare ne queat sponsus suauissimus: & ab hoc pane, quo maximè in sponsam id est corpus Christi mysticum formatur, sumpto reali Christi corpore, illuminetur? Audiant hæretici Principes Augustinum, Tom. 4. lib. 13. de consensu Euangel. quibus cætera mysteria ideo caligant, quia miseri ad Eucharistiam cæcutierunt. Ergo ita ibi Doctorum alpha. *Quod autem ait Marcus, eis in aliâ effigie Dominum apparuisse: hoc Lucas dicit, quod eorum oculi tenebantur, ne agnoscerent eum: oculis quippe eorum acciderat aliquid, quod ita manere permissum est, vsque ad fractionem panis, certi mysterij causâ, vt eis, in illo alia ostenderetur effigies, & sic eum non nisi in fractione panis agnoscerent, sicut Lucâ narrante monstratur. Pro meritò quippe mentis eorum, adhuc ignorantis, quod oportebat Christum mori, & resurgere: simile aliquid eorum oculi passi sunt, non veritate fallente, sed ipsis veritatem percipere non valentibus, & aliud, quàm res est, opinantibus: Ne quisquam se Christum agnouisse arbitretur, si eius corporis particeps non est, id est Ecclesiæ: cuius vnitatem in Sacramento panis commendat Apostolus 1. Cor. 10. dicens, vnus panis, vnum corpus, multi sumus: vt cum eis benedictum panem porrigeret, aperirentur oculi eorum, & agnoscerent eum. &c. Non autem incongruenter accipimus, hoc impedimentum in oculis eorum à Satana factum fuisse, ne agnosceretur Iesus: sed tamen à Christo est facta permissio, vsque ad Sacramentum panis, vt vnitate corporis eius, participata, remoueri intelligatur impedimentum inimici, vt Christus possit agnosci.* Adhæreat ergo catholicus meus Princeps Eucharistiæ, & anima fœliciter desponsata Christo, cætera fidei arcana faciliùs penetrabit. — 1196. Marc 16. 13. Luc. 24. v. 16. Vers. 31. — A Eucharistici tempi- aris sumam lucem accipimus. — D. August.

Rapitur in Cælum Elias, dominicam ascensionem, vt fermè testantur Patres, repræsentans, suspirat Elisæus raptum, (vt Ecclesia absentem à se Christum suspirauit) & post querelas, additur statim: *Et tulit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* 4. Reg. 2. vers. 13. quasi hinc, singulare sibi do- — 1197. — 4 Reg. 2. 13

loris leuamen compararet. Sed quid ita, si illud pallium, sub ipso absentandi se articulo relictum a patre discipulo potiùs absentiæ amaræ memoriam refricabat, vt sic leniret dolorem qua pignus vt eundem augere, qua pignus absentis erat, videretur? ænigma, imò futuri mysterij vmbra erat, totum quod agebatur. Discessurus iam Christus ad Patrem, Eucharistiam, pallium scilicet zeli, de quo suprà, suis relinquit, cuius mysteria, in eiusdem commemorationem tractarent: erat ergo Eucharistia, præsentia quædam Dominicæ absentiæ: absentia quædam, quæ licèt occultum, præsentem tamen Dominum retinebat: vnde licèt absentem sponsum, quia inuisibilem, doleat Ecclesia, retento tamen Eucharistico pallio, sub quo latentem, præsentem recognoscit, se consolatur. Nunc capies Drogonem Ostiensem lib. de Sacr. Dom. Pass. vbi ita ad Christum: *Ecce sublatus es, ampliùs te eum non videbit Elisæus: remansit tamen ei pallium tuum, in memoriam tui, vt præsentiâ absentia tua, dolorem eius semper & augendo leniat, & leniendo augeat: Hoc sumite ait, in meam commemorationem, hoc est Sacramentum corporis tui, quod sumimus in tui commemorationem donec venias.* At vnde, sub tanto pallio latens, sponsæ cognoscitur? nihil perspicacissimis sagacis fidei oculis impenetrabile: vt enim Deum, sub carnis pallio, cognouerunt discipuli fideles, sic Deum incarnatum, sub pallio panis acutissimè perspicit hodie Ecclesia: citatus Drogo: *Pallium tuum est caro tua, quâ vestitus ad nos processisti: & latuisti quidem perfidos, sed fidelibus tuis te ipsum ostendisti: sicut & vsque hodie.* Quia vt olim, degentem mortalem tunc Christum, sub carne Deum, fideles agnouerunt: sic vsque hodie, latentem sub nouo velo Eucharistico, fidelis sponsa Ecclesia internoscit.

Eucharistia suauissimo tenore, præsens absentia, absentis præsentia Christi est.

Drogo Ost.

Fides perspicacissima est.

Drogo Ost.

1198. Maius aliquid, è tenerrima huius sponsi indole, adhuc auguror. Solet feruidus amor, & timoris zelotypi impatiens, medicamenta quærere, condire pocula, vnde coniux in amorem, velit nolit, potionatus constringatur: tale aliquid erga sponsas animas visus meditari Christus in Eucharistia. Attende. Prudens est monitum illud Senecæ epist. 9. *Ego tibi monstrabo amatorium, sine medicamento, sine herba, sine vllius venefica carmine: si vis amari, ama.* Satis se amantem, ostenderat nobis Deus, vnde & amari mutuò, haud immeritò poterat sperare: nec tamen eo, flagrantis desiderij affectus, contentus degit, parat escam, condit poculum, insusurrat diuina carmina, & tandem philtricum parat in Eucharistia: quo quanti, mutuum sponsæ amorem faciat, manifestet. Expendi fusè verba illa Chrysostomi, (ex tomo 3. Orat. de Beato Phylogonio) *in Opere Concept.* quibus sanctus Doctor diem natalem Christi fusè celebrans, sic subiungit: *Propter hoc potissimùm amplector, diligóque diem hunc, & amorem eius in medio propono vt vos huius amatorij pharmaci participes reddam, eóque rogo vos omnes, obsecróque vt summo studio, summáque alacritate velitis adesse. Sed prius suam quisque domum repurget, vt videamus Dominum nostrum in cunis iacentem, ac fascijs inuolutum, horrendum ac stupendum spectaculum.* Sed tu ad rem præsentem mihi pende, sæpe in hoc Sacramento renasci Christum, qui abiectior sub accidentibus panis & vini, quàm in cunis olim & fascijs, nobis exhibetur, mirandum de charitate, horrendum ad reuerentiam spectaculum. Hoc sibi voluit idem Chrysostomus paulò post, *Si cum fide accesseritis, & nos, procul dubiò videbitis illum in præsepio iacentem: nam hæc mensa, vicem explet præsepis: nam & hic ponitur Corpus Dominicum, non quidem fascijs inuolutum, sicut tunc, sed vndequaque Spiritu sancto conuestitum.* Si ergo semel nascens amatorium pharmacum condiuit: quoties hic renascitur, toties nouum eiusdem efficaciæ philtricum administrat.

Eucharistia pharmacum & poculum amatoriũ est.

Seneca.

D. Chrysost.

Describit Apostolus Hebr. 9. quàm conuenienter sigillandis mysteriis Christus pateretur, 1199.
inde maximè, quòd lex gratiæ esset testamentum, in quo vltimam voluntatem, fidelibus suis, seu filiis relictis, Dominus & dulcissimus Pater manifestauit: at verò Testamentum, solâ testatoris morte stabiliter confirmatur: *Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris, &c. nec primum quidem sine sanguine dedicatum*, vers. 16. Verissimum planè istud, & fide sanctum: vnde tamen, consimilis veritatis, verba euangelica reddantur obscurissima. Pridie, totas fere quindecim horas ante quàm pateretur: calicem Eucharisticum consecrans Christus, tradénsque Discipulis, ait ad illos: *Hic calix nouum testamentum est, in meo sanguine, qui prò vobis fundetur*, Luc. 22. v. 20. Et non resultet ab his textibus antinomia? Fundendus quidem erat sanguis, nec dum fusus, quia nec dum mortuus Christus? quomodo ergo iam solidum testamentum, & stabile poterat appellari, nondum testatoris morte intercedente? Neque id satis, difficilius enim dubium insurgit. Sanguis quidem Christi non est Testamentum, sed quodammodo rubrica, quo ipsum testamentum, seu lex data sigillatur: vnde ergo tam disertè à Christo, sanguis suus testamentum appelletur? Optimum se Bartolum, & Baldum exhibuit hìc Balduinus in Sylu. Alleg. qui ad hunc locum, ita: *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine: ac si dicat: hîc constituta est causa, & virtus, & ratio implendi, quæ in nouo Testamento præcepta sunt; & obtinendi, quæ præcepta sunt: hic est finis & consummatio legis: hic est plenitudo gratiæ, & veritatis.* Pulchrè dictum. Quemadmodum enim, qui adhuc inter viuos omnia amouet impedimenta, repellit obices, vnde post eius mortem, testamentum suum poterat fortasse infirmari: iam testamentum suum stabiliisse se profert; imò & instrumentum illud, quo præcipuè resultaturis obstaculis obuiauit, Testamentum suum solet appellare: sic Christus sanguine Eucharistico nobis virtutem & robur conferens, quo legem gratiæ, siue testamentum eius impleremus: meritissimò hunc calicem Testamentum appellauit. Attuli ad rem aliam alibi, iam hunc locum, hic tamen necessariò delibandus, quia his, quæ rei præsenti, nondum ibi tacta subiungo, apprimè opportunus.

Hebr. 9. 16.

Luc. 22. 20.

Mira Eucharistia vis, ad diuinæ legi adimplendæ.

Balduin.

Restat ergo scrutandum, cur cùm tot alia Sacramenta, id est virtutum fontes Christus aperuerit, hausturis gratiam è fontibus Saluatoris: solummodo Eucharistiæ hoc tribuat priuilegium, quasi inde tota implendæ legis nouæ ratio dimanet? Puto dicendum, inde prouenire, quia lex noua, siue lex gratiæ toto amore constat, & Dei proximorúmque charitate stabilitur: vnde ergo aptiùs, quàm Sacramento ardentissimi amoris roboretur? Nihil efficaciùs extorquendis etiam ab ingrato corde amoribus, quàm incantata 1200.

Quæ vis efficacia in hoc amatorio poculo ad amores.

tata esca, poculum amatorium: si ergo in hoc sponsali epulo, dulcis pharmaci, vt dixi, amatorij poculi philtricum parat Christus: quid miraris, si perbellè Amoris legi dicitur ministrare?
Balduin. Nunc capies citatum Balduinum. *Hic est plenitudo gratiæ, & veritatis: hic est mysterium fidei, firmamentum spei, testimonium dilectionis meæ, exemplum obedientiæ vestræ, Nouum enim Testamentum est, in meo sanguine confirmatum, nulloque ritu deinceps mutandum, vt sit legitimum sempiternum. Hic calix amatorium poculum est, quod nobis confecit arte, quâ ipse nouit. Cum hoc sanguine fuso amorem suum effudit: cum hoc infuso, amorem suum infudit: lauans nos à peccatis nostris in sanguine suo. Sic enim necesse erat nobis: sanguine fœdatos, sanguine oportuit mundari.*
Et robur, ad Martyrium. Hinc ergo robur, hinc firmitudo Ecclesiæ militantis: hoc calice fæliciter potionata, non timet in constantiam synceræ fidei, in legitimi amoris argumentum, in exemplum obedientiæ suæ, Martyrij calicem intrepida exhaurire. Benè
D.Cyprian. D. Cyprianus Orat. 17. de lapsis. *Quomodo ad Martyrij poculum idoneos facimus: si non eos priùs, ad bibendum in Ecclesiâ, poculum Domini, iure communicationis admittimus?*

1201. *Quanta virtus terrenis omnibus obliuiscendis.* Habes igitur, mi Princeps, vt religioso Eucharistiæ cultu, diuinitatem compares cumulatiùs, quàm olim deliranter, eandem Ethnici Principes consequendam somniârunt: nam vt vidisti, cum Deo, & in diuina mensa, Deum comedis: & animam tuam Christo, non vtcunque, sed sub mille amoris delitiis, cernis desponsatam. Et ignauescis adhuc? An carnis, voluptatibus ebrius, non attendis? Reges illi, qui perfidam Babylonem, id est, Romam Ethnicam coluerunt, miserrimè inebrietati traducuntur: *Fornicati sunt Reges terræ, & inebriati sunt qui inhabitant terram, de vino prostitutionis eius.*
Apoc.17. 2. Apocalyp.17. vers.2. Neque mirum: poculum amatorium, confectum calicem meretrix gerebat, quo abripere mentes potis erat: *Habens poculum aureum in manu suâ, plenum abominatione, & im-*
Vers.4. *munditiâ fornicationis eius.* Vers.4. Scilicet, nondum in Antidotum, diuinum pharmacum, amatoriam potionem parârat Christus: illi inde bibentes, obliuiscendis cælestibus inebriantur: tu Eucharistiam degustans, faustissimè obliuiscendis terrenis inebriaris. Hinc sanctissimus Rex David: *Calix meus inebrians, quàm præclarus est.*
Ps.22.5. Psalm.22. vers.5. Vbi Hieron. *Mystico me ca-*
D.Hieron. *lice inebriâsti: vt obliuioni traderem delectationes prioris vitæ.* Et Augustinus. *Poculum tuum,*
D.Aug. *obliuionem præstans, priorum vanarum delectationum, quàm præclarum!* Quid faceret David prægustans, qui solummodò præuidens, sic exclamat? Hinc illud Christi. *Comedite amici, &*
Et diuinis gloriis assequendis. *bibite, & inebriamini charissimi.* Cant.5. vers.1. Verba sunt ex mente Ruperti ibi, Domini loquentis ad Apostolos in vltimâ cœnâ, post institu-
Cant.5. Rupert. tionem Sacramenti: qui deinde post multa, subdit. *Inebriamini igitur charissimi, inebriamini, inquam, ita vt egestatis vestræ obliuiscamini: & doloris ampliùs non recordemini.* Sed de hoc, alibi iam plura.

* * *

V.

Vnde Principi Catholico, Crux veniat religiosissimè colendo.

Nihil ita, post Eucharistiam, oderunt Principes hæretici, quàm Crucis cultum: nimirum latrones sunt, & ad patibuli etiam diuini nomen exhorrescunt: spurij gubernando accedunt, tyranni imperant, non possunt legitimum veri regni stemma, Crucem scilicet, non effugere: Nam quæ olim, maleficis in supplicium, ad infamiæ notam, parabatur: iam Crucifixo Domino, in Diadematum coronam, ad decus fidei, præeunte Constantino Magno, religiosis Principibus recolitur. Relinquo robustiores causas, polemicis contra hæresim scriptoribus, illam solummodò rei præsenti illustro gratiorem: quâ inde Princeps meus debeat, Cruci colendæ, totus impendi: quod sibi cælestis Princeps Iesus, hanc vnicè, in diuini Imperij sui *Insigne*, vsurparit. Benè Theophylactus in cap.23. Lucæ, expendens cur Isai.9. vers.6. Crux, sacris Domini humeris, gestata, *Principatus* dicatur: *Et factus est Principatus super humerum eius*: Sic concludit. *Quoniam Crux, fuit gloria, meritò dicitur Principatus ipsius, siue Principatus dignitas: nam ipsius Principatus Insignè, Crux ipsa est: vt Senatorum Insigne, prætexta fuit: & Consulum, & Imperatorum, duodecim fasces: Regum Insigne, Diadema & sceptrum.* Quid-ni ergo hoc Insigne, maximè ad adorationem excipiant terreni Principes, quo ad honorem, diuinus sic irradiat? 1202. *Crux, diuini Imperatoris, stemma est.* Luc.23. Isai.9 Theophyl.

In summa potestate venientem Christum aspexit Daniel: ideo de Patre locutus: *Et dedit ei potestatem, & honorem, & Regnum; & omnes populi, Tribus, & linguæ, ipsi seruient.* Cap. 7. vers.14. Iam satis per Populos, & Tribus omnes, adorantium multitudo expressa videbatur: quid opus erat, linguas addidisse, cùm è tot variis gentibus, variæ necessariò linguæ subnotentur? Memineris, quòd leuato in Crucem Christo, Titulus tunc regalissimus apponitur: *Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum.* Ioan.19. vers.19. Sed quomodò? *Et erat scriptum, Hebraicè, Græcè, & Latinè.* Vers.20. Huc ergo attendit Daniel, videns enim, non aliunde Christum gloriosiùs regnâsse, quàm à Cruce: Titulo autem regali ibi infixo, deuotissimè has linguas seruisse, non potuit stemmatis tanti gloriam præterire. D. Cyrillus Alexand, ad locum Ioan. adducto Daniele, post multa, sic habet lib.12. cap. 30. *Omnium gentium Regnum, Christo attributum esse, significauit, vt omnes populi, tribus, & linguæ, ipsi seruiant, & omnis lingua confiteatur, quòd Dominus Iesus Christus in gloriâ est Dei Patris. Titulus igitur iste, per præcipuas linguas, omnium linguarum Iesum futurum Principem prædicabat.* Neque caret mysterio, quòd hæc tria, politioris tunc Orbis idiomata priuatim huc aduocentur, Crucis gloriæ ministratura: egregiè Theophil. in Caten. aur. ad cap.23. Luc. *Significatur potentissimas Gentes, quales erant Romani: prudentissimas, quales Græci: maximè Deum colentes, quale fuit Iudæorum genus: subijci debere Imperio Christi.* Ergo Principes robore, doctrina, religione

1203. Dan.7.14. Ioan.19.19. Vers.20. *Christum colendum proponit.* D.Cyr Alex. *Potentibus, sapientibus, religiosis.* Theophyl

religione exculti, Crucem colunt: vt iam videant, hæreticâ prauitate infecti Principes, dum Crucem profanant, suo iure ignauos, indoctos, impios denotandos.

1204. Et quidem diuerso ordine, sed consimili impietatis affectu, in Christum, fœdata Cruce, prorumpit Hæresis cum Pilato: nimirum vt cum Pilato idem patiatur. Palpaturus Cæsarem Pilatus, Regis titulum, crucifixo Domino apponi iussit: *& posuerunt super caput eius, causam eius scriptam: hic est Iesus Rex Iudæorum.* Matth. 27. vers. 37. Vt pateret, se in obsequium Tiberij Imperatoris, omni postposito timore, in mediâ natione quæ paulo ante Christum religiosè coluerat, hunc crucifixisse, eâ solummodò ex causâ, quòd se Regem Iudæorum appellaret. Rupertus lib. 13. in Ioan. de hoc Pilati gesto. *Scripturam hanc, aliò Spiritus Sanctus dictauit, atque alio Pilatus consilio scripsit: ille námque gloriari se sperabat, in hâc malitiâ: & hoc titulo manifestius futurum, & clarius Cæsari nuntiandum, se pro fide eius occidisse hominem, quem multa gentis illius turba, cum ramis palmarum excipiens, regias illi laudes acclamauerat.* Quasi hoc esset magnum, si in Cæsaris sui gratiam, ignominiosissimæ Cruci illum traderet, qui noua, captando regno indebito, molitus fuerat. Sed fallitur obcæcatus Præses: nil inde, cōmēdatâ fide suâ promerebitur: quin imò Christi fides firmior, & excellentior asseritur: qui toties per Prophetas, in Cruce regnaturus promittebatur: quem proinde affixus Titulus manifestat, idem Rupertus. *At vero Spiritus Sanctus, bene vtens maligni scriptoris manu, hunc titulum fecit, qui cælo & terrâ transeuntibus non transibit: quia Iesus Nazarenus, id est Saluator & verè sanctus; Rex Iudæorum per Crucem suam est effectus. Iudæorum inquam, non eorum, qui se Iudæos esse dicunt, & non sunt, sed Synagoga Satanæ: sed Iudæorum, qui in veritate, confessores Dei sunt.* Profanat, polluit, amouet à se Crucem, hæresis: quasi fidem suam (perfidia germana) inde commendatura, quòd in spiritu, non per sensibiles imagines Deum adorat: & patitur id Numen aliò intendens, vt in pœnam scelerū, amotâ, regalis huius insignis, tutelâ, omnium ludibrio Dæmonum exponantur. Ni mihi, Chrysostomo saltem Orat. de Cruce aures adhibeant, vbi ita. *Propterea & in ædibus, & in muris, & in fenestris, & in frontibus, & in mente, magnâ diligentiâ Crucem depingimus. Nostræ salutis, & communis libertatis, & bonitatis Domini, hoc signum est: eam ob causam sigillum vocatur, quod omnia Dei deposita, & fides nostra commissa, quæcunque accepimus, hoc quasi sigillo regio, & annulo consignemus: nihil que mali accedere audet.* Ego saltem non hinc Hypocritas, hæreticos denotârim: nôrunt se vacuos, nulla Dei deposita sibi commissa, vnde superuacaneum ducunt, sigillo regióque annulo obsignari.

Math. 27. 37. — Christus, inuito Pilato, è cruce regnat.

Rupertus.

Idem.

Sub Crucis tutela protegimur securi.

1205. Rogârat Iacob, Iosephum suum, vt paterna ossa transferret ab Ægypto in Patriam; iurat Ioseph, mandata se peracturum: & addit Textus: *Quo iurante, adorauit Israel Deum, conuersus ad lectuli caput.* Genes. 47. vers. 31. Lxx. vertunt: *& adorauit Israel, super fastigium virgæ eius.* Quibus inhæsit D. Paulus cum: *Fide Iacob moriens, singulos filiorum Ioseph benedixit, & adorauit fastigium virgæ eius.* Hebr. 11. vers. 21. Hinc plerique ex Patribus, in hâc virgâ, Dominicam Crucem capiunt: quasi fide plenus Patriarcha senior, in Iosepho suo virgæ innixo, verum Iesum crucifixum adoraret. Illud tamen scrupuli restat adhuc, cur in virgâ crux credatur repræsentata: cùm à sola ratione ligni, alienior typus desumi videatur? Sed esto lignea virga Crucem referat: cur dicatur à Iacob in Genesi, adoratum Deum: cum Paulus tam disertè, adoratam potiùs Crucem nobis ingerat? Sed vterque nodus, ad rem nostram facillimè dissolnitur. Erat virga illa Iosephi tunc Proregis sceptrum; & supremæ, quam apud Ægyptios gerebat dignitatis, Insigne singulare: ideo apertissimè Crucem, id est vnicum Principis cælestis sceptrum referebat. Cùm autem sceptrum, pro Rege sumi soleat: eodemque honore (vt fusè *in Spicilegio* probaui) regium sceptrum, atque regia persona decoretur: iam diuersum aliquid, sed idemmet, diuersâ phrasi profertur: seu Christus Deus, seu Crux ipsius dicatur adorari. Huc tendebat Theophanes Cæramеus, Orat. 2. de Exalt. Crucis: *Iacob, fastigium virgæ Ioseph adorans: futuram regni, per Crucem potentiam præfigurauit.* Obganniant ergo in hoc sceptrum hæretici: tu mi Princeps, vt reuerenter habeas, audi Theophylactum Orat. de Festo S. Cruc. sic orbis Reges ad Crucis venerationem inuitantem *Rex es? accede ad Sceptrum Christi: agnosce te seruum esse, pretio magno emptum, agnosce Dominum: tibique subiectos, vt conseruos tracta, vno enim sanguine redempti sumus. Considera honoratissimum regalis dignitatis habitum, tempore Crucis illusum &c.* Vbi multa de Regno solido, à Regibus per Crucem participando: quæ *in Spicileg.* inter Gonzagæ mei encomia, expendisse puto.

Genes. 47. 31 — Lxx Interpr.

Hebr. 11. 21.

Crux, Christi sceptrum, merito pro Christo colitur.

Theoph.

Theophyl.

Illud tamen in re sceptri, huc seruaui, quod inter ludibria diuini nostri Principis, quibus terreni regni inanitas traducebatur, sic refert D. Matthæus: *Et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dexterâ eius.* cap. 27. vers. 29. Si in Coronâ, vtpote spineâ, non solùm ludum, sed etiam dolorem affectant: cur in sceptro, non durior materia ad dolorem, sed leuis arundo quæritur ad merum risum? Ni fallor, quia satis ad mysterium, si arundinea Principum sceptra id est inania & fragilia traducerentur. Passim in Scriptura Assyrij, vel Ægyptij Principis potentia, *baculus arundineus* appellatur, vt dum aureâ virgâ siue sceptro, immensum se posse iactabant, sceptro velut arundineo fragiles, exponantur ridiculi. Bene ergo Christus, sacræ Passionis tempore, irrisioni exponens regale terræ sceptrum, arundineo se patitur sceptro insigniri. Sed cur tunc maximè? quia adibat tunc Crucem, quam in solidum sibi sceptrum efformabat: vt ab huius adoratione, Catholicis Principibus sceptra stabiliret. Origenes tomo 3. Homil. 35. in Matth. *Si autem & de calamo, quem posuerunt in dexterâ eius, aliquid dicere conuenit, huiusmodi dicimus rationem. Calamus ergo ille, mysterium fuit sceptri vani, super quod incumbebamus omnes, sceptrum maligni: confidebamus enim in virgâ arundineâ Ægypti vel Babylonis, vel cuiuscunque regni contrarij, contra regnum Dei: & accepit calamum illum, & virgam fragilis regni de manibus nostris, vt triumphet eum, & conterat in ligno Crucis: & pro calamo illo priori super quem recumbebamus, dedit nobis sceptrum regni cælestis, & virgam de quâ scriptum est:* 1206.

Matth. 27.

Adoratum hoc sceptrum, fragilia sceptra Principum stabilit.

Origenes.

virga

virga æquitatis, virga regni tui. Hoc ergo sceptrum colat Princeps meus, vt humano sceptro soliditatem acquirat, imò & tartarea sceptra
Leo Imper. confringat facilè. Vidit id Imperator Leo, Princeps potentissimus iuxta, & Philosophus sapientissimus: vnde Orat. de exaltatione Crucis, sic Dæmoni insultat. *Non solum mussitare non audes: sed neque potes vllo modo sufferre virtutem & efficaciam, quæ ab hac diuinâ plantâ emittitur. Ecce regium sceptrum, dilecto filio tradidit Dominus, quo te, versute serpens, occiso, vitam mihi donauit.*

1207. Tertullianus lib. aduersùs Iudæos, Cap. 10.
Tertul. *Crucis cornua sua.* Explicans, cur Christus Dominus Tauro comparetur: post alia sic subiungit: *Cuius cornua essent, Crucis extima: nam, & in antennâ nauis, quæ Crucis pars est, extremitates huius, cornua vocantur.* Hoc Tyroni satis, nam quisquis mediocriter doctus plura nouit, vnde non solùm mysticè, sed etiam latinissimè, Crucis brachia, per Cornua possint explicari, ad rem. Viderat triumphantem Regem nostrum Abacuch, quem deinde sic describit. *Splendor eius, vt lux erit: cornua in manibus eius: ibi abscondita est fortitudo eius: ante faciem eius ibi mors: & egredietur*
Abac.3.5. *Diabolus ante pedes eius.* Cap. 3. vers. 4. & 5. De Crucis brachiis, hæc cornua nonnulli, & meritò explicarunt, ibidem tamen mihi semper dubium: cur non potiùs Christi manus, in Cornibus, seu Crucis extimis infixæ dicantur, vt par erat: quàm è contra, Crucis cornua in manibus gestata? an Crucifixus Redemptor, gestâsse potius Crucem, quàm à Cruce gestatus, intelligendus? Planè: nam, quia eò ipso regnum acquisiuit, quòd crucifigendas manus traderet: non tàm istæ cruciatæ clauis, quàm Crucem ipsam gestantes, tanquam Imperij robur, tanquam regalissimum sceptrum, & cornu, regni notissimum stemma, describuntur. Rupertus ad hunc
Christus per Crucem, Potestatem recepit. Rupert. locum, post multa. *Proinde cum dicit*, Cornua in manibus eius: *Non id solum attendere nos vult, quòd cornibus, siue brachiis patibuli, confixæ fuerint manus eius: (alioqui magis propriè dixisset, manus eius in Cornibus: sicut non dicere solemus, Crux in Christo, sed Christus in Cruce fixus:) hoc magis nos perpendere vult, quòd propter confixionem; quâ Cruci confixus est, vel in Cruce exaltatus est: omnis potestas, siue omne regnum, quod per cornu significari solet, datum est in manibus, siue in manu eius.*

1208. Vnde iam conciliabis illud vulgatæ nostræ editionis, *ibi abscondita est fortitudo eius*: Cum
Sixtian. *Dei potestas ibi dum absconditur, tamen manifestatur.* scholio, quod affertur in Sixtianâ, vbi legitur: *sibi stabilita est fortitudo eius.* Quandoquidem in eadem Cruce, vbi Christus fortitudinem suam visus abscondisse, glória regni eius, & Imperij sceptrũ fuit stabilitum. Quia autem sceptro isto, summi significationem amoris exhibiturus erat Rex noster benignissimus: aliqua exemplaria Græca, sic prædictum Abacuc locum putant
Græc.vers. *Vbi Amor Christi robustus, exhibetur.* vertendum: κέρατα ἐν χερσὶν αὐτοῦ, καὶ ἔθετο ἀγάπησιν κραταιὰν ἰσχύος αὐτοῦ, Id est, *Cornua in manibus eius: & posuit dilectionem robustam, fortitudinis suæ.* Quia nimirum, amorem suum erga homines, non mollem & delicatum; sed virilem, sed robustum, tunc Rex ille proposuit spectandum: cùm Regni sui sceptrum, id est, Crucem, præ manibus, tanquam charitatis Insigne ostentauit. Quid-ni ergo, tanquam ante laureatum Triumphatoris currum, vincta mors ducatur? Quid-ni ante pedes eius egrediatur Diabolus conculcandus? Huc facit iterum
Leo Imperator, Orat. citatâ de eadem Cruce. Leo Imper. *Sceptri huius dignitas.*
Violenter quidem Persecutor me insecutus est: sed ab omni impetu cohibitus est, terribili quodam obstaculo obiecto: vidit diuinam armaturam, & concidit potentia: radij huius effulserunt, tenebras que instantes, & persequentes dispulerunt. Vidit regium sceptrum impius ille Genius, & horrore perfusus, in summas angustias detrusus est. Hæc scriptor Princeps, vt cæteri Principes Catholici, à religioso Crucis cultu, medelam sibi sperandam intelligerent.

Hinc patebit locus ille Isaiæ, initio delibatus: *Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis: & factus est Principatus, super humerum eius.* Cap. 9. vers. 6. Quò notissima iam 1209. Isai 9.6.
veniunt verba illa Tertulliani lib. adu. Iud. c 10. Tertul.
Age nunc: si legisti penes Prophetam, in Psalmis, Dominus regnauit à ligno: Expecto, quid intelligas: ne fortè lignarium aliquem Regem, significari puteris, & non Christum, qui exinde à passione, superatâ morte regnauit. Proinde & Isaias: Quoniam Puer, *inquit*, Natus est nobis, & datus est nobis filius. *Quid nouum si non de filio Dei dicit?* Et natus est nobis: cuius imperium factum est super humerum ipsius. *Quis omnino Regum, Insigne potestatis suæ, humero præfert, & non aut in capite diadema, aut in manu sceptrum, aut aliquam propriam vestis notam? Sed solus nouus Rex sæculorum Christus Iesus, nouæ gloria, & potestatem & sublimitatem suam, in humero extulit, Crucem scilicet: vt secundùm superiorem Prophetam, Dominus regnaret à ligno.* Verissima quidem hæc, non tamen adhuc plena responsio: neque enim, vt Dominus regnare de ligno diceretur, requirebatur vnicè, vt ab Isaiâ, humeris gestâsse Crucem diceretur, cùm vbiuis illam gestâsset: Regnum per Crucem comparatum, & è ligno Dominus regnaturus, aptè diceretur. Quid ergo? cùm sceptrum hoc regium, vt paulo ante dicebam, medelam nobis afferret, quo diuinus Princeps, dilectionem suam posuit robustam, dum peccata clientium, aufert punitus ipse: ibi sceptrum amoris posuit, & medicaminis, vbi homines peccata deposuerant: *Suprà dorsum meum fabricauerunt peccatores: prolongauerunt iniquitatem suam.* Psalm. 128. vers. 3. Ps.128.3.
Vbi morbus, ibi medela: vulneri ipsi balsamum applicandum: igitur humeris innocentissimi fideiussoris, alienorum scelerum pondere, grauatis, Crux applicatur, per quam Rex noster, culpas gloriosissimè extinxit. Simile aliquid cogitabat D. Chrysostom. homil. 84. in Ioannem, D.Chrysost.
vbi ad illud: *Et baiulans sibi Crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum:* Cap. 19. vers. 17. Ioan.19.17.
Vbi ita. *Exiuit Christus in eum, qui dicitur Caluariæ locum: vbi quidam dicunt Adam & mortuum, & sepultum esse: & Iesum, vbi mors dominata est, ibi tropheum erexisse, hoc est Crucem: quam tulit contra mortis tyrannidem: & quemadmodum victores, ita Iesus, victoria signa humeris tulit.* Pergo.

Christus à Cruce, Rex verè. *Crux, vulnerum nostrorum medela.*

Apparet aliunde, quæ & quanta sit sceptri huius potentia; ex eo quòd ipsum Dominum repræsentet. Fœderibus olim ineundis Iouis sui statuam adhibebant veteres: quod cum non tarò difficile haberetur; sceptrum quo Iouis potentia 1210.

designabatur, solummodò afferebant: cuius iuramento astricti, velut iurato Ioue, negotia grauissima peragebant. Videndus Seruius ad illud Virg. lib. 12.

Virgil. Seruius.

Vt sceptrum hoc, dextrâ sceptrum nam forte gerebat.

Crux viuida Christi imago, & virtutis particeps.

Sed quid mirum, ligneus Deus, ligneo sceptro repræsentaretur: & falsò attributa statuæ maiestas, eiusdem etiam virgæ attribuatur? Illud verè mirum, immortalis Dei potentiam, sceptro suo, Cruci scilicet sic connexam: vt eodem miraculorum, cum Deo, niteat splendore: quasi imago illius viuida habeatur. Postquam Dauid egregia illa miracula, quibus Deus viam populo suo strauit, mari diuiso, retento Iordane, montibus amotis, commemorat: sic deinde quærit: *Quid est tibi mare, quòd fugisti; & tu Iordanis quia conuersus es retrorsum: montes exultastis sicut arietes: & colles, sicut agni ouium?* Psalm. 113. vers. 5. & 6. Tunc pulcherrima prosopœia sic inducit creaturas respondentes: *à facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob: qui conuertit petram in stagna aquarum, & rupes in fontes aquarum.* vers. 7. & 8. Videtur argumentum quasi à fortiori, quo timorem & fugam excusent hæ creaturæ: ac si dicant: Si Terra vniuersa ponderibus librata suis, & genio immobilis mouetur ab hâc facie: quæ vlteriùs Creatura coràm illâ consistere præsumat? Ideo reuerenter cedimus trepidantes illi potentiæ, quæ rupes etiam, in stagna aquarum commutauit. At quidem, cùm Deus his creaturis se visibilem non ostenderet, feréque omnia prædicta prodigia, acceptæ virgæ virtute, operaretur Moyses, (de solo Iordane alia est ratio) videtur Dauid hanc virgam, *faciem Domini* appellâsse: Nec immeritò, norunt pueri, Typum Crucis, fuisse huiuscemodi virgam: quæ cùm sceptrum supremi Regis sit, cúmque ad viuum repræsentet; etiam typo suo, cum virtute, imaginis & faciei nomen communicauit. Macarius Chrysocephalus Archiep. Philadelph. Orat. de Cruce: post alia de virgâ Moysis. *Dauid quoque, creaturam quasi examinans: quid est tibi, inquit, Mare, quòd fugisti: & tu Iordanis, quia conuersus es retrorsum? Quid accidit vobis, quid vidistis, qualem vim conspexistis? qua de causa montes exultauerunt vt arietes, & colles sicut agni ouium? Respondet Creatura his verbis: à facie Domini, ab apparitione Dei Iacob: qui conuertit Petram in stagna aquarum; & rupem in fontes aquarum. Faciem Domini virgam nominat: quia sceptri, & regni eius, qui crucifixus est, imaginem ferebat.* Multo ergo æquius, ipsummet regale sceptrum, diuina Crux, facies & Maiestas Domini appellabitur, & tamen, negat huic, hæreticus reuerentiam.

Psalm 113. 5 — Vers. 7. — Macar. Chrysoceph.

1211. Vix veterum monumenta finem faciunt, commendandi venerabilem maiestatem, quæ in Marij Consulis vultu relucebat: vnde Valerius Max. lib. 2. cap. 10. *Missus enim ad eum occidendum, in priuatâ domo, Minturnis clausum, seruus publicus, natione Cimber, & senem, & inermem, & squalore obsitum: obstrictum gladium tenens, aggredi non sustinuit: sed claritate viri obcæcatus, attonitus inde, ac tremens fugit.* Sed multo maius, quòd ad claritatem typicæ tantùm Crucis, Mare non tàm seruile, quàm tumida libertate erectum metu fatiscat: multò maius, quòd montes, qui excellenti quadam antiphrasi, ab immobilitate nomen comparârunt, iam propriè montes, quod verè moueantur, appellentur: multò maius, quòd rupes aridissimæ, emouendis sitientis adigantur, his plura typica crux peregit: quid vera faciet: quæ ratione sceptri, *lumen vultus dominici* appellatur? Inde fit vt per Crucem, Regem nostrum agnoscamus: sitque meritò, plusquam cæcorum numero adscribendus, qui tanti sceptri fulgorem immissum non reuereatur. Germanus Constantinopol. Orat. 2. de Cruce. *Crux videlicet lumen vultus Dei est, signatum super nos, psalm. 4. Nam scepterum Regis, lumen eius est: signatus, vt lucerna, ad ipsum deducens.*

Valeus dignitas, quàm venerabilis. — *Crux, dominici vultus claritas.* — German. Const.

VI.

Adhuc de cultu Crucis religioso.

Sed quid mirum à Crucis conspectu trepident Creaturæ: si solâ Crucis famâ Dæmones perterrentur? De aduentu Christi, victoriam à Tartareis Principibus reportaturi, sic Isaias: *Et introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ, à facie formidinis Domini, & à gloria Maiestatis eius.* cap. 2. vers. 19. non tàm Dominum ipsum, quàm formidinem eius, & gloriam Maiestatis, fugientes dicuntur euitare: hæc est enim summa Principis gloria, si non tàm euibrato gladio, quàm incusso pauore hostes debellet, & priùs nominis sui famâ, quàm aduentu exercitus, percellat: quod in magno Alexandro celebrant Scriptores: id in Pompeio magno, commendat Cicero, Orat. pro l. Manil. his verbis. *Et quisquam dubitet, quid virtute perfecturus sit, qui tantum auctoritate perfecit? aut quàm facilè, Imperio atque exercitu socios conseruaturus sit, qui ipso nomine, ac rumore defenderit?* Nondum per vastissimas orbis Prouincias Crux erecta, cùm, vt ex priscis & certissimis historiis discimus, ad primam Euangelij prædicationem, Dæmonum fugientium oracula conticebant: nimirum audito solo Crucis nomine, quæ maiestas & gloria est Dominica, ad pristinam noctem, Dæmones splendore perculsi remeabant. D. Basilius Magnus, ad hunc locum. *Illæ insuper inuisibiles Potentiæ, pedem retulerunt, à facie timoris Domini, & à gloria fortitudinis eius: ex quo tempore Crux, nominis celebritatem excepit: fugâ, se Idola proripuerunt.* 1212.

Sola Crucis fama, Dæmones perterruit. — Isai. 2. v. 19. — *Fama Dei quanti facienda.* — M. Tullius. — D. Basil. Mag.

Crucifixo Domino insultat Iudaica perfidia exclamans; *Si Rex Israel est, descendat nunc de Cruce, & credimus ei.* Matth. 27. vers. 42. Et certè non crederent descendenti à Cruce, qui, resurgenti à morte, non crediderunt. Sed esto, credamus saltem, id tunc non fictè, sed ex animo dixisse: vnde tanta anxietas excipiendi Regis, ab vno miraculo: quem tot aliis longè maioribus coruscantem, iam spreuerant? Viderant suscitatum dominico iussu Lazarum, & inde crucifigendo Domino adiguntur: vident iam ipsum crucifixum & inde si descendat, spondent se excepturos: quasi non esset maius, alium ab adamantinis mortis vinculis, quàm se viuum à ferreis Crucis clauis liberare. Vnde ergo sic ardentia vota descensus huius? Puto volentes, à Dæmonibus instigatos, hoc protulisse nondum enim diuinæ mortis mysterio consummato, solo Crucis ascensu, solo sacro ad lignum Christi contactu, iam Dæmones se afflictos sentiebant D. Hieron- 1213.

Mat. 27. 42. — *Virtute Crucis, etiam nondum mortuo Christo, dæmones horruerunt.* — D. Hieron.

ron. ibi. *Resurrexit, & non credidistis: ergo etiam si de Cruce descenderet, non crederetis. Sed mihi videtur, hoc Dæmones immittere: statim enim, vt crucifixus est Dominus, senserunt virtutem Crucis, & intellexerunt fractas vires suas esse: & hoc agunt, vt de Cruce descendat.* Neque mirum: qui enim ex Scripturis probè intelligebant, non vtcunque Regem Messiam suos redempturum, nisi etiam Rex pro suis mortem subiret: nihili ducebant, si Rex exciperetur, dummodo illibata morte, perennaret. Imò, quia non quouis mortis genere, sed Cruce, ex eisdem scripturis, augurandum diuinum Regem coniectabant: non dum morte, sed solâ Cruce initâ, perhorrescunt, Crucis descensum, Iudaicis oribus, anxiè proclamantes.

1214. Audito Magorum præconio, in Pueri Iesu necem sæuit Herodes: vnde Angelus ad Iosephum indictâ fugâ ait: *Futurum est enim, vt Herodes quærat Puerum, ad perdendum.* Matth. 2. vers. 13. (Matth. 2. 13.) Tam effrænis impetus, tam delira cogitatio, contra Puerum, qui stellam sibi in nuntium, proinde verè cælestis Princeps, expedierat: non terreno homini, sed Dæmoni vbique in Cælum rebelli, imputanda. Age igitur dum, serpens teterrime: si nos loturus sanguine suo, venit Christus, quid machinaris, recèns nato occiso, nisi, vt te expulso, citiùs abluamur? Sed hostis callidus qui præsagiebat, non Christo quanlibet, sed Crucis necem, implendæ redemptioni præscriptam, Crucis gloriam, Regis vexillum satagit amoliri: hoc enim, vt nobis salutare, sic sibi peremptorium, etiam nondum conspectum reformidat. D. Petrus Chrysologus, serm. 150. ad hunc locum. *Herodes quærebat, sed quærebat Diabolus per Herodem: qui videbat Magos, quos habebat in erroribus suis Principes, aufugisse. Christus si vinctus pannis, si vberibus Matris occupatus, si tacens linguâ, si latens opere, si gressu nullus, Diaboli signiferos, id est Magos, in duces fidelissimos commutauit: perfectæ ætatis Christus, quid posset facere, Diabolus iam videbat: & ideo mouebat Iudæos, instigabat Herodem, vt Christi, suspectam sibi præueniret infantiam, vt futura virtutis eius anticiparet insignia: vt peremptorium sibi, nobis victoriosissimum vexillum Crucis, callidus machinator auferret.* & bene, vt *Peremptorium* Dæmoni, sic nobis *victoriosissimum*, Crucis signum prædicatur: quandoquidem in Cruce, tanquam in throno regio, lis prisca dirempta, quâ condemnato Dæmone, in libertatem, quasi post liminij iure fuimus reuocati. Ideo Dauid, Psalm. 9. vers. 5. *Quoniam fecisti iudicium, & causam meam: sedisti super thronum, qui iudicas Iustitiam.* Vbi Incognitus. Quid enim fuit thronus Christi, nisi Crux, in qua regio titulo fuit insignitus, &c. *Crux est, ille Christi thronus, in quo Christus manens, omnibus fuit gratiosus, gratiâ omnibus præbens, quia ibi seipsum obtulit pro nobis. Propter quod dicit Apostolus:* accedamus cum fiduciâ ad thronũ gratiæ ipsius. *& in throno Crucis sedens, Rex noster iudicauit iustitiam: quia ibi non potentiâ, sed iustitiâ Diabolum superauit, & nos ab ipsius potestate eripuit: quia ibi pro nostris peccatis Patri satisfecit, secundum dictamen Iustitiæ.* Ita est: solummodò in throno Crucis, legitimum se Regem volebat agnosci Christus.

Crux vnicè contra Dæmones vexillum peremptorium, nobis victoriosissimum.

D. Pet. Chrys.

Psalm. 9. v. 5.

Incognitus. *Crux thronus, & Tribunal.*

1215. Agnitâ innocentiâ, satagit Pilatus Christum liberare: multa quærit, & tamen Christus, *Non respondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur Præses vehementer.* Matth. 27. vers. 14 & cur sic obmutescit diuinum Verbum, æterna Sapientia? quia quæsitus an *Rex Iudæorum* esset, à Pilato, paulò ante vers. 11. modestè affirmans responderat: nolebàtque modò, se defendens, paratum sibi iam regnum amouere. O quantum mysterij! oblato opiparo illo conuiuio, vbi Cælorum auctor, & coquum egit, & mirabilem se exhibuit carptorem, concitantur turbæ, & liberalissimas illas manus, totius Orbis imperio dignas, arbitrantes, de offerendâ Coronâ cogitabant: additque Ioannes: *Iesus ergo cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum, & facerent eum Regem: fugit iterum in montem, ipse solus.* cap. 6. vers. 15. Quid ergo nunc, qui regnum vilipenderat, sceptrum spreuerat, coronam conculcârat, regnum iam ambit: & indictâ causâ vult damnari, ne consummandam morte coronam dilatauerit? Non putabat aliunde Christus, legitimam sibi regni gloriam, nisi per Crucem: meritò igitur, qui regnum suffragiis Populi respuit acquirendum: instantis iam Crucis suffragium, bono nostro ambitiosus captat solicitè D. Ioannes Chrysost. Orat. in die Parasc. apud Greths. *Interrogauit Pilatus, fortasse Iudæus humanior: (quid dico fortasse? monstrabunt res veritatem) Quam accusationem affertis, aduersùs hominem hunc? Quis potest Deum culpare? Cogor enim cum Pilato, loqui: Iesus enim silet, non Verborũ inops Verbum, sed ne responsione, Crucis amoliretur Coronam.* Et non colant Catholici Principes, Crucis gloriam, quâ se vnicè putauit Christus decorandum?

Math. 27. 14

Ioan. 6. v. 15.

Christus, non se legitimum Regem putat, nisi per Crucem.

D. Io Chrys.

Confluxerant aliquando ad Christum, Gentilium nonnulli, qui illius, quam famâ perceperant, doctrinæ sitibundi, verba diuina audire cupiebant: adeunt Philippum, orant commercium; hic verò cum Andrea, Christum exorat, qui statim ad Discipulos: *Venit hora, vt clarificetur filius hominis.* Ioan. 12. vers. 23. Quis putaret hoc, de gloriâ illâ, quâ Christus, de confluentibus iam ad eum gentibus, exaltabatur, non esse intelligendum? at Christus, ad instrumentum tantummodo gloriæ huius respiciens, subdit statim. *Amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terrâ, mortuum fuerit, ipsum solum manet, &c.* vers. 24. Vbi postquàm per mortem, messes gentium, in sacrum horreum sibi inuehendas prædixit, flammato desiderio raptus, ne tantus fructus in longum protraheretur, clamat ad Patrem: *Pater clarifica filium tuum.* vers. 28. quid tunc? *Venit ergo vox de Cælo, & clarificaui, & iterum clarificabo.* ibidem. Non est facilis explicatu, filij postulatio, & Patris concessio: Si enim mors optatur, & conceditur, vbi exinanitâ quodammodo Maiestate vita diuina periit, cur vtrinque clarificatio appellatur? certè quia vita erat per Crucem dissoluenda: mors autem per Crucem, gloriarum fontem, nihil non clarum, nihil non regale afferre poterat. Ideo dubitanti concioni, quæ esset hæc vox, vers. 29. an à tonitru, an ab Angelo oriretur: *Respondit Iesus & dixit: Non propter me Vox venit, sed propter vos: Nunc iudicium est huius Mundi: nunc Princeps huius Mundi eiicietur foràs: & ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* vers. 30. Crucem suam, quâ è terra leuatus, non quouis alio, sed exaltationis titulo afficiens. Vnde subdit Euangelista: *hoc autem dicebat, significans quâ morte*

1216.

Ioan. 12 v. 23 *Crux sola, solidam & legitimam gloriã Christo contulisse, visa.*

Vers. 24.

Vers. 28.

Vers. 29.

Vers. 33. *morte esset moriturus.* Vers. 33. Quasi non vtcunque per mortem, sed per mortem prædestinatæ Crucis clarificationem legitimam speraret: Præiuit mihi D. Andr. Cretens. Orat. 1. de Exalt. Crucis. *Quod verò Christi gloria sit Crux, audi ipsum dicentem: nunc clarificatus est filius hominis, & Deus clarificatus est in eo: & continuo clarificabit eum. Et iterum: clarifica me Pater, claritate quam habui, ante quam Mundus esset apud te. Et iterum: Pater clarifica nomen tuum: venit ergo vox de cælo. Et clarificaui & iterum clarificabo: illam significans gloriam, quæ tunc in Cruce consecuta est, elementorum scilicet immutationem, & commiserationem: oportebat enim cum Creatore, creaturas condolere.* (D. Andr. Cretens.)

1217. In hoc autem loco, quàm regali maiestate plenum illud: *Nunc Iudicium est huius Mundi, nunc Princeps huius Mundi eycietur foras.* Quasi tunc, in Cruce sibi Iudicium contra Tartareos Principes assumeret, quia in regio solio, legitimè se senserat collocatum. Germanus Constantinopol. Orat. 1. de Cruce. *Iudicat vt Rex, in thronum regalem Crucis ascendens: & iudicium in hanc sententiam terminatur, vt Princeps Mundi, extrà suum Imperium eyciatur: ipsiúsque aduersùs homines tyrannis, & diuturna violentia cohibeatur.* Et quoniam expulso Dæmone, omnia sibi, liberali manu asserens restituit, subiungit: *Omnia traham ad me ipsum.* Si ergo omnia per Crucem ad Christum trahuntur: iam pro nihilo habendus, quisquis se per Crucem trahi non senserit. Eligat ergo hæreticus vtrumuis maluerit: aut enim se per Crucem, ad Christum trahi fatetur; & iam Crucem regalem thronum cogetur venerari, aut non trahi; vnde non inter omnia, sed ad nihilum venerit reducendus. Meus autem Princeps audiat D. Cyrillum Ierosolym. Catech. 13. Vbi ita. *Gloriatio sanè Ecclesiæ Catholicæ, est omnis Christi actio: gloriatio verò gloriationum est Crux: quod sciens Paulus: Mihi, inquit, absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Iesu Christi.* Vt iam extrà Ecclesiam Christi eiectum se agnoscat, quisquis aliunde se putet gloriandum.

(Ioan. 12. 30. *Crux, thronus gloriosissimus.* — Germ. Const. — *Ad nihilum redigitur, qui Crucem non adorat.* — D. Cyril. *Crux gloriarum gloria.*)

1218. Cùm verò nihil apud Reges pretiosiùs & delicatiùs habeatur, ac proinde nihil custodiatur vigilantiùs, quàm nominis sui splendor, atque supremæ gloria Maiestatis, quam læsam solent seuerissimè vindicare, dilectissimo etiam quouis purpuratorum, hanc vel leuiter violante, punito grauiter: iam non mirum, si diuinus Princeps noster, in Crucis suæ, gloriæ obstrepentes, tàm seuerus animaduertat. Post egregiam assertæ diuinitatis confessionem, audit à Christo, Petrus: *Beatus es, Simon Bariona, quia Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est: & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni cælorum, &c.* Matth. 16. v. 17. 18. & 19. Quis non putaret his verbis, suauissimæ familiaritatis gratiam apud Principem, & totam (vt aulicè loquar) fortunæ Petri, tanquam clauis trabalibus, immobilem stabiliri? Sed tu mihi pende quid statim euenerit: cùm enim Christus à vers. 20. inciperet Discipulos edocere, quod oporteret se pati, *& à Principibus Sacerdotum occidi* vers. 21. addit Euangelista: *Et assumens Petrus cœpit increpare illum dicens: absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Vers. 22. concepta paulo ante gratia, Petri amorem non solùm feruidum reddidit, sed audacem: increpat piè Principem, Purpuratus, & cuius vel leuissimam iacturam, vitâ propriâ & omnibus sarcinis redimeret, necem, nec etiam auditam, potest sustinere, affectu ergo, non tam præsumptuoso, quàm vehementi, amouendæ huic neci, Petrus rapitur. Quid tunc Christus? *Conuersus dixit Petro: vade post me Satanâ, scandalum es mihi: quia non sapis quæ Dei sunt, sed ea quæ hominum.* Vers. 23. Nihil tunc asperiùs, pro summæ illius benignitatis ingenio venire potuit: Dæmonis titulo denotat, & eiusdem scandaloso officio infamat: & quem paulo ante à cælesti Patre doctum commendarat, iam terrena solummodò sapientem traducit. Quod inde fit mirabilius, quia, qui in præsenti sic adirascitur in culpam hanc leuissimam: postea in passione Petrum tot negationibus fœdissimè delinquentem, non verbo duriori læsit, sed blandissimo respectu reuocauit. Ecquid hoc rei? Nimirum fœdissimè negans Petrus, in Christum rebellârat: hic vel leuiter increpans, & neci obstrepens, gloriam à cruce prouentuam amouebat: & qui fidem sibi violatam tulit patienter, gloriam Crucis non contumaci, sed ignaro verbo obnubilatam modicè, non sinit impunitam. D. Chrysost. hom. 55. in cap. 16. Matth. ad hunc locum. *Audiant quicunque passionis Christi Crucem verecundantur: nam si Apostolorum vertex, etiam ante quàm Crucis mysterium disceret, Satanas vocatus est: quam veniam impetrabunt, qui vbique iam prædicatam Christi Crucem, negare audent? Nam si qui à Deo beatificatus fuerat Petrus, qui ex reuelatione fuit veritatem confessus, sic acriter increpatur: quo supplicio cruciabuntur, qui Crucis mysterium non suscipiunt?*

(*In Crucis aduersarios, quam exasperetur Christus.* — Matt. 16. 17. — Vers. 21. — Vers. 22. — Vers. 23. — D. Chrysost.)

1219. Illud etiam in suprà dicto loco expendendum, quòd ideo *Satanas* vocetur Petrus, quòd cum priùs à Deo doctus, diuina: ita hic dum terrena loquitur, & in Crucem garrit, à Satanâ instinctus, à dissimulato Dæmone, & sub amoris specie in Christum, odium in Crucem suggerente, videatur adductus: solus quippè Dæmon, (audiant hæretici) sub velo superstitiosæ pietatis in Christum, gloriosissimæ Crucis adorationem, ab hominibus potuit amouere. *Satanas* dicitur Petrus à Domino, non tàm tædio personæ, quàm aditus loquentis Dæmonis ostensione. Hæc fuit acuta Gnome D. Petri Chrysologi serm. 27. ad illud Lucæ, *Impossibile est, vt non veniant scandala:* Cap. 17. Vbi verba prædicta Christi, sic claritatis ergo, aliter interpungit: *Conuersus Petro dixit, vade post me, Satana, scandalum es mihi.* Quod deinde, post alia Dæmonis scandala, pulcherrimè ad rem nostram ita explicat. *Et illud quod per Petrum.* Non tibi hoc erit Domine. *Triumphum Crucis vacuare contendit, cùm feruere se nimio amore mentitur: Nam cùm Dominus loqueretur passionis suæ gloriam, respondit per Petrum,* non hoc erit Domine. *Venenum quàm dulce serpentis! ante facit militem Regis sui negare victoriam, & seruus ipse Dominum quàm negaret: vnde Dominus seruum post se mittit, scandalum remittit Auctori; dicendo ad Petrum.* Vade post me: *& diabolo:* Satanas, scandalum mihi es. *Et verè, post Dominum vadit Petrus, qui vt eum sequeretur ad cælum, Crucem resupinus ascendit.* Vt iam nobili martyrio, Cru-

(*Impietas, in Crucem, à Dæmone, orta.* — D. Chrysol. — Luc. 17.)

cis

cis gloriam fateretur, qui per Crucem cæli gloriam fatetur comparari.

Adhuc in Petro aliquid maius venit ponderandum. Verissimum est illud quod vulgò dicitur:

*Percussus bello, bella futura timet.**

Petrus quippe seueram Christi increpationem
1220. *Gloria Crucis sua Christum, quàm celsitypos.* hîc expertus, didicit iam gloriam Crucis delicatissimè habendam sibi esse, cauens ne in hoc negotio, deinde vel leuissimè delinqueret: & fortasse intellexit illud Isaiæ, *Gloriam meam alteri*
Isa 48. 11. *non dabo*, cap. 48. v. 11. de Cruce capiendum. Vnde postea vitam, egregius miles, pro Rege suo fusurus: ne regalem thronum calcare temerarius, & gloriam tumidus vsurpare videretur, inuersam Crucem rogauit; rectam & commissam, qualem Christus subierat, habens reuerenter. Imo religiosissimam Petri prudẽtiam hinc considero: alij etenim terrenorum Principum familiares, illud vnum, vnde aliquid de Principum suorum gratiâ amisisse se norunt, auersione deinceps prosequuntur, & quod sibi scandalum fuit, prouocandæ regiæ indignationi, post reconciliationem in scandalum odij conseruant. Horum ergo imprudens consilium si Petrus sequeretur, Crucem quidem, ob quam Christus illum sic acriter increpuerat: memoriæ ad tædium infixam retineret: sed cælestis aulicus longè oculatior Crucem diligit, & Principi suo morigerans, inuersam amplexatur. Bene D. Ambrosius in Psalm. 118. serm. 21. ad il-
D. Ambros. lud: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum*, v. 65. sic scribit: *Crux Christi, Iudæis scandalum, Græcis stultitia est. Scandalum est perfido, quia dicit Iudæus: hic Deus est, qui homo visus est? hic Deus est, qui ieiunauit? hic Deus est qui vapulauit? hic Deus est, qui Crucifixus est? qui de Cruce descendere, & se liberare non potuit? &c. Non te ista teneant, non te perturbent, non in animum tuum huiusmodi se inserant cogitationes: vbi pax est, & multa pax, ibi Crux Christi, non opprobrio est, sed saluti est. Non fuit opprobrio, Petro, Crux Christi, quæ tantum ei gloriæ dedit, vt inuersus Christum honoraret vestigijs: metuens ne si ea specie crucifixus esset, qua Dominus, affectasse Domini gloriam videretur.* Expendant nunc Hæretici, an in Cruce tractanda, cum Iudæo perfido, an cum Petro Apostolo conueniant: Christi Crucem, diuino contactu sacram, immaculato sanguine perfusam non solùm in pupillis gerebat Petrus, sed etiam illius speciem & imaginem sic reuerenter colebat: vt temerarius diuinæ gloriæ affectator sibi videretur, si sub eadem forma martyrium subiret: quia rectæ Crucis figuram, sibi magis ad cultum, quàm ad patibulum: potiúsque gestandam in diadema Pontificatus sui, quàm in corporis torti catastam, efformandam iam fore sentiebat. Hæretne igitur Petri vestigiis, qui sacri ligni illius adorandas reliquias comburit? qui pias eius imagines, tanquam sceleratissima idola abominatur? Sed hæc Principi Catholico, pro regalissimæ Crucis adoratione, nunc sufficiant. Plura infrà 1437. vide.

VII.

Cultus erga Reginam cælorum Deiparam, terrenis Regibus quàm debitus.

HVc ades ô Maria, in quam væ sanè rabidâ 1221.
deseuit Hæresis, cuius caput iam olim in *B. Maria impensiùs quàm cæteri fideles Reges obaudiantur.*
serpente contriuisti, eiusdem deinceps pullulantia quotidie germina succidens: & tandem inuicto pede, (manu non dignaris) quidquid monstrosum ediderit interemptura. Despumet licet, concepta ab Orco venena, mœchus monachus Lutherus: liliatus in stigmata Sodomæ, Caluinus: & huius Cynædus turpissimus, Theodorus Beza: tu tamen Ecclesiæ Christi gloria, tu populi Catholici lætitia, tu generis humani honorificentia: & inuito Tartaro, Regina cæli in fines sæculi, & inde in æternum benedicta. Conspirate in Deiparæ obsequium, Catholici Principe, impendatis licèt maximum, debetis maius: & cuius, suprà reliquos Diuos omnes, siue homines siue Angelos excellentiam extenuare, hyperduliæ cultum abolere, dulcissimam inuocationem proscribere, conatur Hæresis: hanc vos, per quam *Reges regnant, & legum Conditores iusta decer-* Prou. 8. 15.
nunt, Prouerb. 8. v. 15. penitissimo affectu, ambite religiosissimè colendam. Obærati Mariæ (quid-ni, si auctore Methodio, etiam Christum habet debitorem?) cuncti degimus: sed Principes tantò strictius, quantò æquius Regis Regum & Mater & Sponsa; Regum Regina, & Domina dominantium prædicatur: vtpote per quam è regno Dæmonis, in Christi regnum, regnaturi fælicius, sunt translati.

Huc facit vox illa Christi ad Mariam, *Veni de* 1222.
Libano sponsa mea, veni de Libano, veni: corona- Cant 4. 8.
beris de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon: de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum, Cant. 4. v. 8. vbi Rupertus postquam in his montibus dæmonem explicuit, caput superbientium, eiúsque membra, infideles scilicet olim
Principes; de his ita subiungit: *Ipsa eadem re-* Rupert.
gna, & cubilia Leonum, & montes Pardorum: qui videlicet Reges regnorum, Reges Babylonio- *Principes impij ferarum montes sunt.*
rum & Persarum, atque Medorum: Reges Græcorum, Reges & Consules siue Imperatores Romanorum, quid nisi Leones & Pardi dicendi sunt: qui tot bellis, tot cædibus, Orbem terrarum lacerauerunt. De talium Leonum cubilibus, taliúmque Pardorum montibus, tu amica mea coronaberis. Vtrumque tamen hîc dubium & quòd Mater misericordiæ, reorúmque Patrona, spoliatura tot Principes, coronis suis dicatur: & quod Regina cæli, quasi aliunde indiga coronarij auri, ab his maximè spoliis dicatur coronanda: inops siquidem paratura creditur ædificij, si ab alienis ruinis fastigium meditatur: dura indoles, quæ etiam deuictis hostibus non parcit: vtrumque à Deipara longissimum. Quid ergo? Non spoliauit *Credentium Principũ salus, Corona Mariæ est.*
hos Principes Maria, sed beauit: edito quippe benedicto viscerum suorum fructu Iesu, idololatras ad pietatem reuocauit: quorúm proinde fidem accepit in coronam: vt cum Rege filio & sponso, Regina dominantium prædicetur. Pulchrè idem Rupertus (quem nescio cur P. Spinellus cap. 6. P. Velasquez lib. 2. de Optim Princip.

Adnot.6.tenuiter delibatū,expendere noluerunt) adductis suprà hæc subiungit. *Quomodo? Videlicet credent in me, fructum ventris tui: & eorum credentium salus, corona tua erit. Ita coronaberis, vt & in cœlis Regina Sanctorum, & in terris Regina sis regnorum, vbicunque enim prædicatum fuerit illud de dilecto dictum:* Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloriâ & honore coronâsti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum: *Prædicabitur de te quòd sis, ô dilecta, & Mater huius coronati, ac proinde Regina cælorum, totum iure possidens filij Regnum.* Non ergo apud hæreticos Principes Scriptura sub vero sensu prædicatur, qui Reginæ huius honorem, supremi Regis dedecus interpretantur: Neque mirum, adhuc proteruâ contumaciâ, in cubilibus & montibus suis tanquam Leones & Pardi rugiunt & insultant. Tu mi Princeps, audi quî tandem concludat hîc Rupertus: *Atque hoc intuitu Reges & Imperatores, coronis suis te coronabunt: Palatia sua nomini meo sacrabunt, honori tuo dedicabunt; vt desinant esse quod fuerant, montes Pardorum, cubilia Leonum.*

Rupert.
Maria, Regina Regum.
Rupert.

1223. Faustissimum hunc, aduocandis Christo Regibus, fauorem in ipsis Ecclesiæ incunabulis, Magi Reges, gentium Primitiæ, à Deiparâ Reginâ sunt experti, vt egregiè ex Eusebio Gallicano Velasquez suprà citatus iam expendit, sed multa denuò supersunt ponderanda. Ingrediuntur ergo vrbem hi Principes inclamantes: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Matth. 2. vers. 2. Ecquot stellas alias viderant egregij Astrologi, nec tamen inquirendo Numini, moti fuerant? Singulare ergo aliquid notârant in hâc stellâ, vt illam esse intelligerent, quam sibi, vt notant Patres, in signum nascituri Christi prædixerat Balaam canens: *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israel.* Numer. 24. vers. 17. Ecquid notârant? Scilicet contra naturam reliquorum siderum, præsente etiam Sole, non hebescere, quin imò, inde viuidiùs rutilare: vnde prudentissimè coniectârunt, à Virgine tanquam ab stella, verum Iustitiæ Solem, Deum esse ortum, qui mortalis fœminæ conditionem, ad immortalis quodammodò diuinitatis gloriam euehebat, vt penè cum diuino Rege Regina collucerer: túncque sibi in viæ ducem certissimam assignari. Richardus de S.Laur. lib.1. cap.3. adductis multis de Maria stellâ, sic ad rem nostram. *Hæc est stella, quæ apparuit Magis, &c. Stella hæc cum Sole elucebat, contra naturam stellarum omnium: Luna enim & stella, superueniente Solis lumine, non apparent, sed absorbentur à splendore Solis: hæc autem stella lucebat cum Sole, nec ad lumen Solis, propriam amittebat claritatem: vt illius stella, quæ peperit Solem, priuilegium demonstraret: Beata enim Virgo, quæ verum peperit Solem, lucet in filio: & quantò maiori dignitate rutilat Filius, tantò maiori dignitate splendet Mater: quæ licèt longè minor sit Filio, sicut stella minor Sole: hoc tamen gaudet priuilegio, quòd omnis anima Deo comparata suam reprimit claritatem: sed quia honor Filij, honor est Matris, in excellentia Filij lucet excellentia Matris, quæ tantum filium meruit generare.* Sic ad supremum Regem stellæ nostræ ductu, hi Principes deuenerunt: vt & reginam pariter, amoto stellifero velo, salutarent.

Matt. 2. 2.
Maria Reges ducit, stella purior.
Num 24. 17.
Sola Maria lux, coram Christo, non hebescit.
Richard. de S. Laurent.

Et quidem, non aliunde putarem, sub stellæ potiùs, quàm alterius typi formâ, Mariam, posteris Magis à Balaam, prænuntiatam, quàm vt aduerterent, à lucifluo fore hoc signo illuminandos, qui diuini Solis iubar inquirebant. Proinde aptè de Mariâ Bernardus, homil. 2. super *Missus est*: ita. *Ipsa igitur est, nobilis illa stella, ex Iacob orta, cuius radius vniuersum Orbem illuminat: cuius splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat: terras etiam perlustrans, & calefaciens magis mentes, quàm corpora, fouet virtutes, excoquit vitia.* Idololatriam ergo excoxit in his Regibus Maria, fidem fouit: & longè efficaciori virtute, quàm stella vapores, euanida pridem Magorum corda, traxit ad Iesum. Ideò citatus Richardus, de eadem Mariâ. *Stella, quia attractiuæ naturæ. Ea est natura stellarum, respectu vaporum, quæ adamantis respectu ferri: cum sit ergo stella, trahit ad Filium fluidos per vitia.* Et post multa, addit. *Quia nauigantes per mare Mundi introducit in portum salutis: ideo signatur per stellam, quæ Magos duxit ad Christum, qui est portus salutis: vnde.* Ecce stella quam viderant: & statim *additur*: & intrantes domum inuenerunt Puerum: *qui est ille portus.* Vt quemadmodum, non nisi magnetis vi occultâ acum dirigente, & stellâ polari cursum monstrante, nauigatio fœlix, & fœlicior portui appulsus succedit: sic non nisi, piissimo Mariæ attractu, occultâ vi, & benigno lucis radio, ad Iesum possent Reges appropinquare. 1224.

D. Bern.
Mariana stella virtus.
Richard. de S. Laur.
Maria nauigationis nostra, acus magnetica.

Exeuntibus à Solymitana vrbe Regibus, *Ecce stella quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vsque dum veniens staret suprà, vbi erat puer.* Vers. 9. Non ergo per cælum, sed per medium aërem, vagos & lucifluos gressus mouerat hæc stella, indéque humilior adhuc, in tectum radiatura domunculæ descendit. Sed tu mihi pende, potuisse in Mariæ sanctissimæ typum, in Regum horum ducatum, Planeta quidam, id est, erraticæ conditionis stella, sed in cælo manens, exhiberi: & tamen nouum sidus creatur, quod quasi ingenitæ nobilitatis oblitum, per infimam regionem moueretur. Et cur ita? Audi quid Dauid de Christo nato: *Inclinauit cælos, & descendit.* Psalm. 17. vers. 10. Quasi cum Rege suo, Regnum cælorum etiam, deserta propria sede in terras inclinatum, & hominibus iam peruium adueniret. Benè igitur inclinatur stella, quæ inclinatos sic cælos nuntiabat: benè demittitur, quæ demissos & facilè capiendos, cælestes thronos hominibus exhibebat. Quia Maria sic Reges filio aduocat suauissima, vt illis pro terreno, cæleste deinceps Regnum apparauerit. Neque hinc abest citatus Richardus, vbi ita de Deipara. *Item, hæc est stella, quæ apparuit Magis, quæ non in firmamento, sed subter firmamentum, quasi inclinatâ stellarum naturâ, in inferiori spatio aëris decurrebat, ac si diceret cum Psalmistâ, inclinauit Dominus cælos, & descendit. Noua erat stella illa, illam scilicet nuntians nouitatem: creauit Dominus nouum super terram: fœmina circumdabit virum.* Quorsum enim inclinatos sic cælos nuntiaret Maria, nisi quia illos, & faciles & diripiendos exponebat? Ideo benè D. Augustin. serm. 11. de Natiuit. Domin. *Facta est Maria scala cælestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, vt per ipsam, homines ascendere mereantur ad cælum.* 1225.

Matth. 2. 9.
Ps. 17. 10.
Maria, Principes, à conducit, in cælestem regnum transfert.
Richard de S. Laur.
Maria, scala cæli.
D. Aug.

Ergo

1226. Matth.2.11. Ergo Intrantes Reges Domū: *Inuenerunt Puerū, cum Mariâ matre eius, & procidentes adorauerunt eum* vers. 11. Non inuenitur Puer absque Matre: puto, ne ad pueri maiestatem, sine maternæ misericordiæ temperamento, trepidantes caligarent. Faciunt huc verba D. Antonini Florent. Psalm. 4. tit. 15. cap. 21. licèt non huc attendens. *Sol per zodiacum discurrens, in signo Leonis est ardentissimus, & animalium corpora, nimio calore, languida reddit: sed ingrediens signum virginis mitigatur. Ita Sol iustitiæ Deus noster, in veteri Testamento, erat vt Leo rugiens, Deus vltionum, peccatores terribiliter puniens, vt patet exemplis in sacris litteris: sed feruentissimo amoris calore, in vterum Virginis intrans, factus est totus benignus, suauis, & humanus.* Audierant Reges isti, quàm se gentibus, Deus Hebræorum terribilem exhiberet, audierant à vicinis Hebræis, Leonem sibi Iuda in Regem esse promissum: quid ni trepidarent? inueniant ergo illum cum Mariâ, id est, in Mariæ sinu molliter collocatum: vt sapientiores, quàm pridem, astrologi iam condiscant: in sinu Matris, tanquam in signo virginis non iam sibi leonem, sed agnum, Solem Iustitiæ exoriri. Proinde non immeritò D. Ambrosius serm. mihi 18. Qui est primus Epiphaniæ: expendens, cur eodem die, sed post triginta annos, quo Christus Magis Regibus reuelatus, etiam in Baptismo Matth. 3. à Patre, vt est prisca traditio, prædicetur: sic subiungit. *ibi, cùm secundum hominem nascitur, Mater eum Maria, sinu circunfouet: hic cùm secundùm mysterium gignitur, Pater eum Deus, voce complectitur, &c. Mater ergo partui, molli blanditur in gremio: Pater Filio, pio testimonio famulatur: Mater inquam eum adorandum Magis ingerit; Pater colendum gentibus manifestat.* Quid ergo *à molli* Matris *gremio* ingestus puer, nisi mollissimam misericordiam significaret, & fortasse, non absque emphasi dixit Euthymius ad hunc locum. *Quando ingressi sunt Magi, Virgo Christum, super genua habebat.* Sunt genua, in omni litteratura, symbolum misericordiæ: vnde Gentes, Idolorum genua votiuis ceris inficere solebant, quasi inde misericordiam sperarent: huc alludebat poeta *Genua incerare Deorum:* de quo fusè *in spicil.* dixi: Non ergo vtcunque in gremio, sed super genua locatum, ethnicis Regibus Deipara Christum exhibuit: vt iam deinde discerent non Idolorum genibus, sed Mariæ, Monarchas prouoluendos, vnde Christus, id est omnium misericordiarum fons largissimus scaturit. Vel, quia humillima præuidebat, Orbis in posterum Principes, eius genibus, deuotos supplicaturos: Christum genibus suis imponit, ne tàm sibi, quàm filio, misericordiæ secuturam exuberantiam imputarent. Detur saltem pio, si minus docto affectui nostro, Euthymium sic explicasse. Pergo.

D. Ant. Flor. Deus olim Leo, iam per Mariam, Agnus mitescit.

D. Ambros. Maria mansuetum iam Iesum, Regibus offert.

Euthym. Mariæ genibus, Christus impositus, quid sonet.

1127. Posses etiam dicere, ideo in sinu Matris, Magis præberi puerum adorandum: vt, (quia tunc Regis regum, & Domini dominantium, ingressus Orbem, honores accipiebat) in sublimiori, quem terra dare poterat, loco cerneretur: & vt in Cælo, beatis illis Principibus, è paterno sinu radiabat: sic in terrâ aduenientibus Regibus, è Parthenico gremio, condignior collucebat. Eiectis in fornacem ignis, Impij Nabuchodonosoris imperio, tribus Pueris, socius fit Angelus, caminum in Paradisum mutaturus: Dan. 3. vers. 49. Erat iste, vt Doctores notârunt typus Christi, qui propterea à Tyranno, *similis filio Dei* vers. 92. perhibetur. Hinc Iuuenes in Christi venturi laudes erumpunt hilares: è quorum tamen longiori hymno, illud solummodò venit ponderandum in præsens, quod vers. 54. protulerunt: *Benedictus es in throno regni tui, & super laudabilis, & superexaltatus in sæcula.* Non vtcunque potentiæ, sed regiæ potentiæ Christum commendari, non demiror: in Regem enim sæculorum edebatur: illud singularius, quòd non simpliciter in regno, sed *in throno regni sui* benedicatur, quasi augustæ Maiestati, è throni excellentia, aliquid condigni honoris cumuletur. At quidem absque throno, absque satellitio, si solus cernatur, dignissimum se Regem Christus ostentabit: qualis ergo hic thronus, aut quando paratus, vnde Christus pomposiùs, voluit se Orbi Regem gloriosiorem exhibere? Respondet ibi Lyranus. *Benedictus in throno regni tui, hoc est, in Virgine: quæ speciali modo coniuncta est Deo, ratione maternitatis: & dicitur propriè ipsius thronus: quia in gremio eius sedit, cùm recepit munera à Regibus. Matth. 2.* Quia licèt Rex summus tributis regum excipiendis per se sufficeret: maluit è materno throno, illa repetere: vt notantes Principes, tanti à Christo fieri Mariam, vt ab illâ se quasi gloriosiorem exhiberet, illam sibi in Patronam singularissimam eligerent.

E paterno, ad parientium Mariæ sinum non indecenter migrat Christus.

Dan. 3. v. 92

Vers. 54

E Mariano throno, Christus pomposior.

Sed neque munera ipsa, honore Mariano, vacua exhibentur. *Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* v. 11. Agite dum prudentissimi Principes: quid hoc est donorum? Nostis puerum, non solùm Regem auro colendum, sed etiam Deum thure adorandū, & tamen myrrham quasi morituro, non puduit obtulisse? An vel etiam humana sapientia, Deum naturâ immortalem esse, non agnoscit? Probè nouerant: Sed quem naturâ sciebant immortalem, amore sibi redimendis, mortalem iam tunc factum penetrabant, bene est: Sed vnde domi adhuc manentes, (vnde mystica proinde dona detulerant) mysterium sic distinctè præuidere potuerunt? Viderant *Stellam eius in Oriente:* & astrologi iam Prophetæ, ni fallor sic coniectârunt. Stella, & hæc crinita, Cometa scilicet, non ortum, sed mortem Principis solet præmonstrare. Quid est ergo quòd in ortu Dei regis oritur stella, nisi quòd in id videatur nasci, vt mori possit: quasi bono nostro, è cuna iam sepulchrum meditetur? at certè mors ista victrix, Infernum etiam Principem, cuius tyrannide premimur, trucidabit: Arripimus ergo diuinum, stellæ tantæ signum: quæ nobis faustissimam, sed longè diuersam, vtriusque Principis, Dei, & Dæmonis mortem præsignificat. Miraris tam profunda Magorum vaticinia? Memineris quod initio dicebam, sub hac stellâ Mariam, id est Mariæ fauorem importari: quæ horum Principum benefica iam Patrona, immensum hoc pondus lucis, illis à filio impetrârat. Quamuis non asserit, non tamen explicatiunculam nostram respueret Ricardus Laurentius lib. & cap. citato, qui inter multa, quibus Mariam, stellam probat: hoc subiungit. *Stella, quia futuros euentus prænotat: Cometes enim quando oritur, signum est mortis Principum; & ipsa, mortis Christi, qui est* Princeps pacis *Isai. 9. & diaboli, qui dicitur* Princeps Mundi, *Ioan.*

1128. Matth. 2. 11.

Maria Cometa fuit, cælestis Principis mortem, & Dæmonis præcipitium significans.

Ricardus de S. Laur.

Ioan. 12. Ideo dicitur Ierem. 46. Fortis impegit in fortem; *id est, diabolus, in Christum*, & ambo pariter corruerunt. *Sed dissimiliter.*

1229. Hucusque Mariana beneficia erga Magos hos Principes dispeximus, nec pœnituit longiùs processisse, quoniam licèt omnes gentes, præcipuè tamen Reges Catholici, in his fidei nostræ primiceriis de religione erga Deiparam abundè instituentur: solum subdo, priùs quàm ad alios veniamus, verba D.Thomæ Villan. Conc.1. de Epiph. Vbi ita. *Magi iacent, purpurati Principes ad Virginis pedes, & pannosum infantem, regia celsitudo pauescit. Quid sentis ô Virgo, tuam quid nunc concitat mentem? quid est, quod vides? quasi potens Aquila, tremulos cùm superuolitat turdos: talis Virgo regia, barbaros circumspicit Reges. Dicite nunc Principes, quæ vos potentia terret? Quid vidistis in Matre, quid vidistis in Filio? quid vidistis in Virgine, quid vidistis in Puero, &c.* Nouerint ergo terreni Reges nobilioris conditionis, turdos pauidos esse, si cum Aquila Regina volucrum, cum Maria cælorum Regina comparentur: Patronam sic ament, vt dominam reuereantur: & sub debita proportione, vt Regem Deum sic Reginam Deiparam venerentur: Audiant Arnoldum Carnotens. Tractat. de Laud. Virginis. *Maria, linguâ Syriaca, Domina dicitur. Christus Dominus, Maria Domina: & licèt ipsa se Christi profiteatur ancillam, hoc seruitutis genus, omni regno sublimius esse intelligis: Constituta quippè est super omnem Creaturam: & quicunque Iesu curuat genua, Matri quoque pronus supplicat: & Filij gloriam cum Matre, non tam communem, quam eandem esse iudico.* Hæc de reuerentia erga Dominam: iam verò de amore, & religiosa pietate erga Patronam, quamuis ad singula Deiparæ, Principes affectuosissimos exoptem: at suo iure, Mariæ in præsepio adhuc paruulum Iesum fouenti, vellem addictissimos: nam vt ibi aduenientes Magos Reges mirificè euexit, sic & posteros adeuntes, suauissimis è cælo donis cumulabit: vbique mitis Maria, nescio tamen vnde, ad Christi incunabula, longè mitior. Id quod piè recolens Adamus de Persenia in Sylu. Alleg. ad cap.24. Eccles. sic subiungit. *O vtinam essem de paruulis, quibus hæc reuelata, & acta sunt, vt philosophari interim de aliis, non liberet! Quid dulcius, quàm Verbi interesse cunabulis: quam in diuersorio Christi, feriatum, & liberum esse, & infantiæ colludere tam fœlici? Ignoscite quæso, ignoscite puero, si vbera de cælo plena non deserit: si sacrosanctum virginalis pectoris sacrarium non dimittit. Ad incontaminata vestigia Virginis, piscina posita est pietatis, vbi pueri balneantur: nostis ætatem huiusmodi, frequentiori lauacro indigere: facillimè sordes contrahit, & opus est materna sollicitudine, consuetiori balneo diluantur. Proinde à contubernio sacræ Virginis, longè procedere, tutum non arbitror: quis enim mihi prouideret in salibus, si indulgentissima Matris misericordiam elongarem? tenebo, illam, nec discedam ab illa: quia si misericordia sua solicitudo defuerit, facilè fecero abortiuum.*

* * *

D.Th. Vil. *Maria Aquila, Regibus imperas.*

Arnold. *Christi, Mariæque gloria, non tàm communis, quàm eadem.*

Adam. *Mariæ, ad præsepe pietas, quàm nobis necessaria.*

VIII.

In idem pergitur.

1230. NOn est autem nouellum, hoc Mariæ erga Principes patrocinium: hoc Principum erga Deiparam obsequium. Luctabatur iam, nondum tamen induta carne, sed sub specie Angeli, Christus cum Iacob, Genes. 32. id est, solicitabat anxius Iacob, promissas sibi, posterisque suis, toto orationis conatu, benedictiones: ad quem tunc Christus: *Dimitte me, iam enim ascendit Aurora.* Vers. 26. Id est, vt plures notârunt, si adest Maria Mater, Iustitiæ Solis aurora, benedictionum mearum Conda, Proma: quid à me immediatè petis, quod solummodò illius intercessione tibi comparandum? Attende iam. Nunc Orbi primùm, tanquam Gazophilatium Christi, prædicitur Maria, quæ statim in principio Genesis, serpentis contritura caput declaratur: Nunc primùm audimus, nihil, nisi Mariâ mediatrice, hominibus venire consequendum? Et cur ita, vt non Abrahæ saltem, non Isaac, (relictis aliis prioribus) sed solummodò Iacob, tam dulcis reuelatio reseruetur? Audi quid statim subdat Christus ad illum: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* Vers.27. Est autem *Israel* propriè, *Princeps cum Deo*: quasi inde Iacob, iam regio quodam titulo præfulgeret, ac propterea meritò remittatur ad Mariam: quia terreni Principes, nihil à cælesti Rege, nisi hâc aduocatâ Regina obtinebunt. Et benè, non simpliciter *Princeps* dicitur Iacob, sed *Princeps cum Deo*: vt dum Deus inde Princeps longè regalior recolitur, Maria Mater, augustior longè Regina cognoscatur. Allucet dictis Richardus Laurent. lib.7. Vbi ita. *Dimitte me, iam enim ascendit Aurora. Quasi dicat, iam non pulses ad me, primo loco: sed vade ad Matrem meam: sicut aliquis Rex Iuuenis, ad honorem Matris suæ Reginæ, remittit ad eam negotia Regni. Et hoc apparet in nuptiis, Ioan.2. Vbi priùs ministri venisse creduntur ad Matrem, & ipsa ad Filium.* Vt iam inde Iacob in figurâ, & reliqui in veritate Principes, se regna debere Virgini fateantur.

1231. Sed quamuis apertior hæc Iacob facta fuerit reuelatio: non tamen Abrahæ, licèt occultiùs, fuerat denegata. Icturus Deus fœdus, cum Patriarchâ, Genes. 15. præmisit fore, vt posteri eius fœdissimâ captiuitate premerentur: tunc subdit in solatium: *Generatione autem quartâ reuertetur huc.* Vers.16. Quadringentis annis semen eius futurum captiuum prædixerat vers.13. Nec est facile computare per tot sæcula, quatuor tantùm creuisse generationes, vt in finem quadringentorum annorum, quarta etiam reincidat generatio: faciliùs ergo dissoluemus ænigma latens, quàm literalem numerum computemus. Promiserat igitur Deus Abrahæ posteros innumeros cap. 13. vers. 16. quos inter egregij Reges delitebant, quorum postea cap. 17. vers. 6. clarior fit mentio: neque tam sanguinis sobolem, quàm fidei progeniem nuntiabat: hàncque proinde solummodò in quarta generatione liberandam, & verè regnaturam promittebat. Sed quæ tandem hæc fœlix generatio? Respondet idem Richar

Gen. 32. 26. *Principes nihil à Deo, nisi media Maria, consequuntur.*

Vers. 27.

Gen. 15. 16.

Et 13. 16. Et 17. 6.

Ricard. de S. Laur.
Maria, captiuitatem humanam liberauit.

Ricardus lib. 1. cap. 6. *Quòd virginalis conceptio Redemptorem deceret, dictum est Abrahæ, cùm reuersio seminis sui prædiceretur ei, pro hoc Verbo:* Quarta autem generatione reuertetur huc. *Prima generatio, fuit Adam, sine viro & fœmina: secunda, Eua, de viro sine fœmina: tertia in nobis, de viro & fœmina: quarta scilicet Christi, sine viro, de fœmina, & hæc singularis, nec alia poterat inueniri, quæ posset succurrere tribus primis, quæ perierant: sed ista, tres alias ad Patriam de captiuitate reduxit.* Si ergo ad Patriam, siue Cælorum regnum, imperaturi cum Christo, solummodò per virgineum partum reuocamur: Quid non putent Principes, è suprema Regina Cæli, terrenas etiam coronas deriuari? Proinde suo iure dicit Maria: *Per me Principes imperant, & Potentes decernunt iustitiam.* Prou. 8. vers. 16. Quia vt à Christo est omnis potestas, in Cælo & in terra, sic suo modo, à Reginâ Deiparâ, eadem prouenire existimatur. Vnde D. Bernardinus Sen. tomo 3. serm. 11. art. 3. ad illud Dauidis: *Astitit Regina à Dextris tuis, in vestitu deaurato, circundata varietate.* Psalm. 44. vers. 10. sic scribit. *Sicut benedictus Iesus, sedet à dextris Patris, id est in potioribus bonis paternis: Sic ista Virgo gloriosa, in potioribus bonis Filij sui Iesu, iuxta ipsum in throno sublimata consedit.* Pudeat hæreticos Principes Reginam hanc non colere: quam Rex Propheta, sic Ecclesiæ colendam prædicauit.

Prou. 8. v. 16.
D. Bern. Sen.
Ps. 44. v. 10.
Maria, filialis throni particeps.

1232. Sed bene, quòd indidem se, ab Ecclesiâ Christi alienos profitentur: vnde à Mariano cultu subducuntur: De illâ enim, & quasi ex illius ore Ecclesiasticus: *In Ierusalem potestas mea: & radicaui in populo honorificato, & in partes Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine Sanctorum, detentio mea.* cap. 24. vers. 15. vt iam neque Ierusalem, id est Ecclesia, nec populus honorificatus, nec hæreditas Dei, nec Sanctorum plenitudo: Sed Synagoga Satanæ, turba vilis, dæmonis patrimonium, damnatorum scaturigo, hæretica Monarchia, quæ Mariam non colit, habeatur. Sed vos Catholici Principes, & Ecclesiæ alumni, mihi pendite, priùs potestatis suæ Deiparam meminisse, *& in Ierusalem, potestas mea:* quàm honorificentiam, hæreditarium Cæli ius, & sanctitatem, miro patrocinio, dicatur, eidem Ierusalem, siue Ecclesiæ impertiri: scilicet vt intelligatur, è potestate & dominio, quo vniuersam Ecclesiam Christi, materno iure, sibi subiecit, (quæ propterea ad speciem Lunæ, sub pedibus eius Apocal. 12. collocatur) curam oriri, quâ tanquam res proprias, quidquid ad Ecclesiam pertinet, tuetur. Vidit D. Antoninus Flor. Par. 4. tit. 15. cap. 20. vbi ita. *In Ierusalem potestas mea: quoniam Ecclesia, quæ sub pedibus est Virginis, non tantum sub eius patrocinio, verùm etiam, sub eius est dominatione ac potestate. Vnde cùm sit pars, secundùm Christum, omnium nobilissima, per quam Deus suam prouidentiam, & in homines misericordiam, peculiari ratione exercet: præcipuè commemoranda videbatur.* Magna pars diuinæ prouidentiæ, in eligendis Regibus, quorum corda in manu gestat, impenditur: Si ergo hæc per Mariam exercetur: à Maria pendetis, ô Reges: vt non solùm illius misericordi patrocinio pupilli, sed etiam sublimi eiusdem dominio, serui subiiciamini. Innitantur ergo subiecta colla, è Marianis plantis subtrahere hæretici Principes: certè misericordiam sibi infælices præcident: dominationem, nunquam poterunt superbi, deuitare. Ideo prædixerat Regina potentissima ibidem: *In omni populo, & in omni gente primatum habui: & omnium excellentium, & humilium corda, virtute calcaui.*

Eccles. 24. 15.
Ecclesia Christi sub ditione, & Dominio Mariæ est.
D. Ant. Flor.

1233. Quàm alius, non dum sub Christo Salomon iam quodammodò tamen Christianus! Ædificârat pius tunc Princeps, & dedicârat augustissimum Templum cælesti Numini, interque sacrificiorum apparatum, ecce repentè, *Nebula impleuit domum Domini: & non poterant Sacerdotes stare, & ministrare propter nebulam: impleuerat enim gloria Domini Domum Domini.* 3. Reg. 8. vers. 10. & 11. Tunc mirificè recreatus, & exultans exclamat Salomon: *Dominus dixit, vt habitaret in nebulâ, ædificans ædificaui domum in habitaculum tuum, firmissimum solium tuum in sempiternum. Conuertitque Rex faciem suam, & benedixit omni Ecclesiæ Israel.* vers. 12. 13. 14. Iam sibi, iam erecto Templo, iam vniuerso populo Israeli, faustissima omnia lætus ominatur: quia Deus, quem sciebat gloriosiùs quandoque sub nebulæ inuolucris, quàm sub lucis splendoribus habitaturum; præsens tunc sub typicâ nebulâ cernebatur. Nimirum exaltaturus Principem religiosum, non solus descendit Deus, sed secum Marianam vmbram, vnde omnia bona Principibus eueniunt, adducit: de se enim testatur Maria, citato suprà Capite Ecclesiast. *Sicut nebula, texi omnem terram* vers. 7. Planum hoc illud (neque mirum, in nebulâ) caligat adhuc: Cur Maria, quam ipse Salomon in Cant. surgentem Auroram, Lunam pulchram, electissimum Solem celebrat; in hoc loco, non tàm lucis pulchrioris, quàm sub nebulæ obuelantis typo, communicanda Principibus misericordiæ suæ beneficia præmonstraret? Sed quidem sub nullo alio habitu gratiosiorem, aut beneficam magis, se illis exhibere potest Deipara: egent nimirum summopere Reges, familiarissimo Numinis commercio, & hebetes ac trepidi, ad tanti fulgoris radios corruerent, nisi à Deo, iam quasi Marianæ carnis nube, temperato, allicerentur. Sperat Principes terribile iudicium, cum Potentibus, potentiora tormenta apparentur: quos tamen iustitiæ Solis nudo feruore fulminandos Marianæ Carnis vmbraculum protegit, & defendit. Fauet dictis Ricardus Laurent. lib. 7. ad finem, vbi ita. *Maria nubes, quia mortalium lippientibus oculis Solis æterni temperauit claritatem, & refrigerauit feruorem. Vnde dicit Ezechiel 32.* Solem nube tegam. *Et hoc, quando dixit Deus, vt habitaret in nebulâ & quando* Nubes *carnis,* factum est latibulum eius. Iob. 22. *Propter hoc dicit ipsa: sicut nebula texi omnem carnem: scilicet, à feruore Solis Iustitiæ, temperans illi claritatem Diuinitatis.*

3. Reg. 8. 10.
Vers. 12.
Eccles. 24. 7.
Maria, nobis Christum mitigat, & attemperat.
Ricardus de S. Laur.

1234. Prætereo Reges illos Apocal. 4. vers. 10. ante thronum Dei, id est ante Mariam proiicientes coronas quasi ab eadem acceptas, & denuò faustiores indidem accipiendas faterentur, vt breuiter iam citatus Velazquez: & fusissimè Spinellus cap. 17. adnotârunt. Solùm expendo non semel has coronas, & iterum Deiparæ prostrâsse: sed identidem, & in continuâ offerendi repetitione persistere. Cùm enim animalia vers. 8. requiem non haberent die ac nocte, à Domino benedicendo: & aliunde, cùm darent illa gloriam, benedictionem, & honorem Domino vers. 9. Regis isti

Apocal. 4. 10.

isti dicantur assurgere, coronásque eidem prosternere: apertè sequitur, in coronarum oblatione, irrequieto motu perstitisse. Neque mirum, irrequieto enim quodammodò motu, noua ac noua inde accipiebant beneficia, quorũ gratias, perpetuò coronarum sacrificio referebant: Nescit Mariana misericordia marcescere, quæ fructum ventris Virginei Iesum, id est, perennem bonorum fontem germinauit. Hinc Rupertus ad illud Cant. 4. *Hortus conclusus soror mea sponsa.* Vers. 12. Expendens cur Marianus vterus, non tàm vinea, pratum, ager septus, dicatur, quàm *hortus*, sic concludit. *Vnde hortus? nam inde nominatur hortus, quia semper aliquid oriatur: quia cum alia terra, semel in anno aliquid creat, hortus nunquàm sine profectu est: Vnde ergo hortus es tu, ò dilecta dilecti, nisi quia in te natum est aliquid, quod nunquam desinit, & fructus tuus nunquam marcescit, aut desinit.* Si ergo fructus iste immarcescibilis, nouo semper beneficiorum sapore, è virgineo throno siue horto, fruendus illis regibus parabatur: quid mirum nouas identidem coronas, & Filio, & Matri consecrarent? Meritò proinde D. Amedæus Episcop. Lausaniæ, hom 2. de Laud. Mar. post alia, de coronis cælestibus, sic subiungit. *Prima namque præfulget, in terribili capite Dominatoris vniuersæ terræ: secunda cecidit in sorte Matris eius: ipsa enim singularis regnat in regno Dei, & Christi: & dehinc sub illâ, & post illam, sancti altissimi, &c. Coronatur etiam coronis omnium Populorum: & exultatione cunctorum promouetur. Cerne in decore diadematis eius, Sanctorum concentum vibratum, à repercusso lumine: cerne sculptos lapides, gemmas vernantes, stellas coruscantes: Patriarchas expectantes, Prophetas præmonstrantes, Apostolos comitantes, Martyres triumphantes Confessores & Virgines exultantes. Corona illa rubet rosis, & liliis albescit, pallescit violis, viret laureis, palmis densatur, oleis impinguatur: omni fructu repleta, omni suauitate referta.* Itaque non solùm Sanctorum, sed etiam omnium Populorum, id est, Regnorum Insignibus, Deipara coronatur, quæ singulariùs post Christum, regnat in cælo: quia per illam, vt dixi Reges regnant, & omnimoda beneficia percipiunt.

Mariana misericordia, semper noua beneficia progerminat.

Rupert. Cant. 4. 12.

D. Amed.

Maria, omnium & Sanctorum, & Principum coronis coronatur.

1235. Expertus hæc Ezechias, deploratissimo morbo iam confectus: nam cùm petendi signi, pro obtinenda salute, optionem acciperet à Propheta: scilicet an vellet, vt Sol in horologio, vmbram promouens, decem delineatos gradus ascenderet: an verò in decimum retrò gradum descenderet: Respondet intrepidè prudens: *Facile est vmbram crescere decem lineis, nec hoc volo, vt fiat: sed vt reuertatur retrorsum, decem gradibus.* 4. Reg 20. vers. 10. At quidem, si naturam Solis attendis, non erat facilior ascensus, quàm descensus, vt enim retrogredi, non conceditur, sic etiam celeriùs ab instituto progredi, in prohibitis: mensurâ scilicet inuiolabilem gressuum, præscriptum ab initio ordinem, obseruat ad nutum: neque solùm non facilè, sed nec etiam vllo modo vmbram posset producere, vt nec contrahere. Quid ergo sibi voluit Ezechias? Prudenter pius in Sole hoc nostro, à diuino Sole Iustitiæ, firmandum sibi, melioris, id est, æternæ salutis, signum exposcebat. Didicerat à Dauide Patre, illud de Christo, ad Deum: *Minuisti eum paulò minus ab Angelis.* Psalm. 8. v. 6. Quo Redemptor infrà nouem Choros, seu gradus Angelorum, in naturam humanam, quasi in decimam & postremam rationalis conditionis lineam descensurus promittebatur: id ergo suspirat Rex, vt Sol materialis, melioris Solis mysterium, magnum illud opus, nec facile intellectu, sibi præ significet: & salus corporea inde comparata, spiritualem salutem præsagiret: nihil enim sibi faustum, nisi ab Incarnatione, id est, virgineo partu, pollicebatur. Multa in hanc rem ibi Lyranus. cuius vltima verba, quæ nunc satis, ita habent. *Per nouem lineas significantur nouem Ordines Angelorum, &c. Per hoc autem quòd Sol retrocessit decem lineis, significatus fuit descensus Filij Dei, qui est Sol Iustitiæ, ad assumendam nostram humanitatem mortalem, dictis ordinibus inferiorem.* Solum à Mariano horologio igitur, id est, à virgineo vtero, (vbi *Verbum caro factum est*:) salutis hora, malorum medicina, Principibus aucupanda.

4 Reg. 20. 10.

Ps. 8. 6.

Maria, Redemptionis est, solarium horologium.

Lyran.

1236. Nimirum è filio, id est, ab infinito Misericordiæ fonte, quem nouem mensibus, in vtero portauit: tantum misericordiarum traxit Maria, vt Deo etiam, imò maximè, in hoc beneficentiæ genere simillima euaderet: non exhauritur puteus Marianus, aquis semper viuentibus, in Principum remedium, scaturit. Iam blandus Deus, Achab, vtcunque pœnitenti, arescenti eiusdem regno, dandas pluuias destinabat. Ascendit ergo Elias verticem Carmeli, orat, iubet puerum prospicere contrà mare, si quod mittendi beneficij signum appareret: *Qui cùm ascendisset, & contemplatus esset, ait, non est quidquam.* 3. Reg. 18. vers. 43. Quod iterum ac sæpiùs, perinde euenit. Scilicet non erat aliquid, quod afflicto Regi faueret: donec Nubecula parua, id est, Marianus typus appareret: ideo additur: *In septimâ autem vice, ecce nubecula parua, quasi vestigium hominis ascendebat de mari. Qui ait, ascende & dic Achab: iunge currum tuum, & descende, ne occupet te pluuia.* Vers. 44. In hac enim nubecula, Deiparam repræsentari, ex priscis, Neotericisque Doctoribus, notius est, quàm egeat testimonio. Id tantum expendo denuò, cur hæc nubecula, *hominis vestigium*, id est, figuram referre dicatur? (vestigium enim non solùm pro signo humanæ plantæ, sed etiam pro totius hominis signo, capi solere, ex latinissimo Petronio Arb. in Satyr. ignorat nemo.) Ecquis homo iste, cuius vmbram exprimere, Maria non dedignatur? certè ille, qui per antonomasiam *filius hominis*, id est, Christus Iesus, sæpissimè appellatur. Scilicet beneficium positura apud Regem, Mater piissima, filij formam assumere curauit, vt posteri Principes, iam in Mariâ, Iesu mores recolerent expressos, & cum fiducia, ad Patronam sibi designatam, ipsissima quodammodò filij misericordia radiantem, hilares & deuoti properarent. Sic explico Richardum Laurent. lib. 12. Vbi fusissimè explicans, cur Maria Eccles. 24. *Platanus* appelletur: tandem ad rem nostram sic subiungit. *Platanus, similis vitis, in folijs: & Maria similis filio, qui est vitis vera. Vnde nubes, quæ ascendebat de mari, quasi vestigium hominis, dicitur habuisse. Osea 10. Vitis frondosa Israel, id est Maria fructus, id est. Christus, adæquatus est ei.* Neque mirum si de misericordia cum filio videatur contendere Deipara, vt illi totius benignitatis dotibus

3. Reg. 18. 43.

Vers. 44.

Maria, ad bene agendum, Christi simillima.

Richard. de S. Laur.

Simillima, in amoribus. D.Th.Vil.

tibus simillima videatur: cum quo etiam de amore, quodammodò decertare, non ignauescit. Piè D.Thomas Villan. Conc.2. de Natiuit. Virg. *Hoc Matris honore, sola Virgo gaudes, sola dotaris, tibi soli cum supremo Parente, communis est Filius, & quantùm Creatura fas est, simillimus amor. Amat Angelus, sed vt Dominum: Amat Virgo, sed vt Filium, ac proinde Angelus, ab ipso redamatur vt seruus: sed Virgo redamatur, vt Mater: in vtroque beata, & quia sic amat, & quia sic amatur ab illo.* Benè ergo Maria fautura, Principibus, quasi vestigium, seu vmbra Christi venit, cuius sic mores combibit & amores.

IX.

Deipara Magistra Principum, & consiliaria comprobatur.

1237. SEd etiam secunda illa pars, quâ per Deiparam, non solùm Reges regnare, sed etiam *legum Conditores* iusta decernere, dicuntur: ipsos allicit Reges, vt religioso Deiparæ cultui studeant impensissimè, vt hâc Consiliariâ imò Magistrâ, iustissimis legibus, catholicam Politicem disponant. *Ego sapientia*, inquit Maria, *habito in Consilio, & eruditis intersum cogitationibus:* Prouerb.8. vers. 12. Vt iam non miteris insanas hæreticorum Principum consultationes, leges tyrannas, decreta impia, qui sibi Mariam Præsidem dedignantur. Grauiter D.Amed. homil.7. expendens, cur ascendens Christus, non statim secum Matrem adduceret coronandam. *Vt quid enim retardata est, vel ad momentum? aut passi nati diuortium? vt quid dilatum est, feruentius igne, tam sanctum eius desiderium? quoniam ista dilatio, Discipulorum Christi, non minima consolatio fuit, ista dilatio Matri nil minuit, & Mundo contulit remedia salutis. Voluit enim Dominus Iesus, vt ipso ad Patrem reuertente, Apostoli materno solatio, & eruditione frueremur: qui quidem licèt docti essent ab Spiritu, ab illâ tamen poterant edoceri, quæ Mundo, Iustitiæ Solem edidit, & fontem sapientiæ, ex prato virgineo, intemerato nobis alueo produxit.* Iam, si Deo placet, doctiores Apostolis, se somniant hæretici, qui illorum doctrinam sic conculcant; inde & Apostolorum Magistram vilipendunt. Apage hos tales, mi Princeps: eruditis tuis cogitationibus Deipara intersit, & quæ in terris post Christum diutiùs mansit vt priùs terrarum, quàm cælorum Imperium, tibi Regina colenda, delibaret, Magistra etiam tibi recolatur. Pergit idem D. Amedæus, paginâ interiectâ. *Effulsit admirabile nomen eius, in vniuersâ terrâ, & fama eius celeberrima, vbique diffusa est, priùs quam eleuaretur magnificentia eius super calos: decebat enim Matrem Domini virginem, & ob nati sui honorem, primò terris regnare, & ita demum calos, cum gloriâ suscipere, dilatari & infini, vt & superna, in plenitudine sanctâ penetraret: translata sicut de virtute in virtutem, sic à claritate in claritatem à Domini Spiritu: igitur in carne præsens, futuri Regni primitias prælibabat.* Ius ergo, quod à Conceptu Christi, super omnia terrena Regna acceperat Maria, pate-

Prou.8.17. Maria, Consiliorum Mater, Ecclesiæ Magistra. D.Amed.

D.Amed. Maria priùs in terra, quàm in cælo regnauit.

Reges, Maria sibi Proreges

facto Christi regno post ascensionem, ipsa in terris iam celebris diu manens, quasi assertâ possessione stabiliuit. Sic ergo imperant Reges, vt Proreges Mariæ, & eiusdem vicarij videantur: ne vnquam absque Dominæ ordine & consilio, aut leges condere, aut negotia dirimere litium, præsumant.

Prudentis itaque Principis est, consilij & 1238.
doctrinæ inopem, se semper existimare, vt ad Marianum fontem recurrat edocendus: hinc enim est, quòd hæreticus, hoc sapientiæ sacrarium spernit, quia propriis delyriis intumescens, iam se sapientissimum arbitratur. Hoc est, quod de se testatur ipsa Deipara. *Adhuc doctrinam, quasi prophetiam effundam: & relinquam illam, quærentibus sapientiam.* Eccles.24. vers.46. Non dicitur Maria reliquisse doctrinam suam, iam inuenientibus, sed quærentibus adhuc sapientiam: & cur ita, cùm illi perfectiores, possesso iam tanto bono videantur? Respondet acutè Richardus Laurent. lib. 2. vbi de Maria. *Quærentibus dicit, non inuenientibus, id est, illis, qui sunt in studio quærendi, non in præsumptione habendi, &c.* Præsumat ergo Princeps hæreticus, & non quærat: certè, inde præsumptione inflari, lætari possessione, nunquam poterit. At meus Princeps quærat, recurrat ad Deiparam, vt verissima & syncera consilia, vt doctrinam, instar prophetiæ, certissimam inde combibat. Ideo paulò post addit Richardus. *Quasi Prophetiam, id est, sine falsitate, & cum omni veritate: si quidem quia prima bibit de fonte æternæ sapientiæ, reuelare potest cui vult, arcana secretorum Dei.* Et quid ni prima biberet, quæ æternam Sapientiam vtero clausit? Quid ni cui vult reuelet, qui toti Mundo edidit Saluatorem? id paulo suprà scripserat idem Richardus. *Cum sit Mater Sapientiæ, qui est Filius Dei, in lege filij sui, misericorditer instruit seruos suos.* Qui ergo non seruiunt Mariæ, ipsi viderint, vnde instruantur.

Maria eminentissima Magistra.

Eccl.24.46.

Richard. de S.Laur.

Maria doctrina, quàm pura.

Richard.

Pulcherrimè Christum à Maria oriturum pro- 1239.
phetans, describit ita Isaias. *Egredietur virga de radice Iesse: & flos de radice eius ascendet: & requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis.* Cap.11. vers.1. Nec etiam hæretici hunc locum, ni velint Iudaizare, de incarnato in Maria Verbo, audent denegare: Neque deinde poterunt præsumere, absque Christo flore, vnde hæc omnia dona respirant suauissimè; hanc non carnalem, sed intellectualem Sapientiam; hoc non ignauum, sed forte consilium; hanc scientiam non astutam, sed piam; se consecuturos. Age dum, non flos iste germinare dicitur, sed ascendere: quia in altum euehitur, quia sublimis est, vsque ad Patris pertingens diuinitatem; quid fecerimus pusiones, humi repentes, vt in tantum fastigium, absque quo stulti erimus, sufficiamus? planè ludemus operam, nisi flexibilem pietate virgam nobis incuruemus: cuius suauissimo flexu, iam floris sublimitas pusillitati nostræ commensuretur. Pulchrè D Bonauentura. in speculo Mar. cap.10. ad hunc locum. *Spiritus sanctus qui in magna silua humani generis, requiem non inuenerat, tandem super hunc florem requieuit: ita quod absque Christo, nec sapiens quis esse potest, nec intelligens, nec consiliarius, nec fortis, nec eruditus, nec pius; nec plenus timoris Domini. Hic flos* quasi

Isai.11.1.

Christi Sapientiam, nisi per Mariam, non assequimur.

D. Bonau.

quasi tot habet flores, quot sunt mysteria, & exempla. Si hunc florem habere desideras, virgam floris, precibus flectas: si flos est nimis altus altitudine, virga tamen est flexibilis pietate.

1240. Neque est abs re, quòd Virgo, seu virga nostra Iessæa dicatur: id est, è Tribu regiâ: vt ab illâ, nihil non regium, nihil non generosum, queat sperari. Vnde D. Thomas Villan. Conc. de Natiuit. Virg. expendens regium Catalogum Marianæ Prosapiæ Matth. 1. sic subiungit. *Solent regij Historici in suis Chronicis, ante omnia Principis describere genus, Progenitorum antiquitatem, Nobilitatem, Potentiam, & non abs re, videtur enim communiter sensui, non nihil facere ad Principis gloriam, antiqua Parentum nobilitas: quasi iam nihil fœdum aut turpe, sperandum sit ab eo: cui ab antiquo, tam antiqua, & tam ingenita natiuitas est.* Deinde post multa de Christo, de Matre sic concludit. *Propter Virginem, quam pius filius, non solum apud Angelos, sed etiã apud Homines, voluit esse illustrem.* Iam ergo, quasi suo iure, ad Reginam illustrissimam, illustres Reges properant, cui enim regia nobilitas, etiam in pretio, non poterit Reges, si aliunde pari cum cæteris virtute niteant, pretiosiores non habere. Dixi caute, *si pari virtute niteant*: neque enim nuda regalis conditio, apud Deiparam habebitur pretiosa. Cur enim non Dauidica dicitur virgo nostra, sed Iessæa: Cur non Dauid Rex, sed priuatus Iesse, in tantæ virgæ radicem appellatur: nisi vt sic è Tribu regiâ agnoscatur, quod tamen regia pompa, non sibi magni absolutè facta existimetur? bene Ricardus Laurent. ad hunc locum, lib. 12. *De radice Iesse: id est, de stirpe Iesse. & nota, quòd non dicitur de radice Dauid, licèt verum dixisset: sed maluit dicere, de radice Iesse: ne vel diuites honorare, vel pauperes contemnere videretur: quia Iesse fuit quasi pauper homo, respectu filij: Dauid autem, Rex potens & diues.* Illi ergo Reges, huius virgæ Florem, & cum eo sapientiam, consilium, scientiam sibi inclinabunt, qui amoto superbientis Principis spiritu arroganti, principalis spiritûs pietate confirmati, accedunt. Redeo.

Matth. 1.
Maria, regia nobilitas.
D. Thom. vil.
Nobilitas, absque virtute vi essit.
Ricard. Laur.

1241. Recurre, amabo, ad locum illum Apocalypseos, quem suprà attigi, vbi viginti quatuor Reges coronis aureis radiantes, diuinum thronum dicuntur circunstare: quia vt ibi dixi, Mariam, quæ est Thronus Christi, humiles venerabantur: & pende quid præmittatur. *Et de throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua.* cap. 4. vers. 5. Non enim sedens in throno Christus, sed virgineus thronus, inter splendoris fulgura, voces luci fluas, tonitruorum instar dicitur iaculatus. Quid ita præsente Christo, Virgo docet? & penè subticente Verbo, Mater eloquitur? Neque Christus hîc mutus, neque garrula Maria, absit, præsumenda: sed sic per Matrem filius loquitur, vt Os filij, Mater videatur: honorificatur sic Deipara, & materno honore filius exaltatur: vt aduerterent adstantes Reges, nihil sibi cælestis doctrinæ, nisi docente & mediatrice Virgine hauriendum. Fauet dictis D. Bernardus Tom. 2. serm. de B. Virg. vbi ita post multa, quæ huc faciunt. *Hinc in eius laudibus legitur:* Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu supergressa es vniuersas: *Licèt enim in parabolis loqueretur ad turbas, licèt omnia Apostolis nota faceret, vt amicis: quædam tamen credendum est, præ cæteris Matrem suam, quemadmodum dilexisse, ita etiam propensius erudiisse, quædam ei secretius intimasse: frequenter eam, ad montem myrrhæ, & ad collem thuris sublimasse: in cellam vinariam occultiùs eius, prout nouit & voluit, gloriam Deificam, & super cælestem reuelasse notitiam. Vnde Ioannes in Apocalypsi:* De throno, *ait*, procedebant fulgura, & voces, & tonitrua. *Quia Mater, filij Iesu Christi Parabolas, ænigmata, legalia, & cælestia gesta, dicta, opera, auidius ebibit, fideliùs credidit, synceriùs luculentiùsque alijs edocuit.* Quidquid ergo obganniant hæretici, inde insanis consiliis vti conuincuntur, inde prauæ, id est nulli doctrinæ assuescunt, quia Mariano throno, venerabundi assistere recusant: ideo illis non Christi, sed Lutheri, sed Caluini Euangelia lectitantur: quia relicto Euangeliorum fonte Mariâ: vera Euangelia amittant necesse est. Hinc D Basilius Seleucus Orat. 1. de Virg. vt habetur tom. 2. Bibl PP. sic ad illam. *Aue perpetuo virens Castimoniæ Paradisus: in quâ vitæ lignum plantatum, omnibus salutis fructum fundit: ex quâ iisdem quadripartitus Euangeliorum fons dimanans, mortalibus fide exornatis, miserationum flumina vbertim emittit.*

Apocal. 4. 5.
Maria, Os Christi, per quam, ista profundiora docuit.
D. Bernard.
D. Bas. Seleuc.
Maria, Euangelici fontis driuatio, paradisus.

Faciunt etiam ad rem nostram, mystica illa Animalia, quæ Parthenicum thronum, in eodem Apocalypseos capite, circunstabant. de quibus ita dicitur: *& in medio sedis, & in circuitu sedis, quatuor Animalia, plena oculis, ante & retrò.* vers. 6. Ipsa hæc sunt, quæ apud Ezechielem cap. 1. Argi facti, non ficti describuntur. Ego oculatissimos hos viros, ad quorum voces, Reges dicuntur coronas suas, Matri simul & Filio obtulisse: non temerè Consiliarios eorundem Regum, quantum ad præsens attinet puto interpretandos: qui pulchris monitis, pietatem in Deiparam & Filium suaderent. Cùm ergo Maria. (quod fuse in *Opusculo Concept.* ostendi) *Multocula*. à sanctis Patribus appelletur: quasi nihil sapientissimam fugiat, vnde commendatorum sibi hominum miseriis medeatur: putarem à Maria prudentes hos Consiliarios didicisse, se vndique oculis circunuestire, vt Regnorum negotia, à Principibus sibi commendata, acutissimâ diligentiâ dispicerent. Neque enim Consiliarij Principum, nisi Mariæ doctrinâ & exemplo, munere suo fungi rectè poterunt: nam, vnde aptiùs, oculati esse, quàm à *multoculâ* Domina perdiscent? De Deiparâ in bonum nostrum, & in scientiæ suæ symbolum, multoculâ, præter tot illa, quæ citato libro dedi, cape denuò D. Amedæum Homil. 8. vbi ita. *Sancta Animalia, de quibus in Ezechiele legitur, quòd ante & retrò, intùs & foris, atque in circuitu, plena sunt oculis: labores hominum & dolores, casus, defectus, cæcitates, inualitudines, extrema pericula, incertos exitus vitæ, & mala quæque humani generis, non æque vt Dei Genitrix, valent examinare; examinando, cælesti auxilio diluere, & propulsare. Quò enim sublimius immensi Regis cor aspicit: eò profundius diuinæ gratiæ pietatis, afflictorum misereri & miseris succurrere nouit.* Prætereo innumera, quæ iam alij ex Patribus de Mariâ, Apostolos & Euangelistas docente, ediderunt: quibus adde, quæ plura Ricardus Laurent. congerit lib. 6. Quæ enim pauca dedi pro instituto nostro, satis videntur: vt & fidem & Consilia, Catholicus Princeps condiscere allucescat à Deiparâ: inde

1242.
Apocal. 4. 6.
Maria multoculæ, Consiliariorum magistra.
D. Amedæus.

inde maximè, quòd *in tomo Concept.* de Maria legislatrice cum Deo, iam scripserim.

X.

Sacrarum Reliquiarum cultus, Principibus commendatur: & Patroni Hispaniarum gloria celebratur.

1143. VÆsanâ rabie, in Sanctorum reliquias debacchatur Princeps Hæreticus, neque mirum, cùm non parcat Christi altaribus, sub quibus ab Ecclesiæ ortu, solent sanctissima hæc pignora collocari. Ergo Princeps Catholicus, inter præcipuas religiosi cultûs ceremonias, venerandis Sanctorum reliquiis impendatur: & quia, quæ in hæreticorum impietatem polemica, & neruosa afferri possent, abunde iam à Bellarmino, Suario, aliisque innumeris nostrorum, discussa sunt: pauca tantum, & illa suauiora attingam, quæ Principem iam aliunde pium, feruentiùs in reliquiarum sacrarum venerationem stimulent: vnde ingentia regno suo tuendo depromat beneficia. Testem in primis aduoco, victricem nostram Hispaniam, quæ tot Imperia, tot Triumphos, reliquiarum Patroni sui, impensissimo cultui refert in acceptis: Iacobus hinc obæratus, Monarchiam Catholicam extollit, & vt Orbem venerabundum, sepulchro suo attrahit, piè prosternendum: sic infideli Orbi, Hispanica vexilla infert triumphatura. Huc, dicendis, vt plurimùm collimabo, vt discant alieni Principes, Patronorum suorum reliquiis colendis sedulò studere: & quò valeant, cum Monarchâ nostro, de gloriâ contendere, huius liberalissimam pietatem, in hoc piissimo, sacri fœnoris negotio imitentur. Propterea D. Ambros. serm. 77. *Cuncti Martyres deuotissimè percolendi sunt, sed specialiter ii venerandi sunt à nobis, quorum reliquias possidemus: illi enim nos orationibus adiuuant, isti etiam adiuuant passione. Cum autem his nobis familiaritas est: semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur: hoc est, & in corpore nos viuentes custodiunt, & de corpore recedentes excipiunt.* Vbi multa fusè, piè.

Sanctorum reliquiæ nobis seruri sunt.

D. Ambros.

1144. Moriturus iam Patriarcha Ioseph, ait ad suos: *Deus visitabit vos: asportate ossa mea vobiscum, de loco isto.* Genes 50. vers. 24. Nouerat Ioseph, quàm piè à Patre suo Iacob fuisset adiuratus, vt statim post mortem eius, nullâ factâ dilatione, illius corpus, in Patriam, ab Ægypto, portaret sepeliendum. Nimirum neque breuissimâ morâ extra locum illum sepeliri volebat prudens Pater, vbi Christum Dominum præuidebat nasciturum. Cur igitur prudentissimus filius, tandiu apud Ægyptios, reliquias suas patitur, imò iubet immoraturas: nec statim in Chanaan, exemplo paterno, præcipit transferendas? Respondet ibi Lyranus. *Non adiurauit eos, quòd statim post mortem eius, portarent illuc corpus suum, sicut portauerant corpora Patris sui, & sicut portata fuerant corpora fratrum suorum, vt dicit Iosephus: vt per hoc, quod Corpus Ioseph remanebat in Ægypto, memoria beneficiorum eius, diutiùs remaneret apud Ægyptios: & sic suauiùs tractarent filios Israel, manentes apud ipsos.* An putas, Ægyptiis, Deum duriorem, aut minùs memorem? ad conspectum ossium Ioseph, Ægyptus acceptorum beneficiorum refricatâ memoriâ, benignior, in Israelitas, futura credebatur: & visis amicorum reliquiis, tot obsequia, cum sanguine, ipsi exhibentium, non longè suauior Deus, eorundem clientibus adspirabit? Planè ingentia beneficia à Domino, Monarchæ Hispano & nobis inde auguror accipienda: apud quos Apostoli su. Patroni nostri, ossa honorificentissimè recolitiquiescentia.

Genes 50. 24.

Ad reliquiarum conspectum, vrbibus fauet Deus.

Lyranus.

Iacobi in Hispanos tutela.

Intellexerat quidem, quantùm sibi à reliquiis Ioseph sancti, sperandum esset, Moyses: dum enim cæteri Israelitæ, tot Ægyptiorum spoliis, in exitu, onusti discederent: cordatus Populi Princeps, inde se longè ditiorem existimans, nihil aliud, præter has, secum legitur abstulisse: *Tulit quoque Moyses ossa Ioseph secum* Exod. 13. vers. 19. Quasi iam tunc recoleret illud Ambrosij, in Exhort. ad Virg. de Martyrum reliquiis inuentis. *Condant alij aurum & argentum, ac de latentibus eruant venis: legant pretiosa monilium serta: temporalis ille thesaurus est, & sæpe habentibus perniciosus. Nos legimus Martyrum clauos, & multos quidem: & plura fuerunt vulnera, quàm membra: &c. collegimus sanguinem triumphalem, & Crucis membra.* Pretiosior igitur Principi Moysi, thesaurus ille, & vtilior longè, vnde maiora sibi bona, necessariò speraret confluxura, cùm & ipsa eius inuentio prodigiis & miraculis non careret: quod iam subiungo. Obeunte iam fere mense Martio, vt habes Exodi 12. Moyses cum Populo, deseruit Ægyptum: quo tempore, iam apud Ægyptum satis æstuante, Nilus excrescit: & totâ inundatâ Prouinciâ, coguntur habitatores, in scaphis vt plurimùm habitare. Ideo Claudianus in Nilo. 1145.

Exod. 13. 19.

Reliquiis Sanctorum omnibus thesauris præponenda

D. Ambros.

Nec verè similes causas, crescentibus vndis,
Vt tempus meruit: glacie non ille solutâ,
Nec circumfuso scopulis exuberat imbre:
Nam cùm tristis hyems, alias produxerit vndas,
Tunc Nilum retinêt ripa: cùm languida cessat
Flumina; tunc Nilus, mutato iure tumescit.

Claudianus.

Quærunt ergo non immeritò aliqui Interpretes, quomodò inuenire, nedum eruere posset tunc Moyses, ossa sacra Iosephi, cùm eius sepulchrum, id temporis sub aquis delitesceret? Tu vide quæ alij: mihi nunc saltem in re piâ non displicet responsio Dionysij, qui ad hunc locum, ita. *Magister in historijs scribit. Nilus tunc præter solitum adhuc inundabat terram, in quâ erat sepulchrum Ioseph. Tunc Moyses scripsit in laminâ aureâ, Nomen Domini tetagrammaton: quæ superposita aquæ natauit, vsque dum venit, & stetit supra sepulchrum Ioseph. & effodientes sustulerunt ossa ipsius.* Hæc si vera habeas, (neque ex circumstantiis temporis, & ex vsu, quo Deus solet sacras suorum reliquias honorare, indigna fide) prudenter coniectabis, meritò tanti hæc ossa fecisse Moysem: vt præ illis, cæteri thesauri omnes iam sorderent. Certè vtrunque Orbem, cui imperant, Iacobæis ossibus postponunt Hispanici Monarchæ: quæ, diu delitescentia, & sub horridis occulta syluis, irradians stella desuper reuelâsse creditur: vnde ille *Campus stella* vocabatur: vbi postea extructa Vrbs, his reliquiis beatissima, inflexis tantisper vocibus, dicitur *Compostella.*

Sacras reliquias prodigijs illustrat Deus.

Dionysius.

Iacobi sepulchrum.

1246. *Sacra reliquia culta, Patronum in Patrem commutans.* Hic, in Catholicorum Principum aliorum exemplar, tot redditibus, tot votis, tot muneribus, tot terrarum dominio Patronum suum recolunt Hispani Reges, vt quasi pijssimis obsequiis obæratissimum, non iam Patronum beneficum, sed potiùs suauissimum Patrem experiantur. Matt.2.17. Mira est illa vox Matthæi, postquam innocentium infantium necem commemorauit: *Tunc impletum est, quod dictum est per Ieremiam Prophetam dicentem. Vox in Ramà audita est, ploratus & vlulatus multus, Rachel plorans filios suos: & noluit consolari, quia non sunt.* Cap.2. vers. 17. Erant Infantes isti Bethlehemitæ, & necessariò è Tribu Iuda, non Ioseph, aut Benjamin: vnde non Rachelem, sed Liam matrem primæuam recolebant. Quò ergo tendit Rachel, quæ quasi non contenta pulchritudinis dotibus, quâ olim sibi maritum promeruerat, etiam hîc visa, inuidisse, sorori, fœcunditatem, huius filios, sibi iam adnumerans? Quid tibi cum alienis fœtibus Rachel pia, quò etiam defuncta, viuis lachrymis, hos diceris, quasi Mater, deplorare? D.Hieron. Respondet D.Hieronymus ibi. *De Rachel, natus est Benjamin, in cuius Tribu non erat Bethlehem; quæritur ergo quomodò Rachel filios Iudæ, id est, Bethlem, quasi suos ploret? Respondebimus breuiter, quia sepulta sit in Bethlem iuxta Ephrata: & ex materno corpusculi hospitio, Matris nomen acceperit.* *Iacobus nobis Pater.* Quantò ergo decentiùs & gloriosiùs apud nos sepelitur Iacobus, quantóque diligitur teneriùs: tanto iustiùs ex paterno corpusculi hospitio, non solùm Patroni, sed etiam Patris nomen accipiet.

1247. Ierem.31.15. Et quidem licèt ad literam, locus iste Ieremiæ cap.31. vers. 15. ad tempora cædis prædictorum Infantium respiciat, assertore Matthæo: non tamen necessarium est, vt solummodò in hæc tempora limitetur: sæpè enim eadem litera, sub eadem veritate, de diuersis temporibus exponi potest. Audi ergo quid Lyranus scribat ad illud Gen.48.7. Genes.48. Vbi Iacob ad filium de hoc Matris sepulchro: *Sepeliui eam iuxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem.* Vers.7. vbi ita, Lyran. *Dicunt Hebræi, quòd Iacob sciuit ex diuinâ reuelatione, quòd tempore Nabuchodonosor, destruenda erat Ierusalem, vt habetur 4.Reg.15. Et quod Nabuzardam duceret populum eius captiuum in Babylonem: & quòd transiret iuxta sepulchrum Rachel, quòd est super viam illam: & transitu illorum, ipsa Rachel de sepulchro clamaret ad Deum, quærens misericordiam eius, super Populum captiuatum, vt scribitur Ierem.31.* *Patremque suauissimum & tenerrimum, præbet reliquia* Iam pridem captiuæ decem aliæ Tribus abductæ fuerant, & factus Ephraim in desolationem, qui totus ad Rachelem pertinebat: nec tamen prodigiosus hic fletus exauditur, querela miraculosa: & tamen, quando reliquæ duæ Tribus abducuntur, quando Solyma euertuntur: tunc defuncta plorat, tunc diuinam opem miseris implorat: tunc non solùm Benjamin sui, sed etiam imò præcipuè Iudæ alieni filiis, tanquam maximè propriis opem solicitat: quasi tanti faceret hospitium sepulturæ apud illos, vt plus hinc, quàm ab origine ductâ, condoleret. Vt iam putem, tempore quo à Mauris Hispania oppressa iacuit, non solùm beato spiritu in cælis, sed etiam sepulto apud nos corpore, clamâsse Iacobum quodammodò: indéque fœlicem nobis Patriæ, (contritis tandem hostibus) restitutionem: quasi audiret Iacobus à Deo, id quod Racheli dictum subdit Ieremias. *Hæc dicit Dominus, quiescat vox tua a ploratu, & oculi tui a lachrymis, quia est merces operi tuo, &c.* Vers.16. impie enim putaremus non fudisse tunc preces: quem piissimum, & visibilem, contra Mauros in prælio conspeximus decertantem. Et non deuota ex animo, vt facit, Patroni & Patris tanti reliquiis, veneranda Hispania, proni eiusdem Monarchæ substernantur?

Et quidem, etiam aliunde Pater noster Iacobus Apostolus, à quo per Euangelium geniti sumus. 1248. *Iacobus multis titulis nobis Pater.* Audierat Samaritana, promissam sibi salubriorem longè aquam, à Christo: & subdit illicò: *Nunquid tu, maior es Patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum?* Ioan.4. vers. 12. Ioan.4.12 Assyriam ducebant originem Samaritani: abductis enim inde Israëlis Tribubus, Babylonica colonia fuerat tota regio occupata. Vnde ergo, nisi de garrulitate, fœmina, potuerit Iacob, Patrem appellare? Respondet D.Cyrillus, in Cat. Corder. D.Cyril. *Samaritani cùm essent alienigenæ, siquidem à Babylonia coloniam duxerant, Iacob duabus potissimum de causis, Patrem suum scribunt: tum quia vicinam Iudæis regionem incolebant: tum quod etiam nonnulla religionis Hebraicæ, ad sese deriuauerant, de ipsis quoque Iudæorum maioribus gloriabantur.* At à meliori nostro Iacobo, non solùm quædam, sed omnia, Euangelicæ religionis, contraximus monumenta: ille in Christo nos genuit verior Pater: tantum titulum, suas nobis commendans reliquias, vlteriùs confirmans, suauiùs stabiliens. *Cur apud nos curaris sepeliri.* Quærens D.Thomas, D.Thom. cur tantopere sollicitaret Iacob deferri ab Ægypto, in Patrum suorum sepulturam: *Sepelite me* inquiens, *cum Patribus meis, &c.* Genes. 49. vers.49. Sic respondet. *Nota quòd tantam curam suæ sepulturæ, in loco Patrum non habuit ex aliquâ carnali curâ, siue, post mortem, gloriæ temporalis: sed potiùs ex deuotione ad sanctos Patres suos; & ad Christum in terrâ illâ venturum: ad cultum Dei, ibi in suo populo faciendum: & ad firmiùs monstrandum & testificandum, quàm certus erat de terrâ illâ, in breui dandâ stirpi suæ.* Per tot Maria Hispanæ sepulturæ reliquias suas transmittit Iacobus noster, non tàm ex cura opulenti sibi Templi erigendi, & patrimonij dicandi, sed ex pietate in filios suos: & quod in Hispania syncerè Christum nouerat adorandum, & miro deuotionis cultu extollendum: & tandem vt firmiùs testaretur, quàm certus erat de terra nostra in breui, fidei & veræ religioni, immobiliter, Deo dante, consecranda. O quantum his sacris pignoribus hinc debemus.

Ministerio Angelorum, honorificè sepelit Dominus, amicum Moysem: *Et sepeliuit eum in valle Terræ Moab, contra Phogor.* Deuter.34. 1249. Deut.34.6. vers.6. Et ecce, inter Michaëlem, pompæ isti funebri Præfectum, & Dæmonem, rixa non leuis: ideo Iudas Apostolus: *Cùm Michael Archangelus, cum Diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit: Imperet tibi Deus* Cap.1. Iudæ 1.9. vers.9. Sed quid de Moysis reliquiis, contendit Dæmon? volebat fortasse, (quod plerique ibi explicant) ne in occulto deliterent, vt Iudæi, qui postea serpentem etiam æneum à Moyse erectum sacrilegè coluerunt: erga eiusdem reliquias adoran

adorandas instar Numinis, impensiùs stultescerent. Ego tamen cum Lorino ibi, non tam de abscondito sepulchro, quàm de absconditi sepulchri loco, putarem decertari. Quid ita? Erat in Phogor idolum celebre, quod, vt nôsti, vocabant *Belphegor*, vbi Dæmon domicilium ponens, damnis, dolis, fallaciis, fœdissimè miserrimam illam Prouinciam diuexabat: Timuit ergo vicinarum reliquiarum vi sacrâ, se deinceps quasi vinculis constringendum, ne pro solito deſæuiret: regionémque sacri pignoris custodem, custodiendam inuicem, ne vlteriùs inferni Principis Tartarea tyrannide opprimeretur: videtur namque, inquit, Lorinus. *Propter sepulchri vicinitatem, nempe, contrà aut è regione Phogor, Gracè, iuxta domum* Phogor, *detrimenti aliquid accepisse, & quæstum esse.* Sic nesciunt à vicinis Sanctorum reliquiis, machinamenta Dæmonis non inludi, vt meritò sperem omnes Dæmonis technas, nullatenus Hispaniæ nostræ nocituras, imò in bonorum maiorum instrumenta, redigendas, cùm è domesticis Iacobi reliquiis, facilè & fæliciter queant exsufflari.

Reliquiæ Sanctorum, hostes & Dæmones euertunt.

Lorin.

Iacobus Hispaniam defendit.

1250. Habet tamen singulariter aliquid, cum sepulchro Moysis commune, Patroni nostri sepulchrum: illud in terrâ Moab, hoc in Compostellano Templo situm, veruntamen vtrumque delitescens: ideo citato loco Deuter. additur, *& non cognouit homo sepulchrum eius, vsque in præsentem diem.* Experiebatur illa Prouincia, è sacro Corpore fauores & auxilia, neque tamen sepulchrum aspiciebat: contentæ quòd ibi adesset Moyses suus, piorum cinerum aspectus, nedum tactus interdicitur: & cur ita? Respondet ibi Oleaster. *Vt nos doceat, eos qui familiariter cum Deo conuersantur, non debere multùm cum aliis hominibus conuersari.* Satis ergo erat terræ illius incolis, si manifesta occulti corporis experirentur suffragia: quin familiare reliquiarum commercium, ex quotidiano vsu, & humanæ indolis abusu, obstreperet reuerentiæ. Satis nobis, quòd in Templo penè subterraneo, recentiori altari supposito, sacras Iacobi reliquias adesse, scimus certò, vnde passim manifestissima dona aucupemur: non est opus cernamus & attrectemus: ne familiarissimum Christo corpus, sub honoris debiti periculo, familiariùs iusto, cum hominibus videatur conuersari. Sepulto viliter admodum Pompeio Magno, abiecto lapidi, minus celebre Epitaphium inscripsit quidam: in cuius piam imprudentiam inuectus Lucan. lib. 8. tandem post alia sic concludit.

Sacræ reliquiæ summa reuerentia tractandæ.
Deut. 34.

Oleast.

Iacobi sepulchrum, cur sit è absconditum, attendit reuerentia.

Lucan.

——— Omnia lagi
Rura tenere potest, si nullo cespite nomen
Hæseris: erremus populi, cinerúmque tuorum
Magne, metu, nullas Nili calcemus arenas.

Quasi dicat: Temerarium fuit, exhiberi humanis oculis, apposito Epitaphio, Magni sepulchrum, quod longè reuerentiùs celaretur: scientes in Ægypto esse, sed vbi, non videntes, putaremus meritò, totam illam Prouinciam, sacrorum cinerum Numine adimpleri: eóque peregrinantes, terram totam, non tàm præ Magni religioso metu, calcandam, quàm impressis osculis haberemus colendam. Mira fuit adulatio palpatoris: Sed vnde rei nostræ mysterium vestigatur vtcunque: nescio enim quomodò Templum illud ingredientibus, nec sepulchrum Apostoli, (quod sub recentioris altari præcipuo, in vetustiori occultatur) cernentibus: quæuis Templi eiusdem pars, non tàm premenda vestigiis, quàm pressis osculis ingeritur adeunda: quasi tota & ingens domus sacri cadaueris Numine impleatur.

Huc ergo deuota Peregrinorum pietas occultâ vi sacrarum reliquiarum, è toto Orbe Christiano trahitur, vt dum putauit Herodes, decollati Apostoli honoribus insultâsse, & abiecto cadaueri glorias inuidisse: totum illi Orbem prostrandum dedicaret, arcano trucidati, pro Christo, corporis, vigore attrahendum. Locutus Salomon de sanctitate, cuius causa passus fuerat Ioseph, in cisternam à fratribus; & in tetrum carcerem, postea ab Ægyptiis, coniectus: post alia ita subdit: *Descendit cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum: donec afferret illi sceptrum Regni, & potentiam, aduersùs eos qui eum deprimebant.* Sap. 10. vers. 13. Non sunt, quòd putes intellectu facilia hæc verba, si enim virtus illum nunquam *in vinculis dereliquit*, quasi cum Iosepho ibidem colligata: quomodò quasi quæsitura regnum, potentiam, quæ secum afferret Iuueni, videtur abiisse? At si non abiit verè conuincta suo, quomodò attulit? Magnes quidem regnorum, & honorum erat virtus ista, & arcano quasi magnetico vigore cum Iosepho persistens, venerabundos honores ad illum traxit: sicut cælestis adhuc vigor Apostoli occisi ossibus inhærens, totius Orbis ornamenta, inuito Herode, Dæmone fremente, piissimè magneticus ad se rapit. Et fortasiè quasi in præsagium pietatis, quo totus Orbis, huc erat peregrinans, commeaturus, ab ipsis, inuenti sacri corporis, incunabulis, cœperunt Conchæ, in honorem Iacobi, deuotis Peregrinis assumi & æstimari. Sæpè in montibus, è mari, remotissimis, marinas conchas legimus; quòd si quæras, quid-nam his negotij, vnde tam longè, à patrio elemento cogantur immorari? Respondet Tertullianus lib. de Pal. cap. 2. *Mutauit & totus Orbis aliquando, aquis omnibus obsitum: adhuc maris conchæ & buccinæ peregrinantur in montibus, cupientes, Platoni probare, etiam ardua fluitâsse.* Peregrinantur igitur Conchæ in obsequium pietatis, Ethnicam perfidiam conuincentes, totum Orbem vniuersali diluuio succubuisse: Meritò igitur pij Peregrini has assumunt, infectis hæresi Prouinciis, quò redeunt, persuasuri, quantùm Apostolicis reliquiis debeatur, tot tam longæ viæ, periculis se exponentes, vt illarum beneficiis perfruantur: & symbolum piæ peregrinationis, conchas, pridem peregrinantes, secum reportant.

1251. *Reliquiæ Sanctorum, venerabundum hospitem ad se trahunt.*

Sap. 10. 13.

Virtus, honorum magnes.

Peregrinos, ad se trahit Iacobus.

Iacobi concham expendo.

Tertul.

1252. Quid? debetur trucidatis, pro Christo, membris, pars qualis qualis illius gloriæ, quâ immaculatus spiritus iam perfruitur: ne meritorum sociæ carni, præmij cum animâ consortium denegetur. Producturus Deus cætera animalia, dixit: *Producat Terra animam viuentem in genere suo, iumenta, &c.* Genes. 1. vers. 24. Quod idem de bestiis ab aquâ orituris, habes vers. 20. ita vt in eodem instanti, & corpus aptaretur organis, & anima vitalis educeretur. In solo homine, prius longâ morâ structuræ formatur corpus, & posteà quasi in secundis, anima inspiratur: cap. 2. vers. 7. quæris causam? Respondet Diodorus in Cat. par. *Illud nouisse debemus, in cæteris animantibus, simulac dixit Deus, producat terra animam*

Cur reliquiis sacris, honor debeatur.

Gen. 1. 24.

Diodor.

Corporis humani dignitas, à natura.

Corporis humani dignitas à natura.

animam viuentem, statim facta prodiisse, suam viuentia vitam: hominis vero, corporis prius instrumentum conformatur, deinde Opifex, animum inspirat: & quod in eo potius est, secundum locum obtinuit: ne carnem suam despiciat: neque plus nimio se extollat, de egregiâ sua præstantiâque natura. Pendis quàm præuius humanum corpus Dominus decorarit: & putes postquam egregiarum virtutum, heroicæ mortificationis fuerit animo suo instrumentum, in obliuione & dedecore reponendum? amentiæ deliriis hæc hæretica existimatio imputanda. Vnde bene Eusebius Gallicanus homil. de Ascen. ita: *Dicat anima ad Deum suum, pro emundatione carnis suæ. Domine Deus, dignante prouidentia tua, caro hæc, per me quidem animata, atque vegetata est: sed sola ipsa, pro originali & communi debito, vim mortis experta est: vtriusque transgressio, vnius est facta damnatio: pro iure factoris ac reparatoris, ad me viuificatio, ad illam pertinuit correctio. Tu hanc carnem, dum in ea, publicæ saluti militas, honorasti: tu quidem intus in anima, faciem tuæ similitudinis nobilitate decorasti: sed in huius substantia fel, acetum, spinas, clauos, lanceam pertulisti, &c. in omnibus mandatis tuis, ego imperium pertuli, illa famulatum: in commune laborauimus, sit commune quod tribuis: quia siue illa, non patitur, me, iustitia tua recipere, quod promittis.*

Euseb. Gall. Et quodam modo à gratia.

Iacobi corporis honor.

Dum ergo corona iustitiæ vtrique non conceditur, scilicet in resurrectionis diem reseruata: iustæ in plurimis Sanctorum, benignitatis est apud Deum, vt horum reliquiæ religiosissimo cultu habitæ, beatis iam vtcunque spiritibus correspondeant. Sic inter cæteros, & præ multis illorum, Iacobi nostri corpus religiosissimè cultum, resurrectionis spem fouet hilariter: eò iucundius, quò interim & exempla virtutum, & temporalia nobis exhibet beneficia.

1253. Gen. 24. 67. Ducit Isaac post dilectissimæ matris obitum Rebeccam, *qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ*, Genes 24 v. 67. Magnum aliquid prouenturum meditabatur Isaac vxori suæ, si in illa parte tabernaculi, vbi pridem solita Sara degere habitaret, cùm tam disertè id in hoc loco memoret Scriptura. Ecquid illud? Audi Oleastrum, post alias causas, hanc subiungentem: *Vt Vxor memor probitatis socrûs suæ, mores illius disceret.* Et quidem non viderat Rebecca, nec illius meminisse poterat, quam non agnouerat: Ipsi tamen parietes, ipsa domus, quos sanctissima fœmina habitarat, spirare sanctitatem videbantur, & contractam ex contactu virtutem, ingredientibus affricare, vt illius quam non viderant, mores exprimerent. Vnde prudentissimè Ecclesia Catholica ædes illas vbi Diuorum aliqui, aut nati, aut morati sunt, in pretio & cultu habet, quasi virtutem adhuc redoleant, quasi componendis moribus infundant sanctitatem. Sed multò deuotius, in defuncti corporis obsequium impenditur, quod longè penitius, sanctissimæ fuit animæ domicilium. Quid ergo non impendamur colendo Apostolico corpori, spiritus Apostolici habitaculum, & tandem in consortium beatitudinis resurrecturum? Verissimum sanè est illud D. Gaudentij Brixiensis serm. de Apost. & quadraginta Martyr. *Portionem reliquiarum sumpsimus, & nihil nos minus possidere confidimus, dum totos quadraginta, in suis fauillis venerantes amplectimur: sicut illa in Euangelio fidelis mulier, quæ per fimbriam Christi saluata est: oram tenuit vestimenti, & virtutem diuinitatis exegit attactu fimbriæ.* Nihilominus solet Deus, ibi insigniora edere, potentiæ suæ monumenta, vbi insignior reliquiarum pars, decenter collocatur. Quæ ergo non iam Hispaniæ conferat beneficia, cui totum, tanti Apostoli corpus indulsit, mira gentis nostræ pietate retinendum? hinc nobis fidei robur, virtutum fomes, fauor cælestium, terrenorum vbertas, à Dæmone victoria, triumphus ab hostibus, Monarchiæ stabilimentum. Hæc nunc satis de Sanctorum reliquiis venerandis: quia *in Spicilegio*, de Ignatij, Xaueriique sepulchris & reliquiis non pauca disseruimus.

Oleaster.

Reliquiæ Sanctorum spirant & communicant sanctitatem.

D. Gaudent.

XI.

Qualem se erga Summum Pontificem, & reliquos Sacerdotes, Religiosus Princeps debeat exhibere.

Egimus hucusque de reuerentiâ religiosâ à 1254
Principe Catholico, sacris impendendâ: nunc de eadem, sacrorum talium Ministris præstandâ, vtpote sacratis etiam disseremus. Quoniam verò hæreticis exosum in primis Papæ nomen: & Romano Pontifici, debita diuino iure obedientia, habetur execrabilis; successorum Petri. id est Vicariorum Christi oracula, Lutheri, Caluini, & mentis propriæ, scilicet occæcatissimæ deliriis, dum postponunt: operæ pretium æstimaui, non tam scholastica contentione, quàm syncera pietate, nonnihil Principi meo inculcare, vnde feruidior osculandis, supremæ illius Cathedræ, oraculis & imperiis adducatur: inde vel maximè, quòd totam Politicem, in chaos & tyrannidem versam, apud hæreticas Prouincias agnoscimus, ex quo Romanis decretis, & Petrescitis, vt sic dicam, renuntiarunt. Agnouerunt iam Discipuli Christum sibi è ripâ alloquentem, dum piscarentur: & additur statim: *Simon Petrus, cùm audisset, quia Dominus est, tunica succinxit se, (erat enim nudus) & misit se in mare: alij autem Discipuli, nauigio venerunt*, Ioan. 21. v. 7. feruori amoris datur, sed fortasse non minùs æstuabat saltem Ioannes, vnus tunc agnoscens Dominum, & ipsa notitia fruendi desiderio scintillans, & adolescens adhuc, sulcandis vndis longè expeditior: amabant etiam Dominum singularissimè cæteri discipuli; & licèt non parem istis feruorem concedamus: immeritò tamen id feruoris eisdem denegabimus, quò maioribus multo periculis, fruendo glorioso iam Magistro, exponerentur. Cur igitur solus inditur mari Petrus, cæteris deinde nauigio peruenturis? Respondet D. Bernardus lib. 2. de Considerat. *Quid istud? nempe signum singularis Pontificij Petri; per quod non nauem vnam, vt cæteri quique suam, sed sæculum ipsum susceperit gubernandum. Mare enim sæculum: naues, Ecclesiæ. Inde est quòd altera vice, instar Domini ingrediens super aquas, vnicum se Christi Vicarium designauit: qui non vni populo, sed cunctis præesse deberet: siquidem aquæ multæ, Apocal. 17. Populi multi.* Hinc tot procellæ, tot vortices, tot contrariarum sectarum debacchantes tempestates, in illis populis, qui se vnico Petri moderamini, substraxerunt.

Vnde Papa à nobis Rom. Pontif. eximiam Princeps debeat reuerentiam.

Ioan. 21. 7.

D. Bernard.

Papa vnus Christi Vicarius & totius Orbis Pastor.

Postquam

1255. Postquam Domini suauissimo epulo, & suauiori colloquio, cæteri Apostoli vsi sunt cum Petro: additur statim in prædicto capite. *Conuersus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem: qui & recubuit in cœnâ super pectus eius, & dixit: Domine, quis est qui tradet te? Hunc ergo cùm vidisset Petrus, dicit Iesu: Domine, hic autem quid?* vers. 20. Non est iactabundus Ioannes, (abi blasphemia) dum eximia hæc de semetipso profert testimonia, describit priuilegia: quæ licèt ignaris, non ita ad rem venire, videri possent, cùm satis foret, si dixisset: *vidit Ioannem:* at oculatissimus reuerà, & modestissimus Euangelista, prolatis encomiis suis, maiorem Petro prærogatiuam aucupatur: dignior apud Christum necessariò agnoscitur iam Petrus: qui pro discipulo, tot priuilegiis affecto, intercessor interrogans accedebat. Bene est: sed vnde tanta fiducia Petro, vt iam pro Ioanne non audente quærat, quo pridem in cœna, vsus fuerat, ad quærendum intercessore? Scilicet, Primatum iam in cæteros Apostolos Petrus acceperat, audiens à Christo: *Pasce Oues meas.* ibidem vers. 17. ideo Primogenitus iam minorum fratrum sollicitus curam suscipit. D. Ioannes Chrysost. hom. 87. in Ioan. ad hunc locum. *Quâ gratiâ recubitus illius meminit? Non abs re, sed vt ostendat, Petri post negationem fiduciam: qui enim tunc non est ausus Iesum interrogare, sed id muneris alteri delegârat: hic, commissâ sibi fratrum curâ, non modo, alteri vicem suam non mandat, sed & ipsum Magistrum interrogat: & Ioannes quidem tacet, ipse autem loquitur.* Cedat igitur Petro meus Princeps, illius se curæ committat: cui Apostolorum cæterorum, commissa cura; cuique Ecclesiarum Principes concesserunt.

Ioan. 21. 20.

Episcoporum Rector, & frater maior.

D. Io. Chrys.

1256. Quid enim, à Petri oraculo, non speretur verissimum: à quo, vel vmbra mendacij longè abest? Interrogârat Christus aliquando discipulos suos: *Quem dicunt homines, esse filium hominis?* Matth. 16. vers. 13. tunc cateruatim discipuli, opiniones vulgi referentes: *Dixerunt: alij Ioannem Baptistam: alij autem Eliam: alij verò Ieremiam: aut vnum ex Prophetis.* vers. 14. Tacet tamen interim Petrus, qui Os sacri Collegij solet appellari: & cæteris vulgares sententias narrantibus, solus obmutescit. Nunquid ignorabat vnus Petrus, quæ vulgus de Christo iactârat? nullo modo: sed tantus Pontifex alieni mendacij, non solùm non assertor, sed etiam nec narrator, haberi potuit: Subticet Petrus, vt quàm foret longissimus ab approbando falso, probaretur: qui nec etiam referendo, adduci poterat: os illud, totius veritatis officina, vel etiam commemoratis aliorum delyriis putatur coinquinari: & quod cæteris Apostolis non officit, Petro in Pontificem paulò post prædestinando, videbatur obstare. D. Ambros. lib. de Incarnat. Dom. Sacram. cap. 4. *Cùm interrogâsset Dominus, quid homines de filio hominis, æstimarent: cùm diceretur vulgi sententia, Petrus tacebat. Taces ergo Simon, & respondentibus alijs adhuc taces, cùm ipse sis primus, qui etiam non interrogatus interrogas: nec times, ne reprehendaris à Domino, quia non respondes interroganti? Ideo inquit, non respondeo, quia non interrogor meam, sed alienam sententiam: legi enim Psalm. 16. vt non loquatur os meum opera hominum: opus autem est perfidorum, perfidias prædicare. Ergo taceo adhuc, quia nondum, id quod sentio, interrogor: non proferam labijs, quod animus non probauit.* Quid ab hoc ore, in re dogmatis, falsum prodire posset?

Math. 16. 13

Vers. 14.

Quem, in rebus fidei, vel leuissima vmbra mendacij, non infecit.

D. Ambros.

1257. Huc iam veniunt pulchrè, quæ subsequuntur. *Dicit illis Iesus: vos autem, quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus, filius Dei viui.* vers. 15. & 16. Omnes interrogantur, & vnus pro omnibus respondet Petrus: quia cæteris tunc adhuc, non dum spiritûs plenitudine acceptâ, caligantibus: vni Petro, diuinitus reuelata fuerat vers. 17. orthodoxæ doctrinæ sententia infallibilis. Sed vnde, cæteris etiam Christo piissimè adhærentibus, singulariter Petro, tantum, accipiendæ cælestis inspirationis, conceditur priuilegium? debuit illi prodesse, quod siluerat: cautissima illa prudentia, veracitatis amor, quo vel etiam ab enarrandis aliorum mendaciis abstinuit, supremam veritatem pellexit sibi communicandam. Quasi mens illa Petri Pontificio iure paulò post imbuenda, nec etiam euacuandis, per linguam, alienæ impietatis insomniis, posset assuescere: ne qua vox inde, in re dogmatis, quæ oraculum non fuerit, expromatur. Ambrosius citatus. *Hic ergo, qui ante reticebat, vt doceret nos, quòd impiorum nec verbum debeamus iterare: hic, inquam, vbi audiuit.* Vos autem, quem me esse dicitis? *Statim loci non immemor sui, Primatum egit: primatum confessionis vtique, non honoris: primatum fidei, non ordinis. Hoc est dicere: nunc nemo me vincat, nunc meæ partes sunt: debeo compensare, quod tacui: debet prodesse, quod silui: lingua mea non habet spinas, sine impedimento fides debet exire, dum alij cœnum aliena licet, prolata tamen impietatis euacuant, quia aut Eliam, aut Ieremiam, aut vnum ex Prophetis, Christum esse dixerunt, habuit ista vox cœnum, habuit ista vox spinas: dum alij in hoc, lauant cœnum, dum in alijs enodantur spinæ: vox nostra, filium Dei, Christum resultet: mihi est sermo, cui nullas spinas, expressa reliquit impietas.* O qualem miremur in Petro, post Pontificias infulas, veritatem: cui pridem, simplex mendacij enarratio, cœnosa & spinosa videbatur? Quid in Cathedrâ sedens innumera Hydræ, id est Hæresis capita, oraculis suis Petrus non amputet: qui sessurus adhuc, acceptâ reuelatione, afflatus Numine, Hæresim sic prosternit? meritò proinde idem Ambros. ibidem cap. 5. *Hæc confessio, non vnam hæresim excludit: nam cùm Ecclesia multis, tanquam bona Nauis, fluctibus sæpe tundatur: aduersùs omnes hæreses, debet valere Ecclesiæ fundamentum. Dies me citius deficiet, quam nomina hæreticorum, diuersarúmque sectarum: aduersùm omnes tamen, generalis hæc est fides, quia Christus est Dei filius, & sempiternus ex Patre, & natus ex Virgine.* Quid mirum iam fugiat Hæresis, Petri Sedem, vnde certò se nouit iugulandam? quid mirum vt fidei, primatum etiam honoris, hinc accipiat?

Math. 16. 15.

Solius tantùm, syncerissime assertor veritatis.

D. Ambros.

Quæ, omnes penitus hæreses profliget.

D. Ambros.

1258. Igitur tàm inflexibilis veritatis constantiâ, heroica syncerissimæ fidei confessione inductus Christus, iam Petrum, Romanum Pontificem, id est certissimum veritatis asylum, sic instituit *Beatus es Simon Barjona: quia Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est: & ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ Inferi non præualebunt aduersùs eam.* vers. 17. & 18. Benè D. Maximus Taur. serm. de Petro, &

Cælestis, in terra, clauiger.

Math. 16. 17.

D. Max.

Paulo. *Hæc illi confessio dedit, vt ante claues regni cælorum acciperet, quam cælestia regna introiret.* Meritò enim iam cæli clauiger constituitur, qui in terris adhuc, solummodò cælestia nouit confiteri. Expendo tamen singula. Disertè non solùm Simon, sed etiam *Barjona*, id est, *Columbæ filius*, nunc appellatur, vt singularissimè Petrus, columbæ illius cælestis, quæ Christum naturalem Dei filium Matth. 3. designârat, adoptiuus iam filius nosceretur. Quid ita? quia licèt cæteri fideles Iusti etiam Spiritui sancto per gratiam adoptemur; at Petrus, cui priuato iure, ad reuelationem assistit hic spiritus, & in Catholicorum dogmatum oraculum, penitius, dum designatur Pontifex, coniunctissimus Spiritui sancto filius prædicatur. Beda ibi in Homil. *Certè, quia Spiritui sancto super Dominum, in Columbæ specie descendit, rectè filius Columbæ nuncupatur, qui spirituali gratiâ plenus extitisse monstratur. Et iusta laude, dilectiorem Confessorémque suum Dominus remunerat, cùm eum sanctus Spiritus filium esse testatur, à quo ipse filius Dei viui asseueratur. Quamuis hoc ipsum, multùm dissimiliter fieri, nullus fidelium dubitat: Dominus enim Christus, Filius Dei per naturam: Petrus, sicut & cæteri fideles, filius est Spiritus sancti per gratiam.* Illa verba, *sicut & cæteri fideles*, similitudinem adoptionis significant, non gratiæ æqualitatem, quâ Petrus ad ministerium suum plenior extitisse monstratur, vt nimirum vnius Petri tanquam capitis confessio, totius Collegij Apostolici, id est, totius Ecclesiæ sententia agnoscatur. Victor Antiochen. in cap. 8. Mar. *Quid ad hoc quæsitum, Apostolorum os Petrus, qui nusquam non feruidum se declarat, omnibus interrogatis, solus ipse respondit: Tu es Christus filius Dei viui, &c. Et quidem Petri, qui orthodoxè de illo senserat confessionem probat: aliorum verò Apostolorum fidem, ex proprio eiusdem Petri testimonio confirmat.* Quia nimirum communis & verissimus, totius Ecclesiæ sensus esse probatur, qui vnius Petri oraculo exhibetur, vt iam Ecclesiæ Christi membrum se non esse intelligat, quisquis contra Romanam Sedem, id est, Petri authoritatem rebellauerit.

Et priuata quadam adoptione, Dei filius.

Beda.

Totius Ecclesiæ, & Apostolorum os.

1259. Addit Christus: *Tu es Petrus, &c.* Nam vt habes Ioan. 1. in Petræ nomen, Simonis titulus, fuerat illi à Christo commutatus, vt fundamentum Ecclesiæ poneretur. Sinocatta, Persarum mores scribens, sic subiungit: *Quos à dignitatibus indigitari delectat, dedignantes nomina, abortu sibi imposita.* Nimirum ab Ecclesiasticæ dignitatis primatu, non à nomine ab incunabulis sibi imposito, indigitatur Petrus, sed noua suprà Persas prærogatiua, quòd nimirum, non solùm vicariatus dignitatem à Christo, sed etiam nominis consortium obtineat. Pulchrè D. Maximus, serm. de Petro. *Hic est Petrus, cui Dominus communionem sui nominis libenter indulsit; vt enim, sicut Apostolus Paulus docuit, Petra erat Christus: ita per Christum Petrus, factus est Petra, dicente Domino: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Neque absque venustatis gratiâ, cùm tot aliis locis Christus vocetur Petra, singulare illud Pauli testimoniū aduocat S. Doctor. Ergo Apostolus 1. Cor. 10. Inter alia multa, quæ Synagogæ olim in Ecclesiæ typum contingebant, alludens ad petram, vnde Moyses, percutiente virgâ, aquam populo deriuauit, sic subdit. *Bibebant autem de spiritali consequente eos Petrâ, Petra autem erat Christus.* Vers. 4. è Christo enim Petrâ, vndæ vitæ in baptismo, salutis Eucharisticæ pocula, in vniuersam Ecclesiam dimanarunt: cælestisque doctrinæ flumina scaturierunt. Benè igitur Pontifex noster, Petra: neque enim diuina illa doctrina, quâ Christus Ecclesiam suam cupit irrigatam, perennis huc vsque durat; nisi dum syncera & intemerata, à vicario suo Petro, à Petrâ hâc secundariâ, propinatur: neque aptè visibilis Ecclesiæ labiis sitibundis, nisi visibilis fons, vndas, ab occulto iam Christo, mutuatus, aperiretur. Idem D. Maximus citatus. *Nam, sicut in deserto, dominico sitienti Populo, aqua fluxit è petrâ: ita vniuerso Mundo, perfidia ariditate lassanti, de ore Petri, fons salutifica confessionis emersit.* Tabescet ergo perfidiæ ariditate, quisquis huic fonti sitiens non recurrit: & Lutheranæ, Caluinisticæque paludis cœnosas sordes, fæculenta pocula, hianti ore lymphatico furore, toxicandus absorbet.

Simocat.

Petra, Ecclesiæ fundamentalis.

D. Maxim.

1. Cor. 10. 4.

Et Petra, vnde solum doctrina fons emanat.

D. Max.

Dicat nunc Hæreticus, insanius vt solet, verissima huc vsque dicta, de Petro, Christi Vicario, & legitimo olim Pontifice Romano: temerè verò, & frustrà, huius Cathedræ successoribus adaptari, quos in Antichristos degenerâsse præsumitur: (O blasphemia,) quos in immoderatæ potentiæ superbissimum fastum elatos constat, (ô calumnia!) Non est præsentis tractatûs, insanissima hæc delyria confutare, abundè apud scriptores Polemicos exsufflata: meo Principi sufficiat præsenti semper Pontifici colendo, quod iste in Cathedrâ Petri sedeat, vnde errare ad dogmata, & Ecclesiæ institutionem non possit: cùm etiam abominabiles Pharisæi, quòd in Cathedra Moysis sederent, sub pessimis moribus, suspicionem temeratæ doctrinæ non incurrerent. Ideo Christus: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: secundùm verò opera eorum nolite facere.* Matth. 23. vers. 2. Vbi grauissimè D. Augustinus in Cat. *Debet aduerti, quantus honos delatus sit Doctrina Moysis, in cuius cathedra, etiam mali sedentes, bona docere cogebantur.* Vtrumuis ergo eligat impietas, aut æternam Veritatem, in his verbis, coarguat falsitatis, aut si infallibilia docuisse probet: concessum Ecclesiæ credat, quod Synagogæ non audet degenerare. Sed hæresis in vmbris tenebricosis semper palpans, quid mirum si figuratiuis vmbris plus deferat, quàm ipsis splendoribus significatis?

1260. *Simonis Petri, necessarius, & legitimus successor, errare nequit.*

Mat. 23. 2. D. Aug.

Obscurissima sunt verba illa, quibus Catalogus Fortium Dauid inchoatur 2. Reg. Vbi ita. *Hæc nomina fortium Dauid. Dauid sedens in Cathedrâ, sapientissimus Princeps inter tres.* Cap. 23. vers. 8. Nunquam nobis satis constat, quis apud Dauidem Regem, iste alius *Dauid sedens in Cathedrâ*: tùm quia mirè variant, à nostra & inter se exemplaria Græca: tum quia 1. Paralip. 11. vers. 10. potiùs Iesbaam videtur appellandus. Sed cur, cùm tam disertè aliorum subsequentium & nomina & personæ designentur: in huius primi notitiâ, voluit nos caligâsse, sacer Scriptor? Credo, quia huic soli, & sapientia, & sessio in Cathedrâ attribuitur, ne tàm de personâ, & nomine, quàm de officio nobis esset venerabilis. Multa in hunc locum Galfridus in Syl.

1261. 2. Reg. 23. 8.

1. Par. 11. 10. *Neque tàm de persona propria, quàm de assumpto officio, venerabilis.*

Galfrid.

Sylu. Allegor. qui tandem sic concludit. *Meritò proinde sedens in Cathedrâ, suo non designatur ex nomine, vt quicunque ille sit deferatur potiùs Cathedræ, quàm personæ: & si quidem sancta est, non superbiat: sin alias, recta docentem, nemo despiciat.* Est sanè persona Papæ, non solùm titulo, sed etiam reipsa sanctissima: esto tamen quandoque minùs sanctè (homo est) degere ab aliquibus præsumatur: in Cathedrâ tamen Petri sedens, vt dicebam, non solùm recta docet, sed etiam infusi instinctu Numinis, recta cogitur edocere. Solummodò ergo hæretica proteruia, nomen aut personam taxans, rectè necessario docentis authoritatem despicere, ausa est: qua semper successores Pontifices, vnum à Christo Petrum repræsentant.

1262. *Neque tàm intermediorū Pontificum, quàm primi Petri, successor appellatur.*

Hinc est vt Romani Pontifices, prætermissis tot aliis intermediis, Sanctissimis Martyribus & Confessoribus, qui in Petri Cathedrâ sederunt; solum quodammodò ad Petrum deferant originem: solius Petri dicantur successores, vt (quod humiliter sæpè de se fatentur, Gregorius & Leo, vterque Magnus) etiam in indigno successore, dignitas Petri illæsa noscatur perseuerare. Descripturus Zachariæ vxorem, Baptistæ matrem, Lucas, ita habet. (Luc. 1. 5.) *Vxor eius de filiabus Aäron: & nomen eius Elisabeth.* Cap. 1. vers. 5. Innumeri ab Aaron, vsque ad hanc piam fœminam, genitores successerant: & tamen cur istis tacitis, ad remotissimum vsque Aaronem recurrat Euangelista, non tàm immediatorum, quàm huius, filiam referens Elisabetham, vidit optimè D. Petrus Chrysolog. serm. 80. (D. Chrysol.) Vbi ita. *Aaron, primus Pontifex lege fuit, Sacerdotij origo: propterea meritò prætermissis omnibus, eius filia dicitur, cuius in se memoria prætulit sāctitatem.* Similiter, Petri quasi immediatus successor dicitur quisque Pontificum Romanorum, cuius virtutes vt plurimum imitatur, & cuius infallibiliter refert auctoritatem. Petrus, primus in Ecclesia Pontifex, origo Sacerdotij, in singulis Pontificum, catholico cuius Principi, proponitur colendus.

1263. *Sacerdotali oleo, quanta reuerentia, præstanda.*

Sed & aliis simplicibus Sacerdotibus, ne dum Episcopis Ecclesiæ Principibus, debitam sæculares Principes præstent obedientiam: eminentior longè hic ordo, quauis purpurâ: quouis sceptro, apud Christum, pretiosior. Quæ materia, quoniam iam satis, Tomis grauissimorum Auctorum iustis, illustrata: illud tantum Catholicæ Politicæ aptiùs delibabo, quò meus Princeps caueat, sub prætextu Iustitiæ, & aliquorum Clericorum proteruiæ restringendæ, sacri Ordinis Canonica priuilegia inuertere: nec audeat, quasi placiturus Christo, *in Christos Domini* manus iniicere: & quasi non sint *vncti oleo*, id est, alterius longè sacratioris fori, eosdem ad profana compellere Tribunalia. Hinc præcipitium Angliæ dolet Orbis: & Ecclesiæ paulo ante defensorem Henricum, non post multum, Apostatam ingemuit: incæstuosi quippè connubij, in obstantes Episcopos, ita prima desæuiit. Transgresso diuinum præceptum Saule, ait Deus ad Samuëlem: *Pœnitet me, quòd constituerim Saul Regem.*
1. Reg. 15. vers. 11. (1. Reg. 15. 11.) Si mordet, nostro loquendi modo, pœnitentiæ Deum: cur etiam subita, iustæ vindictæ ira non corripit? cur statim non degradat fulminatum: sed tot annos patitur, donec ipse, se miserum cap. 31. vers. 4. gladio plusquam sacrilego occidat? Vide quid Græca exprimant in (Græc. vers.) Sixt. *Pœnitet me ὅτι ἔχρισα, quia vnxi Saul in Regem.* De quo grauiter Optatus Mileuitanus (Optat. Mil.) lib. 2. aduersùs Parm. ita. *Saul antequam peccaret, vngi meruit: post vnctionem, non leuiter offendit. Hoc Deus cum videret, propter oleum non tangendum, volens exemplum proponere, pœnitentiam suam professus est*: Pœnitet me, vnxisse Saul in Regem. *Et quidem potuit Deus, oleum, quod dederat auferre: sed cùm voluit docere, non debere contingi oleum, etiam in peccatore: ipse qui dederat pœnitentiam gessit.* Quasi mallet haberi quodammodò pœnitens in electione, quàm in vnctione punitor: & subdere ignorantium suspicioni, diuinam prudentiam, si fas est dicere: quàm temerariis Iudicibus, sacri olei violandi exemplar præsumi. At quidem, sola hæresis negat, longè sacratius esse sacerdotale oleum, quàm regale, multóque reuerentius tractandum, vt iam videant Principes sæculares, an iure delinquentis Sacerdotis, ne dum innocentis, oleum contingant; cùm Deus abominabilis Principis oleo, reuerentiam tantam exhibuerit, vt abolere chrysma, & Regem vnctum degradare non auderet.

Hinc fuit illa reuerentia, quâ Dauid, ab occidendo Saule temperauit, cum paratissimam triumphi haberet occasionem, in speluncâ Engaddi, suis ad necem instigantibus, respondens: 1264.
Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo, Christi Domini, vt mittam manum meam in eum, qui Christus Domini est. Ibidem cap. 24. vers. 7. Totam rationem à chrismate desumpsit, vt etiam reum, & sibi infensissimum, supremo, id est, competenti Iudici remitteret, vt ibidem subiungitur: *Viuit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum; aut dies eius venerit vt moriatur; aut descendens in prælium perierit: propitius sit mihi Dominus, non mittam manum meam in Christum Domini.* Priùs percussorem Deum posuit: sed quasi prædiuinaret, futurum, quòd suprà diximus, vt Deus à pœnâ, vncti Regis, accelerata, reuerenter temperaret: ad causas necis alias recurrit. quæ Deum non tam priuatum auctorem illius pœnæ, quàm permissorem quodammodò probarent: dum permisso peccato Adæ, aut prælij furore, naturalis, aut violenta mors subsequitur. Sic regale oleum proponitur ad reuerentiam, vt illud sacerdotalis Ordinis pretiosius, multo pluris faciendum agnoscatur. Neque verò putent Principes ab iniquorum etiam Sacerdotum pœnis temperantes, propriisque sacri fori Iudicibus remittentes, aliquid sibi Iustitiæ & potestatis imminutum: nunquam enim seueriùs culpam Saulis vindicauit Dauid, quàm dum eius oleo reuerenter parcens; eundem, se carnifice, periturum refert. Hoc fortasse volebat idem Optatus Mileuit. post alia ad (Optat Mil.) hunc locum sic subiungens. *Pueri eius, & occasio suadebant ad victoriam, opportunitas hortabatur: stringere iam cœperat ferrum: ira iam cœperat armatas manus hostiles in iugulos: sed obstabat plena diuinorum memoria mandatorum: hortantibus se pueris, & occasionibus contradicit, tanquam & hæc diceret. Sine causâ, me victoria prouocas: frustrà me, occasio, in triumphos inuitas: volebam hostem vincere, sed priùs est diuina præcepta seruare:* Non, inquit, mittam manus in vnctum Domini: *Retraxit cum gladio manum; & dum timuit oleum, seruauit inimicum: &*

Plura, de sacro oleo, Sacerdotum.

Princeps, sacerdotem puniendum, cōpetenti foro remittens, iustior punit.

cùm compleret obseruantiam, vindicauit occisum, id est vindictam sumpsit: quia tàm pio obseruatori legis, tàm infallibiles pœnas daturus prænidebatur Saul, vt iam quasi occisus videretur.

1265. Remittendæ ergo hæ pœnæ, competentis fori Iudici, qui exemplo Christi, in reos animaduertat sedulus, necesse est: nullus alius nisi temerè, has putet repetendas. Sceleratiores longè alios, & fœdioribus vitiis scatentes notârat Christus: nec tamen vnquam in eos sic inuectus legitur: vt in eos exarsit, qui in Templo negotiabantur: *Inuenit in Templo vendentes boues, & oues, & columbas, & nummularios sedentes: & cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de Templo.* Ioan. 2. vers. 14. Reprobos nonnullos Ecclesiæ ministros, in his negotiatoribus intelligi, iam fusissimè Doctores adnotârunt, illud tamen adhuc addubito, cur cùm grauioribus sceleribus non rarò sæculares obligentur: solummodò etiam in leniora Ecclesiasticorum vitia Christus legatur desæuire? Scio in ecclesiasticis, vtpote eximiæ sanctitatis debitoribus, etiam minora vitia, pro magnis reputari: cur tamen, sæcularium maximis, quasi tunc dissimulatis, in Ecclesiasticorum minora, licèt magna, sic punitor exardet? Non tàm condonauit Dominus pœnas sæcularibus, quàm à quouis Iudicum expostulari posse, sic ostendit: vnde istis petendas dereliquit. At ab Ecclesiasticis, solummodò Christus, & eius vicarius, Romanus Pontifex, aut ab hoc delegati, in sacris, Iudices, pœnas possunt repetere: vnde facto flagello pius Dominus, non tàm Ecclesiasticorum seuerus punitor, quàm vnus, hos potens punire, voluit recognosci. Anacletus Primus, epist. 2. habetur tom. 1. Concil. *Dominus, sacri sui corporis tractatores, vilibus, & reprobis, & non idoneis personis infamari noluit, nec calumniari permisit: sed ipse proprio flagello, peccantes Sacerdotes à Templo eiecit. Vnde liquet, quòd summi Sacerdotes, id est Episcopi, à Deo sunt iudicandi, non ab humanis praue vitæ hominibus lacerandi: sed ab omnibus fidelibus portandi: ipso Domino exemplum dante, quando per se ipsum, & non per alium, vendentes & ementes eiecit de Templo: & mensas Nummulariorum, & cathedras vendentium, proprio euertit flagello.*

Solum Ecclesiasticus Iudex, Clericos puniendos tradere potest.

Ioan. 2. v. 14.

D. Ambrof.

1266. Et bene, non solùm à Sacerdotibus, sacrilegas laicorum manus, sed etiam verba impia, & calumnias amouet Anacletus: Caueat Catholicus Princeps: noueritque proprium Hæreticorum esse, in Sacerdotes Romanos, in Ecclesiæ Christi Ministros, quando verbera dura inferre nequeunt, verba duriora euibrare: vnde citatus suprà Optatus contra Donatistas, ita. *Filij hominum denies eorum arma & sagitta, & lingua eorum, gladius acutus: Psalm. 65. ergo linguas vestras acuistis in gladios, quas monuistis in mortes non corporum, sed honorum: iugulastis non membra, sed nomina. Quid prodest, quia viuunt homines, & occisi sunt honores à vobis? valent quidem membris, sed erepta portant funera dignitatis.* & post multa concludit. *Esuritis honores innocentium Sacerdotum. Vnde furori vestro, tanta fames vnata est, vt guttura vestra sepulchra patentia feceritis? vnicuique sepulchro sufficit vnum funus, & clauditur: gutturi vestro, honorum funera minimè sufficiunt: & adhuc patent, dum aliquos quærunt deuorare: vt meritò de vobis dictum sit, sepulchrum patens est guttur eorum.* Putes, Nouatores nunc impios delineâsse: non satis, si apud obcæcatissimos suos sequaces, Christi Vicarium, quem attingere nequeunt, prædicent Antichristum: si valentem membris, legitimè officio summo fungentem, insani garriant, cùm phantasticum honore, tum mortuæ dignitatis viuum funus: sed insuper totum Romanum Clerum, Religiosos viros, & maximè Iesuistas sic proscindũt linguis, vt iam guttura sua, in funera patentia formasse comprobentur. Sed quàm delusi dum neci dant, quos possunt, Martyrio gloriosissimo coronant, dum linguam & calamum in absentes armant: honore cumulant: Nemo prudens, nisi pios, ab impiis occidi aut taxari coniectat. Ergo vtrobique iniqui, sed in Ecclesiæ gloriam diiudicant: Nimirum vt ignorant Deum, sic etiam seruos eius nesciunt reuereri: & vt quâ possunt profanato Euangelio, Christum iudicant: sic Christi seruos iudicandos attentant sacrilegè. Longè ergo alius Catholicus Princeps, audiat citatum suprà Anacletum, qui sic concludit. *Alibi ait:* Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos decernit. & *alibi.* Ego dixi, Dij estis vos, & filij Excelsi omnes. *Nullus enim, vt reor, inuenitur inter nos, qui velit suum seruum, nisi à se iudicari.* Nedum illum seruum, qui Diuinitatis participatæ titulo insignitur.

In Sacerdotes, opprobria iactare, hæreticorum est proprium.

Optat. Mil. *Detractionis damnum.*

Sacerdotes Dij, Iudicio Deo remittendi.

D. Anaclet.

Ex hâc piâ reuerentiâ, quâ Principatus respicit Sacerdotium, oritur inseparabilis illa, vtriusque Ordinis vnitas, vnde fœlicissimè, totius Reip. negotia peraguntur: & sine quâ, necessariò pessumeunt. In illorum sententiâ, quæ Iepte sacrificium damnat, vt sacrilegum, inque Dei dedecus, & funestas Populi lachrymas, peractum Iud. 11. quærentibus vnde tantum nefas in Gente, diuinæ legis, non ignarâ, potuerit consummari? Respondent, vt nemo nescit, Interpretes doctiores, inde ortum damnum, quòd tunc Princeps, à summo Sacerdote dissentiret, quem propterea reuerenter sibi noluit consultum, vnde in tantum mactandæ filiæ præcipitium, permissus deuenire. Assuescat ergo Catholicus Principatus debitâ reuerentiâ colere Sacerdotium, vt increscente pacis vnitate, faustissime hinc Resp. habeatur. Ideo D. Leo Epist. ad Pulcheriam: *Res humanæ, aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad diuinam Confessionem pertinent, & Regia & Sacerdotalis defendat auctoritas.* Quem cum aliis innumeris dedit Ioan. Chokier lib. 1. cap. 5. tu inde, si vacat, repete: ego pauca nostra suggero. 1267.

Inter sæculares Ecclesiasticasque Potestates vnitas, quàm necessaria.

Iud. 11.

D. Leo.

Postquam multis cum Moyse, egit Deus: tandem cap. 28. Exod. sic subiungit. *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum, cum filijs suis, de medio filiorum Israel, vt Sacerdotio fungantur mihi.* vers. 1. Vtraque Monarchia, in vnam solùm familiam ingeritur: & Moyse Principe, summus Sacerdos, frater assignatur. Poterat id stimulos inuidiæ Populo admouere, cui nihil grauius aliquid, sub æquitate Politicâ, esse solet: quàm quòd, prætermissis aliis, in vnam solummodò familiam, quidquid honoris fuerit, inferatur: & tamen conniuet Deus querelis, quasi in sic factâ vtriusque fratris electione, gubernando deinceps Populo, necessaria & longè maior vtilitas emineret. Ecquæ hæc tanta vtilitas? Nimirum tunc sibi Hebræam Remp. inchoabat, & primis lineamentis Deus deducebat: cui proinde tanquam omninò necessariam, & vtilissimam, inter Principem 1268.

Hanc vnitatem multis vinculis cohærentem cœpit Deus, in Reip. commodum.

cipem, & Sacerdotem, volebat quasi in exemplar posteris concordiam præmonstratam: id ergo effecit, vt non solùm officij, sed etiam consanguinitatis iure, in his prioribus, hæc mutua reuerentia, & vnitas arctissima stabiliretur: quasi lapsuri penitus Republ. nec Populo in promissa sibi regna ingressuro, si quid inter Principem & Sacerdotem dissentiret. Audiendus ibi Oleaster. *Ad quid, Domine Deus, Ducis fratrem, Sacerdotem constituis? turbari solet Ecclesia maximè, & Respubl. Christiana, cùm inter Principes, & Sacerdotes non conuenit: & vice versâ, videmus concordiam in Populo summam, cùm inter Reges & Sacerdotes, fuerit pax. Qua de causa voluit Dominus, ex germanis, alterum ducem, alterum verò summum facere Sacerdotem. Omni enim tempore, quo Rex Ioas 4. Reg. 12. vers. 2. secutus est consilia Ioiadæ, summi Sacerdotis, optimè præfuit: cùm verò ab eo recessit, defecit: & regnum eius maximè turbatum est.* Ex reuerentiâ ergo Ioas vnitas: ex vnitate orta totius Reipubl. stabilitas.

Oleaster.

Oritur autē hæc vnitas, si Princeps colat Sacerdotem.

1269. Sed pende adhuc, non dixisse Deum, *Aduoca*, vel *assume*, vel quid simile: sed, *Applica ad te Aaron*: quasi aut nunquam iste à Moyse remotus intelligatur, sed semper ad manum esset sibi applicandus, aut sic vocandus præciperetur, vt non simpliciter venturus, sed intimè applicandus Moysi, cognoscatur, id quod in hoc loco, veruntamen ad sensum mysticum, expendēs Odo Tusculanus, in Sylu. Allegor. sic scribit. *Lex & Sacerdotium, quam familiariter sibi conueniant, fraterno nomine, voluit Dominus assignare. Vnde nec ait* voca, *sed* Applica. *Qui ergo vult fungi Sacerdotio, oportet eum, in lege Domini iugiter meditari.* In literali ergo & germano sensu, nunquā meus Princeps, à Sacerdote se reputet absentem vt semper pio eius consilio foueatur: & quasi Numen, (cui syncerè ministrat) reueritus, sic aduocet, vt intimè applicandum: quasi penitiori cordi, salutaribus huius monitis infigendis. Et quidem erga summi Pontificis præcepta, res plana Principi Catholico: at erga proprij Confessarij monita: hoc opus, hic labor est.

Quàm debeat a Sacerdotis consilio pendere Princeps.

Odo Tusc.

1270. Fouebit igitur reuerentiam maximè, erga priuatum Institutorem, præuia & oculatissima Principis cura; ne in periculosissimo electionis negotio, in personæ assumendæ dotibus discutiendis aberrauerit. Singulis fidelium, nihil hâc electione venit cautiùs dispiciendum, quid eueniat Principi, à quo vniuersa Respubl. è cuius moribus, publicæ politicæ ratio dependet? quid enim stultius quàm corporis custodibus comparandis, & eligendis magnæ vitæ excubitoribus, impensissimam diligentiam adhibere: Animæ autem aptissimo custodi eligendo, indormire: quasi hæc illo despicabilior habeatur? Sunt grauissima verba illa Saluiani lib. 3. ad Eccles. Cathol. vbi expendens sententiam illam Dæmonis: *Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua.* Iob. 2. vers. 4. sic scribit. *Dilectissimam esse animam suam homini, etiam Diabolus non negauit: & qui auertere omnino cunctos, ab affectu animarum suarum nititur: idem tamen charissimas esse debere, cunctus suas animas confitetur. Quis ergo furor est, viles a vobis animas vestras haberi, quas etiam diabolus putat esse pretiosas? Quis furor est viles à vobis haberi: quas etiam ille, charas vobis, debere esse dicit, qui viles facere conatur? ac per hoc, qui animas suas negligunt, etiam infrà iudicium diaboli, se amant.* Ne ergo in hunc furorem incidisse præsumatur religiosus Princeps, si plus corporis, quàm spiritus Custodi: si plus morborum medico, quàm vitiorum Æsculapio, satagat probando: Dicam seorsim paucis, qualem sibi, in tantum Religionis catholicæ mysterium, & ministerium, debeat Monitorem & Confessarium aduocare.

Quanta cura Princeps, Cōfessarium sibi debeat eligere.

Quàm debeat homo animā suam habere pretiosam.

Iob 2. 4.

Saluian.

XII.

De religiosi Principis Confessario:

Scientiam in primis, & diuinarum literarum disquisitionem profundam, disquisitionúmque theologicarum assiduam, in Cathedra, professionem eligendo Confessario requirat Princeps: & quidem necessariò, absque hoc enim apparatu, tam arduis communicandis sibi negotiis, Minister mancus fuerit. Neque tamen, his instructus solummodò, satis idoneus venerit: nisi practicam illam simul, & occultiorem scientiam attulerit, quæ dirigendo spiritui, quæ promouendæ ad perfectionem animæ, pro Regij status conditione, omnino prærequiritur. Atque vtinam, quam facile est Principi, in suâ cuiuis catholicâ Prouinciâ, multos inuenire ingentis literaturæ, & reconditæ Theologiæ viros: sic tàm non esset difficile, paucos aliquos numerare, quibus inter cultissima illa ornamenta, hæc practica suppellex non deesset. Rara, præter illam scientiam Theologicam, exigitur huc, spiritus prudentia, & inuenitur rarò. Grauiter Galfrid. in Sylu. Allegor. comparans Magistrum spiritus, cum Clibano illo accenso, vbi panes sacrandi Deo, parabantur: sic scribit, ad Cap. 2. Leuit. *Clibanus, est quædam regularis disciplina, cuius decoctio diuturnior est, sed tolerabilior: solicitè si non desipiunt, prouidentibus iis, quibus est credita dispensatio: & discretè moderantibus, ne vehementior ignis adurat, aut tepidior, fortè non coquat. Sed ad hoc, quis idoneus? Quis temperabit hunc Clibanum, vt nec nimis ferueat, nec nimis tepeat: sed eò efficaciùs, quò discretius, panes sacrificij coquat? Heu Domine Deus! quod de communi & terreno pane non fieret, multi hodie imperiti imprudenter præsumimus, quod nescimus: & in expertum nobis officium Clibani spiritualis accipimus.* Nulla Theologia, sed mera spiritus vnctio, hanc temperantem prudentiam spirituali Magistro confert. Hæc ergo in quouis Confessario penitus requisita, in Principis Confessario necessarior: à quo vel adusto, vel incocto, totius Reipubl. moles periclitatur. 1271.

Quàm difficulter Confessarius prudens, Principi inueniatur.

Galfrid.

Partes, instituendo spiritui, requisita, quæ sint in primis necessaria.

Recurre ad Catalogum illum, virorum fortium, qui Dauidi Regi dicuntur adhæsisse, de quo suprà Num. 1261. sic enim primicerius ibi describitur ad rem nostram. *Sedens in Cathedrâ, sapientissimus Princeps inter tres: ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.* 2. Reg. 23. vers. 8. Mirum dictu! fortissimos robore descripturus priùs in primo sapientiam, quàm in cæteris commendat, vires egregias: quasi hic vnus, cuius sapientia, ad animæ profectum, vtebatur Rex Dauid, longè illi charior, & pretiosior esset, quàm cæteri 1272.

2. Reg. 23.

Ars artium est, animarū gubernatio.

 omnes

omnes, cuius robore ad custodiam corporis, ad bellorum præsidium muniebatur. Ideo sedens in cathedrâ apud tantum Regem, non vtcunque sapiens, sed *sapientissimus* dicitur: quia ars artium est, quarumuis animarum, ne dum regij spiritus moderamen. Galfridus ibi (quamuis contextum meum, gubernandi Principis, prætererit) ita:

Galfrid.

Primus ille sedens in cathedra, ante omnia indicat, oportere Doctoribus non deesse doctrinam, ars enim est artium, regimen animarum: nec minoris insaniæ quàm imprudentiæ est, si huiusmodi ministerium profiteatur ignarus. Sedens, *inquit*, in cathedrâ, sapientissimus: *benè, optimè: alioqui ridiculè satis in cathedra præsidet, qui non præminet in doctrinâ.* Sed tu mihi pende sapientissimum hunc spiritus Magistrum, hácque artium arte sic pollentem, non Aquilæ solaris splendoris examinatrici, sed Teredini lignum corrodenti comparari: quia licet aquilinum Theologiæ acumen, huic tanto ministerio requiratur: maximè tamen prudentia illa practica Terenidis exigitur. Vidistin aliquando duri roboris cor pene ferreum, quod reciprocos, stridentis serræ dentes pene confregerat, penitus hebetarat, paulò post ab hoc vermiculo, in pulueres redactum: cum ipse animalium minimus, & fere nullus, totus in dentes formari videatur, sic sensim corrodens, sic blandè pungens, vt in puluereo potius effectu, quàm in causante morsu subnotetur. Talem puta prudentis huius doctrinam, verbis quidem cælestibus vtentem: de quibus sic adnectit Galfridus, *Sicut lignum robur, sine ferro & esse tenerrimus penetrat vermis, & atterit: sic doctrina sacra, secreta quadam virtute illabitur sensibus auditorum, & rigida corda conterit, & confringit: quin etiam sine violentia, & acerbitate, tanquam vnctio docens de omnibus; in mansuetudine, in suauitate, in Spiritu sancto noxia omnia demolitur. Denique & inermis iste vermiculus, non inefficax fuit.*

Non vi forti, sed industria sagaci spiritus tractandus.

Galfrid.

1273. Nimirum talis futurus, qui Dauidi regi à consiliis Spiritus ministrabat. Non est facile cuiuscuis cordis duritiem penetrare: & succrescentem animæ arrogantiam, in suos propriæ humilitatis pulueres redigere. Difficillimum verò, si tantum opus erga cor regium, naturâ obrigescens, solito fastu tumidum mediteris. Nihil viribus, nihil acumine Aquilæ, sed patienti quadam Teredinis prudentiâ perficies: iudicem in hoc negotio à Deo agis delegatum, debes tamen, quantùm res patitur, non totam quasi profani tribunalis potentiam distringere. Neque Regi, quasi de officio regalior, seuerus præcepta ingeras, sed blandus consilia adhibueris. Nescit cor Principis impetu duro, sed conatu suauissimo perfringi: hoc assiduo vtere, dummodo obstinatum in vitia non persenseris. Concludit ergo meritò post multa Galfridus: *Cathedram, cui insides, non solium æstimaueris, aut Tribunal: Doctoris abs te prudentiam magis, quàm sententiam Iudicis, aut Regis præcepta speramus. Insta ergo doctrinæ, sessor cathedræ, clama, ne cesses: teredinis, cui comparatus es, non grandis est morsus, sed iugis conatus: nec velociter proficit, sed tamen perficit opus suum.* Quantâ prudentiâ opus est, ne velociter irruas, sed coneris assiduè? quanta circunstantiarum discretio, ne assiduitate ingeneres fastidium.

Idque nō tam vehementi, quàm assiduo conatu peragendum.

Galfrid.

1274. Cautè dixi, vtendum hac prudenti suauitate, *dummodo obstinatus in vitia*, commendatus tibi Princeps non induretur: nam rebelli iam duriora remedia applicanda: & extremo morbo, extrema sectionis, vstionis medicina applicanda: seuerior hîc longè, alia prudentia distringenda. De Baptista, sic habet Lucas, *Venit in omnem regionem Iordanis prædicans Baptismum pœnitentiæ*, v. 3. Erat Baptismus iste figuratiuus, & purificationibus Iudæorum correspondens, solùm de affectu pœnitentium interno, effectum sanctitatis sortiturus. Cùm igitur Iudæi, hydrias aqua plenas Ioan. 2. v. 6. purificationibus suis passim asseruarent: satis videbatur, si per singulas domos, hydriarum lauacro, à Ioanne purificarentur: quid enim opus erat, in flumen descendere, & eò tot baptizandos aduocare? Respondet D. Petrus Chrysologus serm. 137. *Venit ad Iordanem, quia Iudaicas sordes, non poterat hydria iam lauare, sed flumen: sicut scriptum est; erant hydriæ lapideæ, secundum purificationem Iudæorum.* Dum ergo Principi tuo satis, hydria guttatim stillans, in fluminis vortices non adigas, necesse est: aberraturus tamen, si iam intus & in cute sordentem, tota fluminis tempestate non ablueris. Sed de hoc iam alibi scripsi plura. Solùm aduerto, in iis maximè de rebus Principem admonendum, in quibus aut ex incuria, aut ex fastu, se minus reprehensibilem existimat.

Dummodo obstinatio senescitu acrioremedio nō indigeat.

Luc. 3. 3.

Ioan. 2. 6.

D. Chrysol.

Fere semper virtutem aliquam, inter vitia, Princeps nondum perditissimus conseruat, vnde sibi captandis populi amoribus, alliciendæ diuinæ misericordiæ adblanditur: in hac saltem se putat irreprehensibilem iactabundus. At tibi, ab hac etiam ille castigetur: suspecta est virtus, quæ præsumitur, & dum retineri creditur, desinit procurari. Admonuerat Dominus Moysem, vt populum contestaretur, ne præfixos monti terminos, periturus transiliret: deinde addit, *Sacerdotes quoque, qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos*, Exodi 19. v. 22. Non sic capias, quasi tunc accessuri essent ad Dominum, & ascensuri cum Moyse in montem Sacerdotes: nam disertè vers. 24. cum populo iubentur præfixis iam terminis contineri: in illa ergo accessione ad Dominum, officij suscepti ministerium declaratur. Cur ergo, inquis, iam hîc priuatim iubentur sanctificari, id est admissis purificationibus apparari? Sanctificarat se populus lotis vestimentis, è longè Deum, in fumigante monte inspecturus: vt habes vers. 14. videnturque Sacerdotes, quasi de officio, & solita sanctificatione præsumentes, hanc piam tunc ceremoniam prætermisisse, cùm ibi sanctificati non leguntur. Hos ergo maximè admonendos, iam iam descensurus præcipit Dominus, qui se admonitionis non indigos venditabant. Nunc capies ibi Oleastrum, sic disserentem: *Illi maximè admonendi sunt, vt aliquid faciant, qui se putant admonitione non indigere: aut sibi ipsis fidunt: quemadmodum admonendi sunt de munditia, apud Deum, qui se mundos in conspectu eius esse præsumunt: illi de iustitia, qui sua iustitia fidunt: illi de fœditate, qui suam iactant pulchritudinem.* Sic etiam de illa dote, Princeps, in qua vanus, excellere se præsumit. 1275.

In iis rebus maximè pœnitentem admoneat Confessarius, in quibus se admonitione, credit non egere.

Exod. 19. 22.

Vers. 24.

Vers. 14.

Oleaster.

Quantâ igitur prudentia, quàm longa regendi animas experientia, quàm capax arcanæ artis pectus, in Confessario illo requiratur: qui Principis ingenium, in tot aulæ periculis, inter tot vitiorum 1276.

tiorum irritamenta, nunc blandus, nunc seuerus valeat effingere, possit conformare? Expendens D. Bruno in Syl. Allegor. cur pectus victimæ Leuit 8. in Moysis partes cederet: ita habet. *Ideo Moyses sibi pectusculum vendicat: quia pectorati, & sapientes Pontifices esse debent: magnum enim pectus habere oportet: qui hæc tanta seruare debet, & reponere Sacramenta.* Pectorosissimus ergo fuerit Principis Confessarius, qui quodammodò Pontifex illi assignatus, tot, artis artium, sacramenta debet recondere: vt sacramentum Pœnitentiæ, spiritûs magisterium, aptè valeat periculosæ indoli ministrare. Et quidem, cùm optima, & ingenua non rarò, Principibus indoles obtingat, solùm aulæ commercio peruertenda: timeo ne inde paucissimos, ad perfectionis apicem prouectos numeremus: quia Confessariorum prudentia, amouendis his periculis, promouendis tam regiis, quàm priuatis, commendati sibi discipuli, virtutibus indormit. Raçò aut nunquam egregia Principis indoles, absque diligentissimâ prudentis Magistri operâ, in fructus sibi debitos amœnabitur: aut enim in vmbras foliorum syluescet, aut in truncorum duritiem innodabitur. Grauiter D. Nilus in Ascet. *Apostolus Paulus, Onesimum ex fugitiuo, Martyrem fecit: & Elias, Elisæum, ex aratore Prophetam instituit: & Moyses, ad omnia meliora, Iosue prouexit: & Heli, Samuelem præstantiorem se, declarauit. Quamuis studium ipsi suum, ad assequendam virtutem adhibuerint: omnis tamen illis proficiendi causa, in eo sita fuit, quod Magistros nacti sunt, qui fumigantem in eis ingenij scintillam excitare: & ad maiorem emittendum splendorem, edocere potuerunt.*

D. Bruno. Leuit. 8. *Quanta Confessario latitudo sapientiæ, Confessario necessaria.*

Quamque Confessarij diligentia, proficiat pœnitenti D. Nilus.

1277. Est autem, Artis huius, necessaria basis, & ornamentum, firmissimus quidam, temporalium omnium, despectus: quisquis ab hoc officio, aliquid, præterquam spiritum perficiendum Principis captat: iam non tam officio suo fungitur, quàm violat officium: non ducet in sublime, qui serpit adhuc: nec lucro terreno inhians, commendatam sibi animam lucrifaciet: blando illi & efficaces teredinis, quod dixi, morsus, in blandimenta fœdissima commutabit: nec obstinato seueritatem intentabit, quem sibi comem & facilem totus ambiat: vnde enim indispósito, si forte, reo, neget absolutionem, cui se deuinctissimum sollicitat haberi? vnde Eucharisticum, nuptialibus vestibus destituto, Epulum interdicet: à quo alicuius Ecclesiæ nuptias, & pontificia ornamenta, sedulus aucupatur? Vt victima ritè Deo consecraretur, spoliari priùs pelle præcipiebatur: quia vt bene habet Radulphus, in Syl. allegor. in cap. 1. Leuit. *Tunc holocausto pellis detrahitur, cum is qui perfectam aggreditur vitam, exteriori substantiâ spoliatur.* At certè, qui saltem affectu, hanc perfectionem non insequitur: vereor ne quosuis alios, nedum Principem, in perfectionis apicem possit adducere. Id saltem verissimum est, rarò germanum zelum, deducendi, ad perfectionem Oues, nisi in Pastore perfecto reperiri: neque vnquam perfectum dici posse, ducem spiritûs, si adhuc superfluorum bonorum auiditate, aut honorum ambitione laborarit.

Confessarius, omni temporali commodo renunciet.

Radulphus. Leuit. 1.

1278. Diuinum illum Agnum, sub cuius formâ Christus apparebat, sic describit Ioannes, vt illum nobis exhibeat, *Habentem cornua septem, & oculos septem; qui sunt septem spiritus Dei, missi in omnem terram.* Apocal. 7. vers. 6. Capiamus hos spiritus Dei de gratiis illis, quas Christus Dominus, his concedit, quos animarum Duces, & Præsides instituit: sic enim nonnulli locum interpretantur. Quæres igitur cur, cùm robusta fortitudo in Cornibus, & prouidens sapientia in Oculis denotetur: prius à fortitudinis titulo, quàm à scientiæ stemmâte hi tales videantur commendari? An non vir sapiens, forti præstare agnoscitur? Quare ergo, qui vtrâque virtute pollent, priùs inde, quàm hinc insigniuntur? quia licèt inferior fortitudo, necessariò tamen regiminis sapientiæ præsupponitur: non itaque, quà dignior, illa præscribitur: sed quà, condebita secundæ, basis collocatur. Hugo Cardinal. ibi. *Præmittit autem cornua, & post de oculis subiungit: quia prius debent, qui præsunt, (& vtuntur cornibus, & oculis) ventilasse Mundum, & carnem, & diabolum: quàm instituantur ad prouidendum.* Quasi, nisi totam sæculi pompam, fortissimus iam ante ventilaueris, non possis syncero lumine intueri, quæ regendis animabus requiruntur: & terrenarum rerum puluere caligans; cæcus, in foueam cæcos ducere præsumaris.

Apocal. 7. 6.

Contemptus iste, spirituali officio præsupponitur.

Hugo Card.

Ascendebat in Templum, adoraturus Petrus: 1279.
miseróque interim claudo stipem postulanti, respondet prudens: *Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula.* Act. 4. vers. 6. Præmisit necessariò, quòd terrenas diuitias non haberet, vt legitimus diuinarum dispensator probaretur: quasi posset communicata è cælo sanitas, suspecta haberi, si ab illo proueniret, quem adhuc, terrenæ pompæ, vincula retinerent. Quid diceret Petrus, si non tàm corpus claudicans, quàm animam paralyticam, & fortasse emortuam, tunc curaret? allicitur, nec immeritò, Medicus corporalis, donis atque muneribus vt saluti Principis, incumbat vigilantior: at spiritualis Medicus, non Hypocratis, sed Petri discipulus, quò noscitur ab hoc allectamento alienior, eò efficacius sanando Principi aptior intelligitur: Ne fortè muneribus inescatus, in præcipitium illud incidat, de quo Magnus Hieronymus Epist. ad Eustoch. de Custod. virg. vbi ita ad hunc locum. *Petrus Apostolus inquit, Argentum & aurum non habeo: quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine Domini Iesu surge, & ambula. At nunc multi; licèt sermone taceant, opere loquuntur: Fidem & misericordiam non habeo: quod autem habeo argentum & aurum, hoc tibi non do.*

Act. 4. v. 6.

Quia spiritualis Medicus, ab spretis diuitijs, probandus.

D. Hieron.

At quidem, vt fœdum probrosúmque est, si 1280.
quis Sacerdotum, insanâ cupiditate diuitiarum, & sordidâ auaritiâ laboraret: sic, quod absit, multò fœdius, vtpote periculosius foret, si regius Confessarius, quouis modo suspectus hinc veniret: Malè delinquens Iudas, & peiùs Pœnitens; *Retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum: &c. & proiectis argenteis in Templo, recessit: & abiens, laqueo se suspendit.* Matth. 27 à vers. 23. Tot agitatus furiis, vt iam in laqueum ruere, destinaret: non temerè, quod faciendum videbatur, argenteos profundit; non in pelagus demergit, aut proiicit in ignem, sed Sacerdotibus, sedulò tradendos cogitat, Templo colligendos dispergit: Neque mirum, noluit nec etiam sic perditus patrimonio suo legitimos hæredes defraudare: forent autem legitimâ Iuris infamiâ hæredes Iudæ, Sacerdotes illi, qui, vt Iudas Christum, sic

Sacerdos quippe auarus, Iuda Apostata, est barei.

Math. 27. 7.

etiam Christi venderent Sacramenta. Hinc acutissimus Cardinalis Drogo Ostiens. lib. de Sacr. Dom. Pass. ad hunc locum. *Maluit seipsum perdere, quam denarios perire: denarios templo, seipsum laqueo addixit. Amabat hæredes suos, qui eosdem denarios exinde colligerent: qui etiam nunc reseruant in suo corbono.* Quantò igitur in aula, & materia vberior, & occasio pellacior, & emptor ditior, & reuerentior venditor exhibetur, quàm alibi: tantò regius Confessarius debet esse constantior, in diuitiarum affectu reprimendo: ne vnquam à maleuolo vulgo, leuissimos etiam rumusculos aucupante, infaustissimus Iudæ hæres traducatur.

Drogo.

1281. Hinc est, quòd cùm vt plurimùm religiosi Principes, non corruptionis, sed pietatis ergo, sanctissimos alioqui Confessarios suos, promouere, & inuitos, vt par est, ditare soleant: Nihil his habendum sit priùs, nihil antiquiùs, quàm eâ moderatione his bonis vti, vt in Christi cultum, in Ecclesiæ, & pauperum commodum, cætera expendant: quasi in id tantummodò gratiam apud Principem, & ab illo fauores non respuant omnino, vt eleemosynarum eius, non tam Condi, quam Promi dignoscantur. Exhibuerat se amicissimum & beneficum, Ionathæ summo Sacerdoti, Rex Demetrius, 1. Machab. 1. vers. 6. quod vbi Sacer Scriptor enarrat, subdit statim: *Et habitauit Ionathas in Ierusalem: & cœpit ædificare, & innouare Ciuitatem.* Vers. 10. Hæc, à perceptâ gratiâ, prima & vnica cura Sacerdotis, quasi ab officio degener, nisi quidquid fauoris acceperat, in sacræ Vrbis munimina refunderet. Grauiter Stephanus Cantuariens. in Syl. Allegor. ad hunc locum. *Quidquid familiaritatis habuit cum Demetrio, retulit ad ædificationem sanctæ Ciuitatis. Similiter Prælati, gratiam quam adepti sunt, debent conuertere ad ædificationem Ecclesiæ. Vnde Neemias factus Pincerna Regis, expalluit coram Rege: & ædificandi ciuitatem licentiam impetrauit.* Lege 2. Esdræ 1. vers. 11. & cap. 2. à vers. 1. Hos sibi in exemplar proponat Sacerdos optimus, ne vnquam profano illorum numero computetur, quos carpit grauissimus Saluianus lib. 2. ad Eccles. Cathol. vbi post multa de Apostolis, ita concludit. *Parum est successoribus eorum, tanta diuinarum rerum administratione fungentibus, si ipsi tantùm diuites fuerint: nisi etiam hæredes diuites derelinquant. Erubescamus quæso, hâc infælicitate: sufficiat nobis quòd videmur vsque ad vitæ terminos, Dominum spernere: cur id agimus, vt contemptum ipsius, etiam post mortem extendamus?* Quantum hoc nefas, tàt certè eò remotior erit regius Confessarius, ne è patrimonio Christi, diuites institututus hæredes præsumatur: quò ipse parciùs, dum viuit, eodem vtens, residuum pauperibus elargitur.

Gratiam, quam apud Principes habet Confessarius, in vtilitatem referat Ecclesiæ.

1. Mach. 10.

Steph. Cant.

2. Esd. 1. 11. & 2. 1.

Propinquos ditare, & hæredes relinquere, vt nefas, fugiat.

Saluian.

1282. At verò vt est facile modesto Confessario, diuitiarum ardorem conculcare: sic non est peruium, consanguineorum honoribus, & promotioni non attendere: cùm tamen perinde hoc fuerit, synceritati officij periculosum: de quo, quia in Spicilegio pluscula iam dedi, magnos viros commemorans, quos pellax & impotens hic affectus, transuersos egit: vno hîc tantùm verbo, contentus ero. Pergebat Moyses Populum liberaturus vxorem & filiolos secum ducens: *Cùmque esset in itinere, in diuersorio occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Exod. 4. vers. 24. Ecquæ in amicissimum virum districtæ iræ, causa tanta obrepsit? quia adhuc familiæ suæ affectibus indulgens, quasi grauatus hâc cura, ministerium tantum aggrediebatur: propterea enim abeunte vxore cum filiis, vers. 26. tutissimus deinde perrexit Moyses. D. Antoninus de Pad. Dom. 5. post Trinit. serm. 2. *Moysem, quando cum vxore & filiis proficiscebatur in Ægyptum, vt educeret populum Israel, Angelus voluit interficere: sed quando vxorem & filios reliquit, Angelus dimisit eum.* Ne ergo fuerit Principis Confessario soror, pro vxore; pro filiis, nepotes: non poterit his vinculis implicatus, horum commodis studens, commendatum sibi Principem ab Ægyptiis vitiorum affectibus, in manu forti, in brachio excelso liberare: blandiatur necesse est Principi, delitiis prohibitis seruienti, si ipse adhuc affectui, promouendæ familiæ suæ, inseruierit. Reputet ergo lupos, propinquos illos, quorum amore se senserit, à syncerissima ouiculæ tantæ custodia retardatum: non laudes, sed vlulatus æstimet, adulationes illas, quibus, ab his, domus columen, familiæ decus, generis splendor solet appellari: verissimum est enim oraculum illud Anacleti Pontificis primi, epist. 1. *Nihil illo est pastore, miserius, qui luporum laudibus gloriatur: quibus si placere voluerit, atque ab his amari delegerit, erit hinc ouibus magna pernicies. Nullus ergo Pastorum placere lupis, & gregibus ouium potest: perdit enim laboris memoriam mens terrenis obligata carceribus. Sicut artium, in suo quoque opere inuenitur mater, constantia: ita nouerca eruditionis, est negligentia.*

Exod. 4. 24.

Consanguineorum affectum, repellat penitus.

D. Anton.

Quorum adulatoriis precibus obsurdescat.

D. Anacl.

Restat adhuc scopulus alius, eò periculosior, quò occultior, prudenti Confessario euitandus omninò: illa nimirum, nescio vnde insana zelotypia, quâ nonnulli indiscreti Animarum Magistri, cauent anxij, ne quos sortiuntur, Discipuli, aliorum etiam salutari doctrinæ assuescant: lepidus planè foret, & ridiculus Patris amor, qui hæredem filium, à decoris & opulentis, aliorum, adeundis hæreditatibus, arceret. Non hi spiritualis filij profectum curam gerunt, non amore ducuntur: sed spurio cruciantur timore, ne quam mercenarij ambiunt reuerentiam, aliis communicatam inuidi condoleant. D. Ludouicum nonum, Regum florem, venustius Galliæ lilium, in tantum promouit apicem, assidua non solius Confessarij, sed etiam Thomæ Angelici, & aliorum sanctissimorum virorum conuersatio: nec tamen ordinario Confessario laudis gloria adimitur, minuitur, quod tantum filium Christo peperisset. Lege quæso historiam illam quæ 3. Reg. 3. habetur de duabus fœminis, apud Salomonem, de filio contendentibus: tunc capies grauissimum illud monitum D. Antonij de Pad. Dom. cit. serm. 1. qui ad rem nostram, pulcherrimè sic scribit. *Per pietatis viscera, hæc eadem vera Mater agnoscitur: quia omninò magisterium, in examine charitatis approbatur: sola totum recipere meruit, quæ quasi totum concessit: quia fideles præpositi, ex eo quòd ex bonis discipulis, non solùm aliis laudem non inuident, sed etiam profectus vtilitatem exorant: ipsi integros filios & viuentes recipiunt: quando in summo Iudicio, ex eorum vita perfectam retributionem assequuntur.* Quot verba, tot gemmas dedit: tu expenderis. 1283.

Zelotypiam turpem, ne viris aliis sanctis, asciscat Princeps, penitus caueat.

3. Reg. 3.

D. Anton.

Hæc sunt, relictis aliis minutioribus, ornamenta præcipua, quibus Confessarios regios instructos, 1284.

Sacerdotibus, & maximè Confessariis, neque nummus leuissimus adhæreat.

ſtructos, exoptat Orbis, neve nimium poſtulare videatur: Recurre ad ſpecioſum illud labrum æneum, vbi olim lauabant Sacerdotes miniſtraturi, de quo ita, in Exodo: *Fecit labrum æneum cum baſi, de ſpeculis mulierum, quæ excubabant in oſtio Tabernaculi.* Cap. 38. verſ. 8. Aliqui ex Hebræo vertunt, *Cum ſpeculis:* Vbi Oleaſter ad literam. *Erat autem vſus horum ſpeculorum, vt Sacerdotes, poſtquàm eſſent in fonte loti, reſpicerent ſe ad ſpecula, an quidquam maculæ in eis remaneret.* Sed nonne ſatis, ſi ſpeculum ibi grande poneretur, quin multiplicata in circuitu ſpecula appenderentur. Reſpondet ad mores idem Oleaſter. *Neque dicit Textus, cum ſpeculo, ſed cum ſpeculis, vt diſcamus quanta conſideratione opus ſit: ad hoc quod dignè domum Dei ingrediaris, & illi adminiſtres.* Si cuiuis Sacerdotum, tot ſpecula neceſſaria, plura certè Regio Sacerdoti requiruntur: in illum obtutus omnium collineat: & cùm ſubditi, ad Regis normam componantur, Regem ad Confeſſarij ſui exemplar, compoſitum præſumunt: Nihilque in Rege iuſto commendant, aut taxant in iniquo, quod tanquam in fontem, in Confeſſarium, refluere non exiſtiment. Sic igitur regij Sacerdotes, commiſſos ſibi Principes inſtituant, ne vnquam tremendum illud audiant à Deo: *Audite hoc Sacerdotes, & attendite domus Iſraël, & domus Regis auſcultate: quia vobis Iudicium eſt, qui laqueus facti eſtis ſpeculationi: & rete expanſum, ſuper Thabor.* Oſeæ 5. verſ. 1. Præmittit improbis Regibus, peiores Sacerdotes, quaſi ab his, in illos morbus ſerperet: vtrique, facti laqueus *ſpeculationi*, dicuntur: quaſi totus, in ſpeculationem, conuerſus Populus videretur, Sacerdotum Regúmque geſtis contemplandis: & ideo in honoris faſtigio, tanquam in montis Thabor vertice collocati dicuntur: ne latere illorum ſcelera, in ſubditorum rete atque ſcandalum putarentur. Grauiter Ruffinus Pius, ad hunc locum, ex ore Dei. *Illud eſt, quod in Sacerdotibus, & Regibus accuſo, quia cùm locum eſſent, in Gente, ſortiti, vt agerent non minùs honeſtate & religione, quàm poteſtate ac dignitate reuerendi: atque ad id quod rectum erat, tàm ſermone, quàm exemplo debuerint ſubditos incitare: illi contrà, vel conciliationem criminibus præbuere, vel formam: idque ſolùm de faſtigio priore retinentes, vt procul, quæ fecerant appareient, laqueos & retia tetenderunt, quibus infœlix turba caperetur.*

Exod. 38. 3. | Oleaſt. | Idem. | Oſeæ 5. 1. | *Principes, & Sacerdotes improbi, pro exemplo, ſcādalum parāt Populo.* | Ruffin pius.

1285. Sic igitur, ad virtutum omnium ſpecula compoſitus Confeſſarius, ipſi religioſo Principi fit venerabilis, & ſub diſtrictâ, lenis morum cenſuræ, ſeueritate, amorem pariter exigit, & reuerentiam, vt tranſlata in vultum interioris hominis grauitate; vix præſens, præ reuerentiâ, vix abſens præ amore à Principe ſuo valeat ſuſtineri. Talem D. Maximi Epiſcopi vultum temperat Euſebius Gallican. Homil. de eius Laud. cuius verba, quia optima, tranſcribere non grauabor. *Eminebat, vt ſic dixerim, in ipſo habitu, animi fortitudo: in ſpecie exteriori, ipſam putares expreſſam imaginem ſanctitatis. Terribilis inceſſu, reuerendus aſpectu; crederes quòd ſemper inuiſibilem illum hoſtem, ipsâ vultûs ſui virtute terreret: metuendus ſeueritate, benignitate venerandus, auctoritatis cenſuram, humilitatis manſuetudine temperabat. Minabatur quidem frontis auſteritas, ſed cordis ſerenitas blandiebatur, ac ſic conueniente, in vno, diuerſitate gratiarum, Paulus apparebat in vultu, Petrus in ſpiritu: illius diſtrictionis, huius eras pietatis æmulator: ita vt cum præſentiam eius vix ſuſtineres, abſentiam ferre non poſſes.* Tu, ſi vacat, regij Confeſſarij praxim, quam, in *Philadelia* noſtra ſcripſi, huc reuocaueris.

Sub prædictis virtutibus, reuerenter amabilis redditur Confeſſarius. | Euſeb. Gal.

XIII.

Qualis futurus, regius Concionator.

INter præcipua inſtrumenta, quibus ad veram Religionem Princeps promouetur; Concio è ſuggeſtu numeratur: inde eſt, vt cùm apud Romanæ fidei Principes, tanti fiat Religio, honore magno, & debita reuerentiâ, Euangelicos habeant Concionatores. Vnde iam non miror, ſi deſpicabiles omnino, hæretico Principi, veniant Concionatores ſui, (Miniſtros vocant) cui ſcilicet; nihil religione ipſa ad libitum mutatâ venit deſpicabiliùs. Fuſiſſimè quidem foret excurrendum, ſi Euangelicum Concionatorem, ex integro conarer efformare: ſed quia in cæteris opuſculis noſtris, de hoc iam plus quàm ſatis: breuiſſimè in hoc loco, illa ſolummodò attingam, quæ Regium Concionatorem propriùs videntur attingere, vt rectè, periculoſo planè munere perfungens, religioſo Principi adminiſtret. In primis vitioſam indolem aliquorum euitet, cupio: qui prauè Apoſtolicum dictum interpretantes, inſtare, prædicare oportunè, importunè, in ſacello Regio ſolicitant: huc vniuerſa ambitionis fœdæ retia explicant, vt frequentiùs, quàm Coadminiſtri alij, facturi in Palatio verba aduocentur, imò & cum faſtidio Principis obtrudantur: hi certè non tàm vtilem, quàm venalem diuini verbi ſcientiam profitentur: Neque tam Principis Aulicorúmque profectum, quàm ventoſa propriæ famæ pabula ſuſpirant: quæ licèt anxiè captent, nunquam capient: ab ipſo ſuperbiæ faſtigio, in totius miſeriæ barathrum detrudendi. 1286.

Concionator, non importunè ſe ingerat applauſibus celebrioribus.

Diuini verbi diſpenſatorem, & cæleſtis prorogatorem doctrinæ, deſcribens Apoſtolus, ſubdit poſt multa: *Oportet autem illum, & teſtimonium habere bonum, ab iis, qui foris ſunt, vt non in opprobrium incidat, & laqueum Diaboli?* 1. Timoth. 3. verſ. 7. Inſignis enim virtus, iam omnibus innoteſcens, probata ab omnibus, in eo requiritur, qui cæleſtis doctrinæ præco, diuini verbi prædicator conſtituitur. Sed tu mihi pende, non vtcunque *in opprobrium*, ſed ſignanter etiam, *diaboli*, incidere, illum dici, qui hoc nudatus teſtimonio, in tantum miniſterium irruit temerarius. Et cur ita? certè quia hic talis ſpoliatus virtute, ſuperbia inſtigante feratur, neneſſe eſt, ſuperbia autem, meritò per antonomaſiam *laqueus Dæmonis* appellatur, vtpotè quo, non ſolùm perituros hos capit Prædicatores, ſed quo ipſe captus olim, periit, vt dum ſub eodem vinculo, & iſte, & diabolus, colligati traducuntur, in idem etiam detruſi barathrum, intelligantur. Hinc D. Petrus Chryſolog. ſerm. 26. ab edito, non niſi in profundum rui, ſcribens: addit. *Sic Diabolus, cùm eſſet Angelus, & in cælo, & coràm Deo, ſemper clariſſimus verſaretur & fulgens: dum Dei tentat aures, dum in Dei ſuperbis aſpectu, lapſus ad terram, ad Tartara* 1287.

1. Tim. 3. | *Alias, ſua ipſa ſuperbia, in barathrum, cum Dæmone, detrudetur.* | D. Chryſol.

tara deiectus, in diabolum mutatur ex Angelo, & qui erat minister veniæ, factus est dux pœnarum. Hinc est, quod Apostolus nostri ordinis hominem commonet, ne incidat in superbiam, & laqueum Diaboli. Dispensator ergo diuini verbi, & cælestis doctrinæ prorogator, qui ante Dominum stat iugiter, versatur inter altaria semper, neque à Dei oculis recedit vnquam: &c. ex homine totus in Angelum substitutus, non potest nisi in ipsâ Dei facie, inter Sanctorum Sancta peccare: vt inde sibi sumat crimen, vnde alijs veniam consueuerat reportare. Nihil miserius foret, quàm si vnde iustus verbi dispensator, in Angelum substituitur: inde incautè superbiens, cum diabolo, in diabolum mutatus detruderetur, & ab eâdem cælesti doctrinâ, quâ auditores proficiunt, ipse crimen contraheret. At quidem, si alicubi hoc periculum est vehementius, maximè cùm in Palatio, sermones habentur: vbi auditorum splendor, regia purpura, oculos, nisi cautissimos, præstringit: vbi vanitas, vt vocatos quandoque tentat, sic ambientes prosternat necesse est.

1188. *Improbi Concionatoris venalis est sapientia.*

Aduocatus ergo solummodò, & anxiè desideratus, huc comeet meus concionator: ne vt dixi, venalem laudis pretio doctrinam publicâsse videatur: & inde prudentibus auditoribus, eò stultior sapientiæ professor denotetur, quò tumidior iactare profunda mysteria agnoscitur. Inde Rex Salomon, ex ore ipsius sapientiæ, ad hos, imo de his vanissimis iactatoribus: *Manè consurgent, & non inuenient me: eò quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint.* Prou. 1. vers. 28. Lxx. vertunt: *Quærent me mali, & non inuenient: oderunt enim sapientiam.* Odij, comes perpetua, est fuga: odisse aliquid, & quærere amplexandum, non vsuuenit. Vnde ergo, quærunt isti tenendam sapientiam, quam oderunt? Audiendus D. Augustinus tom. 8. qui explicans Psalm. 118. sic obiter de hoc loco ad rem nostram. *Si oderunt, quomodò quærunt? nisi quia non eam quærunt propter ipsam, sed propter aliquid, quod mali amant, & ad hoc, se facilius putant peruenturos per ipsam. Multi enim sunt, qui dictâ sapientiâ studiosissimè inquirunt, eámque in doctrinâ, non in vitâ volunt habere: vt non per mores, quos iubet sapientia, perueniant ad Dei lucem, quod est ipsa sapientia: sed per sermones, quos habet sapientia, perueniant ad hominum laudes, quod est vana gloria. Non ergo sapientiam quærunt, & quando eam quærunt: quia non quærunt ipsam, alioqui viuerent secundùm ipsam, sed volunt verbis eius inflari: & quantò magis inflantur, tantò magis efficiuntur extra ipsam.* Vnde & extrà illam existimati, à Principe & Aulicis, aut oscitante fastidio excipiuntur, aut tacitis irrisionibus subsânantur. Terræ in rimas hianti, imber venit vtilior: & auditori alacri & desideranti, doctrina efficacior infunditur: qui precariò auditur, aures vtcunque irrigare, mentem cælesti nectare inebriare, non poterit: inutiles ergo comparat auditores. Vnde D. Gregor. Magnus, Homil. 10. in Ezechiel. ad illud Aggæi: *Bibistis, & non estis inebriati.* cap. 1. vers. 6. ita. Bibit, & non inebriatur, qui ad vocem *Prædicatoris aurem inclinat, sed mentem non mutat: solet enim per ebrietatem, bibentium sensus mutari.* Quomodò ad animæ humilitatem, regij fastus, pomposæ aulæ sensus immutabitur ad illius vocem, quem pari morbo sentiunt laborare?

Prou. 1. v. 28. Lxx. Interpr.

D. August.

Vnde, aut ridicule excipitur, aut saltem ingratiliter auditur.

Aggæi. 1. 6. D. Gregor.

Igitur grauis, & verè Euangelicus Prædicator, qui aliunde feruidus, per pagos, & viliores vicos discurrit, cùm opus est, auditoribus se ipsum inuitans, & diuinarum margaritarum emptores, gratis prouocans: Principum aures non tam ambitiosè desideret, quàm ab istis, ardenter ipse desideretur: sic illis, eò auditur gratior & efficacior, quò ambiti aliunde palatini suggestûs spretor, magis suspicitur, quàm turpis affectator, denotatur: si plebem instituendam, grauissimus aliàs doctrinâ, ob Christum quærit, ab auidis & modestis Principibus & Magnatibus, quæretur vltrò. In deserto Iudææ, circa Iordanis ripas, confluentibus Turbis, Ioannes prædicabat: & additur statim: *Tunc exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis Regio.* Matth. 3. vers. 5. præmisit cæteris Curiam, quia sic commixti Populo regiæ illius vrbis Dynastæ, ad nouum prædicatorem confluebant: quasi ipsa vrbs iam mobilis, euulsis fundamentis tanto fruitura spectaculo, volitaret. Quid ita? quia quò alienior ab ambiendo purpuratorum cœtu, in solitudine versabatur: eò fiebat dignior, qui purpuram sibi attraheret prosternendam. D. Nilus in Ascet. *Ioannes quidem Baptista, in solitudine versabatur: & ciuitates ipsa, cum hominibus ad eum confluebant: & qui sericis vestibus induebantur, ad zonæ pelliceæ spectaculum concurrebant: sub dio incommodè manere non recusant, qui domos auratas incolebant.* Inde tandem apud Herodem ita venerabilis, vt hic illum quasi Iustum & sanctum libenter audiret, & obediret audito Marc. 6. vers. 20. beatus hinc futurus, nisi ad finem impotenti luxuriâ occæcaretur.

1189. *Concionatorem non ambitiosus, vltro Principes ad se trahit.*

Matth. 3. v. 5.

1190. Iam sub hoc tenore procedens Euangelicus Concionator, vt ipse quæratur à Principe, aut saltem aduocetur: caueat, non solùm ne palpator accedat, & Magister pruriens auribus, lenocinánsque auditui: sed etiam, ne iustam reprehensionem prætermittat. Rarissimus est casus, vbi Principis aures, obiurgato priuato eiusdem vitio, veniant vulnerandæ: qui si quandoque eueniret, mirâ prudentiâ opus erat, vt publica è suggestu reprehensio, sanatura potiùs, quàm exasperatura, delicatum, Principis, animum putaretur: rarissimos ergo euentus non aduoco in doctrinam: ordinarias alias admoueo reprehensiones, imo monitiones, de statu Reip. labente, de Curiâ infectâ vitiis, de Ministris corruptis, de Aulâ, minus bene moratâ, & similibus: quæ sic Principi debent ingeri, vt modestissimè illius negligentiam arguere, & vigilantiam exigere, agnoscantur: in hæc enim talia, non solùm damnabilis est adulatio, sed etiam iustæ reprehensionis subtractio, detestanda. Detruditur in Carcerem, ab Herode Ioannes. *Propter Herodiadem vxorem fratris sui: dicebat enim illi Ioannes, non licet tibi habere eam.* Matth. 14. vers. 3. Nota illud, *Dicebat enim illi:* quasi in aurem, non è suggestu publico, vbi infamare potiùs exasperandum, quàm curandum reprehendere videretur ad rem. Et cur Ioannes, priscam illam apud Herodem reuerentiam, sibi, in salutem totius populi, non cupit conseruatam? Cur, quod corrigere se non posse videt, saltem non dissimulat, vt sub necessaria iniqui etiam Principis beneuolentiâ, Populo in salutem efficaciùs ministraret? quia Ioannes non solùm adblandiri Principi, sed etiam non reprehendere, culpam ducebat. Non idà tanto viro

Priuata vitiis vitia, è suggestu rarissime reprehendenda.

Matth. 14. 3.

Cætera, sed modestissimè obiurganda.

vito audebat exigere Rex impius, vt ad eiusdem gustum verba conditet Ioannes, sed vt saltem à reprehensione abstineret: at Ioannes non solùm blanda non loquitur: sed etiam tacere aspera, quæ putat necessaria, nefas ducit. Talem in iis, quæ dictante prudentiâ, apud Regem è suggestu dicenda sunt, se habeat Euangelicus Prædicator: & habebit certè, si cum Ioanne, vt par est, è corde suo vitia & delitias exsufflauerit. Ideo grauiter D. Simeon Metaphrast. Orat. de Bapt. post-
D. Simeon. quam delitias & vitia reprehendit, sic concludit. *Quorum neutrorum fuisse, Ioannis animi & vitæ, certum testimonium est, & vestis & carcer: non enim condemnatus esset, illum habitare, si sciuisset seruire tempori, & cedere Regibus, se iniquè gerentibus: Cum præsertim ei non esset necesse loqui, sed solùm tacere sufficiebat, vt omnibus modis obseruaretur, & coleretur.*

1291. *Prudenter latratu, nunquam morsu vtatur Concionator.* Cautè supra dixi, has etiam decentes reprehensiones, *ingeri modestissimè*, debere: quoniam etiam sancta libertas in regium fastigium, si quomodò immoderata fuerit, peruicaciæ vt plurimum, ad minus imprudentiæ deputatur: reuerentia semper throno exhibenda, dummodò obstinationi iam incallescenti ministratura non timeatur: hoc Prædicatoris officium, linguæ est non dentium: lambere, fingere, & ad summum latrare debet: scindere, mordere, lancinare non debet: ne fidelis Canis custodia in rabiem lupinam verti videatur. Conuersionem Orbis, per Christum, & ex Iudaico, Gentilique Populo, vnam formãdam Ecclesiam, præui-
Isai. 11. 6. dens Isaias, sic ænigmaticè protulit mysterium: *Vitulus & leo, &c. Simul morabuntur.* Cap. 11.
Vers. 7. vers. 6. & iterum vers. 7. *Vitulus & vrsus pascentur, simul requiescent catuli eorum.* Vtrobique Iudæus, quia tunc mundus, & sub lege erat, per vitulum, animal scilicet mundum & subiugale, exprimitur: indomita & fœda tunc Gentium conditio, cum per Leonem satis videretur explicari, insuper nouo Vrsi cognomine denotatur. Et cur ita? aut quid additur mysterij, si Leonina indoles, adhuc vrsino ingenio cumule-
Clem. Alex. tur? Pulchrè Clemens Alexandr. lib. 6. stromat. ad hunc locum. *Bos quidem vocatur Iudæus, ab animali, quod lex mundum indicauit, & subiugale: quia sub iugo legis mundè vixit: bos enim, & vngulam findit, & ruminat. Gentilis autem significatur per vrsum: quod animal immundum, & ferum est. Parit autem vrsa carnem informem, quam postea in suam similitudinem efformat, solâ lingua. Sic qui ex gentibus conuertitur, verbo efformatur, vt ex ferinâ vitâ mansuescat.* Spreui versionis elegantiam, vt claritati fidelius seruirem. Ad rem. Sic tibi instruendus quisquis sicut ab Ecclesiæ cunabulis formatus: sed Rex præcipuè, sub cuius regiâ Leonis potentiâ vrsinum aliquid debes attendere, quod non tàm morsu exasperes, quàm lingua polias: lambentibus scilicet magis, quàm verbis verberantibus efformandum.

1292. *Sic tamen modesta obiurgatio sit, vt nunquam vmbratilis, & quasi ex officio potius, quam ex animo videatur.* Sic tamen, suauissimam hanc modestiam præciperem exercendam, vt nihil turpiter molle, & fictum importarit: aliud est blandam, & prudenter vrbanam: aliud eneruem; & languidam distringere reprehensionem: illa verum, & ex animo, hæc fictum aliquid, & ex officio adducere, existimatur; vt plurimùm regius fastus, tot Aulicorum blanditiis assuetus, consimiles palpationes è Concionatoribus sperat: neque hos sic audentes præsentit, vt quæ taxanda sunt, valeant syncerè reprehendere: sed laruam, quandam afferre pietatis, quâ non tam Regi obstare, quàm officio suo vtcunque, per vmbratilem districtionem conentur satisfacere. Audiens Nabuchodonosor ab egregiis adolescentibus, diuini verbi præconibus, statuam suam, denegato cultu fuisse reprehensam: dixit aduocatis: *Verène Sidrach, Misach, & Abdenago, Deos meos non colitis: & statuam auream, quam constitui, non adoratis?* Dan. 3. vers. 14. Premo illud, *verène*: Dan. 3. 14.
Non poterat credere superba indoles, verè & ex animo iuuenes, regiæ Maiestati restitisse; sed ex prophetico officio, vmbram districtionis sumpsisse, quam facilè ad Regis libitum amouerent. Vnde ergo corrigi posset, quasi verè ab ipsis, impius notaretur, nisi subsequentem constantiam obstuperet? D. Ioannes Chrysost. tom 6. Homil. D. Chrysost.
de Trib. Puer. in forn. ad hunc locum. *Arbitrabatur, simulationem quandam, & laruam esse, pietatem: ac sciscitatur, verène regiis mandatis resistere audeant, qui pietatem profitentur? porrò ab ipsa experientia docendus erat, Dei homines, non Tyranni tantum minas contemnere, sed ipsum etiam vaporem ignis pietatis virtute superare.* Tu igitur, sic modesta, & reuerenti prudentia reprehensionem tuam temperaueris, vt tamen perfunctoria illa nequeat existimari: quasi, (si Tyrannum incideres) paratus cum his pueris & Ioanne, in carcerem, in fornacem, & in mortem ire.

Crede mihi: traducit ipse orationis tenor, 1293.
oratorem, si non verborum calamistris, sed pondere sententiarum tuas: si non ad tibiæ dulcedinem, sed ad tubæ clangorem, vocem compo- *Ipse verborũ, & totius actionis tenor, Concionatoris geniũ manifestat.*
sueris: si non chyronomiam histrionicam, sed gestuum grauitatem exercueris: si non ad Romani Hortensij speculum, sed ad Pauli Apostoli doctrinam, vultum efformaueris: si plus ad Christi pedes meditans, quàm tot chartas euoluens impallueris: statim eâ energia dices, vt non perfunctoriè, sed verè: non ex ore, sed ex corde dixisse videaris: nefas fuerit, si in tanto ministerio, Pica aut Psittacus puteris, non Cicada Hoc *Concionator, non Psittacus, sed Cicada.*
est, quod ænigmaticè voluit Ieremias, cùm dixit: *Turtur, & Hirundo, & Ciconia, custodierunt tempus aduentus sui.* Cap. 8. vers. 7. D. Ioan. Ierem. 8 7.
Chrysost. Homil. de Turture, tom. 5. pro *Ciconia*, legit, *Cicada*: deinde subdit: *Cicadam* D. Chrysost.
dicit, eloquentissimum Paulum, Ecclesiæ organum. Mira explicatio! Si auiculæ musicæ venerat Paulus comparandus, aut loquaci: cur non lusciniæ cantanti pariter & loquenti: aut cur saltem non Psittaco aut picæ, aliisque huiuscemodi, quibus, imitandi humana verba ius concessum? Quid eloquentissimo Ecclesiæ organo, ad Cicadam subrustica quadam raucedine stridentem? Ni fallor, Cicadarum naturam contemplabatur Chrysostomus: de quibus ita Plinius Plinius.
lib. 11. cap 26. *Vnum, ex his quæ viuunt, sine ore est: pro eo, quoddam aculeatum, linguis simile, & hoc in pectore, quo rorem combibunt: pectus ipsum fistulosum, hoc canunt.* Optimus quidem hic tenor Euangelici prædicatoris: non tàm ore, quàm pectore sonos edebat Paulus: & quò cælestis gratiæ rorem combibere solebat, eodem verba fundere videbatur. Tu mi homo, nisi cælestem hanc Cicadam æmuleris, audies Psittacus

tacus, Pica denotaberis: nec deerunt, qui non temerè tibi occentent illud Persij.

Persius. *Quis expediuit Psittaco, suum χαῖρε?*
Coruos quis olim, concauum salutare,
Picasque docuit nostra verba conari?
Magister artis, ingenijque largitor
Venter, negatas artifex sequi voces,
Quòd si dolosi spes refulserit auri,
Coruos poetas, & poetridas picas,
Cantare credas Pegaseium melos.

At certe, vt poetas, in Aula, mercenarios non miramur: sic mercenarios prædicatores doleremus, si fortè forent.

1294. Vera doctrina Concionator, ab Aulicis stultus appellatur. Sed hoc opus, hic labor est, sanis & integris Prædicatoribus; (quos scilicet meretriciæ quodammodò mercedes non corrumpunt) cùm enim aula, aliorum Prædicatorum blanditiis, lingua potiùs quàm corde, auribus prurientium, assuescat; acumine dicendi, verborum lenocinio, venustate manûs, & totis pronuntiationis salibus inescata, sic conformatur: vt quidquid ab hoc elumbi concionandi genere deuiat, inurbanum & rusticum obmurmuret. Hinc ibi, reprehensiò, inurbanitati: imprudentiæ, feruor: comminatio, melancholiæ: veritas, stultitiæ: sana doctrina ingenij mediocritati: & aperta, hebetudini deputatur. Quid ergo fecerit Prædicator Christi, qui si in sic factam fortasse Aulam incidit, dum Christum intonat, stultus prædicatur? an cesset? Nefas: deuoret contumelias necesse est: summa prudentia est, dummodo officio tuo rectè fungaris, non erubescere, si stultus ab stultissimis denoteris: insaniunt enim cæteri omnino, si insanis placeant: nihil nisi consimili delectatur: tuli sti punctum, si à sic furente aulâ dispungaris: interim leuamen inde, quod iam olim meliores te à consimili strenuitate, idem dedecoris perpessi, imo eâdem gloriâ coronati.

1295. Habitâ reuelatione, expediuit Elisæus, Prophetam quendam, è collegio suo, qui latenter in Regem Israel vngeret Iehu: abit iste, & omnia ex imperio Magistri exequitur prudentissimè: seuocat à sodalibus Iehu, ritè in occulto vngit, prædicit futura, præcipit facienda. Hoc iam reuerso, redit Iehu ad Principes amicos: qui tunc ad istum: *Rectène sunt omnia? quid venit insanus iste ad te?* 4. Reg. 9. vers. 11. Græcè pro insano, vertitur *arreptitius, fanaticus*. Illi sanè nihil viderant, nihil audierant, vnde ex præsenti gesto, insaniam viri sancti possent coniectare: sed satis putârunt, vt arreptitius & fanaticus diceretur, quod ex habitu, ni fallor Elisæi discipulum, & Eliæ spiritûs proinde participem, agnouerunt, itane? Satis erat, quod igneo illo feruore imbutos, Prophetas illos sanctissimos prænoscerent: vt impij & mendacissimi, insanos & pythonicos prædicarent? Nimirum assueti blandimentis Prophetarum Baal, & formatis ad Dynastarum palatum, ad Palatij gustum, vaticiniis, ad verè Prophetiæ præconia sic nauseabant, vt non solùm in medicinam non crederent emissa, sed insuper à furore rotata effutirent. Ruffinus Pius, loco infrà citando. *Ita autem profanitatis appellari illo tempore, Prophetas solitos fuisse; Regum quoque pandit historia. Nam cum in Ramoth Galaad, missu beati Elisæi, Propheta quidam vt Iehu in Regem vngeret, aduenisset: circunsedentes Proceres dicunt ad Iehu: quid tibi vult fanaticus iste? Ita igitur apud eos exoleuerat diuini sermonis auctoritas: vt præcepta virtutum iam non esse medicamina, sed furiosa censerent.* Vtinam tu, sic iam pridem discipulus Christi, & feruidi spiritûs particeps, & à calamistratis Prædicatoribus alienus agnoscaris, vt ab insanissimis huius farinæ Proceribus, quasi arreptitius arguaris: cùm summa miseria foret, si ita profanè furentibus, prudens videreris.

4. Reg. 9. 11.

Pro arreptitio, & fanatico habitus.

Ruffin. pius.

Quid enim insaniùs illis, qui abominationes suas colunt: ambitioni sacrificant: vitiis mactant animas: & atas, omnis generis libidinibus sternunt? his toto cælo oppositus timeas iam stultus haberi? aut illis concors, cupias proinde prudens appellari? ideo Oseas: *Venerunt dies visitationis, venerunt dies retributionis: scitote Israel stultum Prophetam, insanum virum spiritualem; propter multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudo amentiæ.* cap. 9. vers. 7. Obscurus est locus, tum versionum, tum Interpretum varietate difficilior: nunc sic explico, quasi dicat Oseas: En fulminatur iam dura in vos sententia, instat pœna iusta: cognoscite ergo iam Israelitæ Prophetam vera nuntiantem, quem impiè, stultum & insanum soletis appellare, ita Ruffinus Pius ad hunc locum. *Eò vsque furoris eruperas, vt Prophetas, qui ad sancti Spiritûs loquebantur arbitrium, & quæ te manebant, parentum studio nuntiabant, (si fortè ageret formido præmissa, ne inuenires vltio, quos puniret) in eo, non solum nihil suprà reliquos præuidere, sed etiam in humanâ ratione, dicebas* (lego, diceres) *priuatos: & quos vesania potiùs, quàm reuelatio commoneret.* Sed tu mecum expende adhuc postrema illa Oseæ citati verba: *Propter multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudo amentiæ:* id est, crescit & multiplicatur amentia tua, propter, vel iuxta multiplicatam multitudinem iniquitatis tuæ sceleratissimæ: & cur ita? quia nihil insaniùs credi poterat, quàm tunc maximè, quasi insanos & stultos despicere Prophetas, cùm ipsi despiciendi Principes, eò furoris venirent, vt vitia cum Idolis consecrarent. Clariùs idem Ruffinus. *Ac si diceret. Non est hic quidem simplex error, sed multiplicata dementia: videlicet spirituales Magistros, & prophetico splendore pollentes, eò potissimùm tempore, quasi stultos, vesanosque despicere: quo ipsi tantam egestatem prudentiæ sustinerent, vt Deos esse, quos conflauerant, æstimarent.* Ad sic ergo, insanientis vtrinque trutinæ, examen, quisquis probari cupiat, delirabit. Caueat ergo cordatus Prædicator hinc pendere.

1296. Vtpote non ad gustum, illis allocutus.

Oseæ. 9. v. 7.

Ruffinus.

Cum interim ipsi ta[l]ici, omnino stulte farent.

Ruffinus.

Sed caueat quisque, huc multiplicatæ insaniæ, Princeps deuenire: neque, si iniquus fortè, in Prædicatores prudenter reprehendentes, cælestium minatum nuntios, aut stultitiæ calumniam aut indignationis euomat sæuitiem. Non est regij animi, etiam iniquissimi, in Medicum salutis administrum, sub ipso cauterij sensu, ferocire. Trepidauit Baltasar, ad litterati parietis conspectum: explicaturo sententiam, pollicetur immensa præmiorum. Vnus Daniel penetrat mysterium, qui tamen vt nôsti, nihil non infaustissimum, Regi nuntiat. Quid tunc? *Iubente Rege indutus est Daniel purpurâ, & circundata est torques aurea, in collo eius: & prædicatum est de eo, quòd haberet potestatem tertius in Regno.* Dan. 5. vers. 29. Quò profusiùs liberalitatem iactaret miser Baltasar, si omnia sibi suauissima, & ad palatum conditâ exponerentur? Audit tristissima, credit infalli-

1297.

Dan. 5 v. 29. Perditissimi Principis est, in veraces concionatores desæuire.

infallibilia: & tamen stans promissis, nuntiatori duro se exhibet liberalem? Nimirum licèt iniquissimis moribus Tyrannus esset, (quod per totum hoc opus fusè vidimus:) adhuc tamen generositatis regiæ gustum quantumuis marcidum retinebat: nec putauit sibi etiam perditissimo decens fore, diuino & innocenti Interpreti
D.Simeon. subirasci. D.Simeon Metaphrastes Orat. de Trib. Puer. ad hunc locum. *Baltasar quidem angore, & animi dolore fuit oppressus, propter aspera illa & tristia, quæ ei significabantur: neque tamen ei, tanquam Prophetæ malorum, non dat ea munera, quæ fuerat pollicitus, sed præbuit omnia: quam minatus quidem erat regi euersionem, definitæ esse necessitatis, sed non eius, qui prædixit, esse reputans: ea autem, quæ promissa fuerant, implere, boni viri esse iudicans, iustique, & veri.* Vt iam pudeat quemquam Catholicorum Principum, Baltasari, in simili euentu cedere, qui cùm aliunde pessimus, iniustissimúsque foret, & mendacissimus; in præsentiarum tamen non est ausus, Interpretis sui videri violator. Satis ista.

1298. *Concionatorum concordia, summi ponderis est, ad ministerij efficaciam.* Noto tamen ad calcem huius moniti, obstare, nimis fructibus, in quos religiosum Principem, regij prædicatores promouerent, inuidiolas illas quibus alter alterius dotibus solet obstrepere: quasi hoc etiam, Euangelicis Cygnis deesse nequeat, vt immaniter mutuis cadaueribus saginentur: aulæ fauorem, Curiæ applausum, Principis gratiam, mutuæ charitatis dispendio aucupantes. Hinc est, (vt cætera dissimulem) quòd, quæ alius prudens taxat, regiæ indignationis periculum constanter deuorans; alius, adulator commendet, vnde fratri ruinam, inde sibi profectum, turpiter meditatus. Optimè cum Principis religione & pietate factum foret, si Prædicatores omnes, in eundem scopum, sub eodem, synceræ veritatis tenderent argumento: sed dum diuersi, diuersa sibi, non Christo quærunt: semper Principem in eligendo dubium, nunquam de bono persuasum, sortiuntur. Benè igitur formandæ Aulæ Concionatoribus, vt summopere necessariam, charitatis concordiam commendauerim. Subibant quatuor illa, apud Ezechielem, Animalia, diuinæ gloriæ thronum, id est, Auctore Gregorio Magno, Ecclesiam Euangelici Prædicatores sustentabant: & cùm, scientiarum plumas, quibus volabant, in proximorum salutem, totas impenderent, additur tamen: *Iunctæque erant pennæ eorum, alterius ad alterum.* Cap. 1.
Dan. 1. 9. vers. 9. Nunquid alter virtutem & sapientiam suam alteri mutuò communicabat, & pusillorum oblitus, solùm subleuando socio incumbebat? non credidero. Quid ergo pennas sic amicè iungunt? quia nunquam auditoribus vtiles venirent, nisi inuicem charitatis concordiam retinerent: Si arroganter ita singuli volare præsumerent, vt inuidiæ stimulo, sodales conuolantes recusarent.
D.Greg. D.Gregor. ibi, Homil. 3 post multa in hanc rem. *Scriptum est, quæ desursum est sapientia, primum pudica est, deinde pacifica. Vnde & eisdem suis Prædicatoribus Veritas dicit; Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos. Pennæ ergo animalium, alterius ad alterum iungitur, quia Sanctorum Prædicatorum virtus, atque sapientia, vicissim sibi, in charitatis, atque concordiæ pace sociatur: penna autem alterius ab altero diuisa esset, si in hoc, quod vnusquisque in sapientia euolat, habere pacem cum altero recuset.* Iam ad alia.

Notatio XIX.

Quæ Principi, aut conseruando, aut euertendo Imperio, inesse soleant.

Verba illa Prophetæ nostri ad Baltasarem: *Tu enim terram tuam perdidisti, tu Populum tuum occidisti.* Vers. 20. sic sum interpretatus, quasi dicat: sceleribus, ignaua mollitie, & pessimâ Tyranni Principis Politia id euenisse, vt totum Imperium Babylonicum corrueret: quasi & huius pœna, punito pariter Regi, in nouam quodammodò culpam, gesti pessimè Principatus, imputetur. Sic vsu venit: vnde Abimelech expostulans cum Abrahamo, quòd celatâ vxoris conditione, eiusdem raptui ansam præbuisset, sic ad istum: *Quid fecisti nobis? quid peccauimus in te, quia induxisti super me, & super Regnum meum, peccatum grande?* Gen. 20. vers. 9. Nam quidem, si aliqua hìc intercesserat culpa, non Regno inscio, sed vni rapienti Regi fuerat imputanda: quia tamen peccatum Principis in totius Regni ruinam tendere probè nouerat: prudentissimè idem peccatum, super Regnum etiam induci affirmat, cuius saltem pœnas, foret cum ipso Rege, corona spoliando, luiturum. Guillelmus Hametus ibi. *Non solùm Abimelech legem in adulteros latam metuit, verùm etiam, ne eadem, Regno suo, fraudi esset, pertimescit, quod quidem non semel factum esse legimus, vt adulteria Regibus commissa, euertendi Regni causa extiterint. Notum est, quod Dauidi Iudæorum Regi vsu venerit, qui ob Vriæ vxorem à se adulteratam, plusquam ciuili bello impetitus, regno suo exuitur.* Et notum, addam ego, quid Hispano olim Imperio nostro, vnius Roderici flagitium, importârit. Benè ergo vni Baltasari, non solùm adulteriis, sed tot aliis vitiis scatenti, totius Imperij euersio attribuitur. Cùm igitur clariùs hoc fuerit, quàm egeat illustratione, aliò pergam: dabo vitia regiminis, vnde vt plurimum iniqui Principes, Imperium tandem funditus euertendum, corrumpant: dabo promiscuo parallelo virtutes, quibus idem, & sibi, & Regi Iusto, sub optimâ gubernatione, conseruatur: prudentibus enim quibusuis, malâ Politiâ dispositus Populus, & Regi, & sibi, non leuiùs periisse dicitur, quàm si duro hostium iugo, pridem opprimeretur: vt etiam hinc meritò à Baltasare, & Terra perdita, & Populus occisus diceretur, quamuis hostilibus deinde copiis non succumberet.

1299. (margin)
Gen. 20. 9. *Principis peccatum, in subditorum ruinam, apparatur.*
Guil. Ham.

* * *

MONITA POLITICA.

I.

Legis, & Legislatoris æquitas aut iniquitas.

1300. PRæcipua basis Reipublicæ gerendæ, in legibus sita est: harum abusu, Baltasaris Imperium corruit, vt ex totius contextu capitis colligitur; harum obseruatâ æquitate, Monarchia quæuis faustissimè florebit. Id ergo in primis necessarium Princeps Legislator obseruet, vt quæ iure, aut titulo aliquo honesto, à dominio suo fuerint aliena, legibus coërcere non præsumat. Vt diuinitus acceptam legem, à supremo Legislatore dictatam, hominibus scriberet, Moyses tanquam Vicarius eligitur: hinc ab omnibus Legislator, & quod maius est, quinque libri eius, siue Pentateuchum, vt à Prophetis, & Psalmis

Luc. 24. 44. condistinguantur, *Lex Moysi* dicuntur, Luc. 24. v. 44. Et quidem in Leuitico & Deuteronomio ferè omnia: in Exodo verò & Numeris non pauca, quæ ad legem pertineant scribi, ignorat nemo. In Genesi autem, nec verbum est, quo lex Moysis compleatur: nam Circuncisio Abrahæ

Legislatio dominium & potestatem supponit. præcepta, vt doctiores volunt, non legis sed naturæ probatur Sacramentum. Cur igitur primum & præcipuum Geneseos volumen, Mosaicæ legis nomine, cateruatim cum aliis comprehendatur? Ni fallor, id inde prouenit, quòd licet nihil legale Genesis importet, omnia tamen cæterorum Codicum legalia stabilit, & legitima ostendit: minùs prudenter enim in sequentibus quatuor libris, Legislatorem Deum enuntiaret Moyses, nisi in Genesi rerum omnium Creatorem, & illorum Dominum, quibus lex inferenda prædixisset: quasi dominium Dei in Genesi descriptum, diuinis deinde legibus scribendis foret fulcimentum. Huc facit Seuerianus in Cat. Par.

Seuerian. ad cap. 1. Genes. vbi ita: *Duo sibi præcipuè Moyses proposuit & fabricam Mundi exponere, & legem promulgare: ac primùm quidem Deum voluit ostendere totius naturæ Conditorem, & Dominum, vt suis legem ferre, non alienis, iure videretur. Si enim priùs illum, de artifice Mundi non constituisset, fide minùs dignum Legislatorem renuntiasset,*

1301. Prou. 8. Æternam suam cum Deo conditionem, prædicans diuina Sapientia, ait: *Quando præparabat cælos, aderam*, Prouerb. 8. v. 23. & post multa, similia concludit: *Quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens, &c.* vers. 29. & 30. Præparantur cæli, cætera disponuntur, appenditur terra: & Solis aquis, lex dicitur irrogata. Nunquid cæli & terra legis incapaces: aut aquæ, diuino obsequio rebelles magis, quas proinde lege compescere opus esset? Nullo modo.

Genes. 1. Sed cùm cælum & terra Genes. 1. vers. 1. cum cæteris creaturis expressè à Deo creari dicantur: solius aquæ creatio, (cum verè creata fuerit) præsupponitur potiùs, quàm exprimitur: hinc ergo factum puto, vt soli aquæ lex posita exprimatur, quæ aliis etiam creaturis poni subintelligitur: vt quemadmodum expressa aliarum creatio, legi subiectas insinuat: sic aquarum, legi, subiectio *Ab omni æquitate alienum est alienis legem imponere.* expressa, creatas à Deo aquas indicaret: tam quippe longè abest à Deo æquissimo Legislatore, vt rebus sibi alienis, & dominio non habitis legem imponat: vt eo ipso quod aliquibus legem irrogare cognoscitur, eorundem & Dominus, & Creator inferatur. Sunt pulchra huic loco verba D. Eucherij, (quæ ad rem aliam alibi expendi fusiùs) quæst. 3. in Genes. vbi ita: *Aquas* D. Eucher. *vbi legimus à Deo factas? & si factas in exordio creaturarum, non euidenter diuinæ lectionis textus expressit: à Deo tamen factæ sunt, &c. & tamen de aquis à Deo factis, illud nos aliquatenus instruere testimonium potest, quod dicitur:* Separentur aquæ, &c. Genes. 1. v. 9. *quia scilicet non præciperet, vt aquæ à terrâ, quam fecerat secernerentur, nisi & aquas ipse fecisset.* Pulchrè igitur, quando cætera formari prædicat Sapientia, aquis legem impositam testatur, easdem inde subiudicans concreatas, & pari iure dominij possessas.

Tyrannicum ergo fuerit, de illis, vel in illa legem ferre, quorum dominio, vel iusto alio titulo non frueris. 1301. *Tyrannicum est non sua, præcepto cohibere.* Applaudit meretriculæ saltatrici, Herodes turpior, & ait illi: *Pete à me quod vis, & dabo tibi: & iurauit illi, quia quidquid petieris* Marc. 6. 22. *dabo tibi, licèt dimidium regni mei*, Marc. 6. v. 22. Puella perdita, perditissimæ matris suasu, caput Ioannis postulat, & consequitur: Nam *contristatus est Rex propter iusiurandum, & propter* Vers. 26. *simul discumbentes, noluit eam contristare: sed misso spiculatore, præcepit afferri caput eius in disco*, v. 26. vbi grauiter sic addubitat D. Simeon Metaphrastes Orat. de Baptista, *Illud caput malis ven-* Metaphrast. *dis amoribus, & tales, ô infelix, gratias ei largiris, cuius tu turpi amore tenebaris. Quis verò, iust hic prætextus, ne iusiurandum transilires, iusti interemptio? Clarum est enim, te esse pollicitum, Regni tui dimidium ei daturum: hoc autem, quid est aliud quàm opes, pecunias, iugera terræ, gloriam ad tempus, quorum ipse eras Dominus: hæc enim si ei à te ex æquo essent diuisa, tuum conseruassent iusiurandum. Viri autem cædes, viri dixi, imo plusquam viri, quid cum his commune habebat, apud eum, qui temperanter viuit, & rectas leges sequitur?* Et meritò, vnde enim qui se in iis rebus obligarat, quæ dimidio regno poterant compensari, Ioannem etiam in his inclusum credat, cuius proinde dato capite absoluatur? Scilicet Tyrannus erat, assuetus intemperanter viuere, & in illa etiam iniquas leges condere, quæ nullo titulo, sua probaret: quasi hoc illi esset regnare, si capita innocentum, nullóque iure debita detruncaret: ideo sub iniquo dimidij regni sui promissi, Baptistæ caput præsumpsit fore censendum. Idem Metaphrastes, *Nisi hoc tibi erat regnare, ô opti-* Idem. *me, subiectos nulla de causa interimere.* Hoc certè *Tyrannis pro regno est, si innocentes trucidens.* regnare est tyrannis, iniquiora mandata, leges iniquas, iniquissimum iuramentum extendere in non sua: & illo, quasi hæc propria essent, se fingere obligatos: vt iam obseruatæ legis, & impleti iuramenti sacramentum, ipso periurio peius habeatur. Bene D. Ambrosius lib. 3. de Virginib. ad hunc locum, *Ne iusiurandum violaretur, per-* D. Ambros. *cutitur innocens: quid priùs horrescam nescio:* *Tyrannis iuramentum, ipso periurio est intolerabilius.* *tolerabiliora periuria, quàm Sacramenta sunt Tyrannorum.* At vnde stabit Imperium, si viri opti mi, id est Reipubl. columina perierint? aut quî non pereant, si cæteræ leges eodem tenore condantur,

dantur, quo Herodes, hanc priuatam iuramenti sui legem, condidit, & explicuit?

1303. *Lex, quæ cōditoris potius, quam commune bonum respicit, iniqua est.*

Sed parum est, quòd in aliena legislator non feratur: nisi etiam, dum in propria fertur, a quouis priuato affectu, commune bonum, minùs respiciente, alienetur. Non stabilit, non conseruat Imperium lex illa, quæ solius Conditoris commodum sibi proponit scopum: iniqua fertur, quæ talis irrogatur. Quæsitus Christus Dominus, an vxorem viro quacunque ex causâ dimittere liceret: respondit negans: adductóque in contrarium Moysis testimonio, vnde libellus repudij probabatur, sic satisfacit. *Moyses ad duritiam cordis vestri, permisit vobis dimittere vxores vestras, ab initio autem non fuit sic: dico autem vobis, quia quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimissam duxerit mœchatur.* Matth. 19. vers. 8.

Matth. 19. 8.

Prætermitto non leues huius loci difficultates, illúdque certius, cum doctioribus statuo, meram hanc fuisse permissionem à Moyse, obduratissimis tunc maritis, concessam, & vnde dissoluentes matrimonium culpâ non carerent; id inquiro, vnde illa quæ tot postea sæcula, tanquam legitimum mandatum, & lex propria apud multos inualuit, poterat timoratis viris, ante legitimam Christi interpretationem, scrupulum commouere, ne in hoc, dissoluendi naturalis vinculi, præcipitium, dubij de reatu inciderent? Videtúrque respondendum, meritò hanc quæstionem apud Hebræos, (vt ex his, Christum tentantibus, colligitur) in vtranque partem disputari, quia nullus vel mediocriter doctus poterat non dubitare, an lex, sub æquitate Iustitiæ, posset hanc dissolutionem concedere: sicque potiùs permissio, non tollens obduratis culpam, esset interpretanda. Quid ita? quia cùm lex illa intellecta vt sonat, tota in Maritorum gratiam, conculcatis miseris vxoribus, collinearet: à viris non à Deo in proprium commodum lata satis agnoscebatur: vnde apertè probabatur iniqua, quæ non vtriusque sexûs, sed priuatam virilis, id est legislatoris sexûs, vtilitatem respiciebat. Dixi, non à Deo, sed à viris latam: quia licèt lex diuina esset, solummodò tamen erat permittens: quæ proinde dum malignâ virorum interpretatione, quasi absolutè concedens interpolabatur, iam non Dei, sed virorum esse inceperat. Sic capiendus D. Gregor. Nazianz. Homil. in hoc Matth. cap. vbi ex ore Christi, sic ad propositam de soluendo Matrimonio, quæstionem respondetur. *Circa hanc plerosque malè affectos cerno, legémque adeo ipsam iniquam, nec sibi constantem. Quid enim causæ fuit, cur mulierem coerceret, marito contrà indulgeret, eúmque liberum relinqueret: & mulier quidem, quæ sceleratum consilium, aduersus viri sui cubile susceperit, adulterij piaculo constringatur, acerbissimísque pœnis excrucietur: vir autem, qui fidem vxori datam adulterio violauerit, nulli supplicio obnoxius sit? hanc legem haudquaquam probo, hanc consuetudinem minimè laudo: viri erant, qui hanc legem sanxerunt, ac propterea aduersùs mulieres lata est.*

Lex, de repudio, apud hebræos. vnde apertè illa, probaretur iniqua.

D. Greg. Naz.

1304. *Solum irreprehensibilis legislator, legem fert aptā moribus corrigendis.*

Præterea, ad illam, quæ mores format, legem, irreprehensibilem cupio legislatorem: frustrà fulmen euibrat in vitia, quibus ipse correptus deploratur: metu potiùs, (prauo scilicet, morum correctore) & pœnarum intuitu, quàm æquitatis iure, quam honestatis amore, subditos sic coercet nec illos emendauerit, quibus euitandæ pœnæ, sub latebris gerendæ turpitudinis spes affulserit. Solummodò ergo irreprehensibilis legislator, efficacem, moribus componendis, legem irrogat. Aduocatur à Deo Moyses; in familiarissimũ cõmerciũ: *Ingressúsque Moyses mediũ nebulæ ascendit in montem, & fuit ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus.* Exod. 24. v. 18. Quæris cibum? nullus fuit; vt caro pene in spirit mutata videretur, & diuino splendore collucens, intuentium oculos præstringeret. Sed quorsum tantum mortali homini priuilegium, quo homo esse desineret, in angelicam quodammodò euectus conditionem? Respondet D. Chrysologus serm. 166. *Moyses ipse dierum quadraginta ieiunio, ita humano defæcatus est, & exinanitus à corpore, vt totus diuinitatis mutaretur in gloriam: & adhuc in nostri corporis obscuro, toto fulgeret lumine deitatis: neque intueri eum mortalium visus possit, &c. Meritò hic talis legem sancire meruit, qui totum, quidquid in homine, lex vrgere poterat, peramisit.* Quasi si adhuc humanorum defectuum censuræ posset subiacere; censor morum, districtâ lege, inutilis adueniret. Ideo fortasse sanctissimus Rex Iob, quem grauissimum morum Censorem, apud suos, legimus: in ipso operis initio dicitur, *simplex & rectus*: cap. 1. vers. 1. Græcè ἄμεμπτος, *irreprehensibilis*: de quo D. Ioan. Chrysost. in Cath. Græ. *Vocabulum mihi expende: cur non dixit expers criminis, sed à reprehensione vacuus? nimirum, quia crimen in maximis ponitur: reprehensio verò, in paruis & minimis. Non solum igitur, inquit, à grauissimis abstinuit culpis, verùm nec leuissimis se teneri, passus est.* Talis futurus, qui procedebat *ad portam ciuitatis* cap. 29. vers. 7. cui in plateis *cathedra* ponebatur: scilicet iuridicendo, legibus irrogandis.

Iob. 1. v. 1. Græcè vers. D. Io. Chrys. *Nec solum à grauibus, sed etiam à paruis sit delictibus alienus.*

Iob. 29. v. 7

1305. *Lex, ita condenda, vt semper in dubio, beni nitus veniat interpretanda: ob suauissimam indolem legislatoris.*

Iam verò, cùm lex quandoque obscura, plerunque à Consultis prudentibus, non tàm ad verba scripta, quàm ad legislatoris mentem veniat interpretanda: tale in legislatore iusto ingenium requiro, eam indolem: vt semper ad vtilitatem potiùs subditorum, quàm ad pœnam scripsisse præsumatur: neque tam seuerè, quàm indulgenter hos habendos voluisse. Paralyticum illum, qui tot annos ad probaticam piscinam iacuerat, sanans Christus in sabbato, inuidiam apud perfidos, violatæ legis, in se concitat: Ioan. 5. vers. 16. *Iesus autem respondit eis: Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* vers. 17. id est, cùm Pater ab initio, noua semper in homines operetur beneficia: nil mirandum, si filius in eosdem semper beneficum se exhibeat. Verissima responsio, quæ tamen ad præsentem quæstionem non ita claret. Quid enim, pro obseruantiâ vel violatione Sabbati discutiendâ, diuina nunc conducit beneficentia? Ni fallor, præmissâ cælestis Principis indole suauissimâ, & largiendis pronâ beneficiis, quomodò lex eius de sabbato colendo veniret interpretanda, demonstrauit: perperàm enim putabant Pharisæi, ægrotorum remedia in sabbato, per legem prohiberi, quam à sic benefico legislatore nouerant irrogatam. Quia in dubiis, ad suauissimum Conditoris ingenium, verba debebant legis reuocari, nec tam seueritati, quàm omnimodæ indulgentiæ deputanda. Huc adduco Theophylactum, qui ad hoc Ioannis caput, expendens cur Saluator sæpe in sabbato curaret, cum inde à sacrilegis argueretur,

Ioan. 5 v. 17

Theophyl.

tur, ita habet. *In Sabbato sanat, docens hominem aliter intelligere Sabbati obseruationes: & non putare coli Sabbatum otio corporali, sed malorum abstinentiâ. Nam benefacere alicui, lex non prohibet, quæ lex est Dei, semper benefacientis.* In lege igitur tanquam in speculo legislatoris ingenium reuerberat, vnde necessariò optimum hoc præsumitur, ne illa vnquam sinistrè capiatur.

1306. Caueat deinde prudens legislator, ne multas & longas leges condat temerè: perturbant coaceruatæ statum rerum, frequentibus antinomiis obstrepunt regimini: & dum vix vnquam tot possunt obseruari, periculum est, ne omnes violentur: spretæ enim quædam minus necessariæ, nescio quomodò, necessariis spernendis manuducunt: & violata quibusdam reuerentia, viam violandis cæteris sternit. Orbis miserias, & Tyrannidis euertendæ scelera descripturus Deus, sic incepit. *Væ qui condunt leges iniquas: & scribentes, iniustitiam scripserunt, vt opprimant in iudicio Pauperes.* Isai. 10. vers. 1. Et post multa huiuscemodi, cùm ad remedium venitur, sic subinngitur: *Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam: consummationem enim, & abbreuiationem, Dominus Deus exercituum faciet, in medio omnis terræ.* Vers. 22. & 23. Lxx. in Sixt. vertunt. *Verbum consummans & abbreuians, in Iustitiâ: quoniam sermonem breuiatum faciet Dominus, in toto Orbe terræ.* Quasi breuis sermonis iustitia, tot legum iniquitati opponatur: imò, quasi istæ iniustæ, & decipulis, captiunculisque irretientes denotentur, quod abbreuiatæ Iustitiæ non studerent. Prætermisso tamen contextu, aptiùs ad rem erit, si hoc *verbum consummans & breuians in Iustitiâ*, de lege Euangelicâ explicaueris: quasi hoc esset totius Orbis remedium, diuino Principi tutiùs & faciliùs subiiciendi, quod lege succinctâ & breui charitatis gubernaretur. Quid ita? Quia perierat Orbis, profusa illa Mosaicæ legis conditione, sub qua Iudæi pressi ingemebant, quam Ethnici incomportabilem euitabant. Benè Tertullianus lib. 4. in Marcion. cap. 1. ad hunc locum. *Decisum sermonem faciet Dominus in terrâ: compendiatum est enim nouum Testamentum, & à legis laciniosis oneribus expeditum.* Credat mihi meus Princeps, obstrepit longa lex moribus subditorum, cursuram obedientiam retardat: & vt succincta expedit ad cursum, sic ad casum disponit laciniosa: fluxior vestis, pedibus intercepta, intercipit cursorem, & calcandum prosternit, præcalcata.

Non tam puniri, quàm soli üs legibus, stat Imperium.

Isai 10. 1.

Vers. 22.

Lxx. Interpr. Sixtian.

Tertul.

Restabat addendum aliquid de suauitate, quâ lex sanctè condita, foret initio, subditis, promulganda: sed quia de hoc *Notat. 1. in Cat.* iam scripsi: satis nunc fuerit locum indicâsse, ne dicta repetentes, illibatis debitum otium deteramus.

II.

Princeps, reuerentiam legibus procuret: quas & ipse reuereatur: ne Proceribus, vt solet, habeantur ludibrio.

1307. LEges igitur, in publicum bonum, modestè latas, & promulgatas blandè Princeps sic foueat, vt integerrimè satagat obseruandas: frustra lex irrogatur, cuius obseruatio attenditur oscitanter, cuius transgressio dimittitur impunè: fædifraga & rebellis solet esse mortalium conditio, susceptis semel statutis proterendis: & nisi horum custodiæ Princeps diligentissimus incumbat, facilè obliteratâ condolebit. Exquisitissimo artificio condendam arcam, præcipit Deus Moysi: addítque statim: *Ponésque in arca, testificationem, quam dabo tibi.* Exod. 21. vers. 16. Nondum testificatio condita, id est, nondum lapideæ tabulæ scriptæ fuerant, quibus nihilominus præuiè arca sic pretiosa, vbi seruandæ forent apparatur: quia vt grauiter ibi Oleaster: *Nouit Dominus mendacia nostra, & quàm facilè pacta rescindimus: ideo voluit arcam fieri, quâ pactum, quod cum Iudæis pepigerat, asseruaretur.* Vt dum ipsa lapidea instrumenta, rupices paginæ, vigilanter delicatéque cernuntur asseruari, cordibus, præceptorum custodia altiùs imprimatur: stultè quippe transgressores impunitatem sperarent, cùm lex quâ conuincendi, tàm pretiosè geri intuerentur. Et fortasse ideo statim vers. 17. *Propiciatorium* vbi ipse Deus assistere credebatur, super arcam præcipitur ponendum: quasi legi suæ hominibus obseruãdæ, ipse ad custodiam Dominus excubaret: meritò in eodem, ad sancta Sanctorum, loco, & arca legis, & Dei thronus, ponerentur; quasi pari reuerentiâ se, legémque suam preciperet colendam: huius videlicet, tanquam propriam vindicaturus iniuriam. Hæc est optima Principis Politica, eam nimirum curare iustis legibus reuerentiam adhibendam, vt harum violatione, ipsemet violari censeatur. Scitè Plinius facilem Traiani sui comitatem sic scribit. *Regimur quidem à te; & subiecti tibi, sed quemadmodum legibus sumus: nam & illæ cupiditates nostras, libidinésque moderantur: nobiscum tamen, & intrà nos versantur.* Inuerte, nec peruertes, ad rem nostram: Regimur quidem à legibus, & subiecti illis, sed quemadmodum Principi sumus: & quemadmodum hic, illarum facilem comitatem debet exprimere, sic eisdem inuicem, auctoritatem & reuerentiam suam impertiri, vt ferè pro eodem, & Princeps, & lex eius habeatur.

Iustâ legis obseruantiâ, Princeps à subditis exigas.

Exod. 21. 16.

Oleaster.

Quia subditorum indoles, semper fœdi fraga præsumitur.

Eandem, qui sibi, Princeps, legibus cum, capiet reuerentiam.

Plin.

Et ipse, instar legum, comis sit.

Discessurus iam è viuis, Rex sanctissimus Dauid; hæredi Salomoni in mandatis, hoc ponit maximè: *Tu nôsti quæ fecerit mihi Ioab, filius Saruiæ, quæ fecerit duobus Principibus exercitus Israël, &c. quos occidit, & effudit sanguinem belli, in pace, &c. facies ergo iuxta sapientiam tuam: & non deduces canitiem eius pacificè ad Inferos.* 3. *Reg.* 2. *vers.* 5. *&* 6. Cùm vix appareat scelus à Ioab in Dauidem perpetratum: nonnulli Interpretes, illud solummodò crimen hic volunt explicatum, quo se Ioab, occidens præstantissimos illos duces Abner & Amase, fœdarat pridem: Dubitant ergo meritò, cur Dauid dixerit: *Quæ fecerit mihi Ioab*: qui potiùs Principibus illis necem intulerat: an fuerat tenerrimus amor, quo Rex, strenuissimos hos viros prosequebatur: indéque charitatis transformantis iure, se in illis occisum profitetur? Non id absonum optimo Principi, erga fidelissimos Administros: sed tamen si amoris teneritudinem hîc considerares, potiùs in Ioab, sororis suæ filium, & longè occisis his ducibus strenuiorem, próque auunculo, faustissimis auspiciis perpetua bella gerentem, Dauidis pietas videbatur inclinanda. Quid ergo? 1308.

3. Reg. 2. 5.

Princeps, egregios subditos, vt se amet.

ergo. Generosior erat alius Regis amor, erga legem iustitiæ: quam sic habendam volebat reuerenter, vt quia Ioab grauiùs Iustitiam, quàm occisos duces læserat, se ipsum læsum prædicet: quasi violatâ Iustitiæ lege, ipsissima Regis persona violaretur. Oleaster ad cap. 16. Genes. *Tu nôsti quid fecerit mihi Ioab &c. Non dixit, tu nôsti quid fecerit Ioab, Abner & Amase: quoniam optimè nouerat sanctus Rex, homines hominibus iniurios, magis Iustitiæ iniurios, quàm parti.* Nec tamen dicit, quid fecerit *Iustitiæ* Ioab; sed, quid fecerit *mihi*. legem quippe Iustitiæ conculcatam, regiæ Auctoritatis conculcatæ, habere rationem existimauit.

In lege conculcatâ, ipsa persona regia visa conculcari. Oleaster.

1309. Et bene dum sic distringitur pœna in Ioab, obseruari lex Iustitiæ perhibetur: si enim ignauescit vindicta, lex ipsa vili pendatur, necesse est: quia vt suprà fusissimè monui, aliorũ impunitas, aliis est illecebra ad peccandum: ac proinde debet sub debitis circunstantiis, maximè sub statutæ legis initio, rationem Clementię, ratio seueritatis coercere. Miser ille, quem *colligentem ligna, in die Sabbati*, Numer. 15. vers. 32. Populus deprehendit: iussu Dei, lapidibus obruitur, vers. 36. & quidem si quæ legis illius violatio, leuis vnquam videbatur existimanda, hæc erat: cum pauperculus non tam laboriosè cædere, quàm industriè ligna colligere arguatur: extremo tamen supplicio corripitur, & meritò: quia nisi lex paulò ante promulgata districto vindictę gladio protegeretur, ludibrio deinceps veniret: fuit ergo iustissima in hunc animaduersio, necessaria cæteris, à cõsimili reatu obseruatio. Saluianus l. 6. de Prouid. *Homo Israelitica plebis, cum ligna Sabbato collegisset, occisus est, & hoc iussu & iudicio Dei, piissimi scilicet, ac misericordissimi, & qui parcere absque dubio, quàm occidere maluisset, nisi rationem misericordiæ, seueritatis ratio vicisset: perijt, ne multi per incautelam postea deperirent.* Non derogat itaque Clementiæ Iustitia; cùm sub his circunstantiis, legem ab iniuriis vindicat, quam tuetur. Sed iam de hoc plenas paginas suprà dedi.

Sub ipsis legis latæ auspicijs, eius violatio seuerius punienda.

Num. 15. 36

Saluianus.

1310. Errat proinde, & vehementer errat Princeps, qui iustissimas aliunde condens leges, iam satis hinc tutos & compositos subditos existimat. Vmbra est Iuris, phantasma est Politicæ, lex illa: cuius obseruationi, labor & vigiliæ Principis non intendunt. Insultatur tanquam mortuæ legi quam assiduâ curâ vigentem, Princeps non sollicitat: è contrà animatæ diligentissimi Principis spiritu, præstatur reuerentia, obsequium adhibetur. Iam non semel prædixerat Deus Populo, per Moysem, fore vt in montem descenderet, ipsi Moysi solummodò ascensuro adlocuturus: Exod. 19. vers. 9. & tamen addit iterum: *Constituésque Populo terminos per circuitum, & dices ad eos: cauete ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius: omnis qui tetigerit montem, morietur.* vers. 12. Parum est, quòd iterum tàm disertè legem pronuntiet, & istam infallibili pœnâ obarmatam: maius est, quod termini, non tàm quasi per lineas designandi quàm quasi erectis sepibus constituendi præcipiantur. Quod optimè sic expendit ibi Oleaster. *Sunt multi nostris temporibus Prælati, qui cuncta tuta esse arbitrantur, cùm leges posuerint, præcepta & anathemata multiplicauerint: quo facto, securi in vtranque dormiunt aurem, nihil laboris aut vigiliarum, ad gregis sui*

Inutile est, legem ferre, nisi ad obseruantiam, apponat medijs Princeps inuigilarit.

Exod 19. 12.

Oleaster.

custodiam apponentes. Non sic autem Dominus, sed postquam semel atque iterum Populum contestatur, sepem apponit, admonet sæpius non transgredi. Lex quippe, absque hâc Principis vigilantiâ, Arca est, pretiosius aliquid continens, absque signaculo tamen reserata: quæ tantùm abest, vt fures euitet; quin potiùs vel iustos inuitet ad rapinam: nititur enim in vetitum, humana indoles, allicitur prohibitione: & nisi legislatoris labor & industria subditos compescat, lege ignauescente potiùs prouocabit. Idem Oleaster paucis interiectis. *Optimum est si quod præcepto prohibes, sepem, aut murum addere: quoniam vt apud Prouerbium est: In arcâ apertâ etiam iustus peccat.* Expelluntur iustissimâ lege è Paradiso Protoparentes: adhibetur tamen Cherubica custodia: quia quem vilipenderant concessum, interdictum iam lege, sic æstimarent, vt etiam violato iure præsumerent repetendum, ni sedulum ad custodiam legislatorem sortirentur. Genes. 3.

Lex quippe lata, absque iuuente Principis vigilantiâ, non tam arcet, quàm inuitat ad malũ. Oleaster.

Genes. 3.

Non tamen aliunde impensior reuerentia, custodia tutior legibus, à Principe procuratur: quàm si ipse illas habeat reuerenter: & à quibus coerceri non potest, modestissimè tamen dirigi patiatur. Vide quæ suprà dedi num. 215. de lege dominatura Regi, vt lex ipsa modestior condatur, Rex que ipse subditis æquissimè dominetur. Cumulauerat adulterium homicidio Dauid, & optimi Principis nomen, tyrannicâ pene corruperat fœditate: & tamen faustè paulo post resipiens, sic ad Deum exclamat: *Tibi soli peccaui, & malum coràm te feci.* Psalm. 50. vers. 6. Non dixit in Bethsabee peccasse, cui & scandalum fuerat, & famam, prostratâ pudicitiâ violârat: non in Vriam deliquisse, cui ereptâ vxore, vitam insuper eripuerat: non denique totum Populum læsisse grauiter, quem pessimo exemplo prouocârat: sed vni tantummodò Domino reum se fatetur, qui etiam apud alios, nimiùm quanto reatu se obstrinxerat: & cur ita? Respondet D. Hieron. Epist. ad Rustic. *Tibi soli peccaui: Rex enim eram, & alium non timebam: & malum, coram te feci.* Habent itaque hoc regia peccata, vt in solum Deum commissa videantur: quod licèt subditos lædant, leges violent: à solo tamen possunt vt plurimum coerceri. Hæc igitur immunitas, siue impunitas, quæ insolentes Principes solet effrænare, modestos alios maximopere commendat: eò quippe speciosiùs, & gloriosiùs, se à legibus exhibent directos, quò minùs se ab eisdem timent coercendos: nec aliunde fæliciùs & faciliùs Prouincias sibi retinent subiectas, quàm vnde temperanter ipsi legibus subiiciuntur.

1311. *Nihil obseruantia legũ efficacius, quàm si ipsemet Princeps has obseruet, & illis pareat.*

Psalm. 50. 6. *Nihil in Principe gloriosius, quàm si à legibus dirigatur, à quibus tamẽ coerceri non potest.*

D. Hieron.

Animaduertente Deo in Abimelech, quòd impedimenti inscius, conscius pulchritudinis, Saram rapuerat: exclamat dolens Princeps ad maritum Abraham, vt suprà num. 1299. dicebam: *Quid fecisti nobis? quid peccauimus in te, quia induxisti super me, & super Regnum meum, peccatum grande?* Genes. 20. vers. 9. vbi mihi, denuò obserua, sic se cum Populo suo coniunctum protulisse, quasi se vnum è Populo fateretur, qui violatæ in adulteros legis, pœnam prætimeret. Nimirum sic modestè, latæ contra adulteros legi se subiecerat dirigendum, quasi ab eâdem posset etiam pœnaliter coerceri. Quæris causam? fælicissimum sibi, & optimè constitutum regnum aucupabatur: nec putabat aliunde se faustiùs imperaturum subditis, quàm si ipse

1312.

Genes. 20. 9. *Fauste, subditis imperat Princeps, legibus ipse subditus.*

legi subditus haberetur. Guillelmus Hamerus ibi, *Video plane hunc Abimelech, hominem esse haudquaquam malum, sed ciuilem, & moderatum, & quod in Regibus rarum est, legibus obtemperantem, easque metuentem: estque illud, optimè institutæ Reipublicæ simul & faelicis argumentum: si leges dominentur, & Principes legibus obnoxij sint.* Quod deinceps multis confirmat Hamerus, cape tantùm quæ ex Plutarcho affert, 3. de legibus, vbi ita: *In illa ciuitate, vbi lex subdita est, & abrogata, ibi video perniciem paratam esse: in qua vero lex domina est Principum, & Principes serui sunt legis, ibid. video salutem, & omnia bona, quæ Dij ciuitatibus dederunt.* Quod passim experientia demonstrat.

Hamerus. Plutarch.

1313. Verissimum est vbique, id quod Auctor Apophthegm. lib. 1. in Agesilao, sic scribit: *Rogatus aus quopiam, quamobrem Spartanorum Respubl. præ cæteris secundis rebus floreret? Quoniam, inquit, præ cæteris in hoc se exercent, vt pariter & imperare, & parere sciant.* Nunquam tamen id veriùs, quàm in re legum, tunc enim faustissimè Respubl. componitur, si Princeps pariter subditis sic imperat, vt legibus ipse parere conspiciatur.

Tunc enim, qui imperat feliciter, cum prius didicit imperari.

1314. Imperaturum fratribus à Tribubus adorandum, Iacob suum benedixerat Isaac Genes. 27. v. 29. Sed ecce paulo post, seruiturum auunculo & socero, eundem in Mesopotamiam mittit pater: *Vade, & proficiscere in Mesopotamiam*, &c. cap. 28. vers. 2. pergit Iacob, & durissimam seruit seruitutem: nec sine optima & Dei disponentis, & imperantis patris, & exequentis filij Politica, quam prudenter sic ibi expendit Hamerus, *Iam Dominum constituerat eum pater, & omnes fratres illius erant serui eius subiecti. Sed quis vnquam clemens futurus erit Dominus, nisi qui & ipse seruire didicerit? quis liberaliter seruis vtetur, nisi qui & ipse Dominum pertulerit? seruiuit & ipse Iacob, apud patruum Laban, longam seruitutem, idque vxoris ergo: vt disceret, quam in alios clementi vteretur seruitute, cuiusque prior amaritudinem gustasset. Is enim qui bene administraturus erit imperium, eum prius imperium ferre oportet.* Quod ipsum in Iosepho, Ismaelitis vendito, & deinde Eunucho Pharaonis, addicto cap. 37. vers. 36. sic idem Auctor expendit: *Quò postea ciuilior animo, Imperium in alios exerceret Ioseph, prius eum herili subiecit imperio: vt quod postea Princeps agere deberet, priùs seruus discere inciperet. Neque enim credibile est, eum Dominum futurum clementem, qui non ipse prius obnoxiam egerit vitam.* Sic in re nostrâ longè veriùs. Cùm enim hoc temporis, vt plurimùm Principes, non tam electionis titulo, quàm hæreditaris iure thronis succedant: nequeunt seruientes priùs aliis ediscere, quomodo deinde aliis rectè imperarint: at possant & debent statutis priscis obsequi, leges dominas habere, si quâ par est clementia, subditis suis cupiant imperare. Ideo Philostratus in vitâ Apollonij lib. 8. sic ex Philosophi ore, ad Domitianum Imperatorem, post multa: *Hæc à me, legum gratia, dicta sunt: quas nisi dominas Regi esse putaueris, ipse procul dubio non dominaberis.* Et paulò post bona à Diis cumulata ait illis Principibus, *qui secundum leges dominantur*: & iterum ad Vespasianum, idem ex eodem lib. 5. *Ne sibi liceat, quodcunque volueris, caue, &c. Lex verò tibi, etiam Rex dominetur: eris enim in illis ferendis modestior, si in quoque ipsas non contempseris.* Et meritò, hinc enim importabilia onera Pharisæi, subditis imponere festinabant, quia ipsi illa, nec leui quidem digito attingebant.

Gen. 27. 29. & 28. 2. Hamerus. Gen. 37. 36. Hamerus.

Legibus ergo saltê seruiat Princeps, vt obedientes subditos tractare queat.

Philostrat.

Vtque leges modestiores, sic componat. Philostr.

Fiet autem vis ista legum directiua, Principi meo facilior, & practicabilior, si vt se nouit ab earundem vi coërciua, apud homines immunem: sic etiam consideret, à supremo Legislatore Deo, se legum fractarum iure puniendum. Propterea David, qui (vt paulò ante dicebam) soli se Deo peccasse asseruit Psalm. 50. v. 6. quia neminem hominum pertimebat: subdit paulo post: *Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meæ*, v. 16. Ecqui enim isti sanguines? Vnius tantum Vriæ sanguinem fuderat: Bethsabee namque, delitiis potiùs, quàm cruore conspurcarat: cur igitur non tam à sanguine, quàm à sanguinibus se cupit liberandum? quia non tam nunc agit, de damno quem intulerat Princeps, quàm de pœnis, quas legum violator pertimebat: Scilicet duplici titulo, & adulter, & homicida, iustæ se neci agnoscebat obnoxium; Vnde meritò *sanguines* expressit, qui duobus reatibus capitalibus se senserat obæratum: quasi si duplicem sanguinem, id est duplicem vitam sortiretur, vtramque vtrique violatæ legi debitam, & à Deo, nisi piissimo fateretur extorquendam. Hamerus sæpè citatus, ad cap. 20. Genes. ad hunc locum, *Neque Dauid Rex, tametsi adulterij, & homicidij conuictus, formam boni Principis amisit, sed pœnas adulteris sancitas pertimescit, & his verbis apud Deum deprecatur: Libera me de sanguinibus*, &c. *Sanguines appellas capitale crimen, & pœnam vltimi supplicij, adulteris & homicidis decretam: à qua Rex eripi petit.* Vbi obiter nota, sub tam graui vtroque crimine, non adhuc Dauidem putari, *formam boni Principis* amisisse, ex eo scilicet, quòd adhuc legales pœnas, à Deo recipiendas reuereretur: re enim verâ, non adhuc in Tyrannum degenerat, qui quandoque (homo est) peccat, qui leges, fragilis transgreditur: sed qui impudenter legibus conculcatis sic insultat, quasi nihil pœnarum perhorrescat, quasi in totius Imperij ruinam iam prolapsus.

1315. *Sic legum pœnæ subditos Princeps coërceat, vt interim se à Deo consideret coërcendum.* Psal. 50. 16.

Hamerus

Rex non tam priuatu vitijs, quàm legibus conculcatis degenerat in Tyrannum.

1316. Et habet quidem hoc optimum reuerentia ab ipso Principe, iustis legibus exhibita, quòd Proceres vtplurimùm effrænes ab earum violatione sic compescit. Viget adhuc, heu dolor! illius exametri querela;

Reuerent enim fodiginæ legibus insultant.

Dat veniam coruis, vexat censura columbas.

Solum innocenti popularium turbæ, aut saltem minus noxiæ, legum vindicta, imposita videtur; quam Magnates irrident: qui eò se regio fastigio æstimant proximiores, quò se impunè magis præsumunt peccaturos: vt sic leges habere, ad fucatam Politicæ concordiam, non tamen legibus obligari, ex impotenti superbiæ fastu videantur. Ignem venit Christus mittere in terram, diu oppressa dumis gentium noualia, cupiens repurgare: vt quidquid naturalis luxus squalefecerat, quidquid brumalis rigor arefecerat, artifici consumeret incendio: sicque humani cordis ager, longa sterilitate exhaustus, suo ipso cinere saginatus pinguesceret; vnde Euangelicæ legis semini suscipiendo, aptus & commodus redderetur. Quæ postquam fusiùs explicat D. Petrus Chrysologus serm. 164. sic subiungit: *Sed hic ipse cultus non est nouus agricolæ veteri, & cælesti: nam legem pangere, gratiam serere, ignis semper*

D. Chrysol.

semper opere consueuit: daturus legem, ignem præmisit in rubo. Nunc iam pende, qualem hunc rubum, Moysi visum, describat Sacer Textus. *Apparuit ei Dominus, in flamma ignis, de medio rubi: & videbat, quòd rubus ardeset, & non*
Exod.3.2. *combureretur.* Exod.3. vers.2. Et cur ingratus rubus, amabili huic incendio non succumbit? Cur quod ad ostentationem portat, non concipit ad
D.Chrysol. effectum? Respondet idem Chrysologus. *Diuinum rubus portauit, non concepit incendium: iam tunc aculeis malitiæ plenum, & ingratum culturæ legis populum, præfigurans.* Ingratus itaque & verè spinosus Populus Iudaicus, sic culturæ legis portator, sic legi subiectus volebat existimari, vt tamen à lege corripi, non sustineret: inde se Dei populum malè iactans; hinc peius diuinis legibus insultans. Tale est, quod erga leges Reipubl. latas, eius Proceribus solet euenire.

1317. Sed quod durius est, iam etiam amici Procerum, & familiares, quasi iniquissimo horum fulti priuilegio, legibus insultare pariter non exhorrent. Mortuo Lazaro, *Multi ex Iudæis venerant ad Martham, & Mariam, vt consolarentur eas de fratre suo.* Ioan.11. vers.19. Sto nunc illorum sententiæ, qui hos confluentes Iudæos, piis Christi sequacibus non adnumerant: sed ex illis esse, qui Pharisaicæ Turbæ, & impiis, Sacerdotum Principibus adhærebant: ex quo iam non leuis oritur quæstio. Legem tulerant Sacerdotes, vt si quis Iesum, confiteretur Christum, *excommunicatus fieret extrà Synagogam:* Ioan.9. vers.22. Sicque, nullos mortalium, diriori vsquam odio prosequebantur, quàm pias has sorores, quas colendo Domino addictissimas denotabant. Vnde ergo hospites isti, qui, vt supposui, legitimam illam legem, (re verà iniquissimam) existimabant, excommunicatam familiam adire, legis latæ violatores non pertimescunt? Erat nimirum familia, inter populi Proceres, illustrissima: vnde amici hospites apud illam, & quasi sub illius clypeo, irridere legem, nec pœnas prætimere, fas putabant. Sic capio D. Basilium Seleucum Orat.2. de Lazaro, vt habetur in Bibliotheca PP. qui ad hunc locum ita. *Quà fiduciâ Iudæi eas solari audebant, quas Christum diligere non ignorabant? an non constitutum erat, si quis illum Christum esse confiteretur, eum mox extrà Synagogam, eiectum iri omnino. Interim calamitatis magnitudo, & personarum qualitas, illos ad hoc officium vrgebat: venerebantur enim illas, tanquam illustres fœminas. Aut certè qui aderant, improbi non erant.* Ac si dicat: Si hospites isti probi & pij erant, plana res est, debuisse impiam legem non attendere: si improbi, & iustè latam contra Christum legem credentes: putârunt legem illustrissimis fœminis, sibique in illarum obsequium cessuram, & impunè transgrediendam. Quàm id passim eueniat, erga leges, reipsa, iustissimas, deplorat Orbis.

Ioan.11.19. *Nec solum ipsi, sed eius etiam familiares, à legibus spretis, se iactant.*

Ioan.9.22.

D.Basil.

1318. Hanc igitur superbam, violandis legibus, Procerum præsumptionem, non aliunde efficaciùs compescit Princeps, quàm propriâ in leges reuerentiâ: quomodò enim temerè, in harum conculcationem prosiliant, quas à Domino suo, sic reuerenter vident obseruatas? Est hæc summa Reipubl. fælicitas, si à Proceribus, Populus, si Proceres à Principe suo legis obedientiam condiscant, quod etiam insensibilium exemplo, diuina nobis Politica manifestat. Dei potentiam

Principes obedientes legibus, omnes subditos eisdem faciunt obedientes.

celebrans Dauid, ita subiungit: *Ordinatione tuâ perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi.* Psalm.118. vers.91. Signanter diem expressit, Ps.118.91.
quasi ex eo, quòd diuinæ ordinationis legibus dies subiaceat, rectè cæterorum omnium subiecta seruitus inferatur. Et cur ita? Nimirum fecit Deus *Solem, in potestatem diei, Lunam & stellas in potestatem noctis:* Psalm.135. vers.8. & 9. Ps.135.8.
Id est, sub *diei*, & *noctis* potestate, hæc astra collocauit: nam, *fecit Lunam in tempora, Sol cognouit occasum suum.* Psalm.103. vers.19. Vt Luna, Ps.103.19.
noctis tantùm suæ signa, menstruâ vicissitudine ministraret: Sol, ad diei sui, quasi imperium, occasui incubiturus festinaret. Si ergo nobilissimæ insensibilium omnium creaturæ, astra scilicet, diuinæ legi obtemperare cognoscantur, viliora cætera eidem obtemperatura facilè agnoscuntur. At vnde, inquis, patebit hæc astra, diuinæ legis nutu, & non proprio motu, sic procedere? Quoniam si hæc astra, *diei noctique* seruiunt: quid-ni diuinæ ordinationi subiacebunt, cum sub hac ordinatione, dominos suos videant collocatos? Si ordinatione diuinæ legis, Princeps *dies*, & proinde *nox* regitur: audebit Sol & Luna, diuinam ordinationem, Principibus suis obseruatam, (dicèt. aliis creaturis, quasi Proceres emineant) violare? Audiendus D. Ambros. lib.4. Hexam. cap.2. Vbi ita. *Dispositione tuâ perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi. Etenim cui dies seruit, quomodò non seruit Sol, qui factus est in potestatem diei? quomodò non seruit Luna & Stellæ, quæ factæ sunt in potestatem noctis, &c. Pulchrè autem exposuit nobis Propheta, quid sit quod ipse ait, quod fecit* Deus Solem, in potestatem diei, & Lunam in potestatem noctis: *Nam & in isto Psalmo 103. scripsit:* Fecit Lunam in tempora, Sol cognouit occasum suum. *Cùm enim dies, horas suas complere cœperit, Sol debitum sibi cognoscit occasum. Est ergo in diei potestate, Sol, & Luna in potestate noctis, quæ temporum vicibus obedire compellitur: & nunc impletur lumine atque vacuatur.*

D.Ambr.

1319. Neque absunt scopo nostro, verba florida citati Ambrosij, quæ intersecui, seorsim claritatis ergo, nunc reddenda: de die ergo, nocte, & Astris, diuinæ ordinationis legem osculantibus, ita S. Doctor. *Etenim quantò maiorem his gratiam Creator donauit, vt aer solito amplius, Solis claritate resplendeat: dies serenus luceat: noctis illuminentur tenebræ: per Lunæ stellarumque fulgorem, cælum velut quibusdam floribus coronatum ita ignitis luminaribus micet, vt Paradiso putes vernante depictum, spirantium rosarum viuis monilibus renitere. Quantò igitur his amplius decoris videtur esse collatum, tantò amplius debent: cui enim plus committitur, plus debet.* Videant ergo quantùm æquissimis Iuris publici legibus, à Deo quodammodò dictatis, Princeps, eiusdémque Proceres debeant, qui honoris tantùm præ cæteris popularibus, à Deo acceperunt: ne vnquam iura transgredi præsumant. Profana multa & optima dedit Ioannes Chokier lib. 2. cap. 2. tu legeris.

Quo quis potentior, eò obedientior legibus, esse debet. D.Ambr.

III.

Leges non temerè, sed solùm vrgente necessitate, immutandæ.

1320. ILlud insuper solenne habeant probi Principes, quo Augustus Cæsar, Senatum Romanum fertur cohortatus, apud Dionem lib. 52. *Positas semel leges constanter seruate: nec vllam earum immutate: nam quæ in suo statu, eadémque semper manent, & si sint non nihil vitiosa, vtiliora tamen sunt his, quæ per innouationem, vel meliora, inducuntur.* Quid fiet in illis legibus, quibus, cum nulla adhuc ex parte claudicent vitiosè, inutiliores aliæ subrogantur? Nihil magis Rempubl. perturbat, quàm frequens ista legum abrogatio, & innouatio: minùs prouidè condita est lex illa, quæ paulò post præcipitur abolenda: nullum est ita efficax medicamen, quod in transcursu prosit: Neque legali sapientia curabuntur subditi, quibus de vagâ Principis indole, immorari certis fixísque remediis non conceditur. Non hinc abest suauissima illa acclamatio Ecclesiastici: *Beatus vir, qui in sapientiâ morabitur.* Cap. 14. vers. 22. Tam grande bonum, prima sui inuentione, fælicitare quosuis videbatur: nihílque esse pretiosum, quod secum, vbi primum se conferat, non afferat sapientia: neque tamen id voluit sacer Scriptor: sed fructus beantes, ex solâ immoratione capiendos. VVerricus ibi in Sylu. Allegor. de vagi ingenij hominibus locutus: ita. *Ad tempus credunt, & ad tempus recedunt. Quare recedunt? quia radices non habent, quibus teneantur: quomodo autem radicari poterunt, nisi immorentur? Sic iustus plantatus in domo Domini, nec fundari, nec radicari in charitate poterit, nisi morâ & stabilitate loci.* Perinde est in legali sapientia: leges si passim immutes, nunquam subditos in Iustitia firmabis radicitùs: scilicet vbiuis variati corticis, cum tædio, amaritudinem, nec vnquam nuclei suauitatem degustantes. Vnde Thucydides (quem dedit Chokier) lib. 3. ait: *Eam Rempubl. quæ malis quidem, sed tamen immotis legibus vtitur, præstantiorem esse, illâ, quæ bonis quidem legibus vtitur, sed mobilibus tamen, & inconstantibus.* Quod dictum grano salis conditum, haud malè habet: nil enim è bonis legibus, sed passim variatis, nisi perturbatio Reipubl. suboritur: cùm sub minùs æquis legibus, sed stabilibus, non rarò quædam Gentes vtcunque vigeant: quæ forent sub æquis, & immotis legibus fælicissimæ.

Dion. — *Latæ semel leges non temerè mutandæ.* — *Leges parum stabiles, nil prosunt.* — *VVerric.* — *Virtus morata, perficitur.*

1321. Et aptè ab VVerrico, Arborum huc adducta similitudo. Funditur semen fælicis terræ glebis: aut aptæ foueæ surculus inseritur: qui breui, in viroris profunditur amœnitates: quid stultus agricola, identidem transplantes perdendum, qui nusquam agens radices, multò citiùs, quàm fronduerat, arescat, necesse est? Hinc Dauid: *Iustus, vt Palma florebit, sicut Cedrus Libani multiplicabitur.* Psalm 91. vers. 15. Nulla arborum, palma serior demittendis radicibus, frondibus emittendis: ideo *Iustus*, id est, legali iustitiæ obtemperans, palma dicitur, quia certis legibus immoretur opus est: & vtinam adhuc talis non arescat, vtinam, licèt serus germinârit. Vnde enim, te iusta lex, iustum reddiderit: cuius imbibendo placito, cuius transfundendo ingenio, huc ac illuc subductus temerè non assuescis: acutè in re simili Seneca, epist. *Certis ingeniis immorari, & enutriri oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est, qui vbique est: in peregrinatione vitam agentibus hoc euenit, vt multa hospitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat, necesse est, iis, qui nullius ingenio se familiariter applicant, sed omnia cursim, & properantes transmittunt.* Caue igitur subditis leges itroges, quas, te rotante, cursim & properantes transmittant: habebunt quidem hospites leges, non amicas, quarum familiari obsequio, in perpetuo transitu nequeunt assuescere. Propterea lex diuina, seu vera sapientia, de se testatur, quod *in hæreditate Domini moretur.* Eccles. 24. vers. 11. *Quod in electis mittat radices* vers. 13. concludens tandem. *Et sic in Sion firmata sum, &c. Et radicaui in Populo honorificato.* Vers. 15. & 16. Quasi ni firmaretur, non mitteret radices: neque absque radicibus, Reipubl. illius populum ad honorificam fælicitatem promoueret. Et putes, non id humanis legibus necessarium? Non medentur certè, nisi applicentur, nec in transitu poterunt applicari. Seneca citatus. *Non prodest cibus, nec corpori accedit, qui statim sumptus emittitur: Nihil æquè sanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio: non venit vulnus ad cicatricem, in quo remedia tentantur: non coalescit planta, quæ transfertur: nihil tam vtile est, quod in transitu prosit.* Hinc hiantia passim Reipubl. vulnera, nec vnquam ad cicatricem obducta, quia nunquam sub certæ legis remedio perseuerant: hinc flaccidum Imperij corpus; quia vix sumptum legis cibum, statim præcipitur regerere.

Instabilis vero & varia, arescit subito. — *Psal. 91. 15.* — *Senec.* — *Vni Magistro, diu adhærendum.* — *Eccl. 24. 11.* — *Vers. 15.* — *Senec.*

Igitur sub æquissimis iis legibus, quibus Reipubl. fælicitas parta est, quibus Imperij vigor exortus creditur, etiam nutriatur, & augescat opus est. Exemplo humani corporis, totius Reipubl. corpus (etiam præmonstrante Apostolo) gubernandum, omnes Politices Scriptores adnotârunt: at certè non aliunde humanum corpus fæliciùs augetur, aut nutritur, quàm per easdem causas, quibus exoritur. Pulchrè Fauorinus Philosophus, in celebri illâ dissertatione, de Infantium educatione, apud Agellium, ita. *Cum sit publica detestatione, communique odio dignum, in ipsis hominem primordiis, dum fingitur, dum animatur, inter ipsas artificis naturæ manus, interfectum iri: quantulum hinc abest, iam perfectum, iam genitum, proprij atque consueti, atque cognati sanguinis alimoniâ priuare? sed nihil interest, (hoc enim dicunt) dum alatur, & viuat, cuius id lacte fiat. Cur igitur iste, qui hoc dicit, si in capescendis naturæ sensibus tam absurduit, non id quoque nihil interesse putat, cuius ex corpore, cuius ex sanguine, concretus homo, & coalitus sit? an quia spiritu multo, & colore exalbuit, non idem sanguis est, nunc in vberibus, qui in vtero fuit? Nonne hâc quoque in re, solertia naturæ euidens est, quòd postea quàm sanguis ille opifex, in penetralibus suis, omne corpus hominis finxit, aduentâte iam partûs tempore, in supernas se partes profert, & ad fouenda vitæ atque lucis rudimenta, præsto est: & recèns natis, notum & familiarem victum affert?* Sic prouida natura noluit, vt fœtus inde vterum, & aliunde vbera mendi-

1322. *Sub æquis legibus, partû Imperium: eisdem conseruandum.* — *Agel.* — *Lac maternum, cur vtilius.*

men&icaret: sed constanter inde nutriri, vnde genitus fuerat, præcepit. Breuiùs, sed bene Cælius Rhodig. lib. 9. cap. 12. *Sanguine nimirum, vtero dum gestamur, ali nos, palàm fit: ex sanguine porro concinnatur lac, modicam, in vberibus, mutationem indeptum: quo argumento, Matris lac, alimonia in primis censetur accommodum, quia & consueta sit, & per propria.* Marcessit quidem infans, & sæpe visus languescere, si vbera variat: degeret vt plurimùm optimè, si vnde vitam accepit, inde etiam acciperet alimentum.

Cel. Rhodig.

1323. Ideo scitè Beda, ad piæ fæminæ præconium illud, Christo decantatum: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Luc. 11. sic habet in Cat. contra eos, qui Christum in corpore phantastico apparuisse blasphemârunt. *Quâ consequentiâ eius lacte credatur nutritus, ex cuius semine negatur conceptus: cùm ex vnius, & eiusdem fontis origine, secundum Physicos, vterque vigor manare perhibetur?* Quasi dedeceret, si Christus aliunde, aut verum corpus sumeret, aut phantasticum, à Mariâ enutriri, & minùs proprio congenitóque alimento educari. Vnde & Claudianus in Phœnice, quem Sol, vitali fulgore ferit, & immisso gignit incendio, subdit:

Lac Deiparæ Christo aptum.

Non epulis saturare famem, non fontibus vllis
Assuetus prohibere sitim, sed purior illum
Solis feruor alit.

Phœnicis ortus, & victus. Claudian.

Vt ab ipso Sole, & vitam & victum sumere intelligatur: non aliunde æternitati æmulus, nisi quia variato vigore non corrumpitur. Perinde est, in re nostrâ. Sub æquissimis & priscis legibus exortum Imperium, vigens Reip. corpus, eisdemmet fæliciter conseruatur: consuetâ, per propria & familiari institutione crescit, ab eodem fonte, vitam participans, & victum. Sæpe alienum lac, & pinguius & præstantius est, quàm maternum, nescio tamen quomodò infantem maternis assuetum vberibus, minùs congruum soleat alterare, & perturbatis humoribus, ex parte lædere. Conuulsio statuti prisci, etiam vnde adiuuat, confundit. Ideo apud Catholicos, Politicos celebris illa D. Augustini sententia Epist. 118. tanti fit. *Ipsa mutatio consuetudinis, etiam quæ adiuuat vtilitate, nouitate perturbat.*

Mutatio legum, etiam dum adiuuat perturbat. D. August.

1324. Neque dicas, perpetuâ rerum successione, euentuum impulsu afflictam Remp. & nouâ specie immutatam, nouas leges, abrogatis prioribus, requirere: Crede mihi, non legum venerabilis canities, sed corrupta adolescentia morum, Remp. pessundedit: non ergo in leges sanctas, sed in perditos mores sæuiendum. Optimè cum Religionibus. v. g. ageretur, si quia languemus filij, si quia nutat status, Patrum regulas priscas reuellere, atque nouas obtrudere niteremur: esset hoc correctas, an potiùs euersas, velle religiones? Idem propemodum est in bene ab initio institutis Imperiis. Non itaque leges, pro moribus succedentibus abolendæ: Sed nouella morum corruptio, ad priscam sanctissimarum legum normam redigenda: vt ab eâdem causâ, Resp. pene emortua conualescat, vnde pridem florentissima est exorta. Languebat Archisynagogi filia corpore, sed Pater animo: illa membris prostrata, iste mente: properat ergo ad Saluatoris fontes dicens: *Quoniam filia mea in extremis est: veni, impone manum tuam, super eam, vt salua sit, & viuat.* Marc. 5. vers. 23. Mira petitio! si fidem suam, accipiendi beneficij, aut pretium pium, aut præuias & deuotas vsuras apparabat: quid manum orat: cùm verbum posset faciliùs, & ad fidem iactantiùs exorare? remedium rogat, & tenorem curandi, supremo Medico audet irrogare? & quid si Dominus, non tàm manu, quàm quouis alio instrumento, ægram puellam, disponeret recreare? Equidem potuit fidelior esse Centurio, tantummodò verbum postulans: sed certè Archisynagogis, familiare enuntians medicamentum, extitit doctior. Acutè D. Chrysol. serm. 33. *Ægrotus, non quemadmodum curetur, imperat: sed vt curetur implorat. Sed cum esset Archisynagogus, legis notitiam hic habebat: & cùm verbo cætera; hominem manu Dei legerat figuratum: credidit ergo Deo: quia eadem manu, quâ creatam senserat filiam, recreari & reduci posset ad vitam.* Scilicet existimabat prudenter, res solummodò aptè conseruari, eisdem causis, quibus ortæ fuerunt. Spernendum ergo illorum iudicium: qui Remp. sub his certis legibus natam, aliis contendunt enutriendam: Nunquam enim congruum, Imperio fastigium adduces, nisi iacto fundamento correspondeat.

Non ad corruptos mores, lex varianda, sed mores potiùs ad legem redigendi. Marc. 5. 23.

Res fæliciter eadem virtute restituitur, quâ olim fuerat producta. D. Pet. Chrys.

Non tamen proinde vetuerim, legem aliquam priscam, tantisper immutari, si temporis, & aliarum circumstantiarum iustissima conspiratio id exposcat: prudenter enim Eusebius Gallicanus Homil. in Quinquages. ad illud Christi: *Sedere autem ad dexteram meam, & sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* Matth. 20. vers. 23 sic scribit. *Hæc dispositio non est hominis, non est huius temporis: ab æterno factum est, quod modò fieri postulatis: simul cum Patre, ante tempora dispositus, neque iterum disponere habeo, quam sedem ibi vnusquisque suscipiat.* Quasi sola diuina lex sit immotabilis: hominis verò, & temporis leges, licet non ad libitum, pro ingenti tamen necessitate, vicissitudini manserint obnoxiæ. Erit nihilominus Principis egregiè imperantis, quantum fas fuerit, non tàm priscas leges rescindere, quàm ad rerum & temporis circunstantias attemperare: & Reip. quasi nouam speciem sumenti, antiquam legem, quasi nouo habitu indutam exhibere. Lex scripta & Moysi tradita, totam animam è Decalogo accipiebat: cætera, quæ ceremonias & vmbras inuoluebant, legem potiùs tunc comebant, quàm formabant. Non ergo adueniente iam Christo Domino, noua Decalogi lex, sed eadem longè comptiori cultu exhibetur: tolluntur tanquam inutiles laciniæ: & innouatæ Ecclesiæ, lex sub gratiæ splendoribus renouatur: amouet vitulorum & hircorum rubricas: quia iam solo cælestis agni sanguine rubricata, vt gratior imperat, efficacior obeditur. Similes mi Princeps mutationes, non iniuriam, sed auctoritatem legibus conciliant. 1325.

Solum diuina & absoluta lex est immutabilis. Matth. 20. Euseb. Gall.

Humana lex quoad fieri potest non est abolenda, quàm emendanda.

Non dedecet Principem, si qui togatus Ciues ducebat, milites paludatus iam præcedat: decentissimè lex habitum poterit commutare, vt commutatum Reip. statum, ducat fælicior, dummodò vna perseueret, prudens nouis, sed non extraordinariis coloribus succumbit. Huc facit, quod de Israelis dicitur ducatu: *Dominus autem præcedebat eos, ad ostendendam viam, per diem in columnâ nubis, & per noctem in columnâ ignis: vt dux esset itineris, vtroque tempore.* Exod. 13. vers. 21. vnam & eandem fuisse vtriusque temporis columnam, statuo cum sententiâ communi, & satis ex c. 14. vers. 20. (maximè apud Lxx in Sixt.) confirmatur: 1326.

Vt habitum potius, quam formam mutasse videatur. Exod. 13. 21.

tur. Quæro igitur, cur saltem sub eodem ignis habitu, qui etiam in die poterat splendere, non semper perseueret? quid opus erat speciem variare, quæ posset immutata, ducatum exhibere? Sed audiendus Saluianus lib. 1. de Prouident. vbi ita de Synagoga: *Agit iter sine itinere, viatrix sine via: primo Dei diuino consilio honorabilis, ductu ca esti potens, sequens mobilem columnam, nubilam die, igneam nocte, congruas colorum diuersitates, pro temporum diuersitate sumentem: scilicet vt diei lumen; imbri obscuritate defenderet, & caliginem noctis, flammeo splendore claritatis irradiaret.* Talem igitur in lege iusta ducatum commendarem, similes diuersitates, pro temporis conditione non repellerem. Columna illa (aliàs constantiæ symbolum) nihil firmitudini suæ derogauit, licèt se mobilem, & insuper variatis coloribus, præberet insequendam. Constans perseuerat lex, licèt quandoque dissimulatâ constantiâ, & mobilis, & sub diuersâ specie, tempori se accommodans videatur.

Saluian.

1327. Non potest infamari lex iusta, prudentis variationis titulo, quo iustissimos eiusdem Administros nouimus commendatos. Cùm Principem Ministros, *Dextras Principum*, (vt alibi latè probaui) vocare soleamus: meritò Salomon, sub manuum metaphorâ, sanctissimos Christi Ministros explicauit: non tamen carent nouo mysterij pondere eius verba: *Manus illius tornatiles aurea plenæ hyacinthis*, Cant. 5. v. 14. Si pretiositas à gemmis quæreretur, quæ iustorum excellentiam figuraret: credo, Adamantes potiùs seu Pyropi, pretiosiores longè huc vocarentur. Quid in hyacinthis sic repræsentandis iustis singulare, vt relictis pretiosioribus lapillis, necessariò huc venerint admittendi. Pulchrè Honorius ibi, in Cat. Delr. post alia de his iustissimis Administris, *Bona operantes, sunt irreprehensibiles coram hominibus, vt aurum lucentes: qua manus plenæ sunt hyacinthis, quia solâ spe, & desiderio cælestium sunt laborantes. Hyacinthus quippe lapis est aerij coloris, vel viridis, & cum aurâ mutatur. Tales sunt sancti, in virtutibus virentes, & cælestia appetentes, & mores pro temporibus mutantes.* In mutatâ virtute, mores pro circunstantiarum varietate, commutant iusti: tempori, & illorum, quos tractant, ingenio, quantùm rectitudo patitur, se accommodantes. Si igitur iustos, ad hunc modum lex iustitiæ informat, non indecenter ipsa, ad eundem tenorem, cùm tempus & res postulant, conformabitur.

Virtus pro temporum circumstantiis prudenter commutatur.

Cant. 5. 14.

Honorius.

1328. Hinc est etiam, vt pro qualitate personarum, sic aliis quandoque laxetur, vt aliis restringatur. Nunquam lex humana æquiùs, aut stabilius procedit, quàm dum sibi naturalem legem proponit imitandam, hæc autem nunquam magis eadem, quàm dum sub hac varietate enitescit. In curru illo Ezechielis cap. 1. Mundum intelligi voluit Tertullianus, (si fortè est iste) lib. de Trinitate cap. 8. quem ideo oculata vndique cingerent animalia, vt tanto contemplando operi sufficerent. *Per omnes ortus*, inquit *stellata sunt oculis: Dei enim opera peruigili obtutu contemplanda sunt.* De eodem Mundo capit illud Dauidis: *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium*, Psalm. 67. v. 18. vbi tamen non est facile inuenire; cur, qui vt plurimùm rotæ volubili solet comparari, per expeditam in his locis quadrigam exprimatur. Cur enim Mundus immensus penè & infinitus, quando à Dei spiritu dicitur gubernatus, non potiùs saltem sub ingentis alicuius vrbis, quàm sub vnius currus specie figuretur? Puto, quia nullibi variatus habenarum tenor, quàm in curru, exprimitur manifestior: lex autem naturalis, quam velut Aurigam huius Mundi hominibus Deus imposuit, non aliunde æquior appareat, quàm dum alios cohibens, alios impellit: meritò Mundum, quasi currum dirigere, prædicatur. Nunc capies citatum Tertullianum, qui post multa sic concludit: *Hic est igitur currus, secundum Dauid, Dei: currus enim Dei, decies millies multiplicatus: id est innumerus, infinitus, immensus: sub iugo enim naturalis legis, hominibus data, alia quasi frenis reuocata retrahuntur: alia quasi effusis habenis excitata impelluntur.* Non est gubernare currum, sed vel situ fœdare, vel frangere præcipitio, si omnes ad omnia pari habenarum tenore disponantur: prudens vicissitudinis vsus, optimè aurigantem legem stabilit.

Lex etiam pro qualitate personarum varietur.

Ezech. 1.

Tertull.

Psal. 67. 18.

Tertull.

Imprudenter igitur, saltem lex Politica, (quæ non tam naturæ morbos, quàm diuersorum in Republ. ordinum, affectus curat) immobilis, & absque personarum respectu euibratur: fæliciùs longè subditos directura, si vna eadémque sic videatur mutari, vt dum alios excitat, alios compescat. Diuinum se, legislatoribus exemplar, Paulus exhibuit: si enim quæris ab Interpretibus, quid potissimùm in Epistolis ad Timotheum, & Titum ageret Apostolus? Respondent sacros Canones, Episcopis obseruandos condidisse. Nunc ergo iam pende, quid ad Timotheum suum: *Argue, obsecra, increpa, in omni patientiâ & doctrinâ*, 1. cap. 4. vers. 2. Sed vide quid postea Tito dilectissimo scribat, *Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio: nemo te contemnat*, cap. 2. vers. 15. Nihil dissimilius poterat enuntiari: illi quasi restrictis frænis, patientia imperatur: huic autem habenis laxatis, imperium committitur. Quid ita? Episcopalis norma, ad personarum varietatem variatur. Prudentissimè, vt solet, Magnus Gregorius homil. 11. in Ezechiel. *Apostolus, qui Titum admonet dicens*, argue cum omni Imperio: *Timotheum exhortatur dicens*: argue, obsecra, increpa cum omni patientia. *Quid est, quòd vni imperium, & alij patientiam præcepit? nisi quòd vnum lenioris, alterum verò feruentioris spiritus esse conspexit. Leni per auctoritatem Imperij, iniungenda erat seueritas verbi: is autem, qui per spiritum feruebat, per patientiam temperandus fuerat: ne si plus iusto inferuesceret, non ad salutem vulnerata reduceret, sed sana vulneraret.*

1329. *Nam diuersi personarum ingenijs diuersa legislatoris præcepta impenenda.*

1. Tim 4. 2.

2. Tit 2. 15.

Hoc est, quod de iure legum, conseruandæ Reipublicæ putaui statuendum: cuius defectu, euersas frequenter Imperij vires condolemus.

***

IV.

IV.

Viua lex est, morúmque norma, vita Principum.

1330. *Lex viua & efficax est, Principum exemplum.*

QVantùm æquis, vel iniquis legibus, Imperio Princeps proficiat, vel officiat, hucusquè vidimus: longè tamen efficacior, vtpote viua, lex alia est, ad cuius normam, vel prauè deformantur, vel rectè subditorum mores corriguntur: scilicet vita Principis. Huc recidit decantatissima illa Claud. Gnome apud Politicos Scriptores: *Regis ad exemplum totus componitur orbis*, de quâ vt necesse est scribere: sic etiam multa congerere superuacuum: cùm vbiuis huius doctrinæ cumulatissimas messes, vel etiam vulgaris lector, nullo negotio sibi parare queat; delibo pauca, ne officio denotet defuisse. Grauiter in primis Plinius in Panegir. ad Traianum: postquam optimos quosque, ab illo in Præfecturas, euectos celebrat, sic concludit. *Hos ergo prouehis, & ostentas, quasi specimen, & exemplar, quæ tibi secta via, quod hominum genus placeat. Et ideo non Censuram adhuc, non Præfecturam morum recepisti: quia tibi beneficijs potius, quàm remedijs, ingenia nostra experiri placet. & alioqui nescio an plus moribus conferat Princeps, qui bonos esse patitur, quàm qui cogit, &c. Vita Principis, Censura est, eáque perpetua: ad hanc conuertimur: nec tam Imperatore, nobis opus est, quàm exemplo.* Quia vt Principis Tyranni est, non pati, id est odio habere Ciuium virtutes; sic boni Principis, ciues ad virtutem, legum censurâ cogere; at optimi illud Principis testimonium, si non tam cogat legibus, quàm patiatur, id est solicitet, viuâ illâ morum suorum censurâ, vita in exemplar propositâ: quæ omni lege rem peragit efficacior.

Claud.

Plinius.

1331. *Omnes subditi, mirificè vniformes degunt, si ad publi Principis exẽplar conformentur.*

Vt ergo, nihilò fælicius Resp. eueheretur, quàm si omnes Ciues, pari, & consimili morum sanctitate niterent: sic non aliunde aptiùs aut effi acius concors hæc similitudo comparatur, quàm si talis vita Principis floruerit, vt omnibus ad imitandum Prototypum esse queat. Est hoc illud Magni Basilij serm. de Instit. Monachor. *Vt enim si plures Pictores, omnes, separatim quisque, vnius oris alicuius formam effingant: effictæ omnes illæ imagines, similes inter se sunt: eodem modo si multiplicia multorum ingenia, animi vnius alicuius constantes mores, sibi imitandos proposuerint: præclara in cunctis vita forma eluceat, necesse est.* Inde è contra est, vt nihil, in Reip. euersionem, seueriùs distringat Deus, quàm cùm mali exempli permittit Gubernatores, vtpote ineuitabili contagio Populum infecturos. Propterea Deus, post multa de perditissimo Israele: *Omne Caput languidum, & omne Cor mœrens: à planta pedis, vsque ad verticem, non est in eo sanitas.* Isai. 1. vers. 5. Regia tantummodò membra caput scilicet & cor expressit morbida, & cùm alia subticeret, nihilominus, nihil in toto corpore sanum deplorauit; quia vt bene Anacletus Primus Epist. 3. *Pro meritis plebis, sæpe Pastores deprauantur Ecclesiæ, vt procliuius corruant, qui sequuntur. Capite videlicet languescente, reliqua membra corporis inficiuntur: vt scriptum est: omne Caput languidum, & omne Cor mœrens, à planta pedis, vsque ad verticem, non est in eo sanitas.* Perinde est in Imperiis etiam profanis: vbi quò solet esse effrænatior libido, & vitiorum materia profusior, potentiáque districtior: eò etiam contagium, si fortè minus perniciosum, magis licentiosum, & patens latius.

D. Bas. Mag.

Seuerissime punitur Populus cum praui exempli Principe oritur.

D. Anaclet.

1332. *Res est contagiosa, exemplum prauum.*

Et meritò, non vtcunque, sed per contagium, infectos, praui Principis exemplo, subditos affirmaui: nulla enim pestilens aura, mortalium ita corpora corrumpit: vt ad pestilentis exempli flatum, mores contabescunt. Festina voti, & anxia desiderio, clamat ad Christũ, fidelium congregatio: *Trahe me post te: curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Cant. 1. vers. 4. Innumera erant, per quæ, Christi virtus, & concupitum auxilium explicaretur: quod tamen solummodò per odorem hîc exprimitur. Quæris causam? contra pestilentem auram, nulla, pretioso aromate, antidotus efficacior: timebat ergo sibi fidelis Congregatio, à vicino impiæ congregationis exemplo, vtque contagiosum denotaret, sub specie præseruantis aromatis gratiam solicitabat. Gellibertus serm. 13. *Corrumpunt bonos mores exempla praua: trahe nos, bone Iesu, in odorem vnguentorum tuorum, ne pestilens aura, de vicino erumpens, salem sapientiæ in nobis infatuet.* Verum hoc vbique verissimum in re nostra: nam vt bene Panegyrista: *Flexibiles, quancunque in partem, ducimur à Principe: & vt ita dicam, sequaces sumus.* Sequax dicitur, qui sic ducitur, imo trahitur, vt cum sponte moueri videatur, motum tamen non valeat cohibere. Quam ergo frustra, pestilentis auræ, vel salubris flatûs spiraculis, legem poneres, ventos satagens gubernare: tam incassum, regij exempli tentares efficaciam impedire. Nihil mi Princeps edicto præstas, si claudicas exemplo: quippe

Cant. 1. v. 4.

Gellibertus.

Plinius.

Exemplum regium, non solum sequentes subditos habet, sed sequaces.

——Non sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quàm vita regentis:

Claudian.

Quod ex Claudiano, etiam pueri nôrunt decantare, Regibus, nescio vnde obsurdescentibus: & cum Baltasare, Imperio suo, ruinam machinantibus.

1333. Sæuit in legitimum Cæli Principem, Terræ Tyrannus: furit in Christum, Herodes: & tamen, qui neci, in salutem nostram, descenderat destinatus, Ægyptum penetrat, mortem fugiturus: ideo de Ioseph, ab Angelo, admonito dicitur: *Qui consurgens accepit puerum, & Matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum.* Matth. 2. vers. 14. vbi acutè dubitat Chrysologus: *Qui mori venerat, quare fugeret mortem?* & respondet acutiùs: *Christus totam causam nostræ salutis occiderat, si se paruulum permisisset occidi.* Non est intellectu facilis hæc responsio: Cur enim occisus paruulus, salutis nostræ causam, dicatur occisurus? Non erat eadem etiam in paruulo, diuina persona, cuius diuini sanguinis stilla, imo lachrymula, plus quàm satis debitis nostris satisfaceret? nõ ne poterat sub illâ ætate, morum nobis præcepta relinquere, legem gratiæ statuere, qui licèt, quà homo, Infans: quà Deus, Verbum Patris loqueretur? planè poterat: Sed qui Redemptori per legis & præceptorum obedientiam, debemus correspondere, præcepta adimplere eximiæ perfectionis non possemus, quæ solo cælestis Principis edicto, & non etiam exemplo firmarentur. Necesse ergo fuit, vt vir inter nos viueret, agnitus obseruare, quæ iubebat: aliàs enim salutis nostræ negotium perire videretur, qui legi succumberemus, nisi legislatoris vitam, tanquam effica

Matth. 2. 14.
D. Chrysol.

Cur omni præcepto, & edicto, efficaciùs exemplum habeatur.

efficaciorem morum normam, atque censuram optimam sortiremur. Explicuit se apertissimè Chrysolog. sic subiungens. *Christus venerat, vt quos præceptis docuerat, firmaret exemplis: & ipse faceret, quæ facienda mandauerat: & visu probaret possibilia, quæ impossibilia videbantur auditu.* Imitetur cælestem, terrenus meus Princeps: neque sacrilegè se putet prudentiorem, quasi humanos sensus, edicto potiùs quàm vitâ valeat inflectere: legem suam, diuina validiorem præsumens absurdissimè.

1334. *Dato exemplo probo, Princeps generosissimum se probat.* Nimirum suppuderet Christum Dominum, ni faceret quæ docebat: si enim recta erant, quæ nobis imperabat, cur à recto tramite, exemplum egregium inuidens, exorbitaret? cur ea iuberet, queis tanquam minùs dignis, præire non decebat? Eadem modestus Princeps secum reputet. Quòd si dixerit, non ex indecentiâ, sed ex impotentiâ, suis non præire: an non inde erubescat, quòd subditis, tanquam generosioribus, id oneris imponat, cui se fatetur degener, succubiturum? Exemplum ergo Principis, vt iustitiam legis corroborat, viua lex: sic etiam eiusdem generositatem commendat, visu possibilia probans, quæ fortè auditu viderentur impossibilia. Grauissimè D. Irenæus lib. 3. cap. 20. disputans contra eos, qui Christum in corpore phantastico, & non verè passum blasphemabant, sic ad rem nostram concludit. *Hoc autem illis occurrit, qui dicunt eum putatiuè passum; non verè passus est? nulla gratia ei, cùm nulla fuerit passio: & nos cùm inciperemus verè pati, seducens videbitur, adhortans nos vapulare, & alteram præbere maxillam, si ipse illud, non prior in veritate passus est. Et quemadmodum illos seduxit, vt videretur eis ipse, hoc quod non erat: & nos seducit, adhortans perferre ea, quæ ipse non pertulit. Erimus autem & supra Magistrum, dum patimur, & sustinemus; quæ neque passus est, neque sustinuit Magister.* Vnde obiter illi Principes traducuntur, qui cùm coerciuâ legum vi immunes se nouerint, directiuæ tantummodò phantasticè subduntur, eo ipso, præstare sibi subditos, confessi, quorum humeri reapse oneri non succumbunt, quo ceruices regiæ, nisi veniret phantasticum, opprimerentur. Horum ergo vt vmbratile pondus, sic etiam gloriam vmbratilem irridemus. Sed redeo ad viuam Censuram exempli regij.

D. Iren.

1335. *Dispensationibus crebris, lex eneruatur: optimum ergo exemplū Principis, quo dispensationes præcidūtur.* Habet illa, hoc, præcipuè in rebus molestis, eximium, vt omnes dispensationis (quæ legis solet esse venenum) ansas detruncet: nemo enim subditorum, nisi effrons, vacationem oneris postulare audeat, cui videat Principem desudare: vt iam non lege, sed ipsa conscientia pulsante, se inde sentiant strictiùs obligari, vnde nec Dominum suum sentiunt excusari. Inculcando mutuæ charitatis præcepto, discipulorum pedes lauans Christus, ingerit statim: *Si ergo ego laui pedes vestros, Dominus & Magister, & vos debetis alter alterius lauare pedes: exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Ioan. 13. vers. 14. Nihil primo aspectu, his verbis planius, cùm tamen latens mysterium inuoluant: à maiori, ad minus, vt aiunt, procedit argumentum, & tamen quasi ab æquali, infertur conclusio, quæ neruosius sic inferenda videbatur: si dominus laui seruorum pedes: ergo serui non solùm debent, sed multò strictiùs debent inuicem lauare, vt non *quemadmodum ille, ita & isti*, sed etiam longè demissiùs ad idem faciendum tenerentur. Cur igitur non ita neruosè, præceptum hoc, cælestis Princeps putauit inculcandum? quia non tàm irrogatâ lege, quàm præuio exemplo, efficaciùs peractam rem videbat: nec tàm imperantis verbis, quàm obtemperantium pulsante conscientiâ, ad exempli conspectum, subditos animari. D. Ioannes Chrysostom. ibi, in Caten. Corder. *Vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. At qui, non est idem; ipse enim erat Dominus, & Magister: nos inuicem conserui. Quid igitur signat hæc particula, ita? id est, simili diligentia: propterea enim à maioribus rebus accipit exempla, vt saltem minùs faciamus. Consequens igitur erat dicere: quantò magis vos serui. Sed hoc silentio transiens, reliquit auditorum conscientiæ.* Retundit ergo sic Princeps, subditorum in egregiis facinoribus, & laboriosis operibus, instantiam, qui licèt pari diligentiâ incumbant ministerio, semper tamen ob dignitatem personæ, præeunti Principi se nosceunt inferiores: sub eadem hâc viuâ exempli censurâ, ad fortitudinem iuxta, & modestiam animi, promptissimi. Benè proinde Eusebius Gallicanus Homil. de vid. Gazophil. sic ad subditos optimi Antistitis. *Miror autem, quòd à me, officium exigui ac nudi sermonis exposcis, cuius perfectio eruditio: cuius vita, doctrina est, cuius magnificum, in sanctis & Apostolicis actibus, institutum, speculum vestrum est, ad quod imaginem, intra templum religiosa mentis excoluisis: cuius merita, etiam dum tacent, clamant: & aurem cordis nostri efficaciter pulsant, viuâ voce virtutum.*

Ioan. 13. 14.

Idque pulsante potius conscientia, quam verbo imperante. D. Chrysost.

Euseb. Gal.

Cælestis legis doctrinam, diuinorum præceptorum censuram, Mundo communicaturi Apostoli, meritò à Christo, *lux Mundi* appellantur: Matth. 5. vers. 15. hinc scilicet in Ecclesiæ Principes necessariò designati. Expende tamen, quid statim addatur. *Sic luceat lux vestra, coràm hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* Vers. 17. Leuior glorificatio foret, si solùm inspectis, non etiam cōmunicatis Apostolicis virtutibus, Deum, Orbis laudaret. Si igitur communicare has Apostolorum virtutes, non nisi acceptâ lege, homines poterant; neque lex absque prædicantium sermone poterat infundi: cur solùm allucere Orbi Apostolica opera, & non etiam verba, præcipiuntur? Respondet Eusebius Gallic. Homil. in hoc cap. Matth. ex ore Christi. *Lux, inquit, estis: & sermone & opere lucere debetis: magis autem operando, quàm loquendo proficitis: quia maior est splendor operis, quàm sermonis. Vnde non ait: vt audientes vestrum bonum sermonem, glorificent Patrem: sed quid ait? Vt videntes opera vestra bona, glorificent Patrem vestrum.* Quasi licèt sermonis splendorem, & legis doctrinam exponerent Apostoli, non tamen efficaciter, ad glorificandum Deum, subditos sibi auditores commouerent, nisi viuam morum censuram à propriæ vitæ exemplo euibrarent. Quam hoc in Principibus germanum! vnde passim à Politicis æquis celebratum illud Cassiodori lib. 3. epist. 22. *Facilius est errare naturam, quàm dissimilem sui, Principem posse formare Rempubl.* De quo multa Chokier lib. 1. cap. 9. 1336.

Mat. 5. 15.

Vers. 17.

Lux viuidior ab exemplo, quàm à doctrina. Euseb. Gal.

Totos Principum mores, exprimunt subditi.

Cassiod.

Postquam diuitias Abram, & Loth, memorat Scriptura, & gregum abundantiam, quos simul 1337.

terra

terra capere non poterat, subdit statim: *Vnde facta est rixa, inter pastores gregum Abram, & Loth.* Genes.13. vers.7. de pascuis putares contendisse, déque praeoccupandis concertâsse: singularem tamen aliam causam adducit ibi Lyran. *Hebraei dicunt, quod causa contentionis fuit, quòd pastores Lot, pascebant animalia sua in bladis alienis: pastores autem Abraham increpabant eos.* Credamus nunc, rem ita euenisse. Vnde tamen tàm iusti, quod rarò vsu venit, hi pastores, vt in pascuorum angustias redacti, non delinquerent, sed insuper delinquentes vicinos increparent? quia faciliùs natura aberrarit, quam Principis exemplum, ad mores suos, familiam non reduxerit. Ideo idem Lyranus. *Erant edocti in Iustitiâ, à Magistro suo: Non sic autem Pastores Lot.* Notabant pastores Abrahae in Principe suo, animum, per omnia, in aequitatem iustitiae, compositum, sicque ad illius exemplum formabantur, vt facilè dictata ab illo, Iustitiae praecepta retinerent: ab efficaciâ enim vitae Principis, in eiusdem leges vigor deriuatur. Imò nescio, an satis vnquàm iustè, ne dum prudenter, onus queat Princeps subditis imponere, quod ipse non expertus, in exempli vsque lucem, haud quiuerit proferre. Euectus Dauid à Deo in Thronum regni, vt pasceret Iacob, & Israëlem duceret faelicissimè, Psalm.77. vers.71. Qualem se, in moderandâ gereret Republ. explicuit statim, dicens: *Et pauit eos in innocentiâ cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.* v.72. Non tam cordatis mentis consiliis, & Iurisprudentię placitis scitissimis, quàm manuum intellectibus, suos deducit: quia efficaciùs exemplo, quàm lege regendos Populos agnoscebat: totius intellectus sagacitatem, è capite transfert in dexteram: quia vt benè Richardus Victorinus, lib.2. de Erudit. Inter. Hom. cap.18. *In intellectibus manuum suarum alios deducit, qui ad viam veritatis, quam per operum experientiam didicit, certis profectuum gradibus dirigit. Parua, & parum certa est illa scientia, quam non adiuuat & confirmat experientia.* Expertus ergo Dauid onera imponenda, & exemplo suo probans portabilia: iam quidquid legum conderet, dulce redderet: & quâ facilitate Pastor gregem, Populum Rex deduxit. Nolui plura, ad rem necessariam quidem, sed notissimam.

Gen.13.7. — Lyran. — *Serui, dominicos mores, imitantur.* — Lyran. — Ps.77.72. *Praeeat ergo gubernator, exemploque quia incerta est scientia, quã non firmat experientia.* — Rich.Vict.

V.

Quanti sit, Imperio conseruando, si Princeps, in meditullio Regni, sedem collocauerit.

1338. CVm probi Principis exemplum, sic veniat conseruandae Reipubl. & tuendo Imperio, necessarium: posset putare aliquis vtile fore, vt crebrò mutaret domicilium, & statis temporibus, certisque excursibus, nunc has, nunc illas Imperij sui vrbes habitaret: quò non vnius curiae, sed totius Regni incolis, vicissim alluceret. Sed quantum est ex hoc titulo, quidquid alij contendant, regiis his excursibus, mutandisque domicilis, non acquiesco. Verissimum enim illud Plinij ad Traianum in Panegyr. *Habet hoc primum, magna fortuna, quòd nihil tectum, nihil occultum esse patiatur: Principum verò, non modo domos, sed cubilia ipsa, intimósque secessus recludit: omniaque arcana, noscenda famae proponit, atque explicat. Sed tibi Caesar, nihil accommodatius fuerit ad gloriam, quam penitus inspici.* Vbique Princeps fuerit, semper in aperto est: Maiestas illa in edito est semper, vniuersis Regni prouinciis supereminet, vt nescio quomodò, etiam à remotissimis conspiciatur. Ideo ad Ecclesiae Principes, Christus: *Vos estis lux Mundi: Non potest Ciuitas abscondi, supra montem posita.* Matth.5. vers.15. Vbi benè Eusebius Gallicanus, Homil. in hoc cap. ita ad rem nostram. *Sic enim sunt Apostoli, & Episcopi suprà Ecclesiam, sicut ciuitas suprà montem, non possunt abscondi: omnium oculi ad eos respiciunt.* Et fortasse, ideo etiam *lux* dicuntur *Mundi*, quo nomine antonomasticè Sol vocatur; quia vt prudenter Seneca lib.1. de Clem. cap.8. ad Principem: *Tibi non magis, quàm Soli, latere contigit: multa circa te lux est: omnium in istam conuersi oculi sunt.* Non est itaque opus, vt Princeps, in exemplar vagetur; fixus etiam, vitij, vel virtutis, exemplum dabit, & illud magnum, vtpotè in distantes efficacissimum: excipit enim rumor, dicta factáque Principum: & ideo nullis magis cauendum est, qualem famam habeant, quàm qui, qualemcunque meruerint, magnam, & in omnes prouincias dispersam habeant, necesse est. Quid igitur de Principis domicilio sentiam: & an ex alio titulo, ad breue saltem tempus (praetereo bellicas, & longinquas peregrinationes, de quibus suo loco) Curia sit deserenda: paucis iam absoluo.

Principis vita, vitia vel virtutes, nũquam latere possunt. — Plin. — Mat.5.15. Euseb Gal. — Sene.

Principis Curiae, seu proprio domicilio, locum Regni medium assigno, vt quasi è centro, Imperij totius circunferentiam, faciliùs illustret, foueat, moderetur: hîc assistat Princeps, vnde suauiùs, totius Imperij negotia, ad se trahat. Est hoc illud, quod meritò in Antonio Pio, commendat Capitolinus, his verbis. *Ingenti auctoritate, apud omnes gentes fuit: cùm in vrbe propterea sederet, vt vndique nuntios, medius vtpotè, citiùs posset accipere.* Hinc Christus Dominus ad suos: *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Matth.18. vers.20. Alibi ad suos locutus, ait: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem saeculi.* Ibidem cap. vlt. vers. vlt. hîc autem, non solùm cum illis, sed etiam *in medio eorum*, futurum se esse dicit: puto, quia in hoc loco, non solùm amoris sui curam suauissimam; sed etiam regiminis sui, sanctissimam Politicem voluit exhibendam: tribuens enim discipulis suis ius soluendi, atque ligandi, vers.18. manifestè, non solùm se Principem, vt in cap. vltimo; sed Principem officio suo incumbentem, expressit: Principis autem vigilantis est, non vtcunque suis, sed eorum medio adesse. Et cur ita? Audiendus Oleaster infrà citandus. *Vbi fuerint duo, aut tres congregati in nomine meo, in medio illorum sum: tanquam scilicet Dominus, Magister, & Princeps, vt adsim eis, inuémque eos, & defendam. Ex quibus Reges & Principes discant, quid piaculi sit, ad angulos Regni, pro suâ propriâ commoditate, confugere: relinquentes loca, vbi commodiùs suis prospicere possint.* Nihil ignauiùs, nihil in hoc negotio, turpiùs Principi, quàm sub

1339. *Curia Principis cur in meditullio Regni, constituenda.* — Capitol. — Mat.18.20. — Mat.vlt. vlt. — *Vnde aptime, circumfusis prouinciis attendat.* Oleaster.

sub prætextu salubrioris, v.g. aëris, curiam in regni angulos deducere, aditu difficiles, extremis subditis: cùm re verà contra ius officiosi regiminis, mera tantùm voluptatis irritamenta, delitiosioris alicuius anguli aucupentur: proprium luxũ, publico subditorum incommodo, comparantes.

1340. Induratò non semel Pharaoni, æstuantior diuina vindicta subirascitur: in quem proinde Mosaico ore hanc fulminat sententiam: *Implebuntur domus Ægyptiorum muscis diuersi generis, & vniuersa terra, in qua fuerint: faciámque mirabilem in die illâ, terram Gessen, in qua populus meus est, vt non sint ibi muscæ: & scias, quoniam ego Dominus in medio terræ*, Exod. 8. v. 22. Prætereo, quod dissimulato cælo, terræ se dicat assistentem: ne quasi in Superis remotum, barbarus Princeps, Dominum iudicaret: terræ Principem se vocat, vt terrenus Israelis Tyrannus, proximiorem vindicem reformidet. Quare tamen, dum impiis Ægyptiis pœnam, Israelitis piis, in eodem regno commorantibus, parat leuamen: non tam in Ægypto, quàm in terrâ totâ, neque vtcunque, sed *in medio eius*, se dominum attestatur? crederem ita dictum, vt se totius terræ Principem legitimum, & solius Ægypti subdito sibi Rege, longè potentiorem enuntiaret: at sanè, non tam optimus, quàm suspectus Princeps fortè putari posset: si quamuis vniuersæ terræ dominari diceretur, ab aliquo eiusdem angulo, vel extremo, & non potiùs à medio videretur dominatus: scilicet vt ex æquo, extremis omnibus vigil & præsens, barbaro etiam Pharaoni, sed saltem regij moris non ignaro, crederetur. Id voluit ad hunc locum Oleaster, sic scribens: *Metaphora sumpta est, à Regibus & Principibus, qui sedes suas ferè habent in medijs Prouincijs: vt melius & faciliùs illis prospicere, eásque regere, gubernare, tueri, & defendere, cùm opus fuerit, possint. Ad similitudinem humani cordis, quod in medio corporis humani constitutum esse videtur: vt ex eo, veluti ex fonte, spiritus vitalis, quo totum viuificatur corpus, commodiùs in omnia membra, diffundi possit.* Perturbatur Imperium, ni Princeps, totus officio incubuerit: nec poterit nisi è medio fæliciter, & facile incumbere.

Exod. 8. 22.

Ad similitudinẽ scilicet cordis, quod medio corpori insidet.

Oleaster.

1341. Facit dictis Rex Propheta, *Magnus Dominus*, inquit, *& laudabilis nimis; in ciuitate Dei nostri in monte sancto eius: fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion*, Psalm. 47. v. 2. & 3. Quod Dominus in ciuitatis Solymitanæ Templo, ad montem Sion extructo, laudabili tunc Religione coleretur, ignorat nemo. Cur tamen hoc Templum in monte Sancto extructum, vniuersæ terræ exultatione, fundari prædicetur? Dices, quamuis præcipuè notus esset in Iudæa Deus, & in Israel magnum nomen eius: tamen ab vniuersâ terrâ, non paucos eò Proselythos adoraturos confluxisse, ita est: Adhuc tamen non caret mysterio, quòd non vtcunque ab vniuersâ terra, diuinus cultus dicatur exceptus, sed quòd tam signanter, & ciuitas illa, & fundatum Templum ibi celebretur; quasi ex eo, benignitas magis culti Domini radiaret. Estque causa, ni fallor, quia Solymitana vrbs, totius Orbis vmbilicus, & quasi centrum, à Geographis non paucis, vt alibi notaui, appellatur: vnde commendabat diuinam charitatem, & exultationem fidelium ex vniuersâ terrâ prouocabat: quòd ibi Curiam suam cælestis Princeps collocasset, vnde faciliùs ab vniuersis extremis, adiri possit: & vnde vigilantiùs, vniuersæ terræ prospicere videretur. Quòd si in hoc loco, *vniuersam terram*, ex vsu Scripturæ, ad solam Iudææ Prouinciam traduxeris, non abnuerim: ex hoc enim testimonio, & similibus aliis, Hebræi prisci, sacram quam probamus Politicem commendabant. Ideo citatus Oleaster, *Hac de causa, inquiunt Hebræi, Deum sedem suam habere Hierosolymis voluisse, quæ in meditullio terræ Iudææ sita est: vt æquè omnibus, ad istum locum, vbi cultus Dei erat, & vbi Dominus illis propitius, precésque eorum exaudire decreuerat, aditus pateret.*

Psal. 47. 2.

Tunc ad illũ faciliùs & hilariùs accurrunt subditi.

Oleaster.

Nihilominus pro priore illo sensu, facit communis explicatio Dauidicæ illius sententiæ: *Deus autem Rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ*, Psalm. 73. v. 12. quia vt alibi fusiùs dixi, in medio terræ passus Christus Orbem reduxit: addo ad rem præsentem Bellarminum, qui ibi ita: *Verum est, Palæstinam esse in medio terræ, olim notæ, & habitabilis: nam est in finibus Asiæ, Africæ, & Europæ. Vnde etiam opus redemptionis, operatus est Saluator noster, in medio terræ: vt commodissimè deferretur eius prædicatio, ad omnes tres partes Orbis terrarum.* Ibi ergo assistat meus Princeps, vnde tanquam cor in medio situm, in totius regni corpus, nuntios tanquam vitales spiritus, queat immittere. In idem recidit, quod de Christo, medium semper tenente, scribit Petrus Abbas Cellensis lib. de Panib. cap. 19. *Hic est ille panis, qui in medio terræ, salutem operatus est, pendens in medio duorum animalium, qui nudus in medio terræ salutem operatus est, pendens in medio Ecclesiæ, & Synagogæ. Hic est ille, qui in medio Ecclesiæ aperuit os suum: quique Princeps Sacerdotum, semper est in medio eorum. Hic est ille fructus, qui in medio paradisi positus, sanat omnes cõtritiones, releuat omnes ægritudines, pascit vincentes, dispersos congregat, &c. Hic est hastile candelabri, quod habet tres calamos hinc, & tres inde, &c. Hic lapis est angularis, factus in caput anguli, vt hinc Angelus, necnon homo, à remotis partibus conuenientes, vnum caput haberent: & esset vnus Pastor, & vnum ouile.* 1342.

Psal. 73. 12.

Bellarm.

Hinc in subditos faciliùs mandata expediuntur.

Petr. Cell.

Christus vbique medium amat.

Debent Principes, non solùm virorum regni sui illustrium, notitiam habere, quos aptis ministeriis addicant; sed etiam quantùm fieri possit, præsens agnoscere, & ex aspectu probare: ideo enim prudentissimus Regum Salomon, Reges instituens ait: *Diligenter agnosce vultum pecoris tui: tuósque greges considera*, Prouerb. 27. v. 23. vbi bene Galfridus, *Sicut de occultis alieni cordis, temerè est iudicare, sic de iis, quæ in facie sunt, non licet dissimulare Pastori. Habet & vultus, probabile quoddam voluntatis indicium; vnde etiam dicitur obtinuisse vocabulum. Cauendum ergo Pastori, ne inueniatur, in iudicanda intentione cordis suspiciosus: sed nihilominus attendendum, ne sit in considerandâ exteriori conuersatione remissus: vultum enim pecoris sui non solum agnoscere, sed diligenter iubetur agnoscere: vt non præsumat facilem se se habere notitiam, sed adhibeat diligentiam.* At quidem non aliunde aut sponte confluentes, aut aduocati hi tales, faciliùs & suauiùs, in Principis sui conspectu apparebunt: quàm si iste in meditullio terræ, sedem collocarit. Propterea Deus, vt dixi, in Solymitanæ Prouinciæ centro, domicilium sibi quodammodo fixit: quia nimirum præceperat: *Ter in anno* 1343.

Princeps ocularem notitiã subditorum illustriũ habere contendat.

Prou. 27. 23.

Galfrid.

Exod. 23. 17.

anno apparebit omne masculinum tuum, coràm Domino Deo tuo. Exod. 23. vers. 17. Vt qui, nostro loquendi modo, quasi gregis sui vultum, propiùs cognoscere, & diligentiùs considerare studeret, ibi sedem poneret, quò vndique suauiùs confluеretur.

1344. *Non tamen opus est, vt propterea per Regnum, ipse discurrat.*

Nimirum non semper adigendus Princeps, vt per singulas Regni Prouincias excurrat vagus, quò perfectam gregis sui notitiam comparârit: satis quippe fuerit, si ibi immobilis perseueret, vnde faciliùs suos ad se trahat, vnde commodiùs regnum, non tàm præsentiâ corporis, quàm vigili maiestatis curâ implere videatur. De Deo Orbem condituro, & tunc quodammodò specialius Aquis, ex quibus tot alia erant educenda, præsidente: ait Scriptura. *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Genes. 1. vers. 2. Ita ne, dicat aliquis, quid de quo ageret, consideraturus, (vt alibi suprà vidimus) quasi mobilis Architectus, huc ac illuc, scrutandæ materiæ, diuinus Princeps discurrit: & Princeps humanus, quasi ignauus, in Curiâ regni sui residere præcipiatur? falleris: non erat illa mobilitas gressûs, sed permanentis curæ, quodammodò solicita vagatio. D. Eucherius (apud Cerd Aduers. cap. 115) ibi, quæst. 2. in Genes. *Spiritus Domini, quomodò ferebatur super aquas? Non peruagatione, sed potestate: dum Creatura sue semper eminet, regentis imperio.* Non dixit merè *dominantis*, sed *regentis imperio*, & potestate. Talem Principem meum volo, non gyronagum, non passim discurrentem, & inquietâ indole peregrinantem: sed pacatum, & in loco medio consistentē: vnde tanquam Cor, (quod aliunde fixum, perpetuis tamen, melioris vitæ, motibus subsultat) sic sedeat, vt in totius Regni partes vigili curâ moueri, regentis imperio, ferri videatur.

Genes. 1. v. 2.

D. Eucher.

1345. *Nisi fortè, vrgentis negotij pondere, excurrere cogatur.*

Cautè dixi, *non semper adigendus Princeps, vt per singulas Regni Prouincias excurras vagus:* Nam quandoque id opus esse, nemo prudens ibit inficias. Sunt quandoq; difficilia negotia in subiectis Prouinciis, excitantur non rarò tumultus, quos aut frustrà, aut saltem minùs fæliciter, etiam vigilantissimis curis, & optimis ministris, absque regiæ Maiestatis præsentiâ, speret Princeps optimus, componendos. Habet ergo hoc etiam vtilitatis Curia in medio Regni collocata, vt inde commodius & breuius, similibus dirigendis negotiis, compescendis tumultibus, possit conuolare. Scitè Plinius in Panegyr. postquam è Româ, Traianum & Principem, & Consulem totius Orbis negotia moderantem describit: tandem sic subiungit. *O veri Principis, atque etiam Consulis, reconciliare æmulas ciuitates, tumentésque populos, non imperio magis, quam ratione compescere: intercedere iniquitatibus Magistratuum, infectúmque reddere, quidquid fieri non oportuerit: postremò velocissimi syderis more, omnia inuisere, omnia audire, & vndecunque inuocatum, statim velut Numen adesse, & assistere. Talia esse crediderim, quæ ipse Mundi parens, temperat nutu, si quando oculos dimittit in terras, & facta mortalium, inter diuina opera numerari dignatus est: quibus nunc per te liber, solutúsque in cælo tantùm vacat, postquam te dedit, qui erga omne hominum genus, vice suâ fungereris.* Sic, quasi sub fælicissimi syderis aspectu floret Imperium, cui is, à Numine, Princeps datus est, qui velocissimi instar syderis, cùm res postulat nouit discurrere, &

Plinius.

aduocantibus negotiis, quasi vicarius Numinis adesse. Vix non tàm Prorex, quàm Rex alter Ægypti, Ioseph à Pharaone constituitur: cùm subditur statim. *Egressus est itaque Ioseph ad terram Ægypti, &c. & circuiuit omnes regiones Ægypti.* Genes. 41. vers. 46. Preme illud, *itaque*, concatenans quippe, & coniunctiua est particula, cùm tamen, (tu legeris) nihil superiùs dici videatur, vnde necessariò inferatur egressus: nisi quia eo ipso, quòd ad Gubernatoris euectum dignitatem, ex fertilitate instante, prouidendæ subsecuturæ sterilitati, negotia perurgebant, consequens credidit sacer Scriptor, præmissis prædictionibus, eiusdem statim egressum & circuitum concatenare. Nec enim aliunde aut fæliciùs, aut faciliùs, res gestæ deinceps narrandæ, euenisse crederentur: quàm si Princeps, vix dum exortis negotiis, relictâ curiâ, adstitisse nosceretur. Hinc ibi Oleaster. *Debent Gubernatores visitare, & videre suis oculis, quæ sibi commissa sunt.* Debent inquam cùm similes circunstantiæ in id vrgent: vrgebant autem tunc Iosephum, qui proptereà circuit terram, vt ait idem Oleaster in litterâ: *vt scilicet præponeret viros, qui frumenta colligerent, in annis fertilitatis.* Aliàs in media Curiâ assistens, suauiùs circunstantes Prouincias moderaretur.

Genes. 41. 46

Tunc quippe, vt necessaria, sic vtilissima est Principis præsentia.

Oleaster

Idem.

VI.

Immediata tuendi Imperij Cura, Principi, multis titulis incumbit.

CVm ex proximè dictis constet, assistentiam Principis in meditullio Regni, necessarióque, subsultátibus euentibus, excursus, ideo apprimè conseruando Imperio deseruire, vt faciliori aditu Princeps suis pateat, & fæliciori dextrâ negotium præsens expediat: Satis colligitur summi ponderis esse Reip. bene gerendæ, immediatam Principis curam erga subditos: neque sic penitùs Administris committendam, vt interim ipse, deses, ignauus, & quasi Idolum, cultum accipiendo, stupidus persistat. Intrauit Porticus Probaticæ piscinæ Christus, vt miserum iam diu Paralyticum sanaret. & additur: *Hunc cùm vidisset Iesus iacentem & cognouisset, quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis sanus fieri:* Ioan. 5. vers. 6. Certè iam ante viderat, qui omnia etiam absens, probè nouerat: tunc autem experimentali, quam vocant, notitiâ, rem cognoscens, languentis sanitati applicatur. Heu! quàm solet perire Imperium, cuius grauissimus morbus, Ministrorum potiùs relatione, (& vtinam frequentiùs non subticeant) quàm proprij aspectûs experientiâ Principi dignoscitur! Attentio sedula, immediata Principis diligentia, Imperium conseruat indemne, aut collapsum restituit. Hæc fuit sub Traiano. (aliunde optimos Administros disponente) Romanæ Monarchiæ fælicitas suprema: vnde ad illum Plinius. *Alius labores, si non continuo desidiæ, ac voluptati dedisset; otio tamen, & quiete recreâsset: hic consularibus curis exolutus, principales resumpsit: tam diligens temperamenti: vt nec Consulis officium Princeps, nec Principis Consul appeteret. Videmus, vt Prouinciarum desiderijs, vt singularum etiam Ciuitatum preci-*

1346. *Principis immediata cura circa negotia, & ipsi vtilis est, & Populo necessaria.*

Ioan. 5 v. 6.

Plinius.

 bus

bus occurrat: nulla in audiendo difficultas, nulla in respondendo mora: adeunt statim, dimittuntur statim: tandémque Principis fores, exclusa legationum turba non obsidet. Et quidem latet, ni fallor, emphasis, in verbo *Obsidet*: quod hostilitatem importat, & violentiam: Princeps enim qui ignauus, delitiis incubiturus, Prouinciarum negotia dilatat, subditis adituris non patet facilis, exclusa & detenta legationum turbâ, non tàm sperari visus, quàm obsideri: hinc quippè odij præmeditatio, nouarum amor: nam languentis præ voluptatibus dominij, non aliter quàm furentis, præ arrogantia, Tyrannidis præsumptio, Ciues in hostes mutare consueuit.

1347. Declinat igitur in Tyrannum Princeps, qui depositâ gubernationis curâ, solam dominij vtilitatem, aut libidini, aut violentiæ committit. Decertabant, de primatu imperfecti adhuc Apostoli ad quos tunc Christus: *Principes gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicunque voluerit, inter vos, maior fieri: sit vester Minister.* Matth. 20. vers. 25. Datur vitio Principibus gentium, vt plurimùm tunc Tyrannis, quòd subditis dominentur, quòd in suos exerceant potestatem. Ergo, inquis, Principes pij, nec dominium, nec potestatem retinebunt? absit: Sed dominium ignauum quasi erga seruos: (Græcè κατακυριεύουσιν hìc legitur, & potestas licentiosa, quasi Tyrãni (Græcè κατεξουσιάζουσιν enim potestatem, & licentiam refert) reprehenditur Quid ita. Quia non admiscebant, id quod pios & legitimos Principes solet condecorare: scilicet, quòd populo administrantes cognoscantur. Inde est quòd Apostolis, & cæteris Ecclesiæ Principibus, non tàm dominium & potestas interdicitur, quàm adhibenda cura, præstando ministerio, temperatur. Origenes ibi, Homil. 12. *Principes gentium non contenti, tantùm regere suos subiectos, violenter eis dominari nituntur: inter vos autem, qui estis mei, non erunt hæc, &c. Principes ergo gentium, dominentur eorum: Principes autem Ecclesiarum seruiant subditis. Non ista dicimus, vt inclinemus Ecclesiasticum Principatum: est enim interdum, quando secundùm vocem Apostolicam, peccantes coràm omnibus arguant, vt & cæteri metum habeant: est aliquando, vt vtens potestate sua, tradat peccantem Satanæ, in interitum carnis, &c.* Ecclesiasticos igitur Prælatos, debita proportione imitetur Princeps pius, ne in Tyrannidem videatur declinare: & sub Imperij incuria, sub fastidio regiminis, ad defectionem subditos adornet. Adornauit quidem Demetrius, otij lamiæque aliunde, quàm publicarum curarum studiosior: de quo Plutarchus: *Libellos supplices respuens, seditionis causam præbuit.* Famosos hinc sibi alios aucupatus. Adornauit & Pausanias, optimus aliunde Imperator: de quo Thucidides lib. 1. *Aditu difficilem se præbebat: & iracundia adeo graui, vt omnes pariter vtebatur, vt nemo posset accedere. Quamobrem etiam socij potissimum, ad Athemensium partes transierunt.* Fastidire itaque publicas curas, vt priuatis tuis indulgeas, vt Tyrannidis Principis in suos, indicium est: sic rebellionis suorum, in Principem, præsagium est.

Tyrannicum est, non tam curis Populi, quàm propriis voluptatibus indulgere, & violentia.

Matth. 20.

Græc. vers.

Origen.
Ecclesiastici Prælati officium.

In desides, & difficiles Principes rebellat Populus
Plutarch.
Thucid.

1348. Tota proinde Principis cura, assidua cogitatio, in publicum negotium collineatura: ni aut Tyrannus væcors, aut statua inutilis cupiat reputari. Lege, amabo, somnium illud Pharaonis Genes. 41. *Putabat se stare super fluuium, de quo ascendebant septem boues pulchræ & crassæ, &c.* Vers. 2. Expauescit Rex videns, sic crassas à macilentis totidem deuoratas: & paulo post, septem cumulatissimas spicas, à tenuissimis totidem, consumptas. Quod nemini ex tot Regni Administris sed vni Principi, reuelatio facta fuerit, non est mirum, illi præ cæteris, prouidendum Populi sui remedium incumbebat. Id ergo quæro, cur dormienti potiùs, quàm vigili ænigma obiiciatur, quod licèt soluere non posset, tamen periculosum aliquid regno suo instare, ex concepta formidine, satis se probauit intellexisse? an vilesceret interpretatio Ioseph, si exhibitam potiùs per visum, quàm per somnium, imaginem explicaret? Imò, vt Pharao, viso monstro terreretur amplius, sic celebrior vates haberetur. Quid ergo? accommodauit se naturæ rerum Deus, vt optimum Principem, (qualis reuera fuit) Pharaonem fuisse declararet. Cùm enim dormientes, illa vt plurimum per somnium reuoluere soleamus, quibus per vigiliam assiduè incumbimus: Principi vigilias totas, prouidendis Populi sui necessitatibus impendenti, ac proinde somniis, vt par est credere, easdem recolenti, meritò mysticum, & consimile somnium iniicitur: quasi qui in bonum Reipubl. dormiens vigilaret, vaticinium accipere mereretur. Sic explicandus est ibi Oleaster: neque doctissimo viro imputandum, quòd ad finem, videatur hoc somnium merè naturale voluisse, quod apertè initio vocat reuelationem: Pende verba. *Mirandum valde est, quòd tanto tempore, antequam veniret fames, Deus Regi eam reuelauit: & quod solus ipse de eâ somniaret, & prouiderit: ostendit enim Dominus, futuram famem Regi potius, quam aliis, quoniam eorum est prouidere, quæ suis necessaria sunt, vt etiam doceat Principes, prouidere necessitates, ante quàm sint, & prouidere, & succurrere eis: debent enim sic publicis rebus inuigilare, vt ex curis multis, quas in die habent, nocte somnient, quæ curanda sunt in Republ. Non enim solent homines somniare, nisi quæ animo sæpius reuoluunt. Vnde signum euidens est Pharaonem, frequentissimè, de prouidendis necessitatibus suorum cogitâsse in vigilia, quòd de eis noctu, somniaret.*

Gen. 41. 2.

Princeps æquum & vigilans & dormiens, Reip. negotiis incumbit.

Oleast.

Confirmat verò immediatam hanc curam, prædictam Pharaonis vigilantiam, quod subsequitur: cùm enim arescentibus iam glebis, premente iam cunctos fame, periret Ægyptus, additur statim: *Clamauit Populus ad Pharaonem, alimenta petens.* Ibidem vers. 55. Tunc primùm experti inopiam, tunc primùm clamant: nec tàm ad inferiores Ministros, quàm ad ipsum Regem dicuntur, inclamâsse: quia nimirum optimi Regis viscera, tanquam tenerrimi Patris, longè iam vsu didicerant: neque aut immediatiùs, aut vigilantiùs, aliquem Patremfam. domui suæ fore prouisurum, quam Pharao toti Regno prouideret. Ideo Reges instituens, subdit Oleaster ad hunc locum. *Mirum valde est, quòd ad Regem, vt panem præberet, irent. Vt hinc Reges discant, non esse tàm Domini, quàm parentes omnium suorum: & curent temporalia etiam suis administrare. Et vereantur Christiani Reges hæc negligere, videntes hæc gentilem curâsse.* Neque videtur obstare responsio Pharaonis dicentis: *Ite ad Ioseph, & quidquid ipse vobis dixerit, facite.* ibidem 1349.

Gen. 41. 55.
Ita debet esse Princeps, vt ad illum tanquam ad Patrem oppressus Populus confugiat.

Oleast.

Qui quandoque Popul. ad aptiores ministros remittere.

ibidem, eodem verſ. quia vt notat idem Auctor, Oleaster. *Optimè ſibi conſulit Princeps, cum diſtribuere neſcit, conſtituere qui hoc facere ſciat: & ei negotia committere, qui facere ea ſcit.* Nimirum eſt hæc etiam egregia, & immediata Optimi Principis cura erga ſuos, ſi ad prudentes & intermedios Miniſtros, eos remittat, qui faciliùs & efficaciùs illorum queant negotia expedire: quibus Principis induſtria, aut minùs decenter, aut certè inutiliter incumberet, de quo ſuprà.

1350. *Princeps deſes ſtatua eſt.* Niſi fortè putaueris mordacior, defeciſſe iam ab egregiis prioribus curis Pharaonem: & ad illorum Principum partes tranſiiſſe, qui luxui vacaturi, honorem regium, abſque regiminis onere ſolent retinere. Vidiſti credo quandoque, ad palatij alicuius fores, æneos ſiue marmoreos Gigantes, qui dum humeris familiæ inſigne, gentiliúmque ſtemma, portare viſi, tument effictisvenis, & emiſſitiis oculis, hianti ore, toto curuati corpore, ad gemitum præ pondere videntur ſpirare: nec tamen grauantur mole, quam non ſentiunt. O ſtatuas, ſub ipſo labore mendaci, verè hypocritas! Tales puta nonnullos Principes: nam cùm Rex, inde apud Græcos *βασιλεὺς* appelletur, quaſi ſit *βάσις λαοῦ*, *Baſis populi*, ſuorúmque ſuſtentaculum: ipſi nihilominus tanquam fictæ ſtatuæ, dum pondus portare *Honorē abſque onere affectat.* ſe iactant, non tam populum ſuſtinent, quàm reapſe prægrauant ſaxei & ſtupidi. Id notaui alibi, ad verba illa Hypocritæ Tiberij, apud Corn. Tacit. Tacit. 1. Annal. *Solam D. Auguſti mentem, tantæ molis capacem: ſe in partem curarum, ab illo vocatum experiundo didiciſſe, quàm arduum, quàm ſubiectum fortunæ, regendi cuncta onus.* Neque id latuit acumen Oleaſtri, qui ad verba Pharaonis Ioſepho negotia remittentis; conſimilis farinæ Oleaster. Principes ita pungit: *Hinc diſce, qualiter Principes, labores & negotia regni, in alios reyciunt: & ipſi, quaſi ſtatuæ, luxui vacant.* Prudentior & ſanctior longè Centurio, qui Principatum, & poMatth. 8. 9. tentiam ſuam expreſſurus, ait: *Homo ſum ſub poteſtate conſtitutus*, &c. Matth., 8. v. 9. Non dixit (quod aliqui minùs bene putant, apud Maldonatum reprehenſi) ſubiectum ſe eſſe potentiori alicui Principi: ſed abſolutè, quia tunc magis ad rem erat, Principatum quale quale ſuum, enuntiauit: & tamen non tam ſe prædicat, *in poteſtate*, quàm *ſub poteſtate* conſtitutum: quia ſuorum baſim ſe noſcebat: nec officium, ad luxum, ſed ad onus ſibi incumbere: vt proinde dum ſubdit, *habens ſub me milites*: ſic hi ſub illo eſſe, ad regimen agnoſcantur: vt prior ipſe, ſub illis, ad ſuſtentaculum eſſe intelligatur.

1351. *Bonus Princeps, imperiū ſuis humeris ſuſtentat.* Optimum ſe hinc Principem, licèt ſub Paſtoris habitu, probauit Chriſtus. Exerrauerat à ſepibus ouicula, & quaſi reliquo grege chariorem, ſic inquirit, vt ſingulas pratorum herbas, montium arbores, cauernas petrarum, de perditâ videatur interrogaſſe: inuenit tandem aureo tintinnabulo ſpoliatam, fœdatam argenteo vellere, lupinis morſibus laceram, & longi erroris ſalebris fatigatam. Putares tenero ſinu Paſtoris; haud potentem incedere, reducendam: non defuere credo amplexus teneriores: nihilominus non tam in vlnis geritur, quàm in humeris: Luc. 15. 5. *Imponit in humeros ſuos*, Luc. 15. v. 5. Quia nimirum diuinus noſter Princeps, Imperij ſui ſtemma, id eſt Crucem ſuper humeros geſtans: (vnde, *factus eſt Principatus eius ſuper humerum eius*, Iſai. 9. v. 6.) ibidem afflictos ſubditos ſolet Iſa. 9. 6. collocare, vt cum Imperij poteſtate, ſubditorum infirmitates portare innoteſcat. Nicetas ibi, fuſiùs à me alibi iam adductus, *Eiſdem humeris imponit, quibus & Crucis lignum: de quo Iſaias: cuius Principatus ſuper humerum eius.* Nicetas. Habes optimi Principis exemplar, non delegauit operam Adminiſtris: non ſibi honorem retinuit, onere ſcilicet aliis commiſſo: ipſe prodit quæſitum: inuento ſuccumbit ponderi, & Imperij ſui ſtemmati pretioſiſſimo, quaſi nouum ſtemma, onus afflicti ſubditi connectit. Tanti eſt ſubditis, Principem immediatè curantem feliciter ſortiri.

Clamabat poſt Chriſtum, quem iam Dauidicum Principem agnoſcebat, Chananæa: dúmque viſa deſpici, *Accedentes diſcipuli eius, rogabant eum, dicentes: dimitte eam, quia clamat poſt nos*, Matth. 16. v. 23. & tamen eo tenore vocis intercedentium preces repelluntur, vt etiam afflicta mulier, repulſam ſibi parari poſſet audire: nihilominus perſiſtit adhuc, *venit, & orauit eum*, verſ. 25. nam vt bene ibi Euthymius: *Cùm ſe videret eſſe deſpectam, repudiatos etiam illos, qui pro eâ precarentur, non deſperauit: nam magnam habet fidem, & prudentiam, ſed impudens eſt honeſtâ impudentiâ: & iam relicto clamore, qui eminùs fiebat, propiùs accedit.* Mira hîc, diuinæ pietatis diſſimulatio, ſed neque parua mulierculæ conſtantia: ni fallor, quia diſſimulantem Dominum intellexit: non acceſſerat ante ad Principem, ſed eminùs clamarat, quaſi Adminiſtrorum circumſtantium, id eſt, Apoſtolorum ſuffragia ſollicitans: id Chriſtus doluit, quod ſcilicet ab illâ is Princeps putaretur, ad quem non immediatè, ſed intermediis Miniſtris venire poſſet: ideo repulit clamantem; (imò etiam præſentem, quaſi in præteritæ diffidentiæ pœnam, pungit ſcommate) illa ergo rem penetrans, iam conſtantior, accedit cominùs: & conſtantiſſima, ab ipſo Catellæ titulo, retorquet impetrandis votis argumentum. Idem Euthymius fauet: *Tu autem conſidera, quomodo cùm Apoſtoli pro illâ deprecati fuiſſent, nihilque perfeciſſent: ipſa potius perfecit: hinc enim docemur, quòd Deus mauult, nos pro nobis obſecrare.* Talem te gere, Princeps: ſic tueberis Imperium, ſic ſubditorum tibi animos conciliabis, ſi nouerint immediatam tibi ſui curam: & (quod Tullius epiſtol. 1. ad Quintum Fratrem) *facillimos eſſe aditus ad te: patere aures tuas querelis omnium: nullius inopiam, ac ſollicitudinem, non modo vllo populari acceſſu, ac tribunali, ſed nec domo quidem tuâ, & cubiculo excluſam tuo: toto denique Imperio, nihil acerbum eſſe, nihil crudele: atque omnia plena clementiâ, manſuetudine, humanitate.* Dedit plura, cum dato Tullio, Ioannes Chokier lib. 2. cap. 8.

1352. Matt. 15. 23. *Felicius ipſe Princeps, quàm intermedio Miniſtro, à ſubditis aditur.*

Euthym.

Idem.

Id Principi, quàm decorum.

M. Tull.

VII.

Per prauæ indolis, & inueterati vitij vestigia, Princeps, subditos suos, ad virtutis viam, tanquam Pater suauissimus reducit.

1353. *Princeps, sub regnandi initio, nimium a debet vodi tu dissimulare.*

EST autem optimæ Politicæ illa indulgentia; quâ Princeps initio Imperij, aut hæreditarij, aut aliunde denuo comparati, tolerabilibus vtcunque subditorum moribus se accommodat: nam statim reuellenda curare, quæ possunt aliquandiu dissimulari, non tam corrigere foret, quam exasperare: Imprudenter pariter, & periculosè primo statim ingressu, vitiosa quæquè tentares abolenda, quæ è longo, Reipubl. callum iam obduxerant. Dio lib. 52. de Augusti Cæsaris, ad initium, Principatu: *Non statim omnia, vti decretum erat, executus est; veritus, ne parum succederet; si simul homines transferre, & inuertere vellet: sed quædam ex tempore disposuit: quædam reiecit in tempus.* Imò vel etiam sic in tempus reiecta, præstabit, non tam penitus tollere, quàm reformare, vt quo ad fieri possit, eisdem iam virtuti seruiant, quibus, vitio pridem ministrabant. Morosam putares, & penè scrupulosam legem illam, quâ consecrandos Deo homines, Moyses instituit. Scrupulosiùs tamen videtur illud, quod inter tot alia, de crinibus sic subiungitur. *Omni tempore separationis suæ, nouacula non transibit per caput eius, vsque ad completum diem, quo Domino consecratur.* Numer. 6. vers. 5. deinde post minutissima alia explicata, completo iam tempore additur: *Tunc radetur Nazaræus ante ostium tabernaculi fœderis, cæsarie consecrationis suæ: tolletque capillos eius, & ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum.* Vers. 18. Tu lege longas paginas, si vacat, quas in *Spicilegio* dedi, de iis, qui crines in deorum gratiam pascebant, quos deinde soluendo voto detonsos, eisdem consecrabant: quæquè de crinibus, inter sacras inferias vstis, ibidem cumulaui: Videbis, quòd non ouum ouo similius, quàm quod impiè Ethnici exercebant, pio Moysis præcepto, assimiletur. O quò tendis legislator sanctissime, princeps optime! dum fideli populo, idololatricam superstitionem, obtrudere videris? Certè non obtrudit, sed assuetis subditis, sic indulget cæsariem consecrandam, vt indidem Numen placarent, vnde pridem Dæmonem promerebantur. Quæris causam? vidit illam hic D. Cyrillus in Cat. par. *Plerique Græcorum stolidissimi, & belluarum more viuentes, in gratiam suorum Dæmonum, capillum barbamue submittere consueuerunt, alius Nymphis, alius genio alicuius fluminis, quam certo tempore tondeant, in eorum gratiam. Moyses itaque sapientissimus, imò per Moysem Deus, illis qui superstitionem illam obliuisci non poterant, eandem ferè constituit, vt paulatim Deo, non Dæmonibus obsequentes, exuant impietatem: & in vmbrâ quadam atque imagine, veritatem admittant religionis. Quod ipsum, in sacrificiis etiam, insinuare tentauit.* Quod de sacrificiis addit, tantum à nemine non obseruatum, nunc prætereo.

Dio.

Nec etiam vitia, violenter euellere, quàm, si possit, in virtutes commutare.

Num. 6. 5.

Vers. 18.

Cæsaries Ethnicorum & Hebræorum in sacrificium oblata.

D. Cyril.

1354. *Sub vmbra inueterati vitij, noua virtus, est subditis proponenda.*

Solummodò non prætereunda verba Tertulliani, qui rem aliàs notissimam, prudentissimâ, & commodissimâ Politicis nostris gnome, sic explicuit lib. 2. contra Marcion. cap. 18. *Sacrificiorum quoque onera, & operationum, & oblationum negotiosas scrupulositates, nemo reprehendat: quasi Deus talia sibi propriè desiderauerit, qui iam manifestè exclamat:* Quò mihi multitudinem sacrificiorum vestrorum: & quis exquisiuit ista de manibus vestris? Isai. 1. vers. 11. *Sed illam Dei industriam sentiat, qua Populum pronum in Idololatriam, & transgressionem, eiusmodi officiis, religioni suæ voluit astringere, quibus superstitio sæculi agebatur, vt ab ea auocaret illos: sibi iubens fieri, quasi desideranti, ne simulacris faciendis delinqueret.* Industria fuerit ergo Principis, & optimæ Politices ars eximia, non sic sibi assumpti Imperij subditos transferre, vt pariter conetur inuertere: parum prosperè id solet succedere: suauiùs longè sub veterum morum vmbrâ, & imagine, honestior finis, & scopus proponitur fælicior. Naturâ v. g. feroces subditi, bellicæ ingenio nationes, tutiùs faustiúsque expeditione factâ in hostes exercentur, quàm pacificis legibus, ad mitiorem indolem constringuntur: respuit Martialis ille feruor, pacis otium; suauiúsque, ab iniquo retractus, iusto Marti addicetur: nunquam securius huiusce generis Gentibus imperabis, quàm si pacifici aliunde genij Princeps, bellicam tibi indolem, prudens simulaueris: quasi id, vnde totus abhorres, anxius desideres: sic dum paululum illis indulges bellantibus, sed iustè: ab iniusti saltem Martis, furoribus auertis. Ideo Euseb. Gallic. Homil. 2. de symb. de Deo, prædicta sacrificia Iudæis præcipiente, sic concludit. *Indicens eis carnalium victimas hostiarum, vt eos ab errore gentili, sensim per ipsa vestigia superstitionis abstraheret.*

Tertul.

Isai. 1. 11.

Euseb. Gal.

1355. *Quàm sit prædict. Politica, industria, vtilis & necessaria.*

Non est itaque vmbratilis, sed germana, illa Politica, quæ per inueterati vitij vestigia, nouam virtutis viam, dissensuris aliàs subditis nouit aperire: & per indulti piaculi meram vmbram, suauiùs parat errorem abolere. Fugiendam auaritiam, late docuerat Christus Dominus, Luc. 12. vers. item 15. & subdit paulò post: *Facite vobis sacculos, qui non veterascunt; thesaurum non deficientem in cælis.* Vers. 33 Non vtcunque in cælos transuehendas diuitias proponit: sed sacculis, sed thesauris ibi recondendas: quasi iam sit, vnde Sol, immortali suæ purpuræ timeat, ne consuendis sacculis conscindatur: cælum sibi caueat, ne occultandis thesauris, incorruptibilem soliditatem doleat penetrandam, foueas excauatas perhorrescat. Vtcunque sit: quorsum saccorum signacula, thesauri defossio, in illo regno, *Quò fur non appropiat*: Vbi diuitiæ etiam expositæ, tutæ forent? Nimirum non satis erat auaro hominum generi reformando, si pro terrenis, diuitiæ illi cælestes exponerentur, (quod omnes hîc notarunt) nisi ita ingererentur, vt totum, solicitæ, cuiusdam auaritiæ, apparatum importarent: nisi signatos sacculos, nisi thesaurum congestum audiret auarus animus, adhuc terrenæ auaritiæ inhiaret: solùm per vitij vmbram, virtutis veritatem assecuturus. Sub hoc computu iam gratiora, nota aliunde Chrysologi verba, serm. 25. explicantur. *Ecce docet auaritiam, qui cœperat suadere contemptum: & qui thesaurizantes temporaliter arguebat, ad totum cupiditatis fomi*

Luc. 12. 15.

Vers. 33.

Auarus, non solum pecunias cupit, sed eas defossas.

D. Chrysol.

Christus tanquam verus Pater paruulis nobis indulget.

fomitem, iubet sacculos sine fine perquiri. Christe, quò te trahit amor tuorum vt auarum lucrifacias, facis eum quod desiderat, non quod oportet, audire: sacculos imperas, æternos thesauros, qui non deficiant, vis parari: vt auarus dum consueta percurrit ad lucra, aut virtutem capiat, aut à virtute capiatur. Verè pater es, qui cum tuis quibuscunque paruulis sic agis: nam & nos interdum nostris paruulis, petentibus noxia, ingerimus salutaria, sub specie noxiorum: fallentes insipientiã, non decipientes affectum. Sic age mi Princeps: huc te trahat amor tuorum: vt pueris febri æstuantibus, sub specie noxij poculi, antidotus propinatur: sic subditorum fastidio, sub vmbrâ vitij, virtus longè fælicius porrigitur.

1356. *Humilitas, regio cõptu, purpurata.*

In quadrigâ illâ, vbi prudentissimus Regum Salomon, imò in Salomone Christus, symbolicè Regni sui honores collocauit: licèt alia forent de pretio æstimabiliora, vt argentum columnarum, reclinatorij aurum, mediorum monilia baccata: nihil tamen de Symbolo, Purpurâ pretiosiùs, vtpote nihil regiam Maiestatem clariùs manifestans: & tamen gradus tantummodo scansorios tegebat nobilissima purpura, qui ascendentium pedibus, calcabantur. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon, de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum.* Cant. 3. vers. 9. Purpuræ tactu, loca ipsa sacrari, putabant Prisci: nihil illâ venerabilius habebant: quam tamen ipsis calcandam pedibus intueris: neque tamen id prudenter à Rege diuino factum audebis denegare: quid ita? quia subditos, quos, ad infimos heroicæ cuiusdam humilitatis gradus, volebat conuocatos: per maiestatis humanæ vmbram attrahendos prænoscebat: neque se finerent ab aliis calcari, nisi se indidem, regiâ purpurâ sentirent adornandos: subduntur sponte, tanquam calcandi gradus ascendentibus, quia se nôrunt in eadem humilitate exaltatos.

Cant. 3 v 9.

Gellibertus. Princeps, arrogantibus subditis, modestiam prudenter fucatam amplexandã.

Gellibertus ibi, serm. 18. *Quid tu illic dices, qui humiliationem seruitutem putas? seruilis non est, quam regalis nobilitat purpura: ornamentum est enim, purpura, regium. Hos si tu vel dedignaris, vel horrescis gradus, respice, quod purpurei sunt. Humilitas suscepta pro Christo, regiam præficit dignitatem.* Ludit operam, & prudentiorem Politicem corrumpit, qui ventosos, si fortè, subditos, ad modestiam, nudo virtutis splendore, satagit reuocare: fucanda est, arroganti horum ingenio, humilitas: & ne horreatur, regali, quasi pretiosæ purpuræ, fastu induenda.

1357. Spernentibus, terrena quæuis, Discipulis, pro Christo: & quid sibi tandem futurum, exposcentibus: respondet Dominus: *Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit filius hominis in sede Maiestatis suæ, sedebitis & vos, supra sedes duodecim, iudicantes duodecim Tribus Israel, & omnis qui reliquerit &c.* Matth. 19. vers. 28. Satis videbatur nobis attrahendis, quòd non vtcunque Christo adhærentes, sed Christum *secuti* dicamur: quis enim sacra tanti Ducis vestigia recalcare, sibi omnino faustissimum, non putaret. Nihilominus præmium additur: nec istud nudum: sed sub titulis, deprauatæ mortalium indoli, accommodatis: alibi apud Dauidem, *Torrente voluptatis,* potandi dicimur: hic maiestatis sedilia, Iudicibus promittuntur: scilicet, vt per terrenorum affectuum vestigia, per humanorum vmbram, cælestia multò suauiùs indicerentur.

Matth 19. 28.

Virtutemque sub ambitionis velo, proponit celatã.

D. Bernard. Declamat. in illa verba *Ecce nos &c.* ita. *Vt quem fortè non prouocat inuitatio præcedentis, trahat vel desiderium retributionis: & si quis voluptuosus est, illum sitiat torrentem voluptatis: si gloriæ cupidus, adspiret ad illam celsitudinem iudiciariæ potestatis.* Sic non conuelluntur affectus, sed in salubriorem longè scopum diriguntur: vt adblandiens consuetorum vmbra insuetis bonis, attrahat efficacior.

D. Bernard.

Ita est: verissimum quippe illud Horat. 1358.
Naturam expelles furca, tamen vsque recurret: Corrigit istam gratia non violat: non aliunde gratior imperauerit terrenus Princeps, quàm si cælesti, in hac Politicâ, se attemperauerit: det aliquid diuerso, diuersarum, quas sub se habet, ingenio nationum: sic vitia interdicat, vt quæ naturæ potiùs, quàm moribus, dissimulanda veniunt: violenter perrumpere, non festinet: sic tàm erit clementiæ, & amoris paterni, quod indulseris, quàm quod subtraxeris. Hinc Ecclesiasticus, licèt ad rem aliam, dictis accomodissimus. *Fili, in mortuum produc lachrymas, & quasi dira passus, incipe plorare.* cap. 38. vers. 16. q. d. Sic præ dolore, & amoris teneritudine incipe plorare: vt tamen in longum tempus, producendas has lachrymas, agnoscas. Sed vide quid statim addat: *amarè,* (in Sixt. *amarum fac ploratum*) *fer luctum illius, vno die.* vers. 17. Quid ita? Si in longum tempus lachrymas producendas imperauerat: quid statim vnius dieculæ spatio has videtur præcipere includendas? Respondet & grauiter D. Paulinus Epist. 35. *O diuitiæ bonitatis Dei: quàm piè id ipsum solicitudine nostri cauet, non pietatis propensæ inuidus, sed infirmitatis nostræ conscius: lachrymas in mortuo produci iubet: amaritudinem verò lugendi, vno tantùm die claudit: illud porrigi sinens, quo relaxatur dolor, & anima respirat: istud verò præcidens, quod immoderato, & irrationabili cruciatu, mentem nostram conficit: quódque diutius fragilitas nostra non valet sustinere.* Natura dolens à lachrymis prohibita, rumperetur: sed deficeret, si longum tempus dolens, non lenes, sed anxios semper fletus procuraret: releuetur ergo cor diu mœrens ploratu suauiori: amaritudo eius vltrà diem, vt noxia, sic vitiosa, interdicatur. Talem te in naturæ vitiis, erga subditos gere, mi Princeps: ne illud auellendum putes, vnde rumpi potest: nec tamen permittas illud, quò grauiùs lædi potest: vtrobique, de paternâ pietate, diues clementiâ regali recolêris.

Horat. *Naturalia quidammodo subditorum vitia, quomodo à Principe tractanda.*

Eccles. 38. 16 Sixt.

Vers. 17. *Lachrymis, quis tenor adhibendus.*

D. Paulinus.

Est hoc, suauissimæ cuiusdam indolis, & paterni genij, Principibus requisiti, apertum testimonium, exemplar optimum: sub infirmantis naturæ morbis subditi iacentes, tanquam paruuli à parentibus, piissimisque medicis, sunt tractandi, vt paulò ante, ex Chrysolog. vidisti: non minis, sed blandimentis, in austera remedia, prouocatur ægrotus: amore potiùs, quàm verbere, in disciplinæ rigorem pueri reducuntur: arat litus, Æthiopem dealbat, qui affecta, innato regionis morbo, subditorum ingenia, immissa violentia satagit persananda Prudentissimè, idem D. Chrysolog. ad illud Pauli, *Obsecro vos fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* Rom. 12. vers. 1. sic scribit. serm. 108. *Medicus austera remedia, cùm recipere persuadet ægrotos, agit precibus, non impellit imperio: sciens infirmitatis esse, non voluntatis,* 1359.

Vitia, vt sic dicam, nationalia, austeritas non corrigit, sed exacerbat.

Rom 12 v. 1. D Chrysol.

luntatis, quòd salutaria respuit, quoties profutura repellit infirmus. Et filium pater, non potestate, sed amore, ad rigorem pertrahit disciplinæ, non ignorans, quam sit aspera, immaturis sensibus, disciplina. Et si corporalis infirmitas, ad curam, precibus sic mouetur: si puerilis animus, vix ad prudentiam ducitur blandimentis, quid mirum si Apostolus, qui semper est & medicus & pater, humanas mentes, morbis carnalibus sauciatas, vt ad remedia diuina subrigat, sic precatur? In vitia illa, quæ benè vulgò dicimus *nationalia*, austeritatem remedij, Princeps non tàm imperio ferat, quàm blandimento: nouerit infirmitatis ingenitæ potiùs esse, quàm voluntatis rebellis, quod salutare remedium respuatur: blanditiæ ingerendæ, melle circumlinendum est poculum, amaro medicamini hauriendo.

1360. *Nil pio Principi ita arduum, & aliunde ita necessarium, quàm diuersos subiectarum sibi nationum, mores tolerare.*

Propterea, si alicubi verum est, quod superiori monito dicebam, onera Populi sui Principi comportanda: in his maximè, singularum subiectarum sibi nationum, vitiis ferendis, prudentissimam pietatem Princeps meus exhibuerit: delicata res est, indoles longo tempore suis moribus assueta: si coneris violenter compescere, plus crescit, & perrumpit obstantia, non reduces ad debitam obedientiam, experieris rebellem, nisi feras, imò baiules delicatam. Recole quæ suprà Num. 1351. dicebam de Ouiculâ, quam Princeps diuinus, super *humeros suos* portauit: Luc. 15. Et quidem licèt languida illa, licèt fessa, & vulnerata, satis tamen videbatur, si leni gressu, ad caules priscos paulatim reduceretur: neque cogendum pastorem verè regium, vt oneri subeundo, per tam longum spatium desudaret. Sed quid faceret? amabat ouiculam, quæ aut relinquenda foret, luporum consuetudine, in lupum, transmutanda: aut necessariò propriis domini sui humeris conuehenda. Scilicet assueta iam voluptatum pratis, deliciis prohibitis, delicatior degebat, quam vellet ad austera virtutis reduci, si imperio, duras recurrere semitas cogeretur: ergo Pastoris Principis humeris baiulatur: & quam non curaret potestas, curauit blandimentum. D. Hieron. Epist. ad Pamach. adu. err. Ioan. Ierosolym. ita. *Dei filius, propter vnam morbidam ouem, nonaginta nouem in montibus derelictis, alapas, crucem flagella sustinuit: & suis humeris portauit ad cælos, baiulans & patiens delicatam peccatricem.* O Princeps, disce delicatæ peccatrici, non tam delitias interdicit Christus, quàm in meliores alias commutat: delicatiùs longè diuinis humeris geritur, quàm in voluptatis amœnis exerrarat: per priscæ voluptatis vmbram, solidæ fælicitati ingeritur: dúmque non peruenit, blandè baiulatur.

Luc. 15.

D. Hieron.

VIII.

Quantùm, ex prædicta Politica, cùm subditis, tùm Principi, vtilitatis aduenerit.

1361. IMmediatam Principis curam erga subditos: horúmque illi onera portanda, vidimus: licèt per prædictam superiori monito indulgentiam, labor non leuis (sicuti Christus, per Crucem & flagella deliciosè reduxit ouiculam) incumbat ipsi Principi. Videamus adhuc paucis, quam id vtile, non solùm subditis, sed etiam sic blando Principi eueniat: vtpotè inde Imperium seuerissimè retenturo. Habet hoc in primis commodissimum Populo, immediata & onerosa cura Principis, quòd inferiores Ministri, & supremæ dignitatis vicarij, restrictum ius adepti, puniendis Reipubl. noxis, solent incumbere, beneficâ reorum condonatione, ad Principem reseruatâ: vnde vt plurimum, celeriùs, quàm ad Principis clementiam recurri possit, supplicia exercent. At apud intentum Principem, causæ dum ventilantur, suauius ferè semper transiguntur, cui absoluta parcendi libertas adest. Populo ab Ægyptia captiuitate iam educto, & deinde, post perfidum vituli cultum, consecuto veniam, ait Deus: *Non ascendam tecum, quia populus duræ ceruicis est, ne fortè disperdam te in via.* Exod. 33. vers. 3. quia nimirum Angelum, quem à repræsentatione potestatis, *faciem* suam appellat, iam populo in ducem destinabat: hoc est, quod addit: *Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi.* Vers. 14. Audi tamen, quàm sedulus reclamet Populus, ore Moysis: *Si non tu ipse præcedas, non educas nos de loco isto.* Vers. 15. Mirum dictu! quanto abominabilius est Deo peccatum, quàm Angelo: tantò seuerior, in eiusdem vindictam, diuina ira exæstuat, quàm angelica, quòd præcauens Deus, subtrahendum se ait, ne populus iterum peccans, penitus diuino furore disperdatur. Quid ergo tam anxiè, reiecto Angelo, immediatum in Ducem suspirat populus? Respondet pulcherrimè Oleaster, ad illud Dei dicentis de hoc Angelo: *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in viâ, & introducat in locum, quem praparaui: obserua eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet, cùm peccaueris.* Exod. 23. vers. 20. Vbi ita. *Melior, inquiunt sancti, est Deus iratus, quàm homo propitius: ego autem adderem, quam etiam Angelus. Tu autem, Domine Deus meus, cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis, non sic autem Angelus, qui nomen tuum habet, qui potestatem habet, vt puniat, non autem vt parcat. Ideo meritò S. Moyses, sic suspectum habet Angelorum ducatum, vt dicat Domino: nisi tu ipse præcesseris, non educas nos de loco isto.* Minor potestas, blandior ira Angeli ad puniendum; sed tamen mera: malunt sibi Dominum præsentem, licèt indignantiùs possit exferuere: quia simul condonandi potestatem, quâ frequentius vtitur, secum affert. Sic in re nostrâ: ideo Principem sibi assistentem suspirant subditi, & vtiliorem negotiis, optimo quantumuis vicario, experiuntur.

Quàm vtilis sit Populo, immediata Principis gubernatio.

Exod. 33. 3.

Vers. 14.

Vers. 15.

Oleaster.

Exod. 23. 20. *Vtilior, populo, Princeps iratus quam Minister mitis, &c.*

Et quid ni commodissima sit Populo Principis assistentia: quando in prædicto loco cap. 3. Exod. subtracta diuinâ, in pœnam præteritæ noxæ, vicaria Angeli indicitur assistentia: benè ibi idem Oleaster. *Sæuiùs dantur vicarij, propter peccata hominum.* Ergò fauendo subditis, non vicarium sed seipsum Princeps ingerit. Hinc illæ, Romani exercitûs, querelæ, ad Drusum Patris vicarium, quia supplicum vota, Romam ad Tiberium Patrem deducenda, respondebat. *Cur venisset, neque augendis militum stipendiis, neque alleuandis laboribus, denique nulla benefaciendi licentiâ? at hercule, verbera & necem cunctis* 1362.

Exod. 33.

Oleaster. *Pœna est subditorum, non leuis vicarium, pro Principe, subire.*

Cornel. Tac.

permit

permitti. Dolent meritò: intolerabile quippe subditis, semper cum Vicario decertare, qui restrictâ benefaciendi licentiâ, in sola supplicia exerit potestatem: vix à vulgaribus vrbium lictoribus distinctus: quibus vt reos in flagranti delicto licet comprehendere, nunquam tamen soluere, conceditur. Fit itaque, è contra, hinc, commodissima Populo immediata Principis diligentia. Sed de hoc, iam suprà variis locis multa dedi.

1363. *Immediata hac suorum cura, Princeps, & legitimus probatur, & amabilis redditur.* Non tamen minor, in Principem, redundat hinc vtilitas: legitimus agnoscitur, diligitur teneriùs, obeditur suauiùs: quibus nihil maius, Principatus statui retinendo, Imperio conseruando, dari potest. Quis non miratur Thomam, obstinatum perire potiùs, quàm credere: & inter perfusa corda gaudio attestantium condiscipulorum, suum, infidelitatis gelu constrictum retinere? Ego tamen magis demiror signa, quæ Dominicæ resurrectionis fidei astruendæ postulauit, dicens: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & manum meam in latus eius, non credam.*

Ioan. 20. 25. Ioan. 20 vers. 25. idque stupeo penitus, quòd tam præstupto voto indulgeat Christus Dominus, & se se illi exhibeat pertractandum: vt iam exclamet Thomas: *Dominus meus, & Deus meus.*

Vers. 28. vers. 28. Sed si fas dicere, fuit Thomas, in suâ temeritate prudens, dum ea postulat signa, quæ clarè legitimum Principem demonstrarent. Quasi dicat: si Christus in Principem iam Orbis, gloriosus resurrexit, agat quod optimi Principis est, infidelitatem meam, non vicario Apostolorum testimonio, sed suâ ipsâ præsentiâ amoueat: probet se, gentis suæ, onera, libenter sic pertulisse, vt etiam in Triumphi pompam, plagas pro ipsa exhibeat susceptas: tunc mihi *meus* ad amoris delitias, & homo cernetur Dominus, & Deus suauissimus credetur. Sic res euenit: indulget Diuinus Princeps, subdito, & si non bene dubitanti, prudenter tamen pro rerum circonstantiis requirenti: & inde se legitimum, & amabilem, æternóque obsequio colendum Regem, Orbi commendauit. Perinde erit, si Thomam, cum Eusebio

Euseb. Gall. Gallicano, Hom. 9. de Pascha, excusaueris è grauiori culpâ: ergo Eusebius, ad prædictam mentem, ita. *Quam bona infidelitas, quæ sæculorum fidei militauit. Vox ista, inquirentis est, non negantis: dum hoc dicit, docere voluit, confirmari desiderauit: & ideo ad eum Dominus ita ait:* Infer digitum tuum huc. *Dum benignum præbet Veritas moderata responsum, in Apostolo suo, non dubitationis vitium, sed sollicitudinis instruxit affectum: quia ergo illo tempore tanti mysterij nouitas versabatur, meritò curiosæ perscrutationis, non est exclusa sedulitas: accedit quòd in his Apostoli verbis, Mundi vtilitas agebatur, &c. Visis ergo cicatricibus respondit Thomas dicens.* Dominus meus, & Deus meus. *Nouo genere, vestigia vulnerum, diuinitati præbent testimonium; quia Templum Dei, indumentum corporis vulnerati: duas hoc loco in Christo mirare substantias: fixuram perspicit corporis, & Deum prædicat Maiestatis.* Planè nouum genus, probandæ Maiestati, diuini Principis, sed certissimum: non enim aliunde magis legitimus Dominus agnoscitur, quàm dum Populi sui negotium, totiúsque Mundi vtilitatem, ipse ita peragit: vt & onus subeat, & plagas pro suis, in legitimi Imperij stemma, manifestet; vnde semper teneriùs diligatur.

R. P. Pinto Ramirez. Monit. Polit.

Parum id: hæc immediata Principis cura, hæc gloriosa Domini pro suis patientia, sic Orbem facili negotio illi attraxit, attractum obstrinxit: vt iam modestò imperet, quem ab initio sæculi ferocem & rebellem fuerat expertus. Ideo Isaias. *Et leuabit Dominus signum in nationibus: & sibilabit ad eum de finibus terræ: & ecce festinus velociter veniet.* cap. 5. vers. 26. Sæpe in sacro textu legis dominum, ad raucedinem vsque, hominibus auersis inclamantem, neque tamen, de obstinatâ illorum proteruiâ exauditum. Ecquod ergo tam valens signum istud, ad cuius eleuationem, iam non voce, nedum clamore, sed tenuissimo sibilo opus habet, vt celerrimè subiectum Populum sibi congreget? Audiendus ibi D. Hieronymus. *Legi in cuiusdam commentarys, hoc quod dicitur,* leuabit signum, *de vocatione gentium debere intelligi: quod eleuato signo Crucis, & depositis oneribus peccatorum, velociter venerint, atque crediderint.* Quod licèt ad contextum, minùs probet Doctor maximus ibidem: certè ad tropologiam, venit non inuitum: quippe monstratâ Cruce, quam pro hominibus tulit cælestis Princeps, non cogente tubâ, non reboante tympano, sed suauissimo sibilo, quasi Pastor mitissimos agnos, rebelles & furentes pridem animos, in promptissimam obedientiam congregauit. Ideo D. Basilius Magnus (quem puto tacitè innuit Hieron.) ad hunc locum. *Hoc ipsum profiteri posses, esse Crucem domini nostri Iesu Christi: cuius gratiâ, Mundus iste crucifixus est sanctus, & ipsi Mundo; quo etiam loco aperit operatoriam vim eius signi, &c. Vt qui ad salutem prouehendi essent, in vnum congregarentur, à quatuor terræ alis: Crucis enim partes, quadrifariam dispertiuntur: ita quod vnaquæque suo annutu, simul quatuor spectet Orbis partes.* Satis enim Crux annuens, Princeps sibilans, vt sibi subditos facilè conuocârit. Quæ summa, in Imperio, fælicitas dari potest.

1364. *Sic que modestis imperat, quos primo expertus fuerat rebelles.*

Isai. 5. v. 26.

D. Hieron. *Post Crucem pro nobis latã, iam leui sibilo trahimur ad Christum.*

D. Bas. Mag.

Adhæsit Isaiæ Zacharias, apud quem expressè, de aduocandis sibi gentibus, ita Christus: *Sibilabo eis, & congregabo illos.* cap. 10. vers. 8. Solemus vulgò dicere, cùm celerrimè rem peragi explicamus, *dictum, factum:* puto tamen celeriùs exprimitur, ad sibilum Principis, Populi congregatio: promptiùs obedit, qui non tam Domini sui expresso verbo, quàm sibilanti murmuri occurrit. Sed vnde hæc fiducia Christo, qui humanam duritiem probè sciens, violandis arbitrij iuribus non incumbit? Scilicet ex eo, quòd eodem v. additur *quoniam redemi eos.* Nescit populus à Principe suo, tot laborum impendio redemptus, resistere sibilanti: Non eget Princeps terrore, vt in officio subditos contineat, quos tam vigil, tam patiens curare potuit. Stephanus Cant. in Syl. Alleg. ad cap. 3. Sophon. de homine locutus. *Accedat & videat propter se, mulctatum morte, turpatum cruce, sputis illitum, plagis liuidum, spinis coronatum, lanceâ perforatum, & esse aduersarius erubescat. Hinc Dominus per Zachar.* Sibilabo eis, & congregabo eos, quoniam redemi eos: *quia solo sibilo opus est, non prædicationis tubâ.* Egeat prædicationis tubâ, qui patienti pro se, cælesti Principi, non attendit: sis licet lupus, huc si oculos vertas, teneræ instar ouiculæ, blando sibilo attrahêris: & leo, cum agnis, mitior ad obsequium accubabis.

1365. Zach 10 v. 8 *sibilus quippe iste iam obligatis, omni venit tubâ reboantior.*

Steph. Cant.

Hæc sibi, cælestis Principis, exempla, proponat meus Princeps, si nutu facili imperare, fælici 1366

Per B. Mariã Christus gloriam nostram coronatur. obtemperari obsequio contendit: beatus & faustissimus ab ipso populus, beatissimum & faustissimum reddit inuicem: quippe, vnde genti suæ decorandæ, sollicitus per labores incumbit, indidem longè comptius coronatur: quod etiam de cælestis Politices disciplina repetendum vidit *Cant. 3. 12.* Salomon, cum de Christo ita: *Egredimini & videte filiæ Sion Regem Salomonem, in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius*, Cantic. 3. vers. 12. vbi apertè addubitat Magnus Grego- *D. Gregor.* rius, *Mater Christi, beata Maria esse videtur, quæ coronauit eum diademate, quia humanitatem nostram, ex ea ipse sumpsit, &c. Sed cùm diadema pro gloria assumatur: in humanitatis autem susceptione, non gloria Verbi Dei, sed humilitas esse cognoscitur: quomodo humanitate nostra, quasi diademate coronatus fuisse dicitur?* Tunc aptiùs ad rem nostram sic respondet: *Cùm ipsa eius Incarnatio, verè gloria nostra fuerit; quia membra eius sumus, propter communionem corporis, diadema membrorum, bene capitis, Scriptura* *Subditorum gloria in Principem redundat.* *prædixit.* In gloriam scilicet capitis redundat, quidquid honoris, membris accumulatur, sibi, vt aiunt, caput arat, sibi occat, dum corpori fælicitatis segetes administrat: quid enim Capiti in humani ædificij arcem prodesset collocari: si truncum corpus in partes secaretur? nec caput fuerit, vbi nullum corpus, neque decorum, membris incomptis coronabitur. Ipse Christus hilariter se profitetur coronatum, quia redemptos suos tanti honoris diademate redimiuit. Viderit meus Princeps, an aliunde tutiùs, quàm ab huius imitatione, gloriæ adspirauerit.

IX.

Vnde Princeps in Tyrannum facilè vertatur, euertendus.

1367. *Tyrannus se pariter cum Imperio euertit.* Nihil est, quod violentum perseueret: aër, cauernosis terræ visceribus inclusus, tremorem terræ, vrbibus ruinam parat, respiraturus alibi scilicet erat, non vbi naturalis leuitas postulabat. Ignorat Tyrannidem, qui hanc à violentiâ condistinguit: nescit violentiam, qui stabilem huic præsumit conditionem: nisi quod hoc, in Tyranno peius, quàm in violentis cæteris reperitur: quòd hæc vtplurimum, in statum naturæ, præruptis solummodò obstantibus, reducuntur: ille in throno violenter collocatus, se pariter, & Imperij subditorúmque gloriam trahit in ruinam: ruit necessariò Tyrannus ad priscam vilitatem, id est debitum sibi statum reducendus: rarò tamen ruit, quin pariter miseros subditos, consimili præcipitio, Imperium lamentabili casu non inuoluat. Scatet vtraque pagina, monumentis: nobis satis infaustissimus Baltasar per totius excursum operis rem expressit. Coaceruabo igitur plusculа sub hoc monito, vnde delusi Principes, in Tyrannos soleant deformari: vt quò cautior, meus Princeps hinc processerit: eò longior à se, imperióque suo absistat euertendo. Immoderatâ in primis, imò effræni libidine regnandi æstuant mortales, & cùm illud esse ius regni, prauè interpretentur, *licere quidquid libet*: in Tyrannidem facilè declinant.

Quod priùs dixi, hinc optimè probatur. Iam 1368.
bis à Christo Domino superatus, neruosior adhuc in eundem insurgere, Dæmon permittitur: *Matth. 4.* *Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna Mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me*, Matth. 4. v. 8. Sto nunc *Regnandi cupidine, æstuat cor humani, quæ præmis facile superatur.* illis, qui cum Ambrosio multùm in profana regna, potestatis habuisse Dæmonem affirmant, donec per Crucem Princeps huius Mundi à Domino spoliaretur. Id inquiro solummodò, cur qui tam auidus ab initio sæculi, hominibus per- *Tentatio vincenti attemperatur.* dendis debaccharetur: sciens aliunde quàm validè hoc telo humana pectora perrumpere potuisset, nunquam tamen ante legatur, alicui regnandi absolutè potentiam promisisse, quem anxiè cuperet, in Barathrum perfidiæ detrudere? Respondet pulchrè Oleaster ad cap. 22. Genes. *Oleaster.* *Aduerte distributas à Domino tentationes secundum eorum qui tentantur vires. Dominus, ait Paulus, benedictus, qui non permittit vos tentari suprà id, quod potestis. Quia enim nouerat neminem nisi Christum victorem euasurum, ex præsentatâ Mundi monarchiâ, eum solum voluit illa tentari.* Quasi sic ardens, sic dira regnandi libido, in quouis alio Iustorum tentata cederet: solúsque hinc victor, Christus speraretur, qui impeccabilis non solùm morsus, sed nec etiam leuissimos huius cupidinis latratus poterat sentire. Putares fortè, licèt totius Orbis Monarchiæ contemnendæ, solius Christi virtus requiratur: tamen breuioris cuiusdam, atque priuati regnj calcando blandimento, Iustorum quemuis sufficere: falleris, heroica & quodammodo humanæ naturæ limites excedens, sanctitas necessariò exigitur, quæ valeat constans huic ictui non succumbere. Tam planum erat apud Iudæos Christi tempore, Hebdomades Danielis fuisse impletas, vt de offerendo Messiatu agerent Iudæi; & tamen cùm alij viri Iusti tunc apud illos degerent, soli Baptistæ, tot virtutum prodigiis cumulato, permisit Deus, fieri oblationis tantæ tentationem Ioan. 1. *Ioan. 1.* Nimirum temporalium Regem Iudæi Messiam suum sperabant, vt nemo nescit, vnde perinde erat offerre Messiatum, atque Regnum: nec fortè alius præter Baptistam, non obruendus, pretiosa hâc tempestate prænoscebatur. Oleaster citatus, *Similiter de dignitate Messiæ, quâ solum Ioannem pulsari voluit: quia solum nouerat eam refutaturum.* *Oleaster.*

Quæris quò tendat, vnde *regnandi veniat tam* 1369.
dira cupido? ex eo nimirum, quòd cùm verissimum sit illud Tragici in Herc. OEt. *Non omne, quod licet, decet*: *Senec.* homines tamen, vt ait idem Tragicus in Agam. *Id esse regni, maximum pignus putant; si quidquid alijs non licet, solis licet.* *Tyranni omnia sibi licere putat.* Hinc est, vt quemadmodum, vt imperent; nihil sanctum, nihil habent inuiolabile, operibus passim testantes, quòd verbis, auidissimus regni Iulius Cæsar, (malens in viculo esse primus, quàm Romæ secundus) solebat exprimere: *Si violandum est ius, regnandi ergo violandum est: cæteris rebus pietatem colas.* *Apud Suet.* Sic etiam postquam imperant, licentiam cum decentiâ confundant, nihil sibi præsumant inuiolabile: quò tandem furentis libidinis vorticibus summersi, legitimum alias quandoque regnum, in tyrannidem facilè declinant. Tibi igitur mi Princeps insigatur semper animo, aurea illa gnome D. Ioannis

Chryso

Potestas principij, in Tyrannidem, facile declinat.

D. Chrysost.

Chrysostomus tom. 6. Conc. de Imp. & Potest. vbi ita: *Vegeti in primis animo opus est, ad vtendum, vt conuenit, honore concesso, tributaque potestate: quando is qui gloria expers est, vel inuitus Philosophia vacat: ei verò, qui honorem est adeptus, idem fermè vsuuenire solet, atque illi qui in domo, cum formosâ & honestâ puellâ habitans, legem & conditionem acciperet, nunquam ad eam accedendi, eiúsve familiaritate vtendi. Tale enim quid in se habet Imperium: quoniam multos etiam nolentes, ad iniuriam inferendam impellit, ad iram concitat, & frena linguæ excutit, & oris ostium pandit: denique flatu animum exagitans, & in extremum malorum gurgitem nauiculam demergens.* Nihil maius dici poterat: quasi non efficacior, pellacissima cohabitantis puellæ pulchritudo, Iuuenem, ad turpitudinem alliciat, imò trahat, quàm possessum Imperium ad tyrannicas iniurias, ad vitiorum gurgitem, Principi lenocinetur. Ni ergo vegeri, robustáque virtutibus nauicula nauiges, submergeris.

Affectum, nō vsum domināndi, taxo apud Principem.

1370. Quid ergo? prohibeo tibi Imperium, ne incidas in hoc barathrum? non audeo: imò neque Principi iusto id consulerem, quin potiùs si possem, cogerem imperando: tantummodò, dictam illam imperandi cupidinem resectam tibi cupio, vt enim ab hâc, tyrannidis periculum, vt vidisti, imminet grauissimum: sic ab animo, immodicis his affectibus, non læso certissima optimè dominandi spes affulget: summopere quippè sunt Principes, ne Orbis pessum eat, necessarij: Sed illi optimi, illi à tyrannico furore remotiores, qui vsu potiùs, quàm affectu Imperij, dominantur, quibus tot subditorum ministratio, è rerum potiùs ordine, quàm è cordis libidine admittitur. Ardorem dominandi, restincturus, in Apostolis suis Christus, Rex regum scilicet, semetipsum proposuit in exemplar dicens: *Sicut filius hominis, non venit ministrari, sed ministrare.*
Mat. 20. 28. Matth. 20. vers. 28. Sed quid ita? nónne sæpè Domino impensissimis, suorum, votis, est ministratum? nónne gloriosissimè victori, ministrârunt Angeli? nónne Martha in domum suam fœliciter excepto ministrabat? Respondet
Origen. Origenes, Homil. 12. *Et si ministrârunt ei, quando accesserunt, & ministrabant: & si Martha ministrauit ei: tamen non ideo venit, vt ministretur: sed vt ministret.* Quia aliud erat, quod ferebat occasio, & rectus rerum ordo exposcebat: aliud, quod sibi, à supremo dominio, Christus cælorum Princeps proponebat: cui scopus vnus erat, suorum remedio attendere, miseriis inuigilare: licèt obiter, obsequium necessarium & debitum non repelleret: in id clementissimus venit: hoc indigenti obuenit. Curetur ergo Princeps, benè est: ille tamen, curandis præcipuè Regni negotiis, potestatem accepisse, intellexerit.

1371. Claret pulcherrima hæc Origenis doctrina,
Mat. 20. 25. (quam ibidem Euthymius, cum aliis inculcat:) ex præcedentibus verbis Christi, quibus vt suprà dixi, tyrannos illius æui Principes pungebat, ait enim: *Principes gentium dominantur eorum: & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed, &c.* Vers. 25. Non enim propterea, dominium & potestas, Iustis Principibus creditur interdici, absit: sed prohibetur piis, quod in impiis intelligitur reprehendi. Ecquid istud? Caietan. ibi. *Non partus dominandi actus, sed finis significatur: est enim sensus, quod Principes gentium ordinant Principatum suum ad dominandum.* Hæc præpostera principatus ordinatio, hìc prauè intentus finis; rectum totius regiminis ordinem corrumpit: hinc Principes, in Tyrannidis præcipitium labuntur: Nec quid sibi, quod libeat, putant non licere. At æquioribus Principibus, contrarius intentus finis; dominium & potestas dum conseruantur, etiam debita, & impensiora subditorum obsequia adiiciunt: neque tàm refutari istis obsequia, quàm in Principatus finem, non proponi, præcipit Christus: quia fidelium obsequia commendabat suscipiens, quamuis non veniret *ministrari, sed ministrare.* In quæ verba iterum, clarior quàm Origenes, superiùs citatus, ita Caietanus. *Nota, quòd non dicit: sicut filius hominis, refutat sibi ministrari: quia non solùm Martha ministrauit illi, sed & aliæ mulieres, vt patet Luc. 8. sed dicit: Non venit, vt sibi ministretur, sicut Domini, & Principes Mundi, ad hoc sunt Domini, vt illis ministretur. Intentionem itaque aduentûs sui in Carne, manifestat esse, non ad hoc vt sibi ministretur: quamuis ministeria exhibita susciperet.* Expenderit iam meus Princeps, quàm latum moderando Imperio, inter Christum, & tyrannos, ex hoc distincto scopo, intercedat.

Tyrannus, nō tam officio consulendi, quàm dominandi cupidine, impetrat.

Caiet.

E contra Princeps, quantumuis dominetur.

Caiet.

Ideo grauiter D. Augustinus lib. 19. de Ciuit. cap. 14. ad rem nostram. *In domo Iusti viuentis ex fide, & adhuc ab illâ cælesti ciuitate peregrinantis, qui imperant, seruiunt eis, quibus videntur imperare: neque enim dominandi cupidine imperant, sed officio consulendi: nec principandi superbiâ, sed prouidendi misericordiâ.* Quasi dominandi cupido totum corrumpat officium consulendi: & vbi tyrannica pullulat superbia, ibi legitima prouidendi misericordia extinguatur. Pergit S. Doctor. *Hoc naturalis ordo præscribit, ita Deus hominem condidit.* Dominetur, *inquit,* Piscium maris, & volatilium cæli, & omnium reptilium. Genes. 1. vers. 26. *Rationalem factum, ad imaginem suam, noluit nisi irrationabilibus dominari: non hominem homini, sed hominem pecori. Inde primi iusti, pastores pecorum magis, quàm Reges hominum constituti sunt, vt sic insinuaret Deus, quid postularet ordo creaturarum, & quid exigat meritum peccatorum: conditio quippè seruitutis, iure intelligitur imposita peccatori.* Peruertit igitur naturalem ordinem, qui imperandi ardore, non tàm subditos à Deo suscipit, in pœnam peccati dominandos, quàm harpagat: quasi non tàm ad prouidendi curam, quàm ad imperandi arrogantiam Princeps præponatur. Sic enim Deus temperauit subditis, seruilem hanc quodammodò pœnam, vt Iustus aliunde Princeps iis videatur seruire, quibus imperat: communis quippè peccati consors Rex nascitur: ac proinde non tàm nulla, quàm honestior, illustrioris cuiusdam seruitutis conditio, illi obtigit: quâ in subditorum commoda, & custodiam iubetur inuigilare. 1372.

D. Aug.

Sic enim imperat, vt subditis videatur deseruire.

Vtrinque enim seruitur, quamuis honestior sit in Principe conditio seruitutis.

Vnde iam capies, cur cùm aliunde vtilis & necessaria Orbi, in constituendis Regibus Politica, non tamen, à principio, vt benè notauit citatus August. illam Deus, Orbi condito introduceret: nimirum, quia præuidit, Reges facilè, in Tyrannos, declinaturos. Obscura sunt illa, quæ de Nemrod, memorat Sacer Textus: *Ipse* 1373.

Princeps, facile declinat in Tyrannū.

cæpit

Genes. 10. 8

cœpit esse potens in terrâ: & erat robustus venator coràm Domino: Genes. 10. vers. 8. in Hebræo est: *fuit potens, aut præualens, venatione, aut insidijs, coram Domino.* & additur statim: *Fuit autem principium Regni eius, Babylon, & Arach,* &c. vers. 10. de quo, ad litteram, ita Oleaster. *Dubium est, an iste Nemrod, fuerit ferarum venator & insidiator: an potiùs hominum, vt scilicet eos oppresserit: quod enim verbum Sadah, non solum feras, sed etiam homines venari significet, & illis insidiari, patet loco Thren. 3. & Ierem. 16. &c. Planus tamen littera contextus innuere videtur, eum fuisse ferarum venatorem. Licèt coniectura nonnulla sit ex eo, quòd infrà dicitur, eum fuisse Regem, quem tempora illa ignorabant, & fuisse Dominum, aut potiùs Tyrannum, qui alios vi opprimebat.* Stemus nunc prædictæ coniecturæ, satis probabili: cùm enim, nunc primùm, in sacro Textu, Nomen Regis, aut Regni, audiatur: satis colligitur, insidiosas illas Nemrod venationes, Imperio potiùs construendo, captis hominibus: quàm capiendis feris, excusso monte, collineâsse. Nota igitur primum hunc Orbis Regem, superbâ indole, & robustis viribus potentem, non fouendis, sed insidiandis subditis studuisse: quasi tantum sit, regiæ potestati, periculum à tyrannide, vt illam vix exortam hæc excipiat: quia effrænis illa regnandi cupido, quâ primus Nemrod, Imperij Politicem efformauit; illum postea in Tyrannidem detrusit.

Principatus, Tyrannidem vel sequitur, vel producit.

Nota deinde ab hoc vno Rege tyrannizante, imo regnante Tyranno in totum deinceps Orbem terrarum, constituendorum regum vsum, inoleuisse: vt iam Tyrannis, & primi Regni filia, & subsequentium Regnorum mater intelligatur. Quid ergo miraris, si ab initio Deus regnum non constituerit; quod sic hominum abusu deprauatur, vt eidem Tyrannidem intimam, aut causam aut effectum præsumamus? Bene idem Oleaster, iam ad mores. *Quemadmodum diuinus superbia commutata est; ita fortitudinis, violentia & superbia aliorum, &c. Colligimus hinc Dominum à principio, noluisse Reges instituere: quoniam optimè nouerat, eos statim in tyrannos conuertendos: quemadmodum inter Iudæos factum est. Similiter discimus, vnde orti sunt Reges, nempe ex Tyrannis.* Tu ergo mi Princeps, qui iam non solùm permittente, sed etiam volente Deo, regnas legitimus: matrizare vt plurimum sobolem, recogita: cauéque, ne regia potestas, quamuis à Deo modestius iam educata, à Tyrannide nihilominus exorta, Matrem referat: referet enim, ni sedulus refrænaueris.

Oleaster.

1374 Neque verò existimes, solummodò Tyrannos esse illos, qui apertis Crudelitatis, Auaritiæ, & libidinis, similiúmque vitiorum notis traducuntur, vno omnium ore, & oculis denotati: satis est, & plusquàm satis, germanæ Tyrannidi exercendæ, si occultis, aliquis Principum, his vitiis laborârit: furentes illos spiritus, quibus effrons, ab initio palàm sæuiebat Tyrannis, in fallaces dolos, postea longè callidior commutauit: nouit bracteare iam vitia, ferri sui duritiem deaurare: & furoris incendium perniciosissimum, dolosis fortuiti casûs, aut suauitatis cineribus, obtegere. Ad illud Exod. 1. *Surrexit interea Rex nouus, super Ægyptum, qui ignorabat Ioseph.* vers. 8. sic scribit Dionysius. *In scholasticâ fertur historiâ, quod Rex iste, fuit octauus ab illo, sub quo Ioseph præfuit in Ægypto: nec fuit Rex iste, de semine Regis illius, cuius defecit successio. Hinc dilectio, quam posteri, prioris Regis, habuerunt ad filios Israel, propter Ioseph, & beneficia eius, defuit huic.* Habet enim, vt id obiter notem, hoc malum, noua alienæ originis successio, in Regno: vt prisca subditorum iura, de priori illâ lineâ, optimè meritorum, soleat obliterare. Videbatur ergo hic Pharao, quando desæuire in Israelitas iam proposuerat, palàm processurus: vtpote quem, ingrati, in Ioseph, animi notâ non respergeret: & tamen, audi quid dicat: *Venite, sapienter opprimamus eum.* vers. 10. & paulò post, obstetricibus ait: *quando obstetricabitis Hebræas, & partûs tempus aduenerit: si masculus fuerit, interficite eum.* vers. 16. Non violenter, sed callidè, opprimendos curabat Israelitas, quos tamen infensissimos abhorrebat: non iussu suo, sed naturæ euentu, paruulos credi, satagit, suffocatos: an timebat rebellionem, si palàm desæuiret? non puto; cùm oppressi durissimis iam operibus Israelitæ, ora solummodò ad gemitum, non dexteras ad arma compararent. Quid ergo? iniquissimè tyrannizans, haberi tamen Tyrannus recusabat. Idem Dionysius. *Permisit eis, vt mentirentur factum esse aborsum: primò namque volebat Rex, propositum suum, per fraudem occultè implere, ne de nimiâ crudelitate argueretur.* Non iste postea duriùs quantumuis manifestiùs, desæuiuit: imò quò occultiùs, eò periculosiùs Tyrannus debacchatur.

Tyrannis, non semper aperta: sed eò dirior, quò dolosior.

Exod. 1. v. 8

Dionysius.

Variatio Prosapia, in successione Principum, subditis noxia.

Vers. 10.

Vers. 16.

Dionysius.

1375 Restabat nunc, subiectis exemplis illustrare, quàm certam sibi, Imperióque ruinam, Princeps in Tyrannum conuersus adornauerit: Sed quia hæc pars, vt initio dicebam, vtriusque paginæ historiis, apud Auctores, passim legitur illustrata: & ex Baltasare toties hîc traducto, proximóque Pharaone, nemini ignoratur: solùm moneo, latentes Tyrannorum fraudes, occulta vitia, tandem ipsius ruinæ tempore propalari, eóque turpius, quò olim sub splendore regio, non solùm dissimulata, sed insuper in decus compta, vendicabantur. Israeliticam Monarchiam, sub Meretricis typo denotans Deus: post alia, puniendam sic describit. *Liberabo lanam meam, & linum meum, quæ operiebant ignominiam eius: & nunc reuelabo stultitiam eius in oculis amatorum eius: & vir non eruet eam, de manu meâ.* Oseæ 2. v. 9. & 10. In lana & lino, purpureum byssinúmque, & fucatæ Meretricis, & compti Principis, memorat ornatum. Expende tamen, amabo, cùm tot aliis metaphoris, detecta tandem ignominiosa huius Monarchiæ vitia explicari possent: solummodò per denudatas vestes, (quasi non aliunde aptiùs) significari: cuius rei causam, grauiter & acutè, videt ibi meus Ruffinus Pius, sic scribens. *Ad mundum muliebrem eleganter allusit, quòd ita omne corpus, vbi sunt aliqua verecunda, contexerit; vt illud etiam venustaret. Acutè tamen videtur ostendere, quia plerunque sub prosperitate vitæ, rerum fœditas delitescat: quos si rursus inopia consequatur, merita quoque, quæ latuerant, detegantur.* Latent, sub Tyranni purpurâ, vitia fœdissima: nec solùm dissimulantur, sed comuntur: commendantur, vt dotes singulares, quæ, in priuatis, noxæ damnarentur: veruntamen prostrato tandem insultat Orbis, & cui paulò ante applauserat, iam exsibilans; propudiosa manifestè agnoscit, quæcque superstitiosè pridem percolebat.

Ita tyrannica fraudes porta, tandem fœdius traducuntur.

Oseæ 2. v. 9.

Ruffinus.

Tyranni vitia, quandoque non solum dissimulantur, sed teguntur.

X.

X.

Iustus Princeps, Imperio conseruando, non solùm Tyrannidem, sed etiam Tyrannidis confinia euitat.

1376. *Tyrannicum est in Principe, astutiã pro sapientia venditare.*

MInus tamen est, si Princeps, in præruptam Tyrannidem non declinet: alia sunt vitia, vt plurimùm, regiæ potestati insita sub quibus, licèt non deturbetur, parùm tamen prosperè geritur Imperium, quæ si non rebellem, Rempubl. tamen reddunt inquietam: florentissimo autem Imperio conseruando, non solùm Tyrannis, sed etiam Tyrannidis confinia cauenda. Tyranni, in primis est, dolosam, proteruæ calliditatis suæ, astutiam, quasi reconditam sapientiam venditare: ideo Pharao, paulo ante notatus, Israëlem euersurus, ait: *Venite, sapienter opprimamus eum.* Exod. 1. vers. 10. Vbi Dionysius: *Rex iste iniquus, suam iniquam astutiam, reputauit veram prudentiam.* Peruersissimum hoc, & in Principe planè Tyrannicum, non solùm astuta calliditate procedere ad nocendum: sed etiam meræ huic ignorantiæ, tanquam solidæ sapientiæ applausus quærere. Parum ergo fuerit, si insanam hanc iactantiam conculcet meus Princeps, quæ solùm effrænatissimum deturbaret: aliam leuiorem, regiæ tamen potentiæ insitam vt plurimum, euitet etiam sedulus necesse, quâ Reges, si quid in aliqua materia sapiunt, cæteris omnibus plus sapere, præsumunt, quasi necessaria consequentia, quantò aliis loco, & potestate præstant, tantò præstare notitiâ, necesse sit. Est amœnissima in hanc rē historiola illa Spartiani, de Adriano, Principe aliũde celeberrimo. *Quamuis esset oratione, & versu promptissimus, & in omnibus artibus peritissimus: tamen Professores omnium artium, semper vt doctior risit, contempsit, & obtriuit. Cum his ipsis Professoribus, & Philosophis, libris & carminibus inuicem editis, sæpè certauit. Et Phauorinus quidem, cum verbum eius quoddam, ab Adriano reprehensum esset, atque ille cessisset; arguentibus amicis, quod malè cederet Adriano, de verbo, quod idonei Auctores vsurpâssent: risum iucundissimum mouit, ait enim: Non rectè suadetis familiares, qui non patimini, me illum doctiorem omnibus credere, qui habet triginta legiones.* Quippè ex tot legionum potentiâ, eos spiritus ebiberat Adrianus, vt etiam in scientiâ, neminem sibi putaret comparandum.

Exod. 1. 10.
Dionys.

Princeps verò, alios se sapientiores fateri, aut pati potest.
Spartian.

1377. Sed ô, quàm altis medullis infigitur morbus iste! Rogarat diues ille purpuratus, inter Iudæos Principes non postremus, Abrahamum, vt in domum Patris sui, instituendæ familiæ, Lazarum remitteret: Luc. 16. vers. 27. Ad quem Patriarcha: *Habent Moysem, & Prophetas: audiant illos.* Vers. 29. Prudentissimè huic gnomi, quis non cederet? audi tamen quid Princeps: *Non, Pater Abraham: sed si quis ex m[illegible] tuis ierit ad eos, pœnitentiam agent.* Vers. 30. scilicet assuetus apud suos, si quid notæ quæstionis incideret, nemini concedere, & vt purpurâ, sic etiam scientiâ, cæteris præcellentem se præsumere: sic cor penitius imbuit veneno, vt etiam in Inferno, non quosuis, sed ipsum Abrahamum, contenderet edocere: inque, de Pœnitentiæ auxiliis, excitatâ quæstione, maiora sibi, quàm Patriarchæ, rationis inuenta pondera, per impudentiam præruptam effutiret. Ita est, qui delirantèr arrogans, adhuc se Potentem somniabat, ad cuius intercessionem, mortuus suscitaretur: quid mirum, si coæuo & pari delirio, se etiam Patriarcha doctiorem somniaret? Gaietan. ibi. *Hic apparet impudens istius petitio: petit resuscitationem vnius mortui, ad sui instantiam fieri: & quod dementius est, audet docere Abraham dicendo: Non, Pater Abraham, sed &c.* Sic passim euenit, vtque nihil instantiæ suæ denegandum, Principes timent: sic se, omnibus sapientiores audent existimare: doctrinam mentis, à maiestate throni ponderantes. Tu mi Princeps caue, sceptrum, in cubitum adaptes, scientiæ metiendæ: nam & partam, si fortè, non solùm inde non augebis, sed corrumpes. Ideo ad Principem Tyrium, Ezechiel. *Eleuatum est cor tuum, in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam, in decore tuo.* Cap. 28. vers. 17. Polychronius vertit: *Perdidisti sapientiam tuam, in regno tuo.* Quia dum de Regni Maiestate ponderabat, quam habebat sapientiam, penitus desipuit.

Luc. 16. 27.
Vers. 29.
Vers. 30
Sicque insitus illi hic morbus, vt etiam in Inferno durare videatur.

Caiet.
Sed dum ita præsumit, partã aliunde sibi sapientiam corrumpit.
Ezech. 28.
Polychron.

Hæc mentis vitia: non minora sunt alia voluntatis. Deploratæ Tyrannidis est vox illa, ignota nemini: *Sic volo, sic iubeo: sit pro ratione voluntas.* Euitat pessimam hanc labem, quisque Principum non perditissimos: at periculum est, etiam modestis, ne confinia morbi huius attingant: & plus iusto, inter supremæ potestatis blandimenta, sic propriæ voluntatis moribus adhæreant: vt rationi sentiant conniuendum. Non leue est hoc malum: de quo benè Balduinus, in Syl. Allegor. ad cap. 35. Ierem. ita. *Amor propriæ voluntatis, pertinax: vix enim anima quidquam plus amare potest, quàm propriam voluntatem, propriam sententiam: propterea, cùm à propriâ voluntate retrahitur, quasi à se auulsa, quasi inflicto vulnere saucia, cruentatur. Amor propriæ voluntatis, vinum est, mentem inebrians: & omnes sensus eius perturbans, vt pula, auditum, ne audiat obedientiam, oculos discretionis, ne videant veritatem: cæterósque sensus, suis officiis destituit, in medio eorum miscens spiritum vertiginis. Vinum propriæ voluntatis eliquatum est, & expressum in torculari inobedientiæ: & vnâ acerbâ, quam comederunt Patres nostri, dentes filiorum obstupescunt. Adam pater inobedientiæ, vinum hoc miscuit, & poculum mortis, filiis propinauit: quasi diceret, bibite ex hoc omnes: & adhuc quidem bibunt ex eo omnes peccatores terræ.* Bibunt quidem omnes, sed nescio quomodò auidiùs, huius veneno amphoræ Principes se ingurgitant: quia regiam in homine potentiam in Principe regalissimam, sub iugo rationis ductam ægrè ferunt: & rationi reptandæ potiùs inuehuntur, confusâ sensuum vertigine laborantes. Vnde ergo feliciter dirigatur Imperium, Populus gubernetur: si currus & Auriga eius, id est, Princeps, sub spuriis voluntatis habenis, ratione reptata gubernetur? dixi de hoc suprà fusè. 1378.

Propria voluntas in Principe, quot damnorum causa.
Balduin.

Hic solummodò aduerto, non aliunde Principi iusto, contra inueteratum hoc malum, remedium efficacius adhibendum: quàm sita voluntatem componat, ita iustitiæ & æquitati, indomitam assuefaciat, vt illam, in æquitatem mutâsse videatur: durissimum est, & humanæ fra- 1379.

Voluntas humana, diuinæ subiecta, nil sibi resistens offendit.

gili

gilitati penè inaccessibile, Principis voluntatem in omnibus coercere, reginam duplici titulo, carcerare: faciliùs aspirante diuina gratiâ puto, sic conformare, vt diuinæ æterni Regis voluntati vnita, ad æquitatem vbiuis impellatur: vnde id fœlicissime eueniet, vt semper voluntatem suam exequatur, dum semper obtemperat diuinæ: semper Princeps, ad libitum disponat, quia nihil, nisi licitum, optare consueuit; quia *in lege Domini, voluntas eius.* Psalm. 1. vers. 2. qui id vnum petit à Domino, id requirit, *vt videat voluntatem eius.* Psalm. 26. vers. 4. Sicque illis annumeretur, de quibus Salomon: *voluntas Regum, labia iusta:* Prou. 16. vers. 13. Quasi non nisi ad æquitatis Iustitiam voluntas dirigatur. Hoc est planè, quod à supremo Cælorum Rege, terreni Principes, sibi debent proponere imitandum. Deturbatus è superbiæ suæ throno, bestiis adnumeratus Nabuchodonosor, tandem resipit: quia quem arrogantia prostrârat, restituit humilitas: tunc sic ipse de Deo: *Potestas eius potestas sempiterna, & regnum eius, in generatione, & generatione: & omnes habitatores terræ apud eum in nihil reputati sunt: iuxta voluntatem enim suam facit.* Dan. 4. vers. 31. & 32. Quasi hæc sit, supremi illius dominij, excelsi Regni conditio, quòd cuncta, ad voluntatis suæ libitum disponat. Mirum tamen, quod paulò post addit. *Omnia opera eius vera: & viæ eius iudicia.* vers. 34. vbi Ricardus Victorin. de Erudit. Int. Hom. lib. 2. cap. 46. meritò sic addubitat. *Cum in sequentibus idem Nabuchodonosor, in Dei laudem dicat quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia: quid est, quod hic eum dicit: omnia agere pro voluntate sua? certè, si omnia opera eius vera sunt, omnia fiunt in veritate: si omnes viæ eius iudicia sunt, omnia sunt in æquitate: quomodo ergo, pro voluntate?* Tunc optimè sic respondet. *An fortè fieri secundùm æquitatem, est fieri secundùm voluntatem? & eo ipso quò fit in æquitate, eo, inquam, ipso fit, pro eius voluntate? Sed si idem omnino est, fieri secundùm æquitatem, & fieri secundum eius voluntatem; ergo idem est eius voluntas, quod æquitas; & æquitas, quod voluntas: & non est qui resistat manui eius, & dicat: quare fecisti? Quis ei resistat? quis contradicat, cùm omnia tam potenter, quàm sapienter agat? cùm nemo sit, qui possit vel omninò potentiam cohibere, vel summam sapientiam arguere.* Hæc erit summa fælicitas, mi Princeps, si voluntatem tuam refuderis in diuinam: si diuinâ tanquam propriâ guberneris: erit iam voluntas tua æquitas, imo & Omnipotentia: omnia poteris, quia omnia, vt volueris, euenient: à Tyrannidis confinibus remotissimus, prosperrimè Imperium dilatabis.

Psalm. 1. v. 2. *Psalm. 26. 4.* *Prou. 16. 13.* *Dan. 4. v. 31.* *Vers. 34.* *Ricard. Victor.* *Quia voluntas diuina, tota ratio, tota æquitas est.*

1380. Tyrannicum est, subditis sibi politicè commissis; quasi seruis, despoticè imperare: contine tenet Tyrannidis Princeps ille: qui sic absolutus imperat, quamuis politicè, vt nunquam arbitrio Populi, aliquid ex æquitate, permittat decernendum. At iustus Princeps, sic suam sibi retinet supremam auctoritatem, vt quandoque subditis videatur obtemperare: tàm hinc alienus dispendij, vt potiùs, gentis suæ consopitis querelis, securior & pacatior imperitârit. Alludens Moyses, ad id quod narratur Exod. 18. sic factum exponit Populo: *Dixique vobis illo in tempore: non possum solus sustinere vos &c. Non valeo solus negotia vestra sustinere, & pondus ac iurgia. Date ex vobis viros sapientes, & gnaros, & quorum conuersatio sit probata, in Tribubus vestris: vt ponam eos vobis Principes.* Deuter. 1. à vers. 9. Non poterat supremus Israelitarum Princeps negotium tantum suauiùs disponere: dat illis optionem eligendi, dicens: *date ex vobis viros:* sibi, conferendi auctoritatem Ius retinuit: visusque minuere potestatem suam, dum non tàm eligit imperans, quàm electoribus subditis obedit: nunquam tamen faustiores potestati suæ titulos cumulauit: Ecquos, inquis, titulos? ecquas infulas? quia in subiectos sibi Principes, partem oneris deponens, multo leuiùs Monarchiam sustinebat: cùm autem hi non à se, sed à Populo electi forent; si quid minus ad gustum eueniret, si quid electi à Tribubus Iudices peccarent: iam non Moysi benefico, sed prauis electoribus imputaretur: Itaque dum supremus hic Princeps, visus Populo suo potestatem communicâsse, subditis obediisse: reuerà totam sibi potestatem, & minùs laboriosam & à calumniis liberam conseruauit, Stephanus Cantuar. in Syl. Alleg. ad hunc locum. *Date ex vobis viros: quasi dicat: nolo imperare, sed obedire subditis: itaque electionem subditis tribuit, sibi retinet potestatem: ne plebs contemnat, aut oderit, si non licuit habere, quod voluit.* Multùm hinc discis Princeps, qui Potestati tuæ suauissimam securitatem aucuparis.

Partem potestatis, subditis communicare, non solum generositatem arguit, sed etiã fælicitatem, Principis imperiiq. *Exod. 18.* *Deuter. 1. 9.* *Steph. Cant.*

Sæuam Tyrannidis lineam attingit ille, qui in subditos innocentes debacchatus, instar truculentæ bestiæ, instar ferocientis Baltasaris, fœdis cædibus Remp. demolitur: sed non à longe Tyrannidem salutat, qui ingentem Populi multitudinem, fortasse delinquentem, funditùs euertere, & vniuersam contendit dilaniare. Absit tanta labes à Principe meo: quam semel contractam optimus Imperator Theodosius, nisi mirâ illâ, quàm scimus, pœnitentiâ, nunquam satis putauit repurgandam. Singularius tamen & admirabilius est, quod iam subiungo. Suscepto Noë sacrificio, ait Deus: *Nequaquam vltrà maledicam terræ, propter homines, sensus enim & cogitatio humani cordis, in malum prona sunt, ab adolescentiâ suâ: non igitur vltrà percutiam omnem viuentem, sicut feci.* Genes. 8. vers. 21. Nunquid denuò, humanæ conditionis fragilitatem agnouit Deus? absit: Cur ergo, cuius fragile ingenium pridem introspexerat, deleuit funditus: & immensæ multitudini non pepercit? imò, cur deinceps, à consimili vniuersalis diluuij supplicio, tam disertè sibi testatur temperandum, quasi qui pœnitens quòd hominem fecisset, præcauens in futurum, illum submersit Genes. 7. vers. 6. Iam nunc, quod summersisset, pœnitens videatur? Iustissimum quidem fuit, expositis circunstantiis, vniuersale illud Dei supplicium; nihilominus, quasi facti pœniteat, commiserantis pollicitationis verba subiunxit, malens apud ignaros & blasphemos Prouidentiæ suæ famam periclitari à prædictis verbis: quàm quòd Principibus, à priori gesto videretur exemplum adornari, vnde quandoque sibi licitum crederent, in vniuersam multitudinem, immani quamuis sceleri obnoxiam, desæuire. Grauiter ibi Oleaster post alia. *Docentur Principes non facere vindictam, cuius postea pœniteret oporteat: Similiter, rarò sæuiendum esse in multitudinem: nam ante propter peccatum, pœnituerat se fecisse, nunc iam eum pœnitet deleuisse; vbi vim peccati expende, & boni operis virtutem.* 1381.

In totã multitudinem delinquentẽ, quomodo pœna veniat infligenda. *Genes. 8. 21.* *Genes. 7. v. 6.* *Oleaster.*

depre

deprehenderint : quemadmodum de Theodosio legimus & de Deo hic. Mirum valde est, Deum sibi leges non puniendi præfigere : hominem verò non apud se statuere, eum perpetuò non offendere. Non ergo diluuium, in exemplar puniendæ multitudinis, præsumat Princeps : aut si temerè quandoque præsumpsit : clementiæ sibi legem, de cætero strictissimam, nec vnquam violabilem imponat.

1382. *Princeps, quandoque sub ioco, iniuriam acceptam dissimulet.*

In paucos igitur, puta præcipuos communis criminis Auctores, vt iam alibi monui, animaduertendum. Imò si crimen illius generis sit, quod innoxiè queat dissimulari, dabis id clementiæ tuæ, vt potiùs non vidisse videaris, quàm ignouisse, quod etiam suprà dixi. Tandem iusta Principis ira, sub ioco inuoluta, vt rebelles subditos pudore confundit; sic ipsum, decore, benignitatis, nobilissimo commendat. Amœnissima est in hanc rem, historiola Magni Constantini, contra quem, non solum rebelles, sed etiam effrontes, lapidatâ Principis statuâ, quidam insurrexerant : de quâ ita D. Ioannes Chrysostom. (D. Chrysost.) Concione de Imp. & Pot. post alia, quæ huc facerent. *Cùm aliquando D. Constantini imago, lapidibus percussa fuisset : & plerique illum stimularent, ad eos persequendos, & pœnà afficiendos, qui iniuriam ipsi tam grauem fecerant : dicerentque istos, saxa iaculando, totum Imperatoris vultum, ictibus contudisse : tunc Constantinum ipsum aiunt, contrectato manu vultu, & leniter ridendo, sic respondisse : nusquam vulnus vultui meo impressum video : quin & caput sanum est, & facies omnis incolumis. Ita illos rubore & pudore affectos, ab hoc iniquo consilio desistere fecit.* Ego verò putarem longè intensiori rubore affectos ipsos reos, cùm rem nouerunt : ipsa confusione, factæ, in Principem sic benignum, iniuriæ, longè sæuiùs, quàm quouis alio supplicio multari. Hâc arte Christus Dominus, pietate potiùs, quàm indignatione, rebellem adhuc, & spirantem minarum, dum prosternit, eidem ait : *Saule, Saule, quid me persequeris?* Actor. 9. vers. 4. Hæc vox, potiùs defendentis se est, quàm hostem debellantis : quia nimirum, qui ex rebelli, deuotissimum sibi facere militem captabat, non aliunde id efficaciùs fieri prænouit, quàm si non succensens, sed parcens adueniret : quò enim deinceps fidei Paulus non erumperet : quid præteriti sceleris memoriâ non totus confunderetur, qui sic clementem Principem agnoscebat? Benè Alexander Monachus, Orat. de S. Barnabâ, sic Paulum inducit loquentem. *Tanquam abortiuo, & mihi apparuit : cuius diuinâ & iucundâ voce, aures ipsas adhuc personantes habeo : suâ enim benignitate singulari, & omnium maximâ, prosecutus me fuit : quippè qui mihi prostrato, & miserabiliter iacenti, seipsum defendens potiùs, quàm mihi succensens : Saule, inquit, cur me persequeris?* Prostratis iam tibi reis, si talis immines mi Princeps, in milites deinde tibi fidelissimos commutabis : omni pœnarum classico, omni tubâ supplicij, reboantior vox blanda Principis, compescendis rebellibus solet personare.

Act. 9. 4. Hac enim benignitate, reus, si ingenuus est, punitur sanius.

Alex. Mon.

1383. *Ob paucorum merita, multorum debet scelera condonari.*

Tyranni est, ob paucorum scelera, vniuersam communitatem, supplicio immanissimo deuouere : à cuius confinibus tam longè abesse volo Principem meum, vt etiam è contra ob paucorum merita, à totius Populi delinquentis pœna, quandoque temperauerit. Notissima est in hanc rem clementia diuini Principis, infamibus tot vrbibus, propter decem tantùm iustos, si fortè reperirentur indulturi : *Non delebo propter decem.* Genes. 18. vers. 32. Non tamen adhuc trita, optima Hameri sententia, ad hunc locum, qui ita. *Est hîc obiter non tam admiranda, quam etiam prædicanda, diuina bonitas, quæ tot vrbium, & tot hominum scelera, decem duntaxat inculpatis pensare satis habebat. Est illud regium, & planè heroicum, in gratiam paucorum, & quidem optimorum, parcere innumeris. Quod quidem Augustus Cæsar, totius Orbis imperio, cum ob alia, tum ob hoc certè dignus : bello Actiaco, &c. E sublimi suggestu, cùm Alexandrini extrema omnia timerent, pronuntiauit, se omnibus veniam dare : idque ob Alexandrum magnum, conditorem & splendorem vrbis : tum etiam propter Arium, eius vrbis Philosophum, quo Augustus per quam familiariter vtebatur.* Si autem quæras, cur id, ita regium planè, & heroicum habeatur : facilè respondeo inde esse, quia contrarium illud, puniendi Iustos cum impiis, etiam si multò plures, Iustis, impij fuerint; tyrannicum planè est, proximum vero tyrannidi, si fortasse sub ipso belli incendio (difficile non nego) id à Principe caueri potest, non præcipi toto conatu præcauendum, vt si euenerit, quod innocentes cum impiis periclitentur, res potiùs iusti belli præcipiti tempestati, ineuitabilibus sæuientis Martis vorticibus, quàm libito, aut stomacho Principibus tribuatur. Hinc illa vox Abrahæ ad Deum, in prædicto euentu. *Absit à te, vt rem hanc facias, & occidas Iustum cum impio, fiatque iustus : sicut impius : non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram : non facies iudicium hoc.* Vers. 25. Neque tamen audaciam obstrepentis amici taxat Deus, sed quasi consilium, quod ipse Abrahæ ingesserat, ab hoc caperet, monitis acquiescit : ne vnquam præsumeretur destinâsse se paucos etiam iustos communi pœna cum impiis inuoluere. Consimilibus tu monitoribus attende Princeps optime : verissimum quippè, quod hîc notat Oleaster : *Nihil terra grauius sustinet, quàm videre causam iusti, ac si impius foret, iudicari.*

Gen 18. 32.

Gail. Ham.

Nunquam verò debet ob multorum scelera, vnus innocens puniri.

Gen. 18 25.

Oleaster.

Tyrannidis fulmen euibrat, qui indictâ causâ fulminat sententiam : attonat saltem sub fulgure tyrannidis, qui scintillantis iræ æstuans incendio, discutiendis causis admouetur : Princeps optimus, non solùm iusto, sed pacato penitus pectore procedit : ne quid licentiæ, sed totum iuri concedere agnoscatur. Detectâ iam immanitate scelerum Aman, addit Textus de Assuero : *Rex autem iratus surrexit : & de loco conuiuij, intrauit in hortum arboribus consitum.* Esth. 7. v. item 7. Non frustrà in tam arduo negotio, prodiens, in viridarium, Rex describitur, qui potiùs in conclaue suum rediturus videbatur : nec enim amœnitatis delitias, post horribile nefas auditum, quæsiisse credendus. Quid ergo? prolaturus erat necis sententiam: & quia se senserat irâ æstuantem, auram viridarij pergit capturus, vbi ardorem refrigerans, iam non impetu iræ, sed maturitate consilij, & pacato corde procedere nosceretur. Dionys. ibi. *Intrauit in hortum arboribus consitum, pro refrigeratione iracundiæ suæ : & ne impetu ira ferret sententiam.* Lege oro quæ suprà Numer. 821. dedi, de Deo in aura post meridiem, in Protoparentum pœnam, ob consimilem causam

1384. *Princeps. nunquam iratus procedat ad vindictam.*

Esth 7 7.

Dionys.

sam, veniente. Tandem, vt Tyranni est, talem se sub æstuante furore semper gerere, vt nullus tunc amicorum audeat pro misero reo intercedere, sic ad Tyrannidem accedit is Princeps, qui nunquam auditis amicorum intercessionibus obtemperat. Meus igitur, longissimè à Tyranno, distabit Princeps, si non solùm patienter audiat, sed etiam beneuolè, amicis intercessoribus obtemperet: recolens scilicet grauissima illa verba D Augustini epistol. 54. ad Macedonium, quæ sic habent: *Ipse Dominus, apud homines intercessit, ne lapidaretur adultera, & eo modo nobis intercessionis commendauit officium: nisi quia ille terrendo fecit, quod nos petendo: ille enim Dominus, nos serui sumus: verumtamen ille sic terruit, vt omnes timère debeamus. Quis enim est nostrûm, sine peccato: quod cùm eis dixisset, à quibus ei offerebatur punienda peccatrix, vt qui sciret se esse sine peccato, prior in illam lapidem mitteret, cecidit sæuitia, tremente conscientiâ: tunc enim ex illâ congregatione dilapsi, solam Misericordi miseram reliquerunt. Cedat huic sententiæ pietas Christianorum, cui cessit impietas Iudæorum: cedat humilitas obsequentium, cui cessit superbia persequentium: cedat confessio fidelis, cui cessit simulatio tentatoris. Malis parce, vir bone: quanto melior, tantò esto mitior: quantò sis celsior potestate, tanto humilior fias pietate.* Solùm ergo is Princeps, intercedentium preces respuat, qui se apud Deum, intercessoribus præsumpserit non egere: is, reorum peccato non condoleat: qui se non reum, & à peccato immunem, somniat arroganter. Sed de his satis.

Amicorum intercessione pro reo, admittat Princeps.

D. August.

ALIVD NOTATIONIS Membrum.

1385. HVCVSQVE ab initio Notationis, (imò & ferè ab initio totius operis) Togam discussimus, quæ per diuersam Politicem, Imperio conseruando, aut euertendo assuescit: in idem iam, etiam Paludamentum euoluamus. Non ita florentis pacis tranquillitas, aut ignauæ otium: vt iusti belli feruor, aut iniqui incendium, Principatum subitò extollit, aut deturbat. Non assumerem has partes religiosus Scriptor, Mineruæ potiùs chartis impallescens, quàm Palladis tumultibus accensus: nisi sacræ historiæ, quam explico contextu, non solùm vocatus viderer, sed prouocatus: iniquissimè ibi Baltasarem, in circunstantes Prouincias inferentem bella vidimus: & illata sibi à Persis, ignauissimè propulsantem: vtrinque Babylonico Imperio, in extremam ruinam miserè demerso: vt ergo curtus notarer, si nihil hinc Principi meo depromerem monitorum: sic si longum conarer Stratageticum edere, traducerer temerarius: pauca itaque suggeram, quæ sic Interpretis officio satisfaciant, vt religiosæ modestiæ non officiant: sic Principem ad bellicam iustitiam instituant, vt vndique bellatorem instruere non nitentur: vt enim illud modestæ Theologiæ amplectitur Professor: sic istud, Vegetio, aut Onosandro, cæterisque Artis militaris Scriptoribus relinquendum: inde vel maximè, quod apud Catholicos Principes, quibus scribo, pacis potiùs, quàm belli quærendam gloriam, sic præscribit Ambrosius Offic. 1. cap. 35. *De fortitudine tractemus, quæ velut excelsior cæteris, diuiditur in res bellicas, & domesticas: sed bellicarum rerum studium, à nostro officio iam alienum videtur, quia animi magis quam corporis officio intendimus, nec ad arma iam spectat vsus noster, sed ad pacis negotia. Maiores nostri, vt Iesus Naue, Hieroboal, Samson, Dauid, summâ quoque velut rebus bellicis retulere gloriâ. Est itaque fortitudo, velut excelsior cæteris, sed nunquam incomitata virtus: non enim se ipsam committit sibi: alioqui fortitudo sine iustitiâ, iniquitatis materia est: quò enim validior est, eò promptior est, vt inferiorem opprimat: cùm in ipsis rebus bellicis, iusta bella, an iniusta sint spectandum putetur.*

Princeps à pace potiùs, quàm à bello, gloriam inquirat.

D. Ambros.

MONITA POLITICA.

II.

Belli detestatio. Pacis encomium, illud, solummodò huic conseruandæ, ineundum: alijs ad rem congestis.

NIhil bello fœdius, terra sustinet: nullibi antiphrastica nominis ratio, elucet clarius. *Bellum* appellatur, quia turpissima, & horribilia quæuis secum importat: sapit ars dura, durissimum Auctorem. Lineam Cain describens sacer Scriptor, & nepotes eius catalogo reducens, sic habet de Iubal: *Ipse fuit pater canentium in cithara & organo*, Genes. 4. v. 21. de cuius fratre Tubalcain, statim ita: *Fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri*, vers. 22. Apponitur deinde sequenti capite Iustorum series, Seth genealogia, quibus tamen nihil artis, quo naturam iuuarent, attribuitur. An forte pretiosior apud Deum, Cain progenies, quàm soboles Seth, vt illi, denegatas huic artes inspiraret? absit: imo ipsa prædictarum artium conditio, authores fœdat, & ab execrabili Cain stirpe procedentes, à Dæmonéque traducit institutos: alter nimirum voluptatibus, bellis alter apparatum ministrauit: vterque aut dulci, aut amaro veneno Orbem infecit. Bene ibi Guillelmus Hamerus. *Non ergo est quòd quis putet, Moysen scriptis suis Caini posteros laudasse, tanquam multarum artium repertores, sed potiùs traducere, vt vanitatum, & voluptatum, dissidiorúmque Auctores.* Diuersissima fratrum studia fuerunt, alter mollissimæ musicæ, alter ferro durissimo incubuit: iste fornaci, ille organis folles admouit: hinc rithmicæ melodiæ sonos, illinc reboantis incudis strepitus aucupatus: vterque tamen in vnum & eundem scopum, vastandi infaustissimè Orbis collineauit: vt quibus mortalium parcerent blandimenta, bella corrumperent, aut insanâ libidine, aut insanissimo Marte perituros. Meritò proinde de vtroque fratre, sic paulo ante scripserat idem Hamerus, *Mirum videri poterat, inter ipsa Mundi primordia, instrumenta hæc musica commenta: nisi à Cain parricida posteris essent excogitata, ad vanitatem potius*

1386. Quos primùm immanes bella habuerit Auctores.

Gen. 4. 21.

Vers. 22.

Hamerus.

Turpis Musica, eadem primum qui.

Hamerus.

potiùs quàm ad pietatem appositis,&c. Nec vana est Hebræorum opinio, qui hinc Tubalcain, gladium primum excogitasse ferunt, quo gentes omnes bella gerunt, & in mutuam cædem ruunt. Scribunt ethnici, sub aureo Saturni sæculo, gladios non fuisse: quod nobis satis esse debet, in Paradisiacâ vitâ, summam pacem semper fore: caeterùm, commisso in Deum scelere, contraria omnia exorta. Quàm igitur à delitiarum amore alienum, tàm à bellorum studio, Principem optimum cupio remotissimũ.

1387. Mira est vox illa Dauidis, commendantis collata sibi, à Deo beneficia: *Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & super excelsa statuens me, qui docet manus meas ad prælium: & posuisti vt arcum æreum, brachia mea.* Psalm. 17. vers. 34.

Psalm. 17. 34 Præcinctum se virtute, id est militari robore instructissimum dixerat vers. 33. fortissimus Rex:

Vers. 33. id proinde in manibus ineundo prælio dexterrimis expressit, in brachiis, instar ferrei arcus, robustissimis: si quid ergo de pedibus interiiciendum, illorum constantia, tibiarum firmitudo vocanda videbatur, quâ stans in gradu suo, immobilis in conflictu, in ordine persistens (quæ est summa militiæ gloria) decertaret. Quid ergo huc faciunt ignaui ceruorum pedes, quibus vt nihil timidius, sic fugacius nihil? Ni fallor, sub eximiâ bellicæ virtutis gloriâ, animus egregii Principis, à bellandi studio remotissimus commendatur: quasi is, cuius robur præstantissimum facilè hostes posset superare: cuius generosa virtus leonem referebat: sic alimde à prouocandis hostibus, ab excitandis præliis abhorreret; ac si, timidi instar cerui, fugam potius à velocibus pedibus, quàm pugnam, à consertis manibus, meditatus videretur. Non hinc abiret

Princeps strenuus, non nisi lacessitus, bellum init.

D. Ambros. D. Ambros. initio citatus, sic subiungens. *Nunquam Dauid, nisi lacessitus, bellum intulit: itaque prudentiam, virtutis comitem habuit in prælio.*

P. Velasquez Hæc tantùm verba libauit ad rem suam P. Velasquez Notat. 20. expendo adhuc, quæ subdidit

D. Ambros. S. Doctor. *Nam & aduersùs Goliam, immani mole corporis virum, singulari certamine dimicaturus*

1. Reg. 17. *1. Reg. 17 arma quibus oneraretur, respuit: viribus enim, suis lacertis magis, quàm alienis integumentis nititur: deinde eminùs, quo grauiùs feriret, ictu lapidis hostem interemit. Postea nunquam nisi consulto Domino, bellum adorsus est: ideo in omnibus victor præliis, vsque ad summam senectutem, manu promptus* Respuit arma, integumenta ferrea ducit superuacanea, qui proprios lacertos, tanquam æreos arcus distringebat, & tamen tantus bellator, non tàm proprio studio, quàm diuino oraculo prælia adoritur: quasi pacem perpetuam amplexatus, nisi ad bellum dominico imperio excitaretur.

1388. Pax ergo modesto Principi vbique ambienda, nisi aut iusta, restituendis sibi iniquè raptis, inuasio: aut licita, ab inuadentibus, defensio, bellum persuadeant: vt enim verum est illud

Quæ sint, belli iusti, causæ.

M. Tullius. Tullij Orat. pro Milone: *Non modò iustum, sed etiam necessarium, cùm vi, vis illata defenditur:* hæc enim se defendentium actio legitima: sic æquè, pro inuadentibus, sanctum illud, ethnici

Onosander. Onosandri, qui cap. 4. stratag. ita. *Principia ipsa belli prudentissimè constitui oportere censeo, ita vt æquitatis ratione suadente, suscepta esse, manifestè appareat: tunc enim exercitui contra hostes socius bellorum Deus, propitiúsque assistet: ipsique adeo milites erunt adeundis periculis promptiores, post-*

Bello iusto, assistit Deus.

quàm enim perspexerint, se iniuriam non inferre, verum illatam propulsare: nullius impietatis conscij, absolutâ cum virtute, excelsoque animo, militiæ se se vltro dabunt. Ideo quotquot arbitrantur, diuinum Numen ijs non succensere, qui bellum iniustè mouent, vel solâ istâ persuasione (& si nihil ab hostibus sæuum, sæuúmque obtigerit) metu sollicitati pauent semper, ac formidant. Quam ob rem, si quædam obtinere, aut negare volueris Imperator: ea priùs, per allocutiones aut legatos clarigare debet: vt nisi æquis illi postulationibus annuant, tandem necessitate cogente, non studiosâ intentione, bellum indixisse agnoscatur: diuinam quoque fidem testetur, bellum se temerè non gerere, nec quia damnosam præliorum aleam parùm pendet: neque vt hostes destinatès ad libitum, quouis modo potuerit, affligat. Correxi ex Græco, leuiter, sed necessariò sententiam: quam ideo non piguit totam transcripsisse, quia vix à Christiano pectore, aut æquior, aut magis pia proueniret. Hæc igitur Princeps obseruet, nec quouis alio prætextu, quamuis genio & potentiâ bellicosissimus, maximum in terrâ bonum, barbaro furore, pacem violauerit. Scitè quidem Auctor Apopth. lib. 5. sic scripsit. Auctor.

Bella importunè suscipere, barbarum est.

Teres, Sitalci pater dicere consueuit, quoties esset in otio, nec militiâ exerceretur, se nihil meliorem esse Equisonibus: Hæc vox, quid aliud sonat, quàm barbaricam immanitatem? quasi pacis tempore desit, quid agat bonus Princeps. Tu qui iam Christum nosti, vtiliùs longè & fœcundiùs, pacis otium meditare.

Nato Domino, hæc prima Angelorum vox 1389.
auditur: *Gloria in altissimis Deo, & in terrâ pax hominibus.* Luc. 2. vers. 14. Vox est, non solùm præ Luc. 2. v. 14.
admiratione diuinam gloriam prædicantium: sed etiam exultantium, & præ noui gaudij magnitudine gratias Domino reddentium: quòd scilicet, cùm recens nato pacis Principe, pax hominibus nasceretur. Illud tamen, non oscitanter notandum, quòd non vtcunque Deo gloriam reddunt, sed *in altissimis:* nec vtcunque pax hominibus, sed *in terra* nuntiatur: quasi hinc præcipuè, immensùm conceptæ lætitiæ ratio augesceret: quòd sicut in cælo diuinæ gloriæ; sic iam in terrâ, humanæ pacis spectaculo fruerentur. Pridem scilicet, è cælis, in terras demissi, quanuis cælestis beatitatis gloriam retinerent: nescio tamen, quomodò admixto dolore contristari videbantur, dum terram cruentis bellis cernerent fœdari: reddita ergo est terræ, quasi paradisiaca prioris innocentiæ pulchritudo: synçerâ iam, & incorruptâ voluptate Angeli, siue in cælis, siue in terris morarentur, sibi iam perfruendum sperabant.

Pax terrena lætissimum Angelis spectaculum.

Vidit rem D. Gregor. Nyssenus, Homil. de Nat. D Greg. Nys.
Dom. apud Lypom. vbi ita. *Quid nam plaudentium sonus? gloriam clamant in altissimis Deo: Cur diuino Numini, quod in altissimis cernitur, gloriam tribuunt? quoniam, inquiunt, & in terrâ pax: ob hoc spectaculum, gaudio perfusi sunt Angeli; In terrâ pax: quæ priùs detestabilis erat; quæ spinis ac tribulis plena solitudo; quæ damnatorum exilium; quæ belli regio; hæc pacem suscepit.* Turbat ergo Angelorum lætitiam, cælestes conciues, quasi violentos hìc detinet & subtristes: quisquis pacificatam iam terram, iterum in belli regionem, contendit proteruus commutare.

Bella nostra Angelos contristant.

Et bene, *proteruus:* qui per impudentem con- 1390.
tumaciam, diuinæ, pacifici nostri Principis, sollicitudini, parat obices, quasi conatus reuellere

Fff sa

Vbi pax, ibi Christus inhabitat, qui illam, nobis non mutuo, sed dono, intulit.

sacrilegè, quam Dominus radicandam, piissimè commendauit: quasique renuntiet Christo, dum eiusdem stemma abominatur. Non factum est frustrà, vt iam iám ad Patrem, post resurrectionem Christus redditurus, passim suos, pacis titulo salutaret: *Pax vobis* inquit, Ioan. 20. vers. 19. & iterum vers. 21. & tertiò, vers. 26. Quasi multiplicatis nexibus confirmaturus, quod sub ipso passionis articulo, illis dixerat: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Ioan. 14. vers. 27. Nimirum poterant putare infirmi, sic, veniente in terram Pacis Principe, pretiosissimam hanc gemmam nobis fuisse illatam: vt eodem abeunte pariter etiam foret recessura: bono animo estote, inquit Christus: non mutuo, sed dono, pacem immisi: non est liberalitatis meæ dona repetere: ecce ego, licèt occultus, *vobiscum sum, vsque ad consummationem sæculi:* Matth. vlt. vers. vlt. nec absque stemmate meo, & absque throno pacis, adesse sustinerem: illa in aperto, absentem meam præsentiam, & præsentem absentiam manifestat. Tale aliquid cogitabat Eusebius Gallican. Homil. in Dom. 1. post Pascha, vbi ita, in verba Ioannis citata. *Pacem autem eis commendat, quia sine pace impossibile est placere Deo: & vbi pax non est, discordia regnat: vnde Psalmista: factus est, inquit, in pace locus eius: pacem veniens attulit: & hinc abiens pacem reliquit.* An non igitur proteruus, qui bellorum inductâ discordiâ, sic pacem fugat, sic locum Christi conatur demoliri; quasi aut ipsum fugare pariter contendat, aut absque decenti throno perseuerare?

Ioan. 20. 19. Vers. 21. — Ioan. 14. 27. — Matth. vlt. V. 21. vlt. — Euseb. Gall.

1391. Parum est, si iniquè præliantem, iniusta bella mouentem, dixeris *proteruum:* Antichristum potiùs merito appellaueris. Signa postremi diei daturus Christus Discipulis, hæc, licèt aliis remotiora præmisit. *Cùm audieritis prælia & seditiones, nolite terreri: oportet primùm hæc fieri, sed nondum statim finis: tunc, dicebat illis, surget gens contra gentem: & regnum aduersùs regnum.* Luc. 21. vers. 9. & 10. Quod vt ibidem paulo post dicitur, in Sole, Luna, & stellis, præuia Iudicio signa dentur, non est mirum: hebescit sol in pallorem, in sanguinem luna rubescit, in ruinam præcipitant stellæ: vt quid inferior Orbis passurus sit, noscatur, cùm tàm acerbè immutetur superior: vt terra trepido metu concussa, mare infesto fragore rugiens, imminens iam incendium expauescant. Quid tamen in id, prælia gentium, regnorum seditiones: aut cur præuiè tradantur gladio, qui vicino iam incendio faciliùs deuouerentur? Scilicet nasciturus tunc est Antichristus, cuius, hæc remotiora signa Iudicij, proximæ dispositiones sunt, & apparatus: quia non poterat reuelari *homo peccati, filius perditionis, qui aduersatur & extollitur supra omne quod est Deus, aut quod colitur ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus* 2. Thessal. 2. vers. 3. quin bellorum furore exciperetur: vt sicut pacifica quædam suauitas, sub Augusto, Christum nascentem excepit: sic bellica dissidia, orientem excipiant Antichristum. Idem Eusebius Gallic. Homil. in Nat. Plur. Mart. ad verba Lucæ, ita. *Quia tunc nascetur perditionis filius, bella, lites, & contentiones, & omnia mala, vbique fieri oportebat: veluti enim pax præcessit Christum, ita discordia præcedet Antichristum.* Videat nunc Princeps, si bellis iniquissimis totus incumbat, an Christo, an Antichristo, regni thronum paret: & veri illorum similem se testetur.

Luc. 21. v. 9. *Bellorum motor, Antichristi præcursor est.* — 2. Thes. 2. 3.

1392. *Hic calumnia Deo bellum infert, à quo procinde implacabiliter & inuiso punitur.*

Hinc est, vt ab inquietis huiusmodi Principibus, licèt contra homines videantur; se tamen verâ contra Deum, quem à pacifico loco cupiunt deturbatum, bella moueantur: vnde etiam non rarò fit, vt nouo pœnarum genere, denegato pœnitentiæ tempore, absumpti pereant. Horribile fuit genus illud supplicij Core Dathan & Abiron, horúmque impiæ congregationi, subitò illatum: *Dirupta est terra sub pedibus illorum, & aperiens os suum, deuorauit illos, cum tabernaculis suis, & vniuersâ substantiâ eorum: descenderúntque viui in infernum operti humo.* Numer. 16. vers. 31. Datur Cain parricidæ, tempus pœnitentiæ: conceditur sacrilegis tandiu Niniuitis, indulgentia, (vt bene notat Optatus Mileuitanus statim citandus) consimiléſque peccatores diu sustinentur; at his miseris, non solùm noua, sed etiam pœna subita, sic infligitur: vt omnis salutis via intercludatur, & cur ita? quia dum schisma, & ciuile bellum in populo Dei excitârunt, stantes *aduersum Moysen, & Aaron.* vers. 3. & contra piam horum congregationem, *coaceruâssent multitudinem.* vers. 19. licèt in homines bellum mouisse, putari possent, se tamen verâ in Deum rebellabant: propterea enim meritò Moyses, ad horum Principem Core, id signanter reprehendit, *& omnis globus tuus stet contra Dominum,* &c. Audiendus iam Optatus Mileuit. lib. 1. aduersùs Parm. vbi ita. *Ritum imitati sacrorum, ducentes, & quod excurrit, Ministros secum perituros, cum thuribulis, in fronte seducti populi, posuerunt. Deus, cui displicet schisma, hoc libenter videre non potuit. Indixerant quodammodò Deo bellum: quasi esset alter Deus, qui alterum acciperet sacrificium. Igitur Deus pro neglectis mandatis, iratus est irâ magnâ: & quod in sacrilegos, & parricidam non fecerat, in schismaticos facit. Stabat ministrorum acies, & multitudo sacrilega, cum interdictis sacrificijs suis, illico peritura: negatum, & subductum est pœnitentiæ tempus, quia non talis erat culpa, quæ veniam mereretur: mandata est terræ fames: statim fauces suas, in Populi diuisores aperuit: & contemptores mandatorum Dei, auido ore absorbuit: infrà momenti spatium, ad transglutiendos prædictos, terra patuit, rapuit, clausa est.* Indicitur, consimilibus dissidiis, bellum Deo: dum quasi alter Deus eligitur adorandus; displicet Christus in pacifico throno collocatus, & toruo alicui Marti, sedes erigitur, bellicis spectaculis satiando: mandabitur terræ fames diglutiendis furentibus, quibus humani sanguinis vna est sitis.

Num. 16. 31. — Vers. 3. — Vers. 19. — Optat. Mil.

1393. *Iusta sunt bellorum exercitia si solùmmodo pax, his procuretur.*

Quid, inquis, ergo? si bellum ita detestabile, otio igitur & inertiæ danda iuuentus: nec exercenda militaribus disciplinis, quæ pacis potiùs studio addicenda: vnde porro non vitiis scateat Resp. nisi magnam, nobilioris iuuentutis partem, ab ignauo otio, ad honesta hæc, acquirendarum virium, exercitia reuocauerit? non veto, imo laudo, sub ipso pacis tempore honestas has occupationes, modestos ludos, bellicæ disciplinæ comparandæ: alius tamen his, quàm pro solito, finis præscribendus: non ideo militaris hæc disciplina arripienda, vt instructi ciues, per iniquissima bella, alienos terminos inuadant: sed vt ingruens, si fortasse, sibi bellum, propulsent facilè: quasi non tàm gerendo bello, quàm recuperandę paci,

Auctor. Apoph.

paci instructos olim fuisse, videatur. Hinc Auctor Apophth. lib. 5. *Meneclides inuidens Epaminondæ gloriæ, suasit Populo, vt pacem haberent bello potiorem: cui Epaminondas: fallis, inquit, Ciues tuos, qui otij nomine, eos ad seruitutem vocas: pax enim bello paratur: nec eam tueri licet, nisi Ciues sint ad bellum instructi.* Exerceantur ergo Ciues militariter, vt pacificè possint degere: sic postea coactus Princeps, exercitu instructo, bellum ineat, vt solùm pro triumpho, Pacis trophæum, apud suos erigere contendat. Recole verba illa Christi resurgentis, ad discipulos, toties iterata, de quibus supra *Pax vobis,* inquit, Ioan. 20. vers. 19. Inuaserant Dominum, hominum peccata: Mundus, Diabolus, Mors, conflato agmine, in Dominum bella mouent: sed superantur: prostratâ culpâ, conculcatâ Mundi gloriâ, colligato Dæmone, Morte mortua, triumphat victor egregius: spolia deinde suis diuisurus, primam porrigit pacem: quasi nullum à glorioso triumpho, splendidius trophæum meditaretur, non in hoc descendit in prælium cælestis Princeps, (vt alibi ex Tertulliano dixi) vt præcipuè Tartareum Principem, prostratis eiusdem satellitibus, colligaret: sed, vt illo colligato bella genti suæ illata cessarent penitus, sicque suauissima pax suis redderetur. Pulchrè Eusebius Gallicanus homil. 10. de Pasch. *Quid miramur, si pacis annuntiat gratiam, post recentem, de Mundi hoste, victoriam? Tale primitus Regi, deferre decuit premium; post triumphum.* Habet exemplar, meus Princeps, vt qualem, bellis suis, scopum debeat proponere, recognoscat.

Ioan 20. 19.

Gloriosissimù à bello trophæum, Pax erigitur.

Eufeb. Gal.

1394. Et fortasse hoc erat, quòd paulò ante dixerat eisdem: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Ioan. 14. v. 27. Signanter expressit *meam*: benè enim sua dicitur, pro qua auidè certare cupiebat: benè sua, quam tot laborum impendio redimebat: benè sua, ne iam amicis, dono pretiosissimo, relinquenda, minus æstimaretur, si aut non crederetur Deo familiarissima, aut sic putaretur donata, vt de illa ad libitum, tanquam aliquid vile, disponere præsumerent. Dei est itaque Pax, & nostra est, vt dum Dei cognoscitur, habeatur reuerenter: & dum nostra intelligitur, vtiliter impendatur. Fauet Optatus Mileuit. citatus, ad hunc locum. *Pax Christianis omnibus data est, quam rem Dei esse constat, cùm dicit,* meam. *Cum autem dicit,* do vobis, *non solùm suam vult esse, sed & vniuersorum in se credentium.* Caue igitur, temerarius hanc violes, mortalis Princeps, quæ Regi sæculorum immortali stetit tantò, imò caue, ne qui hanc proscindis temerè, disperdis facilè, postea desideratam anxiè, sollicitè quæsitam, non inuenias.

Ioan. 14. 27.

Quomodo nobis donetur pax, cum Christi mea sit.

Optat. Mil.

1395. Iucundam, cum fratre, pacem optabat ille, qui à Christo diuidendam inter ipsos hæreditatem, id est, odij fomentum extinguendum, sollicitabat: Luc. 12. vers. 13. ad quem tamen seuerus Christus: *Homo quis me constituit Iudicem super vos?* Vers. 14. Prætereo erumpentem statim difficultatem, quòd iudicem, in hoc negotio, se neget, cui rerum omnium causæ debebantur: id vnum miror, quòd iis verbis neget, quibus impius olim Hebræus, fratrem insanâ rixâ malè mulctans, à pacificatore Moyse reprehēsus, Moysem pupugit, dicens: *Quis constituit te Iudicem, & Principem super nos?* Exod. 2. vers. 14. Sed præstat audire Tertullian. lib. 4. aduersùs Marcion. cap. 28. sic, ad verba Christi, acutè dubitantem. *Aliam vocem excusationis inuenire non potuit, ne eâ vteretur, quâ improbus vir, & impius frater assertorem probitatis, atque pietatis excusserat? Denique probauit malam vocem, vtendo ea: & malum factum, pacis inter fratres componendæ, declinatione?* Quid tu hîc, mi lector? certè neque vocem duram, neque impium illius factum, probauit Christus: sed iustissima indignatione, per ironicam subsannationem, indolem Iudaicam arguit & castigat, quasi dicat: ipse ego olim in Moyse typo meo, per spiritum pietatis assistens, fratres dimisso bello, ad pacem conatus sum reuocare: vos autem conculcatæ facilè paci, rixam præponentes, insuper me in Moyse exacerbâstis dicentes, *quis te constituit Iudicem super nos?* Nunc autem suspiratâ pace recurritis, nec illam impetrabitis: quippè ad iustissimam pœnam ex ore vestro vos arguo; *Quis me constituit Iudicem super vos?* Spreuistis rogantem, rogantes nunc irrideo: ite, bellate, intestino malo inuicem perituri. Dixi fusiùs, vt Tyro capias, quæ longè acutiùs ibi, sed hinc iam clarus addit ita citatus Tertullianus. *Aut nihquid indignè tulerit, hoc dicto fatigatum Moysem, ideòque in causa pari disceptantium fratrum, voluit illos, commemoratione eiusdem dicti, confudisse? planè ita: ipse enim tunc fuerat in Moyse, qui talia audierat, spiritus scilicet Creatoris.* Vltima verba pungunt Marcionem, qui Christum Creatoris filium denegabat, nec illi aliquid, cum veteri Testamento, commune garriebat: ad rem. Si iam bello desæuiens æquis legibus quasi à Deo oblatam, pacem respuis mi Princeps: incassùm, fortasse hanc posteà suspirabis, non bellabas amore pacis consequendæ, cui per insaniam renuntias oblatæ: iniquus ergo pugnabas, qui iusti belli, scopum præteribas: Audi tantum aurea Theodorici Regis verba (apud Cassiodorum lib. Var. epist.) ad Principes nescio quos bellaturientes. *Absit vt à vobis aliquid, indignatio, ex eâ subripiat: moderatio prouida est, quæ gentes seruat: furor autem instantia plerumque præcipitat: & tunc vtile solùm est, ad arma concurrere, cùm locum, apud aduersarium, Iustitia non potest inuenire.* An ergo tibi, spreta pace, iniustum bellum, vtile, tu te videris.

Qui pacem vltrò violat: frustra postea satagit recuperandam.

Luc. 12. 13.

Exod. 2. 14.

Tertul.

Iustè scilicet à Deo perpetuis bellis affligi, permissum.

Tertul.

Cassiodor. *Princeps nisi coactus, iniustè bellat.*

XII.

Ineundo bello, expensæ prouidendæ: vndéque istæ legitimè comparentur.

Qvæ hucusque dixi, non tàm bellum, quàm belli iniustitiam condemnant; quippè & iustæ; recuperandis suis, inuasioni; & iustiori, propulsandis illatis iniuriis, defensioni, locum reliquerunt, vt pax ita, longè gratior fulciatur. Iusto igitur aut offensiuo, aut defensiuo bello, ineundo, præuiè dispositum Principem requiro. 1396. Tarda prouidentia, tumultuariè instanti iam periculo subuenit, & vt plurimùm agit infælicitèr: ad Imperij tui iacturam, ducis exercitum, aciem moues: nisi sub ipsius belli initio, omnia subinde necessaria, habueris iam in promptu: Pruden-

Apparatus ad bellum iustum, prouidè destinandus ingruente iam periculo, frustra perquiritur.

Onosand. ter Onosander cit. cap. *Prætereà, & istud valdè animaduertendum, &c. Bellorum initia, validissimè statuenda, & stabilienda esse: atque sic, quasi iam benè fundatâ securitate, instruendas, educendásque copias. Scilicet malè constituta huiusmodi negotia, graui certaminis onere incumbente, illicò fatiscunt, & deficiunt. Vt autem optimus gubernator, priùs quàm soluat è portu, nauem omnibus armamentis extruere solet: sic etiam prouidus Imperator, quæcunque vsui sibi fore putabit præparet diligenter: cætera fortunæ permittat.* Neque enim etiam sic solerter prouido certa prosperitas: improuidè agenti verò, indubitata ferè aduersitas portenditur. Sed esto, nil inde

A bello, de improuidentia turpiter desistitur. triste incurrat Princeps improuidus, certè ad bellum necessariis destitutus, bellum ipsum perficere non poterit, quod ipsum, triste iam est, atque pudendum: satis inhonestum est Principi, quòd incautè incipiens, turpiter desistere cogatur, *vt omnes qui vident, incipiant illudere ei dicentes: quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Luc.14. vers.29. Luc 14.29. Pretiosum satis spolium, sub grauissimâ honoris iacturâ, relinquit hostibus, qui moto bello, ignauiter desistens, risum sui excitat, commouet ludibrium. Onosand. Iterum Onosander. *Pudendum porrò, ac periculosum est, temerè ac turbidè bellicos excitâsse tumultus, & veluti mare, terrámque, præliis miscere voluisse: deinde turpiter inceptis desistere, prorámque obuertere: etenim vnusquisque supinam huius amentiam deridet: imbellémque audaciam, ludos facit: hostes autem quicunque illi sint, oderunt eos meritò, qui iniuriam inferre, nec noluerunt quidem, sed nec potuerunt.* Hoc igitur prudenti Principi meo fixum hæreat, quippè sanctissimum, quod ex Liuio lib.5. adducit ibi Interpres: Tit.Liuius. *Aut bellum suscipere non oportet: aut gerere pro dignitate, & perficere quàm primùm oportet.*

1397. Apparatus autem præuius, maximè in Thesauris repositis consistit. Δεῖ δὴ χρημάτων; καὶ ἄνευ τούτων, οὐδὲν ἔστι γενέσθαι τῶν δεόντων. Verba sunt Demosthenis, de bello contra Philippum apparando: Demosthen. *Pecuniis sanè opus est, sine quibus, nihil eorum quæ expediunt, potest fieri.* *Princeps, pecunias bellicis sumptibus reponat.* Ergo dicat aliquis, thesauros præcipis recondendos Principi Christiano, contra præceptum Christi, qui solummodò in cælis voluit thesaurizandum? O vtinam, quod Principes Christiani, immodicis delitiis, damnatis voluptatibus, prodigis largitionibus impendunt, iustorum bellorum impendiis thesaurizarent: neque tàm sacrilegè violatum, quàm custoditum fideliter, diuinum illud præceptum attestaret. Expende Domini verba: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terrâ, vbi ærugo & tinea demolitur, vbi fures effodiunt & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, &c.* Matth.6. vers.19. Math.6.9. *Hi thesauri, ad iusta bella, cælo militant.* Illi tantummodò thesauri damnantur, qui nulli bono vsui repositi, ærugini tantùm, & furibus videntur asseruari; qui sic in terrâ sunt, vt cælo contraponi præsumantur: at Principum, prædicto scopo, thesauri destinati, non tàm in cælum, quàm cælo militare intelliguntur. Quid ita? Respondet ad hũc locum Caiet. Caiet. *Principes debent habere thesauros, tum vt timeant alij, mouere illis bellum: tum ne cogantur Populũ grauare: tum ne vilescant petendo mutuum. Sed prohibetur reponere in terrâ, vt terra contrariatur cælo.* Ridiculus fit hæreticis Princeps Catholicus, impiis infestatur armis: ni opulentus thesauris præsumatur: nec solum petendo mutuum vilescit, sed quod grauius est, vsuras pendens, supputatoriis, fœneratorum calculis, visus lapidari: donec tandem elanguens, auaris his sanguisugis exhauriatur. *Absque thesauris enim Princeps, exhauritur.* Putat incautus Princeps, leuari præsentem inopiam horum industriâ, cùm tamen perennem hinc sibi inopiam machinetur. Verissimum quippè illud Basilij Magni Orat.14. de Paupert. D.Basil. *Perinde atque hi, qui ex cholerâ laborant, semper id, quod ante ingestum est, eiiciunt: Et si priùs quàm penitùs purgati fuerint, alium cibum superingesserint, summo cum dolore, & lancinatione vomunt: ita etiam qui fœnora exercent, vsuras ex vsuris transmutantes, antequam priora expurgentur, alterum mutuum superinducunt: atque vbi paululum aliena, in delitiis, habuerint, tandem ob res proprias lugent.* Piget, pudet referre, quot Principes hinc ad inopias redigantur, qui aliunde possent immensis thesauris hostes perterrere.

Et quid non veniat vtilis Thesaurus, Principi, in bella iusta, aceruatus: cuius defectu, subditi immodicis tributis aggrauantur, vt vidit Caiet. 1398. *In bellicis sumptibus, à Proceribus aliquid erigendum, ne plebei, semper plura conferant.* aut ingruenti bellorum periculo absorbendi penitus, aut ab exactoribus duris, proprio patrimonio, spoliandi? Sed de hoc, initio huius operis fusè dixi. Hic tantummodò Principem meum vellem admonitum: ne semper (deficiente fortè thesauro) plebeios miseros imminentis belli impendiis adigat, tributis affligat: nouerit proceribus suis, partem communis oneris imponere: iniquum est, si quibus instans periculum plus afferret incommodi, non etiam repellendo, plus impendant. Nec solùm æqua, sed etiam proficua Principi, venit hæc partitio: libenter & suauissimè, indigenti Regi offeret Populus etiam necessaria, si Proceres, saltem sibi superflua reddiderint. Hæc fuit optima Christi Politica, cùm iam iam Tartareum Tyrannum debellaturus, sub triumphalis expeditionis pompâ, gloriosiorem longè triumphum meditatus, Ierusalem ingreditur: ideo Matthæus de discipulis, id est, de Christi Domini purpuratis: *Adduxerunt, asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt:* Cap.21. v.7. & additur statim: *Plurima autem turba strauerunt vestimenta suâ in via.* Math.21.7. Vers.8. Vbi Apostolos, vestimenta sua, sessura Domino, impendentes, turba cernit: Vers.8. iam piè feruens, suis viam sternere, calcandáque, & proterenda Asello, substernere festinat: deuotius longè à turba vestimentorum impendium, facilè consequitur cælestis Princeps, quia Proceribus suis, quale quale deuotionis, ex vsu vestium, tributum, inspirans imperârat. Si se quandoque honestè tributarios, Regni Proceres exhiberent: nullum sibi impositum tributum, plebs vnquam recusaret. Dolent acerbè, & meritò plebei, sub communi bellorum tempestate, luxuriare nobiles, se interim miserrimè exhaustis, imò, id etiam doleat Princeps prudens, necesse est, amouendæ huic corruptelæ, totus addictus: ne plebeios, Procerum luxui, laborantes, tandem sibi steriles deploret.

Prudentissimus erat Pater ille familiâs, & aliunde piissimus, quem nobis Euangelica Parabola, 1399. Luc.13. repræsentat: & tamen cùm semel atque iterum, vineam suam ingressus, ficum semper sterilem aspexisset, stomachatus iustè, præcipit villico: *Proceres, in pompa vanitati, plebeios exhauriunt.*

villico: *Succide illam, vt quid etiam terram occupat.* Verſ.7. Non ſolùm ſterilitati arboris indignatur, ſed etiam occupantem, id eſt, ſurripientem terræ vires, vnde ſubiecti palmites creſcant, fert ægerrimè. Ideo Chryſol. ſerm. 106. *Infructuoſa arbor intricat ceſpitem, necat ſpatia, exhaurit terræ vires, cultorem conficit damno, afficit tædio poſſidentem, ac ſic excidere iſtam, lucrum eſt; eſt, iſtam, commodum, non habere.* Nimirum pompoſa arbor, quæ inter ſubiectos palmites extollitur in vinea, quantùm debitis fructibus denegat, tantùm luxuriantibus frondibus impendit: laſciuit ramis, in opacum vmbraculum, apparatis: vtque inanem hanc molem valeat enutrire, vires terræ exhaurit, vicinis & ſubditis plantis extorquet ſuccum, quas deinde vmbroſa diffuſione Sole priuat: donec tandem areſcentes contabeſcant. *In fœcunda arbor* addit paulò poſt idem S. Doctor, *ſi fuerit in vinea, dum fundit mortiferam ſubiectis vitibus vmbram: inimica non ſolùm ſibi, ſed etiam palmitibus fit fœcundis.* Meritò igitur ſucciditur infælix arbor: iuſtè patrisfamil. patitur indignationem. Delitiis ſuis miſeros agricolas reliquoſque ſubditos, exhauriunt Proceres: vt iam ſterileſcentibus illis, nequeat vrgente neceſſitate, vti Princeps, & non indignetur in Proceres non ſolùm ſteriles, ſed etiam plebem ad ſterilitatem reducentes? Quid ergo? Succidendi-ne Proceres? abſit: ſed tamen, cùm res poſtulet circum amputandi: indicendus nimiæ pompæ modus: tenor, ſuperfluis, tot frondium vanitatibus: hinc vtrumque facilè & fœliciter eueniet: primum vt non ita grauati, à priuatis Dynaſtis, plebei, communi Principi, quaſi reſumpto ſucco & Sole, iterum fructeſcant: ſecundum, vt ipſi Dynaſtæ, quod ludis & meretricibus abſumebant, in bellorum ſubſidium impendant. Ita eſt: ſalebroſam viam ſternes exercitui tuo mi Princeps, id eſt periculosè ineundo bello ſubſidia comparabis: ni adæquatâ proportione, Procerum plebeiorúmque conditio complanetur. Venienti cæleſti Principi viam ſternens Baptiſta, propheticum illud inclamat: *Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius: omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur: & erunt praua in directa, & aſpera in vias planas*, Luc.3.v.4. Quaſi ſalebroſæ, & perperàm conſtratæ, in Chriſtiana Republ. ſint viæ illæ, vbi alij, ad expeditiones regias, tanquam valles hiant, alij inſtar montium tument: deme ab his, vt illi impleantur: tolle, inquam, à Proceribus ſuperflua, vt afflictos diu plebeios ita ſubleues. *Superflua* cautè dixi; nam debitum Proceribus ſplendorem negare, conſimili iniquitate laborat: ideo enim non dicitur euacuabitur, aut opprimetur mons, ſed *humiliabitur:* quia id tantùm iubetur verticis deponere, quantùm vallis hiatui opplendo ſatis erit. Nec Princeps æquus aliud intendit, nec niſi inſaniens populus, exhauriendos, bellorum ſumptibus, Proceres (qui ſunt Reipubl. lumina & columina) præſumeret. Dixi de his, iam plura alibi.

Luc.2.37.

D.Chryſol.

Idem. *Et ipſi vana pompa exhauriuntur.*

Luc 3.4. *Ergo de Procerum bonis aliquid non vtrum in plebeiorum leuamen adimendum.*

1400. *Bellorum non ſolum exitus, ſed etiã duratio incertiſsima: vnde tenor debitus ſumptibus prouidendus.*

Igitur bello iuſto, ſic aut à theſauris, aut ab æquiſſimis tributis, ſumptus ſibi apparet prudens Princeps: imò ſic theſauros, ſic tributa prouidè diſponat, vt in longum ſibi perſeuerare poſſint. Fallitur, qui rem optimè geſtam iri putat, ſi computatâ belli duratione, ſumptibus paratas pecunias commenſurarit: fallitur inquam, quia nihil à prudentiâ alieniùs, quàm inchoato ſemel bello, certum finem, fixa tempora decernere: vt nulla bello alea periculoſior vertitur, ſic nulla non ſolùm exitûs, ſed etiam durationis incertior: meritò Auctor Apophthegm. lib. 1. de Archidamo. *In bello Peloponneſiaco, ſociis rogantibus, quanta pecunia futura eſſet ſatis: ac poſtulantibus, vt tributorum certum modum præſcriberet: Bellum, inquit, non quærit definita. Significans, eos qui bellum ſuſceperunt, oportere per omnia ſeruire belli neceſſitatibus: quarum nullus eſt certus modus, quod variæ ſint bellorum, præter expectationem occaſiones.* Sic ergo coaceruandi theſauri, ſic imponenda tributa, vt in longiſſimum durare queant: aliàs bellum non ineundum. Non autem durabunt theſauri, niſi ſumma Miniſtrorum fidelitate expenſi: nec tributa, niſi temperata tandiu tolerabuntur. Hæc pauca de ſumptuum ratione, non piguit adnotaſſe, quia vt bene habet Thucidides lib. 4. *Ita demum cuiuſque ciuitatis libertas firmè retinetur, ſi adſit potentia, quæ hoſtibus, finitimiſque populis reſiſtere poſſit.* Si autem à ſolertiſſimo Auctore quæras, vnde maximè compararetur hæc potentia: reſponderet iis quæ dixerat lib. 1. *Bellum non eſt in armis maximè, ſed in expenſis & ſumptibus per quos efficacia arma redduntur.* Efficacibus verò armis, eget Princeps Catholicus: vnde niſi vigili curâ ſumptibus ſtuduerit: vt, deſiſtendi turpiter ab incepto bello pudorem euitet, in turpius longè tyrannicæ rapacitatis vitium declinabit: deturbabit Imperium; nec enim leuiorem huic ruinam hoſtile iugum, quàm tributum immodicum importat.

Auct. Apop.

Thucid. *Arma, expenſis redduntur efficacia.*

Thucid.

XIII.

Delectus Militum.

STant victoriæ, Exercitûs præſtantiâ: Militum fortitudo animat exercitum: non ergo multæ, ſed robuſtiſſimæ copiæ, victorem Principem coronabunt; ignaua multitudo, indiſciplinata turba, non tam pugnantis ducis auxilio, quàm hoſtibus ludibrio eſſe ſolet: non quot, ſed quos eduxeris, Princeps cogita: pauciſſimis leonibus innumeras ſi oues committas, pinguius potiùs epulum, quàm diuturnum prælium apparabis: noſti immenſas Darij acies, ſuccincto Alexandri agmine, breui diffuſas. Pendet negotium à curâ, à prudentiâ, in præuio delectu faciendo. Sacramento, abſque examine, admiſſi milites, numerum, non exercitum adaugent: hoſtibus magis hoſtiæ, quàm Patriæ defenſores cumulantur. Res plana, nec tamen, vt par eſt, expenſa hodie, cùm potentia de numero computatur: fortaſſe, quia non iam virtuti, ſed fortunæ prælia vt plurimùm committuntur: igniuoma tormenta robur militare penitus confecerunt. Prudens vox illa Archidami lib. 1. Apophthegm. *Vbi vidiſſet iaculum, Catapultâ mittendum, id temporis primùm ex Siciliâ aduectum: exclamauit, inquit: Hercules! perijt viri virtus. Quoties enim inſtrumentis bellum geritur, quæ miſſo telo, ſaxóve, procul feriunt: minimum intereſt, inter fortem virum, & ignauum. Verum vbi cominùs res geritur: tunc apparet, qui viri ſint, qui non.* Et tamen Baliſtæ,

1401. *Milites non tam multi, quàm boni, victoriam reportant.*

Auct. Apop.

Igniuoma tormenta, perimunt virtus bellica

Catapultæ, similiáque instrumenta prisca, risus nugæ; si bellicis tormentis hodie comparentur. Nihilominus cum non raro post explosas ferreas glandes, ad manus veniatur, cominus gladio decertetur: adhuc virtutem militum requiro: & certè ingenti etiã animo opus est, ne metu ignis, sub ferreâ hac tempestate, lethaliter grandinátis, corruptæ acies, deserto ordine fugiant: & quam è manibus nequeunt, è pedibus putent opem implorandam. Adhuc ergo delectu studioso opus est: adhuc quippe verum illud Catonis Senioris, dicere soliti: *Sibi inuisum esse militem, qui ambulans moueret manus, pugnans moueret pedes: clariusque sterteret, quam inclamaret.* Apoph lib. 5.

Auctor.

1402. Coactos igitur in primis, & violenter conductos milites sperno: nihil ab inuitis faustum sperandum, fugam quacunque possint, meditantibus non iniicient hostibus vincula, qui sub vinculis militaturi protrahuntur. Parco aliorum exemplis ducum, quæ norunt pueri: Cælestem tibi Principem propono in exemplar. Exercitum in Tartara parat Christus, Milites requirit, cùm ait: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam, & sequatur me.* Matth. 16. vers. 24. Omnia & singula verba, non coactam Domino obedientiam, sed vltroneam spirant militum promptitudinem: vocaris, non traheris: volens venis: ipse tollis Crucem: sequeris, non reptaris. Tota militaris est illâ metaphora, (vt in Cant. Dram. fusiùs expendi) quâ Christus Ecclesiam vocat, bellico sacramento, dicens: *Pone me vt signaculum, super cor tuum; vt signaculum, super brachium tuum.* Cant. 8. vers. 6. & propterea cùm tàm auidè & affectus, & opera fidelium sollicitet: non tàm dixit pono me, vt signaculum, sed, *tu pone me*: nimirum, ad liberum & liberale sacramentum, quod sub vexillo Crucis parabat ineundum, hîc alludebat, cui tantummodò illum, qui *vult venire*, admittebat. Ideo D. Ambros. serm. 22. in Psalm. 118. *Signaculum meum es, ad imaginem meam es, & similitudinem &c. & quia imago Dei es, in corde tuo est, sit & in operibus tuis. Sit effigies Euangelij in tuis factis, vt in tuis moribus mea præcepta custodias. Effigies Euangelij erit in te, si percutienti maxillam, alteram præbeas, si diligis inimicum tuum: si Crucem tuam tollas, & me sequaris.* Quæris cur tam vltronea signaculi impositio, tam spontanea Crucis gestatio, requiratur? quia non ab aliis, nisi vltrò venientibus, aut amor, aut fidelitas in ducem; & iusta, tantæ militiæ, præsumitur æstimatio: fidelitate autem amoris, & sacramenti militaris æstimatione deficientibus, corruit militia. Ideo Dux cælestis non solùm *in Corde*, sed *super Cor*, signaculum suum cupit imprimendum: quod bene notauit ibi Balduinus, in Syl. Allegor. *Super cor: vt omne quod charum est, postponas: & me semper superponas.* Caue ergo mi Princeps, inuitorum potiùs militum coactor, quàm volentium conductor videaris: quibus nihil militari labore minus est charum; nihil otio, per fugam, per proditionem, repetendo, venit pretiosius: stultè putaueris, hos tales tibi retinendos: quos sibi suspectos Dominus iudicauit, duriùs est militare hoc iugum, etiam sub spe præmiorum præclarissima, quàm inuitis ciuibus, (nisi ob defensionem Patriæ, quo nunquam non auidissimè confluunt) ponatur.

Coactorum militum delectus inutilis omnino.

Mat. 16. 24. Christus non coacta, sed vltronea vult obsequia.

Cant. 8. v. 6.

D. Ambros.

Balduinus.

1403. Nouum adhuc exemplum præbeat Dux diuinus. *Venite* inquit, *ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: tollite iugum meũ super vos, & inuenietis requiem animabus vestris.* Matth. 11. vers. 28. Si refectio promittitur in iugo, cur non imponitur venientibus, suauem requiem libéter accepturis? Cur eisdémet annuntiatur attolli? quia licèt suaue licèt blandum: tamen iugũ erat, & quidquid importabat laboris, tollendum à te potiùs, propriísque à te humeris, quàm à se imponendum, volebat cælestis Imperator. D. Bernardus Tract. de dilig. Deo, ad finem. *Pulchrè Dominus, tollite, ait, iugum meum super vos: ac si diceret: non impono inuitis: sed vos tollite, si vultis.* Nescit Dux noster, violentus Milites cogere, qui volentes cupit. Non durat, quia non diligitur, quia non æstimatur, militia inuitis imposita: ideo vt suprà, *super cor:* sic hîc, post spontaneè tollendum iugum, addidit, *super vos.* de quo acutè ibi Caietanus. *Tollite: id est euangelicam legem meam, voluntariè suscipite. super vos: non subtus vos, non iuxta vos, sed super vos, suscipite Euangelium: non despiciendo, non æstimando tanquam legem humanam: sed vt rem diuinam super omnibus vobis.* Nihil faustum à bellicâ expeditione tuâ speres, mi Princeps, nisi Imperia tua Milites diligant, & reuerenter habeant: frustrà autem speraueris ab inuitis, amorem nisi fictum, reuerentiam, nisi fucatam extorquendam. Neque *super Cor*, signaculum: neque *super vos*, iugum: ad summam scilicet reuerentiam, indixit Christus: nisi cum iam præmiserat: *Pone me*; tu nimirum: *tollite iugum:* vos videlicet vltronei; tu si quid vltrà præsumis, aberrabis.

Math. 11. 28. Virtutis iugum, non inuitis, sed diligentibus imponitur.

D. Bernard.

Caietan.

Milites non tàm vi, quã amore, ducat Princeps.

1404. Quid? licèt aliæ quandoque causæ, Ciues à martiali exercitio retardent: vt plurimùm tamen, metu hostium, mortis formidine, ignaua corda retardantur: & non nisi, huc, inuita protrahuntur: ab ignauis autem, & meticulosis homunculis, excidium potiùs, quàm præsidium exercitui apparatur. Prætereo in pugnâ, corporem metuentium: multò ante pugnam, falsis rumoribus, somniatis delyriis, exercitum & animosos socios corrumpunt: quidquid præcauent mali, imminens prædicant: à pauore sibi conficta, facta iurant: vera si quæ pericula, in immensum maiora repræsentant: ominantur infausta: prædicunt ominosa. Vt prudentissimè dixerit de Militum metu, Onosander, cap. 42. *Metus scilicet, falsus vates esse solet: vt quæ timentur, priùs quàm fiant, facta esse credantur.* Et fortasse ideo Æneas apud Virgil. lib. 1. animaturus milites suos, ait:

Metus militum multorum malorum causa.

Onosander.

Metus, falsus vates in bello esse solet.

Experti reuocate animos, mæstúmque timorem
Mittite.

Virgil.

Vt enim mœstis mentibus, melancholia, triste quidquid confictum, quasi factum repræsentat: sic militarem timorem, signanter *mæstum* vocauit, prudens Scriptor: quia illis vana pro veris fingebat, & leuia quæuis, in portentosam grauitatem adaugeret. Pulchrè Seneca Epist. 13. *Illud tibi præcipio, ne sis miser ante tempus: cum illa, quæ velut imminentia expauisti, fortasse nunquam ventura sint, certè nondum venerint: quædam enim, nos magis torquent, quàm debeant: quædam ante torquent, quàm debeant: quædam torquent, cùm omninò non debeant: aut augemus dolorem, aut fingimus, aut præcipimus, &c. Ita est, mi Lucili, citò accedimus opinioni, non coarguimus illa, quæ nos in metum adducunt, non excutimus, sed trepidamus: & sic vertimus terga, quemadmodum illi, quos, pulnis motus fugâ pecorum, exuit castris: aut*

Seneca.

aut quos, aliqua fabula sine authore sparsa, conterruit. Deferas ergo tecum ignauos milites, animos timidos: & munitissima etiam tibi castra: deserta videris: puluerem quippè à pecorum fugâ, quasi ab hostilis exercitus aduentu, commotum vaticinantes, ipsis vel pecudibus languidiores, eneruantur.

1405. Metus, quàm soleat panidu Militibus, obiecta immutare. Num. 13. 34. Pende verba, quæ meticulosi illi milites, exploratâ iam promissionis terrâ, expectanti exercitui reddiderunt: *Ibi vidimus monstra quædam, filiorum Enac de genere gigantæo, quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* Numer. 13, vers. 14. Non vtcunque Gigantes, sed in ipsa giganteâ statura, monstrosam quandam adaugent enormitatem, non homunculos, non lepores, non saltem mures, se considerant, sed locustas: & præoccupantes iudicium timore; longè aliter, quàm in se erant, omnia immutabant Ideo v. 33. vbi dicitur: *Detraxerúntque terræ, quam inspexerant:* In Sixt. vertunt L x x. *Et protulerunt pauorem terræ, quam explorauerunt.* De quo ibi D. August. quæst. 22. *Pauorem terræ dixit, non quòd paueat eadem terra: sed quem ex eâ terrâ conceperant.* Benè igitur protulisse pauorem dicuntur: quia non tàm quæ erant, quàm quæ pauor dictabat, proferebant. Sed neque solùm conceptum ibi pauorem, quasi præteritum proferunt: sed etiam quasi adhuc retentum & præsentem præferunt. Nimirum vers. 23. tres tantùm gigantes dicuntur aspexisse, *Achiman, Sesai, Tholmai:* hic verò iam omni populo gigantæam tribuunt staturam: *Populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est.* Vers. 33. In Hebr. & Græc. expressiùs, *omnis populus.* Quod expendens ibi Oleast. sic scribit. *Qui priùs terram de fructibus & pinguedine valde commendauerant, iam eius infamiam in medium proferunt, & dicunt eam suos habitatores deuorare, v 33. neque pudet eos, tam apertè mentiri: neque hoc solùm, sed qui priùs asseruerant, se ibidem vidisse tres filios Enac: iam nunc dicunt, omnem populum quem viderant, magnæ esse staturæ.* Sic adhuc turbati, & quasi lymphatico pauore correpti, noua identidem timoris vaticinia componunt. Quid tibi ab his militibus sperares?

Vers. 32. Sixtian. D. August. Vers. 23. Vers. 33. Hebr. & Græc. vers. Oleaster.

1406. Metus iste contagiosus est, & cōmilitones pariter corrumpit. Sed parum foret, si ipsi solummodò ignauescerent: contagiosa, & maximè in exercitu, res est metus: facilè vanâ timidorum fabulâ, in morbum similem socij pertrahuntur, & vniuersus exercitus corrumpitur. Vide quid statim addat Sacer Textus ibidem. *Igitur vociferans omnis turba, fleuit nocte illâ: & murmurati sunt contra Moysem, & Aaron, cuncti filij Israel dicentes: vtinam mortui essemus in Ægypto, & non in hâc vastâ solitudine: vtinam pereamus & non inducat nos Deus in terram istam, ne cadamus gladio, & vxores ac liberi nostri, ducantur captiui.* Cap. 14. à vers 1. Pende verba, tristissimo semper in maius, affectu, scatentia: prætulerant in Ægypto mori, quàm in deserto, iam etiam in deserto mori malunt, quàm se gladio: iugo suos videre subiectos: nihil miseris spei affulget, vnus miseris *in Ægyptum* recursus, vers. 4. apparet salutaris: & despondentes manibus, contra hostes, fugacibus vnicè pedibus confidunt. An non potentissima Dei signa ab Ægypto inspexerant egressuri? An non submersum Pharaonis exercitum; & in ipsa solitudine prostratos Amalechitas, ipsi viderant? Cur sub eisdem æterni Ducis auspiciis consimiles victorias non sperant, animos non resumunt? quia dum metuentium rumoribus, contagioso pauore perterrentur, ad solam diffidentiam & fletus, sub fugæ meditatione impelluntur. Oleaster. *Prona sunt hominum corda, ad diffidentiam: viderant enim isti Regem potentissimum cum omni exercitu suo submersum, Amalechitas debellatos, innumerabilia de cælo signa, Deúmque præsentem habent in medio sui: & tamen auditis rumoribus vagis, deterrentur, ac flent.* Et pulchrè dixit, *vagis rumoribus:* nullus enim terror, aut serpit contagiosior, aut pestilentior corrumpit, quàm qui quasi panicus & lymphaticus, vago rumore, & absque certâ metuentium causa, spargitur: Rationem vidit prudentissimè Seneca citatus, sic subiungens. *Nescio quomodò magis vana perturbant, vera enim modum habent. Quidquid ex incerto venit, coniecturæ & licentiæ pauentis animi traditur: nulli igitur tàm perniciosi, tàm irreuocabiles, quàm lymphatici metus sunt: cæteri enim sine ratione; hi sine mente sunt.* Quamuis ergo tuis auspiciis, ducatúque egregio, innumeras olim victorias, partas memores: si tamen pauidos hos & meticulosos milites, quâ ratione possis, ab exercitu tuo non repellis, generosos etiam alios dolebis infectos, & vagis illorum rumoribus, lymphaticè, id est, perniciosissimè perterritos.

Num. 14. 1. Oleaster. Metus ex vanis, semper maior, quàm ex certis. Senec.

Hinc illud, quod ore præconis, vt aiunt, progressuris iam iam copiis, singularum turmarum duces, iussu Dei inclamabant: *Quis est homo formidolosus, & corde pauido? Vadat, & reuertatur in domum suam, ne pauere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est*, Deuteronom. 20. v. 8. Nec exprimitur, an verbis, an gestu fracto, vultúque pallido, an tandem arreptâ fugâ, socios pauore suo exanimarent: puto quia in sic contagioso morbo, non erat opus aliquid singulare designasse, cùm omnia & singula, nocendo præsentissima intelligantur. *Docemur ergo*, inquit hîc Oleaster, *quam inepti sint ad bellum viri formidolosi, qui non solum in bello succumbunt, sed aliis cor auferunt, ne fortiter agant.* Pulchrè autem, ni fallor, non solùm emollire, & frangere, sed etiam sociorum *cor auferre* dicuntur: quia non solùm his robur, sed etiam prudentiam eripiunt: & vagis illis rumoribus, somniatísque periculis amentes reddunt. Etiam generosis Militibus, ad timorem suspecta, noctu excrescunt omnia (vnde Onosander cap. 42. *Omnia quæ noctu, vel leuissima accidunt, maximum incutere solent obsessis terrorem: nemo ob superfusam noctis caliginem, se aliquid vidisse, referre potest, quilibet verò, se audiuisse ait: & si fortè vnus & alter, suprà muros hostis apparuit totum iam exercitum, vrbem inuasisse existimant: vrbémque, & murorum propugnacula deserentes aufugiunt:*) At sanè meticulosis, in hoc mali, ipse lucidissimus meridies, nox est: nulla vmbra, metu caliginosior: nulla pauore, obscurior caligo, ipse insomnia mittit, pericula adauget, multiplicat imminentia, & remotissima iam credit imminere. Sub his ergo tantis tenebris, quid luminis, quid prudentiæ affulgeat? Eleganter D. Petrus Chrysologus expendens illud Ioannis: *Cùm ergo serò esset, die illo vnâ Sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli congregati, propter metum Iudæorum, &c.* Cap. 20. v. 19. Sic scribit, serm. 84. *Sero erat, plus mœrore, quàm tempore: serò est, mœroris*

1407. Deut. 20. 8. Meticulosi milites, non solum robur, sed etiā prudentiam. ociis auferūt. Oleaster. Onosand. Metus nocturnus, castra efficit horribilium. D. Chrysol. Ioan 20. 19. Metus, obscurat animos.

roris & tristitiæ nubilo montibus obscuratis, &c. Magnitudo terroris & facinoris, tanto turbine, discipulorum simul demum, & corda concluserat: & ita totum luminis abdicarat ingressum, vt magis, magisque mœrore sensibus occupatis, cæca noctis augeretur effusio.

1408. Saulis armis, & iniquorum insidiis circumseptus Dauid; non tam ignauo, quàm iusto, & virum constantissimum opprimente timore, clamat correptus, *Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ: & dixi, quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam*, Psalm. 54. v. 6. Sub nocturnis tenebris, Noctua potiùs volitat, quàm Columba: non erant igitur tenebræ istæ noctis, sed timoris; nec tam sub noctis silentio, quàm sub diei luce, fugam hanc meditari Princeps intelligendus: nihilominus innatis pauori tenebris oppressus, mente caligante, quasi inops consilij, ad impossibilia remedia recurrit: & homo natus ad laborem, propriáque industria præsidium sibi quæsiturus, quasi auis ad volatum nasceretur, præstandas sibi pennas, non homini inquam datas, concupiscit; pulchrè proinde Chrysologus citatus, sic subiungit: *Nullæ noctis tenebræ, caliginis mœroris & formidinis comparantur: quia nullo possunt, aut consolationis, aut consilij lumine temperari. Audi Prophetam: Timor & tremor venerunt super me, & operuerunt me tenebræ.* Nimirum nocti quantumuis caliganti, non rarò stella saltem aliqua intermicat: pauori, quidquid est luminis denegatur. Tu iam videris mi Princeps, quò peruaserint milites tui, semel pauore correpti: cùm Dauidem, ad miraculum fortem, collapsum audias; nec speres, non illos etiam generosissimos corripiendos, si ignauos & meticulosos secum ferant, quorum pauore panico, longè perniciosius, vt dixi, quàm vero illo Dauidico inficiantur: quod ex Seneca suprà adnotaui.

Psalm. 54. 6. Et in noctem obscurissimã diem vertit.

D. Chrysol.

1409. Dabo in hanc rem exteris historiolam, à probatæ fidei Auctore enarratam. Legebant nostri littus Malabaricum, nouos ferissimæ gentis portus exploraturi. Ventum eò, vbi non ita infida statio, certè tutior appulsio videri poterat. Dux speculatoriâ scaphâ probè instructâ, expedit è militibus nonnullos, vt adiacentem mari regionem, non longiùs penetratâ syluarum densitate, collustrantes, quàm sit ferax, quámve rerum sterilis agnoscant. Itur, & maiore diei parte explorando loco impensâ, dum suos repetunt, Malabarem piscatorem, qui se rupis latibulo abdiderat, cogunt conuectorem: à quo exactiùs dux, de statu rerum, déque Prouinciæ conditione certior redderetur: ad prætoriam itaque nauim remeantes, à commilitonibus perhumaniter excipiuntur, vt fuerant solicitâ curâ, incredibili desiderio sperati. Ergo, vt nauigantium mos tulit, subitaria refectio asportatur: porrigũtur bis cocti panis frusta, cáque pro temporis diuturnitate, pro nauigationis solito, vermibus scatentia: funditur vinum, non quod indulgendo palato, ingeniosa gula flauum, sed quod rubrum, inuenit prouida necessitas, nec edentibus data requies, sic vndique singuli, omnes de regione, de incolis, de fructibus examinantur. Indus interim tacere, tantum sublatis furtim oculis circumspicere: nouitatem loricatorum militum, noui victûs rationem, nunc admirari subductis, nunc compressis superciliis perhorrere. Interrogantibus multa, ille nihil: cùm enim apud illas gentes, etiam sub breuiore terræ tractu, longissima sit linguarum discrepantia, nostris vtcumque Indica loquentibus, surdus erat, aut certè pauor reddiderat elinguem. Dux vbi hominem, nullibi sibi vsui futurum agnoscit, præcipit reducendum, non solùm non læsum, sed comiter tractatum, munusculisque affectum, vt horum gratiâ benigniorisque hospitij iure, suorum nobis animos conciliaret. Apparatâ iterum scaphâ, redeundi sibi copiam factam Indus intelligens, attentis aliò remigibus, se dat pelago: & quin auram capturus emergeret, per milliaria ferè duo egregius vrinator, incredibili celeritate, appellit littori. Iam multi aderant incolarum, qui nauem ab altis rupibus conspectam, naufragaturam si fortè sperabant spoliis, vt sæpe alibi inhiantes: quibus recens iste è fluctibus, solummodo retrospiciens, quasi vix se liberum crederet paululúmque respirans: fugite, clamat, ô fugite, ni appropinquantium furore perdi satagitis: quid prædæ inhiatis, futuri certa præda? Non hos cæteris mortalium similes habeatis, (experto credite) quos natura, nouerca nobis, pro mollissima illa cute, squamat ferro. Vidi hisce oculis illos pro cibo, corrosis & vermicantibus cadauerum ossibus; pro potu, spumantibus humani sanguinis pateris abutentes. En quos vobis hostes denuntio, solummodò si vitam iam fastiditis, non cauendos. Nec dum prolatis istis, fugam proripit: cæteros omnes, panici metus contagio trepidos post se ducens. Quæ postea, habito iam commercio, non sine risu festiuo, ab amicis incolis, dicuntur enarrata. Sic pessimus vates pauor, loricam, natiuam corporis cutem; panem, ossa: vinum, sanguinem interpretatur. Redeo.

Metus vis, obiectis immutandis.

Multi sunt alij, quos non tam virium imbecillitas, ignauiæ torpor, quàm curarum solicitudo, affectuum pellax mollities, inuitos reddunt bello: & licèt aliunde corde impauidi, dant hoc amoribus suis, vt mori timeant. Hos etiam à militari Albo, quo ad possit, Principi gnauo, admoneo expungendos. Redi ad Duces illos, quos iussu Dei, egressuro iam exercitui vidimus, mittendis formidolosis, inclamantes: sic enim additur ibidem, *Quis est homo, qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? vadat, & reuertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius dedicet eam*, citato cap. 20. Deuteron. v. 5. & statim v. 6. idem sub eodem tenore illi præcipitur, qui recèns plantatæ vineæ, fructus nondum gustarat: & ductam sibi vxorem nondum attigerat. Cùm causa, quæ irrogatur, plus Militibus, quàm Ducibus videatur fauere, & dominicæ dignationem gratiæ importare: non tam militibus iubetur, excusationem hanc, euitandæ militiæ prætendere: quàm ducibus ipsis, ingenuam hanc offerre missionem. Credo, quia his, quàm illis vtilior, tractandáque solicito magis studio prænoscebatur. Vnde nam? quia licèt hi milites robusti, & corde aliunde impauidi, cum formidolosis & ignauis vers. 8. exclusis non computentur; reuerà tamen, licèt non innatâ, ascititiâ tamen formidine laborare, ac proinde bello inutiles, Ducibúsque oneri potiùs quàm subsidio fore præsumebantur: daturi nimirum hoc aut diuitiarum, aut vxorum amoribus, vt mori timerent: potiúsque fœdam ad propria fugam, quàm triumphos à conflictu, & gloriam à morte 1410

Militis inepti sunt, sicut aliàs fortis quisque affectu aliquo immoderato vitã cupimus.

Deut. 20. 5.

Oleast. morte meditaturi. Oleaster ibi. *Admonentur duces, omnes eos ab exercitu reuocare, qui valde mortem timent, aut cor in patriâ habent, ratione alicuius rei, quam valde diligunt.* Sic diuitiæ, sic vxores absentes, eneruant militantium fortitudinem.

1411. *Milites, domi diuitias recidentes; belli, ignauescunt.* Scio Iulium Cæsarem, Militibus suis eximium comptum, diuitem cultum, ad prælium indulsisse: sed non obstat dictis: aliud est absentes opes tenere, ad quas fugiens recurras, aliud tecum gestare, pro quibus, decertes acriùs, retinendis: id Cæsarem quæsiisse, nôsti ex Suetonio; sic nonnullos Barbaros legimus, inter mediæ aciei impedimenta, diuitias, vxores, paruulos circumferre solitos, vt horum aspectu animosiores, non solùm obtinendæ victoriæ, sed etiam non perdendis tot charis, excitarentur. Ad ea ergo quæ diximus, facit egregius dux Epaminondas, de quo ita Auctor Apophth. lib. 5. *Scutatum Militem senserat, à captiuo quodam, magnam pecuniarum vim accepisse: huic Epaminondas: mihi, inquit, redde clypeum: tibi vero, Cauponam emito, in quâ vitam degas: posthac enim noles eodem modo subire periculum; quippè iam vnus de numero diuitum, ac beatorum. Rectè indicauit, timidū, vt est in Prouerbiis, esse Plutum, magis enim metuit mortem, qui domi habet, vnde possit suauiter viuere.* Expeditiores ergo, tenues pugnant: & tunc maximè vitæ prodigi, cùm diuitiarum auidi inhiant spoliis: vnde de Iphicrate, ibidem citatus Auctor. *Censebat militem, & diuitiarum, & voluptatum auidum esse oportere: dicens, illum audacius pericula subiturum, quò suis cupiditatibus suppeditaret.*

(Auct. Apop. — Idem.)

1412. *Milites vxorati, inutiliores bello: cælibes perquirendi.* Circa vxores & filios, quò affectus vehementior in Militibus, quàm ad opes, sic etiam metus ingruit periculosior. Contra quatuor Reges, hósque, opimis, multorum iam Regum, spoliis potentissimos, aciem nouus bellator dirigit Abraham, Genes. 14. & benè nouus bellator, qui licèt ad stratagema, omnes egregij ducis partes legatur adimplesse: videtur tamen experientiæ bellicæ defectu laborâsse, dum tàm exiguo Militum numero contentus pergit: *Numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo, & persecutus est eos vsque Dan: & diuisis sociis, irruit super eos nocte: percussitque eos, &c.* v. 14. Non nego prudenter, socios diuisisse, & cautè speratâ noctis caligine irruisse: sicque vicisse faustè, egregiè vsum victoriâ, dum palantes insequitur *vsque Hoba.* Vers. 15. Sed aliud est diligenter in periculo rem disponere, aliud prudenter periculum adiisse: vnde enim tàm ingentes copias hostiles, non temerè, tàm paruo suorum numero, (neque præuia reuelatione diuinâ id factum legitur) præsumpsit debellandas? Non defuit Duci optimo solertia prudentissima, sic fecerat delectum militum, vt nullum vxoratum admitteret, nullum non cælibem obligaret Sacramento: de quorum iam impauidâ conditione tutus procedebat, quasi in singulis multa millia decertarent. Id ex literâ sic elicit Alcuin. q. 161. *Qui sunt isti expediti, de quibus dictum est, numerauit expeditos vernaculos suos? expeditos dixit, ad bellum promptos, & qui non fuerant vxorati, de quibus in sequentibus vers. 24. dicit exceptis his, quæ comederunt Iuuenes.* Nec enim aliter egregio ausu, vitam pro laude pactam paruipenderent.

(Gen. 14. 14. — Vers. 15. — Alcuin.)

In Hebræo, pro vernaculis expeditis, legitur: *Incipientes erudiri, seu nouitios suos.* Quasi dicat, elegit tyrones suos, quos optimus Dux erudiebat militariter. Vide quæ multa in Spicilegio dedi, de Principe ipso, Tyrones suos olim erudiente, quæ mirè huc faciunt. Multa hinc militaria monita, ab Oleastro, qui ibi ita. *Duo hoc loco notatu digna occurrunt: nimirum, cum quibus bellum gerendum, pro iis qui nos diligunt: tum quòd Patresfam. suos familiares debent instruere ad pacem, & ad bellum si opus sit. Vbi simul aduerte; sanctissimum virum optimum Ducem, qui non solùm suos expedire, sed diuidere nouit, ad victoriam consequendam: sciunt enim sancti suo tempore bellare, & pacem habere. Similiter licèt pro amicis & vicinis arma sumere, si eos iniustè ab aliis vexari contingat.* Ex quibus, id saltem nunc addiscat meus Princeps, certis & periculosioribus incursibus, delectum, ex militibus iam præuiè eruditis faciendum. Singularissimum est tamen, & fortasse non vndique futile, quod ad hunc locum excogitauit Iacobus Bolduc lib. de Eccles. ante leg. qui vult Abrahamum Religionem militarem instituisse, cuius Milites religiosi, aureo torque insigniebantur: huius Religionis vero fuisse *Nouitios*, expeditos hos trecentos, de quibus agimus. Tu legeris quæ ibi multa curiosus planè Scriptor cumulauit. Id si probes: habet quidem Princeps meus exemplar, cui agendo delectu, debeat adhærere: pudendum & ridiculū est, nihil minus hodie plerumque, agere militares nonnullas Religiones, quàm id, ad quod gloriosè fuerunt institutæ: honori iam, non oneri: redditibus, non præliis militatur. Caue Princeps Commendatarios ditissimos facere, nunquam præliaturos: ab his religiosis melior pars delectus florentissimi componenda. Ingenui & nobiles, si exercentur, dum auito splendori, hæreditario sanguini, dedecus cauent, audacius & generosiùs decertant. Nunc autem, pudet dicere, à vilissimis legio componitur maiori ex parte, vt nullius frontis viri, non tàm milites quàm latrones agere videantur: ex prauo scilicet delectu est, vt iam militia, pro latrocinio vsurpetur: ideo Auctor Apophth. lib. 5. post alia de Probo, Isaurorum loca, latrociniis dedita repurgante, sic concludit. *Addens vt eorum filij, ab anno decimo octauo ad militiam mitterentur, ne ante latrocinari discerent, quàm militare. Hoc rectè Probus: cùm multùm interesset inter militiam, & latrocinium: nunc friuolum est.* Sanè friuolum, quia cùm nobiles vt plurimum armis dessuescant, delectus è Reipubl. fæcibus conglobatus, his noxis se fœdare non erubescit.

(1413. *Tyrones Milites, pridem exercendi.* — Oleast. — Iacob. Bold. — *Religiones Militares, bello aptissima.* — *Nobilitas, bello aptior.* — Auctor. *Hodie militia, ferè est latrocinium.*)

XIV.

Qualis futura fœderum obseruatio.

NOn satis adhuc instructus bello Princeps, quidquid pecuniarum, & sumptuum apparârit, quidquid militum probè delegerit, (de quibus hactenus:) nisi vicinos Principes, aut sibi colligandos, in commune bellum, fœdere: aut saltem iniurio hosti, minimè adhæsuros solicitârit. Præstabit ergo missa legatione, hos iuris 1414. *Princeps ad bellum, confœderandos Amicos solicitet.*

roris & tristitiæ nubilo montibus obscuratis, &c. Magnitudo terroris & facinoris, tanto turbine, discipulorum simul domum, & corda concluserat: & ita totum luminis abdicarat ingressum, vt magis, magisque mœrore sensibus occupatis, cæca noctis augeretur effusio.

1408. *Psalm. 54.6. Et in nocte obscurissimâ diem vertit.*

Saulis armis, & iniquorum insidiis circumseptus Dauid; non tam ignauo, quàm iusto,& virum constantissimum opprimente timore, clamat correptus, *Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ: & dixi, quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam*, Psalm. 54. v. 6. Sub nocturnis tenebris, Noctua potiùs volitat, quàm Columba: non erant igitur tenebræ istæ noctis, sed timoris; nec tam sub noctis silentio, quàm sub diei luce, fugam hanc meditari Princeps intelligendus: nihilominus innatis pauori tenebris oppressus, mente caligante, quasi inops consilij, ad impossibilia remedia recurrit: & homo natus ad laborem, propriáque industria præsidium sibi quæsiturus, quasi auis ad volatum nasceretur, præstandas sibi pennas, non homini inquam datas, concupiscit; pulchrè proinde Chrysologus citatus, sic subiungit: *Nulla noctis tenebræ, caliginis mœroris & formidinis comparantur: quia nullo possunt, aut consolationis, aut consilij lumine temperari. Audi Prophetam: Timor & tremor venerunt super me, & operuerunt me tenebræ.* Nimirum nocti quantumuis caliganti, non rarò stella saltem aliqua intermicat: pauori, quidquid est luminis denegatur. Tu iam videris mi Princeps, quò peruaserint milites tui, semel pauore correpti: cùm Dauidem, ad miraculum fortem, collapsum audias; nec speres, non illos etiam generosissimos corripiendos, si ignauos & meticulosos secum ferant, quorum pauore panico, longè perniciosius, vt dixi, quàm vero illo Dauidico inficiantur: quod ex Seneca suprà adnotaui.

D. Chrysol.

1409. *Metus vis, obiectis imputandis.*

Dabo in hanc rem exteris historiolam, à probatæ fidei Auctore enarratam. Legebant nostri littus Malabaricum, nouos ferissimæ gentis portus exploraturi. Ventum eò, vbi non ita infida statio, certè tutior appulsio videri poterat. Dux speculatoriâ scaphâ probè instructâ, expedit è militibus nonnullos, vt adiacentem mari regionem, non longiùs penetratâ syluarum densitate, collustrantes, quàm sit ferax, quámve rerum sterilis agnoscant. Itur, & maiore diei parte explorando loco impensâ, dum suos repetunt, Malabarem piscatorem, qui se rupis latibulo abdiderat, cogunt conuectorem: à quo exactiùs dux, de statu rerum, déque Prouinciæ conditione certior redderetur: ad prætoriam itaque nauim remeantes, à commilitonibus perhumaniter excipiuntur, vt fuerant solicitâ curâ, incredibili desiderio sperati. Ergo, vt nauigantium mos tulit, subitaria refectio asportatur: porrigûtur bis cocti panis frusta, eáque pro temporis diuturnitate, pro nauigationis solito, vermibus scatentia: funditur vinum, non quod indulgendo palato, ingeniosa gula flauum, sed quod rubrum, inuenit prouida necessitas, nec edentibus data requies, sic vndique singuli, omnes de regione, de incolis, de fructibus examinantur. Indus interim tacere, tantum sublatis furtim oculis circumspicere: nouitatem loricatorum militum, noui victûs rationem, nunc admirari subductis, nunc compressis superciliis perhorrere. Interrogantibus multa, ille nihil: cùm enim apud illas gentes, etiam sub breuiore terræ tractu, longissima sit linguarum discrepantia, nostris vtcumque indica loquentibus, surdus erat, aut certè pauor reddiderat elinguem. Dux vbi hominem, nullibi sibi vsui futurum agnoscit, præcipit reducendum, non solùm non læsum, sed comiter tractatum, munusculisque affectum, vt horum gratiâ benigniorisque hospitij iure, suorum nobis animos conciliaret. Apparatâ iterum scaphâ, redeundi sibi copiam factam Indus intelligens, attentis aliò remigibus, se dat pelago: & quin auram capturus emergeret, per milliaria ferè duo egregius vrinator, incredibili celeritate, appellit littori. Iam multi aderant incolarum, qui nauem ab altis rupibus conspectam, naufragaturam si fortè sperabant spoliis, vt sæpe alibi inhiantes: quibus recens iste è fluctibus, solummodo retrospiciens, quasi vix se liberum crederet paululúmque respirans: fugite, clamat, ô fugite, ni appropinquantium furore perdi satagitis: quid prædæ inhiatis, futuri certa præda? Non hos cæteris mortalium similes habeatis, (experto credite) quos natura, nouerca nobis, pro mollissima illa cute, squamat ferro. Vidi hisce oculis illos pro cibo, corrosis & vermicantibus cadauerum ossibus; pro potu, spumantibus humani sanguinis pateris abutentes. En quos vobis hostes denuntio, solummodò si vitam iam fastiditis, non cauendos. Nec dum prolatis istis, fugam proripit: cæteros omnes, panici metus contagio trepidos post se ducens. Quæ postea, habito iam commercio, non sine risu festiuo, ab amicis incolis, dicuntur enarrata. Sic pessimus vates pauor, loricam, natiuam corporis cutem; panem, ossa: vinum, sanguinem interpretatur. Redeo.

Multi sunt alij, quos non tam virium imbecillitas, ignauiæ torpor, quàm curarum solicitudo, affectuum pellax mollities, inuitos reddunt bello: & licèt aliunde corde impauidi, dant hoc amoribus suis, vt mori timeant. Hos etiam à militari Albo, quo ad possit, Principi gnauo, admoneo expungendos. Redi ad Duces illos, quos iussu Dei, egressuro iam exercitui vidimus, mittendis formidolosis, inclamantes: sic enim additur ibidem, *Quis est homo, qui ædificauit domum nouam, & non dedicauit eam? vadat, & reuertatur in domum suam, ne fortè moriatur in bello, & alius dedicet eam*, citato cap. 20. Deuteron. v. 5. & statim v. 6. idem sub eodem tenore illi præcipitur, qui recèns plantatæ vineæ, fructus nondum gustarat: & ductam sibi vxorem nondum attigerat. Cùm causa, quæ irrogatur, plus Militibus, quàm Ducibus videatur fauere, & dominicæ dignationem gratiæ importare: non tam militibus iubetur, excusationem hanc, euitandæ militiæ prætendere: quàm ducibus ipsis, ingenuam hanc offerre missionem. Credo, quia his, quàm illis vtilior, tractandáque solicito magis studio prænoscebatur. Vnde nam? quia licèt hi milites robusti, & corde aliunde impauidi, cum formidolosis & ignauis vers. 8. exclusis non computentur; reuerâ tamen, licèt non innatâ, ascititiâ tamen formidine laborare, ac proinde bello inutiles, Ducibúsque oneri potiùs quàm subsidio fore præsumebantur: daturi nimirum hoc aut diuitiarum, aut vxorum amoribus, vt mori timerent: potiúsque fœdam ad propria fugam, quàm triomphos à conflictu, & gloriam à morte

1410. *Militiæ inepti sunt, licet aliàs fortes, quique affectu aliquo immodicè victâ cupiunt.*

Deut. 20. 5.

Oleast. morte meditaturi. Oleaster ibi. *Admonentur duces, omnes eos ab exercitu reuocare, qui valde mortem timent, aut cor in patriâ habent, ratione alicuius rei, quam valde diligunt.* Sic diuitiæ, sic vxores absentes, eneruant militantium fortitudinem.

1411. *Milites, domi diuitias recòdentes, bello, ignauescunt.* Scio Iulium Cæsarem, Militibus suis eximium comptum, diuitem cultum, ad prælium indulsisse: sed non obstat dictis: aliud est absentes opes tenere, ad quas fugiens recurras, aliud tecum gestare, pro quibus, decertes acriùs, retinendis: id Cæsarem quæsiisse, nôsti ex Suetonio; sic nonnullos Barbaros legimus, inter mediæ aciei impedimenta, diuitias, vxores, paruulos circumferre solitos, vt horum aspectu animosiores, non solùm obtinendæ victoriæ, sed etiam non perdendis tot charis, excitarentur. Ad ea ergo quæ diximus, facit egregius dux Epaminondas, de quo ita Auctor Apophth. lib. 5. *Scutatum Militem senserat, à captiuo quodam, magnam pecuniarum vim accepisse: huic Epaminondas: mihi, inquit, redde clypeum: tibi verò, Cauponam emito, in quâ vitam degas: posthac enim noles eodem modo subire periculum; quippè iam vnus de numero diuitum, ac beatorum. Rectè indicauit, timidũ, vt est in Prouerbiis, esse Plutum, magis enim metuit mortem, qui domi habet, vnde possit suauiter viuere.* Expeditiores ergo, tenues pugnant: & tunc maximè vitæ prodigi, cùm diuitiarum auidi inhiant spoliis: vnde de Iphicrate, ibidem citatus Auctor. *Censebat militem, & diuitiarum, & voluptatum auidum esse oportere: dicens, illum audaciùs pericula subiturum, quò suis cupiditatibus suppeditaret.*

Auct. Apop.

Idem.

1412. *Milites vxorati, inutiliores bello: calibes perqui rendi.* Gen. 14. 14. Circa vxores & filios, quò affectus vehementior in Militibus, quàm ad opes, sic etiam metus ingruit periculosior. Contra quatuor Reges, hósque, opimis, multorum iam Regum, spoliis potentissimos, aciem nouus bellator dirigit Abraham, Genes. 14. & benè nouus bellator, qui licèt ad stratagema, omnes egregij ducis partes legatur adimplesse: videtur tamen experientiæ bellicæ defectu laborâsse, dum tàm exiguo Militum numero contentus pergit: *Numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo, & persecutus est eos vsque Dan: & diuisis sociis, irruit super eos nocte: percussitque eos, &c.* v. 14. Non nego prudenter, socios diuisisse, & cautè speratâ noctis caligine irruisse: sicque vicisse faustè, egregiè vsum victoriâ, dum palantes insequitur *vsque Hoba.* Vers. 15. Sed aliud est diligenter in periculo rem disponere, aliud prudenter periculum adiisse: vnde enim tàm ingentes copias hostiles, non temerè, tàm paruo suorum numero, (neque præuia reuelatione diuinâ id factum legitur) præsumpsit debellandas? Non defuit Duci optimo solertia prudentissima, sic fecerat delectum militum, vt nullum vxoratum admitteret, nullum non cælibem obligaret Sacramento: de quorum iam impauidâ conditione tutus procedebat, quasi in singulis multa millia decertarent. Id ex literâ sic elicit Alcuin. q. 161. *Qui sunt isti expediti, de quibus dictum est, numerauit expeditos vernaculos suos? expeditos dixit, ad bellum promptos, & qui non fuerant vxorati, de quibus in sequentibus vers. 24. dicit exceptis his, quæ comederunt Iuuenes.* Nec enim aliter egregio ausu, vitam pro laude pactam parui penderent.

Vers. 15.

Alcuin.

In Hebræo, pro vernaculis expeditis, legitur: *Incipientes erudiri, seu nouitios suos.* Quasi dicat, elegit tyrones suos, quos optimus Dux erudiebat militariter. Vide quæ multa in Spicilegio dedi, de Principe ipso, Tyrones suos olim erudiente, quæ mirè huc faciunt. Multa hinc militaria monita, ab Oleastro, qui ibi ita. *Duo hoc loco notatu digna occurrunt: nimirum, cum quibus bellum gerendum, pro iis qui nos diligunt: tum quòd Patresfam. suos familiares debent instruere ad pacem, & ad bellum si opus sit. Vbi simul aduerte; sanctissimum virum optimum Ducem, qui non solùm suos expedire, sed diuidere nouit, ad victoriam consequendam: sciunt enim sancti suo tempore bellare, & pacem habere. Similiter licèt pro amicis & vicinis arma sumere, si eos iniustè ab aliis vexari contingat.* Ex quibus, id saltem nunc addiscat meus Princeps, certis & periculosioribus incursibus, delectum, ex militibus iam præuiè eruditis faciendum. Singularissimum est tamen, & fortasse non vndique futile, quod ad hunc locum excogitauit Iacobus Bolduc lib. de Eccles. ante leg. qui vult Abrahamum Religionem militarem instituisse, cuius Milites religiosi, aureo torque insigniebantur: huius Religionis vero fuisse *Nouitios*, expeditos hos trecentos, de quibus agimus. Tu legeris quæ ibi multa curiosus planè Scriptor cumulauit. Id si probes: habet quidem Princeps meus exemplar, cui agendo delectu, debeat adhærere: pudendum & ridiculũ est, nihil minus hodie plerumque, agere militares nonnullas Religiones, quàm id, ad quod gloriosè fuerunt institutæ: honori iam, non oneri: redditibus, non præliis militatur. Caue Princeps Commendatarios ditissimos facere, nunquam præliaturos: ab his religiosis melior pars delectus florentissimi componenda. Ingenui & nobiles, si exercentur, dum auito splendori, hæreditario sanguini, dedecus cauent, audacius & generosiùs decertant. Nunc autem, pudet dicere, à vilissimis legio componitur maiori ex parte, vt nullius frontis viri, non tàm milites quàm latrones agere videantur: ex prauo scilicet delectu est, vt iam militia, pro latrocinio vsurpetur: ideo Auctor Apophth. lib. 5. post alia de Probo, Isaurorum loca, latrociniis dedita repurgante, sic concludit. *Addens vt eorum filij, ab anno decimo octauo ad militiam mitterentur, ne ante latrocinari discerent, quàm militare. Hoc rectè Probus: cùm multùm interesset inter militiam, & latrocinium: nunc friuolum est.* Sanè friuolum, quia cùm nobiles vt plurimum armis dessuescant, delectus è Reipubl. fæcibus conglobatus, his noxis se fœdare non erubescit.

1413. *Tyrones Milites, pridem exercendi.*

Oleast.

Iacob. Bold.

Religiones Militares, bello aptissima.

Nobilitas, bello aptior.

Auctor. *Hodie militia, ferè est latrocinium.*

XIV.

Qualis futura fœderum obseruatio.

1414. *Princeps ad bellum, confœderandos Amicos solicitet.* NOn satis adhuc instructus bello Princeps, quidquid pecuniarum, & sumptuum apparârit, quidquid militum probè delegerit, (de quibus hactenus:) nisi vicinos Principes, aut sibi colligandos, in commune bellum, fœdere: aut saltem inimico hosti, minimè adhæsuros solicitârit. Præstabit ergo missa legatione, hos iuris sui,

sui, titulis manifestis, reddere certiores: vt vel breuelli veniant in auxilium, vel ad minus, à fauendo aduersariorum retineantur. Præibit in exem-
Oseas 1. plum, vt assolet. Rex diuinus. Rarum illud Oseæ impositum præceptum, de vxore fornicariâ assumendâ, de prostitutionis liberis educandis, de Meretricis relapsæ impudentiâ toleranda toto
& 3. cap. 1. & cap. 3. Siue reapse, siue per imagines mentis eueniret, fusè disputant Interpretes variantes: nobis ad rem præsentem, vtrouis modo contigerit, perinde erit. Dubitat ergo meritò
Ruffinus. Ruffinus Pius ibi, ad cap. 1. *Quærendum est, quid egerit tanti schematis apparatu. Quid enim opus erat, vt non simplex narratio, hæc omnia contineret, sed imperaretur Propheta, siue in corpore siue solùm in imaginibus, cum meretrice, ineunda coniunctio?* Certè narratio simplex satis videbatur, vt Synagogæ impiæ, adulterium suum recognosceret, sub huius meretricis figurâ expressissimum: & res simpliciter indicata Prophetæ, satis esset, vt ipse postea sub hoc typo, ingratissimos Hebræorum animos coarguens, instantem pœ-
Quanti Deus faciat iustos, quos sibi cupit confœderatos, contra impios. nam prædicaret. Et tamen voluit Deus, vt vel in corpore, vel in spiritu, Oseas meretricios mores, in coniuge, sustineret afflictus: filios susciperet, tanquam proprios, qui vel ab alieno adultero obtrusi, vel certè semper suspecti haberentur: quò proprij doloris experientiâ, & conceptâ in Meretricem iustissimâ vindictâ, disceret, quàm in Synagogam iustissimè iam Dominus desæuiret. Sed cur tanti erat, vt diuini in Israelem, furoris iustitiam, non vtcunque, sed sub tanto, doloris proprij, schemate, sentiret Oseas? Respondet iam grauissimè Ruffinus, de Deo sic subiungens.
Ruffinus. *Hoc volens ostendere, grauissimum videlicet, se sanctorum virorum habere respectum, nec in leui ponere eorum querelas, vel certè, quòd sanctorum soleat orationibus mitigari; cum tempus est, vt incipiat proferre vindictam, apud illos, prius negotia, quibus sit accensus, allegat: vt explanatione meritorum, interuentioni impedimenta submoueat: & eos, quos experiri poterat sententiæ moratores, primum à sua parte constituat, secumque hortetur irasci.* Alleget, quàm poterit efficaciter Princeps prudens, apud Amicos Reges, (quos maximi debet facere) illati belli titulos, & paratæ vindictæ testimonia apertissima: ne postea aduersarios habeat, aut saltem remoratores: quin potiùs à suâ parte constituat, fæliciterque auxiliares sortiatur.

1415. Iam verò, circa confœderatum tibi Princi-
Confœderatis tuis, integerrimam fidem Princeps præstet. pem, & auxiliarem, sic tibi plenissimè fides obseruanda: vt non tuis magis, quàm illius periculis inuigiles: amarissimè quippe solet punire Deus, fraudem callidè, confœderato piissimè, adornatam. Decertaturus Achab, cum Rege Sy-
3. Reg. 20. 30. riæ, 3. Reg. 20. in auxilium Regem Iuda aduocat Iosaphat: volat iste, opem Achab amico, in barbaros allaturus: iam ergo dispositis copiis, addit textus: *Dixit itaque Rex Israel ad Iosaphat: sume arma, & ingredere prælium, & induere vestibus tuis. Porro Rex Israel mutauit habitum suum & ingressus est bellum.* vers. 30. Nihil honorificentiùs fieri posse, videbatur: mutat Achab Rex Israel habitum, deponit purpuram, regalia stemmata dissimulat, priuato sago quasi manipularis miles bellum ingreditur: vt auxiliari hospiti, regalibus insignibus adornato, totius exercitûs ducatus assignari videretur: huiúsque auspiciis comparata deinde victoria tribuatur. Lyranus
ibi. *Mutauit habitum; id est, non accepit regalia insignia, dicunt aliqui, quod hoc fecit, ad honorandum Iosaphat, qui venerat cum eo, in eius adiutorium: & ideo volebat illi attribuere principalitatem belli.* Condicio quidem colendi hospitis, ingenua: (Principi meo cùm res postulet, imitabilis) & grandibus encomiis prædicanda. Non tamen is erat perfidus Achab, cui, sic facta vrbanitas, videatur assignanda: dolosus igitur, & astutè fœdifragus fraudem adornabat: pende enim, quid statim textus subdat. *Rex autem Syriæ præceperat Principibus curruum triginta duobus, dicens: non pugnabitis contra minorem, & maiorem quempiam, nisi contra Regem Israel solùm.* vers. 31.
Nouerat, vt præsumitur, præceptum Achab: ideo dissimulato habitu, ipse procedit: vt hospiti sub regalibus conspecto insignibus, & pro Rege Israelis, reputato, imminens vndique periculum conflaretur. Proinde dictis, connectit sic Lyranus. *Alij dicunt, quod licet hoc videatur secundum apparentiam litteræ, tamen intendebat aliud, scilicet quòd pondus belli, verteretur super Iosaphat.* Itaque per speciem honoris, sub obsequij prætextu, confœderatum hospitem decepit: actúmque esset de Iosaphat, vndique iam hostilibus curribus circũsepto, nisi se non Israelis, sed Iudâ Regem, suspicantibus aliud, inclamaret: vt habes vers. 32. Nihil fraudulentiùs potuit cogitari.

Sed vide iustissimum supplicium, subditur enim: *Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigens, & casu percussit Regem Israel &c. & mortuus est vespere.* vers. 34. & 35. Vt qui tam certâ fraude, violato fœderis iure, socij mortem captârat: incertâ, ad acerbiorem dolorem, sagittâ configeretur: & qui tàm sedulâ industriâ, dolos fuerat, latendo, machinatus, indeliberato casu pateret ad necem: vt & ex supremo dirigentis Dei consilio, vindicta iusta: & ex fortuito sagittantis scopo, veniret molestior. Vnde iterum Lyranus. *Ista percussio, licèt fuerit casualis, ex parte sagittantis, quia non dirigebat sagittam ex intentione, ad Regem Israel: non tamen fuit casualis ex parte Dei, qui hoc præordinauerat.* Caueat igitur Catholicus Princeps, funestiùs aliquid in confœderatos hospites machinetur, pœnas indidem absque dubio luiturus. Nec solùm rebus, sed etiam verbis, fidissimum cupio Principem, erga socios. Fœdissimum habetur consilium illud Archidami Lacedæmonis, non tàm patriis, quàm corruptis, barbarorum iam commercio, moribus, depromptum: de quo Authot Apophth. lib. 1. *Cùm Græci nollent rescindere pacta, quæ cum Antigono, & Cratero pepigerant, & amplecti libertatem, quam offerebat Archidamus: veriti, ne grauiores essent habituri Lacedæmonios, quàm Macedones: Ouis, inquit, semper eandem edit vocem: cæterum homo multas ac varias emittit voces, donec quod decreuit, confecerit. Hoc dicto significans, fallendam esse fidem, si qua magna inuitet vtilitas. Nullum autem est animal cui tam varia vox sit, quàm homo, &c. Porrò ouilli mores, dicuntur hominum stupidorum, qui se se nesciunt, rebus ac personis accommodare. Græcorum igitur constantiam Archidamus stultitiæ tribuit, qui proposita libertate, nollent mutare vocem.* Sed crede mihi, non damnanda Ouis stoliditas, sed commendabilis innocentia hinc recipetur: hæreticorum solummodò est, humanæ fidei

Lyranus.
& honor iis mus adscribendus.
Vers. 31.
Lyranus.
Vers. 32.
1416.
Fœdifragos, seuerissimè punit Deus.
Vers. 34.
Lyranus.
Auctor.
Fidem, ad vtilitatem, posse falli, solùm hæresis docet.

si lei passim facere naufragium, qui diuinam sustinuerunt fallere impudentissimi.

1417. *In quo casu, licet humana indoli difficillimo, necessaria, & generosior fides sit seruanda.* At euenit quandoque, vt Principes duo Catholici, diutinis bellis inuicem de gloriâ decertantes, temporariis induciis confœderati, in communem hostem; puta Turcam, instruantur, vtque alter fortasse possit, absque præsentis periculi aggrauatione, alterius sic vires debilitare, vt in posterum finito communi bello, priuatis renouandis discordiis, sibi succumbat: incumbendum ergo tunc est strenuè, ne datæ occasionis illecebrâ, fœdus occultis dolis violetur. Non negauerim pellacissimum esse Principibus sub mutuo odio sopito potiùs, quàm extincto, belligerantibus; eò venisse, vbi sub communis belli turbine, sic inuicem occultè possint lædere, vt resultantia damna, à Turcis potiùs, quàm à se credantur illata: Sed quamuis pellacissimum, abiurandum tamen, hoc scelus: qualis enim frontis foret, id noxæ, Christianis ducibus non cautum, quod Ethnici Græcorum populi, perpetuis pridem dissidiis contendentes, & tandem in Persam hostem, inito fœdere conspirantes, leguntur exhorruisse? Notam vbiuis historiam, grauibus D. Ambrosij verbis; 3. Offic. cap. 14. operæ pretium duxi inculcandam, qui scribens de Elisæo hostibus parcente, sic subiungit. *Quantò hoc sublimius, quàm illud Græcorum, quod cum duo Populi, aduersùm se de gloriâ, imperióque decertarent: & alter ex his haberet copiam, quemadmodum naues alterius Populi clanculò exureret, turpe credidit: maluitque minùs posse honestè, quàm plus turpiter. Et isti quidem, sine flagitio hæc facere nequibant, vt eos qui consummandi belli Persici gratiâ, in societatem conuenerant, hâc fraude deciperent: quam licèt possent negare, non possent tamen non erubescere.* (D. Ambr.)

1418. *Non suspitiosum, cautissimum tamen Principem volo, in sociorum fide probanda.* Quàm sociis præstandæ fidei, syncerum commendo Principem: tàm cupio in exploranda mutuâ illorum fide, diligentem, nolo in id suspitiosum nimis animum, sed incautum reprehendo. Quandoque sub prætextu ineundi tecum fœdera, exploratores copiarum tuarum aduentant, aut Principes externi, aut Legati: tu caue sic iam quasi amicis fidas, vt nullâ ex parte præsumpseris inimicos: arcanum tuum tibi; & vt exercitus robur in aperto, sic id vndecunque claudicet, in occulto. Tetenderat tabernaculum suum Isaac in Bersabee: & ecce ad illum, *Rex Abimelech, & Ochozat amicus illius, & Phicol dux militum.* Genes 26. vers. 26. Hospites accedunt, ad quos tunc ille, *quid venistis ad me, hominem quem odistis, & expulistis à vobis?* Vers. 26. Principem, Purpuratósque eius, liberè increpat: nec, quod putares, primo statim conspectu, comiter & festiuè, se illis præbet tractandum: quin audiens ab eisdem, ad fœdera venisse, non subitò acquiescit, sed parato conuiuio, & interiectâ nocte, in crastinum dilatat feriendа. Cautus, credo, fallacem hospitum mentem, fuerat aucupatus, qui venerant, (inquit, Philo Iud. ibi in Catena Zephyri.) *Non tam vt societatem inirent, quam vt specularentur hominis opes: parati quidem ad bellum, si tenuem inuenissent: ad fœdus, si potentem.* Sic ergo percussit fœdus Isaac, ne discordiæ affectator videretur: credo tamen sic in posterum nihilominus sibi cauisse, quasi qui dubios gentis animos penetrâsset. Tu quidem sub periculosissimâ bellorum aleâ, erga socios non sic ancipites, ita prauam penitus amoue suspitionem, vt nunquam prudens cautio deseratur. Venerabile, in hanc rem, exemplum Iphicratis, de quo Auctor Apophtheg. lib 5. *Cùm in amicorum, ac sociorum agris haberet exercitum, ac nihilominus, & vallum iaceret, & fossam foderet accuratè: cuidam dicenti, quid metuimus? ait: pessimam esse Ducis vocem; haud quaquam putâram. Significans in tranquillissimis rebus, interdum existere periculum, quod nullus expectâsset. Aduersus igitur inopinatos casus, prospexit suis copiis, ut si quid accidisset, dicere cogeretur, non putâram.* Quid Ionathæ euenerit, plus æquo Tryphonis fœderibus attribuenti, ex lib. 1. Mach. cap 12. ignorat nemo. Iam verò, cùm adhuc de admittendis sociis, aliunde inter se dissidentibus, deliberas: habe pulcherrimam illam gnomen Alphonsi Aragonensis Regis: de quo citatus Auctor lib. 8. *Hunc cùm adiissent legati Matricienses, in quorum agris tunc agebat Alphonsus, consulentes, vtri iuberet ipsos gratificari, Nicolao ne Picino, an Francisco Sfortiæ? Respondit: ambos pro amicis habendos: sed nihilo seciùs, ab ambobus, tanquam ab inimicis cauendum. Id temporis inter Nicolaum & Franciscum simultas intercedebat, ac Rex nondum statuerat, vtrum vellet in societatem recipere, cum vtrumque, ob dissidium non posset.* Sed in rem fœderum, iam alij longas & pulcherrimas paginas congesserunt.

Gen. 26. 26. — Vers. 2. — Phil. Iud. — Auct. Apop. *Crede tum ergo sociis, sed cautè.* — Mach. 1. 12. — Auctor. *Qualem te gesturus, dubius, vtrum ex duobus Principibus inter se contrariis, tibi sis electurus in socium.*

XV.

Princeps in exercitu, non vt Miles, manu fortis, sed vt Dux consilio præstans, & minimè delicatus, in suorum exemplum, approbandus.

Iam sumptuum, Militum, & sociorum habitâ ratione: iam omnibus, quæ foris veniunt, apparatis: adhuc ista pro nihilo putet Princeps, nisi semetipsum intus, diligentissimè discutiens, vt par est instructissimum recognoscat. Vt corpus quamuis cultissimè comptum, sub fœdo capite, sordet: & licèt exquisitissimè armatum, sub capite inermi, periclitatur: sic etiam instructissimus exercitus sub degenere Duce destruetur. 1419. *Tota exercitus fortuna, à Duce pendet.* Non autem disputabo, an & quando supremus Princeps, copiarum suarum ducem agere teneatur: prolixa est quæstio, in quâ illud apud prudentiores æquius statuitur, nec semper magnam vitam exponendam prodigè periculo: nec aliquando, absque ignauiæ notâ, absque turpiter gesti officij dedecore, posse subtrahi: id ergo breuiter illustrabo, vnde Princeps iam Ducis partes subiens, & exigente negotio, Curiam pro campo mutaturus, se vndique dispicere debuerit, & probare. In primis, cùm se suorum exercituum, positum in exemplar cognoscat, necesse sit, nisi ad militiam aptum, promptum se viderit, huiúsque ferendis laboribus paratum, domi illum manere, ante denuntio: ne, non tàm Dux procedere, quàm acierum corruptor traduci videatur: eneruat quippè Dux mollis, robustum aliunde exercitum, vt & Dux fortis, imbellem non rarò exercitum corroborat: vnde illud Cha-

Auctor. briæ ducis præstantissimi, apud Authorē Apoph. lib. 5. *Dicere solebat, formidabiliorem esse Ceruorum exercitum, duce Leone: quam Leonum, duce Ceruo. Sentiens totam belli fortunam, pendere à virtute, prudentiáque Ducis.* Ecquod autem exemplum, nisi fugæ, ceruina Principis iam Ducis indoles, militaturis leonibus ministrabit?

1420. *Ducem vero non tàm cupio robore, quàm prudētia militari instructum.* Ergo, inquis, nisi se robustum neruis, & viribus præpollentem experiatur Princeps, quibus in medio conflictu hostes contrucidet, milites suos prouocans exemplo: ducatui valedicere iubendus? Sic sanè videntur putâsse, quotquot in suis militaribus Politicis, innumeras Priscorum sententias congesserunt, quibus hinc Princeps bellicus maximè visus commendari, si vt solertissimum ducem, sic etiam strenuissimum militem gerat pariter: quò suis in exemplar ostentetur. Ego tamen illa priscorum, magis ad pompam gloriæ, quàm ad doctrinæ scopum, scripta puto: fallíque egregiè, quisquis in Duce præliaturi militis robur, requirit necessariò. Fælicitatis est grandis, si Dux militaris disciplinæ peritissimus, etiam robore paratissimus accedat: non tamen necessitatis: neque districto semper contra hostes gladio, sed aliis & virtutibus animi, & corporis laboribus, cùm res postulet, exemplum præbiturus. Imò non rarò, euertendis suis, periculosum venit ducis robur: dum subditos, à se æstimans, maioribus iusto discriminibus immittit: dum fidens viribus, & feruore raptus trucidandis hostibus incumbens, prouidendis belli euentibus dandis mandatis, moderandis propriis copiis, vacare nequit: dum denique licèt occisis multis, occidi contingit: vnde non semel, iam pene victor exercitûs, solet corruere, vt amoto Nauclero, labente clauo, nauigium obruitur. Institutionis huius exempla, passim obuia. Nunc satis illud Scipionis apud citatum Auctorem.

Auctor. *Scipio Africanus, quibusdam calumniantibus, quòd parum strenuus pugnator esset. Imperatorem, inquit, me Mater, non bellatorem genuit. Significans in Imperatore, plus habere momenti, solertiam ac prudentiam in consiliis, quam vires in præliis.* Videamus ergo iam, quæ à Principe, iam duce, (etiam, sub non ita robustis viribus) & corporis & animi exempla, sint præstanda.

1421. Generosa fuit vox illa Gedeonis ad socios trecentos: *Quod me facere videritis, hoc facite: ingrediar partem castrorum, & quod fecero, sectamini.* Iud. 7. vers. 17. Adhæsit generoso parenti,

Iud. 7. v. 17. filius non ignauus, Abimelech, qui furtim hostilem, incendio euersurus. *Ascendit in montem Selmon, cum omni populo suo, & arreptâ securi, præcidit arboris ramum, impositúmque ferens humero; dixit ad socios: quod me vidistis facere, citò facite.* Iud. 9. vers. 48. De quo bene D. Nilus in

& 9 vers. 48. D. Nilus. Ascet. sic ad superiores. *Discant, si volunt ab Abimelech, & à Gedeone, homines non verbis, sed factis, ad imitandum adduci: dum ille quidem lignorum sarcinam componit, & compositam gestat: hic autem, opus commune, primus aggreditur.* Sed tu

Quæ nam, sit Dux exempla Militibus præstaturus. mihi nota, præstantissimos hos Duces, qui tot alias victorias, gladio districto compararunt: nunquam ibi, similibus vocibus vsos legi; neque se in exemplar proposuisse: nisi citatis locis: vbi Pater, non tàm viribus, quàm lampadum & tubarum stratagemate, decertauit: vbi filius, non tàm hastam in hostes, quàm securim in ramos, contorquebat: quia nimirum licèt præstantissimi robore essent, ad pugnam: tamen, qua Duces, non tàm inde, quàm ab opere, cùm sibi necessario, tum militibus omnibus incumbente apparandum exemplum, probè nouerant. Ita est: quia per accidens (vt in mediâ militiâ Philosophus loquar) euenit, quod Duci Dauidi v. g. brachia ærea, robur ad pugnam: quod Iudæ Machabæo, singularissima inesset fortitudo: cùm hinc Militum potiùs, quàm Ducum partes agerent: qui consilij solertiâ, stratagematum dexteritate, exemplo concernentium laborum, absque conflictûs periculo, optimè munere suo, fungi poterant. Ergo à similium operum, à castrensium, quando expedit, officiorum exemplo, pendet munus Ducis, vt inde totus exercitus animetur. Cùm enim delicatus etiam viribus Dux, ad ista valeat, si interim ignauescat: si pro virili suâ, exercitui præstare exemplis, non contendat: militibus quodammodò ignauiam indicere, & quasi per contagium, videtur affricare. Proinde Theodosius Magnus, Principem filium, in Ducem formans, (apud Claud. in 4. Conf. Honor.) egregia ista subdit, quæ transcripsisse non piguit.

Neu tibi regificis, tentoria larga, redundent Claudianus.
Delitiis: neue imbelles, ad signa, ministros
Luxuries armata trahat: neu flantibus Austris
Neu pluuiis cedas: neu defensura calores,
Aurea summoueant rapidos, vmbracula, soles.
Inuenis vtere cibis; solabere partes,
Æquali sudore tuas: si collis iniquus,
Primus ini: syluam si cadere prouocat vsus,
Ne pudeat, sumptâ quercum strauisse bipenni.
Calcatur si pigra palus, tuus ante profundum,
Pertentet sonipes: fluuios tu pretere curru,
Hærentes glaciæ, liquidos tu scinde natatu.
Nunc eques, in medias, equitū, te cōsere turmas.
Nunc pedes, assistas pediti, tum promptius ibunt
Te socio: tum conspicuus gratúsque geretur
Sub te teste labor.

Quidquid molle, quidquid delicatum est, amouet à Duce: cùm nihil *armatâ luxurie*, fœdius dari queat: omnes, illi, labores castrenses, præscribit primò, ad cuius exemplum, iam militibus fiant leuiores: nihil autem de feriendo hoste, de gladio vibrando, putat inculcandum, ne militem formâsse videretur. Hinc Pausanias secundus, vt habes lib. 2. Apopth. *Percontanti, quo pacto possent debellari Thraces: si, inquit, qui vir optimus est, eum belli ducem delegerimus.* Optimum meritò cupiens, non robustissimum. Auctor.

Lege, quæso, attentiùs caput 23. ex lib. 2. Reg. ab illis verbis. *Hæc nomina fortium Dauid.* v. 8. 1422. 2. Reg. 23.
vbi Catalogus virorum instituitur, qui Dauidici exercitus robur erant: & ea, singulis, egregia facinora adscribuntur, quæ nisi inspiratis litteris tradita, humanam fidem excedere viderentur: audeo dicere, nullius fabulosi Herculis, nullius Hectoris gesta, cum verissimis horum miraculis comparari. Iam illorum nominibus perlectis, & quasi ad oculum, lustratis facinoribus: hæsites cum Interpretibus, necesse est: cur inter tot, & tales vnus Ioab, non veniat computatus: certè, vt alios prætercam, longè ille melior erat, quàm fratres Abisai, & Asael, ibidē numerati, v. 18. & Vers. 18.
v. 24 qui quasi ad cumulū honoris, expresso fraterno Ioab titulo, signanter proferuntur: *Abisai, frater Ioab: Asahel frater Ioab.* & tamen subticetur hîc facinora Ioab; neceius nomē, multis aliis, & forsasse adscriptis omnibus, dignius & celebrius

brius, glorioso catalogo inseritur; (quod initio alibi, in capite libri, ad cæterorum decus, putares scribendum.) Ecquid mysterij? ingens, ni fallor, propositæ doctrinæ. Erat Ioab, vt nôsti, exercitus Dauidici ductor, & Imperator: sub cuius auspiciis, alij omnes descripti militabant: Meritò igitur Sacer Scriptor in eo Catalogo, vbi non de Ducis prudentiâ, & consiliis, sed de militum fortitudine, & prodigiosis viribus agebatur; Ioab ducem, licèt aliunde robore instructissimum, subticuit: ne in illo, qui ab omnibus, Dux & Princeps exercitus noscebatur: vires quasi necessariò requisitas commendâsse putaretur. Fauet Lyranus ibi, sic scribens. *Inter prædictos fortes, non nominatur Ioab, quia erat super omnes Principes, primus, vt dicunt aliqui.* Sed fortasse Lyranus aliud intendit, scilicet, non debere cum aliis fortibus catenatim numerari, qui cæteris omnibus fortior eminebat. Quidquid ergo sit de Lyrani mente: explicatiunculam nostram, haud futilem existimo. Verissimum ergo est illud Iphicratis, Apophtheg. lib. *Oratori cuidam in Concione, hunc in modum, ipsum interroganti: Quis es, vt tàm sublimes geras spiritus? num eques, aut sagittarius, aut scutatus, aut pedes? Nihil horum, inquit: sed, qui his omnibus imperare didici. Sentiens, pulchrius esse, bonum præstare ducem, quàm quemuis militem.* Fæliciter quidem robustus fuit Ioab: sensit tamen Sacer Scriptor, optimum ducem gerere potuisse, quamuis militem fortissimum non præstaret: pulchriúsque radiare, dum in sacra Historia toties ductor acierum legitur, quàm si in hoc priuato catalogo, manu fortis legeretur.

Dux, non de viribus, sed de militari consilio probandus.

Lyran.

Auctor.

1423. Prudenter proinde Diuus Petrus Chrysologus serm. 26. sic Regis, Ducis, & militis, distribuit officia: vnde Deo sint rationem redditurì. *Si Rex iustitiam custodiuit, si æquitatem tenuit, si potestatem moderatus est, si misericordiam non omisit: si tenuit sic ponderis sui libram, vt in neutram partem, potestatis suæ trutina propensa declinaret: si omnium curam gessit, si Ciuium procurauit quietem: si sic temperauit censum, vt neque militi sufficientia deessent, neque tributarius lassaretur.* Non itaque cogit Regem in ducem semper, sed semper necessariis exercitui stipendiis, sub æquâ tamen tributorum ratione, vt initio dixi, attentum præcipit. Tunc sic de Duce, aut ipso Rege Ducem agente. *Dux præstabit Deo causas, si sequentibus se, præbuit virtutis exemplum, si in excubiis peruigil, si in discursibus indefessus, si pacem omnium proprio labore perquisiuit.* Virtutis bellicæ, non roboris decertantis exemplum præbeat necesse est: excubiis, discursibus, similibúsque laboribus, non infligendis vulneribus, incumbat. Tandem de Milite. *Rationem reddet & miles, si paruit imperatis, si concussit neminem, si accepta stipendia, iustissimo labore pensauit.* Est autem iustissimus labor, pro victoriâ, vsque ad necem, decertare. Non ergo meus Princeps iam Ducem agens, à viribus se probet necesse est, sed à peritia militaris artis, à vigore animi, quo quando opus fuerit, primus ad vigilias, discursus, & consimiles labores, extra pugnæ aleam, ad suorum exemplum, omnibus spretis delitiis conspiciatur.

Regis iusti officia. D. Chrysol.

Perfecti Ducis, quæ partes.

Bonus miles, quis censendus.

XVI.

Princeps, nisi sanctus, ignauus & infaustissimus, bella gerit.

Sed sunt adhuc virtutes aliæ, Principi, non solùm quà homini, sed etiam quà Duci, in primis necessariæ, sine quibus, quidquid non solùm militaris peritiæ, sed insuper intrepidi spiritus, corporísque robustissimi habuerit, solet contabescere. Princeps ducatum gerens, ni iustus, ni sanctus fuerit, ignauescit: & degeneri correptus timore, hostes pauet, dum sibi Numen recolit inimicum. Non tot vnquam stratagemata, hostibus prosternendis, inuenit Dauid: quot, vni Vriæ fallendo technas perquisiuit: lege cap. 11. lib. 2. Reg. donec tandem haud istis succedentibus, in subditi necem cogitur, idque, detectis Ministro consiliis, vers. 15. quod Regi pudorem ingentem afferebat. Quæris causam? timebat corde pauido Dauid Vriam, cuius vxorem, ingratus violârat. O nugas! inquis: Rex potentissimus, populo dilectissimus, confœderatis sociis, & subiectis vicinis regibus venerabilis, paueat priuatum militem, vxoris adulteriò dolentem? Doleret miles; sed nec mutire auderet, vel si mutiret, vnde ad vindictam, contra Regem animatus præsumeretur? Vnde in illum Regem animosus, cui vrsorum suffocatio, cui laceratio leonum ludus erat: cuius rotatæ fundæ, carnea gigantis turris, pridem corruerat? tanti æmuli, vel solùm subeunte memoriâ, non potiùs eneruandus Vrias videatur? Et tamen horret, & totus trepidus Dauid non conquiescit, donec æmulus Vrias è medio tollatur. Causam vidit D. Ioan. Chrysostom. homil. 1. in Psalm. 50. *Videte, sed miramini fratres, quantum malum sit delictis & peccatis obnoxium fieri: Rex militem timet, & formidat subditum: Imperator coronam capite gestabat, & confusionis opprobria metuebat. Nonne tu Imperator? nónne gladij potestatem habes? habeo, inquit; sed conscientiam peccati mei timeo, formidinis matrem.* Dedi hunc locum cum aliis iam alibi, licèt in rem aliam: subdo denuo plusculа. Ergo quod in Eretrienses cauillari solebat Themistocles, dicens, *Similes esse piscium, qui gladioli vocantur: quippè qui gladium quidem haberent, cor autem non haberent: notans illorum ignauiam, quòd armatis non adesset animus:* lib. 5. Apophth. Idem ob culpam, ingenuè de se fatetur Dauid, apud Chrysostom. qui dum iustus, strenuitatis apicem attingebat.

1424 *Princeps, nisi sanctus in bello ignauus, & ineicis.*

2. Reg. 11.

Vers. 15.

D. Chrysost.

Auctor. *Miles ignauus, piscis est gladiolus.*

Bella, aduersùs Israëlem suscepta, describens ipse Dauid, ita ad Deum: *Super Populum tuum, malignauerunt consilium, & cogitauerunt aduersùs sanctos tuos.* Psalm 82. vers. 4. *In Hebræo est, aduersùs absconditos tuos.* Quasi ad eas incitas redacti tunc essent Israëlitæ, vt præ timore, ad speluncas, & cauernas petrarum confugerent abscondendi, quod tunc solebat euenire, (vt passim in Scripturâ legimus) quando spei remedij despondentes, quodammodò se viuos sepeliebant. Aduersùs animos sic prostratos, sic tunc imbellem prouinciam, vel etiam tenuissimus hostium exercitus, reportandæ victoriæ plus quàm satis videretur: Audi tamen quot veniant, & quot 1425.

Ps. 82. 4. Hebr. vers.

 vndi

vndique contra hos sanctos, cogerentur auxilia. *Taber acula Idumæorum, & Ismaelitæ, Moab, & Agarem, Gebal, & Ammon, & Amalec, alienigenæ, cum habitantibus Tyrum: etenim Assur venit cum illis, facti sunt in adiutorium filijs Lot*, v.7.

Exercitus grauis & robustissimus, vitio redditur imbellis. Si Israel tunc florentissimus & innumeris, solitisque copiis instructissimus insultaret: adhuc eidem expugnanda, longè minor coniuratio nationum putaretur. Sufficiens: Quid ergo sibi vult totus Orbis, in populum sic laborantem, irruens vndique? Quia licèt Hebræi, humano tunc auxilio destituti, sibi meritò timerent absconditi: nihilominus, quia Sancti erant, ipsius pugnæ tempore animandi, & diuino auxilio freti, animosissimè decertaturi credebantur. At impij, duris fœdissimæ conscientiæ stimulis accusati ignauia necessaria, degeneri torpore sic laborabant, vt dum præ pauore singuli trepidant, saltem de multitudine animentur. Oleaster in cap.

Oleaster. 3. Genes. *Nihil est peccatore timidius, sicut neque iusto audacius: & ideo peccator, multitudine se armat. Audi Psaltem, pulchrè rem depingentem.* Super populum tuum, *inquit* malignauerunt consilium: cogitauerunt aduersus sanctos tuos: *aut, vt habet Hebraica veritas,* Absconditos tuos,

Virtus robur gadit & audaciam. *vbi vides, aduersus quos bellum est, nempe contra absconditos. Sed qui sunt isti, qui aduersus absconditos congregantur?* Tabernacula Idumæorum, &c. *Contra vnicum Israelem, & adhuc ex metu absconditum: Totus ferè Orbis, aduersus bonos coniurasse videtur, propter timiditatem malorum.* Nec tamen potuit impiorum immensa congregatio pusillum Sanctorum gregem expugnare? quia vt istum tandem fiducia roborauit, sic illam timiditatis torpor exarmabat.

1426. Irruit in Iacob, impius Laban, armata manu:

Nescit insons in conflictu timere. iusti generi scrutatur tabernacula, iniquus socer, discutit supellectilem: tunc postquam quæsita diu Idola nusquam inueniuntur: addit textus,

Gen. 31. 36 *Tumensque Iacob, cum iurgio ait: quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum sic exarsisti post me: & scrutatus es omnem supellectilem*

Hebr. vers. *meam?* Genes. 31. v. 36. In Hebræo, non qualis qualis tumor ad iurgium, sed longè *ad iram*, vehementior exprimitur. Tacuerat Iacob, degeneres timoris animos confessus, dum ferbuit scrutatio, quasi repellendæ impos iniuriæ ignauesceret: nunc autem tumet, cùm iniuria cessat: nunc bellico exæstuat spiritu, dempta bellandi alea, qui imbellis, dum perpetitur trepidarat. Neque mirum: Suspicabatur enim fore, vt posset socer, furtum inuenire, vnde generum aliunde innocentem, non ita temerè, quasi sceleris conscium coargueret: dum ergo præsumptæ saltem noxæ suspicione laborat, ignauus timet, nec ad illatam iniuriam grauissimam mutire audet: qui tamen vbi se probat innocentem, resumpto animo generosam iam indolem, conflictibúsque strenuam manifestat. Oleaster ad hunc locum,

Oleaster. *Ostendit locus iste, qualiter culpæ timor, timidum faciat hominem, iustitia verò audacem: quandiu enim timuit, ne fortè socer esset idola inuenturus, tacuit: postquam autem non inuenit, audax factus est.* Quid faceret veræ culpæ contractio, quando imputandæ falsò timor, languentem & ignauum Iacob, contra immanes hostilitates soceri reddiderat? Imbellis itaque procedet, ad bella Princeps, quem pacifica conscientia non corroboret.

In Achab recentem à Naboth sanguine, desæuit Deus: euertendum misero Imperium præ- 1427.

1. Reg. 21. 21 dicit, eripiendam animam duriori nece, corpus vorandum feris, & sanguinem diris canibus lingendum. 3. Regum 21. v. 21. Sed ecce pœnitet Regem sceleris commissi, scindit vestimenta, operit se cilicio, ieiunat, dormit in sacco, & humiliatus, nec etiam leuare caput audet. vers. 27. *Vers. 27.*

Tunc Deus ad Eliam: *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei* *Vers. 29.* *causa, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui, inferam malum domui eius*, v. 29. Nullum oraculum prædicto stabilius permansurum videbatur: & tamen nosti ex cap. 22. à v. 35. *3. Reg. 22. 35* in Syriaco bello Achab percussum, occisum, sanguinis tandem pastum canibus tribuisse. Hocne, inquis, est, non inferendum damnum? Siccine seruatur oraculum? Respondet D. Ambrosius lib. de Nab. cap. 17. *Considera, quia Iezabel habuit vxorem, &c. & huic ergo Pœnitentiæ eius reuocauit affectum. Dominus autem non potest mutabilis æstimari, si confessionis immemori non putabat esse seruandum, quod promiserat confitenti.* *D. Ambros.* *Vxor improba scandalo est marito.*

Scilicèt abiectâ pœnitentiâ, nouis culpis conceptis, recruduit scelus illud quodammodò, quod occiso Naboth contraxerat: vnde necessariò ignauescens, Assyrio Regi, ipse cum exercitu suo miserè succumbit: Regi inquam Assyrio, quem non ita pridem, idem Achab debellarat, & cùm posset, deberétque occidere, captum seruarat, & regno per vmbratilis pietatis stultitiam restituerat. cap. 20. v. 33. Blasphemum itaque Assyrium, *3. Reg. 20. 33* & priori clade confractum, faciliùs nunc etiâm debellaret, ni concepta è tot sceleribus ignauia, seruatum in se hostem, infaustissimus armaret. *Culpis, summus alias Princeps eneruatur.*

Ideo statim Ambrosius, *Accipe aliud verius: & indigno seruauit Dominus tenorem sententiæ suæ, sed beneficia circa se diuina ipse non tenuit. Intulerat bellum Rex Syria, victus est & seruatus ad veniam: captiuus quoque libertati donatus, & remissus ad regnum est: quod fuit diuina sententia, non solum euasit Achab, sed etiam triumphauit: quod ipsius ignauia, hostem sibi, à quo vinceretur, armauit, &c. Liquet igitur his oraculis, quod Dominus, etiam circa indignos promissa sua serua, sed impios, aut stultitiâ suâ opprimi, aut alia præuaricatione damnari: etiamsi primæ præuaricationis laqueos euaserint.* *D. Ambros.*

Dicebat Onosander cap. 10. stratag. ad finem, 1418.

Onosander. *Nunquam ad expeditionem, aut conflictum, copias componat Imperator, nisi prius sacrificijs ritè peractis: ideóque Popu, ac Vatibus comitatus incedat. Optimè autem fiet, si peritè ipsemet exta inspicere sciat; totámque artem addiscere, haud difficulter poterit, indéque à se ipso consilium capere: &, si quidem in extis, læta & fausta signa compererit, tunc demum rem aggrediatur: omnésque Duces, ad extorum quoque inspectionem aduocet, vt ipsi deinde militibus suis animos addant, & renuntient, Dijs iuuantibus & volentibus, prælium iniri.* Nihil piè magis dici poterat, nisi sacrilegæ superstitionis, impia sacrificia, & extispicia ridicula, reapse forent. Habet religiosiùs longè extispicium, & multo certioris augurij, meus Princeps, in bellum profecturus: si cor, si viscera sua, vitio pura, adhærentia Deo, introspexerit: iam propitio Numine poterit decertare: sibique aut victori vt plurimùm, aut quandoque victo, non damna, sed meliora quæuis è cælo augurari. At si *Extispicium pium, quod Princeps iturus bellum, potest & debet obseruare.*

si proprij pectoris extispicium, de scelerum conscientiâ venit ominosum: à bello, Catholicus Vates, illum moneo abstinere: nam aut victor, arrogantiam, durioris in posterum ruinæ, lænam reportabit, aut ibidem victus, hostibus miser, ludibrium apparabitur. Nec verò putet, sacrificiis & precibus religiosi populi, se interim culpis obnoxio, bellum commendatum, iniri tutò: nam licèt, & preces, & sacrificia, etiam pro iniustis, multi à Deo fiant: nihil tamen faustum, Princeps consequetur, qui inde morum spernit correctionem, quia vana præsumptione, in sacrificiis solummodo, & precibus alienis, spem salutis, obstinatus putauit collocandam.

1429. Postquam Israëlis Principes abominatur Deus, Oseæ 8. vers. 4. & Imperij prædicit vastationem: post multa, subdit tandem. *Hostias offerent, immolabunt carnes, & comedent, & Dominus non suscipiet eas: nunc recordabitur iniquitatis eorum, & visitabit peccata eorum, &c.* Vers. 13. Quòd non suscipiat hostias Impiorum, mihi non mirum: sed quòd ipsæ oblatæ hostiæ, memoriam præteritæ iniquitatis, nunc maximè refricent, vt non solùm præsentes, sed etiam transactæ culpæ, visitationem, id est, iustissimum supplicium accelerent, quis non miretur? Vnde enim qualis qualis, obsequentium, deuotio, non solùm despecta, ne impetret: sed etiam abominabilis, vt solicitet pœnas, habeatur? Respondet ibi grauissimè, meus Ruffinus Pius. *Nihil de morum iustitiâ cogitantes, spem salutis, in victimarum tantùm oblatione constituunt, &c.* grauitas nimirum consideranda iudicij: dicit enim se primùm, in *memoriam iniquitatis eorum adductum: cùm illi, sub conscientiâ contemptæ, neglectaque iustitiæ offerendi, arbitrati sunt, se victimis protegendos: cùm vtique munera, tunc grata sint, cùm non ab inimicorum, sed à charorum personis fuerint oblata.* Quæ explicatio eò venit germanior, quia Ruffinus, de piis & Solymitanis, (à Tribu Iuda, sed iam scelesta) victimis oblatis, verba putat explicanda, quod in re tropologica superfluum nunc duco discussisse; & illa, quæ adducit examinare. Grauissimum autem est, quod addit. *Cæterùm contumeliæ propius est, si ei, quem criminibus exasperaueris, lenia munerum, quasi non supplicantis, sed donantis ambitu, largiaris.* Nouerit ergo Princeps, fœditate vitiorum implicatus, quàm meritò, in arduis belli periculis deseratur, quantumuis pro illo Populus, sacrificia & preces multiplicare iubeatur: nam prætérquàm contemptæ iustitiæ conscientia, sub munerum & victimarum oblatione, apparet longè fœdior, vt longè instantior, sollicitet vindictam: ipsa munera, propiùs ad contumeliam, quàm ad honorem Numinis accedere videntur: si enim Deum criminis lacessis, iam despectum habes: despecto autem, non tàm supplicantis vota humilior, quàm arrogantis dona præsumeris consecrare. O nefas!

Oseas 8. 13.

Princeps impius, alienis precibus & sacrificiis, frustra cōfidit in bello: cum inde potius, scenius puniatur.

Ruffin. Pius.

Idem.

1430. At conscius scelerum, & proinde cælesti te destitutum auxilio veritus: ad apparatus bellicos, ad præsidia vndecunque comparanda, putes recurrendum: speres ab humano munimine te tutiorem, quando diuino clypeo non protegeris: Sed ô quàm falleris: ipsa inuadendo hosti, aut defendendo tibi munimenta, robustissima, euersioni tuæ, instrumenta disponuntur. Audi quid Dominus addiderit per Oseam, ibidem: *Iudas multiplicauit vrbes munitas: & mittam ignem in ciuitates eius: & deuorabit ædes eius.* Vers. 14. Non vrbes, sed munitas vrbes, quasi ad ipsius despectum constructas, dolet Deus: perfidi enim Principes, spei iam despondentes, ab auxilio diuino comparando; spem caducam & sacrilegam pariter, in terreno munimine collocabant: quasi hinc, non solùm contra inuadentes hostiles copias, sed etiam contra Deum, securos se præsumerent. At quàm delusi: nam quò altiores muros vrbibus addebant: quò portas æreas, durioribus vectibus claudebant, eò munitiorem carcerem apparabant: quo vincti potiùs, quàm propugnati, circuncingentes hinc hostium ignes, illinc vibrata desuper fulmina, effugere non possent. Quod in Solymitano excidio, sub Vespasiano, & Tito, legimus euenisse. Audiendus idem Ruffinus. *Istorum ita creuit impietas, vt omnipotentem Iudicem, cùm ad iracundiam promouissent: fore se nihilominus beatos, per suam arbitrarentur industriam: si videlicet, aduersùs eruptiones hostium, munitiones plurimas fuissent fabricati: sicque manerent, non solùm non adiuuante Deo, sed etiam pugnante, falices. Ideo, inquit, pracellet eos, digna frustratio, vt munitionibus suis, inclusi videantur potius, quàm defensi: omnésque eius ædes, saeuiens flamma consumet.* Frustra igitur mi Princeps, ad apparatus bellicos recurras, si, quòd vitiis fœdus, præsidio cælesti destitueris. Imò, vt initio dicebam, semper sub culpâ timidus trepidabis, & quidquid munimimis congeras, nunquam perfectè animos resumes: cùm vitio, inseparabilis comes, pauor adsit. Vnde Ludolphus Carthus. 1. part. cap. 42. *Semper est peccator in timore, quod per paralysim designatur, ex quâ fit dissolutio, & tremor membrorum. Si enim dicatur peccatori, vt det eleemosynam, aut malè acquisita, vel ablata restituat, timet ne sibi deficiat: si dicitur, quòd confiteatur peccata sua, timet de verecundia: si dicitur, quod faciat pœnitentiam, & satisfactionem de peccatis, timet de afflictione, & incommodo corporis. Ecce quomodò iste Paralyticus tremit, & ad sonitum folij pauescit.* Et quid pauoris, sub periculo grassantis necis, Principem peccatorem non inuadet? Caueat ergo sub fœdâ conscientiâ, & in auspicato, maléque, vt sic dixerim, extis ominantibus, bellum inire.

Oseas 8. 14.

Quidquid copiarum, & roboris apparat Princeps malus, in ipsius conuertitur ruinam.

Ruffin. Pius.

Ludolph.

Culpa, inseparabilis comes, metus.

XVII.

Quàm gloriosè pro Romanæ fidei religione, Principes decertent, & occumbant.

IAm verò sub his externis, internísque apparatibus, illud bellum, non solùm iustissimè, sed etiam piissimè initur, quo vera Romanæ Ecclesiæ Religio, contra barbaros hostes, & impudentiores multò hæreticos, propugnatur. Nulla bella *toruo spectacula Marti* gratiora, finxerunt veteres, quàm illa verò Numini veniunt iucunda, quibus Catholica fides hostium confusione extollitur. Quæ non prodigia, in Orbis stuporem, exhibuit Deus, vt Populum Israëliticum, promissæ terræ victorem introduceret? 1431.

Bella, pro vera religione, suscepta fauet Deus.

ceret? Prætereo illatas Pharaoni plagas, pelagus suis pervium, iterum inundans hostibus, ad sepulchrum. Condi,promi,annonæ militaris,irrorant Cæli:in castrorum metatricem, anteambulat Columna, iter sic præmoniens, vt æquatis in vallium complanationem collibus, Solem velaret vmbraculo & luce noctem effugaret. Panico metu, lymphatici sæpe hostes perterrentur;& ad solum tubarum clangorem corruentibus muris, contraria propugnacula prosternuntur. Tu cætera. Putares ergo iam introducto tot miraculis populo, pacem, gratissimo deinde otio, perennaturam: & tamen sex integræ Prouinciæ, confines Israeli, relinquuntur intactæ, cum quibus perpetuo bello fuerit, subsequentibus posteris, decertandum. Mirum hoc:sed adhuc mirabilior est ratio, quam Scriptor sacer, rei insperatæ reddidit: *Vt erudiret in eis Israelem, & omnes qui non nouerant bella Chananæorum: & postea discerent filij eorum, certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi.* Iud. 3. vers. 1. Bellicum planè fuit, sed non diuinum, illud apud Romanos decretum, de non delendâ Carthagine, vt ad æmulationem hostium, iuuenes nunquam armis desuescerent: at Deus, cui pax semper cordi est, vnde tam attento studio, conseruandis his bellis nunc incumbit? Respondet D. Augustinus tom. 4. lib. 7. in Iud. cap. 17. post multa. *Erat ergo ista causa, in eorum tentatione, vt bellare discerent: id est, vt tantâ pietate, & obedientiâ legis Dei, bellarent, quantâ Patres eorum, qui Domino Deo etiam bellando placuerunt. Non quia optabile aliquid est bellum, sed quia pietas laudabilis in bello.* Quasi ita delectatus fuisset Deus Patrum pietate, pro diuinæ legis obsequio decertantium; vt à filiis, iucundissimum hoc sibi spectaculum exposceret, identidem contra impios Idololatras, repetendum.

Nihilque martiali hoc exercitio, gratius habet.

Iud 3. vers. 1.

D. August.

1432. At, inquis solicita illa deuotio, quâ pacis tempore templa frequentant fideles, Sacramentorum vsu recreantur, precibus instant, & charitatis operibus impenduntur, non ne præstat pietati, quâ religiosis his bellis adhibentur? certè non præstat, si bella ista, eo, quo par est, animo ineantur: nimirum si ita decertent Principes, militésque Catholici, vt vitam, qua nihil maius pro fidei paciscantur defensione, & hæresum expugnationem, sanguine rependant: hinc enim si non Martyrium, consimilis Martyrio purpura comparatur, quia consimile sacrificium exhibetur. Suspirat Dauid potum è Bethlehemitica cisternâ, quam sacrilegi Idololatræ, in veri Numinis contemptum, obsidebant: & vix suspirat, & ecce *Irruperunt tres fortes castra Philisthinorum, & hauserunt aquam de cisternâ Bethlehem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid.* 2. Reg. 23. vers. 16. Quid tunc Rex? *noluit bibere, sed libauit eam Domino, dicens: propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc: num sanguinem hominum istorum, & animarum periculum bibam?* vers. 17. Multa hic latent, non leuiter percurrenda. Si immodicè sitibundus, optarat Dauid aquam, quam non nisi incredibili periculo, præuidebat afferendam: cur allatam respuit? Si non sitit: qua prudentiâ sitim simulat, vnde fortissimis ducibus, haud dubium vitæ discrimen adeatur? Sed esto non retineat aggredientes periculosè, & reuersos fæliciter, quæsitam per sanguinem aquam degustans, non exhilaret: cur tamen aquâ illam Domino libet, quasi gratissimum offerat Sacrificium? Simularat quidem ardentiorem sitim, & prudentissimè Simularat: quia generosissimâ pietate virorum talium vita periclitatur, imò amittitur, dummodò infidelibus hostibus, immenso terrori sit exercitus fidelis, qui tales milites, non temerè, sed fortissimè, robur suum iam pridem agnitum propalantes, potest educare. Merito ergo aqua tot periculis hausta libatur Deo, quasi in illâ afferentium sanguis spumaret: nam vt vita & sanguis horum ducum, si reapse funderetur, germanum Deo pararet sacrificium: sic aqua, cui, in obsequium fidei, iam sanguinem piissimè hi deuouerant, Sacrificij partes adimplebat. Nunc capies ibi Lyranum, qui ita. *Dixit Dauid hoc, non propter concupiscentiam aquæ, sed quia volebat audaciam suorum experiri. Vnde subditur:* Libauit eam Domino: *per hoc ostendens, quod exponens se periculis contra Infideles, facit Sacrificium Deo acceptissimum.* Viderint nunc Principes Catholici, an Deo, an Dæmoni parent Sacrificium, dum in Catholicos alios bella gerunt: quò interim communis hostis Turca insultet Ecclesiæ: quò hæresis, violandæ Religioni, tutior desæuiat. O vires, proh dolor! frustra inuicem comminutas, quæ pro Religione vnitæ, infidelia castra, pacificando Orbi, facillimè contererent! nulla inuicem sanguinis stilla funditur cui immensa lachrymarum vis non debeatur. Sed redeo.

Miles pius in bello, contra infideles, occisus: pene Martyr occumbit.

2. Reg. 23. 16

Vers. 17.

Lyranus.

1433. Hinc est, vt nulla mors Principi, fælicior aut gloriosior putetur obuenire, quàm dum fidei prælia decertans, occumbit strenuissimè. Quod rectum, in oculis Dei, erat, executus Iosias, ita vt in viâ virtutis, nec ad dexterâ nec ad sinistrâ declinaret: 4. Reg. 22. v. 2. audit tandem ab eodé: *Idcirco colligâ te ad Patres tuos, & colligeris ad sepulchrum tuum in pace: vt non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus sum super locum istum.* vers. 20. Quis non speraret sub hoc promisso, in lecto suo molliter reclinatum, hunc tandem Principem animam efflaturum? & tamen dum Pharao contra Assyrios progrederetur, & violato iure, per Iosiæ prouinciam, iter violentus capesseret: occurrens cum exercitu Iosias, vt Patriam, vt sacra, ab infestatione barbara defenderet, occiditur: *Abijt Iosias Rex in occursum eius, & occisus est in Mageddo.* ibidem, cap. 23. vers. 29. Et vbi illa pacifica collectio, ad sepulchrum? Respondet ibi Stephanus Cantuar in Syl. Alleg. *Ecce Dominus promisit Iosiæ sepulchrum pacis, & tamen occisus est: quia tribulatio temporalis, non aufert pacem, quam dat Dominus: vnde de Martyribus dicitur: in pace sepulta sunt: scilicet in pace pectoris, quam non aufert gladius.* Quid ergo gloriosius, quid pacificum magis Iosiæ potuit accidere, quàm ita mori, vt inter bellicos furores, suauissimam pectoris pacem, pro sacris, & dicata Deo prouinciâ, contra Idololatras pugnans retinuisse prædicetur? Quæ mors faustior, quàm quæ Martyrum gloriosos triumphos æmulatur? Bene ergo *ad sepulchrum suum in pace*, collectus dicitur Iosias: cùm enim instaret iam durissima illa plaga à Deo, qua in Solymis sacra conculcanda, abolenda religio erat: meritò bellicam necem, tanquam gloriosissimè pacificam duceret prudentissimus, quâ oculos fæliciter claudebat, ne sæuissimo prostratæ religionis spectaculo torquerentur. Grauiter ibi Lyranus. Di

Nunquam Princeps, gloriosius obit, quam pro fide decertan

4. Reg 22. 20.

& 23 v. 29.

Steph. Cant. *Pax vera, in morte pia.*

Pio animo, nihil funestius accidit, quàm euersam Religionem videre.

Lyranus.

Dicendum, quòd ista collectio pacifica, intelligitur quantum ad hoc, quod destructio ciuitatis, & Templi, non accideret in diebus suis, &c. Sapientes enim reputauerunt maius malum, videre destructionem suæ Religionis, & Populi, quàm mori.

1434. Horat. *In bello pio occumbens Princeps, sepulchrum sibi erigit, in Trophæum.*

Et quidem, si vbique gentium, meritò celebratur illud lyrici: *Dulce ac decorum est pro Patriâ mori*: Quantò dulciùs, quantò honestiùs erit, pro Patriâ, & Religione pariter occumbere? gloriosum est victoriarum stemmata, contra ius mortis, æternùm vernatura, insculpere sepulchro regio: sed longè gloriosius, sic fortiter pro Religione, in prælio fundere animam, vitam pacifici, vt mors strenua, trophæi basis fuerit, quo trophæum ipsum, in sepulchrum videatur adornari. Mach.6.45. Oppugnabat piissimos Machabæos, in Religionis odium, Antiochus: veri Numinis cultum, funditus euertere, sacrilegè meditatus: dúmque ferueret prælium, cernens strenuissimus Eleazar, Elephantem pompâ regiâ loricatum, credens è bestiâ cæteris eminentiori, Regem decertare: *Cucurrit ad eam audacter, in medio legionis: interficiens à dextris, & à sinistris, & cadebant ab eo, huc atque illuc: & iniit sub pedibus Elephantis & supposuit se ei, & occidit eum.* 1.Machab.6. vers.45. Quid vnquam strenuiùs dici potuit? D.Ambr. Eleganter D.Ambrosius lib.1. offic. cap.40. ad hunc locum. *Quanta virtus animi, primò, vt mortem non timeret, deinde vt circunfusus legionibus inimicorum, in confertos raperetur hostes, medium penetraret agmen, & contemptâ morte ferocior, abiecto clypeo, vtrâque manu, vulneratæ molem bestiæ subiret, ac sustineret.* In æternum igitur gentis suæ columen, & sacræ legis, quam tuebatur, defensorem, dux tantus à Deo, videbatur conseruandus: & tamen permittitur, imò iubetur ibidem mori: neque vtcunque, sed interfectæ bestiæ, ruinoso pondere oppressus: nam, *Cecidit in terram super ipsum, & mortuus est ibi.* Vers.46. (Vers.46.) O quid agis Numen? non potuit vir piissimus, strenuissimus miles, gloriosiùs coronari? D.Ambr. Vide quid subiungat Ambrosius. *Post, infra ipsam succederet, quo pleniore feriret ictu: cuius ruinâ inclusus magis, quàm oppressus, suo est sepultus triumpho.* Excauent molles Principes, dura pretiosi marmoris viscera, in sepulchrum: nunquam augustiùs Eleazaro condentur, qui dum bestiæ, fortissimo gladio, vterum disrumpit, Religionis integritatem defensurus, æternum sibi gloriæ erigit Mausolæum: quem proinde adepta trophæa non tàm opprimant grauiter, quàm reuerenter includant, vtpotè neci religiosissimæ incumbentia.

1435. Hinc etiam fuit, vt & fortissimus Machabæorum Princeps Iudas, dum octingentis tantùm viris, innumeras hostium copias sustinere cogeretur, suadentibus suis honestum recessum, qui tamen hostibus, turpis, titulo, fugæ, poterat infamari, respondit: *Absit istam rem facere, vt fugiamus ab eis: & si appropinquauit tempus nostrum, moriamur in virtute, propter fratres nostros, & non inferamus crimen gloriæ nostræ.* Ibid. 1.Mac 9. 10. cap 9. vers.10. Putauit gloriæ priscæ crimen, ni fraternæ charitati, morte litaret: non quòd si paululum tunc recederet, iustum è suis exercitum collecturus, nouos & nouos triumphos, non possèt spetare: sed, quod impiis Idololatris, tantisper cedere, dum vita respiraret, sic duxit indecorum, vt mortem illam, omnibus triumphis speciosiorem æstimaret. *Mori ista, omnibus est triumphis, speciosior.* Inuadit ergo hostes leone ferocior, conterit innumeros, additque Textus: *Et qui in sinistro cornu erant, viderunt quòd contritum est dextrum cornu, & secuti sunt post Iudam, & eos qui cum ipso erant: & ingrauatum est prælium, & ceciderunt vulnerati multi ex his, & ex illis: & Iudas cecidit: & cæteri fugerunt.* Vers.16. & 17. V.16. & 17 Non ausa mors, nisi à tergo, tantam multitudinem inuadere: sic obit dux fortissimus, de morte tamen & hostibus gloriosius triumphaturus. D. Ambr. D.Ambros. cit.cap 41. *Gloriosam magis mortem, quàm turpem fugam suasit; ne crimen, inquit, nostræ relinquamus gloriæ. Itaque commisso prælio, cum à primo ortu diei, in vesperum committeretur prælium, dextrum cornu, in quo validissimam manum aduertit hostium, facilè auertit: sed dum fugientes sequitur, à tergo, vulneri locum præbuit, ita gloriosiorem triumphis mortem inuenit.*

1436. *Non tàm infidelium robore, quàm ignauia nostra, occumbimus in bello.* Tertul. *Hæresis, tantummodo fragiles inuadat.*

Si quis verò adhuc, religiosissima hæc, contra infideles, bella timeat ignauus, quod sic etiam speciosam mortem timet; hinc maximè debuerit animari, quòd vt plurimùm, non tàm infidelium viribus, quàm ignauiâ suâ cadunt fideles. Pulchrè Tertullianus lib. de Præscript. aduersùs Hæret. cap.2. ita in re dogmatum, nos instituit. *Mirum scilicet, vt malum vires suas habeat: nisi quod hæreses, apud eos multum valent, qui in fide non valent. In pugnâ pugilum, & gladiatorum, plerumque, non quia fortis est, vincit quis, aut quia vinci non potest: sed quoniam ille, qui victus est, nullis viribus fuit: adeo ille idem victor; benè valenti comparatus, etiam superatus recedit. Non aliter hæreses, de quorundam infirmitatibus habent, quod valent: nihil valentes, si in benè valentem fidem incurrant.* Perinde est in prælio materiali: nihil valerent gladij materiales, si in benè valentes incurrerent fideles: ideo illi quandoque vincunt, non quia fortes, non quia vinci non possint, sed quia nos ignaui: ideo nos ignaui, quia contra infideles, non tàm pro fide & religione, quàm sub huius prætextu, sæpè pro temporalibus decertamus. Ratus esset, qui certus, pro fide se pugnare; mortem non contemneret: nemo autem contemptâ morte, ferocior non pugnat: inde vt plurimùm victor, quia mors fugit timida contemptorem. Mira sunt in hanc rem verba illa Christi. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam quotidie, & sequatur me.* Luc.9. vers.23. Luc. 9. 23 *Mortis contemptum, mors fugat.* Milites sibi deligebat Christus, qui Orbem vincerent, Tartara prosternerent, & victricem Fidem Apostolico functi munere, stabilirent. Quid ergo est, quòd sic morti cupit vicinos, sic neci proximos, vt quasi iam iam crucifigendi, ipsi secum patibulum gerere videantur, sicut olim damnati, Crucem asportabant. Quomodò insultarent hostibus, viuerent animosè prædicaturi, qui sic proximæ morti destinabantur? Respondet D. Chrysostomus Orat. 1. de Cruce, apud Greths. D. Chrysost. *Quid verò est*, tollat Crucem suam? *adeo sit promptus ad cædem, & Crucem subeundam, vt qui eam portat, tàm paratus, vt ille, qui Crucem iam fert humeris: tam vicinum morti, sese existimet. Talem omnes obstupescunt: nec enim sic suspicimus homines, mille armis tectos, vt eos qui hac tantâ fortitudine muniti sunt, in hoc vera libertas posita est: nihil enim mortem tam fugas,* quam

quàm mortis contemptio. Vtinam Catholici Principes, sub hoc mortis contemptu, contra Infideles bella inirent: formidabiles illis horrerentur: & irent quidem mortis contemptores, si animosi fide, pro religione vnice pugnarent: si Crucis, quam gerunt, priuilegia recolerent, si Bullæ Cruciatæ, quam à Pontifice Romano impetrant, honore pariter, & onere fungerentur. Sed de hoc iam seorsim pauca.

XVIII.

Quàm debeat Catholicus Exercitus, acceptâ Bullâ Cruciatâ, animos generosos spirare.

1437. *Bulla Cruciata, Exercitus Catholicos, quàm corroboret.*

Conceditur Hispano, id est Catholico Monarchæ, in India, in America, in Africa, in Europa, vt plurimùm contra Infideles, pro Romanâ, id est verissimâ religione, decertanti, à benignissimo Pontifice Bulla Cruciata: sic vulgo dicta, quia sub Crucis auspiciis faustissimis, súbque eiusdem stemmate glorioso, Milites scribuntur, dictantur copiæ. Putaui ergo, operæ pretium aliquod me facturum, si ostenderem, non aliunde fœlicius Catholicos exercitus, quàm sub Crucis augurio, militare: & sub hoc signo, quo Orbem olim subegit Constantinus, consimiles victorias reportari. Scilicet vt agnoscens Catholicus Monarcha, quantùm hinc sibi auxilij paretur, longè cum exercitu suo, contra vel barbaros Idololatras, vel impudentissimos hæreticos, procedat animosior. Bene Varadatus Monachus, in Epist. ad sanctissimum Imperatorem Leonem, (habetur in Concil. Chalced.) contra Infideles pugnātem, post alia sic concludit. *Qua propter repentè amice Leo, rugies, fiésque illis valde terribilis, & præ metu, Leonis impetum fugientes, quod abripuerunt, de suo redemittant. Sic vestram facere condecet pietatem: vt sicut nomen est Imperij vestri, ita prædicetur in toto Mundo, terribile pietatis vestræ decretum: sicut scriptum est Psalm. 47. secundùm nomen tuum Deus, ita & laudatio tua.* Sic res euenit: & Leo fortissimus, Infideles Ecclesiam perturbantes, quasi timidos lepores effugauit. Si autem quæras, vnde tam fælix victoria? à Crucis auspiciis, à crucigero exercitu prouenisse, indicant Episcopi Lyciæ, sub eodem Concilio, ad eundem Imperatorem sic scribentes. *Nauis Orthodoxorum duceretur forsitan in profundum, nisi Imperator pius existeret, qui pro purpurâ, virtutibus fulgens, armis vtens, aduersùs hostes, venerabili Cruce: & hac vocatus appellatione, quâ per clementiam Christus vocatus est: recubans inquit soporatus est, sicut Leo.* Vnde auguror fore, vt Catholicus Monarcha, qui meritò, ab Insigni gentilitio *Hispanus Leo* appellatur, Holandiæ tandem hæreticos rebelles subiugârit, quò enomant, quidquid ex Regio patrimonio, sacrilegè deuorârunt: cùm is sit, qui pro purpurâ, fide resplendens, Bullâ Cruciatâ, id est ipsissimo Crucis robore, pro armis, exercitus suos muniens, Orthodoxam Religionem, contra Nouatorum impietatem, per vniuersam Belgiam & Germaniam, pro virili suâ protegat, & confirmet.

Varad. Mon. *Opera nomini respondeant.* Côcil. Chal.

Crux victoriarum fons.

1438. *Crux, Exer-*

Quid? non solùm post Christi Domini victoriam, sed etiam multo ante, eiusdem virtute, Crux, quo typico tenore poterat, exercitus fideles muniebat. Exurgit nouus bellator Abraham, liberando Nepoti Loth, idololatras Reges expugnaturus: & cùm isti, tot aliorum iam spoliis insolentes, tot copiis instructi horribiles viderentur: *Numerauit expeditos vernaculos suos, trecentos decem & octo: & persecutus est vsque Dan, & diuisis socys, irruit super eos nocte, percussitque eos.* Genes. 14. vers. 14. Prudens-ne, tàm paruo numero, tantis ausus? Equidem prudentissimus, quia vt licuit, iam sub Cruciatæ Bullâ, à Deo motus, & fortassè monitus, Crucigerum exercitum ductabat, vt non tàm militum paucorum numero, quàm numeri Sacramento triumpharet. Hoc est quod piè in Græco T. excogitârunt antiqui, quæ littera, dum arithmeticæ notæ seruit, signat trecentos, & aliunde Crucem repræsentat. D. Paulinus epist. 1. post alia de hac Abrahæ victoriâ. *Ille non multitudine, & virtute legionum, sed iam tunc in Sacramento Crucis, cuius figura, per litteram Græcam. T. numero trecentorum exprimitur, aduersarios Principes debellauit.* Sed Abrahamo, vtpote à Christo remotiori, minus apertè symboli huius mysterium videtur reuelatum: ideo cum trecentis illis mysticis, adhuc nescio quos decem & octo numerauit. At Gedeoni, vtpote iam Crucis temporibus viciniori apertiùs ait Deus, abiectis immensis aliis copiis, quas parauerat: *In trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos: & tradam in manu tua Madian.* Iud. 7. vers. 7. de quo Magnus Augustinus serm. 118. de Tempore. *Prauidit mysterium sanctus Gedeon, elegit trecentos viros ad prælium; vt ostenderet non in numero multitudinis, sed in Sacramento Crucis, Mundum, ab incursu grauium hostium, liberandum: trecenti enim in Græco T, similitudinem Crucis ostendunt.* Sic tenuissimi exercitus, sed vt cunque Crucigeri, confertos hostium cuneos disruperunt. Garriant nunc Heretici, sic Scripturam piè magis, quàm solidè à Patribus explicari: Nam Catholicæ acies, id saltem habent, vt pro Cruciatâ suâ, priscos Patres habeant Patronos: cùm illi, ad prælia sua, Crucis quam abominantur, auspiciis destituti, Lutheri, Caluini, Melanchtonis furoribus deducantur. Illud certè, nisi impudentissimi, non negabunt, stratos Amalechitas à Iosue, quia, vt omnes ferè Patres notârunt, expansis manibus Moyses, Exod. 17. vers. 11. se se in modum Crucis efformabat: aut videant, quid aliud, historia illa tàm prolixè narrata velit significatum. Dedi alibi in hunc locum antiquissimum Tertul. lib. contra Iud. cap. 10.

citus sehan

Genes. 14. 14

D. Paulinus

Iud 7. vers. 7. D. August.

Exod. 17. 11.

Tertul.

1439. *In eadem Cruce, sed longe diuerso tenore, Christus, & Dæmon cernitur crucifixus.*

Sed mihi non mirum, quòd cum Catholicis Cruciatæ Bulla, atque Crucis stemma, sic ad prælium veniat pretiosum: hæreticis aliunde sic exosum: habeatur: scilicet vna, eadémque Crux, sed sub longissimo discrimine, & Christum Regem nostrum, & Dæmonem hæreticorum Principem exhibuit Crucifixum: hunc nimirum victum, atque ad ignominiam traductum: illum victorem, & quasi è laureato Curru triumphantem: quid ni ergo in præliis signum istud victoris Regis nostri, nobis faustissimum: & idem, prostrati Regis sui, ominosissimum hæreticis reputetur? Mentiar, ni id olim à Iosue ostenderim penetratum. Triumphârat ille pridem, vt suprà innui, sub præsidio Crucis Amalechitas: & ecce postea, vrbis Hai Tyrannum potentissimum debel

debellans, vltimo tandem afficit supplicio: *Regem quoque eius suspendit in patibulo, vsque ad vesperam.* Iosue 9. vers. 29. Lxx Interp. vertunt: ἐκρέμασεν ἐπὶ ξύλου διδύμου. *Suspendit eum in ligno gemino.* Prætereo, quod alij in hoc Rege, Dæmonem à Iosue diuino, Iesu vero, punitum explicarunt: Quæro autem, cur patibulum reapse vnum, hic geminum patibulum appelletur? furcam fortasse dixeris, quæ aliquibus δίδυμον ξύλον appellatur: sed neque id certum ex vi vocis, cùm Crux aut immissa, aut commissa pati etiam ratione dicatur: neque apud priscos Hebræos illa ita in vsu, quæ hodie apud nos, tribus lignis constat. Crux ergo vna erat, quæ absque mysterio, gemina in præsenti non diceretur: scilicet, quòd geminam virtutis rationem, in Cruce sacrâ vigentem repræsentaret: altera, qua Christum, vitæ fructum germinat, altera qua Dæmonem, ibidem suspensum contrucidat. Origenes hom. 8. in c. 7. Ios. ita. *Mirus tibi fortasse sermo & nouus videatur, quod dico: Crux gemina fuit: hoc est geminâ ratione constat, & duplici: quia visibiliter quidem filius Dei, in Carne crucifixus est, inuisibiliter verò in Cruce cum Principatibus suis & potestatibus, dæmon affixus est.* Notior est alius locus D. Petri Damiani, qui in eadē Cruce, hinc Dæmonē ad ludibrium: hinc ad gloriam, Christum, prædicat crucifixos. Non ergo mirum, si Crucem, quam in auxilium colimus reuerenter; hæretici, cum Principe suo, indidem expugnandi perhorrescant.

Iosue 9. 29.
Lxx Interpr.
Origenes.

1440. Turrim fabricauerat Dauid, vnde arma appendebat, quæ suis postea in bellum profecturis ministrarentur: hæc vna, armarium Regium erat, Militum fiducia, Populi præsidium, hostium terror, spes sociorum: *Ædificata est cum propugnaculis, mille Clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium.* Cant. 4. vers. 4. Huic turri Ecclesiæ collum comparatur, quia ni fallor à Sede Petri, ab arce Romanâ, id est totius Ecclesiæ propugnaculo, tanquam per collum, à Capite Christo, in mysticum Ecclesiæ corpus, quidquid gratiarum est, traiicitur: ibi hæreo, quæ nam sit hæc armatura, quæ cùm vna sit, omnis tamen armatura fortium, appellatur? imo, cur qui solummodò Clypeos expresserat, iam Clypeos, omnis armaturæ nomine, insigniret? Putaremque dicendum Romanam fidei turrim, dum sub bullâ Cruciata catholicis Militibus Cruces diuidit, & tanquam Clypeos porrigit protegendis, iam omni armaturâ, eosdem præmunire, fortes reddere: quia nulla alia arma, absque Crucis præsidio, valida præsumuntur. Non hinc abiret Græcus Aponius, qui postquam latè, Crucem aptatam nobis in clypeos explicauit, sic subiungit. *Omnis armatura fortium, illud edocuit, quòd nemo sit fortis, neque Regum, neque Principum, nec quisquam diuitiarum mole suffragatus, neque prapotens membrorum robore, neque bellicâ arte edoctus incedit: ipso enim clypeo fortissimè protecti, iacula malignorum spirituum, non timuerunt.* Inermia ergo sunt arma illa Principum, quæ in prælium, absque Crucis munimine deferuntur. Et bene Clypeus iste defendens, iam *omnis armatura*, id est offendens etiam, appellatur: quia sic fidelibus munimen vt excidium importet infidelibus. Expertus rem didicit commendatus initio Leo Imperator: qui ipse eximius Theologus, Orat. 2. de Cruce, sic scribit. *Crux Ecclesiarum fundamentum est, Sacerdotum gloria, Regum corona, ciuitatum firmamentum, hostilium vrbium euersio, fidelium auxilium.* vbi multa.

Cant. 4. v. 4.
Crux valida est, & omnigena armatura.
Aponius.
Leo Imperat.

1441. Applaudunt ergo meritò Catholici Milites, Crucis suæ egregio munimini: exhorrent illam hæretici, quâ se tandem euertendos reformidant: tantummodò, non solùm foris, sed *toto mentis affectu protectus Cruce*, incedat meus miles, vt monebat Aponius: & in præliis, aut barbarorum, aut hæreticorum seruitutem non pauebit: imò pauentes, sub iugum mittet, victos conculcabit. Mira est illa sententia Pauli, ad Corinthios 1. cap. 7. *Pretio empti estis, nolite fieri serui hominum.* vers. 23 Non dixit, *non sitis serui*, vel, *non cogamini in hominum seruitutem*: sed, *nolite fieri serui*: quasi in nostrâ fuerit situm potestate, indecoram apud impios dominos, seruitutem euitare: quasi non nisi volentes turpiter, turpi iniustæ seruituris (de iustâ enim seruitute, non est hic sermo) obsequio addicamur. Ergo, inquis, Infideles, dum religionem catholicam oppugnant, & exercitus pios expugnant quandoque, solummodò ex affectatâ ignauiâ nostrâ, & quòd captiuari volumus triumphare præsumendi? Ita puto: volenter enim, non recolentes pretium, id est Crucem, qua empti sumus ignauescimus: & in sanctis his bellis, non zelo defendendæ religionis, exaltandæ Crucis, sed acquirendi noua, ardore, præliamur: Negat Crux munimen suum, quibus torpentibus iam tantæ libertatis pretium, minus recolitur pretiosum: rarò, & occultiori aliquo Dei iudicio ab infidelibus vinceremur, si pretium & Crucem quâ redempti sumus, æstimantes, *toto mentis affectu*, illam nobis in munimen aptaremus; ideo Paulus, redimentis huius pretij meminit, & inde non nisi volenter, sic redemptos, subintulit captiuandos. Grandius aliquid habet D. Ioan. Chrysost. hom. 55. in cap. 16. Matth. ad hunc locum, post alia de redemptionis nostræ libertate. *Paulus, cùm ad capescendam veram hanc libertatem nos hortaretur, ad Crucis, & Sanguinis Dominici memoriam, reduxit: pretium autem hîc, Crucem appellauit: quam non simpliciter digito in Corpore: sed magnâ profectò fide in mente formare oportet: nam si hoc modo eam expresseris, nullus scelestorum Dæmonum, cùm hastam videat, quâ lethale vulnus suscepit, congredi tecum audebit. Nam, si cùm solummodò loca, in quibus capite damnati pœnas persoluunt, videmus, ingenti horrore concutimur: quid passurum putas Diabolum, si mucronem tenere te viderit, quo vires eius Christus dissoluit: & quo, caput Draconis, magno ictu, rotauit?* Videat nunc exercitus Catholicus, an qui prædicto modo Crucem sibi insigens, Infidelium Principem Dæmonem fugaret, ministras eiusdem copias, Turcicas, & hæreticas acies, disperderet faciliùs. Sed heu dolor! purpureas in pectoribus ad honorem, ad stemma in vexillis, Cruces gerimus: viridibus, aut candidis Crucibus ad nobilitatis insigne radiamus, quas à mente omnimodo abolemus: inde sponte deuicti, fœdissimam, id est voluntariam apud hostes inimus seruitutem.

1. Cor. 7. 23.
Sub Cruce, non nisi volens, & ignauescens, tero ris triumphari.
D. Io. Chrys.

1442. Recole quæso iterum, illa verba Christi, ad suos: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam quotidie, & sequatur me* Luc. 9. vers. 23. Nouerat Princeps noster, non solùm spiritualia ab inferno bella, sed etiam visibilia ab Idololatris, Paganis, & hæreticis, contra Ecclesiam Romanam insurrectura: Noue

Luc. 9. v. 23.

uerat non solùm spiritualibus, pacis tempore, exercitiis, sed etiam tempore belli, tuendæ, vt suprà dixi, Religioni, materialibus pugnis, se deseruiri: hincque, pia eiusdem vestigia etiam venire imitanda: & tamen, vtramque fidelium classem, tantùm ducem insecuturam, vnâ tantùm sublatâ Cruce vult apparandam. Nunquid piè militantibus, arma voluit interdicta? absit: sed minus armis, quàm Cruci, mentibus infixæ, voluit tribuendum: in Cruce, omnem quodammodò præscripsit armaturam: quia cætera arma, hinc vnicè roborantur, vt quemadmodum Cruce sua ipse, quidquid voluit, perfecit, sic eiusdem communicatione, quasi ad libitum catholicus exercitus triumphaturus, pro voluntate sua victorias disponat. Magis mysticè loquitur Diuus Ioannes Chrysostomus, Orat. de Cruce apud Greths. iis tamen verbis, vnde necessariò explicatio nostra propugnatur: ergo S. Doctor ibi, ad hunc locum ita de Crucis munimine. *Hoc, gladius est, hoc clypeus, hoc thorax, hoc galea, hoc ocrea, hoc totum propugnaculum: hoc portus, hoc refugium, hoc corona, hoc præmium: hoc omnium bonorum & præsentium, & futurorum thesaurus. Quemadmodum enim is, qui valida sumit arma, eadem quoque dat militibus suis: sic & Christus, videte, inquit, Crucem meam, quanta effecit: arripite & vos talia arma, & perficite talia quæ fert corde voluntas.* Si ergo voluntas, imò & ratio, contrà Infideles, bellum suadeat: etiam sub armaturâ, auspiciisque Crucis, sic euademus potentes, fortes adeo, vt quodammodò ad libitum victoriis potiamur: si enim Cruce, Infidelium caput Dæmonem expugnamus, à fortiori Phalanges; etiam barbaras & hæreticas, quas iste ducit prosternemus; quod quidem prudenter intulit Timotheus Antiochenus, Orat. in festo S. Crucis, sic scribens. *Multis & variis armis exercitatus miles communitur, quando aduersùs barbarorum phalanges, prælium suscipit: & ducem suum, Romanum Imperatorem sequens, vndique armis cingitur, tutúmque se ab hostibus præstare studet: at verò fidelis, Christicolaque homo, cælestem Imperatorem animo sequi paratus, vnâ eadémque militari pharetrâ, totum Dæmonum agmen valet extinguere. Quod si Dæmonis agmen, Crucis pharetra extinguit: perspicuum omnino est, eam omni barbarorum impetu, & quasi procellâ, esse superiorem.* Est quidem perspicuum, & robustissimum argumentum.

Crux, armis præfertur. *D. Chrysost.* *Si Cruce, Dæmonem vincimus: quidni Infideles. Tim. Ant.*

1443. Inde tamen fiet robustius, si agnitâ inferni Principis ignauiâ, necessariò ignauissimos eius milites, id est, infideles omnes, inferamus: quos proinde solummodò victores pertimebimus, quia in illos, Crucem fideliter, & toto vt dicebam, affectu, vibrare ignauescimus. Occurrit, imò trahitur occultâ vi ad Christum, turba Dæmonum, vnum & miserrimum homunculum diuexans: ad quam tunc Dominus: *Quod tibi nomen est?* Marc. 5. vers. 9. Respondétque Tartarea caterua: *Legio mihi nomen est, quia multi sumus.* Ibidem. Certè, satis erat vnus vt miserum energumenum affligeret: sed cùm vel solâ præsentiâ Christi, captiuus præsumeretur roborandus, confertissimum Dæmonum agmen, ne animosior rebellaret captiuus, huc confluxit. Sed si Christum agnoscunt: cur vel etiam sic coniurati, de captiuo illo præsumunt triumphare? Cur non trepidant homunculum, quem iam sub præsidium Domini, dolent confugisse? quia nondum Christus Crucem suam erexerat: nondum parata erat armatura, qua sic homines roboraturus erat Deus, vt vel solummodò conspecti sub hoc stemmate, innumeras Dæmonum legiones possent effugare. D. Petrus Chrysologus serm. 17. ad hunc locum. *Christi interrogatio, nostram ignorantiam sic depellit: nobis aperit, quod latebat: ad vnum, legio. Euidens est desidia militis, si deserat aciem, si gressum retrahat, si confligere pertimescat, vbi vnum, numeroso hoste, fortiorem prauidet esse captiuum. Ad præsentiam Regis, isti quid sunt, qui vt vnum, & nec dum tyronem, caperent, toto cohortis suæ agmine conuenerunt? Vbi essent, si vexillum ibi iam Crucis, si Christi signa vidissent? Age Christiane, incede securus: manus tanta, & tam multa, quæ sic metuit inermem; procul fugiet, si videat, si sentiat, si cognoscat armatum.* Et non putem vel ipso aspectu fugandos, barbaros & hæreticos, longè Principe Dæmone ignauiores, si exercitus Catholicus Cruciatâ suâ bullâ, quâ par erat vteretur deuotione: si externa arma, Cruce, infixâ piis animis roboraret?

Quàm ignauus, ad Crucis conspectum ignauescat. *Marc. 5. 9.* *D. Chrysol.*

Possem ire per innumera, quæ Patres de Cruce vbique victrice, scripserunt, sed aliò reseruanda: hic autem tantummodò admoneo hæreticam superbiam, illas ipsas blasphemias, quibus Crucem impetens, quasi adhuc gentilizet, reputat stultitiam, & turpius, quasi scandalum subeat, iudaizans: illas, inquam, Crucigero exercitui nostro, pignus victoriæ certissimum asportare. Arrogantissimus irruperat, exprobrans *agminibus Israel*, 1. Reg. 17. vers. 10. Goliath, quasi sub Numine inualido ad auxilium, decertaret: cúmque cæteri horribili timore fugerent concussi intrepidus ad socios subiungit vnus Dauid: *Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc, & tulerit opprobrium de Israël? Quis enim est hic Philisthæus incircuncisus, qui exprobrauit acies Dei viuentis?* Vers. 26. Tàm certus erat de victoriâ, vt nihil de pugnâ sollicitus, totus de præmij coronâ, non tàm ambiendo lucro, quàm exhibendæ fiduciæ, cogitaret. Sed vnde abiecto pastori, licèt robusto, contra viuam illam, & robustissimam vitium turrim, tàm secura spirituum animositas? Respondet, ex ore Dauid, D. Basilius Seleucus in homil. *Deo contumelia dicitur, & quis in pugnâ non animetur? ipsum Deum contumeliis lacessitum, in auxiliis numero: maledicam illam inimici linguam, victoriæ pignus sentio.* Blasphematur, in Cruce, Deus, apud hæreticos: Quis Catholicorum ad pugnam non animetur? Quis Christum, Crucis suæ contumeliis lacessitum, in præsentissimis auxiliis non adnumeret? Quis linguas illas maledicas, certissima victoriæ iam pignora, non præsentiat? Et pende quæso, quòd cum Dauid, solius rotatu fundæ, lapidisque iactu, ineundum sibi certamen meditaretur: baculum nihilominus non deseruit: *Tulit baculum suum, quem semper habebat in manibus:* Vers. 40. Putas-ne hæretice, absque sacramento, in sacris, ista, literis perpendi, vt baculus, qui, rotandam potiùs fundam, videbatur impediturus, tàm hîc disertè, quasi necessarius ad victoriam exprimatur? Si nescis, iam Dauid, quomodò poterat, Cruciger in prælium descendebat, sub ligno illo pastoritio, vitale Crucis lignum recolens ad præsidium. Hinc

1444. *Blasphemiæ hæreticæ in Crucem, nobis victoriæ pignus sunt. 1. Reg. 17. 10.* *Vers. 26.* *D. Basil. Sel.* *Vers. 40.* *Absque Cruce, non stat victoria.*

Hinc commilito ille tuus Goliath, cùm fundâ armatum cerneret Dauidem, ad solum tamen baculum, visus expauescere, ideo subditur: *& dixit Philisthæus ad Dauid: Nunquid ego Canis sum, qui venis ad me, cum baculo? & maledixit Dauid, Philisthæus in Dijs suis.* vers. 43. Legat Hæreticus de hoc baculo siue Cruce, quæ multa antiqui Patres: catholicis do Lyranum ibi. *Goliath, hæreticorum superbiam signans: &c. per Dauid, inunctum à Samuele, significatur quilibet Christianus bonus à Christo inunctus vnctione gratiæ: propter quod timere non debet potestatem & arma Sathanæ, sed constanter ipsum aggredi, cum baculo sanctæ Crucis, ipsum per fidem interiùs portando, & exteriùs in signo.*

Vers. 43.

Lyranus.

1445. Admoneo tandem Catholicos triumphantes, ne partis iam, sub Crucis auspicio, victoriis insolescant: ne ve, quasi æterno iam comparato otio, ignauescant periculosè. Cruciger, vt initio dicebam, Idololatras hostes prosternit Abraham & ecce recèns à prælio cessans, audit à Deo. *Noli timere Abram, ego protector tuus sum.* Genes. 15. vers. 1. Quis non putaret, post tam gloriosam victoriam, Patriarcham, de erigendis trophæis, cogitasse: disposuisse triumphum, per otium partâ gloriâ fruiturum? & tamen prudentissimè sic timebat, vt tùc maximè, animatore Deo indigere videatur: qui se se illi, in protectorem, imo *clypeum* מגן, quasi iterum defendendo, pollicetur: Ecquid timebat? Respondet grauiter Guillelmus Hamerus ibi. *Vidimus nuper Abraham, magnificâ potitum victoriâ, bellúmque ex sententiâ confecisse, & nepotem suum Loth, cum omni domesticâ supellectili, ab hostibus ereptum, & integrum, restitutum. Sed nunquid hic sentimus Abraham magno gaudio, puerilıter elatum, & in victos hostes, conuicia contumeliásque coniecisse, & victoriam suam magnificè prædicâsse, trophæa vel marmorea, vel lapidea erexisse? Sed nihil horum fecisse eum liquet. Sciebat vir prudentissimus, Martis semper ancipitem esse aleam: ac multò antè iam illud Virgilianum secum reputans*, Respice res bello varias: *Sciebat quoque, non plenam adhuc esse victoriam, vbi adhuc armati hostes superessent: neque vicisse satis esse, cùm quædam victoriæ maximorum bellorum semina fuissent, &c. His igitur non absimilia, cùm Patriarcha Abraham animo reputaret, & belli fortunam suspectam haberet: credibile est illum, ad diuinam opem confugisse, & si victi hostes rursus bellum instaurarent, Deum strategum sibi optâsse. Huc respiciunt verba Dei, cum inquit: Noli timere, &c.* Dixi de Bello, illa tantùm, quæ religiosum Scriptorem neutiquam dedecere existimaui: cætera à profanis Authoribus stratagemata, ab stylo nostro credidi aliena.

Post victoriâ contra infideles, non quiescendû.

Guil. Ham.

Quia semper noua bella repullulant.

Notatio XX.

De Principis vxore, atque liberis.

1446 De Principe hucusque fusissimè differentes, postremam hanc Notationem, Augustæ Principis Coniugi, atque liberis consecramus: neque à Texto sacro, neque ab Instituto Politico deuiaturi. Pessimas vxores, habuisse Baltasarem, quem traducimus satis constat ex Danielis cap. 5. à vers. 3. vbi cum marito pariter lasciuè conuiuantes, & sacra vasa sacrilegè polluentes describuntur. Quales verò fuerint eiusdem filij, satis ex Isaiâ nostro hic colligitur, dum paratæ occisioni destinantur, ne paternæ tyrannidis æmuli, Orbem bellis, & monumentis ad arrogantiam erectis cumularent. Iam verò, à Politicis Institutionibus neutiquam præsentem Notationem venire alienam, satis à Politices profanæ Scriptoribus patet, qui & de Augustâ vxore, & de Principis filiis, non pauca disseruerint. Ergo filiis, in secundam huius Notationis partem, deductis, priùs ad Augustam veniamus, cuius dotes aut vitia, vt plurimùm Marito Principi imputantur. Pulcherrimè Politicorum apex, Plinius Panegyrista, postquam optimi Principis munus, cultissimo illo opere delineauit: ad calcem iam, sic de Augustâ coniuge ad Traianum. *Multis illustribus dedecori fuit, aut inconsultiùs vxor assumpta, aut retenta patientiùs: ita foris claros, domestica destruebat infamia: & ne maximi Ciues haberentur, hoc efficiebat, quòd Mariti minores haberentur: tibi vxor, in decus, & in gloriam cedit: quid enim illâ sanctiùs, quid antiquius? Non ne, si Pontifici Maximo diligenda sit coniux, aut hanc, aut similem (vbi est autem similis?) elegerit? Quam illa, nihil sibi ex fortunâ tuâ, nisi gaudium vendicat? quam constanter non potentiam tuam, sed ipsum te reueretur? idem estis inuicem, quod fuistis, probatis ex æquo: nihilque vobis fælicitas addidit, nisi quod scire cepistis, quàm bene vterque vestrûm, fælicitatem ferat. Eadem, quàm modica cultu? quàm parca comitatu? quam ciuilis incessu? mariti hoc opus, qui ita imbuit, ita instituit: nam vxori sufficit obsequij gloria: at cùm videat, quàm te nullus terror, nulla comitetur ambitio, nō & ipsa cū silentio incedat? ingrediētémq; pedibus Maritū, quantum patitur sexus, imitetur? Decuerat hoc illam, etiam si diuersa tu facias: sub hac verò modestiâ viri, quantam debet verecundiam vxor Marito, fœmina sibi?* Multa hìc sunt quæ nostri æui Principes, & Augustas non attingunt: alia tamen, quæ & nunc regij Matrimonij tenorem aprimè instituunt, vnde non leuiter, Imperij fortuna vtraque dependet: Dabo igitur operam, vt quæ ex politissimi, & politicissimi Auctoris, licèt profani, verbis monita depromuntur, sic oraculis sacris reddantur illustrata: quâ Catholicos etiam Principes in hâc re, Plinius adlocutus, videatur.

Plinius.

Augustæ vxoris, vitia aut virtutes, Marito Principi imputantur.

Monita Politica.

I.

Princeps, per Paranymphos, ferè inconsultè ducit sponsam: cuius imagine, aut famâ, frustrà allicitur: cùm sæpe hæc quo occultior, gloriosior. 1447.

Quàm infælices [illegible] nuptiæ quod vxorem non [illegible], sed assumat.

Quot Principum, vxorum dolis, & vitam & Imperium amiserint: ex vtráque pagina, nullus

nullus, vel eruditus leuissimè, ignorat: lusissem operam, si rei peruiæ exempla cumularem. Oritur verò, ni fallor, frequens hæc infælicitas, ex eo quòd cùm cæteri ferè mortales, consilio & electione, Principes, quasi fortuità sorte despondentur: Non eliguntur his vxores, sed nascuntur; nemo iam, subditi filiam, cuius habeat probatos mores, & ingenium, ducit: foris, ab alio Principe nata, & ignota deducitur: intérque aularum mysteria, & Principatuum Insignia, cæca contrahendi ratio numeratur. Contentus (immane, sub quanto vani!) despondendæ sibi virginis imagine, ad gustum allata, Princeps, difficillimo omnium negotio subscribit: quasi mendacissimi vt plurimum pictores, nihil lineamentorum interpollarint, aut sub picto vultu, etiam ad viuum expresso, voluatur animus, indoles referatur. Quid? nec etiam fidelissimo Paranympho, prudenter tantum negotium committitur: quippe qui, neque sub breuis legationis tempore, virginis regiæ indolem penetrare valet: nec etiam sub æquo sibi, conspectæ pulchritudinis iudicio, certus nuntius erit: quando hoc etiam gustus genus, pro diuerso oculorum palato varietur, & quod his sapit, illis amarescat. Quàm ergo, nisi fortasse, faustum venerit illud matrimonium, vbi membrorum, nedum animi dotes, accipiendæ vxoris, maritum latent? benè proinde Plinius, multis illustrium Principum, ait, damno, imò dedecori fuisse, *inconsultius vxorem adsciscere*: quid si vndique fortuitò hanc assumant?

1448. Iam à Protoprincipis costa Euam formârat Deus, cùm statim ad eundem illam adducit: *Et ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat, de Adam, in mulierem & adduxit eam ad Adam.* Genes. 2. vers. 22. Vbi ad literam Oleaster. *Quia enim adductis animantibus, nullum inuenitur est simile ipsi Adæ: adducit modo ad eum, fœminam: vt videat, si placeat sibi, & vt illi socia sit.* Nouerat quidem omniscius Paranymphus, nihil Adamo similius produci posse: Nouerat, vtpotè benignissimus largitor, sub iis & animi, & corporis dotibus, vernare Euam, quibus abundè, & mentem & oculos Adami adimpleret: nihilominus voluit sub hoc primo Protoprincipum, & Protoparentum matrimonio, de cætero contrahendis, prudentissimum tenorem ministrare: ne si nondum perspecta foris & intùs cognita, Adamo vxor daretur, sic, vxores ducendæ, præsumerentur. Prudenter citatus Oleaster, iam ad mores. *Collige ex hoc loco, Matrimonia malè fieri per nuntios, aut inter absentes: debet enim vir, videre vxorem, an placeat, ex cuius defectu oriuntur mala. Similiter suadet, Matrimonia debere esse libera, non coacta: similiter debere inter pares fieri.* Mentitur ergo Adam postea, cap. 3. vers. 12. dum in Deum, insperati lapsus culpam refundit, quasi ab ipso, non tàm electam acciperet, quàm obtrusam vxorem, totius ruinæ occasionem sortiretur. At quidem si coràm, ritéque electa vxor, & consultissimè assumpta, ita nocuit: quid venerit à fortuitis sperandum?

Gen. 2. 22.
Oleaster.

Idem.
Matrimonia, inter absentes contracta, infaliciter.

1449. Visus etiam, non tàm indigens, quàm exemplum Principibus præbiturus, idem in nuptiis suis, æternum Principem Deum, secundum, sed fœliciorem Adamum, obseruâsse. Mittitur ad despondẽdam Virginem Gabriel Paranymphus, qui ingressus ait: *Aue gratiâ plena, Dominus tecum.* Luc. 1. vers. 18. Quid ais, prudentissime Paranymphe? ab absente, vt more nostro loquar, Domino, venis nuntius, pacta initurus: & tam præsentem, cum desponsanda Dominum asseueras? ita est: præuenerat sponsus Paranympho, iam ibi erat, Marianas dotes quodammodò scrutans, ne ab insciis, ignotam neque satis perspectam sponsam, per internuntios etiam cælestes, ducere præsumatur. Sic verba illa, *Dominus tecum*, à D. Bernardo, & à Guillelmo explicata, in tomo Concept. fusiùs ad rem aliam ponderaui. Recolo tamen inde pauca, vt ad rem præsentem, alia addidero faciliùs capienda. Ergo Bernardus serm. 54. in Cant. ita. *Transilit Gabrielem, & peruenit ad Virginem, eodem Archangelo testante, qui ait: Aue gratiâ plena, Dominus tecum. Quid? quem modo reliquisti in cælo, nunc in vtero reperis? quonammodo? volauit & præuolauit, super pennas ventorum: victus es, ô Archangele, transiliit te, qui præmisit te.* Quæris, quorsum tanta celeritas? certè, quia ad nuptias veniebat: ideo Guillelmus in cap. 4. vers. 16. Cant. *Venit præueniendo eam, in benedictionibus dulcedinis, vnde Angelus ad eam missus, vt futurum ei partum nuntiaret: Aue, inquit, gratiâ plena Dominus tecum: iam ergo Dei filius, cum Virgine erat, de quâ carnem sumpturus erat, &c. Planè vterus virginalis est cælestis sponsi hortus deliciarum, hortus aromatum: quantæ in eo deliciæ, quanta, intima suauitatis, aromata fuerunt, cùm ibi Dominus gloriæ per Incarnationis mysterium, dignatus fuit habitare, & præclaras illas nuptias in eo, per spatium nouem mensium habitare.* Sic noluit Christus videri per internuntios, sponsalitia pacta celebrare.

Luc. 1. 18.

Sponsa, non nisi prius visa, & cognita, ducitur sanctè.

D. Bern.

Guillelm.
Vteri Mariani excellentia.

1450. Nec fuerit iniucundior, aut rei præsenti inutilior explicatio, si dixeris, non præuenisse Christum, Archangelum, sed pariter cum illo, inuisibilem tamen aduenisse: vnde illud *Dominus tecum*, sic apertè communicatam desponsandæ gratiam nuntiabat, vt tamen verè, adesse ibi Dominum, licèt occultum, innueret. Sic solet non rarò prudens Procus, publicos Legatos & Paranymphos mittere, de sponsalibus suis acturos apud longinquam puellam, eiúsque parentes: cum quibus nihilominus ipse occulto tenore, dissimulato habitu incedit, ignotus, virginis dotes, tutiùs notaturus: sic publico decoro satisfaciens, vt tamen, priuatæ tanti negotij curæ, non indormiat: quò, dum per internuntios, more solito videtur desponsari, reuera proprio, prudentis electionis, iudicio desponsetur: quasi Paranymphus, mera vox: ipse vero sponsus tanquam occulta anima, negotio peragendo interfuerit. Id indicauit idem Guillelmus ad illud Cant. 5. vers. 2. *Vox dilecti mei pulsantis; aperi mihi soror mea, amica mea.* Vbi post multa, ita. *Sanè tunc pulsabat Deus per Angelum; cælestis sponsus, per cælestem Paranymphum: erat in voce Paranymphi nuntiantis, vox sponsi pulsantis: nec aliud illi dicebatur, quam quod hic dicitur.* Quid-ni enim vox alterius, alterius pulsatio appelletur: cùm sponsus præsens, sed occultus, sic Paranymphi loquentis verba temperaret, vt nihil iste pacisceretur, quod ab illius non tam præuio monito, quàm præsenti ductu proueniret. Sic cautus ad nuptias, in terrenorum Principum exemplar, procedit æternus Princeps.

Sponsus sed occultè, præagendis nuptiis suis, debet assistere.

Guillelm.
Cant. 5. 2.

Quò

1451. *Neque famæ, neque Pictoribus, de sponsa, credendum est.* Quò ergo ruis mi Princeps, nō satis perspectas nuptias initurus? Dices, non esse augustas virgines, puellas regias, in hoc, priuatis aliis comparabiles; has enim paternis penetralibus inclusas ignorat Orbis; imò modestas, ipsa sæpè nescit vicinia: at Reginas spargit rumor, fama debuccinat, nemo aut incolarum, aut peregrinorum non loquitur: clarior quippe lux illa est, quàm latere possit, quàm tenebras patiatur: hinc ergo satis, & mores, & speciem disci: vnde tuto aut sperni, aut ambiri debere, præsumatur. Errat, optime Princeps, quisquis garrulo vulgo, famæ mendaciorum matri, nouercæ veritatis; tantæ rei credit aleam, pondus committit, vnde totius vitæ voluptas, vel modestia depēdet: ideo, quod initio de Pictoribus, & Paranymphis dicebam, perinde hîc habe, imò periculosiùs. Benè Imperator Honorius, connutritam & consanguineam virginem ducturus, ita apud Claudianum, de Nupt. Hon. & Mar.

——— *Quonam vsque verendus*
Cunctatur mea vota, socer? quid iungere differt,
Quā pepigit: castásque preces implere recusat?
Non ego luxuriam Regum, moremque secutus,
Quæsiui vultum tabulis, vt nuntia formæ,
Lena, per innumeros, iret pictura, penates:
Nec variis, dubium, thalamis, lecturus amorem,
Ardua commisi, falsæ, connubia, ceræ, &c.

At quidem omni pictura, omni effigiante cera, arduum connubij negotium, læna fucatior fama tractare solet: vnde non nisi probè agnitam, Honorius ductam voluit. Pulchrè Tertullian. c. 7. Apolog. ita de famâ. *Natura famæ omnibus nota est: vestrum est.* Fama, malum, quo non aliud vel ocius vllum. *Cur famæ malum? quia velox, an quia index? an quia plurimum mendax? quæ nec nunc quidem cum veri aliquid affert, sine mendacij vitio est; detrahens, adyciens, demutans de veritate: quid quod ea illi conditio est, quod non, nisi cum mentitur, perseueret, & tandiu viuit, quamdiu non probat; si quidem vt probauit, cessat esse: & quasi officio mentiendi functa, rem tradit: exinde, res tenetur, res nominatur.* Nihil grauiùs dici potuit: tu expenderis.

1452. *Virgo, ante nuptias non plus famæ, sed etiam, nomine quodammodo, carere debet.* Quid, quod nonnullis prudentiorum Principum, inde suspecta venit, quia tot famæ buccis virgo prædicatur: vnde vt dicebat quidam, *Non tam celebris, quàm famosa,* timeri possit? Etiam augustis virginibus, quantumuis longè aliter, quàm priuatis, sui debent ostentationis inesse termini: etiam his meta propria, & lineæ licèt augustiores, præscribendæ, vt si fas dicere, à Principis Patris potiùs titulo, dum non nubunt, quàm à proprio nomine agnoscantur. Miscebat familiares sermones cum Salomone suo, Regum tunc maximo, vxor Sulamithis, inseritque. *Soror nostra parua est, & vbera non habet, quid faciemus sorori nostræ, in die, quando alloquenda est?* Cant.8.vers.8. illud, *quid faciemus*, id est, (vt ex contextu, & Interpretibus patet) quo cultu, quibus ornatibus, tibi etiam in his minutis sapientissimo, gratiùs videtur comenda? Sed tu mihi pende, quòd cùm nihil aulâ notiùs, quàm regiæ sororis nomen, hîc etiam coniugibus fratribus subticetur, & solummodò periphrasi inculcatur. Quid ita? rem vt capias, nota illud, *quando alloquenda est*, futurum nuptiarum tempus designare: satis vnus Ambrosius ibi: *Hoc est, sponsalium celebritate, in quâ solet esse collocutio, & confirmatio, nuptiarum.* Benè ergo, inquam, caret nomine, quæ tunc marito carebat: quasi regia etiā Virgo, substrictâ sic degeret, modestiæ, synceritate, vt potiùs regiæ familiæ, quàm proprij nominis titulo soleret indigitari. Imò benè, allocutio eius dicitur desponsatio: quasi sic viriles, etiam honestissimos, sermones, incognitos haberet, vt nunquam, nisi desponsanda, & consensum datura, veniret in colloquium.

Cant.8.8.

D Ambr.

Credis hanc Solymitanam Reginam, à fama potuisse prædicari? aut quod taceretur, inde minus dignam existimari? Sed redi, ad digniorem Reginam, Mariam dico. *Missus est*, inquit, Lucas, *Angelus Gabriel à Deo, in Ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth: ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid: & nomen virginis Maria.* Cap.2.v.26. Mirus si notas, est scribendi tenor, noua, interponendæ sententiæ, forma: multò faciliùs videretur dicendum: Missus est Angelus, &c. Ad Virginem nomine Mariam: sed non ita proceditur: quin potiùs, virgo simpliciter dicitur, deinde desponsata subiungitur: & statim sponsi nomen exprimitur, cuius generis splendor, & Prosapiæ gloria declaratur: & tandem Virginis illius, de qua initio sermo fuerat, post longam interpositionem, nomen refertur. Quid ita? quia ea erat regiæ Virginis modestia, vt non priùs nomen haberet, quàm sponsum, præmittitur necessariò illius desponsatio, vt inde, in eiusdem nominis notitiam veniamus: quasi pridem, non solùm famæ garrulæ non tradita, sed etiam, de proprio nomine, foret quodammodò ignorata. *Virgini silentium commendatur.* Luc.1.26.

Statuamus nunc cum tot Patribus, iisque grauissimis, quos Serarius affert ibi, prudens acceptúmque Deo fuisse, Iephte votum Iud.11. pendéque mihi, inter Principis Patris, immolaturi filiam, angustias, augustæ Virginis spiritus generosos: dolebat ille vehementer, cui tamen tunc ista constantissimè: *Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcunque pollicitus es: concessa tibi vltione, & victoriâ de hostibus tuis.* Vers.34. Vbi benè Abulensis: *Puella, vltrà fœmineam constantiam fortis fuit, non exhorrēs amarissimam mortem, in ætate iuuenili: & non solùm non timuit, sed etiam ipsa Patrem super hoc animauit.* Digna videbatur excellentissima Virgo, quæ singularissimum Deo obtulit sacrificium, quæ non mero, vt Isaac, affectu, sed effectu ipso, religionis martyrium Domino præstitit, cuius Scriptura nomen sic exprimeret, vt inde cedro inscriptum, insculptum adamante æternitati litans perennaret: & tamen penitus subticetur, ignoratur Orbi: concludente, heroicam narrationem, sacro textu: *Reuersa est ad Patrem suum, & fecit ei sicut vouerat, quæ ignorabat virum.* Vers.39. Vbi idem Abulensis: *Ignorabat virum, id est, nondum matrimonialiter tradita fuerat.* Quasi innuente Scripturâ, Regiam puellam, Israëlitæ Principis natam, & aliunde virtutibus strictissimam: sic aliunde absconditam fuisse, vt penè absque nomine degere videretur: meritóque ignorantis nuptias, nomen ignorari. Habes regias Virgines, in Scripturâ celebres, nec tamen vagæ famæ fallacibus rumoribus decantatas, quarum vel proprium nomen subticebatur: Ne scilicet credideris ex famâ celebrique nomine potiùs, quàm ex mutâ modestiâ, has tales tibi venire ambiendas: quarum dotes, gloriosiùs vt pluri 1453. Iud.11.34. Abul. *Virgo quo generosior, eò latentior.* Vers.39. Abulens.

plurimùm ignorantur: quò occultiores, eò virgineæ indoli decentiores.

II.

Quid in eligenda Principi sponsa, diligentissimè debeat obseruari.

1454. *Quid debeat Paranymphus, in nuptiarum negotio, obseruare.*
SVggessi, quæ, ab Scripturâ, dictata legi: suppressi plura, ne incassum tot scripta condolerem: neque enim is sum, qui præsumam, inueteratam sic, apud Principes, contrahendi matrimonij rationem, ratiunculis nostris commouendam: vtilius duco, quando per Paranymphos, res agenda, hos instituere, vt arduo negotio, quoad fieri possit, minus aberrarint. In exemplar propono Eliezer. Perrexerat vir & canis, & consilio prudens, iussu Abrahæ, sponsam Isaac Principi electurus: iámque destinatam Prouinciam attingens, sic ad Deum. *Ecce ego sto propè fontem aquæ: & filiæ habitantium huius Ciuitatis, egrediuntur ad hauriendam aquam: igitur Puella, cui ego dixero: inclina hydriam tuam, vt bibam, & illa responderit, bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipsa est, quam præparâsti seruo tuo Isaac: & per hoc intelligam, quòd feceris misericordiam, cum Domino meo.* Genes. 24. vers. 13. *Gen. 24. 13.* Nouerat prudens, non posse Principis legatum, & Paranymphum, occulta quæuis eligédæ domino coniugis penetrare: manifestiora quædam, optimæ indolis, indicia inuestigat: id examino, cur cùm aliunde tot alia captare posset sedulus, ab vnâ hospitalitate, malit eligendam? Perplacuit responsio D. Ioannis Chrysost. tom. 5. hom. *Qual. vxor. sint elig.* *D. Chrysost.* Vbi ita. *Sic igitur, & si non eisdem verbis loquitur. Illam quære virginem, quæ tam hospitalis est, vt nullum, quantum potest, recuset ministerium. Idque non temerè facit: sed, quia in eis educatus fuerat ædibus, in quibus maximè colebatur hospitalitas: proinde mores quærit, herorum suorum moribus consimiles, ducturus sponsam in ædes patentes hospitibus: sic ergo cogitabat: ne qua rixa oriatur inter ipsam, & coniugem, dum Maritus, suâ benignitate communicat, in hoc à Patre non degener, & hospites vltrò inuitans: hæc contra, præ nimiâ parcimoniâ, id vetat, & non sustinet.* *Vxor debet Mariti moribus respondere.* Expressit Paranymphus sapientissimus, consultissimam, eligendæ, pro illius æui conditione, sponsæ rationem: cunctis virtutibus radiabat Isaac, paternâ tamen insignior hospitalitate: meritò hospitalissima vxor illi conquiritur, vt indolis conformitas, arctiora, mutui amoris, vincula, omni amoto dissidio, constringeret.

1455. Hæc ergo Legatis Regis, apud amicos alios Principes commorantibus, non leuis cura esse debet, vt qua arte possint, regiarum virginum indolem, & ingenium aucupentur, nec toti in exterioribus dotibus, sed in affectibus internis cognoscendis, quauis vrbanâ & modestâ diligentiâ: per aulicas & familiares fœminas, impendantur, vt consona Principis si fortè cælibis, aut eiusdem hæredis indoli, vxor eligatur: hæc morum consonantia, nuptias fælicitat: à discrepanti coniugum ingenio, non solùm Aula, sed pletumque vniuersum Imperium, conturbatur. Dixi, de hac Coniugum proportione, *in Concept.* multa: & quædam in *Spicil. Iter.* hinc illud reseruaui, ex prædictæ sponsæ, Rebeccæ scilicet historia, vnde quàm aptè fuerit, Marito tanto, electa, deprehenditur. Gerebat vterum, & collidentes se inuicem paruulos, non absque fastidioso grauidæ onere sentiebat. Genes. 25. vers. 22. *Gen. 25. 21.* Putares in tanto periculo, mariti intercessione, (cuius precibus vers. 21. conceperat) Deum consulendum: *Vers. 21.* & tamen addit textus, dé Rebecca: *Perrexitque, vt consuleret Dominum, qui respondens ait: duæ gentes sunt in vtero tuo: & duo populi ex ventre tuo diuidentur, &c.* Vers. 23. *Vers. 23.* Nulla præcedentium legitur fœminarum, quæ per seipsam, Deum auderet consulere; aut consulens, expressum sic oraculum, impetraret: scilicet vni Rebeccæ, singularissimum priuilegium seruabatur. Quid ità? quia sic concors Mariti moribus venerat, vt quia ille prærogatiuam quandam singularem, præ cæteris promeruit Patriarchis, sic vxor, singularem pariter aliam mereretur. *Coniuges, iis similibus moribus, saluos.* Audiendus D. Hieron. epist. ad Gerontium, de Patriarcharum Polygamia, vbi sic subdit. *Licèt & Monogamiâ, nos Isaac, & Rebecca præcesserit: cuius solius partus, Domini reuelatio est: nec vlla alia fœminarum, Deum, per seipsam consulit.* Cape sanctum Doctorem, non commendatur Rebecca, quod sub eodem tempore bigama non foret; quæ enim laus, monstrosi matrimonij euitatio? Monogamiæ igitur Patriarchis insuetæ, splendorem, Marito Rebeccæ, tribuit Hieronymus: cui proinde, quasi præmium tribuit, quòd consimilis sanctitatis vxorem sortiretur, vt quemadmodum ille, alio Patriarchas; sic ista alio, Heroinas superaret. Sic illa matrimonio fælicitando, optimo Coniugi, similis aduentârat.

Inde est, quod productis iam initio rebus omnibus, addat Sacer Scriptor: *Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius: Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cúmque obdormisset, tulit vnam de costis, &c.* Genes. 2. vers. 20. 1456. *Gen. 2. 20. Quàm sit hæc similitudo necessaria.* Cùm de Euâ, in coniugem Adamo, formandâ, sermo sit, & solummodò, insensibiles, & irrationales creaturæ productæ essent, non erat opus exprimi, Adiutorem Adamo similem non reperiri: nemo enim (nisi blasphemi hodie Rabbini qui id factum prædicant) somniaret, Adamum brutas nuptias initurum. Satis ergo constabat non reperiri similem, dummodò humana alia creatura non formaretur. Nihilominus, non superuacuum duxit diuinus Scriptor, notam hanc similitudinis exprimere, quâ non solùm natura, sed etiam moribus similes, noui coniuges noscerentur. *Inter conuenientes*, inquit, ibi Oleaster. *Oleast.* *aliqua similitudo esse debet: quæ si non sit, deficiet cito.* Deficiet scilicet amor, pax, concordia: quo Matrimonij suauitas in perpetuam amaritudinem commutatur.

1457. *Prudens nuptiarum electio hodie multò, quàm olim, necessarior.*
Et meritò, *perpetuam* dixi *amaritudinem*, vt inde, impensior nunc cura Principibus adhibenda, quàm olim pro eligendâ sponsâ, intelligatur: priscis quippè, inconsultiùs electæ, repudium in manu erat: præsentibus indissolubile vinculum contrahitur: ideo priscis, vt ait Plinius, non solùm dedecori fuit, *inconsultiùs vxor ad sumpta*, sed etiam, *retenta patientiùs*: quam enim prauè electam poterant, ex Ethnicorum sententiâ, expellere, iam non absque vitio retinere putaban

putabantur: nostris verò retinere coactis; vitium electionis, in laborem immensum commutatur. Vnde fit, vt licet priuatorum cuiuis turpe sit, non tàm dotatum virtutibus animum, quam ingentem temporalium bonorum dotem, in sponsa requirere: at Principi turpissimum habeatur: quid enim aut fœdius, aut stultius esse potest: quàm vt, qui satis regno tuo fælix degebat; quò hæredibus dilatatius Imperium relinquas, perpetuum tibi, non bene moratæ vxoris, fastidium obtrudas? Inconsultè igitur ducitur sponsa, quam prouincia tuis cumulat annectenda, si aliunde virtutibus non cumulatur. Quid enim si tibi nouâ coronâ thronus splendeat: cum thorus indomito serpente conspurcetur? Deperiit primò conspectam, Iacob Rachelem: ad cuius Patrem ita. *Seruiam tibi pro Rachele, filiâ tuâ minore, septem annis,* Genes. 29. vers. 18. Ecquid hoc moris? non tam accipit cum puella dotem, quàm soluit pretium: nec genero, in matrimonij onera dantur diuitiæ: sed socero potiùs obsequia tributantur. Quid hodie, tam è contra celebratur contractus nuptialis? respondet ibi Oleaster. *Solebant illo tempore, viri, vxores pretio acquirere: quod & Sarraceni hodie faciunt, & putarem hoc ideo factum, quoniam licebat reiicere, si displicebat fæmina. Nunc verò, cum dote maxima accipere recusant: quoniam rescindi matrimonium non potest: & coguntur eam retinere, etiam si serpens sit.* Crede mihi, nullius Imperij dote, vxor perpetua, quæ tamen minus ad gustum, compensatur: emeris in durissimam seruitutem, importabile iugum contrahis opulentâ Reginâ, ni aliunde moribus ad virtutem tibi consimilibus adornetur.

Sponsa, ideo hodie dotata venit, quia licet improba sit, nequit repudiari

Genes. 29. 18

1458. Proinde egregia lex illa Lycurgi: de qua Auctor Apophth. lib. 1. *Cuidam percontanti, quam ob causam lege cauisset, vt sine dote, virgines elocarentur: vt inquit, neque propter inopiam, vlla relinquerentur innuptæ: neque ob diuitias, expeterentur: sed vt iuuenum quisque, ad puellæ mores respiciens, ex virtute faceret electionem.* Hæc solummodo electio consulta: hinc tota Matrimonij fælicitas dependet. Nescit Princeps debitum nuptiarum scopum, sanctos fructus, cui non tàm bona, quàm diues Regina venit in votis. Grauiter D. Chrysostomus, supra citatus. *Multos audiui dicentes: ille opulentior, post nuptias, factus est; cùm fuisset pauper antea, nunc ducta vxore diuite, & ipse agit in delitys. Quid ais bone vir? ex vxore lucrari cupis, & non erubescis? Non præ pudore, sub terram te abdis, talium lucrorum appetens: haeccine sunt verba virilia?* Ex industriâ sanctissimus & acutissimus Doctor, obliquis verbis, & ambiguâ ludit sententiâ: quasi consimili scommate pungendi veniant, plebei, si qui vilissimi, & Reip. propudia, quæstum ab vxore mœchâ reportantes: quam Proceres, dotis sibi assignandæ opulentiam, solummodò attendentes. Vtrinque pudendum est lucrum: illi certam infamiam: hi non examinata virtute, iniucundi in perpetuum connubij, id est certi & grauissimi doloris periculum incurrunt. Quid, quod etiam suo modo instituit Principes, illud Chilonis, Apophtheg. lib. 2. vbi ait: *Vxorem humilem medico apparatu ducendam: ne pro coniuge, Dominam accersas domum: sat enim dotata venit puella quæ pudicitiam, & honestos mores, secum affert.* Vidit Orbis non multis ante sæculis, reginas Maritis aliunde regibus aut imperantes, aut ex æquo Remp. dirigentes, quod priuato, & hæreditario regno dotatæ venirent. Quos inter vnus fælix Catholicus noster Ferdinandus, qui sic dotatam regno duxit Elisabetham, vt ditiorem virtutibus, & vltra fæmineum sexum ornatam sortiretur: Infælicissimos illos alios non traduco.

Auctor. Non diuitijs sed virtutibus, sponsa, bene dotata venit.

D. Chrysost. Ditescere ex vxore, periculosum est.

Auctor. Vxor diues superbit.

Non tamen, quamuis hoc semper cupiunt, possunt semper hîc Principes periclitari: rarius enim sponsa, licet regia, aut iam succedens, aut iam succedens, aut successura Regno inuenitur. Illi ergo frequentiùs scopulo impingitur, quâ de dotibus potiùs corporis, quàm animæ, sponsa Principi solet commendari. Non vero, vt etiam pulchritudo, in Principis licitam voluptatem, attendatur: de Rebecca enim Isaac electâ, dicitur: *Puella decora nimis, virgóque pulcherrima:* Genes. 24. vers. 16. vbi Oleaster. *Audis quales Dominus vxores, pijs eligit; quæ non solum moribus, sed etiam membrorum pulchritudine sint adornatæ.* Sed id reprehendo, quod membrorum venustas, & sermonis vrbanitas, aut solùm, aut præcipuè conquirantur. Rapuit quidem, puto, prudentissimum paranymphum Elihezerem Rebeccæ pulchritudo, vt non speratis aliis virginibus, vix dum conspectam Rebeccam, proposito diuinæ voluntatis iudicio examinaret: vers. 17. Quasi cupidissimus, vt externo decori, internus excellentior responderet; Non tamen sic motus venustate, eam vsque probauit, donec occultæ virtutis signum, rarum habuit, sub splendore familiæ coruscantius, vers. 26. Quærenda igitur Principi sponsa pulchra corpore, dummodo pulchrior animo enitescat: sin minùs, internis comptior, externis comptiori, præponenda: sibi, tibique fælicior nubit, quæ venit sanctior. 1459.

Non vero, vxorem pulchram ambiri, velo tamē vt sancta præponatur.

Genes. 24. 16
Oleaster

Vers. 17.

Vers. 26.

Adhuc recens è Mesopotamiâ peregrinabatur Iacob, cùm ob difficultatem partûs, mortua est Rachel, elanguitque flos ille pulchritudinis, quo Mariti oculos & affectus, suauissimâ violentiâ captiuârat: *& sepulta est in viâ, quæ ducit Ephratam: hæc est Bethlehem: erexitque Iacob titulum super sepulchrum eius,* Genes. 35. vers. 19. Neque mirum si tunc turbatis rebus, neque fixo peregrinantibus domicilio non posset Iacob, vxorem dilectissimam, ad honorificum Maiorum suorum sepulchrum, quod erat in Ephron agro, deportare: sed in viâ, vtcunque sepultam deponere cogeretur. Cur tamen postea, dilectissima ossa, non curat transferenda? Cur in eodem secum sepulchro, non præcipit Rachel sua condiatur? Cur qui in Ægypto moriens adiurat filios, vt corpus suum deferant in sepulchrum gentilitium, vbi Lia condita erat Genes. 49. vers. 31. Non potiùs ad Rachelis suæ vrnam, se satagit componendum? Quia iam senior & prudentior, licèt pulchriorem multò meminisset Rachelem, longè tamen digniorem Liam existimabat: vt quæ non solùm multò prior, sed etiam multò fœcundior sorore, tot filiis maritum reddidit fælicissimum etiam fælicior & gloriosior, nobile illud cum coniuge sepulchrum sortiretur: parem titulum, cum Sarâ, cum Rebeccâ, ibidem ad Maritos sepultis possessura. Quæris vnde tot incrementa & prolis fœcundioris, & nobilioris sepulchri, addita Liæ? Quia non tantùm de pulchritudine Racheli cedebat: quantùm de sanctitate præferebatur. Didici ex Genadio, in Cat. par. ad cap. 31. Genes. vbi expendens Rachelem paterna Idola suffurantem, tot inde inter patrem, & Maritum iurgiis 1460.

Genes. 35. 19
Sibi Maritoque venit felicior, vxor sancta, quàm pulchra.

Genes. 49. 31.

Genadius.

iurgiis excitatis, sic subiungit. *Sicut ex historia conijcere licet, propensior, ad verum Dei cultum, Lia fuisse videtur, atque ob eam potissimùm causam, secutam fuisse Iacob: Rachel verè, quòd in antiquâ Patris superstitione magis duraret, surripuisse idola, vt asportata continuò secum haberet. Nam si, quemaadmodum nonnulli autumant, ea furabatur, vt defingeret: id à principio præstare debuerat. Vnde facilè credam, Deum iccirco Liam ocius à sterilitate liberâsse: eodémque defunctam sepulchro, conditam cum viro: perinde ac Saram cum Abraham, & cum Isaac Rebeccam: quorum neutrum Rachel assecutam fuisse constat.*

1461. *Nuptiæ sanctæ, & inde felices, Deũ ipsum habent Paranymphum.* Sic non ad auaritiæ satietatem, non ad luxuriæ irritamentum, sed ad morum consimilium, ad modestæ societatis contubernium, hæredúmque successionem, quæsitæ nuptiæ, Deum ipsum habent Paranymphum, cui proinde non solùm gratum, sed ipsa quodammodò gratia, prouenit matrimonium. Commendans Paulus discipulis virginitatem, prudens sic subiungit: *Volo autem omnes homines esse, sicut meipsum: sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius verò sic*, 1. Cor. 7. v. 7. (1 Cor. 7. 7.) Id est, aliis, à Deo, virginitas, aliis castum matrimonium conceditur. (Græc. vers.) Græca habent: ἀλλ' ἕκαστος ἴδιον χάρισμα ἔχει ἐκ θεοῦ, *Sed vnusquisque propriam gratiam habet ex Deo.* Non solùm, inter ipsa virginitatis encomia, (cui vellet omnes homines studerent) gratum esse Deo matrimonium, fateri cogitur; sed ipsissimam gratiam, licèt minoris multò dignitatis, quàm sit virginitas, vt vtrobique eadem gratia, licèt sub alio & alio tenore intelligatur. Quid ita? quia non de quibusuis coniugibus sermo est, sed de illis, quos Deus coniungit, qui verum Ecclesiæ Sacramentum, & vnum ex septem purissimis gratiæ fontibus, alieno diuitiarum, & voluptatum affectu, non commaculant. (Origen.) Grauiter Origenes homil. 7. in cap. 18. Matth. *Deus est, qui coniunxit duo, in vnum, vt iam non sint duo, vbi ex Deo comparatur vxor viro: & quoniam Deus coniunxit, ideo gratia est in eis, quos Deus coniunxit. Quod Paulus sciens, castam coniunctionem, gratiam appellauit, dicens: volo omnes sicut meipsum: sed vnusquisque propriam habet gratiam, alius sic, alius autem sic.* Principes ergo, quos aut dos ad pompam, aut ad voluptatem pulchritudo, allexerit præcipuè ad nuptias, non verò virtus, & casti desiderium traxerit contubernij: an à Deo an à seipsis copulentur, viderint: certè, vt plurimùm in his talibus, cælestis illa gratia imminuitur: in aliis effrænatoribus, subtrahitur: vnde infælicissimos, tot nuptiarum, euentus deploramus.

1462. *A tanto Paranympho, minus coniugibus amor communicatur.* Allicitur igitur, optatis ad virtutem nuptiis, Deus, in Coniugum fælicium Paranymphum: conciliatur vtrisque, à tanto Paranympho, repentinus, & penè miraculosus Amor: quò faustissimam deinde & sibi, & gubernando Imperio, vitam ducunt. Neque temerè dixi, *miraculosum* Amorem hunc coniugalem: nam matrimonij, sic puris affectibus quæsiti gratia, non paruum hîc miraculum, visa operari. An non miraculum est, vt Regia Virgo, Parentibus, per tot blanditias, per tot obsequia subditis assuescens, ad peregrinum Principem hilaris, etiam amore casto feruens deducatur: sic consimilis virtutis sponso, defixa hæreat: vt si (quod sæpè euenit) inter fratrem, & maritum, bella postea oriantur: parentum, communisque sanguinis oblita, tota votis, pro coniuge decertet? Maiora sunt, quæ D. Chrysostomus loco sæpè citato, expendens illa verba Pauli, coniugalem amorem Ephes. 5. à vers. 25. ponderantis, & concludentis: *Sacramentum hoc magnum est*: Vers. 32. Nobis sic scribit. (D. Chrysost. Ephes. 5. 25. Vers. 32.) *Quomodò magnum est: dic mihi? quia Virgo asseruata omni tempore, sponsum nunquam ante visum, mox à primâ die desiderat, & amat tanquam corpus proprium: rursus vir, quam nunquam viderat, nunquam allocutus est, mox à primâ die, præfert cæteris omnibus, & amicis, & familiaribus, denique ipsis Parentibus. Parentes autem si per aliam causam, auferatur eis pecunia, non libenter ferunt, & in Ius trahunt, qui abstulit: homini autem, sæpè nunquam ante viso, & ignoto, etiam dotem simul cum filiâ, luculentam dant, idque libenter faciunt: neque se damno affici existimant, sed videntes abduci filiam, non meminerunt consuetudinis, non dolent, non anguntur, sed gratias agunt insuper, & rem optabilem putant, filiam à penatibus, cum magna abduci pecuniâ. Hac omnia Paulus considerans, &c. animaduerténsque, non esse hoc humanum negotium, sed diuinitus amores tales inseri, vt nuptæ, pari elocentur, atque assumantur lætitiâ: Mysterium, inquit, hoc, magnum est.*

Et quidem cùm nulli mortalium, familiariori Numine indigeant, quàm Principes, à cuius præsenti auxilio, sibi, Regnoque suo, opem assiduis precibus implorent, quis non videat, similes & moribus & animorum consensibus regios Coniuges requiri, vt ex Apostolico monito, quandoque separati thalamo, puriora vota fundentes, afflictis Reipubl. suæ rebus, ingruentibus bellis, præsidium cælitus noscantur importare? Planè, hoc mutuo ad tempus continentiæ consensu, non vtcunque apud Deum validi impetrando, sed penè omnipotentes exhibentur. 1463. *Coniugum Sanctorum preces, Omnipotentes.* Quis ergo Principum, ad nuptias non hanc virtutum sympathiam, non animorum consensum totus ambiat, vnde regiam suam potentiam, in diuinam videatur omnipotentiam commutare? Instruens Christus fideles, subdit post alia: *Dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram: de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in celis est. Vbi enim sunt duo, vel tres, congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Matth. 18. v. 19. Vbi vltrà duos, aliquis tertius additur, benigna Numinis assistentia promittitur: at verò, faustissima votorum omnium impetratio, qua in Deo, penè Omnipotens redditur creatura, tantum duobus signanter attribuitur, non quòd multorum, in eodem spiritu, coniunctio, non longè soleat esse pretiosior: sed quia illi duo, de quibus loquitur Christus, auctore Origenes, coniuges sunt: in quorum proinde reciprocâ sanctitate aliquid singularissimum elucet, vnde Deus suauissime, illorum votis rapiatur adspiraturus. (Mat. 18. 19.) Origen. hom. 6. ad hunc locum. (Origen.) *Si duo, &c. Id est, vir, & vxor, ex consensu semetipsos separantes à corporali coniunctione, vt vacent orationi: tunc enim orantes, de omni re, quamcunque petierint, consequentur: præstante eis Deo, per talem castitatis consensum: & iste consensus, non videtur coniugium soluere, sed virtutem continentiæ exercere. Si autem alter voluerit castè agere, alter vero noluerit, aut non potuerit: & propterea ille volens, & potens non*

conde

condescenderit nolenti, & non potenti: non erit in eis, quod dicitur: de omni re, quamcunque petierint, fiet eis. Nihil maius dici potuit, vt vnusquisque in coniuge eligenda, morum similitudinem, affectuum sympathiam diligentissime exquirat: quandoquidem ex alterius dissensu vtriusque, ad consequendũ, Omnipotentia defraudatur.

III.

Coniuges regij, mutuo se viuant: quantoque in honore, & quare, Augusta, apud Maritum sit habenda.

1464. *Coniuges eadem vita & spiritu visi animare.* SIc fæliciter electa Principi vxor, iam vnum, idémque, cum marito existimanda: infælix matrimonium est, vbi alter coniugum, in altero non viuere existimatur. Per speciem epuli, in Iudicium Aman miserrimus aduocatur: insurgit irrefragabilis testis, Esther regina, quæ post alia, (Esth. 7. 4.) sic ad coniugem Assuerum: *Atque vtinam in seruos & famulas venderemur, esset tolerabile malum, & gemens tacerem: nunc autem hostis noster est, cuius crudelitas redundat in Regem.* Cap. 7. vers. 4. Nihil in Regis vitam, legitur Aman crudelis machinatus, cuius vnicus furor, in solum Hebræum populum sæuiebat: nihilominus iniquam calumniam, testimonium falsum, protulisse Reginam, sacrilegè, è sanctissimis eius moribus præsumatur. Quid ergo? respondet Dio- (Dionys.) nysius ibi. *Vir namque, & vxor, sunt vna caro: ideo occisio vxoris, redundat in virum: Esther autem fuit pars populi, quem Aman procurauit morti adiudicari.* Cum Aman crudelitas in vniuersos Hebræos debaccharetur: implicitè in Reginam, quam ignorabat Hebræam, furebat pariter, non autem poterat, sub impiis, quantumuis cæcis, votis istiusmodi, Regina impeti, quin Rex maritus simul impeteretur: cum vterque in altero, inuicem mori & viuere noscerentur.

1465. Somniarat Ioseph, nec per insomnia, planris suis fælicibus, Solem, Lunam, & vndecim stellas, ad amabunda oscula defixisse, Genes. 37. v. 9. (Gen 37 9.) idque tam operto ænigmate, præsagio futurorum sic manifesto, vt prudens Pater, sub increpationis velo responderet: *Quid sibi vult hoc somnium, quod vidisti? num ego & mater tua, & fratres tui, adorabimus te super terram?* Vers. 10. Pote- (Vers. 19. *Alter, in altero coniugum, viuit, & moritur.*) rat quidem fastidiosis fortasse coniectoribus, Iosephi somnium, non à Deo reuelationem, sed ab humore delyrium irrideri: nemo tamen ita adesset audax, vt vigilantis Iacob interpretationem, delyram aut imprudentem existimaret. Quid igitur sibi vult, quod Rachelem Iosephi matrem, in Luna, adoraturam filium, explicaret: quæ iam pridem è Mesopotamia veniens, prænoscitur obiisse? quid, non magis ab insomnio, vigilis senioris explicatio, quàm dormientis pueri visio, orta videatur? quia nouerat sanctissimus Patriarcha, Princeps piissimus; defunctam suam Rachelem, adhuc in ipso spirare; vt & ipse, in eadem se præmortuum agnoscebat: cum enim vnum idémque forent, sic vxor mariti spiritu animabat, vt iste vxoris morte, coniacebat: benè igitur, in Patre, vtcunque viuo, adoraturo, matrem etiam, Ioseph adoraturam sortiretur. Gena- (Genad.) dius ibi, in Cat. pat. *Non mirum, si Matre eius iam defuncta, cum Sole tamen, vndecimque stellis, Lunam quoque ad pedes suos, supplicem viderit, &c. Rachel si non re potentia tamen, vt aiunt, in persona Iacob continebatur.* Didicit ex Chrysost. qui tom. 6. Homil. de Ioseph. sic & cum (D. Chrysost.) patheticè magis, ad rem nostram. *Adorat eum, & cum patre, mater: licet enim in itinere, mortem obierit, cum veniret: at in viro tamen adorauit: vir enim, & vxor, vna sunt caro.* Quasi non solum adorabundo affectu, sed etiam ipso corpore incuruando, in Iacob suo viueret Rachel.

Hoc est suauissimum vinculum, quod in re- 1466. (*Odia coniugalia, seuerissimè punit Deus.*) glis coniugibus, exoptat Deus, in cuius proinde impiam violationem, aspero solet supplicio animaduertere. Perperam, (cõtra id quod supradixi) vouisse Principem Iepte, non ignobiles vtriusque ætatis Doctores arbitrantur: stemus, in re tropologica, nunc istis: Et pende quæso, quid Princeps, cum prima occurrisset filia, quam summopere diligebat, exclamarit: *Scidit vestimenta sua, & ait: Heu filia mi, decepisti me, & ipsa decepta es: aperui enim os meum, ad Dominum: & aliud facere non potero.* Iud. 11. vers. 35. Esto (Iud. 11. 35.) quod, vt non fædifragus cum Domino, apud Populum notaretur, patet stultum votum, stultius proponeret adimplere: cur tamen Dominus ipse immane sacrificium non auertit? cur patitur vt innocens virgo, à parricida Sacerdote veniat detruncanda, qui Iouenem Isaac, & postulatum, à paterno religiosissimi Carnificis gladio liberarat? vt puppæ, in pupillis gestatæ, nece, impium Patrem puniret atrocissimè. Sed quid Princeps infaustus, vltra vouendi stultitiam, sic peccauit, vt tam asperè veniat puniendus? Vt ex Augustino rem capias, aduerte LXX. Interpretes legisse. (LXX. Interpr.) *Heu me filia, impedisti me.* Ergo S. Doctor tom. 4. (D. Aug.) lib. 7. in Iud. quæst. 49. in hunc locum, ita. *Ita dictum est, tanquam ad hoc, se impeditum indicauerit, ne illud quod cogitauerat, impleret: sed quem potuit cogitare primitus occurrentem, qui filios alios non habebat? an coniugem cogitauit, & vt hoc fieret, Deus noluit, & vt non relinqueret impunitum: ne quis deinceps id auderet?* Hunc impij Principis, in emittendo voto, scopum fuisse, quidam arbitrantur, & propterea merito, permissa nece filiæ, sic punitum. Nimium enim quantum is, scelere se obstrinxerat, affectata occidendæ vxoris calliditate, cuius potius spiritu viuere debuisset. Non est itaque Principis generosi, sed abiectissimi plebei, vox illa nescio cuius, de qua Author Apophtheg. lib. 6. *Quidem,* (Auct. Apop.) *deploranti, quod vxor sua se de ficu suspendisset: rogo, inquit, des mihi surculum, ex illa arbore, vt inseram. Per suspicionem ludens, cum vellet intelligi, sibi molestam esse vxorem.*

Quod si regij Coniuges, instar Assueri & 1467. (*Coniuges æquali honore, se inuicem habeant.*) Estheris, instar Rachelis & Iacob, mutuo debent spiritu animare; vt vnum atque idem esse videantur: apertè sequitur, sub pari dignitatis honore, fore habendos: séque inuicem, consimili, pro sexus discrimine, & proportione, reuerentia, excepturos. Hinc illud D. Gregorij (D. Greg. Nazianz.) Nazianzen. Homil. vnica, in cap. 19. Matth. ad rem nostram, prætermissis cæteris, quæ minus decenter, in regale coniugium, hîc obtruderem: sic ergo sanctus Doctor. *Si deteriora expendis,* (*Fœmina laudatur.*) *peccauit mulier, eodem quoque modo Adam peccauit.*

cauit: vtrunque serpens decepit, atque in fraudem impulit: non altera infirmior inuenta est, alter fortior. At meliora consideras: vtrunque passione sua Christus seruauit: pro viro Caro factus est, iisdem pro muliere: pro viro mortem subijt; iisdem & ipsius morte, mulieri salus parta est. At ex semine Dauid nominatur, atque hinc viros, honore præferri colligis: audio: sed ex virgine quoque nascitur, quod ad mulierum laudem valet. Erunt igitur, inquit Deus, in carnem vnam: proinde caro, quæ vna est, æqualem honorem habeat. Impium, & ridiculum habetur apud Prudentes, illud insanientium aliquarum Aularum axioma, *Reginas tantummodo prolis causa aduocari:* quasi ad honorem, phantastico tantum sint titulo fruituræ. Ethnicum est illud Imperatoris Commodi Ælij, imo

Auct. Apop.

barbarum; de quo Auctor Apophth. lib. 6. *Cum esset peregrinis voluptatibus deditus, vxori conquerenti dixit: Patere me, per alias exercere cupiditates meas: vxor enim, dignitatis nomen est, non voluptatis*, habet tamen in media barbarie, suum splendorem: saltem enim relinquitur vxori sua dignitas, imo sub ipsâ repulsâ innuitur reuerentia, dum leuior & obscænior Princeps, ab vxore non sperabat, illa veneris condimenta, quibus effrontes meretrices, modestiori vxori, præponi solent. At quale fuerit, si Principes Christiani, dignitatis etiam nomine, vxores defraudent: id est, phantasticum & mane illud sic relinquant: vt intercessoribus amicis Maritorum egeant Reginæ, ad aliquid obtinendum? Non hoc coniugalis honoris patitur æqualitas, quę summa est.

Vxori sua dignitas obseruanda.

1468. Redeo ad Protoparentum, & Protoprincipum coniugium. Producto Adamo, Orbem tradit Deus, in regiam curiam, designans paradisum: subdens interea: *Non est bonum, hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.* Genes. 2. vers. 18. Non vtcunque producitur Eua, in viri adiutorium, sed factâ deliberatione concluditur, non bene solum Adamum reperiri: deinde, quasi in summi ponderis opus accingendæ, inuicem tres diuinæ Personæ, quodammodo se prouocant, dicentes, *faciamus:* quod nullibi cæterarum Creaturarum, præterquam in Adamo, dictum legitur, *faciamus hominem, ad imaginem, & similitudinem nostram:* cap. 1. vers. 26. causam vidit D. Basilius Seleucus Orat. 2. vbi ita. *Iterum deliberatio iterum consilium: illic dicebat*, faciamus hominem; *hic quoque*, faciamus ei adiutorium: *vt quod formabatur, in honore esset: æqualicum dignitate effo[r]mamus hominem, ac figuremus: æqualem, cum eo gloria coniungemus.* At qui vt in honore esset Eua, apud Maritum, non opus videbatur, vt æquali cum dignitate oriens, æqualis cum eo, gloriâ coniungeretur: nonne enim poterat minor, & à Marito, & à subditis honorari? poterat quidem: sed conditione minor, minus fortasse, quàm ratio coniugij, quæ summam æqualitatem postulat, honoraretur: vndique igitur æqualis conditione veniat, *Ne sit*, addit Basilius, *honore deiectior muliercula.* Quia tamen quandoque euenit, vt minor conditione vxor, nobiliori marito coniungatur: ne vnquam propterea minus honorandam, temere quis præsumeret, cauit lex illa diuina, Ancillam apud Dominum, sic propugnans: *Sin autem filio suo desponderit eam, iuxta morem filiarum faciet illi* Exod. 21. vers. 9. vbi Oleaster. *Qualiter tractanda sint nurus, ostendit locus iste: vt licet vilis conditione, vtpote ancilla, sint: si tamen coniungat filio coniunx, tractandas esse, vt filias: subinde etiam vxor licet vilis, viri conditionem & nobilitatem.* Quid debeant Principes, quibus nunquam sic degeneres nuptiæ incumtur?

& pari reuerentiâ cum Marito, habeatur.
Genes. 2. 18.
Genes. 1. 26
D. Bas. Seleuc
Coniugium inter æquales felicius.
D. Bas. Sel.
Vxor tamen, si forte inæqualis, ad dignitatẽ Mariti euehitur.
Exod. 21. 9
Oleaster.

Quid? non solum in honore pari, apud homines subditos: sed etiam apud Dominum Deum, compares se virtutibus cupiunt, fælices coniuges. 1469.
Exceperat hospitio Angelos, Princeps Abraham, & vix exceperat, cum *festinauit in tabernaculum ad Saram, dixitque ei: accelera tria sata similæ, commisce, & fac subcinericios panes* Genes. 18. v. 6. deerant credo, ad ditissimæ familiæ, splendorem, famulæ & ancillæ, his panibus apparandis: vnde Domina Sara, impendendo ministerio adigeretur: Sed piissimus maritus, qui summum sibi honorem reputabat, Deo in hospitibus, per se, potius, quàm per seruos, ministrare: qui propriis manibus vitulum in cibos elegit, coctum attulit; qui pocillatoris instar, adstabat conuiuis: voluit consimilis honoris, vxorem suam reddere participem: vt quasi inuentæ prædæ pretiosissimæ consors haberetur. D. Hieron. Epist. ad Pamach. *Non seruus & anciuulus imperabat, vt ministrarent hospitibus, nec bonum quod excrebat, per alios minuit: sed quasi repertâ prædâ, cum Sarâ suâ, humanitati solus incubuit.* Ne quid gratiæ sibi à Deo, videretur ambire; cuius, vxorem ex æquo participem non optaret. Nihil coniugali hoc ingenio, in tanto Patriarchâ, regalius aut legalius dici potest. Neque mirum: Sic enim insitum istud, iuri nuptiali: vt etiam à viliotibus coniugibus exigatur. Postularat aquam vitæ Samaritana: ad quam, quia habitu (pro illius æui conditione, quo virgines aliter comebantur) nuptam referebat, ait Christus: *Vade voca virum tuum* Ioan. 4. vers. 16. de quo D. Ioannes Chrysost. tom. 6. homil. de Samar. *Si consortem habes copulæ, fiat & consors sideitne spiritualium horum sola donorum, gratiam accipias.* Quasi minus quodammodo grata, veniat apud Deum, gratia illa: quâ non ex æquo coniuges afficiuntur: vnde impari, apud se Angelosque honore habeantur. Et putet maritus Princeps, sub minore dignitate coniugem, sub impari honore, legitimè collocari?

Genes. 18. 6
Coniuges virtute & gratia, apud Deum, inuicem [s]ocia[ntur].
D. Hieron.
Ioan. 4. v. 16
D. Io. Chrys.

Et quidem, cum totus Maritorum, etiam Principum (est hæc viris miseria grauissima imposita) honor, ab vxoribus videatur dependere: cur non summo in honore habeantur, in quarũ manu, & illa fragili, virorum æterna infamia sita est? Quamuis enim si fœmineam leuitatem attendas, in tuto honorem suum, (ductis vt plurimum constantissimis Heroinis) Principes Catholici videantur collocasse: at si fortunæ casus, si belli fortunam consideres, passim Augustas, in hostium potestatem legimus redactas: & inde Regum honorem, in non leui periculo, constitutum: solummodo hinc seruandum, quod fœminæ vltra sexum constantissimæ, liberos & vere regios animos, sub captiuis corpusculis, conseruent. Expendens D. Hieronymus (epist. ad Eustoch. de Cust. Virg.) illud Prophetæ, *Pretiosa in conspectu Domini, mors Sanctorum eius:* Psalm. 115. v. 5. ostendit nullum Iustorum, absque Cruce, laboreque, quãuis morte, molestioribus, pretiosum se Deo exhibuisse: inserto autem de Abrahami laboribus, sermone: putares immensam illam tentationem, de filio iugulando, à cultissimo Doctore, huc afferendam. Quid enim Patri Principi funestius, quam proprij hæredis, tàm inspe- 1470.

Honor Mariti, ab vxoru manu, videtur pendere.
Psal. 115. 5.

insperato præcepto, nex acerba? toto triduo, dolore consepultus iacuit Abraham, & in filio semel occidendo, millies occisus, in id tantum respirare videbatur, vt sæpius moreretur: nónne, mors ista Abrahæ pretiosa in conspectu Domini, Doctor maximè? pretiosa planè, responderet Hieronymus, aliam tamen quàm memoro, tulit pretiosiorem longè: in qua, non tam spem regni, amisso filio; quàm honoris periculum captiua vxore, Genes. 12. v. 15. & Gen. 20. vers. 2. deplorabat Pende acutissimi Patris verba.

Gen. 12. 15. & 20. v. 2.
D. Hieron.

Pretiosa est in conspectu Domini, mors Sanctorum eius. Hæc est sola digna retributio, cum sanguis, sanguine compensatur: & redempti cruore Christi, pro redemptore libenter occumbimus. Quis Sanctorum, sine certamine coronatus est? Abel iustus occiditur: Abraham, vxorem periclitatur amittere. Legat quisque velit Darij Monarchæ Persæ querelas; apud Q. Curt. quem non tam amissi Imperij, quam captiuæ vxoris suspiciosius dolor conficiebat. Et sanè, meo iudicio, visus Deus, hàc insita mortalibus opinione, ideo virorum honorem, ab vxoribus dependentem posuisse, vt scirent quanto in pretio, quantóque in honore essent habendæ illæ; quarum vel leuissima læsio, omnium Regnorum iacturâ, Principibus maritis, grauior infligitur. In periculosa materia rem innuisse satis: quia qui fusius in illam, exempla funestissima commularunt: sub politicorum monitorum prætextu, infamatorios libellos, imprudenter & immodestè compositos, notantur edidisse. Redeo.

1471. Iterum ad Protoparentes, pro vxoria dignitate, & honore fœmineo recurrendum: nec enim aliunde aptiùs Patres, monito, quod inculco, præluxerunt: vnius Ambrosij verba, fusius expendenda, qui lib. de Instit. Virg. sic grauissime scribit, ad verba illa citata: *Non est bonum hominum esse solum:* Post alia subiungens, cap. 3. *Confirmat vtique bonum esse hominum genus, si virili sexui, fœmineus sexus accedat. Simul illud considerandum, quia ille de terra factus, & limo est: ista, de viro: & caro quidem, limus: sed ille adhuc informis, iste formatus.* Quid ergo reginæ insultet, rex superbior? quid non in honore fœmineam conditionem habeat; quam scit, nobiliorem longè originem traxisse? Adam è luto, in Regem formatur, è regia iam constâ, augustior Eua nascitur: ille sordidos, purpureos vero natales hæc sortitur. At qui, inquis, peccauit paulò post gulosa regina: & garrula, serpentis verbis capiatur, virum deceptura, quid proinde funestus sexus non opprimatur? obiicis, vnde acrius configaris. Audiendus Ambrosius ibidem cap. 4.

D. Ambr.
Fœmina laudatur.
Viri, fœminis peiores.
D. Ambr.

Sanè negare non possumus, quod errauerit mulier: quid miraris tamen, si infirmior lapsus est sexus, cum sit lapsus etiam fortior? Mulier excusationem habet in peccato: vir non habet: illa, vt Scriptura asserit, à sapientissimo omnium serpente decepta est: tu, à muliere, id est, illam superior creatura decepit; te, inferior: te enim mulier decepit; illam, malus licet, tamen Angelus. Si tu inferiori non potuisti resistere, quomodo illa potuit superiori? culpa tua illam absoluit. Et quidem, decepit Euam Dæmon, immenso diuinitatis pondere promisso: quanta obruendo machina spiritui? decepit illa te, pellaci, præmorsi pomi, blandimento, quàm facilis euitando contagio repulsa? illa vehementer impulsa ruit, tu sponte cadis: illa sub immanis Draconis nexibus corruit, te puellæ digitulus præcipitat. Et putes te fortiorem, indéque præcellenti honore magis dignum? Sed, inquis, viam mortis aperuit mulier: mortem viro, proinde fastidienda contemnendáque porrexit: benè, quasi plus damni, in porrigendo mortali pomo, fœmina; quàm in gustando porrecto, vir inferret: quasi non longè iste effrontior, quàm fœmina in mortis retia incurreret. Vix producitur, cum in Paradisum introducitur Adam: vbi, nondum edita Eua, à Deo lignum scientiæ interdicente, audit: *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Gen. 2. vers. 17. Neque vnquam à Deo, Euæ, id dictum legis, quæ à solo marito, & Numinis præceptum audiuit, & pœnam transgressionis. Vtri igitur deberet horribilior mors paueri? grauiter citatus Ambrosius. *Si de merito culpa dubitas, interrogemus sententiam, quæ illi dictum est:* In tristitia paries filios, &c. *Viro autem dicitur:* Terra es, & in terram ibis. *Et verè, iuxta hanc sententiam, quandoquidem si Adam, quod Domino Deo audierat, seruare non potuit: quomodo potuit seruare Eua, quod à viro audiuit? Si illum Dei vox non confirmauit: quomodo istam, vox firmaret humana?* temerè igitur, hinc tibi putes vxorem despiciendam.

Fœmina, ea antiquam culpam, viro longè innocentior.
Gen. 2. 17.
D. Ambr.

Neque ista satis: alia adhuc ratio est strictior, 1472.
vnde Principibus, vxores summo in pretio sint habendæ: scilicet ingenium illud docile, suauissima indoles, qua vt plurimum feruentiùs virtutem prosequuntur, & deuotius adhærent pietati: multo frequentius, religioso Sacramentorum vsu recreatæ: vnde & viris & regno apud Deum intercedentes, non semel aut imminentia mala prohibent, aut ingentia comparant beneficia. Hoc est, quod etiam sub cæca illa falsæ religionis vmbra, Augustæ tribuebat citatus Plinius, dum ad Traianum, ita. *Tibi vxor in decus, & gloriam cedit: quid enim, illâ sanctius: quid antiquius? Nónne si Pontifici Maximo diligenda sit Coniux, aut hanc, aut similem, (vbi est autem similis?) elegerit?* Post Christum, regias fœminas, sanctissimas numerare, voluminis, quod nemo nescit, labor foret: cum tamen in breuem catalogum, Principes pietate insignes referri queant. Hanc fœminei sexus deuotionem, & quotidie prædicat Ecclesia, & olim Synagogam non latebat. Pulchrè Oleaster, in illud Dei præceptum: *Tribus temporibus anni, apparebit omne masculinum tuum in conspectu Omnipotentis Domini, Dei Israel.* Exod. 34. vers. 23. ita scribit. *Quare, Pater, noster, solos masculos vis, tam frequenter videre: fœminas vero, neque in anno semel, dignaris aspicere? nónne, & fœminæ, tibi curæ sunt, sicut & masculi? nónne opus tuum, quas, ex viri costa, produxisti? Sed tanquam pius & misericors, hoc fieri voluisti: ne scilicet sexus infirmior, longo itinere grauaretur: aut quia non ignorabas, deuotum sexum, hoc sine præcepto facturum.* Iustis, vt inquit Apostolus, non est lex posita: quia suauissime, etiam absque lege, iustitiam sectarentur: iniquorum rebellio, legibus constringitur: quos vix, vel etiam sic, in officio continueris. Non præceptum religiosi cultus, fœminis olim irrogabatur: quibus non in charta, non in tabulis, sed in corde, in visceribus, totius pietatis lex prænoscebatur scripta. An vt sexus iste, apud Deum, sic etiam apud

Fœmina, ad virtutem, viris longè promptiores.
Plin.
Oleaster.
Exod. 34. 23.

homines, non venerit pretiosior? Sed proximius ad Reginas veniamus.

1473. Id ergo, in ipsis statim Protoprincipibus, cernere est Descēdit Deus, sub specie vindictę, ad pœnitentiam Reos vocaturus: Increpatus Adam, respondet: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Et dixit Dominus Deus, ad mulierem: quare hoc fecisti? quæ respondit: Serpens decepit me, & comedi.* Genes. 3. v. 12. & 13. Perpende, quàm alia fuerit, vtriusque responsio. Adam, nihil culpæ fatetur: & si quid vitij interfuit, in Deum reiicit impius, qui Sociam, id est, indiuisibili consensu obseruandam, illi assignarat; obiter proterue durus, turpiter inurbanus, vxorem incusans, Quid Eua? fausto pœnitentiæ initio peccatum confitetur: dum seductionis illecebram aperit, errantem se agnoscit: nihil de productâ à Deo, quasi in tentationis insidias, bestiâ, subiungit: non carpit Mariti mollitiem, qui nec labilem probè instituit, nec lapsam reprehendit: nec, quod ab vno pendebat, Posteros condemnare, erubuit: dumque non accusat, consortem pœnitentiæ & veniæ, ostenditur concupiscere. Vter igitur Coniugum magis pius, modestior, religiosior? Vter, alteri, pretiosior, haberi debet? pulcherrime D. Ambrosius citatus. *Adde illud, quod & culpam, prior fatetur, etenim quæ se dicit esse seductam, fatetur errorem: erroris igitur medicina, confessio est: in Iudicio ipso, quanto clementior mulier, viro? ille, mulierem suam accusauit; ista, serpentem: hoc est, nec accusata, crimen retorsit: sed ipsum accusatorem suum, maluit, si posset, absoluere, quàm ligare.* Hæc sunt quæ Protoregina, successuris, exempla ministrauit.

Fæminæ facilius, quam viros, culpæ pænitet.

Genes. 3. 12.

Vxor. Marito vrbanior & deuotior.

D. Ambros.

1474. Iam in Principem, totiusque Populi liberatorem constitutus, pergebat Moyses, Ægyptium, consimilesque Monarchas territurus: & ecce subito, *Cum esset in itinere, in diuersorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum: tulit illico Sephora acutissimam petram, & circuncidit præputium filij sui, tetigit que pedes eius, & ait Sponsus sanguinum, tu mihi es.* Exod. 4. vers. 24. Irascebatur Deus in Moysem, quod præceptum circuncisionis, iam olim Abrahæ datum, Populo denuntiaturus, incircuncisum filium secum gereret. Sed vnde, obstupefacto Moyse, sedula vxor, furorem Domini intelligit, vt circunciso statim puero, illum placaret? Nunquid fæmina pridem Idolorum cultrix, & paulo ante ex Mariti consortio, ad veri numinis religionem redacta: iam prudentior Marito erat, voluntati diuinæ aucupandæ, & exequendæ? Non id vnquam crediderim: in rebus tamen trepidis, & vrgentibus necessitatibus, piâ deuoti sexus sagacitate, & affectuosioribus precibus, solent fæminæ, diuinam voluntatem diligentius inuestigare, facilius iram Domini delenire, quam viri: quasi ingenio sanctitati nato apto, in rerum angustiis, maritis, longe maiori virtute, aliunde fulgentibus, præstare quidem vxores videantur. Saluauit certè piissima in hoc loco Sephoræ diligentiâ, maritum Principem, de fulminis conspectu, pene attonitum. D. Isidorus Pelusiota ibi, in Cat. par. sic ad rem nostram. *Vbi Sephora crimen agnoscens, filio circunciso, ad Angeli se pedes, obuoluit: discessit, ille exoratus, palam declarans, quam ob rem Deus, merito irascebatur Moysi. Id prudenter coniecit illico mulieris fides, quia vrgente necessitate, mulierculæ solent expeditiores esse viris, nex-* *cogitandis remediis: studiosiusque, diuinam opem implorare.* Debent quidem non raro Principes Catholici, sanctis vxoribus, Numen sibi placatum, vt ex historiis Lusitaniæ, Vngariæ, & aliis passim legimus: quas tamen ipsi, minus, quàm par est, decenter solent habere: cum tamen illas, debitâ reuerentiâ, ad æqualitatem honoris colere, opus sit.

Fæmina, reconciliando Deo, & ante te, lo su pie cie, longe viro studiosior.

Exod. 4. v. 24.

D. Isid. Pet.

IV.

Princeps vxorius damnatur. Fæmineæ indolis fictio; propositi, molliendis maritis, tenacitas, traducitur.

CVm tot, de Iure colendi Reginas coniuges, congesserim, apud Principes, argumenta: 1475. videri possem alicui, sub pietatis prætextu, Maritos mollissime vxorios; & totos coniugum imperio deditos, efformasse. At ego tam longè hinc absum, vt nihil optimæ Politicæ sentiam inimicius, quàm Reges vxoribus subditos, &, vt ita dixerim, nubentes. Aliud est, reginas, à durioribus Maritis, indecenter habitas, in honoris debiti asserere libertatem: aliud Reges, in turpissimum vxorum obsequium captiuare. Non disputo, vtrum in se sit fœdius, an Coniuges parcius, an profusius, quàm deceat, reuereri: illud scio, secundum hoc vitium, non solum Regibus, sed etiam Regnis, multo quidem venire periculosius. Lege quæ multa, Profani Politici, de Liuiâ, Cæsarianæ familiæ veneno, scripserunt: hoc vno Nauo Augustum Cæs. dedecorantes, quod Orbi prudentissime imperans, vxorius, famellæ subderetur: vnde, præ aliis damnis, orta Tiberij, in multi Imperij ruinam, in totius periculum, adoptatio. Deleantur ergo, ab Optimorum Albo, Principes sic formati: quibus facit illud Catonis senioris de quo Auctor Apophth. lib. 5. *Obiurgans aliquando summam vxorum impotentiam: Omnes, inquit, homines vxoribus dominantur: nos, omnibus hominibus: nobis vxores. Hoc modo colligens, mulieres esse rerum omnium dominas.* Sed videamus paucis è sacro penu, quid sub impotentium, præ nimiâ potentiâ, Coniugum dominio, languidi isti Principes patiantur.

Maritus vxorius, miserè perit.

Auctor.

Formaturus Deus Euam, immisit soporem, in Adam: *Cumque obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem, pro eâ: & ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, &c.* Genes. 2. vers. 21. An erat difficile Deo, vacuum subtractæ costæ locum, osse nouo replere? aut, quando pulpâ maluit, tam ne id, ad mysterium conducit, vt necessario nobis exprimendum, putaret sacer Scriptor? planè, & res sacramento plena, & nobis ad doctrinam, in primis recolenda: voluit quippe Deus in Protoparentum coniugio præsignificare, quid, cæteris deinceps coniugiis, periculi immineret: quod scilicet, vt plurimum ita assumatur vxor: vt propterea indidem, ipsâ rigescente ad imperium, vir in turpe obsequium molliatur: sic vnde ossea constituitur Eua, vir in pulposam mollitiem languescit. Scilicet, is paulo post futurus erat Maritus Protoprinceps, qui non ausus delitias suas contristare, indulgendæ vxorculæ, comissa sibi

1476.

Genes. 2. 21.

Vxorio viro, fæmina turpiter imperat.

ſibi regna funditus euerteret: ea futura Eua, quæ leui nutu, Adamum, tanquam vile mancipium, in fœdiſſimum ſui obſequium transferret. Merito igitur iſta ſic durè imperatura, oſſea compingitur: merito ille, habendæ ſibi vxori, non ſolum coſtæ robur amittit, ſed inſuper in pulpæ teneri-
D. Bruno. tudinem eneruatur. D. Bruno in Sylu. Alleg. ad hunc locum. *Subtractâ coſtâ, locus eius, non oſſe, ſed carne repletur, vt ex eo, etiam nos infirmiores, & molliores eſſe ſciamus, quod mulieribus adhæremus.* Vt iam capias, quid ſtatim viſâ Euâ, exclamaret Adam: *Hoc nunc os, de oſſibus*
Verſ. 23. *meis, & caro de carne mea.* Verſ. 23. E coſta quidem mera & nuda viri, formata fuerat mulier: & nihilominus merito illam, non ſolum os, ex oſſe, ſed etiam carnem, de carne appellauit: quia ſicut maritus reapſe, oſſeam fortitudinem vxori præſtiterat, id eſt, proſtrarat Dominium: ita viſa vxor Marito, carneam mollitiem, id eſt, turpe obſequium, indidiſſe: vtrobique, alterius aliquid elucet, vnde non ſolum conoſſei, ſed etiam concarnes dicerentur.

1477. Hæreditarium igitur quodammodo, contraxerunt hunc morbum, non pauci Principes: in quam rem recudendus, ſub nouo computu, locus ille Achab, de quo ſupra, num. 1427. Peccat infauſtus Princeps, diuinæque ſententiæ fulmen audit ſtatim, fore, vt infæliciter occiſus, infælicius Canibus eſcas miniſtraret. 3. Reg. 21. v. 21. Sed vbi commiſſi ſceleris Regem pœnitet, ait Deus ad Eliam: *Nonne vidiſti humiliatũ Achab, coram me? quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus eius: ſed in diebus*
3. Reg. 21. 29. *filij ſui, inferam malum, domui eius.* Verſ. 29. Et ſub tam manifeſto oraculo, conditio nihilominus, retinendæ pœnitentiæ, obducebatur: quam
& 22. 35. quia deſeruit, ipſe tandem cap. 22 à verſ. 35. Syriaco bello percutitur, cuius occiſi ſanguinem,
Qui vxorem, in dominam aſſumit, miſerrimè labitur. canes linxerunt. Sed vnde, inquis, in tanti ponderis negotio nutat Rex miſer, ne conſtans in pœnitentiâ, diuinam ſibi veniam conſeruaret? Vxorius erat Maritus: non ſuo, ſed impiæ Ieſabelis arbitrio mouebatur, quæ non contenta, mollem, in Nabot necem, impuliſſe, à pœnitentia molliſſimum reuocauit: Rex autem qui vxorem non ſociam, ſed dominam adorat: quidni cum vitæ iactura, totius Imperij ruinam patiatur. Cape nunc plena verba D. Ambroſij, quæ citato loco, ex induſtriâ ſubticui, in rem præſentem: Ergo S. Doctor lib. de Nab. cap. 27. ita. *Ergo aut Pœnitentia non valuit, nec inflexit Dominum miſericordem: aut oraculum falſum eſt: Nam Achab, victus eſt, & occiſus. Sed conſidera, quia Iezabel habuit vxorem, cuius inflamabatur arbitrio: quæ conuertit cor eius, & nimiis ſacrilegiis execrabilem fecit: & hunc ergo*
Fœmina, in virtutis, aut vitij, aut virtutis, præceps. *pœnitentia eius reuocauit affectum.* Quid malorum, ſub fœmineo arbitrio non veniret? Neſcit medium, præcipitis ſexus conditio, vt plurimum virtuti pronus, niſi adepto apice, nõ quieſcit: ſi declinat in vitium, ſolo barathro, contentus degit. Nullus Tyrannorum vnquam ſæuior, quàm qui vxorius, ſæuæ ſi forte coniugis conſilio efferatur: quantum enim virium, improbæ fœminæ, natura denegauit, tantum aſtutiæ, ſupra viros conceſſit, immaniſſimis, ferocientis arbitrij, conſiliis excogitandis. Grauiter
Quintil. Quintil. declamat. 2. *Sunt & fœminis, ad ſcelera, vires, cum habent cauſas virorum: quin imò, ſi interroges, facilius hæc pectora, metus, odium, ira corrumpunt: & quoniam non habent roboris tantum, vnde vitia mentium vincant, plerumque facinus, infirmitate fecerunt.* Id eſt, non quoduis malum, ſed illud, quod ad horrorem, *facinus* dici queat. Quid, ſi conſimilibus vxoribus, Principes quaſi adhæſerint, non patrarint.

Hinc eſt vt cauti Mariti, non deliquiis, non 1478.
lachrymis fallacis ſexus, ſoleant commoueri: *Indulgẽdum eſt vxori, verè dolenti.*
niſi vbi germanos, ſynceri cordis affectus introſpexerint: ne cum Sanſone, & ignauis aliis viris numerentur, qui ad primam vxoris lachrymulam, ſtulteſcentes vndique, incantantur. Ingreſſa ad Aſſuerum Eſther, ſummo liberandi Populi, euertendi Aman, negotio impetrando: conſpecto Monarchæ ſplendore, & maieſtate, *Regina corruit: & in pallorem, colore mutato, laſſum ſuper ancillulam reclinauit caput.* Cap. 15. verſ. 10. Neque id ſatis: vix enim reſpirat, cum *Rurſus corruit, & penè exanimata eſt.* Verſ. 18. Eſth. 15. 10.
Generoſiſſimo ſpiritu prædita erat Eſther, vtpote quæ etiam cum certo periculo, commouendi Verſ. 18.
violata lege, Regis, auſa eſt pro ſalute ſuorum, pro veri Numinis cultu, in iuſſa ingredi, maleus mortis diſcrimini exponi, quàm deſperatis rebus, remedium ſi forte inueniendum, prætermittere. Vnde ergo, diſponit Deus, vt ipſo agendi articulo, ſic collabatur, vt non tam legis gladio, quàm propria trepidatione, penè exanimetur? Erat ſcilicet prudentiſſimus Aſſuerus, & fœmineas, ad extorquenda cupita, artes, probè nouerat: & quamuis Eſtherem reginam ardens, non tamen vxorius & mollis diligebat: merito igitur Deus, qui concedenda tunc omnia à Marito, vxori diſponebat: id effecit, vnde apertè colligeretur, non fictum Reginæ dolorem eſſe, non fucatum; ſed *Maritus, falſis vxoris deliquiis, non facilè aſſentiat.*
præ negotij grauitate germanum; vt quidquid tunc Maritus adblandiretur *turbatus*, verſ. 19. non Verſ. 19.
tam vt mollis, & quibuſuis fucis deluſus, quàm conſtans, & vrgente neceſſitate impulſus, feciſſe noſceretur. Fauet ibi Dionyſius. *Exanimata* Dionyſ.
eſt ex pauore, non ex ſimulatione, ſiue anima, quaſi effecta, ex virium defectione. Quod Deus ſic ordinauit, vt Rex magis afficeretur regina, & eius magis acquieſceret precibus, videns in eâ tantam teneritudinem, erubeſcentiam, & reuerentiam circa ſe: ſicque metueret, eam, quocunque modo grauare. Quaſi turpiter vxorius eſſet habendus, ſi vxori minus reuerenti ſynceræque indulgeret.

Dolenti Annæ ſterilitatem ſuam, corriualis 1479.
ſcommata: *Dixit ei Elcana vir ſuus, Ana cur fles, & quare non comedis? & quamobrem affligitur cor tuum? Nunquid non ego melior tibi ſum, quàm decem filij?* 1. Reg. 1. verſ. 8. Suauiſſimum 1. Reg. 1. 8.
eſt hoc Coniugis blandimentum, quo vxori, non *Neque filiis lachrymantis moueatur.*
ſolum Mariti officia, ſed & filiorum obſequia ſpondet: quaſi merito conſolari ſe poſſet Ana, quæ viro ſuo debitam reuerentiam, in Matris quodammodo auctoritatem commutabat. Nihil tamen in his blanditiis turpiter molle; nihil fœde vxorium, ſed pro neceſſitatis articulo, debita ſuauitate generoſum. Nota oro, non contentum Elcanam notaſſe lachrymas, inediam, inſuper addidiſſe: *Quamobrem affligitur cor tuum?* Quaſi in affectus tam teneros mouendus, lachrymis & inedia non veniret, quæ facilè à muliercula fingi poterant, niſi aliunde certiſſima, veri doloris, & prædicto obſequio indigentis, quaſi penetrato vxoris corde, ſigna prænotaſſet. Alluſit

Abulens. sit Abulensis ibi. *Videbat enim, quod lachrymæ Annæ non essent menda es: sicut interdum lachrymæ fœminæ sunt, cum nullo dolore. Promptissimum enim est fœminæ cuicunque plorare, etiam si nulla causa subsit. Hic autem erat verus fletus: quod videbat Elcana, quod affligebatur cor Annæ.* Foret itaque ad infamiam vxorius, grauissimus vir Elcana, si nisi penetratis affectibus, coniugem exquisito hoc blandimento deleniret.

1480. Regressæ à monumento, piæ fœminæ, Triumphatorem à morte Christum, nuntiant discipulis: additque Lucas: *Et visa sunt ante illos, sicut delyramentum, verba ista, & non crediderunt illis.* Cap. 24. vers. 11. (Luc. 22. 11.) Verissimum est, priscum illud Verbum: *Spes amantium credula:* Quia quod auidè suspirat faciendum, facilè factum credit: & quod habet in votis, fide præpropera, pro festinantibus gaudiis amplectitur. Nihil ardentius, quàm Domini resurrectionem amabant Discipuli, nihil sollicitus sperabant: & tamen audis incredulos: & quod vel leuiter à quouis dictum, auidissima aure, amplexaturi videbantur: à tot sanctissimis fœminis nuntiatum, quasi nugas & delyria respuebant. Quid miraris? Sanctissimæ erant, sed fœminæ: sexus semper de fuco, de mendacio suspectus. Audi Chrysolog. ibi, serm. 79. *Quod Apostoli, resurrexisse Dominum, mulieribus nuntiantibus, aut non credidisse, aut delyramentum indicasse referuntur, grauiter nemo arguat: altè dubitat, qui altius credit: decipi non potest, qui non est facilis auditui: ignauus nimis est, qui post exemplum, inuenitur incautus. Rudis miles, ad aciem concurrit, qui causam belli nescit, vim bellatoris ignorat: peritia est, non est segnities, cùm sensim miles veteranus incedit. Sic Adam nouus cito cecidit, quia cito credidit: & dum facile dat aures ad mulieris auditum, se suósque posteros, pessimo addixit inimico. At veteranus Petrus, fœminam non facile audit, fœminis nuntiantibus credit tardè: & vt veteranus deliberat, ne vt puer incurrat.* Tu Princeps, cui tot aliorum suppetunt exempla, cum satis Protoprincipis illud foret, caue: vxori si vbique credideris, facile te illi credes, in mancipium: habebis te ducentem fœminam, nubenti penè vito insultaturam, nisi districto, etiam sanctissimam, examine probaueris, decipieris: & quamuis non in tui damnum, tamen concepto semel scopo attingendo, ipsius dolos, & fucos, cogèris sustinere.

Fœmina, semper de fuco & mendacio, suspecta
D. Chrysol.

1481. Pio furto benedictionem surrepturus, Principi Patri præ annis cæcutienti, cibos, sub Esau nomine, intulerat Iacob: hæret senior, alieno familiaris vocis sono, & caligantibus oculis, auribus dubiis, certius à tactu exigit testimonium, qui tamen multo fallacior, verissimum vocis assertum, suppressit penitus: vnde ait: *Vox quidem, vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esau: & non cognouit eum, quia pilosæ manus, maioris similitudinem expresserant.* Genes. 27. vers. 22. Mirum dictu, potuisse Iacob industriam, suppositiis pellibus, sic ad amussim manus exasperate, & in fraternarum similitudinem componere, vt attentissimo, & summi ponderis negotium, disquirenti Patri, reclamante, apertissimè voce, posset illudere. Vnde potuere Chirothecæ subtiliter ita consui, vt relictis aliunde volis læuibus, vnguibus læuioribus, seueros Patris digitos, & examini sedulos deciperent? vnde ita futuræ tenues, iuncturæ rasæ, & extrema, quæ volas vngue'que non attingebant, sic aptata, vt nihil eminentius relinquerent, curiosam diligentiam, moniturum? Certe nunquam id eueniret si Iacob, si viri cuiusuis industria, dolosum artificium pararetur: fœmineum fuit inuentum, Rebecca fuit, *quæ vestibus Esau, valde bonis, quas apud se habebat domi; pelliculas quæ hædorum circundedit manibus & colli nuda protexit.* Vers. 15. & 16. At contra fœminæ etiam sanctissimæ dolos, frustra maritus Princeps laboraret. Exclamat ergo meritò, hic Oleaster. *Mirabilis artifex simulationum, fœmina: neque solum verbo, sed facto, nouit optime mendacium componere.* Videtint nunc, quibus se fucis exponant illudendos, qui molliter vxorij, aliunde non ita sanctas coniuges sortiuntur.

Fœmina, egregia mendaciorum artifex, non solum verbo, sed facto.
Gen 27. 22
Vers. 15.
Oleast.

1482. Nimirum contentiosissima est, indoles fœminea: nulla non via, destinatum semel aliquid perficiet, obstinata potius mori, quàm vota, vsque ad exitum non perducere. Ideo timenti Iacob Matris consilium, ne forte detecto fuco, pro benedictione paterna, diram maledictionem importaret sibi, citato cap. 12. respondet illa intrepida: *In me sit ista maledictio, fili mi: tantum audi vocem meam, & pergens, affer quæ dixi.* Vers. 13. Nouerat quidem ex diuino oraculo Rebecca, fore vt maior frater, minori deseruiret, non tamen certior facta fuerat, paternâ, sub illis fucis, benedictione, id exequendum, & occultandos intentatos dolos, ne prouocatus, in iram, maritus, diras potius imprecationes inferret illusori: nihilominus audax, omnibus his periculis se exponit, parata maledicto subiici, dummodo à concepto semel opere, desistens per ignauiam non arguatur. Idem Oleaster; *docemur, quàm tenax propositi sit fœmina, vt nihil mali vereatur, modo faciat quod concupiscit.* Quid non extorqueat hic sexus, ab vxoriis fortè maritis, qui integros etiam & prudentes sic seducit? quò non irruat, vbi plana sunt omnia, vbi maritus ducitur, cum per ingentia pericula, trahendo marito proruat audacissimus. Pulchrè D. Ioan. Chrysost. tom. 6. Homil. de Anna, quæ tandem voti compos, sterilitatem suam superauit, sic fœmineam indolem describit. *Contentiosum est hoc animal, auidumque victoriæ: & siue ad malitiam declinat, magna mala patrat, siue ad virtutem se applicat: anima citius eam destituat, quam propositum mutet. Sic igitur hæc quoque, naturam suam superauit, necessitatem peruicit: & assiduitate precandi, vulua sterili, prolificam vim obtinuit.* Cum maritis ergo constantibus, decertant de victoriè vxores, saltem nunquam victæ, quæ tamen mollibus, victrices semper insultant.

Fœmina, arrepti semel propositi finis, insequitur pertinacissimè.
Cit. cap v 13.
Oleast.
D. Chrysost.
Contentiosum Animal, & victoriæ, in quamuis materia, auidissimum.

1483. Vt ergo tandem, ad initium moniti, iterum recurramus, expende, quod quamuis vbique virorum turpe habeatur, si vxorij coniugibus deseruiant, tamen id apud Principes, vt periculosiùs, ita etiam turpiùs existimari. Hinc in illa celeberrima Parabola Matth. 21. dixit Christus: *Homo erat Paterfam. qui plantauit vineam, & sepem circundedit ei.* Vers. 33. quasi non contentus dixisse Patremfam. necessario hominem, id est, virum, appellaret, vt ille Paterfam. in Domini Dei figuram, condignè assumi nosceretur, non vxori subditus, (virilescente ista & dominante) familiam suam proprio arbitrio gubernabat: actum enim de familia est, vbi euirato marito,

Nullus maritorum, turpius vxorius, quàm Princeps.
Mat. 21. 33.
Maritus & vxor, officiis suis commutant.

rito, vxor disponit: vbi paterf. fæmina est: vbi vir ancillis, pensa: arma, vxor militibus distribuit; quasi viro colus, vxori vero gladius assignaretur. Quid fuerit, non in priuatâ familiâ sed in regno? Promouerat iam Deus Abram, in Abraham, & ab excelso Patre, in Patrem multarum gentium
Genes. 17.5. designarat: Genes. 17. vers. 5. id est, priuatum hominem, in Principem euexerat: cum addit: *Sarai*
Vers. 15. *vxorem tuam, non vocabis Sarai, sed Saram.* v. 15. Sonat, vt nosti, *Sarai, Princeps mea*: at vero *Sara* sonat absolutè, *Princeps*: sub ingenti ergo mysterio, ni fallor, vxoris nomen ibi commutatur: Ne vnquam maritus iam ad regnum euectus, vel leui vocis sono, nedum opere, *Principem meam*, vxorem appellaret: foret Sara absolutè iam Princeps cum Marito, subditis imperatura: non tamen à Marito, *Princeps mea*, deinceps nominetur, ne vel de nomine, imperare marito, præsumatur. Sic tenerioris vocabuli blandimentum, quod, priuato dûm, Abræ dissimulabatur: iam Abrahæ, iam Regi, penitus interdicitur.

V.

Augustæ vitia, Principem cur traducant, illa obsequij gloriâ, contenta esto: pulchram se nesciat. Sic fælici coniugio, concordia perennat.

1484. EX prædictis duobus proximè monitis, apertè inferes, sic Principi honorandam Augustam vt vbique ista, subdita & obediens viro retineatur. Sic ergo coniugium regium componendum vt quisquis singulares Reginæ virtutes celebrans, possit cum Panegyristâ sæpe citato dicere:
Plinius. *Mariti hoc opus, qui ita imbuit, ita instituit: nam vxori sufficit, obsequij gloria, &c. Decuerit hoc illam, et iam si diuersa tu facias: sub hac vero modestia viri, quantam debet verecundiam vxor Marito, fæmina sibi?* Illustro in institutionem regalis coniugij, gnomen excellentem. Non mollibus, & vltra congruum, blanditijs delenire, sed
Vxoris vitia, Marito, merito imputantur. Vxorem debet Princeps instituere. Quid ita? quia aliunde minus proba Regina, maritum infamat, illiusque vitia, à praua huius educatione manasse præsumuntur. Quot mala, & illa durissima, à Dæmone non perpessus Iob? deponitur Rex optimus è throno, in sterquilinium: sceptrum in testam; & flores purpuræ, insanguineæ tabis, postulas commutat: & tamen interim, neque leui verbo, in peruicacem hostem exasperatur: Sed ecce vix vxor dicens, *benedic Deo, & morere*,
Iob. 2. v. 9. cap. 2. vers. 9. religiosum pectus inducit in blasphemiam: cum Iob non tam impatiens, quàm doloris impotens, sanctè indignabundus sic erumpit: *Quasi vna, de stultis mulieribus, locuta es.* vers. 10. & cur ad primum vxoris verbum, condolens subirascitur: qui ad tot impiissima Dæmonis opera subticuerat? quia nimirum dæmonis scelera licet immania, à Iobo quidem erant aliena, & licet vexarent corpus, occasionaliter tamen spiritum, ad gloriam promouebant: at vxoris culpâ, (cum qua vnum, & idem erat, quam probè instituerat, cuius morum rationem redditurus videbatur) sic se tangi sentiebat, quasi dimidiam animam, scelere iam pollutam ex-

horreret. D. Basilius. ibi in Cat. Græc. cuius alibi verba intercepi: Sic ad rem nostram, ex ore Iobi, D. Basilius.
post multa. *Mitte igitur, inquit, mulier, consilium istud tuum: quandiu sermonibus istis, communi vitæ contumeliam inures? meam, (quod ipsum optaui nunquam) mentita es educationem, cum ista ratione locuta es: item vitam iniuriâ affecisti meam: nunc mei dimidium, impietate obligari puto: quando ius connubij, corpus vnum, nos ambo effecit: tu vere animum, blasphemiæ crimine obstrinxisti.* Talia sunt, vt id obiter dicam, quæ Principis debent stomachum, in Reginam commouere: non aulica illa & ridicula nugamenta, quibus quandoque Augusti in iurgia concitantur. Non erat nimirum Princeps noster vxorius, qui lachrymulis & querelis vxoris (quæ fusè in textu Græco exprimuntur) falleretur, ideo dixerat citatus Basilius. *Cum ea verba, stomachum Iobo mouissent, id quod superiora mala facere, minime potuerant, pleno iracundiæ vultu, trucique aspectu, ad vxorem conuertitur: & quæ contra se, ab illius vocibus parabantur, machinas depellit. Illa quidem certè expectabat, dum lachrymarum fontes cieret: hic autem leone valentior extitit: cum non ob ea quæ patiebatur mala, sed propter illa, quæ coniux, impulsu Dæmonis suadebat, indignatione, atque iracundiâ vehementius commouetur.* Neque mirum, cum Reginæ culpa, prauam Principis educationem arguere videretur.
Idem. *Lachrymæ vxoris, Mariti constantiâ, non turbent.*

Hospiti suo, Abrahæ regalissimo iam viro, conuiua Deus, filium promiserat: *Qui audito, Sara risit post ostium tabernaculi.* Genes. 18. v. 10. Non caruit etiam domina Sara, fæmineo hoc curiositatis vitiolo, scrutabatur scilicet per ostij rimas, quid foris ageretur: vnde Oleaster ibi: *Antiquum vitium fæminarum est, omnia velle audire, omnes velle videre ex latebris.* Sed peius adhuc, quod risit, & despondens fœcunditati, minus credulam, domino promittenti se exhibuit. Sed vide quod additur. *Dixit autem Dominus ad Abraham: quare risit Sara dicens; num vere paritura sum anus? nunquid Deo quidquam est difficile?* vers. 13. Mira interrogatio! foris erat Abraham, intus Sara: nec quid fiebat, sentiret nisi diuinans: & si sentiret, cur ab illo, alieni risûs ratio exquiratur? quia Maritus erat: cui proinde pia ad fidem affectio, cæteræque virtutes Saræ, sic in curâ esse debebant, vt cuiusuis erroris, ab ipsa commissi, rationem merito reddere cogeretur. Propterea, ni fallor, addit & explicat hunc locum Glossa Interlin. *Dixit Dominus ad Abraham, disceptando*: id est, increpando, arguendo: quasi de vxoris vitio, iure optimo Maritus Princeps reprehenderetur. 1485.
Maritus vxoris culpâ rationẽ reddere cogitur. Genes. 18. 10
Fæmina priscum vitium Curiositas.
Vers. 13.

Vt ergo prædictarum Heroinarum vitia, Principibus viris, vidisti imputata: Sic earundem virtutes, his optime instituentibus imputarentur: illæ obsequij gloriâ, vt ex Plinio vidisti, contentæ degerent. Si autem quæras, quæ sit prima obsequij obedientis gloria in vxoribus heroicis? respondeo hanc esse illarum laudem maximam, si à Principibus maritis, affatim primo monito instituantur. Degenerat Regina, quæ ad Mariti obsequium, repetita institutione opus habet. Sit Marito satis, semel monuisse: minus fidis vxori, quam bis admones. Ingressus Abraham terram australem, peregrinatus est in Geraris: timensque sibi ab vxoris pulchritudine: *Dixit de Sara vxore suâ, Soror mea est.* Genes. 20. vers. 2. Sed quid si 1486.
Vxor proba, semel tantũ monenda à Marito.
Genes. 20.

si Sara ignorans, id prædixisse maritum, interrogata vxorem se fatetur? Quid si conscia, doleret tamen pulcherrima, & modesta mulier, quod peregrinans, cum viro non marito, quantumuis fratre, suspecta habeatur: & tutius maritalis nominis clypeo munienda, rem prodat? nonne satius foret consilium cum illa communicaret Abraham, & consensum arduo negotio postularet? fecerat id iam semel Abraham cap. 12. v. 13. cum Ægyptum ingrederetur: ibi semel monuerat, (vt dicitur in hoc cap. 20. v. 13.) quid in consimili negotio semper foret faciendum: nec ea erat, sanctissimæ Saræ, obedientia, quæ bino mariti monito indigeret: iniuriam passa foret à Marito, si hic nouam institutionem putaret necessariam. Olcaster ibi. *Quemadmodum antea apud Ægyptios Sororem vocauerat, ita & nunc: neque tamen eam instituit, vt superius fecerat, quia iam satis institutam habebat.*

Genes. 12. 13. & 20. v. 13.

Oleaster.

1487. Præterea nihil decernat, nihil alicuius momenti agere præsumat, quod fuerit à viri consilio alienum. Producturus Deus Protoreginam, ait: *Non est bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.* Genes. 2. vers. 18. In Hebræo, pro adiutorio, est, *Nuntius*: vnde Oleaster ad litteram. *Adiutorium, quod sit velut instrumentum, coram ipso: id est, quo facile vti possit, cum voluerit, & si teneamus, Neged, etiam significare nuntium: sicut Nagad, a quo descendit, nuntiare: adhuc magis quadrat, vt sit sensus: faciamus ei adiutorium, sicut nuntium ipsius: id est, qui sit ei ad nutum, velut nuntius, vt mittat, quo libuerit, & iste sensus, est meo iudicio germanior.* Instrumentum, absque præcipuæ causæ applicatione non mouetur: fallax est Nuntius, qui aliud, quàm quod, ab imperante accipit, solet reddere: ad nutum alieni arbitrij instrumentum & nuntius, debent agere: actum fuerit de effectûs fælicitate si his à causâ, & à dictante, discrepetur: peruersi ergo ordinis est, si causa ab instrumento impellatur: si dictanda, mittenti, nuntius præscribat. Vxorio tantum Marito, turpiter imperatur: improba tantummodo vxor, non ministrat. Sic ergo honoris sociam cum viro, imperijque erga subditos participem, fæmina se agnoscat, vt tamen obsequij gloriâ contenta, illius se administram fateatur. Aptè proinde iam ad mores Oleaster: *Audiant hæc vxores, & discant, non esse virorum dominas, sed ministras: libido tamen virorum dominas, sed ministras: libido tamen virorum, ex ministris dominas fecit. Nec solum ministra est mulier sed etiam socior.* Quo sic decoretur socia, vt subdatur ministra.

Genes. 2. 18. Oleaster. Vxor debet esse nuntium, Maritalis Imperij instrumentum.

Oleaster. Non Domina, sed Ministra, Mariti est.

1488. Nuntiaturæ dominicam resurrectionem, properabant ad discipulos, piæ fæminæ: *& ecce Iesus occurrit illis, dicens, Auete: illa autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum.* Matth. 28. vers. 9. Plures erant hæ sanctæ fæminæ vt habes Luc. 24. vers. 10. quàm quibus sacri pedes sufficerent contingendi, neque tamen vlla ausa est vltra pedes, adorabundo gaudio procedere: & quidem cum omnes auiditate trepidâ concurrerent, nec omnibus simul contingere daretur, non nimium videri poterat, si aliqua, osculandas manus humiliter attrectaret: nihilominus anxia vota dilatant, se inuicem sperantes, vt saltem aliæ post alias, fælicissimo pedum amplexui succedant: quasi, nil vltra sibi licere, etiam sub sic prærupto affectu, penetrassent. Neque mirum nouerant quippe iam fidei lumine altius radiante, in mystico Christi corpore, in Ecclesia; viris Christi caput, id est, imperandi potestatem reseruari: sibi tantumodo pedes, id est humilis obsequij gloriam concedi. D. Petrus Chrysolog. serm. 80. *Tenuerunt pedes eius: vt scirent, in capite Christi, virum esse: se esse, in pedibus Christi: & datum sibi, virum sequi, non præire, per Christum.* Non per Christum igitur, sed per Dæmonem disponitur œconomia illa, vbi vir, vxorem sequitur, non præcedit. Monstrosissima forma incederet regale coniugium, si immissis sursum pedibus, inuerso capite verreret pauimentum. Biceps Imperij Aquila, non ideo coronatur vtrinque, quasi mutuâ obedientiâ debeat Princeps, Reginam obseruare: sed quod bene morata Regina, quæque recolit, sibi ad pedes, vnius obsequij gloriam relinqui. iam proinde digna est, quæ ad cultum & reuerentiam subditorum, throni consortium tenere agnoscatur. Proinde sub vno & eodem corpore, biceps Aquila imperat: quia vxor, nisi voto & consilio; rebúsque gerendis, vna & eadem fuerit cum Marito, nunquam satis condignè, nouum caput emittet coronandum.

Math. 28. v. 9. Luc. 24. v. 10

D. Pet. Chrys. Femina, viro subdita.

1489. Reginarum Reginam, salutante cælesti nuntio, additur statim: *quæ cum audisset, turbata est in sermone eius: & cogitabat, qualis esset ista salutatio.* Luc. 1. vers. 29. Non turbatur Maria viso Angelo, quæ ab ipsâ Conceptione sua, famulantibus Angelis assueuerat: sed nouam Angeli salutationem, qua nouum & insolitum aliquid allatum innuebatur, expauescit, non tàm trepido corde, & muliebri metu, quàm sollicitâ curâ, & prouido spiritu. Sed cur, nondum plene audito nuntio, ad primam suspitionem noui alicuius mysterij proferendi, sic turbetur, quæ passim, colloquentes sibi Angelos exceperat secura? quia cum iam nupta foret, & ex noua Angeli salutatione disceret, non priuatas ad spiritûs profectum monitiones afferri, sed mysterium aliquod grandius, & Orbi necessarium inculcandum: prudentissimè cœpit cogitare, ne fortè fallax nuntius adueniret, qui sponsæ, absente viro, tanti ponderis legationem apparabat: vnde enim bonus Angelus, solitum à Deo tenorem non seruaret, quo vota consilia quo vxoris, in quouis communi arduoque negotio, à coniuge, pendentia statuuntur? Sic explicandus Antipater Bostrensis, Orat. de Bapt. & Deipara: qui ad hunc locum ita. *Illa autem cum audisset lætitiam, non porrexit aures, sed vocem examinauit, dicens: qualis est hæc salutatio? quis per se, & non vocatus, nostram est ingressus domunculam? Quisnam, inquit, est hic, non familiaris, non cognatus, non genus ducens, ab Adamo? ex voce coniicio, hanc esse nouam, & alienam salutationem: non adest Ioseph, voci non assentior: cum sola prima parente, vt aiunt, locutus est ille, qui fuit Auctor malorum.* Et quidem non assentiretur Maria, Angelorum omnium, ne dum vnius vocibus, vt aliquid grauioris ponderis, inscio sanctissimo sponso perpetraret, nisi ab Spiritu sãcto intus certior fieret, arcano tunc Dei consilio oportere, vt ignaro interim Iosepho, Incarnationis mysterium ederetur.

B. Virgo, Iosepho suo obediens. Luc. 1. v. 29.

Vxor. nil absente Marito decernat.

Antipat. Bost.

1490. Hæc est ergo certissima regula, omnibus, & maximè regiis vxoribus, obseruanda, vt solummodo Dei, plus fuerit, quam Mariti consiliis standum: illáque tantummodo prudenter, inconsulto viro, executioni mandari, quibus aptius diui-

Vxor, tantùmodo Deo, plusquã viro creditura.

diuina voluntas adimpletur, quàm si ipsemet conscius admittatur. Redi ad pium illum Rebeccæ dolum, de quo supra num. 1481. nam sic ibi mirum sanctæ fœminæ artificium exequendo proposito declaraui, vt nullo modo, illius pietatem læsam velim. Non Rebecca, sic inscio marito, minori benedictionem filio adornauit, quasi paruipensi Mariti, indignationem contumax sperneret; sed quia cælesti oraculo monita, id fieri
Gen. 25. debere Genes. 25. vers. 23. putauit prudenter bonum dolum, hic esse necessarium: quia impensior affectus Isaac erga Esau, diuinæ voluntati, in diuidendis benedictionibus obstrepebat. Quod ergo durior in Rebeccam cogitauit Oleaster ibidem seq. num. 1482. adductus: mitior, & fortasse verior, iam corrigit Genadius, qui in Cat. (Genad.) par. ita. *Non hoc Mulier, vt quæ viri negligeret indignationem: sed memor Oraculi*, Maior seruiet minori: *cui sanè in tantum confidebat, vt in eâ re accidere, nihil speraret aduersi.* Non est ergo hoc, Maritum Principem decipere, sed corrigere, non est hoc, se marito contumacem, sed se Deo morigeram exhibere, vt correctus Maritus, iam gratior apud Numen habeatur. Ideo Philo Episcopus, in eadem Cat. *Rebecca igitur, filium, quibus dignus erat, noluit defraudari.* Si enim dignior Iacob, quàm Esau, nisi correctus Pater, iam minus æquum ageret diuisorem. De cætero, & extra hos vrgentes casus, verissima est gnome D. Cyrilli, qui in Cat. Corder. qui ad illud Christi, ad Samaritanam: *Vade, voca virum tuum, & veni huc.* Luc. 4. vers. 16. Sic scribit. *Rectè profectò, veréque dici potest, fœmineam esse, fœminearum omnium, mentem, mollémque mulieribus inesse animum, qui nihil omnino possit, acutè sagaciterque concipere. Docilior autem natura virorum, & ad omnem rationem solertior, sobrietate excitata; & vt ita dicam, feruentiori, sublimiorique mente prædita. Et hâc de causa vt arbitror, virum suum vocare, mulierem iussit: tacitè illam, quasi rudem increpans, quæque sapientia rationum, sit expers.* Sciebat Christus, fæmellam viro carere: sic tamen dissimulauit notitiam, vt rudem fœminæ mentem, neque prædictæ aquæ mysteria penetrantem traduceret: quasi quæ nuptæ habitu incedebat, à solo marito, mentem & rationem esset mutuatura. Disce Princeps, disce Regina: Marito præbendæ doctrinæ grauitas; accipiendæ disciplinæ obedientia, vxori relicta est.

Luc. 4. 16. Fœmina, semper viri consilio indiga.

1491. *Libido, viros fœmineæ addixit seruituti.* Quæ cum ita sint, dubitabis meritò, vndenam hæc pestis, Palatia, non rarò, ingrediatur: quâ nonnulli Principes correpti, dum tot Populis, seueri dominantur, vxoribus tamen mollissimi subiiciuntur. Et quidem, meo iudicio, germanam causam vidit supra Oleaster (Oleast.), dum ait: *Libido virorum, ex Ministris, dominas fecit.* Experiuntur fœminæ, pulcherrimæ faciei suæ, pellacis sermonis, incessus venusti, cultus exquisiti illecebras, Maritos rapere: ab hisque, sub insano libidinis furore, non solùm amores, sed etiam adorationes posse extorqueri: hinc superbus illarum fastus, hinc tumor arrogans, quo mollissimis & captiuis horum affectibus insultant: hinc tenaci blandimento, hiantes trahunt, & simulato fastidio exurunt acrius, qui enim mirum, (vt
Plin. verba Plinij inuertam) si sub hac virorum luxuriâ non viderint, *quantam verecundiam debeant vxores maritis fœmina sibi?* Erit ergo prudentis Principis, libidinem coërcere, affectus prout expediat dissimulare: ne sub ipso castissimi connubij iugo, eadem patiatur, quæ supra fusissime, ab Amore turpi, prouenientia mala declaraui: & ab vxore subiicienda, indociles Amicæ mores, superba imperia, fastidia artificiosa, insanas iras, blanditias fucatas, & his omnibus peius, inconstantia vota, sustinuerit.

Erit autem Augustæ modestissimæ, talem se gerere, vt venustatis, pulchritudinísque dotes, quibus Maritum trahere posset, videatur ignorare. Rarum est, vt pulcherrima fœmina, talem se nesciat: sed longè rarius, & fortè, Phœnicis instar, singulare, vt venustissimam se agnoscens, obtemperet Marito. Obsequij reuerentia, erga Maritum, condecorat Augustam, qua tamen nunquam satis decorabitur, quæ aliunde ingenti se specie æstimat decoram, & *Laudato Pauone superbior*, sibi complacet. Parco profanis, vt soleo, quæ abunde suppeditat Andreas Tiraq. 2. lege Con. Gloss. 1. par. 2. paucis nostris, & sacris contentus ero. Commendauimus suprà n. 1486. promptam illam Reginæ Saræ obedientiam, qua semel à Marito instituta, nouo monito non egebat, vt se in consimilibus periculis, sororem appellari pateretur: ne scilicet Abraham de vxoris pulcherrimæ titulo, necem apud rapaces hospites, sed potius gratiam, à sororis vocabulo sortiretur. Illud miror, cur Sara, vel etiam primo monito, opus habeat: cur castissimis Mariti amoribus impensissima, & aliunde prudentissima, non præueniat consilio coniugem, & quem in pupillis sibi gestatum, tutissimum cupiebat: vltrò fœmineâ sagacitate, quæ vt supra dicebam, vrgentibus periculis, maior solet esse adhibendo remedio, non inuitet? Sed tu mihi pende, è solâ eximia Saræ pulchritudine, periculum hîc subortum: quid ergo mirum, si periculi remedium non aduerteret, quæ periculum ignorabat, Sara neque pulchram se, neque attrahendis alienis affectibus pellacem agnoscebat. Ideo ad illam Maritus: *Noui, quod pulchra sis mulier, & quod cum viderint te Ægyptij, dicturi sunt, vxor illius est, & interficient me, & te reseruabunt: dic ergo obsecro, quod soror mea sis, vt benè mihi sit, propter te.* Genes. 12. vers. item 12. Non dixit, *tu nosti*, sed, *ego noui*. Vbi vno verbo, sed suo Oleaster. *Non debet vxor cognoscere se pulchram, sed vir eius.* Certè non debet: quia duriùs periclitaretur Saræ virtus & obedientia, apud agnitæ sibi pulchritudinis præsumptionem: quàm apud Ægyptios vita Abrahæ, si maritus agnosceretur.

1492. *Vxor, non debet se pulchram agnoscere.* — Andr. Tiraq. — Gen. 12. 12. — Oleast.

Magis mihi mirum est, quod iam à Marito hic, de venustissimæ pulchritudinis dotibus admonita, & apud Pharaonem, periculum experta: adhuc tamen non aduerteret, quàm sibi ab hac deinceps, Maritóque foret percauendum. Rapitur postea à Rege Abimelech, coniugij Patriarchici ignaro, qui tamen à Deo flagellatus, & monitus, intactam restituit: iámque dimittendæ, præbitis mille argẽteis, subiungit: *Hoc erit tibi, in velamen oculorum, &c.* Gen. 21. v. 16. ita ne? tam apertum vultum illum, aspicientibus lubricum, gerebat Sara, vt cauti, & perigrini Regis, & monito, & dono egeret adhuc Sara obuelanda? planè: quia quæ aliunde credula, & obedientissima erat Marito: sic erat humilis, vt in hoc vno fidem illi præstare non posset, qua laudatam 1493.

Vxor modesta, non solùm pulchram se ignorat, sed nec etiam id credit affirmantibus. — Vers. 21. 16.

ab illo pulchritudinem, ratam haberet: tam longè à propriæ venustatis superbiore notitiâ, vt quæ omnibus pulcherrima, sibi semper deformis, nec allectura extraneos, putaretur. Fauet Guillelmus Hamerus, ad hunc locum. *Fuit Sara, per omnes ætatis gradus, eximia corporis specie, & liberali facie, honestâque: sed hæ, tanta forma, dotes sic in illa erant; vt magis aliis conspicuæ essent, quàm quod in se agnosceret, vel in fastum, superbiaque causam verterit; neque aliorum virorum oculos, forma sua sollicitare volebat, vt quæ Abrahæ viri sui gratiam, satis esse putabat.* Et paucis, ad scopum alium interiectis, concludit de Rege. *Amplissimis muneribus illam cumulauit, adiecitque etiam mandatum, quo in posterum meminisset, vt oculos contegeret, neque curiosius omnia collustrare vellet, & viris, cupiditatis facem accendere.* Quid mireris sanctissima Saræ obsequia, erga coniugem, obedientem fidem, quæ sic, pulchritudinis suæ, ignora & incredula persistebat?

Guil. Ham.

1494. *Fœmina, postquam se pulchram agnouerit, latere debet.*

Defertur in iudicium, Heroina pulcherrima Susanna; cogitur apud reos lasciuósque senes, innocens pudicitia, causam dicere: videbatur innoxius spiritus, purissima conscientia, apertam faciem, detectum vultum gestaturus, vt quæ intus latebat innocentia, foris radiarit: nam faciei velum, vultus inuolucrum, accusationis pudorem innuebat. Pudor autem contractus, admissæ culpæ indiciis, solet patrocinari. Et tamen velata facie venit Susanna, vnde dicitur: *At iniqui illi iusserunt, vt discooperiretur, erat enim cooperta, vt vel sic satiarentur decore eius.* Dan. 13. vers. 32. Quamuis nosceret, de pudoris confusione, suspectam reddi. O quid non reuelata facie processuras, fœmina prudentissima, vt animosior, & de auxilio diuino confidentior, insultare calumniatoribus videreris? Cauebat credo, ne conspecta ab aliquibus amaretur: vnde mallebat confusionem potius passa, quam scandalum faciens existimari. At, inquis, si id ita foret, cur non pridem & ante accusationem velata incesserat? respondet ad rem nostram, acutè Tertullian. lib. de Cor. Mil. cap. 4. vbi post alia, ita. *Merito abscondens decorem, vel quia timens iam, placere: Cæterum in stadio Mariti, non putem velatam deambulasse, quæ placuit.* Pende illud. *Timens iam, placere:* quasi ante, non timeret, ac proinde incederet discooperta. Scilicet nesciebat, se pulchram, Susanna, & captiuandis oculis potentem: postquam vero, non tam proprio fastu, quàm aliena seniorum lasciuia amabilem se agnouit: merito abscondit decorem, præcauens, ne placeret. O quot hodie damna, ab speculari vitro, fœminis incubant!

Dan. 13. 32.

Tertul.

1495. *Quàm suauium Sanctorũ coniugũ concordia assistat Deus.*

Sic optime moratis regiis coniugibus, (dum quisque, in suo gradu, continetur) incubat concordia, hæret suauitas, fauet Deus, vt nihil inter eos dissidij oriatur, vt castissimo amore, & reciproco affectu. Per summam iucunditatem perfruantur. Ideo excitatus Daniel à Deo, ibidem vers. 42. qui punitis impiis Iudicibus, amabiliorem Marito redderet vxorem. Est in hac re suauissimæ curæ, gratissimi leporis exemplum illud Angelorum, quos Abraham exceperat conuiuio, de quibus suprà, num. 1485. Promiserat Angelus filium, vt vidisti, & riserat Sara dicens: *Postquam consenui, & dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo?* Genes. 18. vers. 21. Increpat ridentem Saram Angelus; apud Maritum, sic verba refringens: *Quare risit Sara dicens: num verè paritura sum annus?* Vers. 13. Quid benè Angele, verba Saræ detruncas? & se *annum*, & maritum, *vetulum* appellarat: cur illud reperens. Secundum hoc dissimulas? respondet salsè Abulensis: *Hoc fecit Angelus subticens veritatem, ne poneret discordiam, si forte diceret, quod Sara vocauit senem Abraham.* Nescio vnde, at certè videmus, Maritos etiam iustos, duriusculè ferre, si ab vxoribus vituli denotentur: has ergo etiam minutias, obseruauit Angelus, ne sanctissimo coniugio Principum heroicum, vel hoc leue iurgiolum intercederet: cui aliunde, optime instituente Marito, promptissimè obediente Sarâ, totius suauitatis concordia debebatur.

Gen. 18. 21.

Abul.

VI.

Ingentis virtutis est, si Princeps, Filiis fortiter imperet: in quibus post obitum, fœliciùs spirare præsumatur.

Paucis, Principem, circa vxorem, informauimus: paucioribus, circa filios instituamus. 1496.
Optimum in primis illud monitum Apollonij, apud Philostratum lib. 5. Qui ad Vespasianum, ita. *Filij duo, tibi sunt, ô Rex: & hi quidem, vt fertur, generosi; ipsis igitur fortissimè impera: nam si illi aliquid fortasse deliquerint, tibi profecto calumniam afferent. Minitare quoque te illis, regnum non traditurum, nisi boni, honestique esse, perseuerauerint: neque tanquam hæreditatem aliquam, Imperium existiment, sed quasi virtutis, honestatisque mercedem.* His verbis suo ordine insistemus, quorum peracta illustratione, totum Politicorum nostrorum opus absoluetur. Mollissima est Parentum indoles, erga filios, vnde ingenti virtute opus est, vt illis queat, quantum par est, fortissimè imperare: ferè enim in singulis filiorum, aliquid aucupatur Parentum teneritudo, vnde quasi ex æquo, indulgenter in omnes afficiatur. Eleganter Quintilianus Declamat. 5. in fratrem querulum, quod alter à Patre, plus diligi videretur. *Pessimus est Mortalium, qui amari fratrem suum, sine sui charitate, putat: tu custodies, vtrum frequentius osculer? vtrum astringam magis arctiori amplexu? Non est hoc impatientia, nec circa Patris affectus, sacra, de pietatis contentione, rixa: cum tantum fratrem, putas amari magis, quem non ames. Falleris iuuenis, longéque te, ab intellectu rerum natura, seposuit praua persuasio: qui putas, ex paternis affectibus, filio perire, quidquid in altero, de necessitate præponderat. Par est, in omnes liberos, eadémque pietas; sed habet in aliquo plerumque, proprias indulgentiæ causas: & salua charitatis æqualitate, est quiddam, per quod tacitè mentis instinctu, singulos rursus, tanquam vnicos amemus. Hunc, primus nascendi locus: illum, gratiorem præfecit infantia: alium, lætior vultus, & blandior, osculis amplexibúsque, faciles: quosdam, magis seueritas probitásque commendat: in quibusdam, diliguntur impatientius calamitates: & damna corporum, debilitatésque membrorum, notabilius miseratione complectimur. Salua est tamen*

Philost.

Filij. quomodo instituendi hæredes, ne horum vitia, Parentes fœdent.

Quintil.

Singuli filiorum, aliquid speciale habent, vnde parentis affectum, se rapiant.

Filius calamitosior, sæpè indidem ardentius amatur.

men Vniuersitas, cum quidquid in alio cessare creditur, in alio restituit alter affectus: securus sis: non intercidunt ista, non pereunt: sed inuicem vincunt, præualent, cedunt. Iterum Declamat. 17. *Amant debilitates, complectuntur illum morborum, suppliciorumque pallorem, & in vires charitatis accrescit ipsa miseratio: non impedit ægra pietatis animum, deformitas: pulchritudo non auget: amare liberos, vnius affectus est.*

Filius calamitosior, sæpe indidem ardentius amatur. Quintilian.

1497. Sub hac ergo indulgentissimâ, de innatis affectibus, teneritudine: quid non ingentis virtutis requiratur, vt filiis iam possis fortiter imperare? De Machabæorum Matre, sic sacer Textus: *Supra modum autem Mater mirabilis, & bonorum memoriâ digna &c.* lib. 2. cap. 7. vers. 20. pende illud, *supra modum*: quasi non solum ingentem, sed omni admiratione maiorem, præ se gereret sanctitatis excellentiam, quæ cum delicatè videri posset, tam fortiter filios suos habebat, vt illis consilio, precibus, lachrymis, necem omni vita gloriosiorem imperaret: id quod expendens D. Cyprianus, epist. 2. ad Fortunat. sic scribit. *Admirabilis Mater, quæ nec sexûs infirmitate fracta, nec multiplici orbitate commota, morientes filios spectauit libenter, nec pœnas illas pignorum, sed glorias computauit: tam grande Martyrium Deo præbens, virtute oculorum suorum, quam præbuerunt filij eius, tormentis & passione membrorum. Cum sex punitis & occisis, superesset vnus ex fratribus, cui Rex diuitias & Potentatus, & multa pollicebatur, vt crudelitas eius & feritas, vel vnius subacti solatio foueretur, & pateret, vt ad filium deijciendum: secum deprecaretur & Mater: deprecata est illa, sed vt decebat Martyrum matrem, vt decebat legis, & Dei memorem, vt decebat filios suos, non delicatè, sed fortiter diligentem.* Sola singularissima virtus, & supra, vsitati tenoris conditionem, in tantum sufficit. Huc tamen debet animosissimus meus Princeps, erga filios anhelare, ne à prædicta fæmina, & vir, & sub purpurâ obæratior, confundatur. Sed quid Heroinam, Dei lege instructissimam, hîc commemoro? pudeat Catholicos Principes, ab ethnicis mulierculis, sed illis constantissimis superari: quarum heroicam, apud profanos Scriptores virtutem, in filiis instituendis non molliter, sic etiam è nostris celebrat D. Basilius Seleucus, Orat. 1. de Lazaro. *Laconicæ mulieres, filios prælium inituros, hortari solita erant, vt vel scutum è bello referrent, vel ipsi mortui, super ipsum referrentur. Rubore profectò dignum est, Paganos tantum hic cordis ostendere; nos autem adeo turpiter & insolenter insanire.*

Strenuæ virtutis est, filijs fortiter imperare.

2. Mach. 7. 30

D. Cyprian.

Heroica aliquarum Matrum virtus in filijs instituendis.

D. Bas. Sel.

1498. Sed quando non generoso sanctitatis stimulo erga filios fortissimè imperandos, Princeps animaretur: hinc saltem excitari deberet, ne filiorum vitia, quæ dissimulat, ipsi per summum dedecus, tribuantur: vt dicebat citatus Apollonius: cum aliunde illa sit Inclytorum Principum gloria, vt in filiis generosè baptizantibus, ipsi illustrius quàm in se, spirare videantur. Paterna iam benedictione, natu maioribus filiis affectis, sic tandem ad Ioseph suum, Patriarcha Iacob, vere, *Princeps cum Deo*, id est Israel, totque futurorum stirps fœcunda, allocutus: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu.* Genes. 49 vers. 22. patheticè magis LXX. Interpretes, iterato tertio filiationis vocabulo, ita vertunt: *Filius ampliatus Ioseph, filius ampliatus, Zelatus, & filius meus adolescentior.* Vbi Ruffinus Aquileiensis (non ille meus, quem soleo citare) adhuc tamen Catholicus, sic addubitat. *Quid sibi vult, quod solus Ioseph inter fratres, tertio filius nominatur?* Lib. 2. de Bened Patriarch. ad Paulin. & merito addubitat: neque enim absque mysterio in tam longo Iuuenum catalogo, vix nomen filij vsurpatur: quasi ad vnum Iosephum, non vtcunque, sed multiplex seruaretur. Sed respondet aptissimè ad rem nostram. *Ego quidem pro paruitate sensus mei, intelligo, quod semel ei Ioseph, filius natus est, tunc cum ex Rachel, post desperationem suscipiendæ sobolis, renatus est. Secundò vero, cum ei, quasi iterum nascitur filius, cum ei, post persuasionem mortis, viuere nuntiatur. Tertiò vero ei filius efficitur, cum doctrinâ & eruditione, & his omnibus virtutibus, quibus ipse Deum videbat, erudiens eum & instituens, etiam in spiritu, eum filium procreauerat.* In nullo filiorum, eruditionis suæ, fructus sic vberes conspiciebat Iacob: natorum nullus, sic ad viuum paternas virtutes exprimebat: merito proinde, etiam priores duos, repetitæ filiationis titulos, huc adducit: quasi lætus, quasi non satiatus recolendi, multiplicem in hoc filiationem; in quo iam iam expiraturus senior, gloriosius viuere sperabat.

Non tam de sanguine, quàm de virtute, filium Pater agnoscat.

Gen. 49. 22.

LXX Interpr.

Ruff. Aquil.

Idem.

Sic fac mi Princeps, sic seuerè ad virtutes tuas, filium compone, vt in illo, post obitum, animare fælicius videaris. Dæmonem fuisse, qui sub coniugis specie, Iobum è regno iam deturbatum, è religione deiicere conabatur, cap. 2. vers. 9. cùm Patres, tùm Interpretes multi existimarunt. Et licet in nostrâ vulgata, vno verbo tota tentatoris oratio exprimatur: at longissimam fuisse, ex Græco Textu, quem legeris, constat apertissimè: in qua illud obscurum, quod præ aliis desperationis stimulis, Dæmon sic acuit. *Ecce enim deleta est memoria tui, è terrâ.* Vnde enim Iob memoria deleta dicatur, qui ab infortuniis suis, latiùs, licet funestiùs, quàm à throno memoriam compararat? ignauos sæpe Principes, quos fama, tenebris suis sepultos, conticeret: sæpe ingens aliqua ruina celebrauit. Multi Principes ad Iobum officiosè venisse legimus in sterquilinio sordescentem, quos fortasse è Palatij splendore, non attraheret. Qualis est ergo memoria hæc deleta? respondet D. Ioannes Chrysost. in Cat. Gr. *Artificium perspice, neque enim meminit, aut boum, aut ouium, aut camelorum: sciebat enim harum amissione, haud magnopere illius animum exulceratum esse: ad naturam statim properat, ac filios reuocat in memoriam: siquidem in eorum ruinâ, tunicam, illum discidisse cap. 1. vers. 20. comamque totondisse, vidit. Nec dixit, filij perierunt: sed nimis patheticè: Ecce enim deleta est, memoria tui, è terra. Idcirco liberi expetuntur: principio enim, ideo expetebantur filij vt sui quisque memoriam, suaque vita quasi reliquias, Posteris traderet. Quia enim nondum mortalibus illis spes fulserat resurrectionis, verum mors dominabatur: & vna, cum vita hac, qui moriebantur, extingui se arbitrabantur: ideo illis liberos, qui solatio essent, concessit Deus: quo viuæ imagines morientium permanerent.* At sanctissimo Regi Iobo, etiam spe resurrectionis suffulto, non poterat non summo dolore esse, viuis illis imaginibus carere, quas ad virtutum suarum exemplar delinearat: & sanctitate magis, quàm sanguine reddiderat spirantes; Si enim filij nequam, damnabilésque fuissent,

1499.

Iob. 2 vers. 9.

In bene institutis filijs, Patris memoria perennat

D. Io. Chrys.

In malis vero filiis, Parentes damnantur. nunquam callidus tentator, iusto Patri, illorum mortis memoriam refricaret. qui si viuerent potius in Parentis, Patriæque labem, futuri nocebantur. Hinc Auctor Apophth. lib. 5. de Catone Seniore; *In quendam inimicum probrosæ vitæ: Huius, inquit, Mater, cum Deos orat, vt sibi filius sit superstes, non precatur, sed imprecatur. Sentiens illam, & sibi, & Reip. precari magnum malum.* Per hos tales filios superstites, non tam viuunt, quàm ad perpetuam infamiam prolixius mori, denotantur Parentes. (Auct. Apop.)

1500. Meritò proinde sanctissimus Rex prædictus, audita totius Imperij sui ruina, intrepidus perseuerans: ad filiorum occisorum nuntium, iusto dolore concussus, *Surrexit, & scidit vestimenta sua, & tonso capite, corruens in terram, adorauit, & dixit: nudus egressus sum de vtero Matris meæ, & nudus reuertar illuc: Dominus dedit, Dominus abstulit, &c.* Cap. 1. vers. 20. & 21. (Iob 1.20.) Quasi tunc se solummodo nudum, & vndique spoliatum existimaret, cum orbum se agnouit: nil imperij iacturam doliturus, si filios optimos superstites reliquisset. Hinc illa vox Prototeginæ, quæ edito Cain, dixit: *Possedi hominem per Deum.* Genes. 4. vers. 1. Exaltationis vox est: quasi priscam iacturam hinc maxime consolanda, vix iam sentiret. Dionys. Carthus. ibi. *Ac si gratulans, & seipsam consolans, dicat: quamuis Paradiso priuata sim, & in exilium istud proiecta, ac multis ærumnis addicta: attamen, Deo largiente, ex copula viri, adepta sum fructum istum.* Putabat nimirum hac vna possessione, amissas sibi tot alias resarciri. Vnde Oleaster: *Vocat filium Possessionem, quia quondam, magna possessio erat, multitudo filiorum, &c. Neque improbes eos qui vertunt:* Acquisiui seu possedi virum, & Dominum. *Quoniam iam videbatur Domino reconciliata: cuius signum fuit, dare prolem masculam illi.* Scilicet timuerat Eua mortem sibi indictam: cui iam, per filios, in quibus se sperabat fælicius respiraturam, insultabat. Tale est Imperatoris Antonini Pij, Apophtheg. lib. 6. Vbi ita. *Biduo, prius quam moreretur, admissis Amicis, aperuit sententiam suam de filio eandem, quam Philippus de Alexandro, dicens, se æquo animo mori, cum filium relinqueret.* Quamuis enim tam Eua, quàm Antoninus, in filiis, qui pessimi fuerunt, fallerentur: tamen ex opinione sua, qua optimos futuros præsumebant, meritò in illis, fælicius sibi sperabant, respirandum.

In bonis filiis, viuunt diutius Parentes. — Dionys. — *Quantum sit à Deo beneficium, bonus filius.* — Oleaster. — Auct. Apop.

VII.

Qualem sibi Hæredem, Princeps optare debeat.

1501. Apud Phil. ADdebat Apollonius, ad Vespasianum de filiis, vt vidisti: *Mimitare quoque, te illis, Regnum, non traditurum, nisi boni, honestique esse, non perseuerauerint; neque tanquam hæreditatem aliquam Imperium existiment, sed quasi virtutis honestatisque mercedem.* Vtinam id hodie Regibus liceret, neque tàm vano, strictæ hæreditatis iure, etiam in degeneres filios, Imperium transfundere cogerentur. At, quando id vix vnquam, in vsu; tales tamen se, in Hæredum poliendo ingenio, virtutibus dolandis, debent gerere, vt videantur illos potius ad virtutis paternæ, quàm ad transfusæ naturæ exemplar edidisse. Talem quidem se gesserat prædictus Antoninus, licet infaustiùs, voto non potitus: vnde commodus filius, de illo apud Herodianum lib. 1 sic in Concione. *Libentius me Commilitonem, quam filium vocitabat: quippe hanc, naturæ appellationem; illam verò, virtutis communicationem existimabat.* Sic sæpe moneat filios, Princeps optimus, quasi propudia Orbi apparari, si degeneres, plus sanguini, quàm virtuti paternæ, successerint Hæredes. Hinc Auctor Apophtheg. lib. 5. *Marcus Antonius filium habebat ex Fuluia: is puer, Philotæ dederat ingentem vasorum vim; quæ cum ille recusaret accipere metuens, ne Pater, tantam filij liberalitatem probaret: quid times, inquit puer, accipere? an nescis eum qui dat, filium esse Antonij? Ipse Antonius cum esset prodigiosè profusus, dicere solebat: Amplitudinem Imperij Romani, non per ea, quæ acciperet, sed per ea, quæ daret, illustrari.* Sic prodigam liberalitatem, quàm tamen virtutem Antonius æstimabat, Hæres sibi commendabat transfusam: quasi hinc vberius Patrem fælicitaret.

Princeps, relinquendam hæredem, probè instituat. — Herodian. — Auct. Apop.

Ita est, mi Princeps; fæliciores & tibi & sibi, relinquis hæredes: quos non tàm amplo regno, quàm ingenti virtute cumulaueris. Satis nouerat sanctissimus & prudentissimus Princeps Isaach, quàm longo dotium omnium incremento, Iacob minor, fratrem Esau maiorem superaret: nec quisquam iure poterit dubitare, modestissimam Rebeccam, oraculum à Deo acceptum, cap. 25. vers. 23. fore, vt maior, minori deseruiret, obseruantissimo coniugi, non semel aperuisse. Quis ergo ibi non hæreat, quod totis viribus contenderit Isaac, benedictionis suæ titulis afficere Esau, digniore Iacob exhæredato? quis non miretur solum piis dolis Rebeccæ, debitum sibi priuilegium, Genes. 27. vers. 5. obtinuisse? data opera culpam affectasse sanctissimum Isaac, iam moriturum, sola impietas temerè præsumat: vnde autem piè, in hæreditate, postpositum velit Iacob, quis, aut vnde coniectauerit? soluit hunc nodum acutissime Philo Episcopus in Cat. par. Vbi ad hunc locum ita. *In deteriorem filium, deflectit Pater benedictionem, non quia meliori præferret: sed prouidens, alterum suâ virtute, semper fælicem fore: alterum suis moribus prolabentem in peius, benedictionis fulcimento indigere. Rebecca igitur, filium Iacob, quibus dignus erat, noluit defraudari: Isaac, Esau defectum emendare cupiebat.* Videbat nimirum, licet caligans oculis, oculatissimus Pater, nunquam exhæredatum posse Iacob existimari, quem, fælicior tot virtutum hæreditas beabat: deteriorem ergo Esau, quem in peius semper præsumebat ruiturum, vtcunque benedictione fulcire satagebat: illum ergo hæredem, heroicæ sanctitatis patrimonio, & Patri & sibi faustissimum, iam instituerat; cui proinde necessaria temporalium vbertas adiiceretur: hunc autem benedictionis legato affectum cupit, ne ex vitio, in fœdissimam etiam inopiam prolaberetur. Auget quippe Princeps temporarium Imperium etiam, aut corrumpit: prout hæredem suum, bonis aut prauis moribus relinquit imbutum.

1502. *Fæliciorem relinquit hæredem, quo non tàm opulentia, quàm virtute mactat.* — Gen. 2.13. — Phil. Carp. — 1503. *Si naturam, & non virtutem attendis, in hæredis eligendi iudicio, deciperis.*

Falleris Princeps, si quid in hærede tuo à natura,

turâ,

turâ, & non potius à virtute aucuparis. Orbis Protoprincipes, Primogetum vocarunt *Cain*, id est, *possessionem*: quasi in illo, nihil non à bona fœlicique fortunâ, possidendum sperarent: secundum filium vocauerunt *Abel*, id est vanitatem: tanquam si ventis traderent, vt vilissimum, quidquid ab hoc veniret sperandum: Genes. 4. vers. 1. vbi Gullelmus Hamerus, refutans merito eos, qui *Abel* interpretantur *luctum*, sic scribit. *Quod pace illorum dictum sit, luctus Hebraicè scribitur,* אבל: *Abel vero scribitur paulo aliter* הבל *& significat vanitatem: sic enim, prauo parentum suorum iudicio, appellatus est: tanquam nulla in eo spes esset, sed magis in Cain, vt qui solet humanum sæpe falli iudicium.* Si a item quæras vnde tanti erroris iudicium, quod postea tot doloribus deprehenderunt: certè in causa fuit, quod Naturæ ius, primogenituræ titulum, non speratis, vtriusque indolis, indiciis, solùmodo inspexerunt. Non hinc suadeo (aliæ vrgent leges, nescio an æquiores), vt spreto natiuitatis iure, electionis arbitrio sanctiorem è filiis, Hæredem instituerіs: id enim solùmodo volo, ab hoc exemplo discas, non tam tibi in Primogenito attendendum, quid è sanguine dederis, quàm quid è virtute transfuderis: ne hæredem, in spem augendi Imperij relictum, doleas euersorem: sicut Cain, naturæ iure inspecto, Parentibus gratissimus, spes ingens: per se, posterosque fœdissimos, Orbi diluuium induxit, suâ magis ruinâ, quàm tot vndarum vorticibus consepulto.

1504 *Hæres, plus moribus, quà sanguine hæreat instituteri.* Non sollicitas Hæredis tui, gloriam digniorem, à quo, Imperiis potius, quàm moribus, te cupis repræsentandum: hæc enim hæredis gloria singularis, si non tam successione dominij, quàm imitatione virtutis, hæreat institutori. Heroicam Christi Domini genealogiam descripturus Matthæus sic incepit: *Liber Generationis Iesu Christi, filij David, filij Abraham.* cap. 1. vers. 1. (Matth. 1.) Præcesserat longissimo tempore Dauidem, Abraham; vnde & in catalogo, merito videbatur præcessurus: & tamen præponitur Dauid: quasi ab hoc, tanquam à præcipuâ stirpe, generosissimus surculus, Christus Iesus, condignius veniret numerandus. Sed nunquid sanctior, nunquid fidelior Dauid, quàm Abraham? nullo modo, si ad vtriusque scripta gesta attendimus. Quid ergo? quia ad mysterium hæreditarij Regni, opus fuerat, vt Messiæ actiones, plus Dauidem Regem, quàm Abraham exprimerent Patriarcham: illius ergo filius & hæres prius appellatur, cuius tenorem in regno acquirendo, cuius gesta (licet immensùm dignius & gloriosius) æmulari videbatur. Sic enim apud Iudaicam proteruiam, condigni hæredis, & regno successuri, fidem faceret: si eisdem gradibus, & quasi recalcatis vestigiis, quibus olim Dauid, ad thronum ascendisse nosceretur. Manuduxit me huc D. Athanasius, Homil. de semente: vbi ita. (D. Athanas.) *Fuit, apud Priscos, Rex quidam Dauid, principio quidem Pastor, postea Rex, à Samuele, in regnum inunctus: verùm, qui non statim ad Regnum peruenerit, vt qui multis interim annis seruierat Sauli: patiebatur ille insidias Saulis: congruum siquidem erat, Proauum sui Nepotis, aliquas similitudines, in se præferre: atque hinc est illud, liber generationis Iesu Christi filij Dauid.* Sic refert Christus, quas Pater olim prætulerat similitudines: eratque Iudaica contra Iesum persecutio, hæreditarij iuris, ad Dauidicum regnum, confirmatio: quasi indecora putaretur hæreditas, ni paternam indolem, quantum decebat fieri, hæres repræsentaret. Quid non iam diuinum Patrem, ad viuum repræsentaret Christus, qui terrenum, sic putauit exprimendum? Disputabat acutè Tertullianus lib. 4. cont. Marc. cap. 10. Creatoris, in veteri testamento expressi, filium fuisse Christum: deinde Christi, ignoscendis peccatis, misericordiam, euangelicis exemplis confirmans: sic conuincendo hæretico, concludit. (Tertul. *Filius, virtutes paternas referat.*) *Sed, etsi nihil tale, in Christum, fuisset prædicatum: haberem huius benignitatis exempla in Creatore, promittentia mihi, & in filio, Patris effectus: video Niniuitas, scelerum veniam consecutos, à Creatore.* & bene *promittentia*, ac proinde infallibiliter adimplenda: Nec enim poterat Pater, filium constituere, *Hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula*: Hebr. 1. vers. 2. & hunc degenerem: nec poterat filius condignus & generosus hæres haberi: (Hebr. 1. v. 2.) nisi à paternis virtutibus, apertissimâ consequentiâ, consimiles effectus in illo probarentur.

Inter sacras, cælestis promissionis delitias, qua Abrahamo condignum filium Deus pollicebatur: Genes. 17. vers. item 17. Addit statim ad Deum Patriarcha: *Vtinam Ismael viuat, coram te.* vers. 18. ad quem tunc Deus: *Sara vxor tua, pariet tibi filium.* vers. 19. Lxx Interp. præponunt particulam *καί etiam*: hoc sensu *etiam*: *Sara vxor tua* &c. Quasi dicat: etiam ita fiat, quæ pro Isaac promisi impetrabis: Sara vxor tua pariet tibi filium &c. & tandem subdit: *Super Ismael quoque exaudiui te.* vers. 20. Non est facilis loci concatenatio: promisso iam sibi Isaac, pro Ismaele supplicat Abraham: & cum facilius videretur responsurus Deus, super hoc quoque exaudisse Patrem, non id simpliciter fecit, quin prius insereret Nouam promissi Isaac confirmationem: vnde D. Ambros. lib. de Abrah. 2. cap. 11. *etiam, cum dicit, confirmat promissa: confirmatiuum etenim verbum est.* Sed cur ita? cur in fauore & gratia Ismaeli præstandâ necessario Isaac promissiones iterantur: nec Ismael simpliciter, sed post Isaac exprimitur benedicendus? respondet citatus Ambrosius, sed loco deprauato, quem tamen à mendo typico, in tui gratiam corrigere tentabo: in omnibus enim Codicibus, quos videre potui, sic legitur. *Sicut Testamenta hominum, prius hæredem ferunt, postea legatum exprimunt: melioribus hæreditatem, inferioribus legata: ita in Deum in testamento vnum, & nos hunc morem accepimus: hæres scribitur, à naturâ bonus, nobilis, legitimo creatus coniugio: Legato donatur inferior.* Explica, si vales, illa verba: *Ita in Deum in testamento vnum & nos hunc morem accepimus*: dumque non valemus aptiùs, interim corrigamus. *Ita in Dei testamento, vnde & nos, hunc morem accepimus.* Vtcunque tamen legas, clarissime intelligis, cum Abrahæ hæredem, à Deo assignari, qui à naturâ bonus, id est, paterni sanguinis probæ indoli correspondens, quasi hæreditarias virtutes Abrahæ referret: solummodoque quasi in appendice admitti Ismaelem, ne si solus & seorsim apponeretur, non tàm legatarius, quam hæres, licet tenuior, licet non ex æquo, cum fratre crederetur.

1505. (Gen. 17. 17. — Vers. 18. — Vers. 19. — Lxx Interpr. — Vers. 20. *Nec tantum germanum hæres, qui Institutoris virtutem repræsentat.* — D. Ambros. — Idem.)

1506. *Iniquos hæredes, opulentia ipsa damnat.* Non ergo Gloria, sed dedecus foret Ismaeli, si tam dispar moribus, hæres nihilominus Abrahæ diceretur: nec tam Pater illum bearet, quam tradu

traduceret, si absque virtutis priuilegio, in hæreditatis consortium admitteret. Sunt pulcherrima, in hanc mentem, verba illa D. Ambrosij, lib. de Nabothe, cap. 13. Vbi ita contra degeneres hæredes. *Caue Diues, ne in te erubescant suorum merita Maiorum: ne fortè illis dicatur, cur talem instituistis? cur talem elegistis hæredem? non in auratis laquearibus, nec in porphyreticis Orbibus; hæredis est meritum: Laus ista, non hominum, sed metallorum est, in quibus homines puniuntur.* Latet in verbis, acumen non vulgare. Damnabantur olim ad Metalla noxij, & per summam infamiam in auri fodinis, lapicidinísque, auro, marmorísque eruderando, laborabant. Id ergo vult, grauissimo scommate S. Doctor, auri marmorisque pretiosioris vim, iniquis hæredibus relictam, non ad honorem illis venire, sed ad probrum: nam, sub ipsis auro radiantibus laquearibus, commorantes, mensarum, ex marmore porphyretico Orbibus, accumbentes, crustatáque, inde, pretiosissima sola calcantes, dum noxij degunt, non tam inter opes beari, quam ad metalla puniri, traducuntur, vt enim laudabilis aliunde, & diues metallorum vena, addictos reos infamat: sic iniquos hæredes, ipsa opum conspurcat beatitudo.

D. Ambros.

Absolui Numantiæ, IX. Kal. Iul. ineunte Peruigilio Præcursoris: Anno Domini 1642. Si quid Romanæ fidei, aut piis moribus, ex incuriá vel ignorantiâ obstrepat vel leuissimè, delendum rogo.

... ROMA VITTORIO EMANUELE

INDEX

INDEX RERVM, ET VERBORVM.

SOLVS NVMERVS MARGINALIS notatur.

A.

Absentia.

AMICI absentis negotia, quî curanda. 479.480
Absentis desideria, amorem arguunt. 481
Quæ sit præsens absentia, in Eucharistia. 1197

Admonitio.

Admonitio Principi danda, quam iste patienter debet audire. 559
Frustrà admonet, qui pari culpa obligatur. 560.
Seruanda in admonendo Principe summa reuerentia. 561.
Palpando id fit aptiùs. ibid.
Quanta in id prudentia requiratur. 562.
Quandoque audacem in monendo, libertatem admitto, sed prudentem. 563.
Prudens Monitor, non solùm latrans, sed etiam mordens ferendus. ibid.
Qui Monitorem punit, se traducit. 564.
Admonitio illis maximè necessaria, qui se illa non credunt indigere. 1275.

Adulatio.

Adulatio tanquam sputum fœdans. 30.
Huius augurium infaustum. 32.
Adulatorius plausus qualis. 36.
Pestis adulatoria. 103.
Zelus impertunus. 162.
Mirus ardor in palpando. 164.
Conculcat religionem. 165
Deos fingit. 1091
Nihil Principi, periculosius. 1111
Emax est. ibid.
Adulatoris lingua, locusta: adulatio autem, vera mors. 1112
Adulator, Dæmonis sagittarius. ibid.
Ipsa adulatione, punitur Princeps. 1113
Adulatio, culpæ nutrix. ibid.
Et futuræ pœnæ fomentum. 1114
Principem in semetipsum armat: ipse adulator, seuerissimus vltor est, nulla quippè Dei maior ira, quàm adulationis permissio. ibid.
Adulatio, futuram pœnam accelerat: machina quippè Inferni, ingeniosa: & supplicij catasta. 1115
Principem, deceptionibus turpiter coronat. 1116
Adulator, cur Canis dicatur. 1117
Sanguine alieno saginatus. 1118
Carnem deuorat, dum vitia abscondit, & virtutes extollit. 1119
Scorpio est, omni carnifice sæuior. 1120
Eius iaculum, quo mollius, fit robustius. 1121
Adulatio, instar Apis, mellita & aculeata: eiúsque industria emax. 1122
Adulatio, sub specie contumeliæ, efficacissima. 1123. & 1124.
Sic velata, quàm sit periculosa, & sagax. 1125
Scala nimirum est, in arcem munitissimam, paratissima. 1126
Quæuis malitia, redditur per adulationem, effrænatior. 1127
Tormentum est, animæ deturbandæ. 1128
Ignis est sæuissimus. 1129
Adulatores, Principi imperant. 1130
Eiiciendi protinus. 1131
Animus adulatione languescit, & euiratur. 1132
Et in vertiginem, cogitur. 1133
Prisco occulta, grandis adulatoribus voluptas. 1134
Adulator infamat, quidquid laudat. 1135
Vera etiam laus, ab hoc, mendax venit. 1136.1137.1138.
Adulatio, Aulicis adnata. 1139
Adulatio impudentissima, Principes, in Deos euebit. 1140. 1141. 1142
Scilicet, vt inde Principibus vtatur, pro seruis. 1143. 1144. 1145.1146
Adulator, suis verbis redarguendus. 1153
Instar Augurij, vitanda adulatio. ibid.
Vide *Laus.*

Adulterium.

Adulteros, tenebrosa caligo circuncingit. 1083. 1084

Ætas.

Ad officium, non attenda ætas sera, sed seria. 646
Iuuenis, de virtute senescens, admirabilis. 647
Solùm in Consiliariis, ætas prouectior, attendendá. 650
Seniores, ad consilium æstimandi. 651.656
Vide *Senectus. Minister.*

Ambitio.

Totum Orbem subigere, contendit ambitiosus. 228
Eo ipso, quòd ambis, honore redderis indignus. 616. fusè.
Idem. 670. 671
Versuta ambitio, fingit se nolle, quod cupit. 620
Ambitio, pulchrè punita. 764.765
Per ignes, & mortem ruit, si opus est. 1149
Vitiorum radix. 306

Difficulter extirpatur : ideo præcidenda ambitionis occasio. 307
Frustrà laborat, nec intelligit, dum sibi nocet. 308
Viles & degeneres animos arguit. 309
Miserrimè seruit. 310
Non nisi per abiectissima seruitia, parat sibi imperium. 311
Seruitus ambitionis, turpiter adoratur. 312
Ambitio ascensura, descendit. 313
Ridicula huius seruitus. 314
Ambitio, intricatus labyrinthus. ibid.
Ambitionis vanitas, grauissima : ideo argento viuo comparata. 315
Et leuitas onerosa. 316
Ambitionis statio defatigata. 317
Ambitio, Pseudomartyrium. 318
Ambitio, nequit respicere. 320
Chamæleonti componitur. ibid. & inde fusissimè.

Amicitia.

Amicorum probitas, ad laudem Principis. 219
Princeps nequam, prauis amicis subditus. 220
Præcidenda, amicis, ambitionis occasio. 307
Inter Principem, & subditum, nunquam vera amicitia. 353
Amici nomine, apud Principem, solus Consiliarius appellatur. 410
Amicis charus, ipsa Cura est. 479
Amicus reconciliatus, impensius honorandus. 586. 587. 589
Amicorum officia. 899. 900
Princeps imprudens, vltrà modum euehit amicos. 1151
Amicitia, mutua necessariò est : peruersè in hâc re, affectus iudicio præponitur. 346
Principi, quales amici eligendi. ibid.
Non sit tibi Amicus, qui Amicorum tuorum, non est amicus. 347
Amicus probè electus, cur tenaciter retinendus. 348
Amicitia Principis, inconstans : ideo parui facienda. 349
Amicus, apud Principem, Pila, & calculus supputatorius. ibid.
Amicitiam ita scinde, quasi iterum reconciliandus: prudentem ergo tenorem, inter amicos, & inimicos, obserua : & consanguineos potiùs desere, quàm Amicos. 350
Reconciliatio amicitiæ, semper suspecta : & qualem te, erga reconciliatum Amicum, sis gesturus. 351. 352
Vide *Fœdus.*

Amor.

Amor, celare secreta nescit. 408
Absens amor desiderio torquetur. 481
Amor Principis sit communis. 546. fusè.
Amor Primarij Ministri, erga Principem. 557 fusè.
Amor alieno testimonio, non probatur. 558
Amor erga Principem, reuerentiam iungat. 696
Amoris nostri, Deus ambitiosus. 818
Amor sanctus, solùm verus. 1072

Amor turpis.

Huius descriptio, & prisca Imago. 1063
Facillimè in odium commutatur. 1064
Inconstans, pennatus, & in odium versus. 1065
Varia, turpis amoris hypocrisis. 1066. 1069. 1072. 1074. 1081. 1085.
Bestializat homines. 1066
Ab illo, seniores ridiculè infantiunt. 1067
Amor iste, verecũdiâ olim habuit Pronubam. 1073
Quamdiu inhæreat, & insaniat. 1074
Grauissimè premit animum. 1075
Quàm differat, à casto Amore. 1076
Mollis, & crudelissimus. 1077. fusè.
Cæcus. 1081
Et excæcans. ibid.
Vide *Luxuria.*

Angelus.

Angelorum Sanctorum, in nos, pietas & suauitas. 474. 475. 476. 846
In extremo Iudicio, quales. 919
Bella nostra oderè. 1389

Anima.

In quanto pretio, apud Deum, sit anima nostra. 100
Peccatoris anima aërea quodammodò in aëre efflatur. 765
Animæ desidi, Christus furtim abripitur. 792
Animas illustres, pompaticè apud Inferos excipi, credebant Ethnici. 871
Anima, in carne delitiosâ, sepelitur. 684
Inde, in Infernum commigrat. 986
Anima peccatrix, quodammodò est terrena. 996
Ideo Dæmonis pabulum. 997
Animarum gubernatio, ars artium est. 1272

Appellatio.

In eâ causâ, quæ sibi, per appellationem defertur : attentissimus procedat supremus Iudex. 533. 534

Apostolus.

Pseudoapostoli, sunt detractores. 285

Arbitrium.

Pestis Reipubl. sunt illi, quos vulgò dicimus Arbitristas. 16

Arbor.

Per arbores proceres, Dynastæ significantur. 229
Lapsus Princeps, prostratæ arbori comparatur. 233
Arbor sepulchralis, apud Arabes. 1102

Aristoteles.

Aristoteles, prauè à Politicis intellectus, defenditur, & declaratur. 231

Astrum.

In astra, euectos homines, credebant ethnici. 872 1087. 1088
Stella cadens. 1090
Astrum Marianum, Magos duxit. 1223. fusè.
Vide *Lucifer.*

Astutia.

Astutia, absque simplicitate, damnabilis. 795
Astutia, pro sapientiâ venditatur. 1376
Vide *Bellum.*

Auaritia.

Auaritia, alumnos suos, spineo serto coronat. 30
Auaro Principi, auariores adsunt ministri. 166
Auarus minister, domini liberalis, exosus Deo. 167
Auaritia, pestis sæuiens. 176
Superbiæ coniuncta. 184
Tunc solummodò parcit cruori, cùm inde lucrum affulget. 185
Auarus, Antichristi magister. 186
A Canibus, meritò laceratus. 770
Auaritia, se ipsam prodit. 787
Suis verbis conuincitur. 788
Auari vita, furca est. 961
Et temulentia. 962
Non solùm pecunias cupit, sed has defossas. 1355
Auarus ab insensibilibus taxatur. 49
Seruilis conditionis est. 50
Non dominus, sed opum procurator. ibid.
Imò & procurator aliorum. 51

Non tàm possidet, quàm possidetur. 52
Diuitiarum Tyrannus. 53
Et subiugalis est. 54
Naturæ, & opum Carcer, est Auarus: harúmque Custos, non dominus. 55
Tinearum Condus. 56
Belli damna, sibi iudicens, & gementes opes incarcerans. 57
Quibus miser concarceratur. 58
Sacculis, & scrobe clausus, & tinearum cohæres. 59
Auro, animam consepeliens. 60
Inferni serpentis, esca. 61
Cor suum, Carcerem reddens, & stabulum. 62
Pro visceribus, pecunias habens. 63
Stercus fœtens. 64
Idololatra, cuius Deus nummus est. 65
Quot nummos, tot Idola colit. 66
Aurum adorat. 67
Et Monetarum Imagines, sibi consecrat. 68
Et semetipsum aureum colit. 69
Deum verum, nummis prosternit. 70
Auaritia, morbus incurabilis. 71
Diuinum medicum, reddit in angustias. 72
Pestis contagiosa, & insanabilis. 73
Huiusce contagij, mira vis. 74
Auaritia, hydrops. 75.76
Auarus, Midâ peior. 77
Auarus, eo ipso inops. 78
Vbique pauper. 79
Imo Mendicus. 80
Malè parta, peiùs perdit. 81.82.83

Auctoritas.

Auctoritatem, Princeps communicet Ministro. 583 fusè 1380
Non tamen illam sibi adimat. 593

Augurium.

Pessimum Adulationis Augurium. 32.1153
Metus, mendacissimus est Augur. 1404

Aula, Aulicus.

Principis vitiis, facem admouent Aulici. 161
His, Princeps, pro Deo est. 163
Miro ardore, Principem palpant. 164
Et suis vitiis infamant. 173
De alieno viuunt. 174
Legibus, ad vtilitatem suam, imperant. 175
Vnde sint, decipiendo Principi, efficaciores. 200
Iudæ, discipuli sunt. 260
Aulici generosi, suprà inuidiam. 261.262
In absentiâ, fideles. 263
Bona, aliis communicant. 264
Aulici imprôbi, laudant, vt noceant. 265
Zizania seminant. 267
Fraudes aulicæ, quomodò vitandæ. 268
Totius Aulæ modestia, à Principe. 330
Aulici, fauore Principis, audaciores in vitia. 334
Qui tamen, apud Principem, Pilæ sunt, & Calculi supputatorij. 349
Theologi, & Iurisconsulti Aulici, in grandi periculo. 468
Horologium absonum, est Aula, vbi non Ministri Principem, sed Princeps sequitur Ministros. 566. 567.568.&c. idem. 574
Aulæ zelotypia, circa Principis gratiam. 601.602. 603. &c.
Adulationis aulicæ venena. 1111. 1112. & inde fusissimè.
Aulici, veram doctrinam, stultitiam: & germanos Concionatores, vocant furiosos 1294. fusè.
Aulæ miseriæ, & pessimi mores. 234

Sicut Curia totius Regni, sic Aula, totius Curiæ, sentina est. 240
Ad ingressum Aulæ, Prudentes pauent: quasi ad Dæmonis congressum. 241
Aula contagiosa, Aulici nocentissimi, ideo sæuiùs puniendi. 242
Aulica inuidia. 243. fusissimè. idem 251. fusissimè. 256. idem fusè.
Aulicorum fraudes præposteræ: qui sint modestis Aulicis, euitandæ. 265. fusè.
Aula mendaciis conmutrita: vnde aut penitus obsurdescit, aut segnior assurgit veritati. 270. fusissimè.
Mendacia hæc infamia & proditionis suspecta, quàm sint, Aulicis probis, fugienda. 725
Aulici, Detractatores. 281
Pseudoprophetæ. 282.283.284.
Pseudoapostoli. 285.286
Pseudointerpretes. 287.288
Detractores spinosi. 289
Inuicem corrodentes. 290
Probus Aulicus, susurro non præsumitur. 291. & inde fusè.
Aulicorum sermo, & halitus, venenatus, ad contagium. 295. 296. 297. 298. & inde fusè.
Aulica ambitio Cordi infixa, & menti inludens, quomodò à generoso pectore euellatur. 306. fusissimè.
Aulica ambitio, est seruitus adorata: vanitas aggrauens, statio defatigans, Pseudomartyrum. 310. fusissimè.
Aulicus, Chamæleon, ieiunus, non respiciens, vento pastus, colores mutans. 320
A Principis vultu, mutatus. 321
Diuersimodè coloratus 322
Sed nunquam candidus. 323
Cuiuis Principis placito, semper adhærens. 324
Principis mores, etiam calcatâ consanguinitate, imitatus. 325
Ab huius vultu pendens, & illius colore, concoloratus. 326
Et semper cum Principe mutatus. 327
Aulica luxuria. 1065. fusè.
Aulica Gula. 1037. fusè.

Aurum.

Auri terrena conditio. 60
Aurum, instar Dei, colitur ab auaris. 67
Aurum, diuitum vitia bracteat. 201

Austeritas.

Vide. *Clementia*, *Crudelitas*.

Auxilium.

Congrui Auxilij natura. 119

B.

Baculus.

BAculus, in Scripturâ quid sonet. 116
Baculi Episcopalis sacramentum. 217. 664
Baculus, pro Principe fulciente. 218
Tyrannus, impiorum baculus. 219

Baltasar.

Baltasar prostratus, scopus Isaiæ in hoc Capite decimoquarto. 7
Baltasar, diuinitatis affectator. 8
Etiam Baltasar appellatur. 10
Sidus, se credidit. 1088
De hoc Tyranno agitur, passim per totum opus: & maximè vbiuis in sensu litteræ: vbi ita, vitia, mors, & sepulchrum eius exponuntur.

Bellum.

Auarus fodiens thesauros, belli damna sibi indicit. 57
Bellum infert Populo, Minister auarus. 180
Bellorum infortunia, ab auaritia. 195. 196
In se inuicem bellant affectus nostri. 1014
Princeps à pace, potiùs, quàm à bella, gloriam acquirit sibi. 1385
Quis primus bellorum Auctor. 1386
Princeps strenuus, non nisi lacessitus, bellum init. 1387
Belli iusti causa: huic assistit Deus: quia bella importunè suscipere, barbarorum est. 1388
Bella nostra Angelos contristant. 1389
Bellorum motor, Antichristi Præcursor est. 1391
Ipsi Deo bellum infert, à quo seuerissimè & subitò punitur. 1392
Exercitiis bellicis sola pax procuranda: à bello enim, solùm pacis trophæum, captandum. 1393
Spretor pacis, perpetuis bellis, à Deo iustissimè punitur. 1395
Apparatus, ad bellum iustum, prouidè destinandus: nam ingruente iam periculo frustrà perquiritur: & ab incepto semel bello, de improuidentiâ, turpiter desistitur. 1396
Pecunias ergo, bellicis sumptibus reponat Princeps: nam similes thesauri, cælo militant. 1397
Sine illis, per vsurarios, exhauritur. ibid.
A Proceribus, ad bellicos sumptus, aliquid exigendum, vt plebei suauiùs plura conferant. 1398. 1399.
Non solùm exitus bellorum, sed etiam duratio, incertissima: vnde tenor debitus sumptibus prouidendis: arma enim expensis redduntur efficacia. 1400
Milites, non tàm multi, quàm boni victoriam reportant. 1401
Igniuomis tormentis, bellica vultus periit. ibid.
Coactorum militum delectus, prorsus inutilis. 1402. 1403
Militaris metus, multorum malorum causa. 1404. fusè.
Militiæ inepti sunt, licèt aliàs fortes, qui effectu aliquo immodico, vitam cupiunt. 1410
Milites domi diuitias recondentes, belli ignauescunt. 1411
Militibus vxoratis, cælibes præponendi. 1412
Tyrones Milites, pridem exercendi. 1413
Militares Religiones, bello aptissimæ. ibid.
Nobilitas bello aptior: hodie verò, Militia, ferè est latrocinium. ibid.
Princeps, confœderandos Amicos, curet ad bellum. 1414
Fœdera verò, qui tractanda. 1415. fusè.
Ducem belli, non tàm manu fortem, quàm prudentiâ militari, instructum cupio. 1419. fusè.
Exercitus, nisi sanctus ignauescit. 1424. fusè.
Initurus bellum Princeps, pio cuidam extispicio studeat. 1428
Non solùm in alienis sacrificiis & precibus, spes belli fælicis collocanda. 1429
Ipso suo ingenti apparatu, Princeps, si iniquus, sibi apparat ruinam. 1430
Nullum spectaculum Deus habet gratiùs, quàm bellum, pro Religione verâ, susceptum. 1431
Nunquam Miles gloriosiùs obit, quam in bello, pro fide, decertans vtpotè penè Martyr. 1432
Princeps etiam, gloriosissimè sic occumbit. 1433
Quippè in bello pio occumbens, sepulchrum sibi erigit, in Trophæum. 1434
Hæc religiosè bellantis mors, omnibus est triumphis speciosior. 1435
Non tàm Infidelium robore, quàm ignauiâ nostrâ, in bello cadimus. 1436
Quàm debeat sub Cruciatâ Bullâ Exercitus Catholicus, animos generosus spirare. 1437. fusè.
Vide. *Miles.*

Beneficium.

Quàm debeat Princeps, erga beneficia esse profusus. 85. fusissimè.
Ex propriis bonis, beneficia exhibenda. 88. fusè.
Nec solùm ex superfluis. 90
Non in vnum solummodò fundenda. 91. fusè.
Aliàs suspecta. 92. 93. 94. 95
Ergo in omnes, distribuenda beneficia. 96. fusè.
Non minuitur beneficij gratia, quòd communis; imò singuli accipientium, inde magis pro omnibus, obligantur. 98
Principis beneficentia, quandoque Plebeium, Proceribus adæquet. 99
Proceres, beneficium regium non spernant, quòd à plebeis delibatum. 100
Summos imis, in beneficio, quandoque adæquare, regalissimum. 102
Beneficia, precibus non vendenda. 104
Sic enim, carò emuntur. 104. 105
Solare ingenium in communicandis beneficiis, imitetur Princeps. 106
Princeps, maiora beneficia tribuat, quàm rogatur. 110
Alias, non instar Principis dabit. 111. fusè.
Ingratis etiam, danda beneficia. 116
Cogendi etiam ingrati, ad accipienda beneficia. 117. 118
Ingratus, beneficium commendat. 119. 120
Non tamen danda beneficia abusuris. 122
Quia vti beneficio, ad iniurium dantis, grande nefas. 123. 124
Pietatis, est obstare beneficio nocituro: quia indignus, accepto beneficio punitur. 128
Beneficium, sit constans. 129. 130. 131. 133
Generosus animus, dato vno, noui beneficij se putat debitorem. 133. 134
Beneficium præbitum, alterius præbendi, semen esto. 135. 136. 137.
Animus generosus in id tantùm, dati beneficij gratias exigit, vt ad noua danda suauiùs impellatur. 138. 139. 140. 141
Beneficium, non sit emax. 142. 143
Phantasticum est beneficium, quo, id videris dare, quod tibi reddit. 144
Beneficium, erga ingenuos acceptores, humanum est. 145. 146. 147. 148. 149
Princeps, è re potiùs datâ, quàm ex dantis dignitate, ponderet beneficium. 150
Rex beneficium, se dignum conferat. 151
Beneficium non temerè, sed sub debitis circunstantis dandum, à Rege: sed semper se dignum. 152
Quando possit Princeps, condignè, parua concedere. 153
Nullum beneficium, quàm quod anxiè, licèt paruum postulatur. ibid.
Ex circunstantiis, exiguitas beneficij, crescit immensum. 154
Dura exprobratio beneficij, ideo quandoque occultè, datur gloriosius. 155. 156. 157
Exprobratio, beneficium abrogat, & carissimò vendit.

vendit. 159
Cælestibus beneficiis accipiendis, obstat Curia. 219.
Beneficia, personæ danti correspondeant. 549
Sint communia. 579
Abusuris, & respuentibus, non obtrudenda. 553
Noxia beneficia, non danda. 554
Debet Minister, Principis beneficia, Populo nota facere. 555. 556

Bulla Cruciata.

Catholicum exercitum corroborat. 1473. fusè.
Vide *Crux.*

C.

Cæcitas.

CÆcitas, Amoris turpis, quàm caliginosa. 1082. fusè.
Cæci, gaudent rebus videntium. 1085

Carcer.

Vita nostra, carcer simul & fuga, monstrosè est. 940
Carcer iste, quàm ærumnosus. ibid.
Carcer immitis, cur morte durior. 1100

Carolus V.

Caroli Quinti, Imperatoris Augusti, æquitas in Tributis ponendis. 11

Ceruus.

Ceruus, inter fugiendum, cur retrospiciat. 818
Cur, cum vento, fugiat. 821

Chamæleon.

Chamæleontis natura, fusè expenditur: & Aulicis Adulatoribus comparatur. 320. 321. & inde.
Chamæleontina verborum, fugienda. 368. fusè.

Charitas.

Charitas fraterna, grande bonum. 255
Non se fælicem putat, aliis infælicibus. 448
Omnia habet communia. 575
In solà charitate, vera libertas. 1014

Christianus.

Potioribus longè titulis, quàm olim Iudæus, à tributis iniquis, liber est Christianus. 19. fusè.
Christiana liberalitas, multis titulis superat Philosophicam. 121. fusè.

Christus.

Passim per totum opus, exempla, à Christo, in Principes depromuntur. Adde præterea. Christi passio, delyria nostra propalat. 29
Eius Regnum, vili emitur. 44
Quale, hoc regnum. ibid.
Sanandis auaris, quodammodo ad angustias redigitur. 72
Liberalitas eius, in omnes, communis est. 92. 93
Tartara terrefecit. 94
Cumulat, & accelerat beneficia. 110
Maiora multò tribuit, quàm rogatur. 113
Auxilio celer. 115
Descensus eius, in terras, cur tacitus. 156
Qualis venerit. 181
Politica eius, terrenæ contraria. 273
Eius mansuetudo. 719
Rectus Iudex. 810
Sententia damnationis nostræ, per Christum, miro amoris artificio, & rata, & irrita mansit. 836
Christi opprobria, infamatis olim rebus, decus addiderunt. 862
In Christo Iesu, omnia nobis bona copulata. 1176
Quantùm pro illius morte, Deo debeamus. 1178
Non coacta, sed vltronea vult obsequia. 1402
Vide *Deus. Maria. Crux.*

Clementia.

Vide *Misericordia.* Adde. Clementia Dei, fusissimè.
Principibus proponitur in exemplar. 817
Princeps Clemens, seueriores, Ministros cogit ad Clementiam, absque Iustitiæ violatione. 851
Summæ Clementiæ est, in Reorum manibus salutis suæ suffragia, non violatâ Iustitiâ, collocare. 852
Humana clementia, diuinæ Iustitiæ terminos præscribit. ibid.
Clemens Princeps, quasi obliuiosum pœnarum, se exhibet. 853
Clementia, in communitatem delinquentem, præcipuè exercenda. 854
Imò, & necessariò. 855
Dedecet clementiam Principis, spectare iusta supplitia. 856. 857. 858. 859
Ex subditorum amore, semper supplitia, iusto grauiora videntur clementi Principi. ibid.
Princeps clemens, cupit se, de inflictis iustè pœnis, excusare. 860. fusè.
Quasi beneficiis potiùs, quàm suppliciis vellet subditos componere. 861
Vide *Pœna.*

Clerus.

Vide *Baculus. Papa. Confessarius.*
Adde. Clerus, à Tributis, multo Iure immunis. 21. 190
Clericus Sacerdos ad dignitatem euectus, qualis esse debeat. 515. 628
Sæuiùs, si delinquit, à Deo punitus. 332. 333
Episcopis, comitas necessaria. 718
Sacerdotalis Olei, quanta dignitas. 1263. 1264.
Clericus reus suo foro remittendus. 1265
Clerum opprobriis proscindere, proprium est Hæreticorum. 1266
Sacerdos auarus, est Iudæ hæres. 1280
Episcopi officium. 1347

Cælum.

Cælum quoddam fictitium, sibi apparabant Principes Ethnici, & quorsum. 1096

Comitas.

Commendabilis illa Principis comitas, quâ in Iudicium cum subditis, venire non dedignatur. 815. 816
Non est Principis comitas, sed abiectio, illa, per quam Auctoritas vilescit. 676. fusè.
Comitas regia, admixtâ semper grauitate temperetur. 684. fusè. tam grauis comitas, solùm ab internâ virtute potest prouenire. 685
Nulla Comitas debitam Maiestatem debet imminuere, nedum abolere. 686
Sic temperata Principis comitas, amorem simul & reuerentiam allicit subditorum. 696. fusè. 704. fusè.
Princeps comis subditorum negotiis assistit. 707
Regia comitas, erga acceptas iniurias. 713. fusè.
Comitatis suauitas, non tam minuit, quàm auget Principis Maiestatem. 718. 720. 721
Subditorum affectûs, rapit ista Comitas. 722. 723
Imperium tutatur. 724

Comœdia.

Sæcularis gloria, est Comœdia. 25. & inde fusissimè.

Concha.

Conchæ adhuc peregrinantur, & cur. 1252

Concionator.
Qualis futurus, Regius Concionator. 1286. fusè.
Concionator, non importunè se ingerat applausibus celebrioribus. ibid.
Aliàs, de superbia cadet. 1287
Venalis Concionatoris sapientia, aut ridiculè excipitur, aut inutiliter auditur. 1288
Concionator non ambitiosus, vltrò Principes ad se trahit. 1289
Vitia priuata Principis, è suggestu, rarissimè, reprehendenda: cætera verò modestissimè à Concionatore obiurganda. 1290
Prudenti latratu, nunquam morsu, vtatur Concionator. 1291
Ita tamen temperanda obiurgatio, vt non vmbratilis, & quasi ex officio, sed ex animo prouenire agnoscatur. 1292
Ipse verborum, & totius actionis tenor, Concionatoris indolem manifestat: quem proinde, non tàm Psittacum volo, quàm Cicadam. 1293
Veræ doctrinæ Concionator, ab Aulicis, stultus appellatur. 1294
Pro arreptitio & fanatico habetur. 1295. 1296
Perditissimi Principis est, in veros Concionatores desæuire. 1297
Concionatorum concordia, summi ponderis est, ad intenti fructus efficaciam. 1298
Vide *Admonitio.*
Concordia.
Non est violanda Iustitia, sub prætextu Concordiæ affectandæ. 495
Iudicum concordia. 497. fusè.
Iustorum concordia, qualis. 763
Inter Concionatores, quàm necessaria. 1298
Confessarius.
Principis Confessarium instituto. 1271. fusè.
Non est facilè Prudentem Confessarium Principi inuenire. 1271
Et cur non facilè. 1272
Non forti, sed sagaci industriâ opus habet. ibid.
Confessarius, non tàm vehementi, quàm assiduo conatu, Pœnitentis saluti incumbat. 1273
Dummodò saltem obstinatio Pœnitentis, acriori remedio non indigeat. 1274
Quibus de rebus, præcipuè monere debeat. 1275
Quanta cordis latitudo, & sapientia, Confessario necessaria: quantúmque Pœnitenti sic proficiat. 1276
Prædictus Confessarius, omni temporali commodo renuntiet. 1277
Contemptus enim iste, tanto officio præsupponitur. 1278
Quia spiritualis Medicus, ab spretis diuitiis probandus. 1279
Ne sit videlicet, Iudæ hæres. 1280
Gratiam, quam apud Principes habet, in vtilitatem Ecclesiæ conuertat; non in consanguineorum commoda. 1281
Hunc consanguinitatis affectum repellat penitus. 1282
Zelotypiam turpem, ne viris aliis sanctis, assuescat Princeps, euitet omnino. 1283
Omni næuo cariturus: ne sit populo scandalum. 1284
Sub prædictis virtutibus, amorem pariter & reuerentiam sibi conciliat. 1285
Consanguinitas.
Periculosa Ecclesiasticis, ne ab officio pietatis retardentur. 1282
Potiùs illa, quàm amicitia vera deserenda. 350
Ab adulatoribus conculcatur. 325
Conscientia.
Impios torquet propria conscientia. 825. 1033
Consilium.
Consilij praui vis. 298
Ætas prouecta, cur sit Consiliario, necessaria. 650
B. Virgo, Consiliorum Magistra. 1237. fusè.
Consilium Sacerdotis attendendum. 1269
Quàm sit Reipub. Consilium necessarium. 367
Chamæleontinâ, in Consilio euitanda, vt sententia syncera procedat. 368
Verborum simplex candor, in Consiliis. 369
In verbis, qualis comptus quærendus, Consiliario. 370
Veritas ibi, sub quo fuco, honestè dissimulanda. 371
Consiliarius fallax, larua vmbratilis. 372
Consilium sub die, imò sub manu, nasci debet totúmque, à circunstantiâ temporis dependet. 373
Quando se debeat Consiliarius etiam post longum tempus, retractare. 374
Mutanda, cum rebus, Consilia. 375
Et sub grauiori rationis pondere, varianda. 376
Quæ sit Consiliarij inconstantia, laudabilis. 377
Quæ damnanda. 378
Versutia in Consilio, nunc huic, nunc illi parit fauens, reprehenditur. ibid.
Versutia prædicta, non tàm à Paradiso, quàm ab Inferno. 379
Dissimulata, & arrogans Consiliarij ignorantia, damnatur. 380
Hæc ignorantia tandem deprehensa, ridiculum reddit Consiliarium. 381
Quàm stultescat Princeps, iniquos & arrogantes Consiliarios, veneratus. 382
Praui Consilij arrogantia. 383
Et pertinacia, sed inefficax. 384
Consultationis vitia. Vide infrà, *Consultatio.* Sub quibus prætextis, improbi Consiliarij, venena abscondant, & hæc latentia. 387. 388. 389
Consiliarius, priuatis affectibus obcæcatus, delirat, aliud indicans, & aliud timens. 390
Consilium Politicum, ab Atheismo proueniens, quale. 392. fusè.
Consiliarius, arcani regij sit tenacissimus. 403. fusè.
Hoc arcanum, à fœminis maximè custodiat. 405. fusè.
Taciturnitas in Consiliario, diuina habetur. 407
Solus Consiliarius, ab ingenti dignitate, Amicus appellatur. 410
Dignitas Consiliarij regij, eximia. ibid. & 411
Consiliarius, secretum violans, extremo supplicio dignus. 412. 413
Quibus de causis, iniquè violetur hoc secretum. 414
Vide *Senectus.*
Constantia.
Constantiâ, in beneficiendo, Dei propria. 131. 132
In Consilio, quæ constantia probanda, quæ damnanda. 337. 338
Quæ constantia, in Electore sit laudabilis. 622. 623
Consuetudo.
Consuetudo legitima, & probabilis, quæ habeatur. 374
Consultatio.
In Consultatione, non indicandi sunt affectus. 385

De re, aliunde fixâ, frustrà initur consultatio. 386
Obstinatio Consultorum, Ius ad iniuriam vertit. ibid.
In Consultatione, non plures, sed æquiores sequendi. 465
Consultoris suffragium, non debet à vero deflectere, quamuis iam veniat inutile. 498

Contentio.

Insanit subditus, si Principi præcellere contendat: & Princeps si subditorum dotibus inuideat. 353
Perit subditus, si in contentione Principem satagit superare. 354
Sic debes Principi cedere in contentione, quasi non vltrò, sed necessariò cedas. 355
Infælix exitus illorum, qui etiam in rebus minutis, de gloriâ cum Principe contendunt. 356
Ebriorum contentio. 1039

Corona.

Corona æternæ gloriæ, vnde conflectur. 137
Auaritia, spinea est corona. 30

Corpus.

Sano Corpori, mala sunt leuiora. 2
Humani Corporis dignitas. 1252

Crudelitas.

Crudelitas, Tyrannorum propria, & sub specie Iustitiæ, quandoque exercetur. 221
Regio animo indigna. 222
Sub voluptate pœnarum, immanissima est. 226
Crudelitas ignauiæ comes. 1076. 1077. 1078. 1079. 1080.
Sæuissima apud Tyrannos. 1097
Vide *Pœna*.

Crux.

Postquam Crucem subiit, leui sibilo, nos trahit Christus. 1364. 1365
Crux, diuini Imperatoris stemma est. 1202
Potentibus, Sapientibus, Religiosis, Christum colendum, vnicè Crux proposuit. 1203
Christus inuito Pilato, à Cruce regnat: sub quâ & nos protegimur securè. 1204
Crux Christi sceptrum, meritò pro Christo colitur. 1205
Hoc Crucis sceptrum adoratum, fragilia sceptra Principum stabilit. 1206
Quæ sint Crucis cornua. 1207
Per Crucem Christus potestatem accepit. ibid.
Hæc potestas, dum in Cruce absconditur, fit manifestior: ibi enim Christi amor, robustus exhibetur. 1207
Sceptri huius dignitas. ibid.
Christus, verus Rex à Cruce, quæ est, vulnerum nostrorum medicina. 1209
Crux, viuida Christi imago, & virtutis particeps. 1210.
Crux Dominici vultûs claritas. 1211
Sola Crucis fama, Dæmones multo ante tempore, perterruit. 1212
Virtutem Crucis, nondum mortuo Christo, Dæmones horruerunt. 1213
Crux vnicè, contra Dæmones, vexillum peremptorium: nobis victoriale: Christíque thronus & tribunal. 1214
Non se legitimum Regem, probat Christus, nisi per Crucem. 1215
Sola Crux, solidam gloriam Christo intulisse, visa 1216
Crux thronus gloriosissimus: ad nihilum verò redigitur, qui Crucem non adorat: quia ipsa est gloriatum gloria. 1217
Quàm soleat desæuire Christus, in Crucis aduersarios. 1218
Impietas in Crucem, à Dæmone, orta. 1219
Gloriæ Crucis suæ, quàm sit Christus zelotypus. 1220.
Crux exercitus Catholicus orroborat, scatens victoriarum fons. 1437
Quantum hoc robur. 1438
In eadem Cruce, sed longè diuerso tenore, Christus & Dæmon cernitur Crucifixus. 1439
Crux, valida, & omnigena armatura. 1440
Sub Cruce, non nisi sponte ignauescens, poteris triumphari. 1441
Crux, vires armis præstat: quâ, si Dæmonem vincimus, quidni Infideles? 1442
Quàm, ad Crucis conspectum, ignauescat Dæmon. 1443
Hæreticæ blasphemiæ contra Crucem, nobis sunt pignus victoriæ: quæ absque Cruce non stat. 1444.
Vide *Christus*.

Curia.

Vitiorum totius Regni, Curia sentina est. 235
In Curiam vndique confluentia vitia, longè iterum peiora, in vniuersum Regnum deriuantur. 236.
Curia, vt plurimùm, sceleratior. 237. 238
Cælesti commercio, obstrepit Curia. 239
Curia Principis, in Regni meditullio, constituenda. 1338
Vnde aptiùs, circunfusis Prouinciis attendat. 1339
Ad similitudinem scilicet Cordis, quod medio corpori insidet. 1340
Tunc ad illum, facilius, & hilarius, accurrunt subditi. 1341
Hinc, in subditos, faciliùs mandata expediuntur. 1342.
Non debet Princeps è Curiâ, vagus per Prouinciam excurrere. 1343. 1344
Nisi fortè vrgentissimo negotio occurrente. 1345

D.

Dæmon.

DÆmon, latro insidians. 38
Sæuissimus Tyrannus. 69
Dæmon, de iniquâ rapacitate pauperior. 82. 83
Eius liberalitas, vni determinatur. 95
Dæmonis halitus. 303
Dæmon inuidus. 577
Fælices, ad superbiam incitat. 603
Nocendo potens. 806
Tyranno, adstat Dæmon. 807
A Christo, iustissimè spoliatus. 808
Dæmonem blandè puniuit Deus, vt in hominem blandior veniret. 827
Trinitatis imaginem, in nobis deletam cupit Dæmon. 835
Suo iure, ad pœnas exigit peccatorem. 867
Vitia nostra, Dæmonis sunt epulum. 988. fusè.
Diligenter iurat, vt voluptatibus tradamur. 1002. fusè.
Sub prætextu necessitatis, has propinat. 1007
Luxuriam, ipse Dæmon erubescit. 1071.

Democratia.

Democratici regiminis incommoda. 231

Desiderium.
Desiderium, suam habet vocem. 105
Impius desideria sua, non potest celare. 790
Desperatio.
Vide *Spes. Pœna.*
Detractio.
Detractor, suis se verbis condemnat, & illas queat. 794.
Detractio, commune, & passim serpens malum. 281
Pseudoprophetas facit. 282
Iustus à detractione remotissimus. 283
Detractio, insusurrans, & Pythonica. 284
Detractio, Pseudoapostolos instituit, varias linguas communicans monstrosè. 285. 286
Pseudointerpretes format. 287
Horum Pseudointerpretum astutia. 288
Detractor, Dæmonis vicarius: ciúsque verba spi- [illegible] 289
Qui mordens detrahit, mordebitur. 290
Detractionis verba, sopienda. 292
Vilissimum est, quærere tibi, per aliorum detractiones, incrementa. 293
Detractoris maleuola verba, non tàm lacinant, quàm illustrant. 294
Vide *Lingua. Verba.*

Deus.

Dei beneficentia, communis erga omnes. 96. & inde fusè.
Erogat nobis, etiam non rogata. 104. 105
Dei tegumen, sic obumbrat, vt lucem non arceat. 114
Ad beneficia sua accipienda, piè nos cogit. 117
Coactio ista, quàm sit liberalis. 118
Quemodò congruè auxilietur. 119
Constans benefaciendo. 131
Beneficia prisca, nouis compensat. 133
Familiares suos, asperius reprehendit. 332
Dei spiritus quam lenis. 366
Qualis erga Amicos. 479
Cur Saluator & Iustus, appelletur. 494
In tractandis hominibus, quàm iustificatus. 507. fusè.
Virtutes humano genio accommodat. 657. fusè.
Dum punit vt Iudex, dolet vt Pater. 794
A[illegible]ssimo stat iure. 805. fusè.
Eius clementia erga Protoparentes, fusissimè describitur. 817
Ad beneficia celer, tardus ad pœnas. ibid.
Dei mores & amores dum fugit homines. 818
Imaginem suam in nobis deletam dolet. 840
In hominibus puniendis, mitissimus. 827. fusè.
Indidem punit, & instituit. 835
De illatis pœnis, se cupit apud homines excusatum. 860. fusè.
Nos, pro nobis rogat. 924
Permittit, nos quandoque saturari voluptatibus, [illegible]ndem fastidiamus. 1010
[illegible]ndius, dat Deus Populo, quàm grauem [illegible] Principem. 1032
[illegible] Nubes. 1094. 1095
[illegible]ra, quanti nobis facienda. Deus ab homi[illegible]adulatoribus creatus, eisdem seruiat, ne-[illegible]. 1143. fusè.
[illegible] Leo, per Mariam, iam Agnus. 1220.
[illegible] vmbram, homines ducit, ad virtutem. [illegible]
[illegible] opus, passim à Deo, instituen-[illegible]s, exempla afferuntur.

Dignitas.
Vide. *Ambitio. Honor. Officium. Electio.*
Discordia.
Discordis libertatis, mala. 27
Vide, *Charitas, Concordia, Bellum, Pax.*
Diuitiæ.
Diuitiarum tyrannica conditio. 53
Iugo prement possessores. 54
Incarceratæ. 55
Gementes, sub auaro. 57
Harum pericula. 67
A solo Deo, diuitiæ tutæ veniunt, aliunde suspectæ. 168
Phantasticæ sunt, diuitiæ repentinæ. 169
Et quasi magicis artibus comparatæ. 170
Occulta opulentiæ causa in Ministris. 171
Caueat Princeps, ne Ministri, ex suspecto ditescere videantur. 172
Repentinæ hæ diuitiæ, vnde suspectæ. 205. 206. 207
Vnde inuidiosæ. 208
Malè partæ diuitiæ, malè dilabuntur. 213
Vide *Auaritia, Rapina, Bellum, Exactor, Minister.*
Dolor.
Dolor, si grandis, finitur breui. 892
Dominus.
Dominus, seruos alat. 143
Dominus, à seruis imperatus, nequam. 220
Dominicis moribus, famuli adhærent. 334
Dominus, turpia obsequia, sibi præstanda, extorquet. 468
Vide *Familia, Famulus, Seruus.*
Dux.
Dux bonus, belli pericula, suis præcauet. 1012
Ducis fama, quanti facienda. 1212
Tota Exercitûs fortuna, à Duce, pendet. 1429
Ducem verò, non tàm cupio robore, quàm prudentiâ militari instructissimum. 1420
Quibus in rebus, sit Dux, exempla militi præstiturus. 1421
Non de viribus, sed de militari consilio, probandus. 1422
Ducis partes, quæ. 1423
Vide *Bellum.*

E.

Vide *Gula, Hæresis, Ebrietas.*

Electio Confessarij, prudentissimè facienda. 1270. fusè.
Principis delyria, in eligendis Ministris. 609
Princeps, præuiâ consideratione Ministros eligat, vt isti officiis commensurentur. 610
Quantâ consideratione, in hoc negotio, sit opus. 611.
Et quàm frequenter, hîc soleat aberrari. 612
Ministrorum electio, periculosè à Principe delegatur: à quâ, sympathia, & affectus remouendus. 613
Quos debeat Princeps, in Iudices eligere. 614
De prauâ electione, infamatur Princeps, maximè in dignitatibus ecclesiasticis. 615
Tunc probatur electio, cùm electi virtus honorem honorat. 616
Principis cupientis, & subditi honores fugientis, certamen, in electione, pulcherrimum. 617
Electio ad officium, nunquam temerè facienda. 618
Culpabilem electionem, etiam deprehenso incommo

modo, fouet iniquus Princeps. 622
Iustus autem Princeps, faustum & fælicem, si fortè electionis errorem, constans fouet. 623
Teterrima est electio, dum ad abiecta ministeria, viro illustri addicto, vilis, ad illustria promouetur. 624
In electione, cæteris paribus, nobiles, ignobilibus præferendi. 631. fusè.
Pharisaicum est, ignobiles benemeritos, nunquam eligere. 635
In electione, ad officia, virtus potiùs, quàm ætas, spectanda. 646. fusè.
Attendenda proportio Ministri, ad ministerium. 652 fusè. 655
Tunc fælix electio, cùm officia, Ministrorum genio accommodantur. 657
Illi aptè eliguntur, qui sunt onera, cum honoribus subituri. 661. fusè.
Commendatitia eligendorum elogia, vnde Principi, probanda. 667
Sub his commendationibus eligendus, electoris iudicio committatur. ibid. & 668
Signa alia eligendi, legitimè commendati. 669. 670. 671.
Ad vacantis officij electionem, qualem se, sit Princeps habiturus. 670. fusè.
Vide, *Honor. Officium.*

Eleemosyna.

Eleemosynæ virtus, & potentia. 64
Phantasticâ pietate, ex rapinis, impenditur. 90. 215

Elysij Campi.

Quales, & vbi forent, apud Ethnicos Elysij campi. 871. fusè.

Episcopus.

Gratiam, quam apud Principes habet, in Ecclesiæ vtilitatem conuertat. 1281
Vide, *Clerus. Papa.*

Eucharistia.

Eucharistiam nobis dare, pridem optabat Deus. 113
Panis cæli, impiis vertitur in lapidem. 868
Fides ad Eucharistiam, non oculos, sed mentem, adhibet. 1175
Actio gratiarum pulcherrima, est Eucharistia. 1176
Eucharistiam à Deo accipimus, quâ tamen acceptâ, omnia illi persoluimus. 1177
Regalissima est Eucharistia, & Reges, apud Deum, deobligans. 1178
Viaticum in Cælos, est Eucharistia, vnde sidera religiosè calcantur. 1179
Viaticum scilicet, quo instructi, ad regalem mensam peruenimus regnaturi. 1180
Per Eucharistiam, vnum, & idem, cum Christo sumus. 1181
Eucharistia, non solùm vehit, sed etiam vrget nos in Cælum. 1182
Ethnici Principes, vnde se ad diuinitatem euectos existimabant, si epulis aut nuptiis diuinis fruerentur: quod vtrunque, verè & religiosè, per Eucharistiam nobis datur. 1183
Diuinitatem naturaliter affectare, sacrilegum: quæ tamen gratiosè, per Eucharistiam participatur. 1184
Quomodo Christus in Eucharistiâ seipsum. 1185
Æterno Patri & nobis, Eucharisticum poculum, Christus ministrauit. 1186
Eucharistia, quidquid terrenum est, necessariò à nobis aufert. 1187
Panis cælestis, nos præcipit, terrenis necessariò renuntiare. 1188
In Eucharistiâ, veræ animarum, cum Deo, nuptiæ. 1189
Hæ nuptiæ ibi purissimæ. 1190
In his nuptiis Christus & Ecclesia, inuicem suauissimè respirant. 1191
Christus in Eucharistiâ, sponsus zelotypus. 1192
Hæc Eucharistiæ zelotypia, est feruidissima. 1193
Sponsæ tamen timores suspiciosos, ibi sedauit. 1194
Christus ibi, licet absconditus, internitet: neque fidem strenuam, latere potuit. 1195
Ab ipsâ Eucharistiâ, perspicacissimam lucem accipimus. 1196
Eucharistia, suauissimo tenore, præsens absentia, absensque præsentia, Christi est. 1197
Eucharistia, est pharmacum amatorium, poculum philtricum. 1198
Mira, in hoc Sacramento, vis, toti diuinæ legi adimplendæ. 1199
Quanta efficacia ibi, ad amores: quantum robur, ad martyrium. 1200
Quanta vis obliuiscendis terrestribus: & diuinis solatiis afferendis. 1201

Exactor.

Duris tributis, durior Exactor. 14 fusè.
Exactorum immanitatem, Princeps comprimat. 15. fusè.
Exactor & Publicanus, in furta, legibus armantur. 16
Quàm soleat hoc genus hominum, esse iniquum. 17. fusè.
Durissima horum rapacitas. 188

Exemplum.

In alieno exemplo, nobis discendum. 269. 760
Aliorum pœnis, alij ad exemplum instituendi. 750
Ideo publicæ pœnæ, in exemplum. 758 fusè.
Qui alieno exemplo non sapit, sæuius punitur. 780
Exemplum Principis, viua & efficax lex. 1330
Subditi, ad exemplar Principis, formati, mirificè euadunt vniformes. 1331
Quàm sit contagiosa res, exemplum Principis praui. 1332
Et quàm habeat, in vtranque partem, subditos sequaces. ibid.
Cur sit Exemplum, omni præcepto, & edicto efficacius. 1333
Probo exemplo dato, Princeps, generosissimum se probat. 1334
Sub hoc, noxiæ legibus dispensationes, efficacissimè tolluntur. 1335
Lux, ab exemplo clarior, quàm à doctrinâ. 1336
Cur tam necessariò dandum à Gubernatoribus, exemplum bonum. 1337

Exprobratio.

Beneficiorum exprobratio, durissima. 155. fusè.
Beneficia abrogat Exprobratio: aut carissimo vendit. 159. fusè.

Extremum.

Extrema, suis mediis copulanda. 210
Extremus iniquitatis apex, minoribus inuidere. 256
Extremæ stultitiæ est, bis decipi. 269
Nisi extremum malitiæ attingat, impius, otiosum se putat. 385
Extrema miseria est, vt læsus, lædentem accusare, non audeas. 560
Extremum supplicium, manifestissimam causam habere debet. 813
Extremi furoris est, in extremam horam redigere pœ

pœnitentiam. 956. 957
Et impudentiæ extremæ, ipsissimam infamiam, honori & voluptati ducere, in flagitiis. 1028

F.

Fama.

FAma induce, quanti faciunda. 1212
Fama, nihil mendacius. 1451
Virgo ante nuptias, fama careat. 1452
Vide *Infamia.*

Familia.

Familiam boni Ministri, Princeps promoueat. 600
Procerum familiares, legibus insultant. 1317
Princeps, priuatæ suæ familiæ Censor acrior. 330. fusè. 331.
Deus familiares suos, asperiùs reprehendit. 332. 333
Familiares Principis, de illius fauore, in scelera audaciores, ideóque seueriùs puniendi. 334. 335
Princeps, superuacaneam familiam expellat: & cur. 336. 337. & inde fusè.
Tales debet Princeps familiares, & domesticos eligere, vt in illis possit gloriari. 340
Quales debeant esse Principis familiares, vt iste, horum possessio habeatur. 341
Princeps & Paterfam. sit suorum custos: familiares vero domini sui cultores. 342
Patrisfam. & familiarium, mutua attentio: illéque, inter familiares & Deum, medius sit. 343
Princeps, familiares ægrotos, licèt vilissimæ classis, non despiciat, sed obseruet curandos. 344. 345
Principis familiarium amicitia, qualis. 346. fusissimè.
Vterque insanit, cùm superbus Princeps, familiaris dotibus inuidens: tùm gnauus familiaris Principis æmulus: variáque rei monita, suggeruntur. 353. fusissimè.
Familiaribus, ira Principis, qui ferenda. 359. fusissimè.
Vide. *Subditus, Seruus.*

Fauor.

Fauor Principis, quando debeat erga aliquos dissimulari. 246. 247. 248.
Audaciores, in scelera, reddit. 600. 334. 335
Inconstans est Principis fauor. 349. 604. fusè.
Fauori Principis, pro salute populi, renuntiandum. 552
Fauor Principis, zelotypiam inducit. 575
Fauor aulæ erga Principem, puerilis ludus, sed venenatus. 1116
Fauorem Principis, qui impensurus Sacerdos. 1281

Fides.

Fides diuina, fæliciter cæca: sed inde illuminatior. 1161
Non humanæ rationis Iudicio, sed diuino verbo stabilienda. 1262
Suo iure, id est, summo, fidem à nobis, Deus exigit. 1163
Fides obseruata, à periculis Principem intactum seruat. 1164
Tantùm sibi potentiæ, adimit Princeps, quantùm subtrahit fidei. 1165
A Principe fideli, miracula non optanda: degener enim Princeps, miracula, curiosus sollicitat. 1166
Fides, carnales affectus reprimit. 1175
Fidem strenuam, Deus latere, vix potest. 1195
Est quippe perspicacissima. 1197
Beata Virgo, fidelium corona est. 1222
In rebus fidei, summus Pontifex errare nequit. 1255. fuse.
Fidem humanam, ad vtilitatem, posse falli, sola hæresis docet. 1416
Quî amicis seruanda. 1417
Quomodò ab eisdem probanda. 1418
Quàm gloriosè pro fide Catholica, id est, Romana, bellum contra Infideles meatur. 1431. fusissimè.

Filius.

Vide *Parens.*

Flos.

Florum caduca conditio, pulcherrimè descripta. 33
Vide *Rosa.*

Fœdus.

Princeps, ad bellum, confœderandos sollicitet Amicos. 1414
Confœderatis suis, integerrimam fidem, Princeps præstet. 1415
Fœdi fragos, seuerissimè punit Deus. 1416
In quo casu, licèt humanæ indoli, difficillimo, necessaria, & generosior fides, sit confœderatis seruanda. 1417
Confœderatorum fides examinanda: syncerè, sed tamen cautè credenda. 1418
Qualem se gesturus Princeps dubius, vtrum, ex duobus Principibus inter se contrariis, sibi sit, in confœderationem electurus. ibid.

Fœmina.

Fœminæ, propria est arrogantia. 303. 312
Fœminæ, curiositas innata. 330
Fœmina, etiam grandæua studet pulchritudini, & comptui. 331
Fœminæ secretum, ne committas. 405
Fœmina secreti sui tenacissima, alieni prodiga. 407
Quanti facienda fœmina, non garrula. 408
Quandoque viro, fœmina præstat. 477
Fœmina detractionibus studet. 744
Fœmina, semper ob imprudentiam, tutore eget 831
Laudes fœminæ fusè describuntur. 1467. 1471. 1472. 1473 1474
Fœmina, in bonum, vel malum, feruida, & contentiosa. 1477 1482
Egregia mendaciorum artifex, fœmina, idque, dicto vel facto. 1480. 1481
Fœminea curiositas. 1485
Fœminea inscitia. 1490
Fœmina pulchra, lateat. 1494
Vide. *Vxor.*

Fortuna.

Fortuna, quam vocant, Principum, inquieta. 40
Semper attonita, & ruinosa. 601
Idque miserrimo præcipitio. 602
A Dæmone, superbiens fortuna. 603
Inconstantissima. 604
Et in abiectissimam sortem ruitura. ibid.
Nimia fælicitate, corrumpit animum. 608
Huius mobilitatem, fælices recolant. 1097
Vide *Gloria.*

Frater.

Inter fratres, ardentior est inuidia, si incenditur. 244. 245.
Fraterna charitas, grande bonum. 255. 797

Fraus.
Fraudes præposteræ, sub specie laudis, quàm sint noxiæ. 265. fusè.
Fraudes Ministrorum, sub prætextu regij obsequij, aut publici commodi, occultissimæ sunt, & penè inuitabiles. 387. 388
Fraudulentus, fraudulentiâ sua perit. 772
Vide. *Aula. Inuidia. Mendacium.*
Fuga.
Suauissimus Dei tenor in fugiendis peccatoribus. 818
Ceruorum fuga, qualis. ibid. & 821
Vita nostra, simul fuga, & carcer est. 940
Fuga ista, quàm vndique sit anxia. 941

G.

Gigas.
IN sacris, qui dicantur, Gigantes. 875
Luxuria, semper Gigas est, & gigantis culpæ mater. 1069
Gloria.
Gloria Mundi, si introspiciatur, spurca est. 24
Fælicium gloria, comœdia est, & apud Iustos, ridicula. 25
Gloriæ huius & histrionis, comparatio. 26
In vltima scena, deponitur, quæ in prioribus scenis inaniter tumuerat. 27
Hæc proinde gloria, non tam Tragicomœdia, quàm, si fas dicere, comitragœdia est. 28
Vbi scenicus fælicitatis viror, tandem exarescit. ibid.
Christi Passio, ridiculum huius gloriæ tenorem, nobis exposuit. 29. 30
Fælicitatis comœdia, desinit in tragœdiam, quæ fælices, suo, id est, vili habitu reinduit: & priscam pompam, raptoribus exponit. 31
Quàm sit, hæc Principum Tragœdia, lamentabilis. 32
Instantanea fæliciorum gloria: flos caducus: rosa ephimera. 33
Miserrimè quando est, tunc esse desinit. 34
Solummodo in momento, cernitur prædicta gloria: priùs abit, quàm accedat. 35
Aquatico, id est, elementorum inconstantissimo insidet. 36
Vilis, fragilisque, ista gloria, vtpotè latentiæ conditionis. 37
Humana gloria, cur nebula dicatur: cur tempestas: & fallax speculum. 38
Larua est vmbratilis, breuéque, & dubium crepusculum, quæ solâ morte redimitur. 39
Gloriam suam, vilissimam, ipsi Principes, experiuntur. 40
Et fatentur, dum vilissimo vendunt. 41
Hæc gloria, sub ipsius pompæ apparatu, mendica est. 41. 42
Ideo, vilissimo emitur. 43
Tunc probè, humanæ gloriæ fallacia detegitur, cùm æternæ comparatur. 44. 45. 46
Hæc gloria, etiam in Principi, vulgari omnium conditioni, & communibus periculis exponitur. 47 48
Hæc gloria, spuma, cur dicatur. 889
Nihil miseriùs, quàm gloriæ suæ, superstitem viuere. 952
Humana gloria, nunquam vera. 1034
Post immensos labores, quibus se euiserat, captan-

dis muscis, telas format. 931
Semper timoribus, & insidiis circundata. 943
Vide *Fortuna. Vita. Mors.*
Gratia.
Gratiæ diuinæ auxilium congruum, quale. 119
Tribunal gratiæ, cur occultum. 158
Debet Princeps, gratiam suam, alicui dissimulare, ne aliorum inuidiam excitet. 246
Gratia.
Gratiæ, à beneficiis, cur exigendæ. 138
Gratiarum actio, seu gratitudo, apud generosos, hamum gerit. ibid.
Stimulus est, nouis beneficiis impetrandis. 139
Obærat creditorem. 140
Gratiæ meretrices, quæ dicantur. 142
Charitum, seu gratiarum Typus qualis olim. ibid.
Apud ingenuos, semper gratiæ redduntur cumulatæ. 147
Apud iratum Principem, cur sint agendæ gratiæ pro iniuriis. 360
Eucharistia, optima est gratiarum actio. 1176. 1177. 1178.
Vide, *Ingratitudo.*
Gula.
Gula & ebrietas, hæresi amica: inuicem se fouent. 1073
Sacrilegia hæretica, inducit ebrietas. 1038
Ebrius Princeps, plebeis, per summum dedecus adæquatur. 1039
Ebriorum ludrica certamina. ibid.
Gulæ blandimenta, indigna Regibus. 1040
Gula, vitiorum origo, incendium virtutum. 1041
Gula, morbus ferè insanabilis. 1042
Ebrietas, venenat animos insanabiliter. 1043
In bestias, homines transformat. 1044
Gulosis, Deus, venter est. 1045
Gula, inter tot mala, etiam blandus Dæmon est: & gulosus Dæmon est ventriloquus. 1046
Gula, luxuriæ est Ministra. 1047
E Gula in luxuriam itur. 1048
Gula ad castitatem, refrænanda. 1049
Gulam, amor pecuniæ subsequitur. ibid.
Princeps ebrius regimini ineptus. 1050
Regna, per gulam imminuta. 1051
Ebrietas, pluquam cætera vitia, leges perdit: & legislatori Deo, obstrepit, importunior. 1052
Vide, *Temperantia.*

H.

Hæresis.
MAchiauellistarum, seu Politicorum hæresis, vtpotè fœda, & noxia Principibus, fugienda, abominanda: scilicet, ipsissimus Atheismus. 392. fusè.
Per diuinorum contemptum, humanis attendit subdolè. 393
His Pseudopoliticis, non tàm diuina, quàm humana maiestas læsa, exigendis pœnis æstimatur. 393 394
Hæc impia Status, Iura diuina terit. 395
Terribilius, humanæ, quàm diuinæ legis violatores punit. 396
Bonus Princeps, profligata hac hæresis, plus diuinæ gloriæ, quàm Status rationibus attendit. 397
Hæreticus Pseudopoliticus, religione abutitur, ad rationem Status. 398

Huic, id est germano Atheistæ Religio, de vtilitate, pensatur. 399
Cur hic talis, à Christo, vulpis appelletur. 400
Verè iste, licet non palàm, Atheista. 401
Atheistæ prædicti larua multiplex: & vnde retegenda. ibid.
Latens iste Atheismus, sub pectore claudit Dæmonem. 402
Obedientia Cæca, hæreticis, est inuisa. 441
Hæretici, per voluptates, Inferno litant: Dæmonísque, sunt victimæ succedaneæ. 993
Impio scilicet impositæ holocausto. 994
Heresi, amica ebrietas, inuicé se fouent. 1037.1038
Hæreticus in throno, non tàm Princeps, quàm bestia existimandus. 1171
Hæreses omnes, profligauit Petrus. 1257
Sacerdotes, proscindit Hæresis. 1266
Fidé humanâ, vtiliter violare, 1436
Hæresis, solos fragiles innodat. docet hæresis. 1416
Hæreticorum blasphemiæ contra Crucem, nobis victoriæ pignus sunt. 1444

Hæres.

Hæreditas regia, à tributis libera. 20
Auarus est tinearum cohæres. 39
Qui Deum sibi hæredem recusat, Deum inhonorat. 797
Princeps relinquendum hæredem, probè instituat. 1501
Fæliciorem relinquis hæredem, quem non tàm opulentia, quàm virtus ornat. 1502
Si naturam, & non virtutem attendis, in hærede eligendo, decipieris. 1503
Hæres, plus moribus bonis, quàm sanguine, hæreat institutori. 1504
Ille tantùm germanus hæres, qui institutoris virtutem repræsentat. 1505
Iniquos hæredes, opulentia ipsa damnat. 1506

Hircus.

Principes olim, cur hirci dicerentur. 876

Histrio.

Mera histrionia est, tota Mundi pompa. 25.26.27. & inde fusè.

Homo.

Hominum, in deuorandis inuicem, ferocitas. 176
Homo, obediendo impatiens. 443
Hominem se agnoscat Princeps. 708. 709.710
Homo, apud veteres Ethnicos, non solum, Corpus, & animam: sed insuper, Imaginem, & Manes, habere credebatur. 872
Homo Animalium miserrimus. 878
Diuinitatis ardentissimus affectator. 1148. fusè.
Id quàm sacrilegum. 1184
Hominis Corpus, quàm dignum. 1252
Vide *Anima. Corpus.*

Honor.

In honorum ambitione, quot miseriæ.
Vide *Ambitio.*
Solùm cælestis honor perennat. 506
Nullus & honor, quem coactus subis. 553
Quantus honor confœderatis sociis adhibendus. 1415
Honores acceptos, & dignitates, honorat virtus. 616
Solùm dignus honore est, qui honorem fugit. 617
Et qui non nisi coactus, honorem init. 618
Sanctus, honorum & dignitatum, despectus, etiam proteruos animos emollit. 619
Qui accepto honori, renuntiare cupiunt, auidiùs retinendi. 620
Honoris contemptus, gloriosissimus est: Dignitasque, dignis, in ipso etiam throno despicabilis. 621
Non vero, vilibus quandoque, honores tribui, dummodò benemeritis, propterea non subtrahantur. 625
Indignus, ad dignitatem euectus, ludibrio exponitur. 626
Digni, ad honores promouendi: deturbandi indigni. ibid.
Honoris fastigium, ridiculum, & periculosum est indigno. 627
Monstrosa dignitas, apud indignum, ipsíque indecens. 628
Et dignis, quibus erepta est, non tàm inuidiæ, quàm ludibrio exposita. ibid.
Indignus, dignitate ipsa polluitur, & fœdatur: & insensibilibus ipsis, peior est. 629
Honor, solùm post merita speciosus. 630
Ignobiles, si digni, etiam ad dignitates promouendi. 636
Pharisaicum est, ignobiles pios, & doctos, nunquam dignitatibus aptos iudicare. 636
Id ex nobiliorum prouenit inuidiâ. 637.638.639
Regiæ Maiestatis stemma germanum est, ignobiles benemeritos promouere. 640
Ignobili benemerito, iam prouecto generis vilitate, obstrepit impietas. 641
Ignobilis ad dignitatem ascendens, priscam vilitatem, ob oculos semper gerat. 642. fusè.
Honorum distributio, non tàm seram ætatem attendat, quàm virtutem seriam. 646. fusè.
Honores, cum oneribus subeundi. 661.662.663
Onus, honori commensurandum. 665
Indignus, honorem, non solùm consecutus, sed etiam petens fœdat. 668
Ille honore est dignus, qui non ambit, sed respuit honorem, cogitúrque admittendo. 670.671
Vide *Ambitio, Electio, Nobilitas, Officium.*

Humilitas.

Humilitas, sancta & artificiosa techna, cælestibus gratiis expiscandis. 115
Honori comparando, aptissima. 616. fusè. 670
Sola humilitas, Principem euehere potest. 722
Sub specie superbiæ, & ambitionis, piissimè nobis à Deo proponitur amplexanda. 1356.1357

Hypocrisis.

Hypocritarum mores. 70
Amoris turpis varia hypocrisis. 1066.1069.1072. 1074. 1081.1085

I.

Iacobus Apostolus.

Diui Iacobi, Patroni Hispaniarum Reliquiæ, nos tuentur. 1243. 1244
Sacro, fulgentis, stellæ prodigio, nobis reuelatæ. 1245
Non solùm Patronus, sed Pater, necessariò nobis est. 1246
Patérque suauissimus, & tenerrimus. 1247
Quot titulis, & his gloriosissimis, Iacobus nobis, sit Pater. 1258
Cur apud nos, curârit sepeliri. ibid.
Hostes nobis, & dæmones infestos, auertit. 1249
Iacobus, Hispaniam defendit: nec tamen eius sepulchrum, impatenti: idque, grandi mysterio. 1250

Peregrinos è toto Orbe, ad se trahens, cur conchis, & veneriis, insigniat. 1251
Eius corpus, iam quodammodò, animæ gloriam participat. 1252
Imò, & gratiam imitatur. ibid.
E sepulchro spirat, & communicat sanctitatem. 1253

Iactatio.

Enorme vitium, vitiorum iactatio. 1023. 1024. 1025. 1026
Quàm sit iactantiæ huius, certa pœna. 1027
Princeps, sic turpiter se iactans, à subditis contemnitur. 1229
Idque, meretissimò. 1030

Ignorantia.

Vide *Stultitia.*

Infamia.

Infamia, quauis morte sæuior. 756
Infamiæ theatrum, horribile. 757
Diuinam iram, non nisi præuia peccatoris infamia, solet prouocare. 866
In peccatore perditissimo, vltima voluptas, est Infamia, quam de vitiorum affectat enormitate. 1022. 1023
Hanc infamiam, quasi pretiosum stemma, in capite gerit. 1024
Quæ est insanissima insania. 1025
Hanc infamiam sibi, dicto, facto procurat. 1026
Certissimâ pœnâ, appetitus hic infamiæ, coërcetur. 1027. 1028
Princeps, de prædictâ infamia exultans, ab ipsis subditis contemnitur. 1029
Quia Regium decus, pudore confundit. 1030
Debet Princeps hanc infamiam, omni conatu euitare. 1031. & cur. 1032. 1033. 1034. 1035. 1036

Infernus.

Sæuissima, in Inferno, pœna, aliena irrisio. 4
Dura Inferni tenacitas. 94
Christum trepidauit Infernus. ibid.
Infernus, etiam sepulchrum significat. 871
Animas illustres, in Inferno, pompâ festiuâ exceptas, delirabant Ethnici. ibid.
Peccator, post asini sepulturam, sepultus in Inferno. 978
Damnatus Inferno; nunquam in pace sepelitur. 980
Victimam saginatam Inferno, parat voluptas. 988. fusè.
Serus dolor, non tàm pœnitentis, quàm furentis, in Inferno. 888
Damnatis apud Inferos, mors frustra exoptatur. 889
Damnatos opprimit mors quædam viua. 890
Infernus, non solùm desperatione, sed etiam spe inani, torquet miseros. 891
Voracissimus est, Inferni ignis. 892
Damnati, facilè pabulum, sed æternum, flammis ministrant. 893
In Inferno, longè veriores Tytios, fides agnoscit: quia infernus ignis fœcundus: pabulúmque nutriens, vnde nutritur. 894
Damnati non solùm parant, sed etiam pariunt flammis pabulum. 895
Quomodò affectus æstuantes, aptiorum materiam, disponant Inferno. 896
Voluptas, thesaurizat inferni pœnas. 897
Irrisio ibi, summa pœna. 898. 899. 900
Damnatos irrident beati, cum Deo pariter. 901
Cur nulla commiseratio beatorum, subsequatur damnatos. 902
Hæc pœna inde sæuior, quòd ab illis irrideris, quos irriseras pridem: & ab his æternùm insultaris, quibus ad breue tempus insultaueras. 903
Ad ludibrij satietatem exponeris, morte viuâ depactus. 904
Quanta sit pœna, quòd sic, cælestibus, fias spectaculum. 905
Quàm sit in hoc negotio, sors mutata. 906. 907

Ingratitudo.

Ingratis etiam, danda beneficia. 116
Hæc inde commendantur. 119
Non tamen danda, ingratis abusuris. 122
Ingratitudinis, gradus varij. 132
Acceptum beneficium, perdit ingratus. 141
Ingrati pœna est, ignorare beneficium. 555
Ingratus Princeps, à Deo, seuerissimè & meritò punitur. 815

Vide *Beneficium. Gratia.*

Iniuria.

Euectus ad thronum, priscas iniurias remitte. 713. 714
Sic, penè Deus eris. 715
Adulatio, sub specie iniuriæ, efficacissima. 1123. fusè.
Superbis, iniuria humana & diuina, perinde est. 1159
Iniuria, lepidè dissimulanda quandoque. 1382
Iniurias diuinas, non vindicant hæretici Politici. 393. 394

Vide *Ibi Plura.*

Interpres.

Detractores sunt Pseudo-Interpretes. 287. & inde fusè.
Interpres fidelis, qualis. 291

Intercessio.

Intercessio, non passim, pro sceleratis admittenda. 730. 731
Quomodò apud Iudices facienda. ibid. & 732. 733
Deus, apud nos, pro nobis intercedit. 924
Pœnitentia nostra, non stat tantùm precibus alienis. 955
Intercessores familiares, quando admittendi. 1384
Intercessiones commendantium, quales probandæ. 667. 668. & inde fusè.

Inuidia.

Inuidia, alieni splendoris vmbra. Inter similes, vt plurimùm versatur. 243
Inter fratres ardentior est. 244. 245
Fauor erga alios quandoque dissimulandus, ne aliorum excitet inuidiam. 246. 247. 248
Cur quandoque à Principe, Coaulicorum inuidia, erga Amicum permittenda. 249. 250
Inuidiæ morbus insanabilis, quia semper latens. 251
Coluber latens, & erubescens, est inuidia. 252
Inuidus, vltroneus sibi, Carnifex. 253
Non tàm suo damno, quàm alieno bono, infælix. ibid.
Inuidus, dissimulatâ carnificinâ se dilaniat. 254
Inuido, si benè facias: ipsum sæuiùs lancinas. 255
Inuidia, cur fera pessima dicatur. ibid.
Extrema iniquitatis linea est, minoribus inuidere. 256
Causa inuido, quandoque nulla. ibid.
Inuidiæ inspicilla, quàm peruersâ. 257
Inuidus, semper formidolosus. 258
Semper hostes potentiores imaginatur. 259

Inuidus, pariter te minuit, & tua auget. 260
Quam sit suprà inuidiam, animus generosus. 261. 262. 263. 264.
Inuidia, veritatis inimica. 271
Inuidiæ, triplex dentium ordo inest. 287
Inuidia, oculatissima est. 288
Princeps, animal inuidum. 353. 359
Inuidia dum applaudit, iam inludit. 606

Ira.

Principis ira, subditis, quî ferenda. 359
Homo iratus, eo ipso pusillanimis. ibid.
Principi irato, quamuis iacturam facias, non resistas, imò pro iniuriis, gratias age. 360
Princeps iræ cedens, euertitur. ibid.
Irato Principi, semper cedere: quandoque secedere opus est: quia sic iratus, à Dæmoniaco non distat. 361
Ira proximi, quomodò curanda. ibid.
Princeps iustus, iram euitet, saltem perseuerantem: quia ira, rusticæ mentis affectus est, & is infamans. 362
Perfectus Princeps, iram penitus resecuit. 363
Saltem resistere semper iræ, contendat bonus Princeps, húcque, totius mentis vires adhibeat. 364
Quàm aliena ab homine, iræ conditio. 365
Iræ ignis, ni compescatur, fœdè omnia absumit. 366
Iudicis ira, minùs iusta, nisi sera. 530
Imò nulla sit. 535. 716
Ira, tremore punitur. 772
Iram suam, incarcerat Deus. 848
Scilicet dum spes est, pœnitentiæ nostræ. 464
Ira Dei, non nisi post infamiam nostram, in nos accenditur. 866
Nulla Dei maior ira, quàm adulationibus aliquem permittere imperendum. 1114
Iratus, non procedas ad vindictam. 1384

Irrisio.

Irrideri, summus est dolor. 2
Maximè, si ab ipso, à quo pateris irrideris. 3
Apex verò doloris, si ab illis, quos priùs irriseras. 4
Irrisor, apta pœna punitus. 773
Durissimum est, post gloriam, irrisionibus exponi. 952
Occulta irrisio, aliquibus grandis voluptas est. 1134
Indignus in throno positus, multis est irrisionibus expositus. 626. 627. 628
Summa est, inter supplicia, pœna, alienam irrisionem pati. 898. 899. 900
Quàm duras irrisiones patiantur damnati, apud inferos. 901. 902. 903. 904. 905
Iustis, in hoc Mundo, nihil acerbiùs, quàm quòd Impiorum fierent spectaculum. 906. 907

Iudex.

Iudex, extremi Iudicij memoriâ instituendus. 193
Manus Iudicis, cur niuea, & leprosa simul. ibid.
Corrupti, & incorrupti Iudicis manus, quàm diuersæ. 194
Grauatæ muneribus, Iudicum manus, ab officio retardantur. 195
Iudex, fæliciter mancus. 197
Iudici, non nisi hostilia munera dantur. 211
Corrupti Iudicis verba, qualia. 214
Iudices, quomodò instituendi. 614
Virtus magis, quàm scientia, illis necessaria. ibid.
Iniquus Iudex, suismet verbis conuincitur. 798
Non solùm iniquus est, si innocentem damnet, sed etiam si non defendat. 802
Non de potestatis arrogantiâ, sed de Iuris æquitate, causas trutinet. 804. fusè.
Iudex clemens, rationes reorum, corroborat. 826
Quantùm ab æquo, tantùm à virgæ suæ Sacramento, distat Iudex. 487
Iusta opera, non tàm sibi, quàm Iustitiæ Iudex exerceat. 489. 490
Iudex, sacrilegè iis sceleribus subiacet, quæ in aliis punit. 491
Iudex, nullo fictæ pietatis, & concordiæ prætextu, iura violet. 492. fusè.
Iudices, Concordes sint, & vnanimes, vt eiusdemmet spiritus participes videantur. 497
Iudices successores, recto præcedentium iudicio, & stylo insistant. 498. 499. 500
Iniquus Iudex, pro Tribunali sedebis, nisi te Spiritus sanctus priùs sedem exhibueris. 501. fusè.
Iudex iniquus, Dæmonem paritur. 504
Iudex, in aduocandis testibus, Iuris formam, & competens Iudicium sequatur. 507. fusè.
Quàm syncerus, & quare, in testibus examinandis, Iudex processurus. 514. fusè.
Iudices, quandoque debent causis conniuere, sic enim quandoque vigilant attentiùs. 518
Palpebræ Iudicis, conniuentes, cernunt attentiùs. 519
Vigilare, & inuicem conniuere, debet Iudex. 520. 521
Virga Iudicis, puniens & florida. ibid.
Et oculata. 522
Necessarius Iudicis dolor, in feriendo. 523
Quàm velit Deus, vt Iudicibus suis blanda indoles adhæresçat, & cur. 524. fusè.
Iudex testudineo gradu procedat ad vindictam. 528. fusè.
Supremus Iudex, in appellationibus & suppliciis, qualem se gesturus 533. fusè.
Iudex non iratus, sed serenus, procedat ad vindictam. 535
Sic inuitus puniat, quasi à culpâ cogatur. 536
Iudex, modico pœnarum impendio, paret exemplum. 538. fusè.
In bonum Reipubl. legem quandoque frangat. 539
Aut saltem temperet. 540
Vide *Appellatio. Clementia. Iustitia. Pœna. Reus. Testis. Lex. Munera.*

Iudicium.

Iudicium proprium. stultissimum. 431
Idololatram reddit hominem. 432
Idolum est. 433
Iudicium stultè temerarium est, de occultis, manifestat coniectare, non è contrà. 798
Iudicij temeritas, vitanda. 815

Iudicium finale.

Eius memoria vtilis. 24. 193
Christus ad hoc Iudicium, depositâ misericordiâ accedet. 908
Euibranda tunc solummodò Iustitia; & hæc per longum sæculum apparata. 909
Christus, in id, iam Iudex resurrexit. ibid.
Christus nascens, Iudicium hoc, iam contra proteruos Principes distrinxit. 910
Christi Iudicis, etiam vincti, etiam iudicati, Potentia. 911
Iudicij diuini terribilitas, etiam quæ videbantur tuta, commouet pertimenda; & in Principes est districtior. 912

Quam

Quàm trepidet pius etiam Princeps, diuini Iudicis Tribunal. 913
Nihil seuerum, visus egisse Deus, donec Iudex accedat. 914
Tunc verè, rigida seueritas exercenda. 915
Iudicium illud, aquæ comparatur: quia Iustos purgans, impios premet sub sordibus. 916
Tunc etiam elementa, ob homines, punita. ibid.
Perspicacissimo Iudici, tunc nil occultum: inde trepida commotio creaturæ. 917. fusè.
Omnia tunc ibi, quasi ab scriptis paginis, reuelata, quæ scripta, diligentissimè fuerant asseruata. 918
In illo Iudicio, nihil absque perspicacissimi Iudicis arbitrio, Angeli Ministri diriment. 919
Iudicium hoc, piis Principibus, ipso etiam Inferno, esset horribilius, quamuis obiter inicetur. 920
Etiam sanctissima opera, seuerissimè tunc examinanda. 921
Laruâ depositâ, omnia tunc apertissimè apparebant. 922
Tunc cōfusa reorum obcæcatio, & muta lingua. 923
Tunc surdus, precibus audiendis Christus. 924
Nunc Dei contemptor, in iudicio, inuicem contemneris. 925
Sæuiùs tunc torquebit conscientiæ confusio, quàm Infernus. 926
Si quas tunc damnatus præceps fuderit, pœnas augebit. 927
B. Virgo in extremo Iudicio, etiam durescet. ibid.
Nullus in hoc Iudicio Patronus. 928
Nihil ibi fraude, blandimento, aut artificio præualebis. 929
Obstinatis, cor ibi lancinatur: pomposæque vanitatis plumas, ignis consumit. ibid.

Iuramentum.

Iuramentum, non temerè fiat. 1019
Adulatorium Iuramentum, per vitam, & salutem Principis. 1140
Iuramentum Tyranni, periurio Intolerabilius. 1302

Iurisconsultus.

Leges ad libitum, pro causis, vertit Iurisconsultus. 378
Iurisconf. Aulicus, in grandi periculo. 468

Iustitia.

Iustitia quando manca, tunc integrior. 192. fusè.
Crudelitas, sub specie iustitiæ, latere solet. 222
Princeps, non potestatem, sed iustitiam aduocet. 803
Iustitiæ Encomia gloriosa. 486
Iustæ Virgæ sacramentum. 487. 521. 522
Iustitia, etiam dum punit, neminem lædit. 488
Iustitia publica, priuato affectu exercita, vertitur in vitium. 490
Fictæ pietatis prætextu, non violanda Iustitia: maximè in lite pecuniariâ. 492. 493. 494
Nec etiam sub velo affectandæ concordiæ 495. 496
Vide *Iudex*. Et quæ ibi aduocantur.

L.

Lac.

Lac maternum, vnde infantibus vtilius sit. 1322
Lac Deiparæ, quale. 1323

Lachryma.

Lachrymarum potentia. 305
Lachrymis, quis tenor adhibendus. 1358
Fœmineis lachrymis non credendum. 1479. 1484

Laus.

Laudes præposteræ sæuiùs lancinant: commendant, vt noceant. 265
Immodica laus æmuli, ad euersionem. 266
Huiusce laudationis fraudes. 267. fusè.
Laudes & elogia intercedentium, quomodò veræ probandæ. 667
Benè, & probabiliter, alios laudat, qui rem experientiæ remittit. 668
Item, qui famæ suæ dispendio, alium laudat. 669
Ambitiosus, nunquam iustè laudatur. 670. 671
Inuidus, quomodò laudet, & quando. 265. 606
Laudes fascinantes. 1132
Laus ab impio, infamat. 1135. 1136
Veras etiam laudes, fugit prudens. 1137. 1138
Irrisorum laudes in publico, quales in secreto. 1134
Vide *Adulatio*.

Lex.

Leges, Aulicorum, & Publicanorum vtilitatibus deseruiant. 16. 175
Leges Regibus imperent. 225
Leges, ad Iurisconsultorum libitum, inuertuntur. 378
Respubl. non est propter legem, sed lex propter Rempubl. vnde, in huius obsequium, si opus fuerit, illa est abroganda. 539
Legis rigor, temperandus. 540
Legis priuilegium, non coactiuum. 553
Lex imposita, beneficium est. 729
Deus legibus suis, visus obedire. 812
Gula, leges euertit, & legislatori Deo obstrepit. 1052
Dispensandis legibus obstat, Princeps leges obseruans. 1335
Legislatio, dominium, & auctoritatem supponit. 1300
Alienis, legem imponere, iniquum. 1301
Et Tyrannicum. 1302
Iniquissima lex est, quæ non tàm commune bonum: quàm legislatoris respicit vtilitatem. 1303
Solùm irreprehensibilis legislator, legem fert aptam, moribus corrigendis. 1304
Lex ita condenda, vt ob suauem conditoris indolem, in dubio, semper veniat benigniùs interpretandæ. 1305
Non tàm multis, quàm solidis legibus stat Imperium. 1306
Legum obseruantiam, à populo Princeps exigat: eandémque legibus, quam sibi, solicitet reuerentiam. 1307
In legibus conculcatis, ipsa persona regia, visa conculcari. 1308
Sub ipsis, legislatæ, auspiciis, eius violatio seueriùs punienda. 1309
Obseruandæ legi Princeps inuigilet: lex enim lata, quæ per Principis curam, subditis obseruanda non commendatur, non tàm arcet, quàm inuitat ad malum. 1310
Nihil obseruantiæ legum efficaciùs, quàm si ipsemet Princeps has obseruet: nihílque hâc obseruantiâ Principi gloriosius. 1311
Faustè subditis Imperat Princeps, qui legibus est subditus. 1312. 1313. 1314
Sic Princeps, subditos legibus coërceat, quasi ipse à Deo coërcitus. 1315
Proceres, fœdissimè legibus insultant. 1316

Sic

Sic etiam Procerum familiares. 1317
Princeps legibus subiectus, eisdem Populum subiicit. 1318. 1319
Latæ semel leges non temerè mutandæ. 1320. 1321
Sub eisdem legibus, quibus partum fuit Imperium, etiam conseruandam. 1322
Mutatio legum, etiam dum adiuuat, perturbat. 1323
Ad corruptos mores lex varianda: sed mores potiùs ad legem redigendi. 1324
Solùm diuina, & absoluta lex, est immutabilis. 1325
Lex non tàm, quoad fieri potest, abolenda: quàm emendanda. ibid.
Vt habitum potiùs, quàm formam, mutâsse videatur. 1326. 1327
Lex, etiam pro qualitate personarum varietur, 1328. 1329

Liberalitas.

Liberalitas fœnerat, dum largitur. 49
Princeps quò liberalior, eò ditior. 84
Thronum regium adornat liberalitas. 85
Cultus regius, absque liberalitate, sordescit. 86
Suspecto iure regnas, non liberalis. 87
Liberalitas, ex propriis bonis præstanda. 88. 89
Non tamen solùm ex superfluis. 90
Neque in vnũ tantùm fundẽda liberalitas. 91. fusè.
Sed in omnes. 96. fusè.
Vt quandoque, Minores, ipso obliget, quo solet etiam maiores deuincire 99. fusè.
Quæ liberaliter promittis, non vendas precibus: nec differas difficultatis artificio. 104. fusè.
Liberalitas germana, multò maiora irrogat, quàm rogatur. 110. fusè.
Liberalitatem veram, nec etiam aliena retardat ingratitudo. 116. fusè.
Liberalitas, fraudatoribus turpibus, & indignis, non præstanda. 121. fusè.
Liberalitas, constãs & cõtinua esse debet. 129. fusè.
Liberalitas, dona porrigit, quasi obsequia accipiat: vnde priora data, nauis compensat. 133. fusè.
Ideóque, in id tantùm, vt exuberantior fluat, gratias decorè exigit. 138. fusè.
Liberalitas, non sit emax: satis de se hamata, referet ab ingenuis. 142. fusè.
Quanta futura, regiæ liberalitatis, magnitudo, & quomodò, & vnde spectanda. 150. fusè.
Iactantiam, & exprobrationem, euitat liberalitas: occultans, si opus fuerit, beneficia. 155. fusè.
Vide *Beneficium.*

Lingua.

Linguæ nequam, mala. 286
Non tàm lancinat, quàm illustrat. 294
Ab inferno ignescit. 302
Lingua immanis, cruciatur acerbè. 765. 770
Nequam lingua, pessimus morbus. 1129
Vide *Adulatio. Detractio. Mendacium. Verbum. Lau.*

Lucifer.

In hoc Cap. apud Isaiam, quis sit *Lucifer*. 1086
Lucifer, alia sydera triumphat. 1089
Idem est Lucifer, ac Vesper, sed mutato Equo procedens, fingitur à Poetis. 1090
Vide *Astrum.*

Luxuria.

Luxuria insatiabilis, insatiabiliter punitur. 774
Luxuria victima est Dæmonis titulata. 991
Et in fulis, atque coronis compta. 992
A gulâ fouetur. 1048
Luxuria morbus est, & is contagiosus. 1054
Luxuriæ contagium, præsentissimum. 1055
Contagij prædicti vis. 1056
Sodomiticæ Veneris, fœdissima contagia. 1057
Luxuria, ipso aspectu contagiosa. 1058
Et cæteris vitiis longè contagiosior. 1059
Ipsa luxuriæ pœna, spectantes videtur inficere. ibid.
Ipsáque supplicij instrumenta, contagiosa reddit. 1060
Corpora Sodomitarum punita, adhuc contagiosa. ibid.
Imò & ipse ignis, infames exurens, contagiosus. 1061
Luxuria, solâ fugâ superatur. 1062
Palatina est luxuria. 1065
Quàm debeant senes, abesse à luxuriâ. 1068
Luxuria, non admittit materiæ paruitatem: quia semper gigas. 1069
Luxuria, inter vitia, maximè impudens, & effrons. 1070
Et tamen quandoque curat dissimulari. ibid.
Luxuriam, ipse dæmon erubescit: quia luxuriosum Corpus, dæmoniaco turpius. 1071
Luxuria, per Eucharistiam, fugatur. ibid.
Luxuria, crucifixo Christo, maximè opponitur. 1073
Luxuriæ Crudelitas, ferina. 1077
Et feris immanior. 1078
Mirè crudelitatem, cum mollitie, coniungit. 1079
Vt simul carnalis bestia, ex truculenta fera traducatur. 1080
Luxuria, arma effæminat. 1081
Luxuria, Cor aufert, aut à pectore transfert, in pudenda. 1084
Vide *Amor turpis.*

M.

Magister.

Magister, & Discipulus, quales ad inuicem. 341
Spiritualis Magistri dotes. 1271. fusissimè.
Vni Magistro, diu adhærendum. 1321
Vide *Confessarius.*

Maria Deipara.

Maria, sanctæ Politicæ Magistra. 556
Et charitatis. 557
In extremo Iudicio, etiam contra peccatores durescet. 9727
Mariæ lac virgineum. 1323
Maria, gloriis nostris, Christum coronauit. 1367
Mariani vteri excellentia. 1449
Maria, sponso Iosepho, quàm obediens. 1489
Reges, Mariæ, impensiùs, quàm cæteri fideles obœrantur. 1221
Salus Principum credentium, Corona Mariæ est. 1222
Maria Regina Regum. ibid.
Maria Reges ducit, stella purior: soláque huius lux, coram Christo, non hebescit. 1223
Marianæ stellæ virtutes: & Maria, nauigationis nostræ Acus magnetica. 1224
Maria, Principes, è caduco, in cæleste Regnum transfert, scala Cæli. 1225
Deus, olim Leo, iam per Mariam, Agnus mitescit. 1226
Maria, mansuetum iam Iesum, Regibus offert: Idque super genua sua iam positum, & quare. ibid.

E pa-

E paterno, ad Parthenicum Mariæ sinum, migrat non indecenter Christus: qui in Mariano throno, pomposior. 1227
Maria, Cometa fuit, cælestis Principis mortem: & dæmonis præcipitium, significans. 1228
Maria, Aquila Regibus imperans: Christique & Mariæ gloria, non tàm communis, quàm eadem. 1229
Mariæ, ad Præsepium pietas, quàm nobis necessaria. ibid.
Principes, nihil à Deo, nisi mediâ Mariâ consequuntur. 1230
Maria captiuitatem humanam liberauit, filialis throni particeps. 1231
Ecclesia Christi, non solum sub custodiâ, sed etiam sub dominio Mariæ est. 1232
Maria, Christum nobis mitigat, & attemperat. 1233
Mariana Misericordia, semper noua beneficia progerminat. 1234
Maria, omnium & Sanctorum, & Principum, coronis coronatur. ibid.
Maria, Regibus est, salutis horologium. 1235
Maria, in Moribus beneficiis: & in Amoribus, Christo simillima. 1236
Maria Consiliorum Mater: Ecclesiæ Magistra. 1237
Priùs in terra, quàm in cælo regnauit: vnde Reges, Mariæ sunt Proreges. ibid.
Maria, humilium Magistra: eiúsque doctrinâ, quàm pura. 1238
Christi sapientiam, non nisi per Christum assequimur. 1239
Mariæ regia nobilitas. 1240
Maria, os Christi, per quam ipse, profundiora docuit. 1241
Maria, quadripartiti fontis Euangelici, Paradisus. ibid.
Maria multocula, consiliorum Magistra. 1442

Maritus.

Vide *Vxor*, *Nuptiæ*.

Martyr.

Ambitiosi, sunt Pseudomartyres. 318
Huius Pseudomartyrij labores. 319
Martyr Christi, cur non minùs gloriosus, in adulatoriis linguis, quàm in tormentis tolerandis. 1128
Milites, in bello pro Religione, piè occumbentes: pen sunt Martyres. 1432

Matrimonium.

Vide *Nuptiæ*, *Vxor*.

Mendacium.

Mendaciorum tenor perplexus. 270. fusè.
Mendacium, ab inuidiâ ortum. 275
Mendacij rubor, infamis. ibid.
De Mendacio, etiam insensibilia confunduntur. 276
Mendacio, cognata confusio, & despectus. 277
Nobiles, etiam mendacij suspicionem, à se auertunt. ibid.
Quantus rubor, ingenuo viro, de mendacij suspicione. 278
Vir mendax, etiam proditionis suspectus. 279
Obedientia coacta, mendacium est. 423
Mendacium, suis propriis verbis arguitur. 790
Quò artificiosius est Mendacium, eò faciliùs deprehenditur. 799. 800
In fœminis, egregium artificium, ad mendacia. 1480. 1481.

R.P. Pinto Ramirez Monit. Polit.

Vide *Fraus*, *Veritas*.

Metus.

Metus, est inuidiæ socius. 258
Metus semper maiora imaginatur. 259
Iustorum, Impiorúmque metus, quàm sit alius. 335
Prætextu seruandi Principis, metum suum obuelant Aulici. 419
Amori, reuerentialis metus immiscendus. 696. fusè.
Metus praui damna. 723
Metus, omnia adauget. 825
Vita nostra, perpetuus est metus. 941
Mortis metus, morte peior. 950
Iustus, semper in timore. 1194
Metus, comes inseparabilis est culpæ. 1430
Metus in bello, falsus Vates esse solet. 1404
Quàm soleat pauidis Militibus, obiecta immutare. 1405
Metus militaris contagiosus est. 1406
Ex vanis maior, quàm ex certis, metus combibitur. ibid.
Non solùm robur, sed etiam prudentiam aufert. 1407
Metus nocturnus, castra concutit horribiliùs: & animos obscurat. ibid.
Imò, in noctem obcurissimam, diem vertit. 1408
Metus efficacia, obiectis immutandis. 1409
Causæ variæ, vnde etiam robusti Milites, metu torpescant. 1410. 1411. 1412. &c.
Vide *Bellum*, *Miles*.

Miles.

Delectus Militum, quomodò faciendus. 551. 1401. fusè.
Miles ignauus, Piscis gladiolus appellatur. 1424
Miles piè in bello, contra infideles occumbens, penè Martyr. 1432
Quæ sint Militis officia. 1423
Vide *Bellum*, *Dux*.

Minister.

Ministri fidelis rationes & tenor, erga Tributa. 81
Ministri pompa, de negotiis dilatis. 108
Iniquus Minister, quo iudicio sibi præmia commensuret. 126
Bonus, in obsequio constans. 130
Ministrorum rapacitas. 160. fusè.
Principis mali, peior Minister. 161. 166
Exosus Deo auarus Minister, Principis liberalis. 167
Opulentia repentina Ministrorum qualis. 168. fusissimè.
Minores Ministri rapaces, in Maiorum prædam dati. 173. fusè.
Minister iniquus, moras nectit, augendis stipendiis. 177. fusè.
Saltem à prædis cruentis abstineat. 182. fusè.
Iniquus Minister, Rege paupere ditescit. 187. fusè.
Minister, à Principe ditescat, sed paulatim. 204. fusè.
Hostilitatem, cruorem, contagium, simulatam rapinarum pietatem, euitet Minister probus. 211. fusè.
Fælicior Reipubl. sub Ministris bonis, & malo Principe, quàm è contrà. 329
Ministri, in quas classes diuidantur. ibid.
Domestici Ministri, quales apud Principem. 330. fusissimè.
Non tàm multi, quàm optimi Ministri Principem decorant. 338. 339. 340

Qualis tenor à Principe erga domesticos Ministros : & ab his erga Principem obseruandus. 341. fuse.
Victores in Palatio Ministri, qui tractandi. 344. 345
Vterque insanit, cùm superbus Princeps, Ministro inuidens : tùm Minister gnauus Principi æmulus. 353. fusè.
Ira Principis, quomodò Ministris domesticis ferenda. 359. fusè.
Enorme furtum patitur Princeps, si Probo Ministro spoliatur. 388
Quàm egeat Princeps, ad negotia publica, optimis Ministris. 415
Minister, non plus suis, quàm regiis negotiis attendat. 416
Quàm sit Impium, vt cum Princeps affligitur, tunc Minister priuatis commodis studeat. 417
Prauus Minister, per Principis labores, priuato commodo inhiat. 418
Ignauus Minister, non vult Principem strenuum: formidinémque suam, prætextu seruandi Principis, celat. 419
Non officio erga Principem, sed suo bono studet 420
Astutus, dissimulat affectum, erga officium, vt cariùs conducatur. 421
Quàm sit Dæmoni similis, talis Minister. 422
Ministrorum obedientia erga Principem. 423. fusissimè, vsque ad 459
Administer alieno se officio, non ingerat: quia propriis officij sui fructibus, vernat amœniùs. 460
Ministrorum quisque tradito sibi officio, assuescat. 461
Et proprij Ministerij, fructus ferat. 462
Obsequium Ministri, à circunstantiâ temporis, opportunum. 463
Bonus Minister, etiam flores, fructibus præmittit. 464
Ministrorum ætatibus, fructus respondeant. 465
Quàm impotenter, ad obsequendum Principi, etiam per iniqua, rapiatur Minister. 468
In his, quæ non sunt apertè mala, Principi obstare: rarissimam virtutem arguit in Ministro. 469
Qualis futurus Minister, cui nihil sinistrum tribuatur. 470
Sed totum dextrum. 471
Minister, nihil subdolum gerat erga subditos. 472
Improbus Minister, dum nihil se posse, simulat, sæuiùs opprimit. 473
Bonus Minister, mitis sit, & suauis, erga Populum. 474
Ciuium damnis, condoleat. 475
Bonis verò, congaudeat. 476
Qualis in puniendo. 477. 478
Absentibus Ministris, præsenti curâ, Princeps inuigilet. 479. 480
Desideria Principis, absentem Ministrum ornant. 481
Præsenti Ministro, Princeps non obstrepat. 482. 483. 484. 485
Vide *Aula*, *Consiliarius*, *Dux*, *Familia*, *Iudex*.

Minister Primarius.

Vulgo.

Priuatus Principis.

Vide, quæ hucusque dixi, de Ministro absolutè; adde priuatim, de hoc Priuato : siue primario Principis Ministro. Primarius hic Minister, non debet conregnare Principi. 677. 678. 683
Quisnam Primarius Principis Minister, id est *Priuatus*, appelletur. 541
Priuatus iste, de amore erga Populum, examinandus. 542
Priuatus, gratiarum Principis, sit aquæductus. 543.
Nihil sibi priuatum cupiat. 544
Impius Priuatus, qui sub prætextu honorandi, Principis, populum diuexat. 545
Bonus, plus communibus, quàm propriis damnis condolet. ibid.
Priuati amor, erga Populum, non in aliquos, sed in omnes exhibendus. 546
Priuati duritie, Princeps infamatur. 547
Neque Priuati titulo dignus, qui in omnes, non beneficus. 548
Quique Principi, ne sit beneficus, obiicit difficultates. ibid.
Priuati beneficentia, erga populum, regiæ beneficentiæ, correspondeat. 549
Priuatus, accepta sibi, debet communicanda populo exoptare. 550
Etiam per grandia pericula, debet salutem Populi exoptare. 551
Licèt inde, fauorem regium amittat. 552
Priuatus ab vsuris, & respuentibus, non obtrudat beneficia. 553
Debet Principem compescere, à noxiis beneficiis, populo tribuendis. 554
Curet Principis beneficia, populo, nota facere: quò ille, isti amabilis reddatur. 555
Differat quandoque regia beneficia, vt postea clarius Populo agnoscantur. 556
Priuati vigilans amor, & obsequium, erga Principem. 557
Amor iste, proprio tantùm probandus testimonio. 558
Priuatus, debet de defectibus Principem admonere. 559
Id autem sub quibus circunstantiis. 560 fusè.
Priuatus, absque Regis arbitrio, nihil disponat. 565
Quàm esset dissonum, si Princeps, Priuatum sequeretur. 566
Priuatus, grauia quæque disponat, sed non absoluat, absque Principe. 567
Negotiorum claues, Priuato, sed ex Principis nutu traduntur vtendæ. ibid.
Priuatus licèt potentissimus, nihil absente Principe, disponit. 568
Priuatus, Principi, ad nutum subditus : sic fidelis, nunquam peribit. 569
Suspectus est, si quid, extra libitum Principis, agere præsumatur : immortalis, si ad illius arbitrium, cuncta digerit. 570
Aliquando, nec etiam parua det, inscio Principe. 571
Bonus Priuatus delegationem sibi factam, non excedit. 572. 573
Quàm indignè, quámque in totius Imperij ruinam, Princeps, Priuato suo, se subiiciat. 574
Priuati error, quem Principis sui mordet zelotypia. 544 575. fusè.
Dæmoniaci ingenij est, Priuatus ille, qui Principis colloquia, Amicis inuidet. 577
Generosus Priuatus Amorem Principis sui, omnibus vult esse communem. 578. 579. 580. & cur. 581
Princeps, Priuatum debet decorare. 582
Vt inde veniat aliis venerabilior, quod ipsi Principi,

cipi,

cipi, sit venerabilis. ibid.
Princeps, Priuato, authoritatis titulos communicet, vt noscant inferiores Ministri, se à Priuato dependere. 583. 584
Reuerentiâ, quâ Princeps, colit priuatum, hunc, imperandis cæteris dignificat. 585
Princeps, Priuatum sibi reconciliatum, cur impensiùs debeat honorare. 586. 587
Post vergium, Princeps, solito teneriùs, indulgeat Priuato. 589
Cùm Priuato, grandius, aliquos negotium commendatur, publicè est, impensiùs decorandus. 590
Princeps, domum Priuati sui rarò adeat. 591
Nec tamen id, in causâ vrgenti, vetuerim. 592
Princeps, in decorando Priuato, id curet; ne huic inuidiam conflet, sibi minuat authoritatem. 593
Priuatus, à Populo, per calumnias vexatus: à Principe suauiùs tractandus. 594
Afflictus, à Principe consolandus. 595
Priuatus, Promissionem Principis, captiosè, non extorqueat. 596
Priuatus patienter ferat, promissionem sibi tardè impletam. 599
Eò impensiùs Princeps, familiam, cognatósque Priuati, curet: quò iste in eos, modestiùs se habet. 600
Vt Priuatus Rempubl. sic Princeps priuatam rem, Priuati sui curet. ibid.
Priuati fælicitas, semper attonita: & ruinosa, non vtcunque, sed miserrimè. 601
Maximè, si fælicitati suæ, superbiam adnectat. 602. 603
Fœlicitas hæc, inconstantissima: & nonnisi, in abiectissimam sortem ruitura. 604
Priuatus iacens, à nemine respicitur. ibid.
Stans, non tàm diligitur, quàm timetur. 605
Ideo nutans, facilè deseritur: & exosus Principi, omnibus fit exosus. ibid.
Priuato inuidentes, iam ludibria inter plausus, meditantur. 606
Nullus Priuatus, etiam optimus, post mortem, lachrymas, & desideria populi promeruit: emacia sunt enim, Populi blandimenta, erga Priuatum. 607
Priuati iniqui mors, cæteris est exemplar. 608

Misericordia.

Misericordia, beneficio nociturо si fortè, obstat. 128
Vano Misericordiæ prætextu, ius violatur. 492. 493
Nulla est Misericordia, per Iustitiæ violationem. 494
Misericordia Dei, apud Iudices asperos, accusatur 525
Et apud duros Ministros infamatur. 526
Vide *Clementia*.

Modestia.

Qualis modestia, in recreationibus obseruanda. 692. 693
Vide *Vultus*.

Monarchia.

Monarchiam, in Oligarchiam vertit, stultus Princeps. 682
Vide *Minister*, *Primarius*.

Monitor.

Vide: *Admonitio*, *Concionator*, *Confessarius*, *Magister*.
R.P. Pinto RamirezMonita Polit.

Morbus.

Morbi leuamen, vnde. 2
Morbus Auaritiæ, qualis. 71. fusè.
Morbus luxuriæ. 1054. fusè.

Mors.

Mortis leuamen, vnde. 2
Mors, nos ab histrionico habitu denudat. 31
Cur somni vocabulo, mors exprimatur. 232
Quomodò somno iungatur. ibid.
Mors fælicium, nec lachrymis, nec desiderio populi excipitur. 607
Et aliis fit exemplar. 608
Morte, sæuior est Infamia. 756
Mors, humano generi iam lapso, non debet esse grauis. 838
Infælicibus mors optata. 839
Mortis memoria, quàm vtilis. 841
Miseris, iucunda est mors. 842
Mors, hominem instituit, vt se agnoscat. 877
Mors, sanguinem sugens, Ethnicis credebatur. 886
Mors, apud Inferos, frustrà exoptatur. 889. 890. 904
Pœnitentia, in morte, periculosa est. 953. fusè.
Voluptas morti inludit quâ funestiùs perit. 987
Mors in bello, contra Infideles, gloriosissima. 1433. fusè.
Principes, semper sibi mortem remotam putant. 930
Mortis memoria protegimur. ibid.
Mortalis vita, mors est continua, & sæpè morte ipsâ longè sæuior. 946. fusè.
Vita, mortis est index. 959. fusè.
Vide omnino, *Sepulchrum*, *Vita*.

Mortificatio.

Quam vtilis sit Mortificatio affectuum. 835
Mortificatio Carnis, & maceratio, antiquissima, contra hæreticos, probatur. 840

Munus.

Munera, ab hoste, semper periculosa. 211
Muneribus non attrectandis, debent Ministris esse manus mancæ. 192. fusè.
Munerum spicilla, causas longè aliter, ac sunt, repræsentant. 198
Muneribus, etiam parentes obcæcantur. ibid.
Munera si videris, ius videre non poteris: & quare. 199
Viliuscula etiam munera, Regem excæcant. 200
Quàm spicillis munerum, & oculi, & obiecta varientur. 201
Munerum splendor, oculos lædit. 202
Sub primo Orbis iudicio, munerum pondere, diuina causa obruitur: & quare. 203
Vide: *Beneficium*, *liberalitas*.

Musica.

Princeps, indecenter Musicus, & Poëta. 697. 883
Musica turpis, morum pestis. 882
Musici, vt plurimùm dementes. 883
Musicæ turpis, Auctor quis. 1386

N.

Necessitas.

Necessitas nihil fastidit. 769
Sub necessitatis prætextu, voluptates propinat Dæmon. 1007
Voluptas aliquibus, vertitur in necessitatem. 1017

Nobilitas.

Nobilitas virtutem debet. 332
Nobilis,ad officia, præponendus plebeio. 631
Si tamen,non fuerit arrogans. 632
Si stemmata generis, virtuti postponat. 633
Si illa suo tempore nôrit dissimulare. 634
Nobilitas, absque virtute infamis. 635
Ignobiles,si digni, etiam promouendi. ibid.
Pharisaicum est,ignobiles, nunquam idoneos credere. 636.637
Nobilitas arrogans, etiam manifestas ignobilium virtutes,suspectas habet. 638
Id dæmoniacum est. 639
Promouendus ergo Ignobilis, si idoneus. 640
Hæc promotio,ipsi Principi, gloriosissima. ibid.
Obstrepere benemerito iam promoto, de vilitate generis, impium est. 641
Ignobili promoto, grande periculum à superbiâ. 642
Ignobilis in throno, priscæ sortis sit memor. 643
Neque cognatos viliores spernat. 644
Vilitatem priscam,non abscondat,sed illustret. 645
Nobilis, ignobilisque, ortu & obitu æquales. 979
Absque virtute nobilitas vilescit. 1240

Nomen.

Nomen, operibus respondeat. 1437
Nomen virginis ante nuptias,vix sciendum. 1452. 1453

Nubes.

Nubes, Dei vehiculum appellatur. 1094
Id etiam falsis Nominibus assignabant ethnici. 1095

Nuptiæ.

Principum nuptiæ,infælices Populo,ob tributa imposita. 89
Nuptiæ sint consonæ,vt sint faustæ. 154
Vinculum nuptiale,quàm sit arctum. 833
Veræ nuptiæ nobiscum Deo,in Eucharistiâ. 1190. fusè.
Nuptiarum repudium,apud Hebræos,quale. 1303
Quàm infælices nuptiæ, vbi vxor non eligitur, sed assumitur. 1447
Nuptiæ inter absentes,infæliciter contractæ. 1448
Sponsa,non nisi præcognita,fauste ducitur. 1449
Sponsus saltem occultè, peragendis nuptiis suis debet assistere. 1450
Neque famæ,neque pictoribus, de sponsis credendum est. 1451
Virgo ante nuptias,non solùm famâ,sed etiam nomine,debet quodammodò carere. 1452.1453
Quàm debeat Paranymphus, in nuptiali negotio procurare, vt vxor Mariti moribus respondeat. 1454. 1455. 1456
Prudens Nuptiarum electio, hodie multo, quàm olim necessarior. 1457
Nuptiæ sanctæ, & inde fælices, Deum ipsum habent Paranymphum. 1461
E tanto Paranympho, mirus coniugibus Amor communicatur. 1462
Vide omnino *Vxor.*

O.

Obedientia.

Obedientia, restituit peccatorem. 831
Qui priùs didicit obedire, is fæliciter imperat. 1313
Obedientia vxoris, erga maritum. 1488.fusè.
Obedientia, sit deuota & ex affectu, coacta enim, mendacium est. 423
Nisi ex animo obedias,tutè tibi,carnifex eris. 424
Obedire ex seruili timore, quanta pœna. 425
Obedientia cum voluptate. 426
Ex amore,suauis:ex timore fallax. 427
Sit facilis & prompta. 428
Obedientia erga Principem sit cæca. 429
Propria obedientis prudentia, semper fallax. 430
Obediens sub proprio iudicio, stultissimus. 431
Idololatra,& Ariolus dicitur: & cur. 432.433
Veri obedientis cogitatio, non iudicat, sed ministrat. 1434
Nihil paruum,in obedientiâ. ibid.
Nihil egregium & pium, de inobediente præsumi potest. 435
Obediens, superioris Iudicio totus hæreat. 436
Obedientia,eò firmior,quo magis pendula. 437
Hæc pendula obedientia,quàm generosa. 438
Virtutum examen est. 439
Hæc obedientia pendulè sic imposita, tantùm abest à tyrannide, vt sit potiùs germana ratio Principatûs. 440
Hæc obedientia,hæreticis cur inuisa. 441
Catholicis est gratissima. 442
Homo, Animal est impatiens obediendo. 443
Patientia obediendo, probat Ministros. 444
Obedientiæ cæcæ pulchrum examen. 445
Inobedientis, character qualis. 446
Obedientia sit prompta. ibid.
Audire & obedire, perinde sit: & verus obediens, voluntatem diuinet superioris. 447
Obediens generosus, non solùm expresso præcepto:sed voluntati tacitæ, se subdit. 448
Obedientia sit ardens & prompta:pigritia enim in hoc negotio, iniquitas est. 449
Vera obedientia flexibilis & cerea. 450
Nec solùm cera, sed ista liquefacta. 451
Prauus Minister, solùm in sibi placitis obedit. 452
Obedientis Ministri laus. ibid.
Obedientiæ,in rebus difficilibus,strenuitas. 453
Subditorum egregia obedientia,qui probanda. 454
Obedienti,vires crescunt: decrescunt inobedienti. 455
Obedientiæ perseuerantia,pulchra. 456
Obedientiæ deprecatio,rebellionem portendit. 456
Obedientia, seniorum est dignitas. ibid.
Obedientia,cuius nutu incepit,eiusdem cessat. 457
Obedientia prudenter scrupulosa. 458
Sub hoc prudenti scrupulo,quàm generosa. 459
Vide *Lex,Obsequium,Officium.*

Obsequium.

Obsequia turpia,prodigalitas compensat. 125
Quæ potiùs deberent esse exosa. 127
Bonum obsequium sit constans. 130
E prīs tantùm obsequiis, iusta opulentia. 206
Obsequia, è circunstantiâ temporis opportuniora. 463
Obsequium,ad turpia,non præstandum. 467.468
Erga Principes, sedulum obsequium adhibendum. 557

Oculus.

Oculus Iustitiæ Sol vocatur. 178
Oculi quandoque dum conniuent,plus vident. 518
Et per palpebras, quodammodò cernunt acutiùs. 519
Vigilare & conniuere inuicem, debent gubernantium oculi. 520.521
Oculata virga, quæ. 522

Oculi

Oculi Principis, amorem & timorem simul infundant. 687
Oculus malignus, condignè tortus. 767
Oculi auribus, longè certiores. 812
B. Virgo, multocula. 1242

Odium.

Ex odio personæ docentis bona doctrina, aliquando respuitur. 515
Amor turpis, desinit in odium. 1064. 1065
Odium coniugis, seuerissimè punit Deus. 1466

Officium.

Nemo prudens, alieno se officio ingerit: sed propriis, officij sui, fructibus vernat amœniùs. 460
Tradito sibi officio, quisquis assuescat. 461
Et proprij officij, fructus edat. 462
Alieni temporis fructus, in officio suo, prudens respuit: sempérque precoces fructus, habet suspectos. 463
Flores tamen præmittit, in spem fructuum. 464
Ministrorum ætati, fructus accepti officij, correspondeant. 465
Non solùm voluntati, sed etiam æquæ Principis voluptati, officiosus Minister correspondeat. 466
Caueat, ne Principi, ad culpas, præstet officium. 467. 468. 469
Nihil in officio sinistrum, nihil subdolum, nihil asperum gerat Minister. 470. fusissimè.
Attentissimâ consideratione, officia distribuenda: & Minister officio commensurandus. 609.610
Quantâ consideratione sit opus, in hoc negotio. 611
Et quàm sæpè, hîc soleat, aberrari. 612
Electio officiis, quæ præstanda. 613.614.615
Virtus, accepta officia adornat. 616
Solus dignus officio, qui officium fugit. 617.618
Hæc fuga syncera, quàm sit gloriosa. 619
Quandoque enim, versuta, & Parthica est. 620
Qui accepto officio verè renunciat, auidiùs retinendus. ibid.
Dignis, etiam in ipso throno, officium despicabile. 621
Culpabilem, ad officium electionem, etiam deprehenso incommodo, fouet iniquus Princeps. 622
Iustus verò Princeps, faustum & fælicem, si fortè, electionis errorem, fouet constantissimè. 623
Vir dotibus insignis, obiecto officio perperàm adhibetur: dum interim vir abiectus, ad illustre officium euehitur. 624
Non veto, vilioribus quandoque officia dari, dummodò propterea benemeritis non subtrahantur. 625
Digni promouendi: indigni, ab officio deturbandi. 626
Indigno, periculosum, & ridiculum est officium. 627
Monstrosum quippè tunc officium ipsique indigno, indecens. 628
Indignus, officio ipso polluitur, & fœdatur. 629
Officium, tantummodò post merita, speciosum. 630
Nobiles, ignobilibus, in officiis præferendi. 631
Quales futuri, nobiles prædicti. 632. fusè.
Pharisaicum, & Dæmoniacum est, ignobilium virtutibus, de vilitate generis, præiudicare: ne ad officia, promoueantur. 635. fusè.
Id à Principe Iusto, quàm alienum. 640.641
Ignobilibus ad officia ascendentibus, grande periculum à superbia, priscam ergo vilitatem, ob oculos semper gerant. 642. fusè.
Officiorum distributio, (præterquàm in Consiliariis, non tàm seram, quàm seriam ætatem postulat. 646. fusè.
Quanta futura proportio, Ministri, ad officium. 652. 653. 654
Officium publicum, illi tribuendum, cuius ad illud, publica est proportio. 655
Officia, generis accommodanda, sic suauiùs exequenda. 656. fusissimè.
Officia, iis distribuenda, qui sunt onera, cum honoribus subituri. 661
Indignus est officio, qui onus, cum honore, non subit. 662
Officiosus Minister, non solùm onera, sed sordes, subditorum subit. 663. 664
In officio onus honori commensurandum. 665
Onus istud, quale. 666
Commendatores & Patroni eligendorum ad officia, quomodò probandi. 667. fusè.
Ambitiosus, licèt aliunde dignus, semper suspectus ad officium. 670
Humilis ergo, & qui se non audet, ingerere: huc probandus. ibid.
Ille officio dignus, qui non ambit, sed respuit officium: cogitúrque subeundo. 671
Vacantis diu officij, pericula. 672
Prudens Princeps, aut re, aut mente vacans officium, subitò consignat. ibid.
Quid facturus Princeps, cum vacans officium, non statim idoneo Ministro, potest imponi. 673
Officia, quando sint ad tempus, & non in perpetuum, consignanda. 674
Syncera electio, diuinam opem, fungendo officio, habet paratam. 675. 1261

Otium.

Otium, cur tenebris aptissimè puniatur. 773
Otij damna. 857

P.

Papa.

Papa, id est, summus Pontifex Romanus: vnicè Christi vicarius, & totius Orbis Pastor: in quantâ reuerentiâ apud Principes. 1254
Papa, Episcoporum rector, & frater maior. 1255
Papam, in rebus fidei, vel leuissima vmbra mendacij, non inficit. 1256
Solius tantùm synceerissimæ veritatis assertor. 1257
Quâ omnes penitus hæreses profligat. ibid.
Papa in terris, cælestis clauiger: & priuatâ quadam adoptione, Dei filius: totiúsque Ecclesiæ, & Apostolorum os. 1258
Papa, Ecclesiæ petra fundamentalis: & vnde, salutaris doctrinæ, fons emanat. 1259
Papa, necessarius & legitimus, D. Petri successor, in doctrinâ errare nequit. 1260
Papa, de officio magis, quàm de personâ æstimandus. 1261
Neque tàm intermediorum Pontificum: quàm illius primi Petri, successor appellandus. 1262
Vide *Clerus*.

Parabola.

Parabolæ, in Sacris, multiplex significatio. 5

Paranymphus.

Non benè, per Paranymphos, initur matrimonium. 1447. fusè.

Qualis futurus Paranymphus. 1454. fusè.
Sanctarum Nuptiarum, Deus est Paranymphus. 1461. 1462.
Vide *Nuptiæ*, *Vxor*.
Parens.
Parentes lasciui, prole priuantur: aut ipsis filiis, sæuiùs contorquentur. 771
Parentes per filios perennant. 829
Parentes, filiis, tanquam summo beneficio, à Deo obligantur. 832
Parentes, plus filiorum morte, quàm suâ torquentur. 1108
Parentum virtutes, referant filij. 1504
Parentes, quomodò filios instituturi, ne horum vitiis fœdentur. 1496
Singuli filiorum, aliquid speciale habent, vnde parentum affectum, in se rapiant. ibid.
Filius calamitosior, sæpè à parentibus, ardentiùs amatur. ibid.
Strenuæ virtutis est, filiis fortiter imperare. 1497
Heroica, aliquarum Matrum virtus in filiis instituendis. ibid.
Non tàm de sanguine, quàm de virtute, Parens, filium agnoscat. 1498
In benè institutis filiis, Parentum memoria perennat; in malè autem educatis, parentes damnantur. 1499. 1500
Quantùm sit beneficium, à Deo Parentibus, bonos filios. ibid.
Filij quomodò à Parentibus, hæredes instituendi. 150. fusè.
Vide *Hæres*.
Paupertas.
Qui auarus est, semper est Pauper. 78. fusè.
Familiariter & blandè tractandi Pauperes. 113
Paupere Rege, ditescunt Ministri. 187
Paupertatis religiosæ, q ues. 310
Pax.
Pax, grande Orbis bonum. 134
Pax, lætissimum Angelis spectaculum. 1389
Vbi Pax, ibi Christus: cuius hæc, perpetuum donum est. 1390
Pax, gloriosissimum est à bellis trophæum. 1393
Quomodò, nostra simul, & Christi possessio, sit Pax. 1394
Frustra quæritur, semel violata. 1395
Pax vera, in Morte pia, est. 1433
Vide *Bellum*, *Concordia*.
Peccatum.
Peccatoris, multiplex larua. 26
Peccator, sui est portatile sepulchrum. 58
Peccator quandoque gratior resurgit, quàm ceciderat. 120
Diuino beneficio, ad Dei iniuriam, abutitur Peccator. 123
Dæmonis, membrum est, & satelles. 161
Semper otiosum se putat, ni extremè noceat. 385
Enormis Peccator, *singularis* dicitur. 391
In illam culpam relabitur, quam sed non propter Deum, iugulauit. 488
Nullus peccator, à remedio desperandus. 526
Solum incorrigibilis, asperiùs tractandus. 527. 529. 530
Incorrigibilis peccatoris punitio, gratissima Deo victima. 726. fusè. 735. fusè.
Peccator, bestia est. 729
Peccator, vmbra dæmonis: Peccatum vero, vmbra Mortis est. 738
Peccatum, laqueus ad pœnam. 739
Certissima, peccato, pœna imminet. 740. 741
Maximè, si scandalum inuoluit. 742. fusè.
Impunitas aliorum, alius est, peccandi illecebra. 750. fusè.
Publicatio peccati, pœnarum maxima. 754. fusè.
Peccato, similis, per omnia, pœna correspondet. 763. fusè. 770. fusè.
Semper speranda, Peccatoris correctio. 775. fusè.
Peccator, sibimetipsi carnifex. 782
Peccator, quò fælicior crescit, incendio est paratior. 783
Peccator obstinatus, sibi ipsi pœnam procurat. 784. 785. 786. 765
Suismet verbis conuincitur peccator. 787. fusè.
Peccator, fur est. 791
Frustrà, Carnis fragilitatem, prætendit Peccator. 796
Peccator, vbique meticulosus, & suâ ipsâ conscientiâ conuictus. 825
Peccatoris perditio, ex se: salus ex Deo. 844. 869
Peccator, diuinam clementiam, ligat peruicax. 847
Peccator, in Carnem, totus conuertitur. 868
Inferni victima est, Dæmonis epulum. 988. fusè.
Peccati, Os triplex. 994
Peccator, Dæmoni pene concorporatur. 999
Peccati miserrima seruitus est. 1014
Peccatum aliquibus, vertitur in morem. 1017
Peccator perditissimus, de culpâ se iactat. 1023. fusè.
Peccatum effæminat. 1424. fusè.
Pecunia.
Pecunia, sanguis dicitur. 13
Pecuniæ, viscera sunt, auari. 63
Pecunia olim, Dea. 65
Hodie aliquibus, Idolum est. 66. 68
Auari pecunia, contagiosa. 74
Pecunia, Gulæ administra. 1049
Pecuniæ thesauri, in bella iusta, apparandi: sic Deo militant. 1397 fusè.
Petrus.
D. Petri elogia, Primatus, & in successoribus viua repræsentatio. 1254. fusè.
Vide *Papa*.
Pœna.
Pœna, tanquam remedium, noxiis adhibenda. 223
Quis sit, pœnarum, iustus tenor. 224
Instar monitorij fulminis, quandoque veniat. ibid.
Secundùm leges, infligatur. 225
Non voluptatem, sed dolorem debet punienti importare. 226
Princeps, in præmia potius, quàm in pœnas constituitur. 426
Ad sæuæ pœnæ conspectum, etiam insensibilia mitescunt. 477
Attentissimè postulanda. 509
Benignitas pœnis admiscenda. 524. fusè.
Non nisi tardè, ad pœnas veniendum. 528. fusè.
Extrema pœna, & vltimum supplicium, non nisi dispectis omnibus circunstantiis, adhibendum. 535
Modico pœnarum impendio, exemplum cæteris parandum. 538. fusè.
Nunquam tota vniuersitas delinquens, punienda est. 539. 854. 855. 1381
Non violenter in pœnas irruendum. 716. fusè.
A Deo, semper mitissima pœna venit. 830
Princeps puniens, punitorem Deum recolat. 1315
Pœna, quasi sanguinis missio, siue phlebotomia, exercenda. 725

Incorri

Incorrigibilium pœna, victima est, Deo gratissima. 726. 727
Proteruis, certa pœna instet. 728
Singulis culpis, suæ pœnæ corresponsuræ. 729
Non passim, ob Amicos intercedentes, pœna condonanda. 730. 731. 732. 733
Nulla culpa, absque aliquo pœnæ genere, saltem interno, pœnitentibus relaxatur. 734
Erga incorrigibiles, pœna sit vmbra culpæ. 735
Vt pœna, culpam effigiare, & adumbrare videatur. 736
Et instar vmbræ, proxima aduenire. 737. 738
Ipsa culpa, laqueus pœnæ est. 739
Et rete inexplicabile. ibid.
Nullibi, à pœnâ, sit culpa tuta. 740. 741
Pœna in scandalosos, diligentissimè vibranda. 742. 743. 744. 745. 746
Et festina. 747
Scandalosus, non solùm suæ, sed etiam alienæ culpæ, pœnas luat. 748. 749
Impunitas iniquorum, aliis fit illecebra, ad peccandum. 750. 751
Princeps, scandalosis pœnas remittens, seuerissimè à Deo punitur. 752. 753
Cur sit pœnarum maxima, culpæ publicatio. 754. 755. 756. 757
Pœnam publicam, Anatomici Medici instar Princeps exerceat. 758
Hæc anatomia, in aliorum salutem vtilissima. 759
Publicæ pœnæ memoria, & aspectus, aliis quàm vtilis. 760. 761. 762
Pœnæ, culpis correspondeant, pro quarum varietate, variandæ. 763
Superbæ ambitioni, quæ pœna corresponsura. 764
Quæ superbiæ. 765. 766
Quæ oculis malignantibus, & prauæ linguæ 767
Quæ ingeniosæ voluptatum exquisitioni. 768. 769
Quæ Auaritiæ, & linguæ perfidæ. 770
Quæ lasciuis parentibus, & vxorio Marito. 771
Quæ fraudulento, & irato. 772
Quæ pulsantibus, irrisoribus, otiosis, & fumos vendentibus. 773
Quæ insatiabili luxuriæ. 774
Princeps, in pœnas, nec nimius, nec improuidus. 775
Pœna priùs comminanda, quàm infligenda. 776
Id tamen cautè, ne aliis sit scandalum. 777
Tarditas pœnarum, grauitate tandem, contra incorrigibiles compensetur. 778. & cur. 779. 780
Pœna, tunc iustissima infligitur, cùm illam reus, videtur procurare, & vltrò adire. 781. 782. 783. 784. 785. 786
Pœna tunc æquissima, quando Reus, propriis verbis conuincitur. 787. 788. & inde fusè.
Iniquus, in Pœnas, Princeps, suis se verbis traducit. 798. fusissimè.
Non de potestatis arrogantiâ, sed de Iuris æquitate, pœnas exibret Princeps. 804. fusissimè.
Deus, ad pœnas tardus. 817. 818. fusè.
Deus in Dæmonis pœnis blandus, vt in hominem, punitor blandior veniret. 817. 828
Deus in ipsis pœnis, beneficus. 829. 830. fusè.
Deus, pœnas inflictas, non duraturas cupit. 837. 838. 839
Pœnarum inflictio, alienum opus, à Deo. 844. 845
Pœnæ graues, non nisi post longam disceptationem, inferendæ. 850
Dedecet Principis Maiestatem, spectandis suppliciis, & pœnis, interesse. 856. 857. 858. 859
Princeps clemens, se cupit apud subditos, ab inflictis pœnis excusare. 860. fusè.
Qualem se gerat Deus, in pœnis infligendis. 861. fusè.
Princeps præmia : Minister pœnas inferat. 869
Vide *Clementia*, *Infernus*, *Lex*.

Pœnitentia.

Pœnitentia, sæpè maiora reddit, quàm quæ culpa amiserat. 588
Pœnitentia, semper aliquid, saltem interiùs pœnæ subit. 734
Pœnitentiam nostram, Deus sollicitat. 823
Suauissimus est Deus, Pœnitentibus. 840
Pœnitentia, facilè restituit lapsos. 843. 846
Impœnitens peccator, quodammodò est penè infidelis. 860
Pœnis, ad pœnitentiam, à Deo prouocamur. 861
Pœnitentia nostra, Angelorum est cibus. 997
Si pœnitentiam oblatam peruicax spernis, postea cupiens defraudaberis. 1020
Pœnitens, quomodò admonendus. 1275
Sub prætextu diuinæ misericordiæ, Pœnitentiam differre, sacrilegum est. 953
Quàm difficilis, huic tali, vera pœnitentia, & cur. 954
Sæpè ad extremum morbum, dilata pœnitentia, moribundus eluditur. 955
Pœnitentia, non alienis precibus, sed tuâ conuersione stat. ibid.
Extrema dementia est, ad extremam horam reiicere pœnitentiam. 956
Vera pœnitentia, in quauis horâ, accipitur à Deo: an autem extremæ horæ pœnitentia, sit vera hoc opus, hic labor est. 957
Pœnitentiæ difficultas, in illâ extremâ horâ, altius ponderatur. 958
Vide *Confessarius*.

Politica.

Christi Politica, terrenæ contraria. 273. 335
B. Virgo, sanctæ Politicæ Magistra. 556
Hæreticorum Politica : imò Politicorum hæresis, & Antipolitica, quæ sit, & qualis. 392. fusè.
Vide *Hæresis*.

Potestas.

Potestas, absque iure, tyrannica est. 804. fusè.
Potestas nocendo, dæmoniaca est. 806. 807
Potestas quo maior, eo sit iustior. 810
Potestas, facilè in tyrannidem declinat. 1369. 1373
Non vsus potestatis, sed affectus taxandus. 1370

Princeps.

Principum gloria, comica, imò tragica. 25 fusè.
Breuis, & instantanea. 33. fusè.
Huius vilitas, quandoque ipsis Principibus in confessio. 40. fusè.
Princeps, terrenam, æternæ gloriæ comparet : ne consors communis naturæ præ cæteris intumescat 44. fusè.
Princeps auarus, degenerat in seruum. 50. fusè.
Princeps auarus, carcer est naturæ, deuinctus sordidè, sordida deuinciens. 55. fusè.
Inde in fœdissimam Idololatriam prolabitur. 65. fusè.
Auaritia, Principi dirus morbus. 71. fusè.
Princeps auarus, eo ipso inops. 78. fusè.
Agnasci debet Principi liberalitas. 84. fusè.
Et ista, è bonis propriis exhibenda. 88. fusè.

Neque,

Neque in vnum fundenda. 91. fusè.
Sed in omnes. 96. fusè.
Vt quandoque maiores ipso obliget ; quo solet etiam maiores deuincire. 99. fusè.
Beneficentia Principis promissáque, precibus non vendenda, difficultatis artificio. 104. fusè.
Princeps, sæpè maiora irroget, quàm rogetur. 110. fusè.
Imò. nec etiam ab ingratis retardatus, si opus fuerit, obtrudat beneficia. 116. fusè.
Non tamen beneficia ponat Princeps, apud fraudatores, turpes, & indignos. 121. fusè.
Principis beneficentia, sit constans, & continua. 129. fusè.
Vt beneficia subditis accepta, tanquam præstita obsequia, nouis pensare beneficiis, Princeps videatur. 133 fusè.
In id tantùm, Princeps, gratias decorè exigit, à subditis. 138. fusè.
Non sit itaque emax, beneficentia Principis, satis illa de se hamata, referet ab ingenuis. 142. fusè.
Qualis futura, beneficentiæ regiæ magnitudo, & quomodò, & vnde spectanda. 150 fusè.
Iactantiam, & exprobrationem euitet Princeps, occultans, si opus fuerit, beneficia. 155. fusè.
Prauo Principi, semper peiores Ministri apparantur. 161 fusè.
Paupere Principe, ditescunt isti. 187. fusè.
Ministri ditescant, à Principe: idque paulatim quandoque. 204. fusè.
Princeps vt plurimùm, Curiam malè: peiùs moratam sortitur Aulam. 235. fusè.
Quàm debeat Princeps, aulicam suorum inuidiam præcidere: & sub quo tenore, quandoque permittere. 243. fusè.
Quàm præpostere, & fraudulenter, se inuicem apud Principem, laudent Aulici. 265. fusè.
Princeps, familiæ suæ morum, Censor acrior. 330. fusè.
Familiarium numerum, Princeps temperet. 336. fusè.
Qualis tenor à Principe, eiusque familia, inuicem obseruandus. 340. fusè.
Viliores domesticos languentes non abiiciat Princeps. 344 345
Pro mutuâ Principis, cum Domesticis suis amicitiâ, nonnihil moneo. 346 fusè.
Vterque insanit, cum superbus Princeps, Ministro inuidens: tum Minister gnauius, Principi æmulus. 353. fusè.
Domesticis, Ira Principis, quî ferenda: hæc Principi, quàm fœda: quàm illi extirpanda penitus, aut temperanda. 359. fusè.
Quales sibi Consiliarios, Princeps adhibiturus. 367. fusissimè.
Quæ Impia Principum Consilia, in Atheismum declinent. 392. fusè.
Violatorem arcanorum, seuerissimè Princeps puniat. 412. fusè.
Princeps Administros, sibi eligat, Regníque rebus, attentissimos. 416. fusè.
Qualem, à subditis obedientiam, debeat Princeps exigere. 423. fusissimè.
Quando quo, & quali ministerio, gratia Principis, veniat promerenda. 460. fusè.
Cur, se Princeps, erga Ministros absentes, quasi Præsentem: absentem, erga præsentes, sit gesturus. 479. fusè.
Quos debeat Princeps, Iudices constituere. 486. fusissimè.
Qualem debeat Princeps in Primarium sibi Ministrum (vulgo *Priuatum* dicitur) aduocare. 541. fusissimè.
Princeps amandus: mouendus etiam, sed sub debitis circunstantiis. 557. fusè.
Princeps, nihil, absque suo nutu, Ministris gerendum permittat. 565. fusè.
Gratia Principis, augusta est: & in omnes, quin exhauriatur, sufficiens. 575. fusè.
Princeps, Ministros condecoret: accedit enim his reuerentia, apud subditos: quod à Principe, quoque reuerenter habeantur. 582. fusè.
Quibus id præcipuè occasionibus obseruandum. 586. fusè.
Princeps, an, & quando, Priuati sui domum ingressurus: quomodò huius temperaturus honores, & labores solaturus. 591. fusè.
Principis promissio, erga Priuatum: cura erga eiusdem familiam & Cognatos. 596. fusè.
Principum delyria in eligendis Ministris. 699
Non temerè, sed attentissimâ consideratione, honores & officia, distribuat Princeps. 610. fusè.
Quæ debeat Princeps, optimæ electionis aucupari indicia. 616. fusè.
Culpabilem electionis errorem, fouet iniquus Princeps: æquus vero, innocentem, & fælicem errorem fouet constantissimè. 622. 623
Quando, & ad quem gradum possit Princeps, promouere Indignos: si vltrà: iam ludibrio, & dedecori exponendos. 624. fusè.
Nobiles, ignobilibus, præferat Princeps: sed quales. 631. fusè.
Quàm sit, à Principe pio, alienum, Ignobilibus benemeritis aliunde, generis vilitate obstrepere. 635. fusè.
Ignobiles prouectos, sed modestiâ insignes, probet Princeps. 642. fusè.
In distributione honorum, (præterquam in Consiliariis) non tam seram, quàm seriam ætatem, attendat Princeps. 646 fusè.
Proportionem Ministri, ad ministerium; attentè aucupetur Princeps. 652. fusè.
Tunc enim fæliciter exercentur officia, cùm hæc, Ministrorum genio, accomodat Princeps. 657. fusè.
Princeps officia iis distribuat, qui sunt, honores, cum oneribus subituri. 661. fusè.
Elogia commendatitia, eligendorum; ab Amicis & Patronis iactata: vnde, & quomodò debeat Princeps approbare. 667
Vacantis officij nocumentum, auertat Princeps: commisso ad tempus adhibeat cautelam. 672. fusè.
Princeps, Amicis suis, turpiter æquatur, aut subiicitur. 676
Princeps, sibi vnicè, dominandi Ius, & Maiestatis gloriam reseruet. 677. fusè.
Regij vultûs suauitas, vbique grauitate temperetur. 684. fusè.
Idem in verbis, & factis, Princeps obseruet: vt vbique, Amori erga ipsum, timor & reuerentia misceatur. 696. fusè.
Principi, nihil in facie, toruum: nihil in Maiestate, nimium: hominem se agnoscat comis: comior Patrem gerat. 704. fusè.
Principis comitas, acceptas erga iniurias, vt parcat: neve putetur irruere violentus. 713. fusè.
Comitatis suauitas, non minuit, quàm auget Principis

cipis Maiestatem. 718. fusè.
Princeps, incorrigibilium pœnas, nullatenus remittat. 726. fusè.
Apud Principem, pœna, in hos tales, sit vmbra culpæ: rete inexplicabile. 735. fusè.
In scandalosos, præcipuè, Princeps desæuiat. 742
Luet Princeps, apud Deum, quidquid, iustè puniendum, dissimulet. 750
Publicationem culpæ, tanquam pœnarum, in aliorum exemplum, distringat Princeps. 754. fusè.
Et pœnas, pro varietate scelerum, variet. 763. fusè. 770. fusè.
Dum spes correctionis est, Princeps sit tardus ad pœnas, tarditatem postea grauitate compensans. 775. fusè.
Sic iustus ad pœnam Princeps procedat: vt illam reus procurare videatur. 781. fusè.
Reum, quoad poterit, suis ipsius verbis conuincat Princeps. 787. fusè.
Princeps iniquus, suis se verbis traducit. 798. fusè.
Non de potestatis arrogantia, sed de Iuris æquitate pœnas euibret Princeps. 804
Diuinam Clementiam, Principi iusto, propono in exemplar. 817. fusissimè.
Coaceruo aliunde pluscula, Iudicum clementiam formatura. 85. fusè.
Principis pietatem, & clementiam, Maiestatémque dedecet, pœnis, & suppliciis spectandis, interesse. 856. fusè.
Princeps clemens, de inflictis pœnis, se cupiat apud subditos excusatum. 860. fusè.
Iniqui Principis, in Inferno, viua mors: desperatio sperans: & sub vocacissimo igne, æterna exustio. 889. fusè.
Infernus ignis fœcundus, Principis delitias pascitur inextinguibilis. 894. fusè.
Tormentum, damnato Principi, maximum, negata commiseratio: adhibita irrisio, vt illis, quos, breue habuit, æternum sit, ludibrij spectaculum. 898. fusè.
Quàm sit Principibus, terribilis & metuendus diuinus Iudex. 908. fusè.
Iudicis huius censoria perspicacitas; cæca reorum Principum confusio. 917. fusè.
Princeps pius, vitæ, fælicitatísque suæ, breuissimum spatium recognoscit. 931. fusè.
Séque, sub his angustissimis vitæ terminis, miseriis, & vicissitudinibus obnoxium. 936. fusè.
Vita, mortalis Principis, mors continua: & sæpè morte ipsa, longè sæuior. 946. fusè.
Princeps, peccati pœnitentiam non differat. 953. fusè.
Iniqui, aut Iusti Principis vita, eiusdem mortem indicat. 959. fuse.
Sub tàm augustæ opulentiæ fortunâ, solùm sepulchrum, & istud augustissimè, Princeps possidet. 967
Sepulchri honor, aut negatus, aut inutiliter permissus, iniquo Principi. 973. fusè.
Princeps, voluptatibus deditus perit ante mortem: quàm ludum reputans, funestiùs incurrit. 983. fusè.
Princeps, Inferni victimam, dæmonis epulum, apparat semetipsum, per voluptates. 988. fusè.
Principes, nunquam voluptatibus satiati. 1002. fusè.
Tyrannis sæuissima voluptatum, in Principes exercita. 1011. fusè.
Voluptatibus immersus Princeps, Princeps infamiam, velut nouissimam voluptatem aucupatur. 1022. fusè.
Turpissima est, hæc Principis, de propriâ infamiâ, exultatio: neque vnquam verè beatus est in delitiis. 1027. fusè.
Multis titulis venit indecens, apud Principem, Gulæ blandimentum. 1037. fusè.
Veneris contagium efficacissimum, & perniciosissimum, Principi vitandum. 1054. fusè.
Turpis Amor, id est, luxuria, Principibus vitanda, fusissimè describitur. 1063
Iniquo Principi, adulationibus ipsis, satis pœnarum infligitur. 1112. fusè.
Quàm deceptus, sub adulatoribus degat Princeps. 1116. fusè.
Callidissima, sub iniuriæ velo, & cum offensionis periculo, ferit Principem Adulatio. 1123. fusè.
Adulationis damna, & quàm ab his, se debeat Princeps præcauere. 1127. fusè.
Plura de Adulatoribus Principi abhorrendis. 1135. fusè.
Extrema Adulationis impudentia: Principes, in Deos euehit, & quorsum. 1140. fusè.
Princeps arrogans, non solùm Deus, sed etiam Deorum creator, vult haberi. 1148. fusè.
Superbus Princeps, & si Deus haberi non contendat: Deo tamen insultare, non erubescit. 1154. fusè.
Strenua fides, Principem adornat: neque miraculorum curiositati, assuescit. 1161. fusè.
Religio, à Principe, in subditos: huius pietas, construendis & frequentandis Templis, impendenda. 1167. fusè.
Religiosus cultus, erga Eucharistiam, Principi procurandus. 1175. fusè.
In idem plura. 1183. fusè.
Vnde Principi Catholico, Crux veniat religiosissimè colenda. 1201. fusè.
Plura in idem. 1212. fusè.
Cultus erga Deiparam, cælorum Reginam, terrenis Regibus, quàm debitus. 1221. fusè.
In idem plura. 1230. fusè.
Deipara, Magistra Principum, & Consiliaria probatur. 1237. fusè.
Sacrarum Reliquiarum, & Patroni sui, cultus, Principi commendatur. 1243. fusè.
Qualem se, erga summum Pontificem, & reliquos Sacerdotes, religiosus Princeps, debeat exhibere. 1254. fusè.
Princeps, qualem sit Confessarium electurus. 1271. fusè.
Qualem Concionatorem auditurus. 1286. fusè.
Principis æquitas, in legibus ferendis. 1300.
Princeps, reuerentiam legibus procuret, quas & ipse reuereatur. 1307. fusè.
Leges non temerè, sed solùm vrgente necessitate, mutet Princeps. 1320. fusè.
Viua lex, morúmque norma est, vita Principis. 1330. fusè.
Princeps, in meditullio Regni, curiam collocet. 1338. fusè.
Immediata tuendi Imperij cura, Principi, multis titulis incumbit. 1346
Per inueterati vitij vestigia, ad virtutem, Princeps, subditos reducat. 1353. fusè.
Quantum, ex Politica prædictâ, & Principi, & subditis, vtilitatis adueniat. 1361. fusè.
Vnde Princeps, in Tyrannum, facilè vertatur, euerten

euertendus. 1367.fusè.
Iustus Princeps, non solùm Tyrannidem sed etiam Tyrannidis confinia euitet. 1376.fusè.
Solummodò, ad Pacis conseruationem, bella sunt à Principe ineunda. 1386.fusè.
Incundo bello expensas prouideat Princeps: & vnde istas, iustè compararit. 1396. fusè.
Quàm Militum delectum, facturus Princeps. 1401. fusè.
Quàm debeat Princeps, fœdera obseruare. 1414. fusè.
Qualem debeat, exercitibus suis, Ducem præficere. 1419. fusè.
Princeps nisi sanctus, ignauus & infaustissimus bella gerit. 1424. fusè.
Pro vera Religione, gloriosissimè Princeps occumbit. 1431.fusè.
Bullâ Cruciatæ, Exercitus suos, Princeps corroborat. 1437. fusè.
Princeps per Paranymphos, ferè inconsultè ducit sponsam. 1447. fusè.
In eligenda Principi sponsa, quid diligentissimè debeat obseruari. 1454. fusè.
Quàm debeat Princeps, vxorem diligere, & quanto in honore habere. 1464. fusè.
Princeps Vxorius carpitur. 1475.fusè.
Vxoris vitia, Principem traducunt. 1484.fusè.
Quomodo debeat Princeps, filios instituere. 1496. fusè.
Qualem sibi Hæredem, Princeps optare debeat. 1501. fusè.
Impius Princeps, sapientibus fit ridiculum spectaculum. 1
Pro Deo olim cultus, alios Deos colebat. 8
Princeps, Tributorum exactores comprimat. 15
Principis pompa, internis spurca. 24
Vultum tumide commutat Princeps. 27
Scenicus Principis viror excrescit. 28
Princeps sæuus irridetur, dum commendatur. 29
Rapinis, tanquam spineo serto coronatur. 30
Mors, Principem denudat. 31
Princeps, originis lateritiæ. 37
Huius speculum, fallax. 38
Fortuna Principis inquieta. 40
In ipsis opibus, Princeps mendicus. 41.42
Communis naturæ consors. 47
Et communibus periculis expositus. 48
Princeps, genio rapax. 75
Princeps, instar Patris adeundus. 96
Ab amicorum probitate commendatus. 219.220
Legibus obediat. 225
In pœnis, qualis. 225. 226
Ambitio Principis, totum orbem subigere contendit. 228
Qualem se, erga Proceres gesturus. 230
Fauorem suum quandoque dissimulet. 246 fusè.
Iustus Princeps, subditos se meliores, non lædit. 357
Princeps, inuidum animal. 358
De amore erga Populum probatur. 389
Bonus Princeps, nihil sinistrum habet. 470
Non obstrepat Princeps, Ministris. 482
Potestatem delegans, honoratur. 483
Ducat subditos, non ducatur, 566
Principis Cor augustum, non exhauritur. 581
Nihil grandius, Deus dat Populo, quàm bonum Principem. 1032
Princeps arctiùs Deo obæratur. 1176
Cur Principes Ethnici, se Deos somniarent. 1183
Principis, cum Pontifice vnitas, quàm necessaria sit. 1267.1268
Principis peccata, in Populi ruinam apparantur. 1299
Principis vitia, aut virtutes, latere non possunt. 1338
Notitiam subditorum illustrium, habeat Princeps. 1343
Non opus est discurrat per Prouinciam. 1344
Nisi sub certis circunstantiis. 1345
Initio regnandi, nonnulla dissimulet. 1353
Vide denique omnes titulos, & singula verba huius indicis: omnia enim, ad Principem diriguntur.

Proceres.

Proceres, non spernant Principis beneficia, à plebeis libata. 100
Plebeis beneritis, inuident Proceres. 101
Nihil dare solent, sed vndique accipere. 191
Arboribus procêris, in Scriptura Proceres comparantur. 229
Tyranno, funestiùs, quàm plebs, calcantur Proceres. 230
Lapsi, euersis arboribus comparantur. 233
Proceres oderunt veritatem. 274
Proceres, in ambiendo ridiculi. 314
Proceres, seruos suos non spernant. 345
Proceres, noua vitiorum genera indagantes, asperè puniuntur. 717
Proceres, importuni apud Iudices, intercedendo. 731.732.733
Proceres olim, cur purpurati, rogo, vel sepulchro inferrentur. 885. 886
Legibus, insultant Proceres. 1316
Imò & Procerum familiares. 1317
Sumptus, ad bella, etiam à Proceribus, Princeps exigat. 1398
Proceres, in vanam pompam, Plebem exhauriunt: & ipsi vana pompa exhauriuntur. 1399

Promissio.

Promissio, vt plurimùm celeriter implenda. 106
Ars difficultatis, implendæ promissioni fugienda. 107
Diuina promissio, pro accepto est. 108
Non sic humana. ibid.
Certa promissio, amoris index est. 109
Dilata promissio torquet. ibid.
Diuina promissio, quàm secura. 120
Promissio alicuius, captiosè non extorquenda. 596
Promissarij verba, & petitionem, examinet Promissor. 597
Leues promissiones, quamuis temerè factæ, impleri possunt. 598
Promissionis implementum, quandoque differendum: Promissarij vero patientia, grata Promissori. 599

Propheta.

Detractor, Pseudopropheta est. 282

Prudentia.

Vide *Admonitio, Ætas, Consilium.*

Publicanus.

Vide *Exactor.*

R.

Rapina.

Rapina, spineum est sertum, auaro coronando. 30
Rapinæ Regum, multiplices. 75.76.77
Phantastica pietate, eleemosynis impenduntur rapinæ.

pinæ. 90
De miserorum supplitio, rapinas facere:impium,& seuere puniendum. 780
Ministrorum rapacitas. 170
Miracula repentinæ opulentiæ, vt plurimum à rapinis. 168. fusè.
Idem. 170. 171
Minores Ministri, post spoliatum Populum, in Maiorum rapinam, apparantur. 173. fusè.
Rapinis augendis,expediendo negotio, moras,nectit prauus Minister. 177. fusè.
Rapinæ Ministrorum, bellum inferunt, Populo. 180
A rapinis cruentis, maximè abstinendum. 182. fusè.
Rapinas suas,sub ipsis Reip.ruinis,celatas cupiunt pessimi Ministri. 187. 188. 189. 190
Hostilitatem, cruorem, contagium,simulatam pietatem: in rapinis euitet Minister probus. 211. fusè.

Regina.

Regina, id est, cuiusuis absoluti Principis vxor, quomodo ad nuptias sit ventura. 1446. 1447. fusè.
Quid debeat, in sponsa Regina præoptari. 1454. fusè.
Mutuus Reginæ amor, ad Principem maritum. fusè. 1462.
Quanto in honore à Principe,sit habenda Regina. 1467. fusè.
Regina etiam in virtutibus, sit Marito consors,& concors. 1469
Reginæ, non vltra modum Princeps indulgeat:& cur. 1475. fusè.
Reginæ vitia,Principem infamant. 1484. fusè.
Obsequij gloria,erga Maritum,contenta sit Regina. 1486. fusè.
Vide *Nuptia*, *Vxor*.

Regnum.

Regni gloria, vilissimo venditur. 41
Emitur vilissimo. 43
Terrenum Regnum, cælesti compositum, vilescit. 44
Gula euertitur. 1051
Regij throni dignitas. 1094
Dira regnandi cupido. 1141. 1368
Vide *Potestas, Princeps, Tyrannus*.

Rex.

Vide *Princeps*.

Religio.

Omnem Religionem, conculcat Adulator. 165
A Principe pendet. ibid.
Religiosæ paupertatis, quies. 310
Diuersus Religionis cultus, Remp.incendit. 389
Politici Hæretici, ad rationem statūs, religione abutuntur. 398. 399. 400
Turpis numinis religione, fiunt ipsa delicta religiosa. 1144
Religiones Militares, bello sunt aptissimæ. 1413
Religio, quàm sit Principi vtilis & decora. 1160
Vera Religio, cæcam fidem sequitur fæliciter. 1161. fusè.
Religio, à Principe pendet. 165
Ab illo,in subditos deriuatur Religio. 1167
Quantum sit Dei beneficium, quod in Principe syncera religio conseruetur. 1168
Princeps profanatâ Religione, celeriùs & seueriùs punitur. 1169. 1170
Religiosus cultus, erga Templa construenda, & adeunda. 1171. fusè.
Religiosus cultus, erga Eucharistiam. 1175 fusissimè.
Religiosus cultus, erga Crucem. 1202. fusissimè.
Religiosus erga Deiparam. 1221. fusissimè.
Religiosus cultus, erga sacras Reliquias & Diuos Regni Patronos. 1243. fusissimè.
Religiosus cultus, erga summum Pontificem, aliosque Sacerdotes. 1254. fusè.
Religiosus Princeps, qualem Confessarium electurus. 1271. fusè.
Qualem Concionatorem. 1286. fusè.
Bellis pro vera Religione susceptis,adest propitius Deus: nihilque, hoc exercitio martiali, habet gratius. 1431
Ibi,religiose militantes,pene Martyres occumbunt. 1432
Nunquam Princeps gloriosius obit, quàm pro Religione decertans. 1433
Pio animo nihil funestius accidit, quàm euersam Religionem videre. ibid.
Princeps, pro Religione occumbens, sepulchrum sibi erigit, in Trophæum. 1434
Mors,pro vera Religione, omnibus est triumphis speciosior. 1435

Reliquia.

Sanctorum Reliquiæ, nobis fauori sunt. 1243
Ad illarum conspectum,nobis fauet Deus. 1244
Reliquiæ sacræ, omnibus thesauris præponendæ, quas prodigiis illustrat Deus. 1245
Sacræ reliquiæ cultæ, Patronos Diuos, in Patres commutant. 1246
Nec vt cunque Patres,sed hos,suauissimos. 1247
Reliquiæ Sanctorum, nobis hostes, & Dæmones auertunt. 1249
Sacræ Reliquiæ, non irreuerenti familiaritate tractandæ. 1250
Venerabundos hospites, ad se trahunt. 1251
Cur reliquiis sacris, honor debeatur. 1252
Reliquiæ Sanctorum, spirant, & communicant sanctitatem. 1253. 973

Reuerentia.

Reuerentur, Ministrum, subditi: si illum etiam Princeps reueretur. 582. 583
Reuerentia Principis, erga Ministrum, Principem illustrat. 585
Summa reuerentia Princeps prosequendus. 679. 696. fusè.
Vide *Comitas, Reliquia, Vultus*.

Reus.

Reorum bona,fisco, non sibi applicet Iudex. 212
Non passim,Reis, pœna condonanda. 730
Tunc iustissime punitur Reus, cum pœnas non tam pati,quam exequi videtur. 781. fusè.
Reus, propriis verbis,conuinci procuretur. 787
Non tam potentia, quàm iure opprimendus. 814. 810
Conuictus semel, suspectus est,relapsus. 811

Risus.

Risus, semper grauitate temperandus est. 694. 695

Rosa.

Rosarum vita ephimera:inde fortasse,flos flórum, appellatur Rosa. 33

Ruina.

Ruina,semper fælicioribus coniuncta est. 601. 602. 603
Ab edito, non nisi in abiectissimam sortem, ruina, est. 604

S.

Sacerdos.

Vide *Clerus*, *Papa*, *Confessarius*.

Sanctitas.

SAnctitas, Iudicium secura expectat. 45.46
Pauci Iusti, omnibus Orbis imperiis præcellunt. 338. 339.
Gloriatur Deus, in Sanctis. 340
Sancti, cur peregrinari dicantur. 341
Sanctus vnus, ob nullum bonum commune, damnari potest. 391
Sanctus, ab impiis, cum ipso Deo, arguitur. 511
Sanctos, sibi, in Testes, Deus aduocat. ibid.
Sancti, diuinæ circa alios gratiæ, non sunt zelotypi. 576
Sanctus, plus viuit vna die, quàm impius multis annis. 648
Sanctus in non dando scandalo, quàm sollicitus. 746
In sanctis, apud impios, patitur Christus. 801
Sanctus, spectaculum factus est, & quibus. 906. 907
Sanctorum sepulchra, resurrectionis celaria. 981. 1106
Post mortem, verè viuit Iustus. 983
Sancti, Dei cibus sunt. 1000
Sanctus, semper in timore. 1194
Sanctorum reliquiæ. 1243. fusè.
Paucorum Sanctorum merito, multis impiis condonandum. 1383
Vide *Virtus*.

Scandalum.

Scandali contagium. 296
Scandalosus diligentissimè puniendus. 742
Scandalosus, ad pœnam certus, labilis ad ruinam. 743. 744
Immanis culpæ est, si in peccati consortium, illos solicites, quos pridem, virtutis tædio, abieceras. 745
Iustus, de euitando scandalo, quàm sollicitus. 746
In scandali vindictam, festinus Deus. 747
Scandalosus, non solum propriæ, sed etiam alienæ culpæ pœnas dabit. 748
Nemo sic stultescit, vt de scandalo, pœnas dare, non timeat. 749
Princeps, scandalosis parcens seuerissimè punitur. 752. & cur. 753
Sic lentanda pœna, vt tarditate, non generet scandalum. 777
Scandalorum ducem, amat Dæmon. 1008
Principis & Sacerdotis scandalum, enorme. 1284

Scripta.

Scripta, siue rescripta Principum, qualia futura. 760
Scripta contra nos, in extremo iudicio proferentur. 918

Scriptura.

Sacræ Scripturæ, nonnullas Phrases explico. 226. 229. 247. 871. 873. 874 1092. 1107
Et sæpè alibi, in sensu literæ.

Secretum.

Secretum regium tenacissimè custodiendum. 403
Prudens secreti dissimulatio, qui discenda. 404
Secretum, à fœminis maximè cauendum. 405. 406
Fœmina enim, vt proprij tenacissima, sic alieni secreti, prodiga est. 407
Secretum, Amicæ fœminæ præcipuè denegandum. 408
Secreti silentio, ora sigillanda. 403
Et liganda. 409
Principi ipsi, propria secreta, sint venerabilia. 410. 411
Violator regij secreti, extremo supplicio dignus. 412. 413
Secreta Dei, quando tacenda. 414
Quæ sint iniquæ causæ, secreti violandi. ibid.

Senectus.

Amore turpi, senectus miserè, repuerascit. 1067
Quàm debeat, à luxuria, distare Senectus. 1068
Senectus, pro Consiliis, necessaria. 650
Et inde, ad consultationes requisita. 651
Et æstimanda. 656

Sepulchrum.

Vide *Iacobus*, *Mors*. Adde.

Portatile sibi sepulchrum, est Peccator. 58. 984
Loculus quo cadauer nobile, olim sepulchro inferebatur, pretiosissimus. 884
Cur prædictum cadauer, opertum purpura, sepulchro inderetur. 885. 886
In sepulchris olim, opes immensæ. 887
Sepulchri cura, inter humanas miserias. 1101
Noua sepulchri forma, apud Arabes. 1102
Negare mortuis sepulchrum, Tyrannidem arguit. 1104
Inhonesti sepulchri, quale dedecus. 1105
Mortalibus, Nihil proprium habetur, nisi sepulchrum. 967
Sepulchri possessio, arctissimo vniculo nobis comparanda. 968
Sepulchrum homini, quàm debitum. 969
Nihil enim reuera habet proprium, nisi sepulchrum: nullósque dies suos, proprius numerat, quàm, quos iacet in sepulchro. 970
Sepulchrum, iura mortis stabilit. ibid.
Sepulchrum augusti Principis angustum. 971
Et in toto sepulchro, loculus exiguus. 972
Diuitem, pauperémque, breue sepulchrum tegit. ibid.
Solatio & honori, mortuis est sepulchrum. 973
Et honor maior, quò istud sumptuosiùs. 974
Iniquus Princeps, sæpè sepulchri honore defraudatur. 975. 976
Impio, honorificè sepulto, sepulchrum nihil prodest: semper enim sepulturam asini sortitur. 977
In Inferno tandem ipse sepeliendus. 978
Illustria iniquorum sepulchra, quodammodò Cenotaphia sunt. 979
Inferno damnandus, nunquam in pace dicitur sepultus. 980
Sepulchrum Iustorum, semper de spe resurrectionis, gloriosum. 991

Seruitus.

Miserrima est, ambitionis seruitus. 310. fusè.
Immanitas, erga seruos ægros reprehenditur. 344
Serui sæpè, Dominus præferuntur, apud Deum. ibid.
Coacta libertas, seruitutis genus est. 555
Sub vitiis, seruitutum seruitus est. 1014. 1017. 1019. 1020.

Et

Et Princeps, & subditus, seruituti subiacent, licèt diuersimodè. 1372

Silentium.

Silere, in Scriptura, quid significet. 227
Silentium, virginitatis decus. 1452

Sodomia.

Sodomiæ contagium, detestabile. 1057
Ignis ipse, quo Sodomia punitur contagiosus est. 1061
Vide *Luxuria*.

Sol.

Sol, in exemplar Principibus. 106. 116
Et Ministris. 177
Sol, cur oculus Iustitiæ appelletur. 178
Horologium Solis, cur sit figura Principis. 566

Somnus.

Somnus, de morte, cur dicatur. 252
Et morti, quomodo coniungatur. ibid.

Speculum.

Speculum Principum, fallax. 38

Specillum.

Per munerum spicilla, res aliter videntur, quàm sunt. 198. fusissimè.
Qualia sint Inuidiæ spicilla. 257. fusè.

Spes.

Desperatos, Deus, in spem animat. 120
Desperatio in Inferno, fallaci spei coniuncta, in tormentum atrocius. 889. fusè.

Spiritus sanctus.

Spiritus sancti, Igneæ linguæ. 285
Mira suauitas. 366
Eius apparitio. 499
Linguæ flammantes. 500
Thronus. 502. 503
Spiritus sancti animas fictas fugit. 504. 505
Eius officia benignissima. 882. fusè.

Stultitia.

Extremæ stultitiæ est, bis decipi. 269
Præsidere inutilibus subditis, stultum est. 309
Stulta ignorantia, dissimulatur quandoque. 380
Deprehensa, de ridiculo est. 381
Stultitia, siue ignorantia, arrogans est. 382. 383
Pertinax est, sed inefficax. 384

Subditus.

Sub prætextu regij obsequij, sibi passim attendunt subditi. 101
Subditi etiam rebelles, Principis liberalitate, domantur. 146. 149
Subditis inutilibus præsidere, stultum est. 309
Subditorum, & Principis, mutua attentio. 343. 1372
Insaniunt superbus Princeps, subdito inuidens: & subditus Principi æmulus. 353. fusè.
Subditi, Principem ornant. 357. 358
Subditus licet innocens, irato Principi, non resistat. 359
Impotenter rapitur subditus, ad obsequendum etiam per turpia. 468
Subditus, fœdifragus, vt plurimum, præsumitur. 1307
Naturalia, & nationalia vitia, subditis, à Principe, condonanda. 1358. 1359
Immediata cura subditorum, Principi adsit. 1346. fusissimè.
Cura ista, & Principi, & subditis, quàm sit vtilis. 1361. fusissimè.
Vide *Obedientia*, *Minister*.

Successor

Recto Prædecessoris iudicio, stet successor. 498. 499
Successores D. Petri, in re dogmatum, errare nequeunt. 1260
In successione Principum variata Prosapiæ linea, Populo noxia. 1374

Superbia.

Superbia, auaritiæ coniuncta. 144
Obedientiæ inimica. 451
Superbia fælicitas, ruinosa. 602
Nequit esse superbus, qui se nouit hominem. 708. fusè. idem. 877.
Superba, Regnum perdit. 719
Superbiæ, quæ pœna apta veniat. 764. 765
Superbia abiectissimis postponitur. 766
Superbus, non solum peccator, sed ipsum peccatum est. 793
Superbiæ certa pœna instat. 879
Superbiæ plumæ, sunt ignis pabulum. 929
Cælo terræque, exosa superbia. 959
Superbus Princeps, non solùm Deus, sed Deorum creator vult haberi. 1148. fusè
Auxiliatorem Dei, se credit. 1154
Séque, diuini auxilij non indigum. 1156. 1157
Superbus, quò abiectior deturbatur, eò rebellat immanior. 1157. 1158
Saltem Deo, se æquare præsumit. 1159
Superbia, in Doctore, sceleratissima. 1287
Superbis, quomodo sit humilitas proponenda ne fugiatur. 1356

T.

Temperantia.

Temperantia, est virtutum nutrix. 1050
Temperantia, in Principibus, vnde pretiosior. 1053
Temperantiæ norma. ibid.

Templum.

Phantastica pietate, ex rapinis Templum erigitur. 90
Templa olim, Tyrannis adhuc viuentibus, tanquam Diis, dicata. 1093
Hæreticus, è Templo, tanquam bestia, eiiciendus. 1170
Templorum erectio, dignissimum Principis opus. 1171
Pius animus, post sumptuosissima Templa erecta Deo: casas se erexisse, existimet. 1172
Quàm se obæratum Deus, de Templorum cultu, protestetur. 1173
Templa, accipiendis beneficiis à Deo frequenter adeunda. 1174

Tentatio.

Tentationem virtuti, Deus attemperat. 1368

Terra.

Terra omnis, in Scriptura, quid sonet. 227
Ambitio, totam terram subigere contendit. 228

Testis.

Testium authoritas, quanti sit apud Iudices, facienda. 507
Deus vnicè, testibus non eget, quos tamen aduocat. 507. 508 509. 510
Iustos perfectiores, in testes sibi aduocat Deus, contra peccatores. 511
Sub testibus, iudicium legitimum exercetur. 512

Veritati suæ testes, quærebat Christus. 513
Iudex probus, syncerè testes examinat, ne ad ipsius gustum, testes condiantur: aliter iniquus. 514
Iudex iniquus, testem respuit, quem sibi nouit, non adblanditurum. 515
Et ex odio personæ, testimonij respuit veritatem. 515.516
In quo casu possit, & debeat pius Iudex, testes, in affectum suum allicere. 517
Amor, testes non quærit. 558

Timor.

Vide *Metus, Bellum, Mors.*

Tributum.

Iniquitas Tributorum, Tyrannum probat. 11
Tributa ob bellum imposita, amoto bello, amouenda. 12
Tributa, lachrymis subditorum respersa, iniqua, nec vtilia. 13.18
Ab Exactoribus, veniunt longe duriora. 14.fusè.
Ab iniquo Tributo, Christianus, multis titulis, liber est. 19.fusè.
Hæreditas regia, à Tributis libera. 20
Male parta tributa, malè dilabuntur. 81
Iniqua Tributa, inopiam inducunt Principi. 81.82. 83
Imminutio Tributorum, requies est Populi. 89
Immodicis tributis, parcendum, ne inde Ecclesia fiat tributaria. 190

Trinitas.

Sanctissimæ Trinitatis imaginem, in nobis deletam, iam ab orbis principio cupiebat Dæmon. 835

Tyrannus.

Vide *Princeps, Potestas:* adde.

Ab iniquis Tributis probatur Tyrannus. 11
De alieno, liberalis. 88
Tyrannidis index, auaritia. 97
Iniquos, præmiis afficit Tyrannus. 126
Cruentis prædis inhiat. 182. fusè.
Improborum baculus est. 219
A crudelitate, famosus. 221 fusè.
Idem. 1099
Sæuior furit, in Proceres. 230
Vultum, in horrorem componit. 706
Tyrannus truncatus, Deo victima est. 727
Propriis verbis arguitur. 800
Non stat iuri, sed libito. 804. fusè.
Tyrannicum est, se non vnum ex multis, existimare. 877
Tyranni, in morte, miseriæ. 880
Sepulchro caret vt plurimum. 975.976.977.978
Tyrannus mons est ferarum. 1222
Tyrannus, non suis leges imponit: illique, pro Regno est, innocentes trucidare. 1302
Non tam regendi Populi curis, quàm voluptatibus studet Tyrannus. 1347.1371
Tyrannus, se pariter cum imperio euertit. 1367
Omnia sibi licere, putat. 1369.fusè.
In Tyrannidem, facilè declinat Principatus. 1373
Eò Tyrannis durior, quo dissimulatior. 1374.1375
Tyrannidis confinia, quæ sint. 1376.fusissimè.

V.

Verbum.

Halitus, & verba Peccatoris, contagiosa. 295.296
Venenata. 297.298
Prædicti contagij & veneni vis. 299
Verbum durum omni verbere, sæuius. 300
Verborum laqueus, & pestis. 301
Et ignis. 302
Et contagium. 303
Verba mala, sagittæ Dæmonis. 305
Chamæleontina, in verbis fugienda. 368
Verborum simplex candor, procurandus. 369
Qualis comptus, verbis adhibendus. 370
Et Verba Principis, qualia esse debeant. 698
Iniqui, suis verbis conuincuntur. 787. fusè. 798. fusè.
Delicatæ Principis aures, ominosa verba respuunt. 1159

Vide *Lingua, Fraus, Mendacium, Veritas.*

Veritas.

Mendacio connutritis, veritas desipit. 270
Inuidus veritatem nescit agnoscere. 271
In Palatio, veritas sonare nescit. 272
Surdescit veritati, Palatium. 273
Aut sero capit. 274
Veritas circumspectissimè tractanda. 280
Verba veritati assonent. 368
Principis miseria est, nunquam vera audire. 370
Veritas, sub quo fuco, quandoque dissimulanda. 371.372
Contra veritatem, non præscribitur. 374
Diuina veritas, testes quærit. 513

Vide *Mendacium.*

Vestis.

Ambitio vestium, & color olim, tegendis Cadaueribus. 885.886
Vestium pompa vana. 1015

Victoria.

Imago victoriæ, truncatis alis, quid notaret. 131
Post victoriam, noua bella timenda. 1445

Virga.

Virga, in Scriptura, quid signet. 216
Virga oculata, quæ sit. 522

Virgo.

Virginitas. diuini templi, æditura. 1057
Virgo, ante nuptias, qualis futura. 1452.1453

Virtus.

Virtus, immunis à tristitiâ. 310
Communicata, non minuitur. 581
Virtus, in Iudicibus, plusquàm scientia necessaria. 614
Honores acceptos honorat. 616
Honores despiciens, fit pretiosior. 619
Imbellem ætatem roborat. 647
Imperio aptissima, etiam in Iuuene. 649
Virtutes, genio nostro, Deus accommodat. 657. fusè.
In virtute solum, vera fælicitas. 1034.1035
Virtus, pro temporis circunstantiis, prudenter commutatur. 1327
Per vitiorum vmbram, ad virtutes, nos ducit Deus. 1353.fusissimè.
Non inuitos, sed lubentes, trahit virtus. 1403

Vide *Sanctitas.*

Vita.

Humanæ vitæ breuitas, & fragilitas. 37
Vita laboriosa, stadium est victoriæ. 837
Sub virtutibus solummodo, vera vita. 986
Vita nostra, loquelæ instar euanescit. 931
Vitæ nostræ, cur non tam numerus, quam mensura adhibeatur. 932
Mensura ista vitæ, quam sit curta. 933

Vita humana, celerrima nauigatio, tenuis scilicet, & vento sollicitata. ibid.
Pastoritium Tentorium est, & trochus puerilis. 934
Vita tota, vix hora est. 935
Vita, non tàm nauigatio, quàm perpetuum naufragium, ad rupes, & spinas illidens. 936
Primus vitæ vagitus, oraculum est miseriæ vocalissimum. 937
Natiuitatis, panni sepulchrales: nam vitæ in stadio decertantis, Mors meta est. 938
Vita ipsa, ærumna viua est, & ærumnis referta. 939
Monstrosè carcer simul, & fuga, est vita nostra. 940. 941
Vita, ipsissimus est timor, & sepulchro penè inserta. 942
Timore & insidiis, vita fœlix circundatur. 943
Vita vicissitudinibus obnoxia, ideo fluuius dicitur. 944. 945
Vita ipsa, longa & continua mors est. 946
Et mortis saltem mixtura. 947
Certè mors est, & mors incinerans. 948
Vita ærumnosa, vita dici nequit. 949
Vita voluptatibus diffluens, omni morte sæuior. 950
Vita, sub timore mortis, morte durior. 951
Vita gloriæ suæ superstes, durissima. 952
Vide *Gloria*, *Fortuna*, *Mors*.

Voluntas.

Propria voluntas, mille damnorum causa. 1378
Diuina voluntas, ratio est: nostra huic subiecta, iam fit omnipotens. 1379
Iniquis, voluntas pro iure est. 804. fusè. 1369. fusè.

Voluptas.

Tyrannicum est, ab alieno supplicio, quærere voluptatem. 226. 856. fusè.
Voluptas alieno periculo non quærenda. 454
Voluptas iusta, Principi quærenda. 466
Voluptas exquisita punitur acerbius. 768
Insatiabilis, insatiabiliter punitur. 774
Immodicæ voluptates Tyrannorum. 881
Pabulum pœnis ministrabunt. 896. 897
Voluptas vilis, & breuis. 931
Vitam, morte sæuiorem reddit. 950
Aut tristem mortem affert. 963
Bestialis est. 1044
Effœminat viros. 1081
Voluptatibus indulgens, moritur ante mortem. 983
Et sepelitur. 984
Inferno deinde sepeliendus. 985
Talis reuera, viuens non viuit. 986
Mortem pro ludo habet, illudendus. 987
Per voluptates, se quisque in victimam Inferni, & in Dæmonis epulum apparat. 988. fusè.
Hæresis per voluptatem, inferno litat. 993
Voluptatum nostrarum fœditate, inescatur Dæmon. 998. 999.
Voluptas, scabiosa est prurigo. 1001
Vsu non satiatur, sed crescit. 1003. 1004
Voluptas in amaritudinem desinit, quæ non mitigat, sed irritat appetitum. 1005
Voluptas non satiat, sed gustatur. Vera est Belidum pœna. 1006
Dæmon sub prætextu necessitatis, voluptate propinat, non satiat. 1007. 1008
Voluptas, impiis adoratur, nunquam satians. 1009
Fastidio foret voluptas si satiaret. 1010
Tyrannidem exercet voluptas. 1011
Euertit regna. 1012
Captiuat. 1013
Sæuissimum, & plusquam ciuile bellum indicit. 1014
Nonsolum hostiliter, sed insidiosè ingruit. 1015
In necessitatem, voluptas quibusdam vertitur. 1017
Quanto dolore, sic necessaria voluptas præcidatur. 1018
Durissimum seruitium imponit voluptas. 1019
Sed miserrimè voluntarium. 1020
Voluptatis vincula, & illa spontanea. 1021
Nouissima voluptas est, voluptatum infamiam aucupari. 1022. fusissimè.
Quam id sit turpe. 1029. fusè.
Gaudium voluptatis tenue. 1035
Nunquam satians. 1036

Vultus.

Vultus, in Principe, à tumore mutatus. 27
Regij vultus mutatione, mutantur Aulici. 321. 326
Vultus dignitas, quàm venerabilis. 1211
Vultus Principis, comis, sed grauis. 684
Pacis, bellique mixtura temperatus. 685
Nulla comitas, regij vultus dignitatem debet imminuere. 686
Vultus Principis, amorem sibi & timorem conciliet. 687. 688
Vultus, ignotum Principem manifestat. 690
Non ad maiestatis pompam de figurandus. 691
In recreationibus, vultus, quomodo componendus. 692. 693
Vultus quàm debeat risum, & lætitiam temperare. 696. 697
Hæc vultus temperies, amabilem reddit Principem. 704
Toruitas vultus, Principi, necessario vitanda. 705
Tyrannus quippè, vultum, in horrorem componit. 706
Asperitatem in vultu regio, quandoque probo: ita tamen, vt potius improborũ conscientiæ, quàm indoli regiæ tribuatur. ibid.

Vxor.

Cum vxore, nihil serium tractandum. 405
Periculosè illi, arcanum committitur. 406
Vir vxorius, vxore ipsa punitur. 771
Vxor fœcunda, marito imperat, imò Maritum emit. 832
Quanto impetu, indulgendæ vxori, Maritus rapiatur. 883
Vxor improba, scandalum est Marito. 1427
Quomodò in nuptias vxor eligenda. 1447. fusè.
Vxor, Mariti moribus responsura. 1454. 1455
Quàm sit hæc morum similitudo, necessaria. 1456. 1457
Ditescere, ex vxore, periculosum. 1458
Vxor diues, superbit. ibid.
Vxori pulchræ, sancta præponenda. 1459. 1460. 1461. 1462. 1463.
Vxor & Maritus, eadem vita & spiritu visi, animare. 1464. 1465
Odium vxoris, seuerè punit Deus. 1466
Vxor, honoris consors, cum Marito. 1467
Quamuis aliunde, genere inæqualis. 1468
Coniuges virtutem inuicem foueant. 1469
Honor Mariti, ab vxore pendet. 1470

Vxorius Maritus, miserè perit. 1475
Huic vxor, turpiter imperat. 1476
Et illum destruit. 1477
Indulgendum vxori, falsis tamen eius deliquiis non assentiendum. 1478
Neque fictis lachrymulis. 1479
Nullus Maritorum, turpiùs vxorius, quam Princeps. 1483
Vxor & Maritus fœdè, officia commutant. ibid.
Vxoris vitia, Marito imputantur. 1484. 1485
Vxor, semel tantum monenda à Marito. 1486
Non domina, sed Ministra. 1487
Obediens. 1488
Nihil absente Marito decernat. 1489
Tantummodo Deo, plusquam viro creditura. 1490
Nesciat se esse pulchram. 1492. 1493
Concordia coniugum. 1495
Vide *Fœmina*, *Nuptiæ*.

Z.

Zelotypia.

Zelotypia Aulica, de regio fauore. 544. 575
Zelotypia Christi in Eucharistia. 1192
Confessariorum zelotypia, abominabilis. 1283

FINIS.

SYLLA

SYLLABVS INDICIS PRÆCEDENTIS.

A.

ABsentia.
Admonitio.
Adulatio.
Adulterium.
Ætas.
Ambitio.
Amicitia.
Amor.
Angelus.
Anima.
Appellatio.
Apostolus.
Arbitrium.
Arbor.
Aristoteles.
Astutia.
Astrum.
Auaritia.
Auctoritas.
Augurium.
Aula.
Aurum.
Austeritas.
Auxilium.

B.

Baculus.
Baltasar.
Bellum.
Beneficium.
Bulla Cruciata.

C.

Cæcitas.
Carcer.
Carolus V.
Ceruus.
Chamæleon.
Charitas.
Christianus.
Christus.
Clementia.
Clerus.
Cælum.
Comitas.
Comœdia.
Con.ba.
Concionator.
Concordia.
Confessarius.
Consanguinitas.
Conscientia.
Consilium.
Constantia.
Consuetudo.
Consultatio.
Contentio.
Corona.
Corpus.
Crudelitas.
Crux.
Curia.

D.

Dæmon.
Democratia.
Desiderium.
Desperatio.
Detractio.
Deus.
Dignitas.
Discordia.
Diuitiæ.
Dolor.
Dominus.
Dux.

E.

Ebrietas.
Electio.
Eleemosyna.
Elysij Campi.
Episcopus.
Eucharistia.
Exactor.
Exemplum.
Exprobratio.
Extremum.

F.

Fama.
Familia.
Fauor.
Fides.
Filius.
Flos.
Fœdus.
Fœmina.
Fortuna.
Frater.
Fraus.
Fuga.

G.

Gigas.
Gloria.
Gratia.
Gratia.
Gula.

H.

Hæres.
Hæresis.
Hircus.
Histrio.
Homo.
Honor.
Humilitas.
Hypocrisis.

I.

Iacobus Apostolus.
Iactatio.
Ignorantia.
Infamia.
Infernus.
Ingratitudo.
Iniuria.
Interpres.
Intercessio.
Inuidia.
Ira.
Irrisio.
Iudex.
Iudicium.
Iuramentum.
Iurisconsultus.
Iustitia.

L.

Lac.
Lachryma.
Laus.
Lex.
Liberalitas.
Lingua.
Lucifer.
Luxuria.

M.

Magister.
Maria Deipara.
Maritus.
Martyr.
Matrimonium.
Mendacium.
Metus.
Miles.
Minister.
Minister Primarius.
Misericordia.
Modestia.

Monar

Monarchia.
Monitor.
Morbus.
Mors.
Mortificatio.
Munus.
Musica.

N.

Necessitas.
Nobilitas.
Nomen.
Nubes.
Nuptiæ.

O.

Obedientia.
Obsequium.
Oculus.
Odium.
Offi.ium.
Otium.

P.

Papa.
Parabola.
Paranymphus.
Parens.
Paupertas.
Pax.
Peccatum.
Pecunia.
Petrus.
Pœna.
Pœnitentia.
Politica.
Potestas.
Princeps.
Proceres.
Promissio.
Propheta.
Prudentia.
Publicanus.

R.

Rapina.
Regina.
Regnum.
Rex.
Religio.
Reliquiæ.
Reuerentia.
Reus.
Risus.
Rosa diuina.
Ruina.

S.

Sacerdos.
Sanctitas.
Scandalum.
Scripta.
Scriptura.
Secretum.
Senectus.
Sepulchrum.
Seruitus.
Silentium.
Sodomia.
Sol.
Somnus.
Speculum.
Specillum.
Spes.
Spiritus sanctus.
Stultitia.
Subditus.
Successor.
Superbia.

T.

Temperantia.
Templum.
Tentatio.
Terra.
Testis.
Timor.
Tributum.
Trinitas.
Tyrannus.

V.

Verbum.
Veritas.
Vestis.
Victoria.
Virga.
Virgo.
Virtus.
Vita.
Voluntas.
Voluptas.
Vultus.
Vxor.

Z.

Zelotypia.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google